DE CARTHAGENA

—

HOMILIÆ

CATHOLICÆ

3.

BV4254
.L3
C3
v.3

00 8 487

EX LIBRIS
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ
Episcopi Lemenis

1080015301

P. F. IO. DE CARTHAGENA

HOMILIAE CATHOLICAE

III

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

HOMILIAE CATHOLICAE

DE SACRIS ARCANIS

DEIPARAE MARIAE ET D. IOSEPHI EIUSDEM SPONSI

AUCTORE

P. F. IOANNE DE CARTHAGENA

ORD. MIN. OBS. S. THEOL. LECTORE GEN. ROMAE ETC.

EDITIO PRIMA NEAPOLITANA

ADDITO PROMPTUARIO DE DIVERSIS TITULIS MARIANIS

A CARTHAGENA PRAETERMISSIS

AUCTORE

RAPHAELE M. COPPOLA PRESB. NEAP.

PRAELATO PROTONOTARIO APOST. AD INSTAR PARTICIPANTIUM
ET IN ALMO COLL. NEAP. UNIVERSITATIS S. TH. MAGISTRO

VOL. III.

Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitaria
UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Valverde y Tellez

NEAPOLI
EX TYPOGRAPHIA IOSUE VERNIERI
MDCCCLIX

45131

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

BV4254
.L3
C3
V.3

FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

DE SACRIS ARCANIS

DEIPARAE VIRGINIS

IN FESTO S. MARIAE AD NIVES

ET IN EVANGELICA ILLIUS DIEI LECTIONE LATENTIBUS

LIBER DECIMUSQUINTUS

HOMILIA I.

In illa verba Ecclesiast. Imperio suo acceleravit nivem, *proprietates, et effectus nivis in laudem b. Virginis, et nostram utilitatem convertuntur.*

Quamvis non pauca Deiparae Virginis praeconia, duobus integris voluminibus a me, Divina irrorante gratia, nuper elucubratis effuderim; tamen cum legi Ecclesiasticum (c. 43) dicentem: *Multa abscondita sunt maiora his: pauca enim vidimus operum eius*, continuo accinctus sum, haec maiora diligenti indagine investigare; ut quod de Virginis Filio idem Ecclesiasticus dixit: *Exaltate illum quantum potestis: maior enim est omni laude*, in matrem etiam eius, sicut et praecitata verba, alias de aeterna Sapientia dicta, recte convenire autumem: Deiparam enim virginem nunquam satis extolli, aut pro dignitate honorari posse, omnes Ecclesiae Patres unanimi sensu contestantur. Unde d. Anselmus (*lib. de excell. Virgin. cap.* 2) dixit: *Ea quae incunctanter de b. Virgine vera existunt, tanta laudis materia sunt referta, ut quicunque in laudando eam morari desiderat, necesse sit, ut facultas eius magnitudini rei succumbat.* Cuius rationem reddit b. Petrus Damianus (*ser. de Nativ. b. Virg.*): *Quia*, inquit, *impar est illi omnis humanae linguae praeconium.* Sed parum dixit, cum nec angelica encomia ei sufficiant, d. Ioanne Damasceno dicente (*orat.* 1. *de Assumpt.*): *Eam non hominum lingua, non mundo sublimior angelorum mens sat dignis laudibus efferre potest, per quam Domini gloriam intueri nobis datum est.* Unde ingeniose s. Basilius Episcopus Seleuciensis (*or. de Annunc. b. Virgin.*) dixit: *Qui omnia illustria, et gloriosa dixerit, nusquam is a veritatis scopo aberrabit: attamen dignitatis magnitudinem nulla unquam oratione exaequabit.* Quibus consonant egregia illa Mantuani carmina (*lib.* 1. *Parthen.*):

Nulli adeo vivax animi solertia, nulli
Tam felix adeat florentis gloria linguae,
Ut Mariae possit laudes aequare loquendo.
Quae data sunt illi, nunquam mortalibus ullis
Antea concessit, nec post concedet Olympus.

Atqui ad hoc ipsum significandum libro Exodi (*cap.* 24) legimus, duo cherubim in sancta sanctorum collocata fuisse, qui alis suis expansis arcam illam mirabilem contegebant, quam typum fuisse b. Virginis communis est Patrum sententia. Cherubim autem, ut d. Dionysius docet (*de coelest. Hierarchia*), plenitudinem scientiae significant: alae vero intellectus eorum cogitationes designant: nam sicut aves alis suis pervolant, et alta loca conscendunt, ita cherubim perspicacissimi sui intellectus cogitationibus, divino lumine perfusi, altissima penetrant sapientiae arcana. Cum ergo dicitur, cherubinos alis suis tegere arcam Dei b. Mariam adumbrantem, aperte significatur, tantam esse b. Virginis celsitudinem, ut quanto altius cherubim evolant ad illam comprehendendam, tanto magis investigabilem agnoscant; ad eum certe modum, quo qui solem videre desiderans, quanto magis oculorum aciem in solis iubar figit, tanto magis inde caecutit. Quantumvis ergo cherubini magna, et ineffabilia b. Virginis arcana penetrent; adhuc tamen semper mystica haec arca manet alis eorum tecta, perinde ac si ab eis nunquam fuisset reserata. Atque huc etiam facit, ni fallor, quod Ezechiel (*cap.* 41) dixit: *Porta haec clausa erit, et vir non transibit per eam*: licet enim verba

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
008480

haec indicent b. Virginem incognitam fuisse viro quantum ad complexum maritalem; non desunt tamen qui putent etiam intelligi posse in hoc sensu, quod b. Virginis excellentia omnibus ad semper clausa, nulli unquam viro copulata, et satis perspecta: nomine autem viri solum venit intelligendus homo sanctitate conspicuus, cuiusmodi erat Iob, de quo dicitur (*lib.* 1): *Vir erat in terra Hus:* nec solum vir sapiens, ut Salomon (1. *Reg.* 18), cui pater eius dixit: *Verumtamen esto vir:* sed etiam Angelus, nam (*Daniel. cap.* 9) Gabriel vocatur vir: *Adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel.* Est igitur Deipara Virgo propter eximiam eius excellentiam porta clausa, et inaccessa omni tam humanae, quam angelicae intelligentiae, quia, ut dixit d. Ioannes Damascenus (*orat.* 2. *de Assump.*): *Virgo omnium encomiorum legem excedit.*

Verum ob hanc tantam b. Virginis miram celsitudinem, minime putaverim tantae maiestatis pavore concussis, a laudibus eius abstinendum, Ioanne Damasceno dicente (*orat.* 1. *de Assumpt.*): *Quid ergo? an quia eam pro dignitate laudare minime possumus, idcirco metu reprehensi conticescemus? minime sane; quin potius temperata metu cupiditate, contextaque una, et utraque corolla, cum sacra reverentia, tremente manu, ac cupido animo, viles ingenii nostri primitias, regiae matri, de universa natura benemeritae, grato, candidoque animo, tanquam debitum quoddam persolvemus;* hactenus d. Damascenus. Etenim sicut rusticus ille, cuius ibidem meminit idem sanctus Doctor, concavis manibus exceptam aquam regi obtulit, gratissimum fuit exiguum munus, non ab exiguo animo profectum: ita licet tantae matri oblatas a nobis laudes impares esse necesse sit; ipsam tamen non tam exiguitatem muneris, quam pium animi affectum perpendente, grato animo eas suscepturam, non ambigo; maxime quod a Spiritu sancto charissimo eius sponso profectas, probe agnoscit: id enim plane ceciderat regius Vates (*Psal.* 86): *Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei:* et postea subiunxit: *Dominus narrabit in scripturis populorum, et principum horum, qui fuerunt in ea.* Ecce David, divino spiritu afflatus, non solum b. Virginis illa encomia, quae insignes, ac praecipui Doctores, sed et quae populares, et vulgares homines scribunt, ipsi Deo, tanquam auctori adscribit. Unde, ubi vulgatus Interpres (*Psal.* 86) legit: *Memor ero Rahab, et Babylonis scientium me,* Paraphrastes Chaldaeus vertit: *Laudare faciam Aegyptios, et Babylonios,* quos constat prae aliis omnibus discolos magis esse. Id autem quid quaeso aliud est, nisi quod in eodem Psalmo canit David: *Dominus narrabit in scripturis populorum, et principum horum, qui fuerunt in ea.* Cui profecto vaticinio illustrando mirifice congruit, quod in vitis philosophorum de Euripide legitur, quod propter intestinum odium, quo foemineum sexum prosequebatur in suo testamento hoc ei legatum reliquit, ut quidquid ubique gentium in foeminarum opprobrium dictum, aut scriptum reperiretur, sibi tanquam auctori adscribi gratum, et ratum haberet: non dissimiliter, sicut Euripides propter odium in foeminas; ita certe Deus propter singularem amorem erga b. Virginem, quaecunque in eius laudem catholice scripta sunt, sibi praecipue tribui, et tanquam proprio auctori deferri cupit: *Dominus narrabit in scripturis populorum.*

His accedit, quod ad b. Virginis laudes decantandas calcaria mihi addit, quod dum Virginem matrem commendo, a laude filii non desisto; ut enim dixit d. Bernardus (*hom.* 4. *sup. Miss. est*): *Sicut cum filium honoramus, a laudibus matris non recedimus, ita dubium non est, quidquid in laudibus matris proferimus, ad filium pertinere.* Quibus consonat illud d. Ildephonsi (*lib. de virg.Mar. cap.* 2) dicentis: *Quod servit ancillae, ad dominam pertinet; quod matri impenditur, ad filium redundat; et quod in regis honorem transit, in famulatam Deiparae transfertur.* Etenim quemadmodum, ut docuit d. Gregorius (*lib.* 5. *mor. c.*5), qui chordarum harmoniam temperant, tanta hanc arte dispensant, ut plerumque cum una laugitur, longe alia, ac multis interlacentibus posita chorda qualiatur: ita Iesus, et Maria sic inter se bene consentiunt, ita filius, et mater, tanquam harmonicae chordae sibi invicem consonant, ut matris laudibus insonantibus, necesse sit filii laudes simul personare, Salomone dicente (*Prov.*17): *Gloria filiorum patres eorum.* Ex quo testimonio d. Thomas (3.*p.q.*27.*art.*4) probat honorem b. Virginis in Christum filium eius maxime redundare.

Ad extremum b. Virginis laudes minime silere, sed accuratius, et impensius prosequi, illud vehementer stimulat, quod non solum pervetusti haeretici Cherinthus, Ebion, Valentinus, Helvidius, Iovinianus, sed et recentiores haeresiarchae Martinus Bucerus, Lucas, Sternbergerus, Petrus Martyr, non Christi, sed Sathanae, Anabaptistae sectarii, et alii Anthidicomarianitae ardentissimo odio in b. Virginem flagrantes, multis conviciis, et blasphemiis Deiparam Virginem commaculare non verentur: hac enim nostra tempestate compleri conspicimus, quod Ioannes non propheta minus, quam Apostolus, et Evangelista, de Antichristo, eiusque sodalitio in ultima aetate futurum, in Pathmos insula vaticinatus est: *Aperuit,* inquit, *os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen eius, et tabernaculum eius.* Mariam Dei tabernaculum dici, praeter veteres alios, s. Methodius (*in hypop. Dom.*), et d. Athanasius adnotarunt, illoque Davidis testimonio confirmarunt (*Psal.*45): *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.* Nullus enim unquam fuit, est, aut erit mortalium, qui nomen hoc de b. Virgine rectius mereatur, in qua Verbum illud aeternum carnem assumens, velut in lectissimo tabernaculo multis mensibus habitavit, et ex quo demum, velut sponsus matris diademate, et carne virginea coronatus, ad filias Sion, non sine cordis laetitia processit in orbem: quanto igitur horum haereticorum execranda in beatam Virginem petulantia, atque invereundia effervet, tanto ardentius b. Mariae praeconia decantandi desiderium animum accendit, ne nos qui Ecclesiae catholicae fideles alumni gloriamur in exornando, et honorando Dei tabernaculo, fepidiores, aut minus ferventes cultores inveniamur, quam impudentissimi haeretici in eo despiciendo, et blasphemando se exhibuisse novimus; non tamen propterea ita desipio, ut putem omnia Mariae praeconia me comprehensurum: id enim esset in proverbii illius incidere scopulum: *Athlanticum mare cotyla exorbere;* curabo tamen multa, eaque non vulgaria in laudem tantae matris proferre, in quibus non tam verborum cultum, quam veritatem affectabo: ut enim dixit d. Basilius (*in epist. ad Diod.*): *Inaffectata dictionis simplicitas decora mihi videtur, et conveniens professioni Christiani hominis, cuius est, non ad ostentationem magis scribere, quam ad publicam utilitatem:* quam veritatem eloquentiae parens Cicero, tametsi ethnicus, non ignorasse mihi videtur, siquidem (*lib. de finib.*) dixit: *Quod de re bona dilucide dicitur, mihi praeclare dici videtur: istiusmodi autem res dicere ornate velle, puerile est; plane autem, et perspicue expedire posse docti, et intelligentis viri.* Nemo ergo expectet a me cultum, ac pompam sermonis: *Hac enim,* ut d. Ambrosius praeclare dixit (*in cap.*1. *epist.* 1. *ad Corinth.*), *praedicatio, et fides christiana non indiget, ne videatur esse ex verustia, et calliditate humanae sapientiae, non ex veritate.* Super epistolam vero (2. *ad Cor.* 14) inquit: *Gloriam suam quaerit, qui fidem Christi verbis exornare vult: obscurat enim illam splendore verborum, ut non illa, sed ipse laudetur.* Scio quod quocunque modo me geram, imperiti, ac maledici detracloris morsum non effugiam; ei tamen illud Marthialis (*lib.* 1. *epigr.* 19) obiiciam:

Cum tua non edas, carpis mea carmina Laeli,
Carpere vel noli nostra, vel ede tua.

Quod si dicas, iam in hoc genere argumenti alii insudarunt scriptores, audi d. Augustin. (*lib.* 1. *de Trinit.*) haec dicentem: *Expedit plures libros a pluribus fieri diverso stylo, non diversa fide, etiam de quaestionibus iisdem, ut ad plurimos res ipsa pervenial, ad alios sic, ad alios autem sic.*

Unde ad rem nostram propius iam accedens, cum origo praesentis festivitatis s. Mariae ad Nives nuncupata, omnibus fidelibus notissima sit, paucissimis illam perstringam, ut fundamentum, et basim illius apponam. Inter alia Romanae urbis templa perquam celebre est illud s. Mariae in Exquiliis, seu in monte Exquilino, quod Ioannes patritius Romanus, eiusque coniux, anno a Christi Domini natali 367 multis expensis extruxerunt. Hi cum filiis carerent, Deiparae cuncta sua bona voverunt, a qua Nonis Augusti, cum in urbe ardentiores calores esse solent, in somnis sunt admoniti, ut quem locum nive conspersum viderent, in eo Ecclesiam aedificarent, quae suo nomini dicaretur: id quod Ioannes ad Liberium summum Pontificem detulit, cui idipsum b. Mater per quietem eadem nocte edixerat: *Praecepit enim nivi, ut descenderet super terram,* ut habetur (*Iob* 37). Quare dominus Liberius solemni sacerdotum, et populi processione instituta, ad montem exquilinum, nive conspersum venit, locum Ecclesiae perlustrat, quae Ioannis, et uxoris pecunia ... extructa: adest ibi pulchra imago b. Virginis, ... Iesum in ulnis foventis a s. Luca depicta, miraculis multis inclyta, atque illo inprimis, quod a s. Gregorio Papa, grassante per urbem pestem, per vias civitatis devote gestata, illam fugavit. Licet autem permulta templa Mariano nomini sint in urbe sacra; hoc tamen s. Mariae ad Nives principem locum tenet, ut propterea multis etiam sit insignitum nominibus: dicta quippe est s. Maria ad praesepe, quod in ea servatur praesepe Christi Domini, de quo Ecclesia Romana:

Vagit infans inter arcta
Conditus praesepia:

dicta est Basilica Liberii a nomine sui conditoris: dicta s. Maria Maior, quod ceteris dignitate praestet. Unde d. Greg. (*lib.* 2.*Reg. ep.* 2. *et lib.* 4. *Moral. cap.* 15) per antonomasiam Dei Genitricis Ecclesiam absolute eam appellat.

Hoc peracto fundamento, exploremus, quaeso, causas, ob quas Deipara Virgo voluerit, templi suo nomine sacrandi, locum nive praesertim designare: etenim cum mille aliis modis potuisset sancta Virgo Ioanni patritio, et Liberio pontifici voluntatem suam manifestare, facile mihi persuadeo, haud mysterio vacare, quod nive domus in honorem eius denuo extruendae locum designare voluerit: maxime quod Spiritus s. (*Proverb.*25) ait, consentaneum non esse naturis rerum, imo et indecens, et indecorum, tempore aestivo, nivem pluere: *Quomodo nix in aestate, et pluvia in messe, sic indecens est stulto gloria:* ubi Glossa ait: *Indecens est, quia contra naturam temporis.* Ecce tam dissonum, ait, in aestate nivem pluere, quam a ratione alienum, stulto gloriosum aliquod munus credere. Nivis ergo coelitus a b. Virgine in montem Exquilinum missa, tempore aestivo, sermonem a nobis extorquet, ut varia, quae in missione huius nivis delitescunt arcana, diligenter referamus: ad tria capita illa omnia revoco: quaedam enim respiciunt eximiam b. Virginis puritatem; quaedam coniunctionem virginitatis cum maternitate; quaedam tandem munditiam spiritualem, quam Deipara Virgo in famulis suis praefulgere desiderat. Imprimis ergo, in eo, quod locus habitationis Deiparae Virginis nive delineatus fuerit, mihi ob oculos proponitur singulare, quod interest, discrimen inter Dei genitricem, et reliquos filios Adae, quod istorum conceptio, quae aedificatio est luteae domus singulorum, nigerrimo peccati originalis titione delineatur; at immaculatae Virginis conceptio divinae gratiae candidissima nive fuit designata. Unde sicut nix a primordio suae generationis nunquam candore caruit, nunquam non fuit candida, ita b. Virgo a principio suae conceptionis, nunquam candore, et nitore gratiae caruit, nunquam non candida inventa est. Quare ad hunc candorem significandum (*in* 3. *Synodo Actio.* 3) vocatur Maria, *Immaculata, et omni sensibili, atque intellectuali natura purior:* et in concilio Francfordiensi (*epist. ad Episc. Hisp.*),

UNIVERSIDAD DE NAVARRA

vocatur Maria, Immaculata, prorsusque pura; non fuisset autem prorsus pura, si impuritate peccati originalis fuisset denigrata, et d. Ioann. Damasc. (orat. 2. de assump. b. Virg.) loquens, inquit: *Ad hunc paradisum serpens aditum non habuit:* alludit ad paradisum terrestrem, ad quem inficiendum serpens ille antiquus aditum invenit; ad coelestem vero paradisum, Mariam scilicet, ait serpentem aditum non habuisse, cum eam peccati originalis labe deturpare non potuerit: si enim deturpasset, vere aditum habuisset. Equidem ad honorem tanti filii spectabat, qui candor est lucis aeternae, matrem eius candore gratiae nunquam caruisse. Refert Plutarchus, Darium regem bellum indixisse contra Scythas, qui oppida relinquentes, ad interiora terrae se tanto magis recipiebant, quanto amplius ille appropinquabat; ad quos sic Darius: *Quousque fugere destinatis?* qui responderunt: *Usque ad sepulcra parentum;* quasi dicerent: Domos, et civitates nihili facimus, tolle tibi, pluris enim vitam quam domos aestimamus: at si ad tumulos parentum accesseris, ut aliquid in eos indecorum committas, scito nos ibi expectaturos, et belligeraturos ad mortem usque pro parentum quamvis mortuorum gloria: tanta quidem cura filiorum de gloria parentum fuit, ut gloriam eorum propriam vitam reputarent. Quod si gloriam parentum mortuorum tanti faciunt barbari homines, in quibus vix scintilla iuris naturalis remansit, quid de Christo sentiendum pro matris excellentissimae honore, et gloria effecisse? sane quod nihil indecorum, ac indecens in b. Virginem a primordiis suae conceptionis irrepsisse passus est. Cornelius Tacitus commemorat, Germanos in bello contra Romanos pugnantes, iam fere a Romanis victos terga vertere voluisse; affuerunt autem a tergo uxores, et matres eorum, dicentes: Eia sponsi, eia filii viriliter agite, ne sponsas, et matres vestras in manus inimicorum, et in captivitatem ire videatis, ne talia patiamini; eia leones, rugite, pugnate, vincite hostes; quibus quidem verbis adeo roborati fuerunt, talesque spiritus, et animos resumpserunt, ut Romanos viriliter et expugnaverint, et vicerint. Beatissima Virgo sponsa, et mater Dei est, quidni defenderet eam filius, et sponsus? volebat eam truculentus hostis in captivitatem redigere; sed eam sibi matrem, et sponsam futuram prospiciens Dominus hostem expugnavit, et fugavit, et liberam sponsam, ac semper immaculatam matrem effecit. Atque haec a peccato originali praeservatio fuit primus fructus, quem Christus Dominus ex copiosa sua redemptione percepit; ut mihi non obscure indicant verba illa divi Ambrosii (*lib. 2. in Luc.*): *Nec mirum, si Dominus redempturus mundum, operationem suam inchoavit a matre, ut per quam salus omnibus parabatur, eandem primam fructum haberet ex pignore.* Et quidem cum b. Virgo futura esset animatum templum Filii Dei, in quo novem menses ex ea carnem assumens, habitaturus erat, oportebat in eius aedificatione non communes, et vulgares expensas fieri, sicut aliis, sed quales decebant magnificentiam non modo regiam, sed divinam: etenim si de templo aedificando (1. *Paralip.* 12) David dicebat: *Ecce ego in paupertate mea praeparavi impensas domus Domini, auri talenta centum millia, argenti mille millia talentorum, aeris, et ferri non est pondus.* Quod sane aurum, et argentum, si ad calculum nostrae pecuniae supputare velimus, centum millia auri talenta, mille sex centos octingenta tres milliones scutorum, ut vocant, pecuniae romanae, qui decem argenteis constant. Argenti vero mille millia talentorum, mille quadringentos quadraginta milliones scutorum conficiunt, ut adnotavit eruditus auctor Villapandus (*sup. Ezech. tom. 3. in appar. tabul. 1. de numis. et ponder. et tabul. 2. idque probat lib. 2. de pond. et numis. disputat. 4. cap.* 33). Si, inquam, in aedificatione materialis templi tam pretiosa, David pauperem se vocans, illi praeparavit; consequens est, Deum, omnium ditissimum, in aedificationem animati templi matris suae, pretiosiora multo congessisse. Unde sicut rationem praebens David (1. *Paral.* 29) tam magnifici apparatus, illam reddidit: *Opus namque grande est, neque enim homini praeparatur habitaculum, sed Deo;* ita nihil mirandum, si de conceptione b. Virginis, quae aedificatio fuit Mariani templi, tam gloriosa praedicentur: etenim non puro homini praeparabatur habitatio, sed Filio Dei incarnato, qui non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo. Non solum autem per albedinem, et candorem nivis, significatur nobis puritas immaculatae conceptionis, sed et integerrima eius virginitas, ut plane colligitur ex illo (*Apocal.* 3), ubi loquens Dominus de virginibus: *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt:* et (*cap.* 6): *Datae sunt singulis stolae albae:* et (*cap.* 7): *Amicti stolis albis:* ecce albedo in sacris eloquiis symbolum est virginitatis.

Sancti Patres eximiam b. Virginis Deiparae virginitatem perpendentes, variis encomiis, et epithetis Mariam illustrare conati sunt. Etenim s. Ephrem (*orat. de Deip.*) vocat illam *coronam Virginum:* cui persimile est d. Cyrilli Alexandrini (*homil. 6. contr. Nestor.*) epithetum, *Virginitatis coronam,* illam compellantis: s. Ildephonsus (*ser. 1. de Assumpt.*) vocat eam: *Fastigium omnium Virginum:* et (*serm. 4. de cap. Virg.*): et (*lib. de Virgin. Mar.*): *Aeternitatis virginitatem.* Eam nuncupat d. Damascenus (*orat. 1. de Nativ.*) *Virginitatis thesaurum.* Clamat d. Epiphanius (*haeres.* 78): *Principem virginitatis:* Chrysologus (*serm.* 82): *Reginam totius castitatis, virginitats decus.* D. Anselmus (*de Excellent. b. Virg. cap. ult.*): *Matrem virginitatis.* S. Bernardus (*tract. de Passion. Dom. cap.* 3): *Virginum primiceriam.* D. Bonaventura (*in litan. Deip.*): *Virginum signiferam, et decus virginalis pudicitiae.* Ac tandem Sabellicus (*lib.5.c.6*) praeclara haec scripsit: *Fuit Deipara Christi mater non solum virgo, sed summum etiam Virginum decus, et specimen unicum, ut nefas sit sanctissimum eius nomen in ordinem redigere, nisi prototypus sit, et virginitatis idea.* Unde d. Bernardus (*homil.2. sup.Miss. est*) dixit: *Novum Canticum illud, quod solis dabitur in regno Dei cantare virginibus, ipsam Virginem reginam cum ceteris, imo primam inter ceteras esse canituram nemo est, qui ambigat.*

Puto autem illam, praeter illud, quod cum omnibus tantum virginibus ei, ut dixi, commune erit, dulciori quodam, atque elegantiori carmine laetificaturam esse civitatem Dei, cuius utique dulcisonos depromere, vel exprimere modulos, ne ipsarum quidem virginum ulla digna invenietur, quia merito ei decantandum servabitur, quae sola de partu et partu divino gloriatur: quibus persimilia sunt, quae idem s. Bernardus (*tract. de pass.cap.* 31) scripsit in haec verba: *Iam si omnes virgines canticum illud cantabunt, nunquid Maria Virgo virginum primiceria non cantabit? cantabit utique, et tanto iucundius, quanto castior prae ceteris; praebebitque toti choro in cantando exemplum, quas ad virginitatis amorem suo incitavit exemplo;* hactenus d. Bernardus, qui recte dixit: *In cantando praebebit exemplum:* quia sicut Maria soror Moysis, ut adnotavit divus Ambrosius (*lib. 1. de Virg.*), pudore virgineo choros duxit, quando demerso Pharaone in mari rubro, ceteris omnibus mulieribus Hebraeis egressis post eam cum tympanis, et choris, ipsa praecinebat, dicens (*Exod.* 13): *Cantemus Domino: gloriose enim magnificatus est, equum, et ascensorem proiecit in mare;* ita in coelo virgines omnes, sicut in terra Mariae Deiparae exemplum sequentes, illam, tanquam principem tympanistriam, ut vocat eam d. Augustinus (*serm.18 de Sanct*), in divinis laudibus eam sequentur. Illud tamen speciale est ei, quod cantantibus aliis virginibus canticum novum, ipsa cantat aliud canticum novum, maius, et mirabilius, quod ei solummodo cantare competit: canit non solum, quia virgo est, quod commune habet cum multis, sed quia foecunda virgo, seu virgo puerpera, quod in ea singularissimum est: cantat enim inter matres canticum virginitatis, et inter virgines canticum foecunditatis. Huiuscemodi autem canticum novissimum, et inauditum est, et nemo potest cantare illud, nisi illa, quae virgo manens peperit agnum; non quemcumque, sed Agnum Dei, qui tollit peccata mundi, cuius carne vescimur, nutrimur, deificamur, et ad resurrectionis immortalitatem tendimus, ipso dicente (*Ioa.* 11): *Ego sum resurrectio:* et (*c.* 6): *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.* Fuit autem tanta Marianae virginitatis puritas, ut non solum purissimos quosque viros, ac incontaminatas omnes virgines, verum et ipsos spiritus angelicos longe superaret, ut docet s. Antoninus (4. *part. tit.* 15. *c.* 17. §. 4), cuius haec sunt verba: *In omnibus aliis viatoribus castitas est cum pugna contra fomitem, et cum casu ad minus imprimente veniale; et cum possibilitate cadendi etiam in mortale, exceptis sanctificatis in utero, et Apostolis Spiritu sancto repletis, prout dicit Albertus: sed in b. Maria fuit castitas sine pugna fomitis, et sine casu, et possibilitate cadendi in mortale, vel veniale: nec solum hominum viatorum, sed etiam angelorum castitatem excessit: est enim primo multiplicior, quia angeli solum eam habent in spiritu, non in corpore, quod non habent; sed b. Maria in spiritu, et corpore est virgo. Est secundo nobilior, et utilior, quia angelis est naturalis, unde nec meritoria; in b. autem Maria est gratuita, et meritoria. Est tertio gloriosior, quia in angelis quasi necessaria, et sine pugna; in Maria vero voluntaria, et cum victoria;* hucusque s. Antoninus; sed et his addit d. Bernardus (*serm. de Nativ. b. Virg.*) haec praeclara, dicens: *Ne steteris inter angelos Virgo sacra, sublimius aliquid tuo tibi ministerio propinandum terra sitiens praestolatur.* Cum hac autem puritate virginea angelicam puritatem longe transcendente tanta in b. Virgine coniuncta fuit corporis munditia, ut divus Epiphanius, id referente auctore Pomerii (*de b. Virg. part. 3. art.*3), affirmaverit, etiam in infantia, infantilibus immunditiis eam caruisse: *Mundissima;* inquit, *fuit plusquam credi potest: nunquam enim aliquid foedi in ea visum est, et cum involvebatur in cunis, iuxta morem puerorum, nunquam se maculavit, sed uno semper modo se munde conservavit;* haec divus Epiphanius.

Porro sicut candorem nivis concomitatur foecunditas: etenim nix super terram sistens, eam foecundat, et impinguat, nam sua frigiditate poros terrae clausos compellit ad interiora radicum: unde per quandam antiperistasim terram foecundat, ita candorem Marianae virginitatis mira foecunditas a tempore angelicae annunciationis concomitata est: tunc enim inviolata Virgo permanens, eundem, quem ab aeterno Pater in pectore suo genuit, Maria in tempore utero suo feliciter concepit; ad quod significandum ipsa se viti comparavit: *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris* (*Eccles.* 24): etenim sicut vitis suavitatem odoris absque sui laesione profert; ita etiam Deipara absque laesione virgineae suae integritatis, Iesum benedictum fructum ventris sui nobis protulit; et quemadmodum ut vitis pulchrum fructum producat, oportet plantatam, et radicatam esse in loco, in quo calor solis reverberet, puritas aeris adsit, et dulcedo terrae non desit; ita b. Virgo cum ardens charitatis calor interiora eius penetraret, et sibilus aurae tenuis in illam perflaret, divinorumque charismatum dulcedine abundaret, non poterat non instar foecundae vitis pulcherrimum producere fructum. Memini, quod praesenti argumento facit, Astyagem somniasse, ut auctor est Pierius Valerian. (*l.* 53. *verb. felic.*), quod ex visceribus filiae suae, Mandanes, nascebatur vitis quaedam, quae suis palmitibus totam Asiam operiebat, quod postea reipsa impletum fuit in Cyro nepote suo, ex filia sua orto, qui totam Asiam sibi subdidit. Sed altius hoc completum intueor in b. Anna Deiparae Virginis matre, ex qua ortum habuit Mariana vitis, cuius unicus dumtaxat palmes, Christus scilic. Dominus, non solum per totam Asiam, sed per universum terrarum orbem diffusus est, ut testatur David, dicens (*Psal.* 71): *Dominabitur a mari usque ad mare, et usque ad fines orbis terrarum.* Ad eandem etiam foecunditatem cum virginitate coniunctam comprobandam b. Virgo storaci se comparavit: *Quasi storax evaporavi habitationem meam,* (*Eccl.* 24): Refert Plin. (*lib.* 24), storacem esse praestantissimum remedium ad impedimenta partus propulsanda. Certe in natura nullum maius impedimentum reperitur ad concipiendum, et

pariendum, quam virginalis integritas; quia tamen, Spiritu s. cooperante, integra, et inviolata semper manente b. Mariae virginitate, et hoc impedimento non obstante. Filium Dei genuit, et parturivit; merito sloraci se comparavit, inestam virtutem habenti partus impedimenta auferendi. Tandem ad hoc idem significandum nobilis auctor Robertus Holchot (*sup. lib. Sapien. lect.* 40) b. Virginem ficui comparat, in quam recte convenit illud Christi Domini (*Matt.* 24): *Ab arbore autem fici discite parabolam.* S. Isidorus de fico agens, ait ficum foecundissimam esse omnium arborem. Unde non putarem a ratione alienum, ficum a foecunditate dici: quia cum reliquae arbores fructum semel producant in anno, ficus ter diversis temporibus fructum suum germinat. Merito ergo beatissima Virgo ficui comparatur, cum ex divina virtute tam eximia fuerit eius foecunditas, ut etiam absque viro foecundante, sola produxerit fructum omnium optimum, Iesum, naturalem Dei, et ipsius filium, quotidieque tot fructus germinet, quot singulis diebus filios spiritualiter Deo parit. Quod si Plinius de ficu Indica sermonem instituens affirmat, fructum eius suavissimum, ac dulcissimum esse, nemo ignorat de fructu ventris Mariani dictum esse (*Sap.* 16): *Quam suavis est Domine spiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demonstraret, pane suavissimo de coelo praestito, esurientes reples bonis.* Quod si idem Plinius subiungit, adeo in admirationem rapere fructum Indicae ficus illo vescentes, ut pro miraculo a comedentibus reputetur: sane fideles Mariani uteri fructum degustantes ingenue fatentur, adeo miraculosum esse, ut pariter sit Deus, et homo; quod est omnium miraculorum maximum. Ac tandem, sicut testatur divus Isidorus (*lib.* 17. *Etymol. c.* 7), tonia esse perhibetur huius fici virtus, ut si ferocissimus taurus ad eam ligetur, continuo ille mansuescat, ac omnem ferocitatem deponat: non secus Dei Filio accidit, qui, cum antea (*Psalm.* 93) *Deus ultionum* nuncuparetur; unde eius unico verbo audito, Adam coepit pavere, et caravit, licet frustra, a facie eius, cui omnia adsunt, se abscondere; postea tamen humanitatis vinculis intra virgineum thalamum alligatus, et constrictus, ita coepit mansuescere, ut qui antea rugiebat, ut leo: *Leo rugit, quis non pavebit?* iam, ut agnus, et infans unius diei vagire incipiat:

Vagit infans inter arcta
Conditus praesepia.

Verum ad idem mysterium significandum mirabilis beatae Mariae foecunditatis cum virginitate eius coniunctae, nullum aptius luna reperiri potest symbolum: utraque enim virginitatis, et foecunditatis significatio ab humanarum literarum studiosis eidem lunae attribuitur. Etenim, quia in numismatibus Corneliae Augustae, ut refert Pierius Valerianus (*lib.* 44), lunae imagine haec inscriptio apponitur: *Foecunditas*; in aliis haec: *Pudicitia.* In castitatis vero significatione illud praestituitur, quod in Poetarum fabulis inculcatur, nempe Dianam, prae virginitatis amore, commercia fugisse hominum, et propterea virginum comitatu septam, silvas venando peragrasse. Quare Virgilius, ceterique poetae illam appellant *Castam.* Facit quoque ad hoc illud Plinii: *Luna super omnia pura, luceque plena.* Significatio autem foecunditatis similiter est congruentissima: sol enim et luna sunt, qui omnia generant, ac procreant. Ceterum ad virginitatis significationem nihil opus est, fabulas accrescere: apud Bernardum enim (*lib. de pass. Dom. cap.* 31) legimus: *Quis sanctorum chorus melius lunae comparatur, quam beatae Virginis, videlicet, propter ipsius candorem, et pulchritudinem*; subditque: *Honorabitur prae caeteris sideribus praeminere.* Deinde, qui attente lunam inspexerit, haud dubitabit, recte ab illo fuisse prolatum, qui dixit, lunam margaritarum ideam videri. Constat autem margaritas esse aptissimum virginitatis symbolum. Luna igitur innuit virginitatem pariter, ac foecunditatem, ac proinde beatissimam Virginem matrem.

Rursus mira beatae Virginis foecunditas in eo etiam elucet, quod non solum genitrix sit Dei, sed pariter etiam gratiae, et misericordiae mater. Ad rem significandam egregie conducit lunae symbolum subter mulieris pedes positae, ut d. Ioanni ostensum fuit: nam in primis dignitatis matris Dei proprium epithetum est: *Regina coeli*, quod nomen tribuit lunae Hieremias (*cap.* 7): *Ut faciant placentas Reginae coeli.* Deinde quod mulieris pedibus sit subdita, non denotat eam, aut victam, aut despectam esse, sed velut Ecclesiae basim, ac fundamentum, ita supponi. Quare si Apostoli bases terrae nuncupantur, Iob (*cap.* 38), ut exponunt divus Hieronymus, et divus Gregorius, quanto congruentius Dei Mater, coelique Regina, dicitur Ecclesiae basis? Praeterea Ioannes vidit mulierem luna fulciri, et sole, ac sideribus ornari, quod nobis innuit lunam, dum mulierem instar basis sustentat, esse etiam fulcrum, ac basim, quo non stellae ipsae solum, sed sol quoque mulierem circumvestiens quodammodo nitebatur. Hoc vero eleganter exprimitur in ea, quod b. Virgo sit Dei mater: filius enim, et maxime dum in utero eius delitescit, quodammodo in matre, sicut in basi, columna fulcitur: ideoque et Apostoli, et universa Ecclesia sustentantur in beata Virgine, eo quod ipsa sit vere Dei mater. Deinde arbitror, consulto beatam Virginem nive locum habitationis delineasse, ut quales vellet eius famulos esse, nivis symbolo insinuaret. Singulare arcanum latet in illis verbis Isaiae de b. Virgine dicentis (*Isai.* 30): *Gloria Libani data est ei.* Duo significat Libanus, ut tradidit Nicolaus de Lyra: significat enim dealbationem, seu candidationem, pariterque filiationem cordis, quae duo, licet diversa videantur, multum tamen per omnem modum inter se cohaerent. Etenim licet omnes creaturae filiae Dei sint, ut non obscure indicant verba Iobi, Deum patrem pluviae appellantis; illi tamen solum filii cordis Dei esse censentur, qui puritate conscientiae candidi sunt. Cum ergo Isaias ait (*cap.* 30): *Gloria Libani data est ei*, hanc honoris gloriam Deum praestitisse beatae Virgini

indicat, ut non alios habeat, quam filios cordis Dei; quos proinde oportet esse castos, et candidos, cum cor divinum fons sit omnis candoris, et puritatis. Ut significaret ergo beata Virgo cupere valde, eos, qui sibi famulari gloriantur, omnino esse candidos, hoc est, castos, et a peccati lethalis macula alienos, voluit locum domus suae extruendae nive delineari. Tales beatae Virgini placent famuli, quales erant Nazaraei, de quibus Hieremias (*Thren. cap.* 4): *Candidiores Nazaraei eius nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphyro pulchriores*, vel, ut Septuaginta Interpretes vertunt: *Mundati sunt Nazaraei eius super nivem, splenduerunt super lac, rubuerunt super lapides sapphyri.* Nazaraei olim erant in maximo honore habiti, quia sacrati Deo erant, et a ceteris hominibus separati: *Nazaremus* enim, ut Origenes annotat hic, et, ut Symmachus tradit, *segregatum* significat. Horum magna erat abstinentia, et multae caeremoniae, ut legimus (*lib. Numer. cap.* 6). Hi Deo acceptissimi credebantur, et ideo inter Iosephi benedictiones legimus: *Fiant in capite Ioseph, et in vertice Nazraei* (*Genes.* 49), et inter beneficia in Israelem collata (*Amos c.* 2) illos Scriptura reponit, et Iudas (1. *Mach.* 3) Nazaraeorum commiseratione Deum placare conatur. Excellentia ergo horum Nazaraeorum Hieremias quadruplici eleganti comparatione commendat, nivis, lactis, eboris, et sapphyri. Primo ait: *Candidiores nive*, abiit in proverbium: *Nive candidior*; cuius munditiae non est alia, quam merus, et impermixtus eius candor: unde regius Psaltes desiderans munditiam magnam (*Psalm.* 50) dixit: *Lavabis me, et super nivem dealbabor.* Deinde ait: *Nitidiores lacte*, alludit ad pinguedinem lactis, cuius proprium est nitere, et splendere. Per voccm, *Candidiores*, indicaverat puritatem, nunc addit splendorem, ut significarel Nazaraeos non a Deo commendari propter nudum candorem, qualis est corporum male affectorum, sed ob candorem vitalem, et sanum, qui index est probae valetudinis, et optimi temperamenti. Quare nitidiores idem est, quod bene curati, pingues, et quasi relucentes, qua phrasi usus Horatius, dixit:

Me pinguem, et nitidum bene curata cute.

Sed non haec, de qua Horatius, pinguedo erat Nazaraeorum, sed illa spiritualis, de qua David (*Psal.* 62): *Sicut adipe, et pinguedine repleatur anima mea.* Tertio addit: *Rubicundiores ebore antiquo*: Graeca vox pro ebore antiquo *gemmam* ponit, quod satis cohaeret cum Hebraeo fonte. Chaldaeus exponit: *Rubicundiores aspectu pyropi.* Sed Vulgatae nostrae lectione servata, sub metaphora antiqui eboris, significat non fuisse candorem caducum, seu exanguem, sed vividum, et cum rubore permixtum, qualis est vultus sani, et qualis erat sponsi; de quo Sponsa dixit (*Cant.* 5): *Dilectus meus candidus, et rubicundus.* Ut autem intelligeremus, ruborem hunc non esse facile evanescentem, instar illius, qui ex verecundia oriri solet, sed constantem, idcirco usus est comparatione eboris antiqui, quod licet, cum novellum est, candidum sit dumtaxat; antiquitate vero, et diuturnitate temporis, admixtione modici ruboris, ex candido fit flavum, et ex flavo tandem, labentibus annis, purpurascit. Quarto denique: *Sapphyro pulchriores*, ac si diceret: quid multa? eorum species non humana, sed coelestis, et divina videbatur: quae factoris, et fabri sui peritiam intuenti, confestim persuadebat, iuxta illud (*Ps.* 18): *Coeli enarrant gloriam Dei.* Sapphyrum enim, nemo est, qui ignoret, coelestem colorem referre: haec ad sensum literalem huius loci pertinent; nunc ad spiritualem nos convertamus.

Cupit beata Virgo famulos suos Nazaraeos esse, hoc est, segregatos, et sequestratos ab omni eo, quod sincerae mentis puritatem deturpare potest, iuxta illud (*Isai.* 52): *Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio eius.* Ad quod etiam facit, quod sicut, quia volebat Deus Nazaraeos a vino abstinere, stricte praecepit eis, ne uvas etiam passas comederent, immo, et quod ab ipsis uvarum acinis se temperarent, ne ab acinis ad uvas, ab uvis ad vinum transirent; ita ad praecludendum aditum peccato, oportet etiam ab his, quae ad illud viam parant, aut cum illo affinitatem, vel cognationem habent, se prorsus arcere; similiter etiam Deus, cum prohibuisset Iudaeis in die sabbati cibos parare, simul etiam, ne eo die ignem domi haberent, interdixit, quia habere ignem domi poterat esse parandi cibos, atque adeo praecepti violandi occasio (*Exod.* 35): *Septimus dies erit vobis sanctus, sabbatum est requies Domini, qui fecerit opus in eo, occidetur: non succendetis ignem in omnibus habitaculis vestris per diem sabbati.* In quem locum Hebraei dicunt, non solum prohibitum esse accendere ignem die sabbati, sed, aut ex lapide, aut metallo illum elicere, immo et lampadem fovere.

Et quoniam Rabbi Abraham Abenesra sic legem interpretabatur, prohiberi quidem succendere ignem ad parandos cibos, non tamen ad calefaciendum, si vigeret frigus. Alii Rabbini iudicantes liberiorem hanc interpretationem sabbati, religionem indumentum relevare volentes, eundem Rabbi Abenesra haereticum declararunt, adversusque eum conscripserunt libellum, sabbati personam per prosopopoeiam fingentes contra Rabbi Abenesra disputantem, quemadmodum refert Abulensis (*quaest.* 1. *sup. cap.* 35. *Exod.*). Similiter (*Exod.* 12) cum agitur de potestate, et de septem illis diebus Azymorum, non solum interdicitur, ne vescantur fermentato, sed ne fermentum quoque in domibus habeant: *Primo mense, decimaquarta die mensis ad vesperam comedetis azyma usque ad diem vigesimamprimam eiusdem mensis ad vesperam, septem diebus fermentatum non invenietur in domibus vestris.* Quo loco Paraphrastes Chaldaeus, et septuaginta Interpretes *fermentum* transtulerunt. Denique (*Exod.* 19) cum prohibuisset hominibus montem Syna tangere, praecepit etiam, ne iumentum ad montem accederet, quia poterat esse occasio legis violandae.

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN

Hanc eandem ob causam, ut hoc mystice addamus, (*Ezech.*8) reprehenduntur sacerdotes, qui stabant ante picturas Idolorum, quae erant depicta in pariete in circuitu templi, habens unusquisque thuribulum in manu sua: *Ecce omnis similitudo reptilium, et animalium abominatio, et universa Idola domus Israel depicta erant in pariete in circuitu per totum. Et septuaginta viri de senioribus domus Israel stabant ante picturas, et unusquisque habebat thuribulum in manu sua.* Etenim occasiones peccandi sunt quaedam, veluti picturae Idolorum, ante quas stat, qui sese peccatorum occasionibus obiicit; et multo magis, qui eis per delectationis, et ipsius fere consensus, quendam veluti odorem thurificat. Quantum vero occasiones peccandi fugiendae sint, suo exemplo docuit Iob sanctissimus, qui de se loquens ait (*cap.* 31): *Pepigi foedus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine*: in quem locum Glossa: *Vinum*, inquit, *sequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem consensus, consensum opus, opus consuetudo, consuetudinem necessitas, necessitatem desperatio, desperationem damnatio.* Unde merito (*Thren.*3) dicitur: *Oculus meus depraedatus est animam meam.* Adnotavit vero acute in eodem locum Caietanus, Iob suum hoc propositum appellasse foedus propter firmitatem: *Deliberatum*, inquit, *ac firmatum propositum significat, dicendo, pepigi foedus: quoniam deliberavit fixo, et immobili proposito, ad instar pangentis foedus, quod inviolabile debet esse; ideo enim pacta fiunt, ut non liceat mutare;* haec ille. Cupit deinde beata Virgo famulos suos, *Candidiores nive, nitidiores lacte*, hoc est, castitatis virtute conspicuos: nix enim, et lac symbolum sunt castitatis: haec enim nivea, candida, atque lactea est, ut merito viae illi lacteae, quae in coelo interdum apparet, sit comparanda: et quidem, quod castitas purissima, et candidissima sit, ex eo luculenter liquet, quod in sacris eloquiis *Sanctimonia* vocatur. Divus Paulus (*ad Hebr.* 12) ait: *Pacem sequamini, et sanctimoniam*; quo loco sanctus Hieronymus (*in cap.* 47. *Ezech.*) ait, pro castitate positam esse sanctimoniam. Quod etiam confirmat illud (1. *Ioan.* 3), nam ubi nostra Vulgata ait: *Qui habet hanc spem in eo, sanctificat se*, divus Augustinus (*tract.* 44. *in* 1. *epist. Ioann.*) in hunc modum haec verba transtulit: *Omnis, qui habet spem in ipso, castificat semetipsum, sicut et ipse castus est.* Quod autem castitas, via illa lactea coelestis sit, ex eisdem locis plane constat: nam postquam dixit Apostolus (*ad Hebr.* 12): *Pacem habete, et sanctimoniam*; continuo subiunxit: *sine qua nemo videbit Deum:* et postquam d. Ioannes (1 *Ioann.*3) dixerat: *Cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est*, confestim subiecit: *Omnis qui habet spem hanc, castificat semetipsum*; quod perinde fuit, ac si diceret: Qui habet spem videndi Deum, debet eum hac spe castitatem coniungere; alioquin non videbit illum. Cupit insuper beata Virgo alumnos suos, *Rubicundiores ebore antiquo*, hoc est ita castitati esse addictos, ut si propter castitatem servandam, per sanguinis effusionem, ad instar eboris antiqui, rubicundos reddi feliciter contingat, id minime perhorrescant. Certe sicut candor eboris antiqui vertitur in ruborem, ita vetusta castitas vertitur in martyrium propter illius servandae miram difficultatem. Ac tandem, quia cupit beata Virgo adoptivos eius filios, naturalis filii castimoniam, quoad fieri possit, imitari, ultimo loco additur: *Sapphyro pulchriores:* quia, cum pulchritudo sapphyri in eo sita sit, quod coelestem colorem redoleat, et ut auctor est Plinius (*libr.* 37. *cap.* 9.) aureis punctis ita collucet, ut ipsum coelum stellarum punctis decoratum repraesentare videatur: idcirco ad significandum, ad eum sublimem castitatis gradum curandum esse ascendere, qui coelestem imitetur colorem, ultimo loco apposuit: *Sapphyro pulchriores:* cuius color coelestis per imitationem esse perhibetur.

Ad extremum, plures alias nivis proprietates, et effectus breviore stylo percurramus, ne longiores, quam par est, videamur. Nix propter excellentem, ac intensissimam suam innatam albedinem est summe disgregativa visus, ut auctor est Aristoteles (*lib. de sens. et sens.*), quae sicut ad oculorum aciem in eam delectabiliter firmandam non allicit, ita Marianae castitatis candor talis fuisse perhibetur, ut aspectus vultus illius disgregativus valde esset, ad lascivum amorem neminem intuentium alliciens: etenim aliae foeminae quantumvis sanctitate conspicuae, et castitate insignes, sua pulchritutine inspicientium animos ad libidinem incitarunt, ut in casta Susanna contigit (*Daniel.*13), et in pudicissima Iudith (*c.* 10), cuius pulchritudinis aspectu captus fuit Holophernes: *Sandalia rapuerunt animam eius.* Unde Theodolus poeta cecinit:

Foemineas vires expavit dux Holophernes
Insignis viduae vesano captus amore.

At ex aspectu Mariani vultus, licet alioquin pulcherrima illa esset foeminarum, nullius unquam intuentis animus ad libidinem fuit accensus, ut sanctus Thomas, et d. Bonaventura, et alii theologi testantur (*in* 3. *dist.*3); idque variis modis contingere potuisse opinor. Primo, quia, ut ait Nicolaus de Lyra (*in cap.* 1. *Matth.*), sicut ex vultu Moysis propter mutuam collocutionem cum Deo, coruscantes adeo radii egrediebantur, ut non possent filii Israel in eum oculorum aciem intendere, ita Deiparae vultus adeo praefulgentes radios emittebat, ut attentis, ac fixis luminibus homines in eam intueri non possent. Secundo nemo ignorat, Animonem, sororem suam, quam primo ardenter adamaverat, postmodum adeo pulchritudinem eius despexisse, ut odio illam haberet, ut (2. *Reg. cap.* 13) legimus. Experientia etiam comperium, ex daemonis versutia, et suasione, saepe viros pulcherrimas quoque foeminas ita contemnere, ut nec primo concupiscentiae motu in eas ferantur; sic ergo, divino consilio factum est ut beatae Virginis pulchritudinem aspicientes, nullatenus ad libidinem excitarentur, sed in alia distraherentur. Tertio ut sanctus noster Bernardin. Senensis (*de Evang. aetern. ser.* 2. *feriae*) tradit

id potuit oriri ex eo quod b. Virginis pulchritudo erat cum summa modestia coniuncta, iuxta illud divi Pauli (*ad Thessalon.* 4): *Ut hodie ambuletis ad eos, qui foris sunt.* Unde mirabilem honestatem in facie, et toto eius corpore praelucentem intuentibus, ad omnem libidinosam cogitationem aditus praecludebatur.

Ad haec, sicut nivis ea natura est, ut sit instar spongiae porosa, atque adeo aquarum coelitus decidentium facile susceptiva; ita beata Virgo tam copiosam gratiarum imbrem suscepit, ut eius abundantiae omnis intellectualis creatura particeps facta fuerit, ut divus Bernardus exponens verba illa Mariani Cantici: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*, his verbis edixit: *Ecce, intuentis est adverbium, et demonstrantis; ac si dicat: Ecce, iam video, quod futurum sit de me, quis fructus procedet ex me, quae, et quanta bona non mihi soli, sed omnibus generationibus provenient ex me: nam et angelicorum generationum numerus per meum gemitum integrabitur, et hominum generatio in Adam maledicta per ventris mei fructus benedictionem, ad aeternam generationem regenerabitur.*

Accedit, quod sicut nix propter subtilem, ac mollem suam substantiam, cum descendit, non insonat, aut perstrepit, sed insensibiliter de alta aeris regione decidens super faciem terrae adhaeret, et aequaliter se illi coaptat; ita b. Virgo de exceiso solio suo scelera nostra respiciens, ad nos descendit, non in strepitu, aut furore ad illa puniendo, sed in dulcedine, et materna pietate ad nos peccatores in bonum promovendos, ita ut recte in eam convenial illud (*Sap.*6): *Pusillum, et magnum diligit, et aequaliter est ei cura de omnibus.*

Sed nec silentio praetermittam, quod sicut nix feris, et animantibus non pauca nocumenta praestat, quia eorum tegit pabula, et delegit vestigia, ad quae aspicientes venatores facile illa insectantur, et capiunt; ita Deipara Virgo pro singulari sua virtute, et potentia, dum iustos ad se trahit, cruentissimis daemonum bestiis pabulum, quod avidius desideraland, subtrahit: nam, ut dixit Iob: *Cibus eius est electus*: parilerque occulta eorum vestigia manifestat, et delegit, dum insidias, ac stratagemata, quibus famulos suos deludere, ac vincere satagunt, nota facit, ut ea praecaventes vincant, non vincantur.

Ultimo sicut nix loca lutea, et foetida tegit, ita beatissima Virgo, instar ipsius charitatis, de qua divus Petrus ait, quod operit multitudinem peccatorum, nostrorum tegit tupitudinem delictorum, dum eius interventu, et patrocinio, alba innocentiae stola exornamur, iuxta illud (*Apoc.* 3): *Vestimentis albis induaris, ut non appareat confusio nuditatis tuae.* Haec autem vestimenta duplicia esse Salomon dixit (*Prov. ult.*): *Omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus;* hoc est, virtutibus internis, et externis, his proximum aedificant, illis Deum colunt; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA II.

In illa verba: Extollens vocem quaedam mulier de turba, *etc. foeminarum praeconia decantantur, et quae variis virtutibus, etiam inter Ethnicos mirifice floruerunt, recensentur.*

Probas foeminas laudare, sicut et improbas vituperare a divini verbi praecone alienum non puto; cum et s. Patres, praesertim d. Hieronymus, Chrysostomus, et Ambrosius, necnon sacra eloquia frequenter id factitarint. Quare sumpta occasione ex laudabili facto huius Evangelicae mulieris, quae, viris Christi laudes silentibus, immo variis conviciis illum lacerantibus, nam, ut d. Lucas ait (*c.* 11): *Quidam illorum dicebant: In Beelzebub principe daemoniorum eiicit daemonia*; alii tentandi illum gratia miracula ab eo postulabant (*ibid.*): *Tentantes signum de coelo petebant ab eo;* sola haec mulier partes Christi agens in eius laudes prorupit (*ibid.*): *Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae suxisti:* non abs re erit, si par pari referens foeminarum praeconia decantem.

§. I.

AB ETYMOLOGIA NOMINIS FOEMINAE LAUDANTUR.

Ut tamen argumentum hoc alius repetamus, a nominis etymologia auspicabimur. Etenim licet argumentum a nominis etymologia ductum, ad rei excellentiam manifestandam, leve, et futile videatur, revera tamen magni momenti esse tam in prophanis, quam in sacris literis lego: nam Aristot. (*lib.* 8. *Metaphy.*) docuit, nomina in rerum cognitionem nos ducere. Quare Ægyptii, et Chaldaei rerum nomina coelitus elapsa existimarunt, tantique habuerunt antiqui Hebraei nomina rerum, ut facta disturna, ac longa observatione, tam ipsorum nominum, quam operationum rerum nominatarum scientiam quandam invenerint, quam vocarunt *nomandiam*, per quam et rerum naturas agnoscere, et futuros eventus praesagiri praesumebant. Id tamen verissimum fatemur Catholici, Adamum scientia coelitus sibi infusa nomina rebus imposuisse, naturis earum valde accommodata, ut testatur Moyses (*Genes.* 2): *Omne quod vocavit Adam, ipsum est nomen eius.* Hinc divus Paulus ex nomine Iesus Christo Domino imposito colligit excellentiam illius super omnes spiritus angelicos (*Hebr.* 1.): *Tanto melior angelis effectus, quanto excellentius prae illis nomen haereditavit.* Nomen autem impositum Evae nemo sanae mentis negabit excellentius esse, quam quod Adam sortitus est: nam Adam *terram* significat; Eva autem *vitam*. Igitur ex hoc capite, quantum vita terram, tantundem foemina virum excedit. Deinde ut taceam nomen Hebrai-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
Dirección General de Bibliotecas

Hanc eandem ob causam, ut hoc mystice addamus, (*Ezech.*8) reprehenduntur sacerdotes, qui stabant ante picturas Idolorum, quae erant depicta in pariete in circuitu templi, habens unusquisque thuribulum in manu sua: *Ecce omnis similitudo reptilium, et animalium abominatio, et universa Idola domus Israel depicta erant in pariete in circuitu per totum. Et septuaginta viri de senioribus domus Israel stabant ante picturas, et unusquisque habebat thuribulum in manu sua.* Etenim occasiones peccandi sunt quaedam, veluti picturae Idolorum, ante quas stat, qui sese peccatorum occasionibus obiicit; et multo magis, qui eis per delectationis, et ipsius fere consensus, quendam veluti odorem thurificat. Quantum vero occasiones peccandi fugiendae sint, suo exemplo docuit Iob sanctissimus, qui de se loquens ait (*cap.* 31): *Pepigi foedus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine*: in quem locum Glossa: *Vinum*, inquit, *sequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem consensus, consensum opus, opus consuetudo, consuetudinem necessitas, necessitatem desperatio, desperationem damnatio.* Unde merito (*Thren.*3) dicitur: *Oculus meus depraedatus est animam meam.* Adnotavit vero acute in eodem locum Caietanus, Iob suum hoc propositum appellasse foedus propter firmitatem: *Deliberatum*, inquit, *ac firmatum propositum significat, dicendo, pepigi foedus: quoniam deliberavit fixo, et immobili proposito, ad instar pangentis foedus, quod inviolabile debet esse; ideo enim pacta fiunt, ut non liceat mutare;* haec ille. Cupit deinde beata Virgo famulos suos, *Candidiores nive, nitidiores lacte*, hoc est, castitatis virtute conspicuos: nix enim, et lac symbolum sunt castitatis: haec enim nivea, candida, atque lactea est, ut merito viae illi lacteae, quae in coelo interdum apparet, sit comparanda: et quidem, quod castitas purissima, et candidissima sit, ex eo luculenter liquet, quod in sacris eloquiis *Sanctimonia* vocatur. Divus Paulus (*ad Hebr.* 12) ait: *Pacem sequamini, et sanctimoniam*; quo loco sanctus Hieronymus (*in cap.* 47. *Ezech.*) ait, pro castitate positam esse sanctimoniam. Quod etiam confirmat illud (1. *Ioan.* 3), nam ubi nostra Vulgata ait: *Qui habet hanc spem in eo, sanctificat se*, divus Augustinus (*tract.* 44. *in* 1. *epist. Ioann.*) in hunc modum haec verba transtulit: *Omnis, qui habet spem in ipso, castificat semetipsum, sicut et ipse castus est.* Quod autem castitas, via illa lactea coelestis sit, ex eisdem locis plane constat: nam postquam dixit Apostolus (*ad Hebr.* 12): *Pacem habete, et sanctimoniam*; continuo subiunxit: *sine qua nemo videbit Deum:* et postquam d. Ioannes (1 *Ioann.*3) dixerat: *Cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est*, confestim subiecit: *Omnis qui habet spem hanc, castificat semetipsum*; quod perinde fuit, ac si diceret: Qui habet spem videndi Deum, debet eum hac spe castitatem coniungere; alioquin non videbit illum. Cupit insuper beata Virgo alumnos suos, *Rubicundiores ebore antiquo*, hoc est ita castitati esse addictos, ut si propter castitatem servandam, per sanguinis effusionem, ad instar eboris antiqui, rubicundos reddi feliciter contingat, id minime perhorrescant. Certe sicut candor eboris antiqui vertitur in ruborem, ita vetusta castitas vertitur in martyrium propter illius servandae miram difficultatem. Ac tandem, quia cupit beata Virgo adoptivos eius filios, naturalis filii castimoniam, quoad fieri possit, imitari, ultimo loco additur: *Sapphyro pulchriores:* quia, cum pulchritudo sapphyri in eo sita sit, quod coelestem colorem redoleat, et ut auctor est Plinius (*libr.* 37. *cap.* 9.) aureis punctis ita collucet, ut ipsum coelum stellarum punctis decoratum repraesentare videatur: idcirco ad significandum, ad eum sublimem castitatis gradum curandum esse ascendere, qui coelestem imitetur colorem, ultimo loco apposuit: *Sapphyro pulchriores:* cuius color coelestis per imitationem esse perhibetur.

Ad extremum, plures alias nivis proprietates, et effectus breviore stylo percurramus, ne longiores, quam par est, videamur. Nix propter excellentem, ac intensissimam suam innatam albedinem est summe disgregativa visus, ut auctor est Aristoteles (*lib. de sens. et sens.*), quae sicut ad oculorum aciem in eam delectabiliter firmandam non allicit, ita Marianae castitatis candor talis fuisse perhibetur, ut aspectus vultus illius disgregativus valde esset, ad lascivum amorem neminem intuentium alliciens: etenim aliae foeminae quantumvis sanctitate conspicuae, et castitate insignes, sua pulchritutine inspicientium animos ad libidinem incitarunt, ut in casta Susanna contigit (*Daniel.*13), et in pudicissima Iudith (*c.* 10), cuius pulchritudinis aspectu captus fuit Holophernes: *Sandalia rapuerunt animam eius.* Unde Theodolus poeta cecinit:

Foemineas vires expavit dux Holophernes
Insignis viduae vesano captus amore.

At ex aspectu Mariani vultus, licet alioquin pulcherrima illa esset foeminarum, nullius unquam intuentis animus ad libidinem fuit accensus, ut sanctus Thomas, et d. Bonaventura, et alii theologi testantur (*in* 3. *dist.*3); idque variis modis contingere potuisse opinor. Primo, quia, ut ait Nicolaus de Lyra (*in cap.* 1. *Matth.*), sicut ex vultu Moysis propter mutuam collocutionem cum Deo, coruscantes adeo radii egrediebantur, ut non possent filii Israel in eum oculorum aciem intendere, ita Deiparae vultus adeo praefulgentes radios emittebat, ut attentis, ac fixis luminibus homines in eam intueri non possent. Secundo nemo ignorat, Animonem, sororem suam, quam primo ardenter adamaverat, postmodum adeo pulchritudinem eius despexisse, ut odio illam haberet, ut (2. *Reg. cap.* 13) legimus. Experientia etiam comperium, ex daemonis versutia, et suasione, saepe viros pulcherrimas quoque foeminas ita contemnere, ut nec primo concupiscentiae motu in eas ferantur; sic ergo, divino consilio factum est ut beatae Virginis pulchritudinem aspicientes, nullatenus ad libidinem excitarentur, sed in alia distraherentur. Tertio ut sanctus noster Bernardin. Senensis (*de Evang. aetern. ser.* 2. *feriae*) tradit

id potuit oriri ex eo quod b. Virginis pulchritudo erat cum summa modestia coniuncta, iuxta illud divi Pauli (*ad Thessalon.* 4): *Ut hodie ambuletis ad eos, qui foris sunt.* Unde mirabilem honestatem in facie, et toto eius corpore praelucentem intuentibus, ad omnem libidinosam cogitationem aditus praecludebatur.

Ad haec, sicut nivis ea natura est, ut sit instar spongiae porosa, atque adeo aquarum coelitus decidentium facile susceptiva; ita beata Virgo tam copiosam gratiarum imbrem suscepit, ut eius abundantiae omnis intellectualis creatura particeps facta fuerit, ut divus Bernardus exponens verba illa Mariani Cantici: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*, his verbis edixit: *Ecce, intuentis est adverbium, et demonstrantis; ac si dicat: Ecce, iam video, quod futurum sit de me, quis fructus procedet ex me, quae, et quanta bona non mihi soli, sed omnibus generationibus provenient ex me: nam et angelicorum generationum numerus per meum gemitum integrabitur, et hominum generatio in Adam maledicta per ventris mei fructus benedictionem, ad aeternam generationem regenerabitur.*

Accedit, quod sicut nix propter subtilem, ac mollem suam substantiam, cum descendit, non insonat, aut perstrepit, sed insensibiliter de alta aeris regione decidens super faciem terrae adhaeret, et aequaliter se illi coaptat; ita b. Virgo de exceiso solio suo scelera nostra respiciens, ad nos descendit, non in strepitu, aut furore ad illa puniendo, sed in dulcedine, et materna pietate ad nos peccatores in bonum promovendos, ita ut recte in eam convenial illud (*Sap.*6): *Pusillum, et magnum diligit, et aequaliter est ei cura de omnibus.*

Sed nec silentio praetermittam, quod sicut nix feris, et animantibus non pauca nocumenta praestat, quia eorum tegit pabula, et delegit vestigia, ad quae aspicientes venatores facile illa insectantur, et capiunt; ita Deipara Virgo pro singulari sua virtute, et potentia, dum iustos ad se trahit, cruentissimis daemonum bestiis pabulum, quod avidius desideraland, subtrahit: nam, ut dixit Iob: *Cibus eius est electus*: parilerque occulta eorum vestigia manifestat, et delegit, dum insidias, ac stratagemata, quibus famulos suos deludere, ac vincere satagunt, nota facit, ut ea praecaventes vincant, non vincantur.

Ultimo sicut nix loca lutea, et foetida tegit, ita beatissima Virgo, instar ipsius charitatis, de qua divus Petrus ait, quod operit multitudinem peccatorum, nostrorum tegit tupitudinem delictorum, dum eius interventu, et patrocinio, alba innocentiae stola exornamur, iuxta illud (*Apoc.* 3): *Vestimentis albis induaris, ut non appareat confusio nuditatis tuae.* Haec autem vestimenta duplicia esse Salomon dixit (*Prov. ult.*): *Omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus;* hoc est, virtutibus internis, et externis, his proximum aedificant, illis Deum colunt; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA II.

In illa verba: Extollens vocem quaedam mulier de turba, *etc. foeminarum praeconia decantantur, et quae variis virtutibus, etiam inter Ethnicos mirifice floruerunt, recensentur.*

Probas foeminas laudare, sicut et improbas vituperare a divini verbi praecone alienum non puto; cum et s. Patres, praesertim d. Hieronymus, Chrysostomus, et Ambrosius, necnon sacra eloquia frequenter id factitarint. Quare sumpta occasione ex laudabili facto huius Evangelicae mulieris, quae, viris Christi laudes silentibus, immo variis conviciis illum lacerantibus, nam, ut d. Lucas ait (*c.* 11): *Quidam illorum dicebant: In Beelzebub principe daemoniorum eiicit daemonia*; alii tentandi illum gratia miracula ab eo postulabant (*ibid.*): *Tentantes signum de coelo petebant ab eo;* sola haec mulier partes Christi agens in eius laudes prorupit (*ibid.*): *Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae suxisti:* non abs re erit, si par pari referens foeminarum praeconia decantem.

§. I.

AB ETYMOLOGIA NOMINIS FOEMINAE LAUDANTUR.

Ut tamen argumentum hoc alius repetamus, a nominis etymologia auspicabimur. Etenim licet argumentum a nominis etymologia ductum, ad rei excellentiam manifestandam, leve, et futile videatur, revera tamen magni momenti esse tam in prophanis, quam in sacris literis lego: nam Aristot. (*lib.* 8. *Metaphy.*) docuit, nomina in rerum cognitionem nos ducere. Quare Ægyptii, et Chaldaei rerum nomina coelitus elapsa existimarunt, tantique habuerunt antiqui Hebraei nomina rerum, ut facta disturna, ac longa observatione, tam ipsorum nominum, quam operationum rerum nominatarum scientiam quandam invenerint, quam vocarunt *nomandiam*, per quam et rerum naturas agnoscere, et futuros eventus praesagiri praesumebant. Id tamen verissimum fatemur Catholici, Adamum scientia coelitus sibi infusa nomina rebus imposuisse, naturis earum valde accommodata, ut testatur Moyses (*Genes.* 2): *Omne quod vocavit Adam, ipsum est nomen eius.* Hinc divus Paulus ex nomine Iesus Christo Domino imposito colligit excellentiam illius super omnes spiritus angelicos (*Hebr.* 1.): *Tanto melior angelis effectus, quanto excellentius prae illis nomen haereditavit.* Nomen autem impositum Evae nemo sanae mentis negabit excellentius esse, quam quod Adam sortitus est: nam Adam *terram* significat; Eva autem *vitam*. Igitur ex hoc capite, quantum vita terram, tantundem foemina virum excedit. Deinde ut taceam nomen Hebrai-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
Dirección General de Bibliotecas

cum, אשדק, mulierem significans, quod ab igne derivatur; cuius nomenclaturam Deus assumpsit (*Hebr.* 12): *Deus noster ignis consumens est*. Tria nomina sunt famosiora, et vulgaria magis latine, *foemina*, et *mulier*, Italice *donna;* cuius et usus est apud Hispanos inter nobiles foeminas. Foemina igitur, ut auctor est divus Isidorus (*lib. Etymol.*), dicitur a foetu; vel ut alii volunt a fovendo. Quis autem non videat inter naturales operationes omnium nobilissimam esse foetum generare, et eundem fovere, tam intra, quam extra maternum uterum? quae duo speciali ratione foeminis conveniunt, non viris. Rursus nomen mulieris, quod a mollitie originem ducit, honorificum est foeminis: nam si mollities illa sit animi, id mansuetam, benignam, et mitem earum conditionem aperte designat. Christus autem Dominus mites animos laudavit (*Matth.* 5): *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Si vero mollities illa sit corporis, in earum etiam laudem cedit, quia, ut auctor est Aristoteles, molliores carnes subtiliorem mentem designant. Tandem si nomen *donna*, quo italico idiomate foemina nominatur, parum perscrutari velimus, facile rei per illud significatae excellentia nobis innotescit: etenim *donna* derivatur a voce latina, *domina*, quod nomen est imperii, et potentiae regiae, imo et Plutarchus affirmat in vita Lycurgi, foeminas quadam voce nominari solitas, Dominam significante: et Claudius Caesar, foeminae dignitatem non ignorans, frequenter illam appellat dominam; quod usque ad tempora Homeri duravit, cum (*lib.* 3. *Odysseae*), loquens de uxore Nestoris dicat: *Cui Domina uxor lectum suum stravit:* et (*lib.* 7) agens de Alcineo, inquit: *Quem suis ipsa manibus domina construxerat.* Quid? quod nomen hoc *donna*, celebre adeo indicatum est, ut inter Hispanos, nobiles viri, medietatem illius sibi usurpent, vocantes se, *don Pedro*, *don Diego*, et sic de aliis. Quid autem est, *don*, nisi dimidia pars nominis *donna*. Ac tandem, si caballistis credimus, ipsi fatentur nomen donnae maiorem conformitatem habere cum celebri illo Dei nomine *Tetragrammaton*, quam nomen viri.

§. II.

EX CREATIONE PRIMAE MULIERIS LAUDES FOEMINARUM DEDUCUNTUR.

Quod si rem attente perpendamus, sane licet in divina natura omnes ideae, et exemplaria creaturarum, sint unum; virtualem tamen, ut minimum, distinctionem inter illas theologi omnes agnoscant: quatenus nobilior creatura per nobiliorem ideam vindicaret praesentari: igitur foemina cum specie corporea multo pulchrior sit viro, necesse est factam fuisse a Deo quoad corpus per perfectiorem, et pulchriorem ideam, quam vir. Quod si non tantum efficientem, sed materialem causam contemplemur, non solum aequalitatem foeminae cum viro, sed excellentiam eius supra illum facile deprehendemus. Etenim vir factus fuit ex luto terrae, iuxta illud (*Genes.* 2): *Formavit Dominus Deus hominem de limo terrae;* foeminam autem non ex virili materia luti, sed ex nobili, et forti, qualis fuit costa Adami, primam foeminam efformavit (*ibid.*): *Aedificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem.* Unde et ipse Adam continuo dixit (*ibid.*): *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea, haec vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est.* Deinde omnes philosophi unanimi consensu fatentur, masculinum foetum quadragesimo die animari, foemininum vero nonnisi usque ad octuagesimum: quam disparitatem, licet quidam in foeminarum probrum vertere conentur; revera tamen in earum laudem cedit: nam tam in rebus naturalibus, quam artificialibus satis compertum est, quanto perfectiora sunt opera, tanto longiore tempore perfici: quis enim ignorat plus temporis exigere arborem ad fructus maturos edendos, quam ad ramos et folia producenda: nullus etiam artifex est, quantumvis peritus, qui in fabrefaciendis magni momenti rebus plus temporis non insumat, quam in aliis vulgaribus artificiatis. Ad haec, ex sacra Geneseos historia novimus, foeminam ultimum esse opus Dei supremi, omnium rerum opificis, qua producta, ut sacer textus (*Gen.* 2) ait: *Requievit Dominus ab omni opere quod patrarat.* At secundum Philosoph. (2. *Physic.*), *id quod est ultimum in exequutione, est primum in intentione.* Prius igitur posset dici ab aliquo, ordine intentionis fuit volita foemina a divina voluntate, quam vir.

§. III.

EX HONORE, QUEM PRINCIPES, ET PHILOSOPHI MULIERIBUS DEFERUNT, EARUM EXCELLENTIA INNOTESCIT.

Atqui hinc est, quod propter hanc foeminarum excellentiam principes et reges etiam humilis conditionis foeminis maiorem honorem deferunt, quam viris. Hispaniarum, et Galliarum principes consuevere inclinari, et caput detegere, cum foeminas in via, vel in aula regia offendunt; quod genus honoris certum est, nemini virorum sui regni impendere. Quod si vera est sententia Aristot. (8. *Ethic. cap.* 16), dicentis: *Honor est virtutis praemium, et beneficii:* consequens est aliquid excellentiae, et beneficentiae in foeminis agnosci debere, cuius causa sic honorantur a viris. Ille deinde notissimus est honor, quem omnes respublicae, et omnes magistratus foeminis deferunt, dum sericas, et aureas vestes viris prohibentes, foeminis eas induere permittunt. Tandem Aristot. qui in foeminarum maledicentia fere omnes praecelluit, evidentia tamen veritatis convictus, multa earum praeconia scripsit, quibus illas viris praeferre non erubuit: etenim (*lib.* 1. *Oeconom. cap.* 3) foeminam viro diligentiorem tradidit, dicens: *Mulier ad sedulitatem optima, at vir deterior:* et (*cap.*6) foeminam a cura rem familiarem conservandi super virum commendat: verba eius sunt haec: *Consequitur masculus necessaria, et foemina conservat ea.* Quis autem non videat vanum reddi laborem comparandi, si ei non adiungatur solicita cura conservandi? Sagaciores insuper fatetur foeminas (*lib.*6. *Ethic. cap.* 10), dum inquit: *Sunt foeminae maribus astutiores;* astutiam vero, seu calliditatem cum prudentia coniunctam esse, ut auctor est idem (*lib.* 6. *Ethic. cap.* 10). Accedit quod idem (*lib. Physiogn.*) ait: *Sunt misericordes, ingeniosae, et callidae:* quae in mille locis confirmarunt Plato, et Lycurgus, et quidem ille (*lib. de leg.*) dixit: *Foemineum genus eruditionis, et aliorum studiorum societatem cum virili genere habere debet:* et (*in lib. de Republ. dialog.* 7) subiunxit: *Foeminae non minus, ut viri in republica virtutum insignibus ornandae, ut quae praestantiores natura sunt, principatum gerant aequaliter cum viris.* Lycurgus etiam, Platone multo antiquior, eadem ante docuerat: nam (*lib. de leg.* dixit: *Foeminis non minus, quam viris decorum esse equestrem disciplinam, et gymnasticam ex veteribus narrationibus persuasus sum:* et paulo inferius subdit: *Stolidissime omnium nunc in regionibus nostris censeo fieri, quod non omni robore, unoque consensu mulieres ac viri eadem studia ex animo tractent.*

§. IV.

A FORTITUDINE, ET IMPAVIDO ANIMO, ETIAM IN MILITIA FOEMINAE LAUDANTUR.

Ne autem cuipiam videatur paradoxa horum Philosophorum sententia, idcirco de forti, ac intrepido foeminarum animo, nonnulla subiiciam. Narrat Lucretia Marinella (*in discurs. de nobilit. et excellen. foemin.*), mulieres Cursolenses cum manifesto periculo propriae vitae integrum exercitum Selim Turcarum imperatoris potentissimi invadere non exhorruisse, qui Cursolam urbem occupare tentabant; at vero ipsae lucidissimis armis instar fortissimorum militum munitae ita strenue, ac diligenter bellicis tormentis hostes expugnarunt, ut Uluzale, generali Turcarum duce, cum universo eius exercitu terga vertente, fugam ignominiose arriperent. Huic victoriae non est, cur cedat illa, quam Marcia Bronchia feliciter consequuta est, quae cum proprium maritum prae timore irruentis belli fugere animadverteret, ipsa continuo eius arma capessens, ad defensionem urbis Pisarum, cuius ipsi cives erant, intrepido animo properavit, adeoque in profligandis hostibus fortiter se gessit, ut ab ingruenti illo malo patriam suam liberaret. Unde populus gratitudinis gratia, tanquam patriae liberatrici, honorificam erexit statuam. Inter mulieres etiam fortes merito annumeranda venit mater Hircani, quae cum ab hostibus capta, variis cruciatibus afficeretur, ut filio suo obsidionem tollere persuaderet, ipsa nihilo secius, quamvis multis annis confecta, viriliter adeo tormenta sustinuit, ut summis precibus filium deprecaretur ab incepta obsidione minime desistere, sed magna animi fortitudine in hostes irruere. Nec silentio praetereunda est mater Clementis Spartarum regis, quae cum tradita fuisset Ptolemaeo in pignus, illaesum conservandi foedus cum eo initum de non reconciliandis inimicis absque eius consensu; conscia illa facta, quod inimici pacem reipublicae valde utilem filio obtulissent, ipsa ei scripsit, omnino oblatam pacem acceptam nihili faciens, quod ipsa in potestate Ptolemaei maneret. Sane, cum iuxta sententiam Arist. (*lib.*3. *Ethic. cap.* 6), fortitudo sit animi constantia adversus ea, quae terrere solent; manifestum est, foeminam hanc magna fortitudine praeditam, quae propriam libertatem, et vitam, publicae utilitati posthabuit.

Quid dicam de foeminis Argivis, de quibus historiographi commemorant, quod cum Cleomenes rex Spartarum ingentem Argivorum multitudinem occidisset; tentans deinde civitatem eorum nomine Argo per vim occupare; Argivae foeminae supra urbis moenia armatae comparuerunt, quarum horribili aspectu perterritus Cleomenes, non solum civitatem non expugnavit, sed compulsus fuit ab incepto desistens, in fugam se convertere. Eaedem Argivae foeminae a civitate sua expulerunt Democratem regem, qui partem illius, nomine Pamphyliam, tyrannice occupaverat. Tandem consulto missas facio Monimam Milesiam uxorem Mitridatis, Rosanam, et Statiram eiusdem Mitridatis sorores, Zenobiam reginam Armeniae, Cleopatram filiam Ptolemaei Pytonis regis Aegypti, Sophonisbam filiam Asdrubalis, Dugnam nobilissimam foeminam, Massinissam, Polyxenam filiam regis Priami, cuius meminit Euripides in tragoedia, cui nomen Hecuba, Sophoniam, de qua eleganter Tassus (*lib.* 2), Poridem, cuius longam mentionem fecit Titus Livius; nec non foeminas Cambri, a Plutarcho relatas, quae omnes, partim ne in servitutem venirent, partim ne honorem amitterent, partim ut patriam defenderent, non dubitarunt mortem oppetere.

Quod si bellicosas foeminas in arte militari strenuas valde recensere vellem, in longum sane abiret oratio; nonnullas tamen non praeteribo, quae fortissimos hostes viriliter superarunt; Semyramis Assyriorum reginae cuncto orbi satis nota, et explorata est fortitudo, et magnanimitas: nam omissis aliis bellorum certaminibus, in quibus invictissimi ducis personam gerens victrix evasit; certe in bello, quod adversus Scaurobaten regem Indiae gessit, animi sui fortitudinem mirifice ostentavit: etenim ex singulis imperii sui provinciis fortiores quosque viros elegit, ex quibus potentissimum exercitum confecit, decies centena millia, et trecenta millia militum, et ducenta millia equorum habentem. Fecit etiam, ut ex Phoenicia, et Cypro duo millia navigia adventarent, quibus omnibus cruentum bellum adversus Scaurobaten Indiae regem inivit. Semyrami persimilis fuit Victoria, quae in expugnandis ho-

stibus, et compescenda eorum superbia, insignis adeo fuit, ut matrem exercituum illam compellarent: et merito quidem, cum et armis obtinuerit, ut filius, et nepos eius ad imperii culmen ascenderent. His non inferior mihi videtur Thomiris Scytharum regina, quae cum contra regem Cyrum unicum filium suum misisset, quem ipse occidit, continuo illa novum instruxit exercitum, et contra Cyrum regem acriter excandescens, fortiter adeo in eius milites irruit, ut brevi tempore non solum viginti millia Persarum occideret, sed et ipsum regem Cyrum jugularet; caput autem in vas sanguine plenum immitteret, haec verba proferens: *Si sanguinem sitiebas, immersus sanguine es, bibe ad satietatem.* Accedit iis Margarita filia Woldomarii Svetiae Regis, quae contra Albertum ducem Monopoli bellum gerens non solum exercitum eius profligavit, sed ipsummet ducem in servitutem suam redegit; et ad maiorem suae victoriae gloriam, et splendorem, necnon ipsius hostis devicti ignominiam, in triumphum, publice traduxit. Silentio praetereo Amalasuentam Italiae reginam, quae forti, et intrepido animo in Burgundos, et Germanos insurgens ab Italia illos expulit, dum acriter Liguriam infestarent. Praetereo Zenobiam Palmirenorum reginam, quae post obitum Odenati viri sui, non solum singulari prudentia, et iustitia imperii gubernacula tenuit, sed in variis belli congressibus hostes gloriose devicit. Praetereo Ioannam Lotharingam, cuius magnanimitatem in tam tenera aetate rex Carolus valde mirabatur; haec cum adversus regis hostes iuxta Blessiam praeliaretur, tria millia militum in frusta concidit, et permulta loca ab hostibus occupata in pristinam libertatem restituit. Praetereo Valascam Bohemorum reginam, quae excelso adeo animo, et generosa indole praedita erat, ut aegre ferens virum aliquem sibi dominari, adversus homines ira percita facta coniuratione cum privatis foeminis de occidendis, vel relegandis cunctis viris ab eius imperio, bellum adversus ipsos indixit, eosque interemit, et instar Amazonarum, ipsa, et reliquae foeminae absque virorum consortio per multos annos superstites, rempublicam gubernarunt. Praetereo easdem Amazonas, quas cum Cyrus rex ingenti Persarum exercitu debellare tentasset, ab ipsis devictus, et expugnatus retrocessit. Harum Amazonarum gloriae mentionem facit Paulus Orosius (*lib.* 1, *cap.* 5): earum multae fuere reginae, et Panthasilaea credita Martis filia, quae in Hectoris auxilium, multis Amazonis, velut saevientibus leaenis comitata venit, ut Homerus (*in Iliad.*), necnon Virgilius in haec carmina narrat:

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis.
Panthasilaea furens, mediisque in millibus ardet:
Aurea subnectens, exertae cingula mammae
Bellatrix, audetque viris concurrere virgo.

His Amazonis persimiles fuerunt, ut auctor est Boterus, foeminae, quae sub imperio regis Monopotama iacebant; hae arcus in arma usurpabant, et in emittendis sagittis perilissimae erant. Praetereo Melitenses foeminas, quae, ut refert Mambrin Roseus, dum Mustapha Turca demoliri conaretur Famagostam, incredibili audacia ita adversus hostes dimicarunt, ut ipse Mustapha stragem magnam suorum animadvertens, dicere compelleretur, bellicosissimos esse illius urbis cives. Praetereo Lacedaemonas foeminas, de quibus Lactantius scribit, quod cum earum civitas absque viris esset, eo quod omnes ad Messaenios expugnandos se contulissent, et Messaenii e contra ad Lacedaemoniorum civitatem expoliandam properassent; ipsae Lacedaemoniorum foeminae hostium devastioni non solum obstiterunt; sed eorum exercitum profligarunt, et in fugam converterunt. Accidit tamen postea, quod visa a Lacedaemonibus Messaeniorum fraude, continuo regressi contra illos, solum invenerunt armatas foeminas, quas ipsi existimantes esse Messaenios hostes, in illas acriter irruissent, nisi ipsae arma deponentes, se manifestassent. Unde in memoriam huius augustissimi facinoris, Lacedaemones celebre aedificarunt templum Veneri armatae sacrum esse volentes; de quo perbellum Ausonius condidit epigramma. Praetereo tandem Zenobiam ita a natura belligeram, id attestante Tarcagnota, ut non solum armatos homines, sed et leones, ursos, pardos, et alia ferocissima animantia aggredi non exhorreret, sed vinceret, et expugnaret. Praetereo tandem Camillam reginam Volscorum, cuius fortitudinem Virgilius eleganter in haec carmina descripsit:

Non illa collo, calathisve Minervae
Foemineas assueta manus, sed praelia virgo
Dura pati, cursuque pedum praevertere ventos
Illa vel intactae segetis per summa volaret
Gramina, nec teneras cursu laesisset aristas,
Vel mare per medium fluctu suspensa tumenti
Ferret iter, celeri nec tangeret aequora planta.

§. V.

AB AMORE ERGA PATRIAM, ET MARITOS, ET A TUTELA, QUAM EIS PRAESTITERUNT, FOEMINAE COMMENDANTUR.

Hanc fortitudinem sub muliebri forma latentem in defendenda patria, multae praeclarae foeminae ostentarunt, inter quas non infimum locum obtinet Pisana quaedam puella, cuius meminit Comes Ioannes Castilion, et in cuius laudem hoc post obitum eius pulchrum epigramma composuit:

Semianimem in muris mater Pisana puellam
Dum fovet, et tenero pectore vulnus hiat:
Nata ubi has, dixit, taedas, atque hos Hymenaeos
Haec defensa tuo moenia marte dabunt.
Cui virgo, haud alias taedas aliosve Hymenaeos
Debuit haec nobis grata reponere humus,
Hanc ego sola meo servavi sanguine terram,
Haec servata meos terra tegat cineres.
Quod si iterum ad muros accedet Gallicus hostis,
Pro patria arma iterum haec ossa, cinisque dabunt.

Narrat Lucretia Marinella (*in discur. de excell. foeminar. cap.* 11) ex variis auctoribus haec, quae nunc apponam, memoranda exempla. Cum ab inimicis obsessi essent Spartani, communi consensu decreverunt foeminas omnes in Cretam mittere, ne si ipsi in obsidione perirent, illae ab hostibus inhoneste tractarentur; at foeminae huius decreti consciae factae, aegre illud ferentes, viriliter restiterunt, ne executioni mandaretur. Quare Archidamia inclyta, ac fortis foemina arrepto ense evaginato, Senatum ingressa, acriter senatores obiurgans, dixit: Putabatis ne Spartanas foeminas, Sparta ab hostibus occupata, voluturas diutius vivere? illi autem stupefacti, decretum revocarunt: continuo vero Spartanae foeminae in modum exercitus congregatae, monentes reliquos milites, ut quiescerent, coeperunt fossam conficere, moenia civitatis restaurare, arma praeparare, ac tandem viriliter dimicantes, patriae libertatem conservarunt. Refert deinde ex Aemilio Probo, quod cum Pausaniam, eo quod infidelis esset patriae, ut debitas poenas lueret, respublica comprehendere curasset; ipse vero in Palladis templum, tanquam in tutissimum asylum confugisset, certo sciens, propter reverentiam tanti loci minime fore extrahendum, Ephori decreverunt, portas illius templi, facto muro, penitus claudere, ut sic fame ibi periret: quod audiens mater Pausaniae, amor patriae illam compulit, ut confestim ipsa calcem, et lapides ad conficiendum murum asportaret. Adiungit deinde aliud memorabile exemplum. Etenim cum Latini adversus Romanos dimicantes praevalerent, postularunt sibi dari certum numerum virginum, cui ignominiosae petitioni cum valde haesitarent Romani, ob Latinorum potentiam, quid respondere sibi liceret; quaedam Romana puella, nomine Tutola, vel, ut aliis placet, Filotis, monuit Senatum, ut pulchriores ancillas, et servas perbelle ornatas ad Latinos mitterent, qui parum tunc a civitate distabant. Placuit Senatui, et ita factum est: adveniente autem iam nocte, et somno sopitis militibus, Tutola ascendit in proceram arborem, ubi ardentem flammam versus Romam direxit, ut praedixerat senatoribus; et continuo milites Romani, qui praeparati iam aderant, egressi contra dormientes Latinos, ingentem eorum caterva occiderunt, et virgines recuperarunt. In cuius rei memoriam Romae celebre festum fuit, quod ancillarum vocabant. Ad haec, quis ignorat in bello Aeneae contra Turnum, foeminas propriam patriam ab hostium incursu defendisse, ut (*lib.* 11) Virgilius cecinit in haec carmina:

Ipsae de muris summo certamine matres,
Monstrat amor verus patriae, ut videre Camillam
Tela manu intrepide iaciunt, ac robore duro,
Stipitibus ferrum, sudibusque imitantur obustis
Praecipites, primaeque mori pro moenibus audent.

Ad extremum Iphigenia sciens oraculum dixisse, opus esse, ut ipsa in sacrificium Dianae offerretur ad placandam iram, quam conceperat adversus Agamemnonem patrem suum, qui contra divinam legem cervum occiderat, alioquin patriam eius mullis suppliciis esse multandam: ipsa ob amorem patriae sponte se in sacrificium mactandum Dianae obtulit. Unde ipsius haec sunt carmina in tragoedia Euripidis, Iphigenia nuncupata:

At illa patri proxime assistens suo
Hoc eloquta est: o parens, adsum tibi,
Et haeccc corpus pro salute patriae,
Proque universa Graecia trado, volens,
Ut immolandum hinc ad dicatas numinis
Ducatis aras, quando divum oracula
Ita canunt: prorsum, quod ad me pertinet,
Et rem geratis bellicam feliciter,
Lateque vobis praemium victoriae
Cedat, etc.

Non solum autem lego foeminas insignes patriae amatrices, sed ita etiam ardenter maritos, fratres, et filios amantes, ut non dubitarint pro illis mortem subire; ut enim dixit Propertius:

Verus amor nullum novit habere modum.

Notavit hunc foeminarum amorem Aristoteles (*lib.* 8. *Ethic.*), dum dixit: *Argumento sunt matres, quae amando gaudent, reamari non curant, sed satis ipsis videtur, si liberos suos bene agentes inspiciant.* Narrat Tarcagnota (*in sua hist.*), quod huic argumento mirifice facit, quod cum imperator Corradus, civitatem nomine Vespergiam, ingenti exercitu obsedisset, cives mille remedia tentarunt, ut imperatoris animum pacarent; solum autem ab eo obtinere potuerunt, ut foeminae a civitate egredi valerent, secum ferentes quiquid humeris portare potuissent: tunc foeminae omnes humeris imponentes, haec maritum, ista fratrem, illa filium, iis pignoribus onustae a civitate egressae sunt, indicantes prae amoris magnitudine nullas pretiosiores gemmas, nullaque sibi gratiosiora monilia ferre potuisse quam proprios maritus, fratres, et filios. Narrant in idem varii historiographi memorandum illud facinus foeminarum Spartanarum: etenim cum earum viros in carcerem detulissent Lacedaemonii, singulis diebus magistratus adibant, ut saltem liceret eis carcerem ingredi, et cum maritis suis confabulari; quod cum tandem post multa temporis curricula obtinuissent, hoc stratagemate usae sunt, ut maritos ab illa captivitate eriperent; proprias vestes foemineas exuentes, cum virorum vestimentis commutarunt, factaque iam nocte, viri foemineo amictu induti, loco istorum remanentibus uxoribus, libere e carcere egressi sunt: quod singulare amoris, et pietatis genus admirati Lacedaemonii, liberas et impunes foeminas abire permiserunt. Ad haec, cum rex Darius ad mortem damnasset Hitaphernem cum omnibus suis familiaribus, et consanguineis, ita ut tota eius prosapia penitus extingueretur; Hitaphernis regiam aulam ingressa, gemitibus, et eiulatibus aerem implens, et sententiae revocationem a rege postulans, illud solum a regis clementia obtinere potuit, ut unum quemcumque vellet ex damnatis ad mortem pro libito liberaret; ipsa inter omnes,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

non maritum, non filios, sed fratrem eripere elegit. Quo audito rex Darius, valde miratus, et ab ea sciscitatus est, quare spreto marito, ac filiis dimissis, fratris vitam conservare voluisset; ipsa continuo respondit: Domine mi rex, si fratrem amisero, fratrem alium habere non potero; si autem marito, et filiis orbabor, alium maritum, et alios filios obtinere potero. Ac tandem Titus Livius commemorat, matrem quandam audientem filium in bello extinctum, summo dolore confectam, qui cum continuo vivus, et incolumis appareret, prae gaudii magnitudine vitam exhalasse.

§. VI.

A LIBERALITATE, ET MAGNIFICENTIA FOEMINAE LAUDANTUR.

Venio iam ad foeminarum non dicam liberalitatem tantum, sed magnificentiam: illa enim circa exigua munera saepe versatur; haec vero non nisi erga magna, Aristotele dicente (*l. Eth.*): *Magnificentia in sumptuosas actiones diffunditur*. Inter magnificentissimas foeminas primum commemoro Semyramim Assyriorum reginam; haec post obitum sui viri ingentem, ac famosam Babylonis civitatem iuxta Euphratem extruxit, figura quadra, trigintaseptem milliarium spatio amplam, muris circumdatam, latitudinis quingentorum, altitudinis ducentorum cubitorum, ut Herodotus commemorat; murorum materia lateres erant, quibus variae figurae inerant, diversis coloribus distinctae, quae iucundissimum sui aspectum reddebant. Turres super muros aedificatae, ducentum quinquaginta fuere, artificum trecentum millia in hac civitate fabricanda laborant, idque tanta celeritate, ut unius anni spatium ultimam manum imponerent. In medio huius civitatis erexit Semyramis celeberrimum templum, in cuius summitate, propter ingentem eius altitudinem, astrologi Chaldaei conscendebant, ut astrorum, et stellarum ortum, et occasum melius perlustrare, et scrutari possent. Deinde in civitate, nomine Hecbatana, superbissimum condidit regium palatium, sumptuosumque adeo aquaeductum confecit, ut ad eius fabricam opus fuerit cacumen celsissimi montis Orontis perforare, aliasque perplures civitates a fundamentis aedificavit, quibus magnificentiam suam mirifice ostentavit. Quid commemorabo de magnificentia Artemisiae, quae mortuo viro suo Cariae rege, famosum adeo, ac celebre sepulcrum ei condidit, ut inter septem mundi mirabilia ab auctoribus connumeretur, ei mariti nomen imposuit, *mausolaeum* filium vocans; ad eius fabricam venire coegit quatuor centum peritissimos marmoris sculptores: erat latitudinis in circuitu quatuor centum, et undecim passuum; altitudinis vero vigintiquinque cubitorum. Partem sepulcri orientalem fabricandam assumpsit insignis sculptor Scopa, occidentalem Zocaras, septentrionalem Briaree, meridionalem Timothaeus. In cacumine huius sepulcri aderat currus, summo artificio affabrefactus, quem quatuor marmorei equi ducebant: refertque Laertius, Anaxagoram philosophum hoc sepulcrum vidisse, ac divitiarum simulacrum appellasse. Accedit iis permagnificis foeminis non inferior magnificentia, Cleopatra Ægypti regina, de qua illud memorabile referunt historiographi, nemini unquam donum dedisse, cum tamen permulta frequenter daret, quod sufficiens non esset ad expensas necessarias iuxta qualitatem personae pro toto vitae suae curriculo. Narrant etiam, quod vocata a Marco Antonio, navigium fabrefecit, cuius puppis ex solido auro erat, vela ex pretiosissima purpura, remi ex purissimo argento, qui etiam dum movebantur, sonum emittebant, instar cytharae, et tibiae, et aliorum instrumentorum musicorum. Satis etiam omnibus tonsoribus notum est, coenam adeo splendidam, ac lautum, et opiparum adeo convivium Marco Antonio fecisse, ut duplicem pretiosissimam gemmam in pulveres redactam ad bibendum ei propinaret. Quis etiam ignoret liberalitatem, et magnificentiam reginae Didonis erga Traianos, quam Virgil. eleganter descripsit in haec carmina:

Seu vos Hesperiam magnam Saturniaque arva,
Sive Erycis fines, regemque optatis Aristem,
Auxilio tutos dimittam, opibusque iuvabo.
Vultis, et his mecum pariter considere regnis?
Urbem, quam statuo, vestra est, subducite naves,
Tros, Tyriusque mihi nullo discrimine agetur.

Et postea subiunxit in argumentum eiusdem magnificentiae:

Atque vitam rex ipse noto compulsus eodem
Afferet Æneas: equidem per littora certos.
Dimittam, et Lybiae illustrare extrema videbo,
Si quibus eiectus silvis, aut urbibus erat.

§. VII.

A CASTIMONIAE VIRTUTE FOEMINAE COMMENDANTUR.

Porro si ad castitatem insignium foeminarum me convertam, tot vetusta etiam Gentilium suppetunt exempla, ut si omnia percensere tentassem, impossibilem provinciam assumpsissem. Quare nonnulla breviter percurram. Castitate praefulsit Zenobia Palmirenorum regina, quae vita functo viro suo, cum alioquin iuvencula esset, tum pulcherrima, tum ditissima, tum potentissima, totius quippe Orientis gubernacula possidebat; quamvis permultos annos superstes manserit, semper tamen pudicitiam suam inviolatam servavit, ut vulgari carmine cecinit Petrarcha. Castitate valde enituit Sophronia nobilis Romana, quae a Maxentio imperatore importune solicitata, etiam proprio marito consentiente, ipsa constanter adeo dissentiit, ut mortem magis eligeret, quam adulterium. Quid de Lucretia commemorabo? quid de Thebe a Nicanore amata? quid de Penelope Ulyssis uxore? quid de Claudia virgine Vestali? quid de Micca Eliensi? quid de Laura, cuius meminit Petrarcha? quid de Sulpitia, quam refert Titus Livius? quid de Monima Melissa, quam rex Mitridates, magna etiam auri copia, vincere non valuit? quid tandem de Lacedaemoniorum, Milesiensium, Thebanorum, et Sabinorum foeminis, quae non ambegerunt propriam vitam pudicitiae postponere? Quod si sacra eloquia consulamus, adsunt castitatis portenta, Rebecca, Susanna, Iudith, Maria soror Moysis; in novo vero testamento pene infinitae virgines, quae in tenera etiam aetate atrocissima tormenta castitatis servandae causa viriliter sustinuerunt. Sed iam ethnicas virgines praeteriens, ad sacras, et Christo dicatas me converto, quae non solum numero, sed et animi fortitudine longe superarunt Vestales etiam virgines, quae inter Ethnicos castimoniae virtute praecipue emicuerunt. Illae enim non morum, sed annorum temporariam pudicitiam, ut adnotavit divus Ambrosius (*l. 3. de virg.*), collatis immunitatibus, et oblato pretio, absque temporis perpetuitate servabant, quod postquam idem s. Doctor expendisset, subdidit: *Quanto igitur nostrae virgines sunt fortiores, quae vincunt etiam, quas non vident potestates; quibus non tantum de carne, et sanguine, sed et de ipso mundi principe, saeculique rectore, victoria est.* Immo et divus Basilius (*libro de vera virgin.*) eorum fortitudinem commendans, qui propter virginitatem servandam varia tormentorum genera subire non exhorruerunt, haec scripsit: *Cum ferveret persecutoris immanitas, electae virgines, propter sponsi fidem, ad illudendum impiis hominibus traditae, corporibus inviolatae duraruut, eo scilicet, cuius gratia id perferebant, impiorum conatus in earum carne initos arguente, et integra earum corpora, non sine prodigio, divina virtute custodiente;* haec ille. Quarum omnium exemplis, quia plena sunt Martyrologia Vivardi, Surii, Natalis, necnon cardinalis Baronii, supervacaneum est ea hoc loco recensere; quarundam tamen virginum, castimoniae custodiendae causa, miranda, quae patrarunt, silentio non praeteribo.

Iphigenia virgo, Æthiopum regis filia 21. Septembris. Haec a s. Matthaeo Apost. baptizata, ab eoque sacro velamine Deo consecrata, nullis precibus, vel minis permoveri potuit, ut Hyrtaco regis successori, eius nuptias expetenti consentiret; quare is sanctum Matthaeum, cuius opera illa virginitatem Deo voverat, et in sancto proposito perseverabat, ad altare sacrum mysterium celebrantem, iussit occidi, qua de causa s. Matthaeus ab Hippolyto (*libro de duodecim Apostolis*) ad hoc alludente, victima dicitur virginitatis: deinde Iphigeniae domum copioso igne incendi fecit, ut eam cum ceteris virginibus concremaret. Verum s. Matthaeus coelitus cum angelo advenit, igneumque ab ea domo excussit; flamma vero erumpens regis palatium consumpsit, Hyrtaco cum filio vix evadente, et filius quidem a daemone arreptus, mox interiit; Hyrtacus autem morbo elephantiaco percussus, doloris impatiens, mortem sibi ipse conscivit. Iphigenia vero ducentorum, et eo amplius virginum mater existens, sancto fine quievit; de qua Petrus (*in Catalogo libr.* 8. *cap.* 101).

Augusta virgo, filia Marrucis principis, genere, et opibus insignis, natione, ut ferunt, Germaniae, Idolorum cultoris, quae inclinato iam Imperio Romano in agro Foroliviensi non procul a Serravallo arcem sibi construxerat; haec, clam patre, Christi fidem cum baptismo suscepit. Deoque virginitatem suam dicavit: quo cognito, pater eam graviter obiurgat; sed cum in fide Christi constans persisteret, duo ei dentes evelli, et in carcerem detrudi fecit, deinde inter duas arbores mediam suspendi, ac subiecto igne torqueri iussit; sed nihil laesa, rotam, prominentibus clavis, ad dilacerandum virginis corpus, excogitat, qua per angelum confracta, capite truncata ad sponsum pervenit, die 27. Martii: eam post mortem Deus multis miraculis illustrem reddidit, cuius vitam describit Surius (*tom.* 7).

Virgo *quaedam memoriae nostrae*, inquit divus Ambrosius (*lib.* 1. *de virgin.*), *nobilis in saeculo, nunc nobilior Deo, cum urgeretur ad nuptias a parentibus, et propinquis, ad sacrosanctum altare confugit, ubi sacrificium virginitatis offertur, et virginitatis velamen cum precibus sacerdoti petens, sponsum se habere dicebat, cui nemo se comparet, divitem mundo, potentem imperio, nobilem coelo: silentibus ceteris: unus abortivus, quid si, inquit, pater tuus viveret, innuptam te manere pateretur? tum illa: et ideo fortasse defecit, ne quod impedimentum posset afferre: quod ille responsum de patre, de se oraculum maturo sui probavit exitio; ita ceteri eadem sibi quippe metuentes facere coeperunt, qui impedire quaerebant;* haec d. Ambrosius.

Maria virgo in Bithynia virili habitu a patre Eugenio in coenobium adducta, et sub Marini nomine cum eodem monasticam vitam professa, post multos annos religiose traductos, ab abbate ad monasterii negotia mittebatur, et in quoddam diversorium cum sociis divertere solebat. Cumque filia hospitis a quodam milite violata concepisset, Marinum eius sceleris auctorem fecit, quod cum abbati renunciatum esset, is eum graviter reprehensum, nec se excusantem, sed errati veniam humiliter precantem, e monasterio eiecit; ille vero sub dio manebat; cum autem puella infantem peperisset, puellae pater illum Marino delulit, qui lacte a pastoribus mendicato, puerum alebat; exacto triennio multorum fratrum precibus, tandem cum infante admissus est in monasterium ad viliora, et abiectiora monasterii deputatus; quae omnia mira cum humilitate, et patientia exequebatur, nec modica ei molestia erat in educando infante illo. Denique in sua cella sancte obiit: quem sepulturae mandare volentes, invenerunt esse mulierem. Omnibus igitur veniam petentibus, quod innocentem vexassent, corpus eius in Ecclesia honorifice conditum, miraculis clarere coepit. Puella, quae eam infamaverat, a daemone arrepta, et ad sepulcrum ipsa adducta, omnem rei veritatem confessa liberatur. Haec ex Metaphraste apud Surium

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

(*tom.* 2.) die S. Februarii, quam vocat Mariam: eadem legimus (*in vitis Patrum lib.* 1. *cap.* 44), et apud Petrum (*in Catalogo lib.* 6. *cap.* 108), qui affirmat eam obiisse 16. Julii; anno vero 1113. translatum est corpus eius Venetias; cuius meritis nautae a maris tempestate sunt liberati.

Margaritae vero virgini Ægyptiacae simile quid contigisse narratur. Haec praeclarum quoddam facinus servandae virginitatis causa, ei, quod edidit sanctus Alexius, perquam simile aggressa est, quin etiam maius aliquid est ausa: nuptui enim a parentibus tradita, prima nocte, cum sponsus propter laborem in choreis ea die susceptum, profundo somno teneretur, ipsa tonsis crinibus, sub viri habitu, se Pelagium appellans, et clanculum in monasterium vivorum aufugiens, ab eisque admissa, sanctissimam, et religiosissimam vitam duxit: adeo ut seniorum consilio, licet invitus, monasterio virginum praeficeretur. Verum falso in suspicionem vocata, quod eidam monialium iamtrici, cuius uterus intumuerat, vitium intulisset, humiliter, et absque excusatione severam poenitentiam peregit; in morte tamen aguitus, ut foemina, omnibus suae humilitatis, atque paenitentiae exempla reliquit; huius vitam narrat Petrus (*in Catalogo lib.* 9. *c.* 27).

Theoctistes virgo in Paro insula 10. Novem. in Martyrol. Rom. commemoratur, cuius vita ex Metaphraste extat apud Laurentium Sur. (*tom.* 6). Haec fuit patria Lesbia, quam in virginum monasterio ab infantia dedicatam, Arabes Cretenses captivam abduxerunt, cum decimunoclavum annum ageret. Cum autem eam in insula Paro deserta cum aliis captivis exposuissent, ut singulis pretium, quo se redimerent, praescriberetur, ipsa clam fuga elapsa in silvam se abdidit, ubi vitam perquam similem ei, quam sancta Maria Ægyptiaca in deserto duxit, quinque et triginta annis exegit, ab hominum consortio prorsus seiunctam, lupinis, et herbis, quae in solitudine nascuntur, vitam sustentans. Demum cuidam ex Euboea, qui eo, venationis causa, cum aliis venerat, locuta, petiit sibi, anno sequenti sacrosanctam Eucharistiam afferri, qua suscepta migravit ad Dominum; haec ex Metaphraste (*tom.* 6).

Euphrosina Alexandrina, die prima Ianuarii. Haec cum a patre cuidam in sponsam esset promissa, ne cogeretur nubere, domo, ac parentibus relictis, sub viri habitu, ut securius delitesceret, sumpto Smaragdi nomine, inter monachos cuiusdam coenobii, duo et quadraginta annos vitam abstinentia, aliisque pietatis operibus insignem ad obitum usque sanctissime traduxit, et miraculis clara, migravit ad Christum; eius vita extat apud Surium 1. die Ianuarii.

Memorat Thomas Cantipratensis (*lib.* 2. *ap. c.* 39. §. 32) factum quoddam admirabile cuiusdam virginis Iaquelinae, sororis nobilis. Comitis Apuliae, quod suo aevo contigisse scribit. Haec cum a fratre ad nuptias cogeretur, sub virili habitu fugam arripuit; cumque fratrem eam insequentem non posset evadere, signo crucis se muniens ex alta rupe in mare se deiecit: quam frater eiulatu magno, monasterium ei construere pollicitus, frustra revocare est conatus: divina enim virtute, per mare, ac si per aridam ambularet, ad desertas Graeciae silvas pervenit, et sub eodem viri habitu cuidam sanctissimo seni eremitae, a quo de spiritualibus rebus plenius instrueretur, triennio ministravit: postea in Sicilia super quadam arbore arcto tugurioto constructo, viro quodam fideli sibi victum ministrante novennio latitavit. Demum Romam, Spiritu impellente, ad Innocentium Tertium venit, eumque de quibusdam admonuit: huius vivendi ratio haec erat: ter in hebdomada solo pane, et aqua victitabat, super nudam humum sine cervicali cubabat; haec ex Thoma Cantipratensi.

Euphemia, nobilis quaedam virgo in annis puerilibus castitatem Deo dicavit; sed cum parens, propter ipsius pulchritudinem, eam, quamvis renitentem, quidam Comiti desponsasset, ipsa capellam ingressa, opem Deiparae invocans, cultro nasum sibi praecidit, et labia. Quare ab irato patre, cuidam rustico in ancillam tradita, magnis laboribus, et plagis ab eo affligebatur: quae omnia laeto animo ferens, Deo, quod aliquid pro eo pateretur, gratias agebat. Septennio vero in his expleto, nocte Dominicae Nativitatis, familia ad mensam considente, ipsa ad stabulum, laudes Deo reditura, se contulit: ubi Deipara, angelorum, et virginum multitudine stipata, immenso fulgore circumfusa, eam ad constantiam est hortata; nasum, et labia ipsi restituit: quod ubi rescivisset pater eius, in loco stabuli virginum claustrum construxit, in quo Euphemia brevi quievit in Domino; haec in Speculo exemplorum (*dist.* 9. *nu.* 22).

Nec silentio praetereunda est virginum, ac matronarum Leodiensium intuenda pudicitia, animi invicta fortitudo, et divina in eis servandis providentia, quemadmodum testatur Iacobus de Vitriaco cardinalis (*in prol. vitae beat. Mar. de Oegen. ab eo editae*), quae extat apud Surium (*tom.* 3): *In devastatione*, inquit, *Leodiensi mulieres, quae ad sacras aedes confugere non potuere, in flumen se praecipitarunt, potius mori volentes, quam castitatis iacturam facere: nonnullae etiam in cloacas insiluerunt, foetore extingui malentes, quam perdere virginitatem. Christi tamen benignitate in tanta multitudine, nulla prorsus vel vitae, vel castitatis accepit detrimentum; una ex iis sancta muliere in flumine periculose laborante, duo ex hostibus in navicula ad eam properarunt, et cum illam extraxissent, volebant turpiter ea abuti; sed quid fecit casta inter leones, agna inter lupos, columba inter accipitres? maluit iterum in flumen se demergere, quam corrumpi: itaque desiliit ex navi in undas; sed cum navicula illius saltu depressa mergeretur, duo illi merti perierunt; illa vero absque ullo corporis, et animae damno fluvio obsequente ad littus emersit*; haec ille.

Ad hoc quoque special integrum virginum monasterium in Anglia: cum enim anno 870. in Scotiam applicuisset Danorum innumera multitudo, ducibus Hinguar, et Stubba, qui nulli sexui parcentes, magnam Angliae finibus calamitatem intulere: quod ubi percrebuisset, Ebba sancta Collinghamensis coenobii abbatissa meluens, ne ipsa cum commissis sibi virginibus ludibrio exponeretur Paganorum, et virginitatem amitteret, universis sororibus ad capitulum convocatis exponit, quae ab illis patrabantur scelera, et quorum, quod eis imminebat; adiecitque, si consiliis suis acquiescere vellent, se sperare, quod divina opera, et Barbarorum rabiem effugere, et virginitatem custodire possent; cui omnes se maternis praeceptis obtemperaturas responderunt; at illa, invicto animo arrepta novacula nasum proprium cum labro superiori ad dentes usque praecidens horrendum sui spectaculum cunctis praebuit, quod et singulae in se ipsis imitatae sunt. Cum autem sequenti die hostes illi nequissimi ibi pervenissent, ut sanctimoniales ludibrio haberent, et monasterium incenderent, cernentes abbatissam, cunctasque sorores ita mutilatas, festinatim recedentes satellitibus suis praeceperunt, ut iniecto igne monasterium cum ipsis sanctimonialibus concremarent; sicque virgines illae sanctissimae ad martyrii gloriam pervenerunt. Haec fere ad verbum ex Mattaeo Westimonasteriensi, quem refert Baronius (*in annalib. tom.* 10), ad annum 870. ubi has virgines culta martyrum ab Ecclesia celebratas defendit, etiamsi seipsas mutilarint: penes Ecclesiam enim iudicium est, an aliquid sancti Spiritus impetu, an vero humana tantum audacia fiat, ut supra in s. Pelagia Antiochena ex Augustino (1. *de civ. Dei cap.* 26) diximus.

Hoc ipsum exemplum moniales coenobii, quod inter Hierusalem, et Bethleem situm erat, sunt imitatae. Cum enim terra sancta Christianis, qui eam possidebant, a Saracenis fuisset ereptia, Soldanus audiens ibi degere virgines forma praestantes, eas violare volebat: igitur cum iam prae foribus esset tyrannus, abbatissa divinitus edocta, omnibus si salvam vellent virginitatem, ut suum exemplum sequantur, consuluit; quod se facturas illae receperunt; at ipsa primitus sibi nasum praecidit, idem et reliquae sponte effecerunt: quo audito, Soldanus earum prudentiam, et fidei constantiam admirans, vehementer probavit. Haec in itinerario Dilmari, et refertur (*in Magno Speculo distinct.* 9. *num.* 24).

Hic adiungere possumus virginis cuiusdam ratum exemplum, quod narrat Iacobus de Vitriaco cardinalis. Erat sanctimonialis quaedam pulchritudine insignis, a principe, in cuius ditione erat eius monasterium, ardenter concupita; cuius voluntatem cum nec precibus, nec muneribus princeps expugnare posset, denunciat abbatissae, nisi illam sibi tradat, universum monasterium igne se crematurum. Quod audiens pudica sanctimonialis, et intelligens, principem propter oculorum venustatem eam deposcere, ambos sibi oculos evulsit, atque in disco principi praesentandos dedit, illis verbis: Habeto oculos, quos desiderasti, modo meos cordis oculos intactos, atque illaesos relinquas. Hoc ex Vitriaco, et refertur (*in Spec. exemp. distin.* 9. *num.* 39): hoc idem exempium narrat Vincentius Belnacensis (*in Spec. Moral. l.* 1. *part.* 3. *dist.* 96), illudque in Anglia contigisse testatur. Principem vero illum ait fuisse Richardum Angliae regem. Verum, ne quis existimet hoc exemplum unicum, et recens, simile quid aliquot saeculis, antequam Richardus, de quo diximus, regnaret in Anglia, de sanctimoniali quadam ex relatione viri fidelis, cum esset Alexandriae, se accepisse narrat Sophronius, qui vixit circa annum Domini 610 (*in Prato Spir. cap.* 60). Haec cum domi suam vitam solitariam ducens, ieiuniis, vigiliis, ac erogandis eleemosynis vacaret; dum ad Ecclesiam orationis causa se conferret, a quodam procaci adolescente nutibus, et amatoriis verbis, molestiam usque adeo patiebatur, ut domo pedem non efferre cogeretur. Tandem intelligens ab eo se amore ipsius captum propter oculorum eius venustatem, eodem adolescente praesente, sumpto gladio mox sibi oculos eruit. Quod cum adolescens vidisset, compunctus, profectus est in desertum Scythiae, ubi saeculo renuncians, evasit probatissimus monachus.

Porro omnibus his virginibus a me commemoratis, et aliis pene infinitis, quae, ut ait divus Ioannes (*Apoc.* 13): *Sequuntur agnum quocunque ierit*, exemplum sectandae virginitatis intemerata Deipara Virgo praebuit, ad eandemque per votum conservandam exemplo suo excitavit. Unde d. Hieronymus (*epist.* 22. *ad Eus.*), agens de virginitatis custodia, postquam viros nonnullos, qui in veteri lege virgines fuere, commemoraverat, continuo subiunxit, latius virtutem hanc in lege Evangelica, latius in foeminas propter Deiparam manasse: verba eius sunt haec: *Virgo Elias, Elisaeus virgo, virgines multi filii prophetarum: Hieremiae dicitur: et tu ne accipias uxorem. Inveniebatur ergo in viris tantum hoc continentiae bonum, et in doloribus iugiter Eva parturiebat; postquam vero Virgo concepit in utero, et peperit nobis puerum, cuius principatus in humeros eius, Deum fortem, patrem futuri saeculi; soluta maledictio est: mors per Evam, vita per Mariam; ideoque et ditius virginitatis donum fluxit in foeminas, quia coepit a foemina, et statim, ut Filius Dei ingressus est super terram, novam sibi familiam instituit; ut qui ab angelis adorabatur in coelo, haberet angelos et in terris: tunc Holophernis caput Iudith continens amputavit*; hucusque divus Hieronymus.

Quoniam vero mulieres maiori quam viri cuustodia se domi continent, illisque a natura virginale signaculum est tributum; hinc factum est, ut ab ipso Apostolorum tempore virgines, quae integritatem suam Deo consecrare volebant, tanquam Christi sponsae, solemni sacri velaminis ritu donari consueverint, ut videre est apud sanctos Patres; et exemplum habemus in Flavia Domitilla, quae ut est in Breviario Romano die 12. Maii a sancto Clemente Papa sacrum virginitatis velamen accepit, quod a divo Hieronymo (*epist.* 8) vocatur, flammeum virginale: et idipsum, ad imprecationem Pontificis, sanctum virgineum operuit caput; flammeum enim, velum erat rubrum, sic dictum, quod flammas colore imitaretur. Quo nuper nuptae mulieres caput partemque faciei tegebant: eodem modo virgines, quae Christo desponsabantur, flammeum virginale accipiebant: nam eas Christi sponsas appellant Ter-

tullianus (*lib. de vel. virgin. cap.* 10), Innocentius (*epist.* 2), et alii: ita ut divus Hieronymus (*epist.* 27) matrem virginis Deo consecratae, Dei sacrum nominare non dubitet. Huius ritus velandi virgines meminit Tertullianus (*lib. cit.*), et sanctus Cyprianus (*de discip. et hab. virg.*), et alii multi: de quo sanctus Ambrosius ad virginem lapsam: *Sacro*, inquit, *velamine tecta es*, ideoque non nisi certis diebus magna celebritate fiebat, quemadmodum habetur (21. *quaestion.* 1. *cap.*) de votis ex Gelasio epistola ad Episcopos per Lucaniam (*cap.* 14. *et* 15).

Addit his Dionysius Carthusianus (1. *sentenquaest.* 2) virginum collegium a Deipara Hierosolymis institutum, quae sub peculiari illius disciplina degebant. Cum enim de sapientia, et scientia Deiparae ageret, quibus, dum adhuc inter mortales superstes erat, permultos instruxit, postea subiunxit: *Quotidie quoque tempore opportuno, edocuit. felicissimum illud collegium centum viginti virginum, eius obsequio, atque regimini deputatum.* Quod licet nonnullis creditu difficile visum fuerit, mihi tamen difficultatem magnam ingerit: nam si lege veteri complures foeminae ad templum excubabant, ut legimus (*lib.* 3. *Exod. et* 1. *Reg.* 2), virgines etiam in templo educabantur, ut tradit d. Ambrosius (*lib.* 1. *de Virgin.*), ubi cum probaret in testamento veteri aliquot virginitatem coluisse, haec verba subiicit: *Nam etiam in templo Hierosolymis fuisse legimus virgines deputatas;* locus autem, ubi id legerat, non est alius, quam ille, qui habetur (2. *Machab. cap.* 3), ubi dicitur: *Virgines, quae conclusae erant, procurrebant ad Oniam;* quae verba licet Lyranus explicet de virginibus, quae privatis domibus custodiebantur; d. tamen Hieronymus (*lib.* 1. *advers. Iovin.*) de purissimis virginibus in templo habitantibus id intelligit. Si igitur virgines congregatim in lege veteri religiose educabantur in templo; nihil certe prohibet, quod lege gratiae, quando virginitatis consilium a Christo (*Matth.* 19) erat iam promulgatum, plures in unum locum virgines convenisse credamus sub Deiparae magisterio. Immo arbitror huius exemplo sanctam Martham, et sanctam Iphigeniam, illam in Gallia, et hanc in Ethiopia virginum conventus extruxisse, ut Surius, et Metaphrastes, aliique historiographi in earum vitis referunt: quibus addo vetustissimum Ignatium martyrem (*epist. ad Philip.*) dicentem: *Saluto congregationem virginum.* Quas, quia in communi vitam ducebant, cardinalis Baronius (*tom.* 1. *annal.*) ad annum Christi 52. affirmat, illas habitasse in collegiis, seu congregationibus, quae erant, velut apud nos monasteria.

§ VIII.

A PRUDENTIA, ET SANIS CONSILIIS FOEMINAE LAUDANTUR.

Porro foeminas, quae prudenti, et maturo consilio maxime enituere, fas non est silentio committere. Certe, inter dotes animi universas, prudentia, cuiuscumque iudicio, valde splendet: per illam enim homo, quid in rebus arduis, atque magni momenti negotiis, agere debeat, edocetur. Unde Aristoteles (*lib.* 6. *Ethic. cap.* 6) ait: *Prudentia est bene consulere, et in agendo versatur:* cui addi potest etiam: *prudentia est ab incepta actione desistere:* nam non semper prudentia in operando se prodit; verum nonnunquam in cessando ab operatione apprime effulget. In hac ergo video pene innumeras foeminas mirifice claruisse. Prudentissima fuit Arthemisia Cariae regina, haec auxilio fuit Xersi, obviam illi veniens, multis navibus instructa, quem, ne cum desperatis hominibus bellum iniret, urgentissimis rationibus, et monitis diu consuluit; sententia namque Arthemisiae erat, rem protrahere, quoad usque hostibus alimonia deficeret, de eoque, non metu fracta, verum Xersis indemnitati, atque bonae existimationi consulere volens, illum instantissime monebat; qui cum alias navalia certamina acriter invasisset, nolens prudentis reginae consilio acquiescere, bellum indicens, ut Trocus narrat, infeliciter ab hostibus servitute multatus, occubuit. Verum, quid dicemus de singulari prudentia Ioannae Lotharingiae adolescentulae, quae in bello adeo dextere se gessit, ac prudenter operata est, ut in regis Caroli ditionem quam plurima loca faciliter redegerit, cuius suasione, Tarcagnota referente, ut coronam realem nancisceretur, Rhaemos se contulit. Semiramis adeo sapiens, et prudens habebatur, ut Ninus probe suas qualitates agnoscens, nullum negotium ea inconsulta peragere. Et Cyrus Asaspiae prudentiam, ob praeclara ipsius gesta perspectam habens, idem praestabat, dumque consiliis eius utebatur, omnia sibi prospere, et feliciter eveniebant. Iulius Caesar narrat, Gallos nihil unquam penitus absque mulierum interventu decernere consuevisse, et adhuc hic mos apud illos viget; eorum foeminarum ingenii perspicacitatem, atque prudentiam magni facientes. Augustus coniugem suam consulere solitus esat, a qua sana, et matura consilia decerpebat, quibus in regni rebus gravissimis continuo obsecundans, innatam quandam severitatem deposuit, omnibusque mansuetus, et clemens redditus est. Portia nonne fuit prudentissima? Cornelia Gracchorum mater, an non prudentiae, sapientiae, et eloquentiae laude praeclara extitit? Iustinianus imperator assiduus erat in consulendo fidelem coniugem de rebus imperii difficillimis, cuius consiliis annuens, illae exitum felicissimum sortiebantur. Unde Aurelius Victor in vita Iuliani imperatoris ait: *Foeminarum praecepta iucunt maritos.* Quamobrem Germani huius sententiae mores, nunquam, ut refert Cornelius Tacitus, nisi prius eorum foeminas consuluissent, arma capiebant, quippe qui virtutum integritatem, qua illae pollebant, haud quaquam ignorabant: quo palam fit, mulierem decus, et gloriam masculini sexus existere.

Verum sub silentio praetereunda non est Pompeiana Plotina, quae prudentia sua Traiani gloria multis accessionibus promota fuit: Lacedaemonii alioquin sapientes, ut inquit Paulus Diaconus (*lib.* 13), consilia a suis coniugibus extorquebant, nihilque ipsis insciis operabantur: et Athenienses foeminarum prudentiam merito suspicientes decernebant, ut de negotiis, ac opinionibus universis a Senatu receptis, ipsae, ac si senatoria dignitate fulgerent, suas ferrent sententias: unde Aristoteles (*lib.* 2. *pol. cap.* 7) de illis loquens, ait: *Multa in Lacedaemoniorum principatu a mulieribus administrabantur.* Socrates, quamvis celebris esset philosophus, a Diotima muliere sapientia ac prudentia insigni, se multa didicisse fatetur. Plutarchus, auctor illustris (*lib.* 10. *nob. foemin.*) tradit, veteres Gallos Annibali amicitiae foedere iam copulatos, decretum edidisse, quo praecipiebatur, ut nullus, praeter Gallicas mulieres, inter Carthaginienses diiudicare auderet, si quando illorum quempiam ab alio iniuria, vel iniustitia affici contigisset. Placida adeo dextere suo sano consilio operata est, ut causa extiterit, ne Ataulphus Gothorum rex barbaro furore perciitus, ac minis elatis, iamiam destructionem demoliens, urbem Romam devastaret, quin potius eam restauraret; quod suae prudentiae tributum est. Catharina regis Francorum mater in consulendo prudentissima evasit. Ariostus Gineuram Malatestam valde laudat a prudentia. Prudentiae eximium specimen dedit quaedam mulier, quae civitatem Bruxellicam regebat; illorum namque animos, qui magnum militum agmen instruentes, a patria desciverant, prudentissime sedavit, quibus postmodum reali quadam benignitate condonavit. Eximiam Periaconconaci prudentiam minime praetermittam, quae sui Ismaelis obitu occultato, septem e praecipuis regni consiliariis ad se iussit adduci, quos animo, ac prudentia perraros, ut dissensiones, et odia inter ipsos orta ad imperii Persici conservationem, quantocyus deponerent, diu hortata est, illud innuens quod si unquam antea suorum Soldanorum unionem, et concordiam peroptasset, tunc praesertim illius indigere apertissime demonstravit: significata Ismaelis morte, ac Cudabendis absentia, cui iure haereditario regni possessio debebatur. Quare regis morte divulgata, et ipsis inimicitias protrahentibus, regni iactura imminens dubitabatur: unde ipsi Soldani, dissensionum causa, Turcis, ac Tartaris infestissimis hostibus adhaerere cogerentur: quamobrem prudentia tantae foeminae factum est, ut illi inimicitias deponerent, et regni discordias, ut scribit Mambrinus Rosseus, simul cum ipsa facili negotio sedarent. At Semiramis non est reticenda, quae a suo marito Menone vocata, vix ad agrum perveniens, prudentissima cum esset, quo pacto inimicorum arx debellari posset, illico indicavit, quae consilio huius solo aequata est. Unde, ut Tarcagnota narrat, Ninus Assyriorum rex ingenium eius magnopere suspexit, Tanaquil prudentia sua effecit, ut Servius Tullius post Tarquinii mortem in regem eligeretur. Quotidie praeterea prudentia delegitur, non dicam cuiusdam reginae, aut dominae, sed cuiuslibet modicae mulierculae, in domorum, et sobolum ipsarum diligenti regimine, res familiares, ac facultates a maribus acquisitas, sedulo conservare, eas iuxta rerum temperiem, ac ingruentem indigentiam summa prudentia distribuendo. Heu vos homines infelices, et praecipue Galliam, ac Germaniam incolentes, ni foeminae facultates servarent, brevissimo temporis intervallo pauperes et mendici evaderetis; sed cum de earum prudentia securi sitis, domorum vestrarum curam, et sollicitudinem illis demandare, valde consentaneum ducitis: quid plura? Galli nec teruntium, ut ita dicam, coniugibus inconsultis, audent contrectare. Consuetudinem illarum regionum narrare consulto praetereo, ne in longum abeat discursus, nempe mulieres negotiis, atque mercium tractatibus tanta diligentia incumbere, ut Italiae totius peritiori mercatori minime deferant: indicium sane perspicacissimi ingenii.

§. IX.

A MISERICORDIA, ET PIETATE COMMENDANTUR FOEMINAE.

Negare non potest, nisi protervus, foeminas ad pietatem, et misericordiam viris proniores, et procliviores esse: quod vel illud unum luculenter satis probat, cum volens Deus misericordiam, et pietatem suam commendare, non virorum, sed foeminarum pietati illam comparat (*Isai.* 49): *Nunquid potest mulier obliviscі infantem suum, ut non misereatur? et si illa oblita fuerit, ego non obliviscar:* (*lib. Exod. cap.* 1) legimus, ex virorum consensu decretum fuisse a rege omnes infantes Hebraeorum occidi; at foeminae solum innata sua pietate commotae a nece eos praeservarunt (*Exod.* 2): *Nec fecerunt iuxta praeceptum regis, sed servaverunt mares.* Quis etiam in dubium revocabit, viros aliquos per ripam maris pertransisse, cum in illud projectus Moyses in fiscella iacebat, nemo tamen illorum ab aquis eum extrahere tentavit? sola filia Pharaonis id praestitit, quae cum vidisset parvulum vagientem, miserta est eius. Exploratores, quos misit Iosue in Hierusalem, nemini virorum omnium, qui in ea urbe commorabantur, se crediderunt, solius foeminae Rahab nomine fidelitati et patrocinio se commiserunt (3. *Reg.* 17): *Ingressi sunt domum Rahab.* In Sarepta Sydonis pene innumeri habitabant viri, multis divitiis affluentes; et tamen cum Elias in eam urbem a Deo missus fuit, ad nullum illorum, sed ad solam piam quandam viduam ex Dei mandato diverlit: *Ibi praecepi mulieri viduae, ut pascat te.* Illa autem ita misericordem pariter, et liberalem er-

UNIVERSIDAD DE NAVARRA DIRECCIÓN DE BIBLIOTECAS

ga Eliam se praebuit, ut quamvis inopia esset ciborum, prius tamen prophetam, quam se, et domesticos suos cibaret iuxta praeceptum illius: *Fac mihi prius, deinde tibi, et filio tuo;* idque sibi volunt verba illa: *Quae abiit, et fecit iuxta verbum Eliae, et comedit ipsa, et domus eius.* Certe cum Deus voluit, ut Abacuch abiret in Babylonem, ut ferret Danieli in lacu leonum iacenti cibum, quem messoribus suis paraverat, ille continuo resilivit, dicens (*Daniel.* 13): *Domine, Babylonem non novi, et locum nescio;* et quamvis repugnaret, tandem abiit, sed capillis ab angelo pertractus, portavit eum capillo capitis sui; at mulier Ilia Sareptana sponte ministravit Eliae, ac summa promptitudine cibum ei paravit iuxta placitum illius. (*Cantic.* 5) legimus, quod cum quadam die egrederetur sponsa quaerere sponsum suum, licet alioquin plures offenderet viros per vias civitatis transeuntes, solum foeminae sibi compatientes, dixerunt ei: *Qualis est dilectus tuus, o pulcherrima mulierum? quo declinavit dilectus tuus, et quaeremus eum tecum?* viri autem non solum pacifice ei locuti non sunt, sed vulnera inflixerunt, et proprio pallio eam expoliaverunt. Quid plura? cum Christus Dominus ex cruce pendebat, omnes discipuli, uno excepto Ioanne, fugerunt, triplex tamen Maria ei adstitit: et de aliis foeminis, non de viris dicitur, quod plangebant, et lamentabantur eum. Quod si vir nomine Simon in consortio Christi crucem portabat, id non gratis, sed pretio conductus praestitit, ut ait d. Matt. (*cap.* 27): *Hunc angariaverunt, ut tolleret crucem eius.* Tandem, ut paucis multa dicam, cum Ioannes dicat de Filio Dei: *In propria venit, et sui eum non receperunt; B. Virg. excepit illum in domum suam.* Quare si scisciteris, quis Deum in mundum venientem hospitio benigne suscepit? dicam; quaedam mulier: et si quaeras, quis incircumscriptum exigui ventris hospitiolo circumscripsit? dicam; quaedam mulier: si interroges, quis iratum Deum adversus genus humanum pacatum reddidit? dicam; mulier quaedam. Et si petas, quis materno affectu peccatoribus subvenit, et in necessitatibus, tum animae, tum corporis constitutis opitulatur? dicam; mulier quaedam: ac tandem si a me postules, quis nos peccatores cum Christo reconciliat? dicam; mulier quaedam, quae simul est mater, et virgo: mater inquam Dei, et hominum: per eius intercessionem iustificamur, et in adoptionem filiorum Dei suscipimur.

§. X.

A LITERARUM PERITIA, ELOQUENTIA, ET ERUDITIONE FOEMINAE COMMENDANTUR.

Ad extremum illud satis mirabile foeminarum praeconium in medium proferam, quod illarum praeexcellens eruditio, insignis eloquentia, et multiplicis literaturae studium valde sit commendabile. Nonnulli parum in historiarum lectione versati, falso autumarunt, non extitisse, nec nunc existere foeminas scientiis, et artibus conspicuas: id enim ipsis impossibilitatem quandam redolere videtur; unde commentantur, Iovem maribus tantum ingenium, ac intellectum tribuisse, eoque mulieres, licet eiusdem naturae, et speciei, privasse. Verum si illae eadem anima rationali, qua homo, constant, et persaepe etiam nobiliori; non video, quare easdem artes, et scientias, ad quas homines incumbunt, ipsae perfectius addiscere non possint: quod ut clarius pateat, ad exempla me conferam, inter quae primam recensebo Amphiclaeam, quam Porphyrius (*in vita Plotini*) valde celebrat, asserens, ipsam, Plotino magistro, miros in philosophia progressus fecisse. Scribit quoque Dicearchus, duas ditissimas mulieres divitias reliquisse, quo melius Platonis doctrinam sequerentur. Nicaula, Ægypti regina, doctissima erat; nihilominus tamen, ut certa redderetur de nonnullis rebus difficillimis, et obscuris, regem Salomonem consulto adiit, adeo desiderium percipiendi secreta ipsius animum occupaverat. Baptista dignissima ducis Urbini coniux valde excellens evasit in orationibus, et epistolis scribendis. Romam se contulit, ubi non sine uniuscuiusque admiratione, et stupore orationem habuit coram summo Pontifice Pio Secundo. Haec iudicio, quo pollebat, magno, multis annis summa laude statum illum rexit, et gubernavit. Verum quid dicemus de Aspasia, quae adeo in philosophiae studiis profecit, ut digna ab omnibus merito censeretur, quae magnum Periclem instrueret, et doceret: qui quidem dum loquebatur, fulgura, atque tonitrua emittebat. Quid de Assyotea adiiciemus, quae ab Apuleio, et Plutarcho (*in lib. dogm. Plat.*) miris encomiis effertur? haec praeceptorem habuit ipsum Platonem, et magnopere profecit in studiis philosophicis: quare digne recensetur inter mulieres illustres, et magnificas. At ubi missam facimus Cleobelinam? quae fuit filia unius ex septem Graeciae sapientibus, et a Suida, ab Athenaeo, et nonnullis aliis magni nominis auctoribus summopere laudatur ab operibus insignibus, quae scripta reliquit? Ubi Bersanem Alexandri Macedonis uxorem, quae hymnos pulcherrimos in Neptuni laudem composuit? ubi Corneliam Africani coniugem, et Gracchorum matrem, quae epistolas singulari doctrina refertas edidit? Unde Quintilianus inquit: *Nam Gracchorum eloquentiae multum contulisse accepimus Corneliam matrem, cuius doctissimus sermo in posteros quoque est epistolis traditus.* Leontia adolescentula e Graecia originem ducens in philosophicis disciplinis valde claruit; nec fuit verita contra Theophrastum eximium philosophum literis invehere, quae res magnam sibi laudem apud omnes conciliavit. Doctissima fuit Daphne filia Tirescial, quae libros complures carmine exaravit, quibus, ut affirmat Diodorus Siculus, Homerus in perdocto suo poemate usus est. Dimones Pithagorae filia adeo in arte philosophica profecit, ut a proprio parente nonnulla commentaria sibi fuerint dicata, et post parentis mortem lectoris in schola munus palam exercuit.

Doctissima in arte poetica Demophila evasit, scripsit nonnulla poemata amatoria, et nonnulla alia in laudem castae Dianae. Nec silentii tegmine obvolvi patiar Femonoem; quae adeo fuit illustris, et clara literis, ut Eusebium Caesariensem, Lucanum, Statium, Plinium, Strabonem, et alios ipsius meminisse meruerit; praeterquam quod Antistenes ait, ab ipsa proverbium illud velut eius auctrice emanasse: *Nosce te ipsum.* Zenobia Palmirenorum regina, ut scribit Pollius Trebollius, linguas omnes, quamvis arduas, et difficiles suo subtilissimo ingenio possedit, et rerum Alexandrinarum historias compendiose narravit. Hildega Germana mulier nonne quatuor libros rerum naturalium perdocte composuit? Helena Flavia Augusta Coelii Britannorum regis filia, an non scripsit librum de divina providentia; nec non alium de animae immortalitate, et alios multos, quos brevitati consulens praetermitto? Nec sub silentio praetereundam reor Aganicem, quam Plutarchus (*in lib. matrim. praecept.*) valde celebrat, quod scientiae astronomicae limpidam habuerit cognitionem. Sed quorsum Delbora, cuius peritia in sacris paginis tanta fuit? quorsum Catharina uxor Henrici Octavi Angliae regis, quae opus meditationum super Psalmos pie aeque ac docte edidit? Anita digne quidem memoranda venit, quae, ut tradit Tutian. (*in l. cont. gent.*) praeclarissima poemata scripta reliquit. Aretaphilae mentionem facere non pigebit, quam ob suam eloquentiam Nicostratus tyrannus matrimonio sibi copulavit: necnon Etinae Teiae, cuius carmina dulcedine, et maiestate tanta illita esse noscebantur, ut tredecim annos nata, si Plinio, Stobaeo, et Eusebio credimus, magnum Homerum aequare videretur. Theana excellentissima in versibus lyricis fuit iudicata. Altera Theana Metapontina, seu Cresea extitit, quae praeter insignia poemata, quae composuit, commentarium de vi, et utilitate scientiae philosophicae eleganter edidit. Hipatia Alexandrina Isidori philosophi uxor, astronomiae nonnulla commentaria composuit. Heptachia magni Geometrae Theonis filia adeo in philosophia claruit, ut Plotino successerit, et in gymnasio, et cathedra eisdem publice legerit, et ut scribit Suidas, astronomicam scientiam percalluit, ac multas alias scientias palam professa est, suisque lectionibus magna semper discipulorum copia libenter intererat. Iambes nonne fuit auctrix versus, qui vocatur Iambicus? Diotima philosophicarum disciplinarum notitia adeo pollebat, ut Socrates magistram eam nuncupare non dubitaverit, imo, ut ait Plat. (*in simpl.*), lectiones suas doctas continuo auscultabat Laura Veronens. Nicolai filia mirabilia scripta, ac gesta reliquit, versus Saphicos composuit, epistolas, et orationes graeco, atque latino idiomate scripsit. Sapho Lesbia, facultatis poeticae gloria, quare reticetur? quae Alcaei, et Stesichoris poetarum tempestate floruit: haec undecim libros metro lyrico composuit, praeter alia epigrammata, elegias, et iambos, auctrixque fuit versus Saphici, qui ab ipsa nomen mutuavit, adeoque dulciter, et sapienter cecinit, ut sicut illa gens delirabat, coelos in admirationem adduceret. Unde ipsi merito quadrare videntur Fabii Paulini lectoris publici in Venetorum dominio subiecta meditationum carmina, quae de Christi cruciatibus inscribuntur:

Copia Nestorii cui cedat gloria mellis,
Cedat, et ipse Pater Linus, concedat, et Orpheus,
Et qui Thebanas cantando condidit arces,
Parva loquor: coeli hunc, et sydera saepe loquentem.
Obstupuere, suum mira dulcedine captus
Sol tenuit cursum, tenuerunt flumina venti.
Nec vaga praeclipites agitarunt flumina cursus.
Saepius immotis volucris super aere pennis
Substitit.

Verum quid dicemus in laudem Trivultiae pedissequae ingenii, et memoriae dotibus ornatissimae, quae ceu naturae prodigium ab omnibus suspiciebatur. Haec orationes latino idiomate a se scriptas coram summis Pontificibus multoties recitavit: Graecis literis erat imbuta, cumque orationi ab aliquo recitatae adesset, quamvis semel, totam de verbo ad verbum percipiebat; et semel, aut iterum librum aliquem pervolvens, totum memoriae feliciter mandabat. Margarita regis Galliae soror, uxor Regis Navarrae in sacris literis versatissima fuit. Martha Proba Britannorum regina in omnibus artibus liberalibus peritissima evasit. Pynthe scripsit librum de temperantia foeminarum. Polla Argentaria Lucani uxor omnes professionis aetatis suae superabat in componendis carminibus, et coeptos a marito versus eleganter absolvit. Themistoclea, ut Aristoxenes scribit, fratrem suum Pythagoram res multas ingeniosissimas docuit. Theselides Argiva mulier poetica facultate valde clara extitit. Cassandra Fidelis doctissima erat, publicam Patavii disceptationem habuit, perdoctumque librum de scientiarum ordine edidit, atque pulcherrimos versus lyricos composuit. Sosipatra fuit divinatrix, multisque scientiis praedita, unde homines sibi persuadebant, ipsam ab aliquo Deorum doctrina fuisse donatam. Prasilla in epigrammatibus componendis multis praecelluit, ut varii scriptores, mentionem ipsius honestam facientes, luculenter testantur. Praxilla Scitionis poetissa fuit, quae in suis carminibus Adonidem introducit de eo, quod in mundo pulchrum, et dignum reliquisset, interrogatum: qui respondit, se reliquisse solem, cucumeros, et poma. Solaris astri meminit, non quia pulchrum sibi videbatur, sed quia fervido suo calore poma, et cucumeros maturabat. Corina Thebana in arte poetica Pindarum lyricorum carminum principem superavit. Extitit et alia Corinna, quae Ovidii tempore magna poetissa fuit habita. Cornificiae non meminisse minime patiar, quae epigrammata summa eruditione referta, aliaque pulcherrima opera edidit. Neque Lastrenam Mantineam reticebo; nec Ariotheam Flisiam, quae hominis vestibus indutae, ut Plutarchus scribit, Platonem sequebantur, cuius lectiones nunquam praetermittebant. Thargelia, ut in vita Periclis idemmet auctor meminit, doctrina philosophica summopere splenduit.

UNIVERSIDAD DE NAVARRA DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

His adnectere visum est Isottam Novarolam Veronensem, quae scientiis philosophicis ornata erat, philosophicamque vitam agens, paucis contentabatur. Nicolao, ac Pio summis Pontificibus literas misit, perpetuamque virginitatem servavit. Cassandra Priami filia, doctrina illustris, vaticinio valde clara extitit. Nec silentio praetereunda est Claudia Statii Papini uxor, quae ob scientias, quibus abundabat, suae aetati admirationi fuit: neque Istrina Scythiae Regina, quae ut erat Graecae linguae peritissima, ut scribit Herodotus, Silem filium suum instruxit; neque Myrthe Autedonia, quae Pindari poetae celeberrimi magistra fuit. Sed neque Rossuita Sassoniae monacha, quae complures libros mensa, et soluta oratione scriptos reliquit. Hydria foemina erat ingenii adeo perspicacis, ut Hercules illi repugnare, nec suis dictis, acceleratisque responsionibus haudquaquam contradicere unquam auderet. Unde divinus Plato (*in quod. suo dialog.*) illam alte concelebrat. Constantia Alexandri Sfortiae coniux inter claras foeminas merito recenseatur: haec, cum adhuc puerula esset, bonis studiis operam sedulo navavit, nempe philosophiae, et arti poeticae, unde celebris, atque insignis a Politiano praedicta est. Minerva Iovis filia nullo alio nomine in Deorum catalogum a poetis adscribitur, nisi ob probas artes, quarum ipsa fuit inventrix: quare doctrina sua appellata fuit sapientiae, scientiae, prudentiae, studii, maturitatis, iudicii, legis, omniumque virtutum veneranda Dea; atque idcirco Athenarum urbs, studiorum mater ab ipsa nomen accepit: Athene namque Minervam significat. Novem musae nil aliud sunt, quam, ut ait Diodorus Siculus, adolescentiae novem, omni bonarum disciplinarum genere, et praesertim canendi arte ornatissimae. Clio satyrarum inventrix fuit. Euterpe tibias adinvenit. Thalia comoediarum Dea dicitur. Melpomene tragoedias usurpavit. Polymnia gestis bellicis praeest, Rhethoricaeque auctrix fuit. Erato geometriae fuit inventrix. Tersichore Dea est poematum. Calliopes epistolarum adinventrix.

Clemens Alexandrinus scribit Arthemisiam quandam fuisse adeo in dialectica scientia versatam, ut dialectica nominaretur; et Amalasventa regina Graecis literis satis erudita fuit. Clemens, atque Didymus ambo Alexandrini, Anassandram, quod pingendi artem optime calleret, laudibus extollunt. Denique alias multas memorare possem, nempe Lauram Terracinam poetica facultate clarissimam, nec non Ginevram Veronensem, quae in scribendis epistolis aequalem neminem habuit; ac demum Mantem Tiresiae filiam, aliasque complures, quas ne longius, quam par est, sermo protrahatur, consulto reticere consentaneum duco. Lucretiam tantum Marinellam Venetam apponens, quae librum scripsit de nobilitate, et excellentia foeminarum valde conspicuum, quem dum haec Romae scriberemus, libenti ac iucundo animo perlegimus.

Accedit his Birgitta sancta, quae nobilem librum suarum revelationum nobis scriptum reliquit; sancta Catharina Senensis, cuius epistolae, ac dialoghi acumen ingenii, quo pollebat, aperte insinuant, haec praeterea coram Gregorio XI. atque Urbano VI. summis Pontificibus facunde ultra, quam dici possit, peroravit. D. Hieronymus (*in suis epist.*), Eustochium, et Fabiolam valde laudat a limpida cognitione, quam sacrarum literarum ipsae habebant. Anastagia s. Ioannis Chrysostomi discipula multas literas admiratione dignas scripsit. Hilda Herenica pias multas meditationes scriptas reliquit, librumque contra Agylbertum Parisiensem Sassonum antistitem praelo mandavit. Hyldegardes virgo urbis Moguntiae multos libros in lucem edidit; quare divus Bernardus, tunc superstes, multas epistolas ad ipsam misit. Catharina Costi Alexandriae regis filia disputationem cum philosophis disertissimis inivit, qui illam idololatriae adhaerere impellebant; illos tamen nervosissimis rationibus christianae fidei capaces reddens, ad sua vota facile traxit: quod quidem Dei patrocinio innixa praestitit, quia philosophicis disciplinis, quibus, ut tradit Marcus Philippus cognomento Funestus, in vita ipsius, a teneris, ut Graeci aiunt, unguiculis diligenter incubuit, valde instructa erat.

Ioannam Germanam praeterire nullo modo possum, quae in sacrarum literarum perfitia adeo profecerat, ut Romae nullus esset, qui eam aequare valeret. Sibyllae foeminae fuerunt omnes doctissimae, atque spiritu prophetico ditatae; Sibyllinos libros, magno in pretio, ac reverentia habitos, perdocte scripserunt. Prima istarum adeo dicitur Persica, quia in Perside nata fuit, de hac Nicanores ille, qui Alexandri Magni historias contexuit, mentionem facit. Secunda Lybiae orta, dicta est Lybica. Haec ab Euripide multum celebratur. Tertia a Delpho originem trahens, Delphica nuncupatur. Quarta Cumae in Italia nata, Cumana dicitur. Quinta Erytraea fuit, quae Troiae incendium multo ante praedixerat, et Apollodorus, quod Erytres in sua patria nata fuerit, apprime se iactat. Sexta a Samo descendens, Samia est appellata. Nonnullique contendunt, hanc Romuli temporibus vixisse. Septima Amalthea dicitur. Octava Hellespontica, quae sub Traiani regimine Cyri temporibus nata est, huius Heraclitus Pontiens meminit. Nona fuit Phrygia. Decima Tiburtina nuncupata. Tiburis nata est: quae foeminae, ut Lactantius affirmat, multa digna prophetarunt.

HOMILIA III.

Evangelicae illius mulieris in laudem Christi, et beatae Virginis, dicentis: Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae suxisti: *praeconia multa apponuntur, quibus mira eius religio, fortitudo, et sanctitas cum singulari prudentia coniuncta, innotescit, in illa verba:* Quaedam mulier de turba dixit: Beatus venter, qui te portavit.

Haeretici antiqui serpentis legitimi partus, inter quem, et Deiparam, et semen illius, et semen Virginis olim Deus vaticinatus est futura iniestina odia (*Gen.* 3): *Inimicitias ponam inter te, et mulierem, et semen tuum, et semen illius*, impatienter ferentes, Evangelicam hanc mulierem, quam Marcellam fuisse b. Marthae pedissequam, non pauci doctores cum nostro Lyrano (*in cap.* 10. *Luc.*) asseruere, in ea verba laudis tam matris, quam prolis prorupisse: *Beatus venter, qui te portavit:* multis conviciis illam prosequuntur; quanto tamen acrius in illam ii haeretici invehuntur, tanto nos impensius ab eorum calumniis illam vindicare, divino numine auspice, curabimus. Et quidem, omissis opprobriis, quae falsi illi, ac importuni criminatores, Brentius (*hom.* 101. *in Luc.*), Sarcerius (*in cap.* 11. *Luc.*), Lutherus (*in post. maior. circ. Dom. tert. Quadr.*), certe Lambertus (*in comm. hui. loc.*) mitius, quam reliqui se gerens, impudenter dixit, mulierem hanc, non spiritu Dei motam, sed carnis affectu agitatam, verba illa enunciasse: *Affectu*, inquit, *carnis haec protulisse videtur, quemadmodum et moris est foeminarum, eas felices praedicare, quae filios ceteris honoratiores genuerunt.* Unde et Calvinus (*in harm. sua Evang.*) miratur, quod verbis istis huius foeminae: *Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae suxisti*, in laudem Christi, et matris utamur, cum ipse ea refellerit: verba eius sunt haec: *Mirus papatus stupor, quod in Mariae honorem cantilent haec verba, quibus tam diserte refellitur eorum superstitio: in agendis vero gratiis mulierculae vocem decerpunt, omissa correctione*: vocat correctionem verba illa Christi Domini: *Beati, qui audiunt verbum Dei;* quibus perperam autumant, voluisse Christum Dominum insipientem illius mulieris loquelam taxare, et corrigere; sed frustra sane perfidi hi omnes splendorem huius mulieris obscurare satagunt; quae verbis suis, audeo dicere, non solum Christum, et Virginem illustravit, sed totam Ecclesiam illuminavit. Bone Deus, quot caliginosas haeresum tenebras fulgentissima horum verborum face depulit? Quidam temere effutierunt, Verbum divinum veram carnem non assumpsisse, sed apparentem; alii veram carnem, sed non ex matre desumptam; alii coeleste corpus habuisse; alii, ingenue fatentes humanam carnem assumpsisse, negabant, id factum fuisse, integra matris virginitate permanente: alii cantus in laudem Dei damnabant: alii Christi sanctitatem calumniati sunt: hos omnes errores sapienter paucis illis verbis: *Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae suxisti*, mulier haec confutavit. Et, ut ab hoc ultimo exordiar, sapienter, et luculenter quidem mulier haec conceptionem Christi, ac nativitatem commendat: nam si beatus est venter, qui Christum portavit, consequens est, ventrem illum non portasse peccatorem: quomodo enim beatus esset venter, qui filium in peccato concepisset? Sanctus igitur fuit Christus a sua conceptione.

Praeterea, si beata ubera, quae lactaverunt Christum, eadem de causa non lactaverunt infantem peccatorem, sed sanctum. Sancta ergo fuit eius nativitas. Observo etiam, quod ut Christi sanctitatem manifestaret, omnino opposita, et contraria calumniatoribus protulit verba: quum enim illi daemoniacum, blasphemantes dicebant, haec non solum cum daemonia eiciebat, sed ab ipsa conceptione, et nativitate sanctum proclamat, adeo ut sua sanctitate matrem suam efficeret beatam, quae talem, ac tantum filium peperierat. Deinde beatam Virginem Christum concepisse absque viri opera, atque adeo salva virginitate, non obscure mihi indicasse videtur, dum non commendavit virum, sed matrem eius. Hac enim ratione significabat non habuisse patrem, sed matrem solam. Tertullianus (*in lib. de carn. Christ. et lib.* 4. *contr. Marcion.*), ex verbis huius mulieris probat Christum verum habuisse corpus, quod Marcion iste negabat: quandoquidem venter illum concepit, et portavit, et ubera eumdem lactaverunt. Beda etiam ex iisdem verbis (*lib.* 4. *sup. Luc. cap.* 49) probat contra haereticos Apollinaristas, qui Christum per Mariam, tanquam per canalem transiisse dicebant, carnemque non ex illa, sed ex coelo traxisse, beatam Virginem vere Christi matrem esse: verba eius sunt haec: *Magnae devotionis, et fidei haec mulier ostenditur, quae Scribis et Pharisaeis Dominum tentantibus, simul et blasphemantibus, tanta eius Incarnationem prae omnibus sincerilate cognoscit, tanta fiducia confitetur, ut et praesentium procerum calumniam, et futurorum confundat haereticorum perfidiam: nam sicut tunc Iudaei, sancti Spiritus opera blasphemando, verum, consubstantialemque Patri, Dei Filium negabant, sic Haeretici postea negando Mariam semper Virginem, sancti Spiritus obumbrante virtute, nasciturò ex humanis membris unigenito Dei, carnis materiam ministrasse, verum, consubstantialemque matri filium hominis fateri non debere dixerunt: sed si caro Verbi Dei, secundum carnem nascentis a carne Virginis matris pronunciatur extranea, sine causa venter, qui eam portasset, et ubera, quae lactassent, beatificarentur*: nec tantum Elvidianos, Valentinianos, Apollinares, et ceteros confundit haec mulier, qui Christum e Virgine carnem non assumpsisse, sed illatam e coelo, per eam transegisse dicebant; sed et eos subvertit, qui laudibus eius, et beatitudini obtrectant. An non sic accedit ad Canticum beatae Virginis, dicentis: *Beatam me dicent omnes generationes*, cum beatum illum ventrem praedicat? Ecce er-

His adnectere visum est Isottam Novarolam Veronensem, quae scientiis philosophicis ornata erat, philosophicamque vitam agens, paucis contentabatur. Nicolao, ac Pio summis Pontificibus literas misit, perpetuamque virginitatem servavit. Cassandra Priami filia, doctrina illustris, vaticinio valde clara extitit. Nec silentio praetereunda est Claudia Statii Papini uxor, quae ob scientias, quibus abundabat, suae aetati admirationi fuit: neque Istrina Scythiae Regina, quae ut erat Graecae linguae peritissima, ut scribit Herodotus, Silem filium suum instruxit; neque Myrthe Autedonia, quae Pindari poetae celeberrimi magistra fuit. Sed neque Rossuita Sassoniae monacha, quae complures libros mensa, et soluta oratione scriptos reliquit. Hydria foemina erat ingenii adeo perspicacis, ut Hercules illi repugnare, nec suis dictis, acceleratisque responsionibus haudquaquam contradicere unquam auderet. Unde divinus Plato (*in quod. suo dialog.*) illam alte concelebrat. Constantia Alexandri Sfortiae coniux inter claras foeminas merito recenseatur: haec, cum adhuc puerula esset, bonis studiis operam sedulo navavit, nempe philosophiae, et arti poeticae, unde celebris, atque insignis a Politiano praedicta est. Minerva Iovis filia nullo alio nomine in Deorum catalogum a poetis adscribitur, nisi ob probas artes, quarum ipsa fuit inventrix: quare doctrina sua appellata fuit sapientiae, scientiae, prudentiae, studii, maturitatis, iudicii, legis, omniumque virtutum veneranda Dea; atque idcirco Athenarum urbs, studiorum mater ab ipsa nomen accepit: Athene namque Minervam significat. Novem musae nil aliud sunt, quam, ut ait Diodorus Siculus, adolescentiae novem, omni bonarum disciplinarum genere, et praesertim canendi arte ornatissimae. Clio satyrarum inventrix fuit. Euterpe tibias adinvenit. Thalia comoediarum Dea dicitur. Melpomene tragoedias usurpavit. Polymnia gestis bellicis praeest, Rhethoricaeque auctrix fuit. Erato geometriae fuit inventrix. Tersichore Dea est poematum. Calliopes epistolarum adinventrix.

Clemens Alexandrinus scribit Arthemisiam quandam fuisse adeo in dialectica scientia versatam, ut dialectica nominaretur; et Amalasventa regina Graecis literis satis erudita fuit. Clemens, atque Didymus ambo Alexandrini, Anassandram, quod pingendi artem optime calleret, laudibus extollunt. Denique alias multas memorare possem, nempe Lauram Terracinam poetica facultate clarissimam, nec non Ginevram Veronensem, quae in scribendis epistolis aequalem neminem habuit; ac demum Mantem Tiresiae filiam, aliasque complures, quas ne longius, quam par est, sermo protrahatur, consulto reticere consentaneum duco. Lucretiam tantum Marinellam Venetam apponens, quae librum scripsit de nobilitate, et excellentia foeminarum valde conspicuum, quem dum haec Romae scriberemus, libenti ac iucundo animo perlegimus.

Accedit his Birgitta sancta, quae nobilem librum suarum revelationum nobis scriptum reliquit; sancta Catharina Senensis, cuius epistolae, ac dialoghi acumen ingenii, quo pollebat, aperte insinuant, haec praeterea coram Gregorio XI. atque Urbano VI. summis Pontificibus facunde ultra, quam dici possit, peroravit. D. Hieronymus (*in suis epist.*), Eustochium, et Fabiolam valde laudat a limpida cognitione, quam sacrarum literarum ipsae habebant. Anastagia s. Ioannis Chrysostomi discipula multas literas admiratione dignas scripsit. Hilda Herenica pias multas meditationes scriptas reliquit, librumque contra Agylbertum Parisiensem Sassonum antistitem praelo mandavit. Hyldegardes virgo urbis Moguntiae multos libros in lucem edidit; quare divus Bernardus, tunc superstes, multas epistolas ad ipsam misit. Catharina Costi Alexandriae regis filia disputationem cum philosophis disertissimis inivit, qui illam idololatriae adhaerere impellebant; illos tamen nervosissimis rationibus christianae fidei capaces reddens, ad sua vota facile traxit: quod quidem Dei patrocinio innixa praestitit, quia philosophicis disciplinis, quibus, ut tradit Marcus Philippus cognomento Funestus, in vita ipsius, a teneris, ut Graeci aiunt, unguiculis diligenter incubuit, valde instructa erat.

Ioannam Germanam praeterire nullo modo possum, quae in sacrarum literarum perfitia adeo profecerat, ut Romae nullus esset, qui eam aequare valeret. Sibyllae foeminae fuerunt omnes doctissimae, atque spiritu prophetico ditatae; Sibyllinos libros, magno in pretio, ac reverentia habitos, perdocte scripserunt. Prima istarum adeo dicitur Persica, quia in Perside nata fuit, de hac Nicanores ille, qui Alexandri Magni historias contexuit, mentionem facit. Secunda Lybiae orta, dicta est Lybica. Haec ab Euripide multum celebratur. Tertia a Delpho originem trahens, Delphica nuncupatur. Quarta Cumae in Italia nata, Cumana dicitur. Quinta Erytraea fuit, quae Troiae incendium multo ante praedixerat, et Apollodorus, quod Erytres in sua patria nata fuerit, apprime se iactat. Sexta a Samo descendens, Samia est appellata. Nonnullique contendunt, hanc Romuli temporibus vixisse. Septima Amalthea dicitur. Octava Hellespontica, quae sub Traiani regimine Cyri temporibus nata est, huius Heraclitus Pontiens meminit. Nona fuit Phrygia. Decima Tiburtina nuncupata. Tiburis nata est: quae foeminae, ut Lactantius affirmat, multa digna prophetarunt.

HOMILIA III.

Evangelicae illius mulieris in laudem Christi, et beatae Virginis, dicentis: Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae suxisti: *praeconia multa apponuntur, quibus mira eius religio, fortitudo, et sanctitas cum singulari prudentia coniuncta, innotescit, in illa verba:* Quaedam mulier de turba dixit: Beatus venter, qui te portavit.

Haeretici antiqui serpentis legitimi partus, inter quem, et Deiparam, et semen illius, et semen Virginis olim Deus vaticinatus est futura iniestina odia (*Gen.* 3): *Inimicitias ponam inter te, et mulierem, et semen tuum, et semen illius*, impatienter ferentes, Evangelicam hanc mulierem, quam Marcellam fuisse b. Marthae pedissequam, non pauci doctores cum nostro Lyrano (*in cap.* 10. *Luc.*) asseruere, in ea verba laudis tam matris, quam prolis prorupisse: *Beatus venter, qui te portavit:* multis conviciis illam prosequuntur; quanto tamen acrius in illam ii haeretici invehuntur, tanto nos impensius ab eorum calumniis illam vindicare, divino numine auspice, curabimus. Et quidem, omissis opprobriis, quae falsi illi, ac importuni criminatores, Brentius (*hom.* 101. *in Luc.*), Sarcerius (*in cap.* 11. *Luc.*), Lutherus (*in post. maior. circ. Dom. tert. Quadr.*), certe Lambertus (*in comm. hui. loc.*) mitius, quam reliqui se gerens, impudenter dixit, mulierem hanc, non spiritu Dei motam, sed carnis affectu agitatam, verba illa enunciasse: *Affectu*, inquit, *carnis haec protulisse videtur, quemadmodum et moris est foeminarum, eas felices praedicare, quae filios ceteris honoratiores genuerunt.* Unde et Calvinus (*in harm. sua Evang.*) miratur, quod verbis istis huius foeminae: *Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae suxisti*, in laudem Christi, et matris utamur, cum ipse ea refellerit: verba eius sunt haec: *Mirus papatus stupor, quod in Mariae honorem cantilent haec verba, quibus tam diserte refellitur eorum superstitio: in agendis vero gratiis mulierculae vocem decerpunt, omissa correctione*: vocat correctionem verba illa Christi Domini: *Beati, qui audiunt verbum Dei;* quibus perperam autumant, voluisse Christum Dominum insipientem illius mulieris loquelam taxare, et corrigere; sed frustra sane perfidi hi omnes splendorem huius mulieris obscurare satagunt; quae verbis suis, audeo dicere, non solum Christum, et Virginem illustravit, sed totam Ecclesiam illuminavit. Bone Deus, quot caliginosas haeresum tenebras fulgentissima horum verborum face depulit? Quidam temere effutierunt, Verbum divinum veram carnem non assumpsisse, sed apparentem; alii veram carnem, sed non ex matre desumptam; alii coeleste corpus habuisse; alii, ingenue fatentes humanam carnem assumpsisse, negabant, id factum fuisse, integra matris virginitate permanente: alii cantus in laudem Dei damnabant: alii Christi sanctitatem calumniati sunt: hos omnes errores sapienter paucis illis verbis: *Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae suxisti*, mulier haec confutavit. Et, ut ab hoc ultimo exordiar, sapienter, et luculenter quidem mulier haec conceptionem Christi, ac nativitatem commendat: nam si beatus est venter, qui Christum portavit, consequens est, ventrem illum non portasse peccatorem: quomodo enim beatus esset venter, qui filium in peccato concepisset? Sanctus igitur fuit Christus a sua conceptione.

Praeterea, si beata ubera, quae lactaverunt Christum, eadem de causa non lactaverunt infantem peccatorem, sed sanctum. Sancta ergo fuit eius nativitas. Observo etiam, quod ut Christi sanctitatem manifestaret, omnino opposita, et contraria calumniatoribus protulit verba: quum enim illi daemoniacum, blasphemantes dicebant, haec non solum cum daemonia eiciebat, sed ab ipsa conceptione, et nativitate sanctum proclamat, adeo ut sua sanctitate matrem suam efficeret beatam, quae talem, ac tantum filium peperierat. Deinde beatam Virginem Christum concepisse absque viri opera, atque adeo salva virginitate, non obscure mihi indicasse videtur, dum non commendavit virum, sed matrem eius. Hac enim ratione significabat non habuisse patrem, sed matrem solam. Tertullianus (*in lib. de carn. Christ. et lib.* 4. *contr. Marcion.*), ex verbis huius mulieris probat Christum verum habuisse corpus, quod Marcion iste negabat: quandoquidem venter illum concepit, et portavit, et ubera eumdem lactaverunt. Beda etiam ex iisdem verbis (*lib.* 4. *sup. Luc. cap.* 49) probat contra haereticos Apollinaristas, qui Christum per Mariam, tanquam per canalem transiisse dicebant, carnemque non ex illa, sed ex coelo traxisse, beatam Virginem vere Christi matrem esse: verba eius sunt haec: *Magnae devotionis, et fidei haec mulier ostenditur, quae Scribis et Pharisaeis Dominum tentantibus, simul et blasphemantibus, tanta eius Incarnationem prae omnibus sincerilate cognoscit, tanta fiducia confitetur, ut et praesentium procerum calumniam, et futurorum confundat haereticorum perfidiam: nam sicut tunc Iudaei, sancti Spiritus opera blasphemando, verum, consubstantialemque Patri, Dei Filium negabant, sic Haeretici postea negando Mariam semper Virginem, sancti Spiritus obumbrante virtute, nasciturò ex humanis membris unigenito Dei, carnis materiam ministrasse, verum, consubstantialemque matri filium hominis fateri non debere dixerunt: sed si caro Verbi Dei, secundum carnem nascentis a carne Virginis matris pronunciatur extranea, sine causa venter, qui eam portasset, et ubera, quae lactassent, beatificarentur*: nec tantum Elvidianos, Valentinianos, Apollinares, et ceteros confundit haec mulier, qui Christum e Virgine carnem non assumpsisse, sed illatam e coelo, per eam transegisse dicebant; sed et eos subvertit, qui laudibus eius, et beatitudini obtrectant. An non sic accedit ad Canticum beatae Virginis, dicentis: *Beatam me dicent omnes generationes*, cum beatum illum ventrem praedicat? Ecce er-

go fidei sinceritatem, et religionem huius evangelicae mulieris, dum simul tot haereses extirpat, et divinas laudes filio, et matri audacter, et intrepide decantat.

O beata Mulier, quae laudare coepisti Mariam implens, quod ipsa futurum praedixerat: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes:* idest ex hoc tempore, quo utero meo Filium Dei concepi. Laudavit quidem Gabriel Mariam, sed in penetralibus. Laudaverat Elisabeth, sed in propria domo, ubi neminem timere poterat; in vero perfecta in charitate, foras misso timore, coram omnibus, etiam coram inimicis, ac hostibus acerrimis, Christum, et Mariam laudas cum maximo vitae discrimine; et quod postea apostoli, et martyres praestitere, laudantes Christum, et eius Matrem coram inimicis, tu nunc praestas, et ducem te eis praebes, atque magistram; mulier videbaris infirma, sed certe virago es, et typum geris Ecclesiae, quae a te edocta, publice Christum, et Mariam confitetur: tu capita haeresum amputas, quoniam eam dicens matrem Christum verum hominem ostendis; et beatam nuncupans, filium Deum dicis; de beata Maria autem omnia dixisti, cum Dei matrem eam appellasti.

At multi e contra, proh dolor, erubescunt opera propria christiani palam exercere, instar Nicodemi, qui nocte quaerebat Christum, non in die, cum videri poterat: persimiles isti sunt Gedeon, qui, Deo illi praecipiente, ut aram Baal penitus demoliretur, timore perterritus, noluit id in die, sed noctis tempore executioni mandare, sic enim ait sacer textus: *Timens domum patris sui, et homines illius civitatis, per diem noluit id facere, sed nocte omnia complevit:* et (*4. Reg. 5*), postquam Naaman Syrus curatus fuerat ab Helisaeo, confessusque fuerat, non alium verum esse Deum, nisi Deum Israel; ne tamen Regi suo infensus esset, postulavit a Propheta facultatem, ut simul cum Rege, templum ingrediens, posset alterum genu flectere illius idolo. Christus Dominus (*Luc. 9*): *Qui erubuerit me, et sermones meos, hunc filius hominis erubescet.* Divus Anselmus (*super cap. 10. epist. ad Rom.*) docet, meminisse debere Christianos, quod, quando Christi militiae nomen dederunt, crucis signum in fronte suscepere, quae locus est, et sedes verecundiae, ut monerentur, nullatenus verecundari debere, publice profiteri, verbo, et opere se christianos esse. Quae omnia mirifice confirmant verba Seraphici nostri doctoris s. Bonaventurae (*in cap. 11. Luc.*), quae, quia pietate pariter et eruditione plena sunt, hoc loco apponenda censui; sic enim loquitur: *Duplex notatur conditio in persona laudante, scilicet virilitas, et modicitas; virilitas notatur in hoc, quod vocem extollebat secundum illud: Exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Hierusalem, exalta, noli timere. Modicitas in hoc, quod quaedam mulier non nominata, nec nobilis, sed de turba, ut impleretur illud: Pauper, et inops laudabunt nomen tuum; ex quo apparet, quod laudator divini nominis non debet esse timidus, ut laudare non audeat, nec timidus, ut laudare erubescat, sed virilis et humilis. Unde, cum quidam ex timore tacerent, quidam blasphemarent ex superbia, et tumore; haec mulier humilis, et virilis, nec tacuit cum timidis, nec vituperavit cum blasphemis. Unde in Glossa: Magna fiducia inter blasphemos confitetur Dei filium, ideo poterant sibi dicere illud: O mulier, magna est fides tua, quae scilicet tantum se fortificavit, cum dicatur: Mulierem fortem quis inveniet? in te verificatum est illud: Fundamenta aeterna supra petram solidam, sic mandata Dei in corde mulieris sanctae;* hactenus d. Bonaventura.

Sed perge iam magnanimitatem, et fortitudinem huius percelebris mulieris manifestare. Ut haec clarius innotescat, praesupponere oportet, quod, cum alioquin Christus Dominus tot portentosa miracula in conspectu Pharisaeorum patrasset, praesertim tamen, quod coecum, surdum, et mutum a daemone obsessum sanasset, visum, auditum, et loquelam ei conferens, maligunque spiritu eum eripiens; blasphemiae nihilominus varia iacula Pharisaei in eum conijciebant, dicentes (*Luc. 11*): *In Beelzebub principe daemoniorum eiicis daemonia;* ut merito Christus Dominus dicere potuisset illud (*Psal. 117*): *Circumdederunt me sicut apes, et exarserunt sicut ignis in spinis.* Christo tamen eorum cavillum evidenti illo argumento retundente (*Luc. 11*): *Si satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum eius, quia dicitis: In Beelzebub eiicere me daemonia?* Certe tunc, sicut olim Deus suscitavit spiritum Danielis pro Susanna contra iniquos seniores populi, suscitavit et spiritum Evangelicae huius mulieris contra Pharisaeos ad defensionem Christi, clara voce dicentis (*Luc. 11*): *Beatus venter, qui te portavit, et ubera quae suxisti.* Advertit tamen Evangelista, ut id obiter dicam, mulierem hanc haec verba protulisse, cum Christus a calumnia sibi imposita se longe abesse ostendebat: *Cum haec diceret:* quod divina eius providentia factum arbitror, ut ad rem illam, de qua agebat, confirmandam, confessio huius mulieris magis faceret; et quia cum ipse praedixisset, a regina Saba, et a Ninivitis iudicandos esse Iudaeos (*Matth. 12*): *Regina Austri surget in iudicio. Viri Ninivitae surgent in iudicio cum generatione hac, et condemnabunt illam,* opportune verba illa laudis accedebant, ut per mulierem illam Iudaei convincerentur. Mira sane huius mulieris fortitudo ex omni circumstantia delegitur. Primo, a tempore, tunc scilicet, cum acriter excandescerent in Christum adversarii. Secundo, a loco, quia publice in conspectu Scribarum, et Pharisaeorum eius laudes intonuit. Tertio, quia mulier, quae mollitiem praesefert, foemineus enim sexus imbecillis, timidus, imo et ignarus est, eis, qui se legis doctores profitebantur, in faciem viriliter restitit, ac de ignorantia, et de infidelitate eos arguit. Quarto, quia e Pharisaeis recens decretum editum fuerat, ut si quis partes Christi ageret, extra Synagogam fieret. Quinto, quia mulier erat humilis, nulla generis nobilitate conspicua, quae audaciam, et auctoritatem praestare solet ad libere loquendum. Unde s. Evangelista notanter dixit, mulier quaedam, ut non vulgo notissimam, nobilem, et

potentem eam fuisse putaremus; quare et addidit, *de turba*, ut amplius inculcaret illius humilem conditionem: sic enim et divinae virtutis potentiam commendabiliorem reddidit, dum fragili, ac debili instrumento, adversariorum petulantiam compescuit: ut enim dixit Apostolus (*1. Cor. 1*): *Infirma mundi elegit Deus, ut fortia quaeque confundat.* Magnas quidem victorias Sampson, simul et trophaea reportavit de Philistaeis, sed videas, quod vires illas ingentes in capillis habebat, quae pars erat imbecillis in corpore, non in brachiis: nam infirma mundi elegit Deus, ut magis in suis operibus extollatur, et laudetur; et ideo etiam voluit superbum, et ferocem Holophernem per brachium imbecillis mulieris interfici, propter quod cum ipsa Iudith intelligeret, Dei viribus id effectum fuisse, ob insignem victoriam canere incepit Deo, et dixit (*Iudith 16*): *Non excelsi gigantes imposuerunt se illi, sed Iudith filia Merabi disoluit eum.* Etiam potuisset Deus populum suum Israeliticum liberare a tyrannide Aman multis viis, atque modis, sed noluit, nisi ut Hester intercedente, salvos esset; nec minus voluit tribuere victoriam Sisarae duci Barach, nisi mulieri cuidam, nomine Iahel, quae uxor erat Aber Cinei: in hoc voluit Deus ostendere suam mirabilem potentiam. Non dissimiliter nunc ex media hominum multitudine, abiectiorem omnium mulierem voluit surgere, quae non timens hom, et furorem Scribarum, et Pharisaeorum, Christum, et matrem eius summis laudibus efferret, et victoriam illius adversus daemonem, quem expulerat, coram omnibus celebraret. Mos increbuit antiquus inter varias nationes, ut victoriae de hostibus partae a foeminis, singulari fastu, ac suavi concentus melodia celebrarentur, ut de Germanis agens, tradit Cornelius Tacitus: quod idem de Romanis commemorat Caesar (*in suis comm. lib. 2*), apud quos solemne erat, ut cum ad bellum proficiscebantur, foeminae a tergo sequentes, clamando dicerent: *Viriliter pugnate, ne in hostium servitutem et nos redigamur.* Quando vero, obtenta victoria, revertebantur, eaedem foeminae praeibant, triumphum illorum variis cantibus, et gesticulationibus celebrantes. Viguit haec consuetudo non solum apud Ethnicos homines, sed et fideles etiam: nam, ut sacra Exodi refert historia, Maria soror Moysis, ac multae aliae foeminae eius consortes, quando populus Israel, divina virtute operante, Aegyptios devicit, maris fluctibus eos submergentibus, illo postea redeunte, victoriae gloriam Deo in tympanis canebant una voce dicentes (*Exod. 15*): *Cantemus Domino: gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem proiecit in mare.* Simile etiam est, quod (*1. lib. Reg. 17*) legimus, nam cum David funda, et lapide gigantem Goliath interemit, et proprio gladio caput eius amputavit, Palaestinae foeminae ad triumphum hunc celebrandum dulcem illum cantum, licet Sauli molestum, modulabantur (*ibid. 18*): *Saul percussit mille, David autem decem millia.* Hunc ergo antiquum morem, qui in desuetudinem iam abierat, video ab hac Evangelica muliere nunc instaurari. Recentem victoriam tulerat Christus Dominus de daemone humani generis hoste, cum illum a corpore, quod obsidebat, et in quo tanquam propria arce, velut fortis armatus morabatur, imperiose deturbavit, ac foras expulit. Pharisaei autem, qui aderant, et testes tanti prodigii fuerant, non laudibus eius victoriam decantarunt, sed gloriam eius potius obscurare studuerunt, dicentes (*Luc. 11*): *In Beelzebub principe daemoniorum eiicit daemonia.* Cuius occasione Christus Dominus aliam de illis reportavit victoriam, iaculum, quod in ipsum miserunt, in eos retorquens. Unde, cum omnes illi geminatae huius victoriae laudes silerent, insignis haec foemina, maiorum suorum vestigiis insistens, triumphum utrinque, si non pro dignitate, saltem quoad potuit, celebrare coepit, voce alta, et sonora, non mussitans, et ut vulgus ait, inter dentes: *Exclamans quaedam mulier*, ait Evangelista (*ib.*), illa melliflua protulit verba: *Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae suxisti.* Scio quidem d. Paulum (*1. Timot. 2*), scribentem de muliere dixisse: *Discat in silentio, nec permittenda fidei mysteria edocere, docere autem mulieri non permitto.* Verum id Apostolus intellexit, cum viri adsunt, qui id muneris praestare possunt; illis autem deficientibus, laudabile est, mulierem, maxime bene instructam, coelestia mysteria docere, ut sic sexus inferior suppleat id, in quo deficit superior. Unde quemadmodum vacua supplere docuit ipsa natura, ut videre est in elementis, quae ita sunt inter se ordinate connexa, et colligata, ut deficiente elemento superiori, quod vacuum supplere possit, inferius confestim occurrens, defectum illius supplet, et vacuum implet, ut in fontibus experimur, quae ex defectu aeris superioris elementi, contra gravitatem suam sursum ascendunt ad vitandum vacuum; ita in praesentiarum, de divinae laudis vacuum daretur, quod diligenter vitandum monebat David, cum dicebat (*Ps. 33*): *Semper laus eius in ore meo.* Unde cum passionis tempore Apostoli meticulosi a Christi laudibus cessabant, latro de cruce pendens illas intonuit, innocentiam eius attestans, et paradisi Dominum illum confitens. Quando etiam, quotquot illum agnoscebant, et ab ipso multis beneficiis fuerant cumulati, partes tamen eius minime agebant, tunc sepulcra, et lapides ora sua aperuerunt, monumenta aperta, et petrae scissae sunt, ut illorum defectum supplerent, iuxta illud Christi Domini (*Luc. 19*): *Si hi tacuerint, lapides clamabunt.* Ut impleret ergo sacra haec mulier divinae laudis vacuum, a qua cessarant Pharisaei, alioquin magnalia Christi videntes, ipsa eorum defectum supplens, victoriae Christi applaudens, in eius, et matris honore canere coepit (*Luc. 11*): *Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae suxisti.*

Ad haec, singularis sanctitas huius mulieris ex doctrina d. Gregorii facile deprehenditur, ut ait ille (*lib. 1. morat. c. 1*), explicans verba illa libri Iob (*lib. c. 1*), quibus dicitur: in terra Hus Iobum fuisse instum, et sanctum, inquit: *Neque enim laudabile est valde, bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis: hinc valde laudabilis est Iob, etc.* Laudabilis est etiam Abraham, qui inter idololatras Chaldaeos de-

gens, sanctitate erat conspicuus. Tobia, de quo sacra eloquia testantur,quod cum irent omnes ad vitulos aureos, quos Hieroboam fecerat, hic solus fugiebat consortia hominum, et pergebat Hierusalem in templum Domini. Laudabilis tandem Episcopus Pergami, qui eam incolens regionem, ubi satanas suam sedem collocaverat (*Apoc.* 2): *Scio, ubi habitat, ubi sedes est satanae*, vel ut legit Graecus Interpres, *ubi thronus satan;* ipse tamen firmus in fide, et divini nominis confessione, invictus persisiebat: *Et times nomen meum, et non negasti fidem meam.* Atque ad hoc genus laudationis alludunt verba sponsi (*Can.* 2.): *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias;* super quae verba Hugo cardinalis ait: *Anima inter malignantes, bona, et inter dissidentes pacifica, quid aliud est quam lilium inter spinas?* Atque hinc est, quod d. Petrus (*in sua* 2. *canonica epist.*) eam solam rationem assignat, ob quam Deus liberaverit Loth ab incendio Sodomam devorante, quod in terra adeo depravata ipse probus esset: sic enim ait (1. *Petr.* 2): *Iustum Loth oppressum a nefandorum conversatione eripuit: aspectu enim, et auditu iustus erat, habitans inter eos, qui de die in diem animam iniquis operibus cruciabant.* Huius doctrinae non immemor d. Paulus (*ad Philip.* 2) dixit: *Omnia facite absque murmuratione, ut sitis sine querela, et simplices filii Dei sine reprehensione in medio nationis pravae, inter quos lucetis tanquam luminaria in mundo:* et divus Auselmus ait: *Sicut stellas coeli non extinguit nox, sic mentes fidelium, adhaerentes coelestibus desideriis, non obscurat humana iniquitas.* Huius sanctitatis non leve argumentum mihi est, quod non ferens silentium, in Christi, et matris eius laudibus ipsa clamavit (*Luc.* 11): *Beatus venter, qui te portavit;* et quanquam Virgo Deipara prius ab Elisabeth fuerat dicta beata (*Luc.* 1): *Beata, quae credidisti;* id tamen fuit secreto, intra privatos Zachariae domus parietes; publice autem Marcella haec fuit prima, quae Virginem praedicavit beatam: et quidem a Spiritu sancto in ea inhabitante fuisse motam, singulare artificium, quo usa fuit in hac Christi commendatione, facile mihi persuadet: ut enim Christum Dominum laudaret, laudavit matris eius ventrem, et ubera; non humanam, sed divinitus inspiratam hanc agnosco rhetoricam; nam David divino spiritu afflatus, Dei sanctitatem exaltare cupiens, scabelli eius sanctitatem magnificat (*Psalm.* 97): *Adorate scabellum pedum eius,quoniam sanctum est.* Regina etiam Saba volens Salomonem a mira eius sapientia commendare famulos suos, illius sapientiae auscultatores felices praedicat (3. *Reg.*10): *Beati servi tui, qui audiunt sapientiam tuam.* Evangelista etiam s. Matthaeus describens (*cap.* 2) gaudium, quod reges Magi perceperant Christum infantulum videntes, retinuit gaudium, quo perfusi fuere,cum in gremio matris, velut in regali throno sedentem illum invenerunt,et solum illius meminit,quo hi Reges,cum stellam viderunt,affecti fuere (*Matt.* 2):*Et videntes stellam,gavisi sunt gaudio magno valde.* Hoc enim artificio manifestum reliquit, maius gaudium regum illorum corda occupasse, cum Christum Dominum viderunt. Idem etiam sacer Evangelista,ut indicaret indicibile pretium thesauri abscondidi in agro, non appretiavit thesaurum, sed agrum, in quo latebat, ita Evangelica haec mulier, laudes Christi decantare desiderans, ad ventrem, et ubera matris illius, laudes convertit,ut inde facile quisque inferat, quanto laude dignior esset b. Virginis anima, cuius corpus tanta laude dignum erat. Licet autem omnia beatae Virginis membra essent valde commendabilia, consulto tamen non commendat oculos, non vultum, aut os, non manus, aut capillos, aut egregiam totius corporis compaginem,sed ventrem solummodo sapienter laudavit, et ubera, quia haec duo praecipua instrumenta fuerunt ad incarnationem, conceptionem, et nutritionem Christi Domini, et ideo illa inter reliqua,tanquam speciale suae laudationis subiectum,sibi proposuit.

Deinde mulier haec prudentissimam se exhibuit, dum ad laudandum Christum matrem eius laudat; nam ut adnotavit d. Cyrillus (*orat. con. Nest.*), et d. Ioannes Damascenus (*de dormit. b. Virg*), quia bona Christi, et Mariae erant communia utrique, victorias etiam, et triumphos, et consequenter laudes inter illos communes esse merito iudicavit, quam rem illustrare possumus ex illa sacrae Geneseos historia, ubi Iacob morti proximus, bona sua inter filios partitus fuit; cum vero accessit ad Ioseph, dixit (*Genesi.* 48): *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhaei in gladio, et arcu meo.*Quia vero nunquam legimus, Iacob de manu Amorrhaei in gladio, et arcu aliquid tulisse, sed potius suos filios, Simeonem, et Levi, credendum est, haec protulisse verba, quod cum bona patris, et filiorum communia sint, communes etiam esse debent victoriae. Hinc crederem, quod ubi (*Genes.* 3) in nostra Vulgata legitur: *Ipsa conteret caput tuum:* ideo legi in aliis codicibus: *Ipse conteret caput tuum:* nam si ipsa, id est, beata Virgo, contrivit daemonis caput, cur dicitur, ipsum, hoc est, Christum contrivisse caput daemonis? ratio in promptu est ex dictis, quod victoriae, et triumphi, communes quodammodo sint parentibus, et consanguineis: neque immerito id asserendum est: Christus enim, quae ad generis humani reparationem spectant, operatus fuit humanitate, quam ex b. Virginis visceribus efformavit.

Addere autem possumus in huius rei confirmationem, quod scribit sanctus Eucherius (*in orat. de b. Virg.*), quae refertur (*tom.* 5. *Biblioth. sanct. Patr.*), Mariam scilicet Virginem esse universae Triadis complementum. Nam cum tria sint potissimum opera Dei ad extra, creatio, incarnatio, et iustificatio, his tribus, quoad fieri potuit, complementum dedit Deipara Virgo: etenim si Deus creavit Mariam, ipsa efformavit Christum: si Deus humanam assumpsit naturam, utique ex purissimo Mariae sanguine accepit. Ac tandem, si Deus peccatores iustificat, id certe intercessione beatae Mariae praestat, sancto Germano dicente (*serm. de zona beatae Virg*): *Nullus est, qui salvus fiat, nisi per te, o Virgo sanctissima.* Quare prudenter satis mulier illa,ut Christum Dominum laudaret, Mariam eius genitricem commendavit. In eo etiam splendet artificium huius foeminae erga laudem Christi Domini, quod cum commendatur fabrica, artifex illius etiam laudatur. Christus autem Dominus, quamvis a matre genitus, *Ipse tamen fundaviteam Altissimus;* et cum inter omnia opera,a Christo Domino supremo artifice fabricata, primum locum teneat beata Virgo, ab excellentissimo hoc opere illum laudavit; vel dicamus aliter: Marcellam sublimem adeo conceptum de Christo Domino formasse, ut non auderet ad excellentiam eius digne commendandam sermonem suum immediate ad illum dirigere, sed ad eum modum, quo, qui fulgentissimum solem prospicere desiderat, non intendit directe in eum oculorum aciem, sed convertit illam ad clarissimum fontem, in quo fulgentes solis radii emicant, et ibi tanquam in imagine illum intuetur; vel, qui solis eclypsim videre cupit, pelvim aquae implet, et ibi illam videt: non secus Marcella minime audens in fulgentissimum Solem iustitiae mentis aciem intendere, convertit se ad Marianum fontem, in quo et clarissimi eius radii effulgent, et velut in imagine ad vivum illum exprimente, Christi Domini maiestas, ac singularis sanctitas elucet;et ideo dixit (*Luc.*11): *Beatus venter, qui te portavit.* In ea etiam oratione Marcellae, in genere demonstrativo, ut aiunt rhetores, mirum artificium delegitur, quod cum alioquin potuisset ab heroicis virtutibus, quae, velut fulgentissimi pyropi, in b. Maria enitebant, illam commendare, et cum etiam potuisset alias praestantiores virginei illius corporis pariter laudare,ut faciem, oculos, vel caput, ut in suo epithalamio factitat sponsus; solum tamen ubera, et ventrem eius commendat. Consulto sane id fecit, ut inde mira b. Virginis excellentia deprehendatur: nam si venter, qui in aliis foeminis sedes est corporis, et impuros foetus concipiendi officina, in qua horrendum illud peccati originalis monstrum efformatur; in b. Virgine idem venter tanta puritate, et sanctitate clarus enitebat, ut beatus compellari mereatur (*Luc.* 11.): *Beatus venter qui te portavit*, id procul dubio excellentiam raram b. Virginis mirifice commendat. Videlur sane mihi Marcella hoc laudationis genus ex lib. Iudith didicisse: nam sicut ibi sacer textus, ut miram Iudith pulchritudinem magis extolleret, dixit, sola eius calceamenta Holophernis animum in eius amorem rapuisse (*Iudith* 16): *Sandalia eius rapuerunt oculos eius.* Quasi diceret: Si tanta erat pedum illius elegantia, ut decore suo,intuentis Holophernis cor ad amorem eius alliceret, quanto maior credi debet, et ad amorem conciliandum potentior, mira vultus illius pulchritudo, et totius corporis venustas? ita Marcella hunc philosophandi modum imitata, ventrem b. Virginis commendavit, ut inde inferremus,quod si ille tanta commendatione dignus est, insigniora incomparabiliter encomia meretur eius anima, in qua Christum Dominum per excellentissimam gratiam conceperat;cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA IV.

Eiusdem Evangelicae mulieris, nec non Virginei Deiparae ventris encomia exordimur, in eadem verba: Extollens vocem quaedam mulier de turba dixit:Beatus venter, qui te portavit: *ubi praecipua epitheta, quibus sancti Patres b. Mariae uterum exornarunt, cum aliis multis a nobis excogitatis, apponuntur.*

Euthymius nobili auctor, versans proposita verba, dixit de hac muliere: *Alte in eius animum Christi sermo descenderat: haec enim, cum alioquin plebeia esset, cum in media fuerit turba, et ratione sexus minus doctrinae, et mysteriorum capax, sapientibus, et iurisperitis non credentibus, ipsa, Christi verbo, quod praedicabat,libenter annuens, divini seminis in cor eius iacti, uberrimum illum fructum reddidit:Beatus venter, qui te portavit, et ubera quae suxisti.*Seminaverat quidem Christus Dominus divini verbi sui semen in cor Pharisaeorum,et in cor huius mulieris;illud tamen inter utrumque fuit discriminis, quod semen iactum in cor Pharisaeorum cecidit inter spinas, et simul exortae spinae suffocaverunt illud; semen vero iactum in cor huius mulieris, cecidit in terram bonam, et ortum fecit fructum centuplum, adeo ut s. Evangelista dicat, non contentam hanc Evangelicam mulierem, submissa voce, laudes Christi protulisse, alta voce eas decantasse (*Luc.* 11): *Extollens vocem quaedam mulier*, quod sane pium, ac fervidum eius affectum, vivacissimamque fidem aperte indicat, quae in talem clamorem erupit, et ex intimis animi sensibus loquens, maxima contentione Christi praeconia evulgabat, calumniatorum Christi, qui aderant, iacula in se coniicienda non pertimescens, ut quae sibi dictum pulsasset illud (*Isa. cap.* 40): *Exalta in fortitudine vocem tuam, exalta, noli timere.* Unde merito de ea dicere licet illud (*Ruth cap.* 3): *Scit omnis Israel, mulierem fortem te esse virtute:* et illud (*Machab. cap.* 8): *Foemineae cogitationi masculinum animum ingessit.* Immo et laus Iudith delata (*cap.* 14) merito ei deferri potest: *Una mulier Hebraea fecit confusionem in domo Nabuchodonosor regis.* Etenim nihil metuens acerrimos, qui aderant, Christi hostes, variis maledictis illum afficientes, libere loquitur, intrepide vocem exaltat, et impudentia illorum ora obtundit (*Ps.* 62): *Obstructum est os loquentium iniqua*, voce alta intonans: *Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae suxisti.* Quod perinde fuit, ac si clarius diceret: Calumniantur isti tibi, o bone Iesu, teque in Beelzebub daemonia eiicere praedicant, sed ego te tanta benectione donatum, et tam beatum esse dico, ut et beatam censeam matrem tuam. Ex fermento Pharisaico, ex depravato mentis oculo prodiit haec malignorum impostura: ego vero, quantumvis ipsi de numero, et potestate glorientur, pauci eos facio, imo nec ipsa, quamvis mu-

lier adversari illis vereor, ut quae facile intelligam, quantum in te blasphement. Tam apertissimae sunt tuae sanctitatis, et auctoritatis argumenta, ut impudentes iudicem, qui tibi tam temere obstrepent. His sane aperte mulier haec Hebraea confusionem fecit in facie Pharisaeorum, ac de illis gloriose victoriam reportavit. Quanto autem humilior, et abiectior est, quae reportat ex hoste triumphum, tanto maiore confusionis opprobrio fuerunt astantes Pharisaei deturpati, ac tanto magis Dux militiae noster Christus in Evangelica hac muliere iucundius delectatus, et gloriosius exaltatus fuit; maxime quod per illam vocem extollentem (*Luc.* 11): *Beatus venter, qui te portavit*, multi alii exemplo eius commoti sunt, similia verba proferre; nam, ut docet divus Augustinus (*tract.* 10. *in Luc.*), non unius mulieris dumtaxat illa vox fuit, sed multorum: verba eius sunt haec: *Cum Dominus in turba admirabilis videretur, faciens signa, et prodigia, et ostendens, quid lateret in carne, admiratae quaedam animae dixerunt: felix venter, qui te portavit.* Unde facile mihi persuadeo, mulierem hanc typum gessisse Ecclesiae catholicae, quia sicut illa coram hostibus Christi non erubuit illum confiteri, ita in Ecclesia catholica quantumcumque perstrepant Haeretici, nunquam verae fidei confessio deficiet, ut recte prosequitur divus Augustinus; nam versans illa verba (*Psalm.* 108): *Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque;* haec pulchra scripsit: *Ex ore suo quippe dicit: quia unitas corporis loquitur, in cuius membris etiam illi deputantur, qui defecerunt ad horam negando, sed poenitendo postea revixerunt; vel etiam martyrii, quam perdiderunt palmam, reparata confessione sumpserunt; non igitur usque valde, vel sicut quidam codices habent; non usquequaque, idest, non omnino ex ore Petri, in quo erat typus Ecclesiae, verbum veritatis ablatum est, qui etsi ad horam negavit, timore turbatus, tamen flendo est reparatus, et confitendo est postea coronatus. Totum itaque corpus Christi loquitur, id est, Ecclesiae sanctae universitas, in quo toto corpore, sive quia negantibus plurimis, remanserunt fortes, qui usque ad mortem pro veritate certarunt, sive quia ex his, qui negaverunt, multi reparati sunt, non est ablatum ex eius ore verbum veritatis usque valde;* haec divus Augustinus: sed firmius aliud, quam Augustini testimonium habemus: nam veritas ipsa (*Matth.* 16) dixit: *Portae inferi non praevalebunt adversus eam:* nam sive per portas intelligamus peccata mortifera, quae merito inferorum portae nuncupantur, cum haec sola aditum parent ad Inferos: haec non possunt adeo contra Ecclesiam invalescere, ut omnino ex ea deficiant iusti: nam cum Ecclesia catholica sit sancta, ut Symbolum Nicaenum docet: *Et unam sanctam, et Apostolicam Ecclesiam;* et vera sanctitas non sit sola fides absque gratia, quae fideles consortes Dei facit; consequens est, quamdiu Ecclesia duraverit, semper in illa futuros esse homines iustos, et sanctos. Si vero per portas intelligamus haereses, et schismata, certe nec haec ita praevalere poterunt, ut Ecclesiam sanctam omnino polluant; ut enim legimus (24. *quaest.* 1. *c. arrecta*): *Haec sancta, et Apostolica mater omnium Ecclesiarum Christi Ecclesia, quae per Dei omnipotentis gratiam a tramite Apostolicae traditionis nunquam errasse probatur; nec haereticis novitatibus depravanda succubuit, sed ut in exordio normam fidei christianae percepit, ab auctoribus suis Apostolorum Christi principibus illibata fide hactenus manet.* Non ergo deterreamur, si audierimus (*Luc.* 11): *In Beelzebub principe daemoniorum eiicit daemonia*, nam nunquam deerunt, qui e contra dicant (*ibid*) *Beatus venter, qui te portavit.*

Verum haec verba exordiamur iam, si placet, pro viribus illustrare. Sane si Apostolus Paulus (*ad Hebr.* 1) Dei virtutem, et excellentiam exaltare cupiens, de eo dixit: *Portans omnia verbo virtutis suae.* Ac si diceret: omnipotentiae suae virtute omnia quaecunque sunt, conserval; non potest non magna b. Virginis laus esse, ut ventre suo portet eum, qui portat omnia verbo virtutis suae. Unde s. Gregorius Taumaturgus (*orat. de annunc.*) hoc tantum prodigium admiratus dixit: *sola ferens eum, qui verbo portat omnia.* Equidem, si b. Virgo portat omnia portantem, etiam et ipsa portat omnia: ut quidam poetarum dixit:

Non omnis fert omnia tellus:

Quaedam enim fert frumentum, alia arbores, alia legumina, alia auri, et argenti metalla; Verbum autem Dei tam foecundae virtutis esse perhibetur, ut solo suo imperio omnia gignat; venter vero beatae Virginis tali foecunditate divinitus praeditus fuit, ut gigneret omnia gignentem, per quod illam mirabilem cum aeterno Patre simpathiam obtinuit, ut cum illo licuerit ei Verbo divino dicere (*Psal.* 2): *Ego hodie genui te.* Deinde illud observatione dignum est in verbis huius evangelicae mulieris, non appellasse Mariam beatam, quia a Deo acceperit, sed quia Deo dederit (*Luc.* 11): *Beatus ait venter, qui te portavit, et ubera, quae suxisti.* Sane Deipara Virgo divino Spiritu afflata, cum illam sui laudem protulit, beatam esse dicendam a futuris generationibus, rationem subiungens, non dixit, quia ipsa Deo aliquid dederat, sed quia magna a Deo acceperat (*Luc.* 1): *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna, qui potens est.* At haec mulier plene aliam excellentiorem laudem b. Mariae detulit, beatam illam appellando, quia Deo dederat, non quia a Deo acceperat; licet alioquin id, quod dabat, accepisset: nam, ut d. Paulus dixit: *Meminisse oportet verbi Domini Iesu, quia beatius est magis dare, quam accipere.* Quare necesse est, beatissimam esse Mariam, quae plus omnibus Deo dedit, atque adeo plura ab eo recepit: sicut regina Saba plura dedit Salomoni; plurima vero ab eo donala suscepit, sed hoc interest inter ea, quae b. Maria ei praestitit, quod iusti aliqua Deo tribuunt, non quia ipse in se ea suscipiat, sed quia eius conspectui offerunt dona, quibus tamen Deus non utitur: quia, ut dixit David (*Ps.* 15): *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges;* Maria autem, quamvis plura huiusmodi munera Deo dederit, instar aliorum iustorum, aliqua tamen dedit, quae Deus in se suscepit: qui enim bonorum nostrorum non egei, egnit, licet voluntarie, humanitate, ut opus redemptionis perficeret; hanc vero a b. Maria accepit, et sibi in unitate suppositi copulavit: *Beatus ergo venter, qui te portavit.* Eguit etiam lacte in cibum, et infantiae suae alimentum, ut canit Ecclesia catholica in officio Nativitatis:

Parvoque lacte pastus est,
Per quem nec ales esurit:

et hoc suscepit a Virgine Maria: *Beata ergo ubera, quae suxisti.*

Hanc b. Virginis miram excellentiam contemplans s. Methodius (*orat. in hypop. Dom.*) haec huic argumento valde consentanea scripsit: *Tu Deo alioquin nunquam indigo carnem, quam non habebat, dedisti, quo, inquam, hac ratione omnipotens, id quod esse dignatus est, homo videlicet, vere appareret, quid hoc illustrius, quidve sublimius, qui coelum, et terram implet, cuius praeterea sunt omnia, quaecunque moventur, atque subsistunt, is tui factus est indigus.*

Ad haec, merito mulier haec Deiparae Virginis ventrem beatum appellavit: nam beatus idem est, quod felix; quae autem maior felicitas ventris foeminei excogitari potest, quam ut simul foecunditate, et virginitate sit praeditus? S. Iob de daemone sermonem faciens, inquit (*cap.* 40): *Virtus eius in lumbis eius, et fortitudo illius in umbilico ventris eius.* Super quae verba divus Gregorius (*in haec verba*) asserit, in viris concupiscentiam sedem habere in lumbis, in foeminis vero in umbilico ventris: illa autem est virgineae beatae Mariae puritatis excellentia, quod venter, qui in reliquis foeminis sedes est veneris, et impudicitiae, in ipsa sit omnis castitatis, et pudicitiae fons, et cum alioquin omnes foeminae absque praecisione impudici umbilici nascantur, ut Ezechiel dixit (*cap.* 16): *Quando nata es, non est praecisus umbilicus tuus;* beata autem Virgo ita pura, ac pudica ab instanti suae conceptionis extitit, et in ea perseveravit, ut nunquam eguerit turpis umbilici praecisione, quo semper caruit. Unde Gulielmus (*in sigillo Mar.*) postquam dixerat ex d. Gregorii Papae doctrina, seminarium libidinis viris in lumbis, foeminis vero esse in umbilico, subdit haec verba: *At vero illa Virgo, quae Dei filium procreavit, partus huius novitatis ab initio praeparata, et singulari benedictione praeventa, in sua carne nunquam potuit calorem illum venereum experiri: ab initio enim, ne seminando secundum carnem Dei filio esset minus idonea, innatus ille fomes concupiscentiae in carne eius virtute divina funditus extinctus est. Itaque non sicut aliis foeminis in umbilico illi fuit seminarium luxuriae, cum tamen in umbilico eius fuerit semen illud Abrahae, quod Apostolus praeclare commendans, cum de filio Dei loqueretur: nunquam, inquit, angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit; non sicut aliis foeminis illi foeminae in umbilico fuit seminarium luxuriae, idest, genitalis ille liquor calore concupiscentiali exinde resolvendus, et derivandus, sed seminarium vitae, idest, beatum illud semen Abrahae, calore Spiritus sancti exinde resolvendum, atque eo ipso a Filio Dei in unitatem personae suae pro salute humani generis assumendum;* haec ille. Sponsus autem, ut eximiam hanc b. Virginis puritatem cum foecunditate coniunctam ostenderet, dixit ei (*Cant.* 7): *Umbilicus tuus, sicut crater tornatilis, nunquam indigens poculis. Venter tuus, sicut acervus tritici, vallatus liliis.* Expostulat hic locus, ut duplicem hanc metaphoram crateris, et acervi, in laudem b.V. mystice exponamus cum Ruperto, Alano, Gulielmo, et Hailgrino (*in cap.* 3. *Cant.*), et cum Honorio (*in sigil. b. Mar.*), imo et cum d. Ambr. (*de inst. Virg. cap.* 14). Comparat primum uterum virgineum b. Mariae crateri, ad significandam eximiam eius puritatem: quia crater, vel patera est, vel quoddam ingentis calicis genus ad bibendum. Quis autem ignorat, nihil mundius, et purius ab omnibus exquiri, etiam agrestibus hominibus, quam vas, unde potum hauriant, aut patera, per quam vinum, aut aquam bibant? Comparavit autem consulto pudicum illum uterum non crateri argenteo, vel aureo, quem aurifex metallo elaboravit, sed crateri tornatili; quia vasa torno confecta facilius elaborantur, ut hac metaphora significaret, b. Virginem absque omni difficultate, utpote sine omni illecebra, et absque omni carnis angustia illibatam suam virginitatem conservasse; quod et verba sequentia (*Cantic.* 7), *Nunquam indigens poculis*, luculentius explicant: nam quid aliud est, umbilicum non indigere poculis, nisi per appetitum libidinis viri complexum non sitire? Ad quod sane alludunt b. Virginis verba, cum dixit (*Luc.* 1): *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* quasi diceret, quia viri complexum nunquam desideravi, imo propositum firmum, et votum habeo nunquam illum desiderandi: quod adeo verum arbitror, ut quod ad beatam Virginem attinebat, nisi virginitatem eius tutam fore promisisset angelus, non dubito ipsam non electuram fuisse Dei matrem esse, nisi aliud Deum velle intellexisset; cuius non leve indicium est, nunquam consensum suum praebuisse, ut mater Dei fieret, quousque ab angelo expresse audivit (*ibid.*): *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quamobrem, ut Spiritus sanctus manifestaret eandem beatae Virginis mirabilem puritatem, eam etiam appellavit (*Cant.* 7), *Puteum aquarum viventium, quae fluunt impetu de Libano.* Ut vero arcana, quae in hoc loco latent, delegamus, observare oportebit, morem fuisse certo tempore apud Hebraeos iudicum tribunalia iuxta puteos aquarum sita habere: nam si accusatus innocens probabatur, hac caeremonia utebantur, ut continuo se aqua ablueret in argumentum suae innocentiae; si autem tanquam reus condemnabatur, aquam effundebant, significare volentes, culpam eius adeo esse manifestam, ut nulla excusationis aqua ab ea se emundare posset; ad quem ritum alludunt verba (*lib.* 1. *Reg.* 7): *Iudicavit*

Samuel populum in Masphat, et effuderunt aquam multam, quia scilicet convicti fuerant rei a Samuele de delicto suo. Vocans ergo sponsus b.Virginem puteum aquarum viventium, significare voluit, tantam fuisse eius puritatem, ut non solum in se munda esset, sed ad aliorum emundationem mille modis iuvet. In eo autem, quod ait, aquas illius putei descendere impetu de Libano, aliud clauditur mysterium, ad quod reserandum praenoscere oportet, aquas illas, quae descendebant de monte Libani, a Iordane derivari, qui e duobus fontibus, qui in vertice montis Libani erant, oriebantur. Observare etiam opus est, Christum Dominum Iordanis aquas sanctificasse, ut sacri baptismatis aquis, quibus fidelium animae erant abluendae, mirabilem virtutem impertiret. Ut ergo Spiritus sanctus significaret totem, ac tantam esse puritatem b.Virginis, ut non solum ipsa in se pura, et immaculata semper permanserit, sed et aliis puritatem sua intercessione conferret; ideo consulto comparat eam puteo aquarum Iordanis, cuius aquas Deus emundavit, et sanctificavit, ad abstergendas peccatorum maculas. Unde Gulielmus egregius Canticae interpres (*sup.hunc loc.*) ait b.Virgini: *De te fluxit fons hortorum; per te venit baptismo fidelium, et puteus aquarum viventium, idest, Christus: et haec cum magno impetu de Libano fluunt, quia cum magna abundantia s. Spiritus de candore tuae castitatis, et sanctitatis exundarunt.* Quod autem ait, *Aquarum viventium*, ad differentiam aquarum stativarum dixit, quae facile putrescunt, et foetorem emittunt; vel dicamus cum Hailgrino (*in c. 4. Cant.*): *B. Maria propter inscrutabilem profunditatem gratiarum, quae in ipsa congesta sunt, dicitur puteus aquarum non simpliciter, sed viventium, hoc est, salientium in vitam aeternam.* Hae fluunt cum impetu, quia illi resistere non valent adversarii nostri, daemones, et haeretici fluunt de Libano, hoc est, ab ipsa b.Virgine, quae de se (*Eccl.2*) dicit: *Ego quasi Libanus non incisus, raporavi habitationem meam.*

Verum ad id, unde nonnihil digressi sumus, reverlamur: postquam sponsus sub metaphora crateris virginei ventris puritatem commendaverat, continuo sub eleganti metaphora acervi tritici liliis vallati miram eiusdem ventris fecundilalem admissi exprimit (*Cant. 4*): *Venter tuus, sicut acervus tritici, vallatus liliis.* Etenim praeterquam quod venter praegnans propter tumorem, quem latens proles causat, persimilis esse videtur acervo tritici; certe frumenti acervus, symbolum est foecunditatis: a frumenti enim copia annus dicitur fertilis, licet alioquin aliarum frugum sit inopia; a penuria vero frumenti sterilis dicitur annus, quamvis alias fructus arborum abunde suppetant. Quod autem addit, *vallatus liliis*, licet quidam, propter candorem liliorum, id ad virginem illius sacri ventris puritatem referant, mihi tamen non omnino probatur, quia iam sub metaphora crateris, eximiam illius puritatem, ac munditiam declaraverat. Ego quidem arbitror, ad eandem virginei ventris foecunditatem magis adstruendam, liliorum vocabulo acervum circumdedisse, quia inter omnes plantas nulla lilio foecundior, cum una sola illius planta in terra sata totum areolam liliis impleat.

Deinde ex eo etiam liquet, quam congrua sit virginei ventris comparatio cum acervo tritici, cum vere ille genuerit Christum Dominum, frumentum electorum, ac coelestem panem, quo fideles cibamur in vitam aeternam (*Ioann. 6*): *Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi: si quis manducaverit ex hoc pane, non morietur in aeternum.* Quod autem quibusdam difficultatem ingerit, illud est; quomodo venter b. Virginis acervo comparetur, qui multa grana continet, cum alioquin Christus Dominus unico grani frumento se comparaverit (*Ioa. 12*): *Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Respondet Honorius (*in cap. 7. Cantic.*), in ventre b. Virginis iacuisse unigenitum Dei incarnatum, qui licet sit unicum granum, quia est unus Christus, simul tamen est acervus, quia in eo cumulatur fidelium populus. Quam expositionem videtur mihi mutuasse ex d. Ambrosio (*de instit. Virgin. cap. 13*) asserente, Christum Dominum unicum granum frumenti in cruce mortuum fructum attulisse, et sic electos omnes, velull acervum tritici ex Christi passione multiplicatum in utero beatissimae Virginis, tanquam eius spirituales filios fuisse contentos, ad eum certe modum, quo in utero Rebeccae in duobus geminis Iacob, et Esau, duo populi fuere. Unde et divus Epiphanius (*ser. de laud. Deip.*) dixit: *Ipsa est ager minime cultus, quae Verbum, velut granum frumenti suscipiens, etiam manipulum germinavit.* Manipulus autem hic electorum est multitudo, respectu quorum Apostolus (*ad Rom. 8*) vocavit Christum, *Primogenitum in multis fratribus.*

Ex quibus omnibus palam fit, Christum, et nos, unam habere communem omnibus matrem, sanctam Mariam, quia, cum Christum, tanquam Filium naturalem utero suo genuit, nos etiam in eodem spiritualiter concepit, et portavit, atque in filios suos charissimos adoptavit: etenim quemadmodum filia regis Pharaonis adoptavit infantulum Moysen iuxta aquas; ita b. Virgo baptizatos, seu poenitentes, et in aquis lacrymarum vagientes, assumit in filios, et nutriri per angelos facit. Et quanquam mulieres ex praescripto principis alios in filios suos adoplare valeant; beatissima Deipara non tantum habet praescriptum, sed etiam mandatum adoptandi a principe Christo, quando ei dixit (*Ioann.19*): *Mulier, ecce filius tuus.* Unde: *Ex illa hora accepit eam discipulus in sua.* Non dixit, Ioannes, sed discipulus, quod est nomen commune, ut ad quemlibet hominem, qui est Christi discipulus, illa verba, dicta in sensu spirituali, intelligamus, ut omnes sciant, beatam Virginem sibi datam in matrem: nam si Debora nuncupatur mater Israel propter defensionem, et protectionem illi populo impensam; quanto magis prudentissima haec Virgo, quae sub umbra alarum suarum nos prolegit, et defendit, mater totius populi Christiani iure optimo debet nuncupari?

Ad haec, mulier illa divino Spiritu afflata, ita paucis verbis pene infinita b. Virginis encomia perstrinxit, ut si omnia, quae in sacris eloquiis, et a sanctis Patribus hucusque scripta, et dicta sunt, cum illis conferantur, nihil sane excellentius de b.Virgine dixisse comperiemus, quam mulier illa protulit, dum b.Mariam disertis verbis matrem Christi ingenue professa est, dicens (*Luc. 11*): *Beatus venter, qui te portavit.* Sicut enim, quaecunque magnalia de supremo omnium numine, universi opifice, omnium creatore, gubernatore, et conservatore dicuntur, excedere nequaquam possunt illa, quae suprema Dei appellatio in se claudit, cum revera illa omnia in virtute complectatur, et plura alia soli divinae ipsius menti reservata, quae sola illum comprehendit: ita quaecunque praeconia a primordiis Ecclesiae catholicae usque in finem saeculi in Ecclesia militanti, et per totam aeternitatem in triumphanti proferentur, omnia illa, et pleraque alia, quae *nemo novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare;* Matris, seu Genitricis Dei celsissima, et honoralissima omnium appellatio in se una complectitur: non ergo frustra dixi, neminem maiore illa laude b.Virginem exornasse, quam haec mulier, dum dixit (*Luc. 11*): *Beatus venter, qui te portavit.* Tetigit enim originem, ac foecundam illam venam, unde omnia coelestia charismata, divina beneficia, ac portentosa privilegia b.Virgini divinitus collata, ortum habuere. A peccato originali praeservata fuit, quia in matrem Dei praeelecta erat. Plena fuit gratia, quia ex proprio sanguine conceptura erat Filium Dei. Virgo fuit immaculata, et mater simul foecunda, quia Deum in utero portavit. Corpus eius post mortem omnis corruptionis expers fuit: quia indecens erat, viscera in quibus Verbum divinam carnem induerat, a vermibus dilacerari, aut in pulverem redigi. Exaltata laudem fuit super choros angelorum, quia infra famulos regis collocari tantae maternitatis dignitas non patiebatur. Merito ergo haec Evangelica mulier, ut paucis Mariana multa encomia complecteretur, omnem eius felicitatem ad ventrem, et ubera retulit, divino Spiritu agnoscens, nec Deum fuisse tantum illi collaturum gratiae, nisi prius filii sui dignam matrem illam efficere decrevisse, nec Mariam tam felicem futuram fore, nisi Verbum divinum ex utero eius carnem hypostaticae unionis vinculo sibi uniendam assumpsisset.

Ad extremum antiqui Ecclesiae Patres, tot ac tam praeclaris testimoniis, illustrissimisque epithetis virginem beatae Mariae uterum, velut candidissimis, ac fragrantissimis liliis cumularunt, ut nec possint, nec debeam saltem selectiora quaedam his, quae hucusque dixi non attexere. D. Epiphanius (*sermon. de laud. b. Mar.*): *Beata*, inquit, *ovis, quae peperit agnum Christum: iuvenca nunquam iugum experta, quae vitulum genuit: fidei mensa intellectualis, quae panem vitae mundo suppeditavit: clibanus intellectualis, qui ignem, et panem vitae calidum mundo in esum attulit.* Epiphanius item in haeresim Manichaeorum scribit, Manichaeos panem, tanquam a Deo malo creatum, aversari cum his execrationibus: *Maledictus qui te seminavit, qui collegit, qui pinsuit, qui coxit;* sed nos, cum de pane vitae disserimus, quid aliud dicamus, quam benedictam terram, e qua collectus est? Beatus igitur venter Virginis, qui eum portavit, ubera quoque, quae suxit.

Chrysippus Hierosolymitanus (*serm.de Deip.*) ait: *Virgam Iesse semper virentem, quae humano generi vitam pro fructu attulit, omni quidem tempore, beatam praedicare, admirari, et laudibus exollere convenit.* D. Bonaventura (*in Luc.*): *Nec vero mirum est, si matris Dei ventrem beatum dicit, in quo et ille, et ex quo formam humanam accepit:* (*Sap.7*): *In ventre matris figuratus sum caro, decem mensium tempore.* Unde in laudem beatae Virginis dicitur (*Cantic. 7*): *Venter tuus acervus tritici:* quia Christus erat granum frumenti, secundum quod dicit divus Ioannes (*cap. 12*), et hoc tritico fuit venter eius impletus, et ideo beatus propter tria privilegia: quia, ut dicit divus Bernardus, fuit sine corruptione foecunda, sine gravedine gravida, et sine dolore puerpera (*Isaiae 66*): *Quis audivit unquam tale? et quis huic simile?* sive propter tria miracula. Primum est, coniunctio infinite distantium: Deus enim ibi factus est homo, creator creatura, immensus parvus, Verbum infans, aeternus temporalis. Secundum miraculum est, quia qui fecit ventrem, factus est in ventre; unde dicitur (*Psalm. 86*): *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei*, et post: *Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.* De hoc potest exponi illud (*Eccl.33*): *Vas admirabile, opus excelsi.* Tertium miraculum, quia continet omnia, qui continetur in ventre; et ille ibi capitur, quem totus non capit orbis. Unde cantat Ecclesia catholica: *Quia quem coeli capere non poterant, tuo gremio contulisti.* S. Thomas (*in suis serm. Domi. Dom. 4. Quadrag.*) haec sapienter, et erudite scripsit in illa verba: *Beatus venter, qui te portavit: Nota, quod venter b. Virginis dicitur beatus, propter sex. Primo, quia portavit eum, qui in seipso summe beatus est* (1. *Tim. 6*): *Beatus, et solus potens rex Regum. Secundo, propter magnam affinitatem, quam habuit cum beatissima Trinitate: fuit enim filia Patris, mater Filii, sponsa, et habitaculum Spiritus sancti, ac totius Trinitatis nobile Triclinium. Tertio, quia concepit sine corruptione, portavit sine labore, et peperit sine dolore, de his* (*Luc. 1*): *Spiritus sanctus superveniet in te; et ideo concipies sine corruptione. Et virtus Altissimi obumbrabit tibi: et ideo portabis sine labore: ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei: et ideo paries sine dolore. Quarto, quia portavit pretium redemptionis* (*Num. 20*): *Domine aperi thesaurum tuum, fontem aquae vivae, ut salvati, cesset murmuratio eorum. Et apparuit gloria Domini super eos. Quinto, quia habuit selectiora de omni statu, de statu virginum integritatem, de statu coniugatorum foecunditatem, de statu continentium castitatem;* hactenus d. Thomas Aquinas.

Ruperius (*lib. 3. in Cant.*) sub metaphora lectuli Salomonis de virgineo ventre haec loquitur: *En lectulum Salomonis exsaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel: uniuscuiusque ensis*

super femur suum propter timores nocturnos. Quis enim est, inquit Rupertus, lectus Salomonis, qui inter nos, et Dominum pacem composuit, nisi ille, in quo divina natura humanam sibi naturam coniunxit? et quis ille est, nisi uterus tuus, o dilecta dilecti, uterus virginalis? Ibi namque divinitas Verbi Dei, Verbum Dei sese conclusit, et humanam naturam de tua carne formatam sibimet in unitate personae inseparabiliter coniunxit: et ecce sponsus, id est, carnem nostram cum anima rationali habens Deus, sponsus, inquam, Deus, et homo Christus, sicut canimus in Psalmo: Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Patres vero illi antiqui erant viri fortissimi, vere tenentes gladios, et ad bella doctissimi, nondum enim processerat sponsus de thalamo suo, et adhuc laborabat diabolus per satellites suos reges Aegyptios, reges Assyrios, Persicos, Graecos, laborabat, inquam, et laboraverat diabolus, antiquus hostis, obsistere volens Dei proposito, ne impleretur promissio, ac collocaretur hic lectus, sive thalamus ne esset, unde nasceretur haec beata, et dilecta Virgo, de cuius utero procedere oportebat dilectum, tanquam sponsum de thalamo suo. Isti erant timores nocturni, quos dicit hoc modo: Uniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. Hinc vere ad bella doctissimi, quia cur bellarent, causam prae oculis habebant huiusmodi; haec Ruperius Abbas.

Guericus Abbas (*serm. 1. de Annunc. b. Mar.*) sic loquitur: *Quam beatus igitur venter eburneus, unde caro eburnea sumpta est Redemptoris, pretium animarum, miraculum, solium summae maiestatis, thronusque potestatis, cibus vitae immortalis, medicina peccati, restitutio sanitatis; quotquot, inquit, tangebant eum, sanabantur a languoribus suis: nam virtus de illo exibat, et sanabat omnes. Beatus igitur venter, qui te, Domine Iesu, portavit, felix castitas uteri virginalis, quae huic operi materiam ministravit: felix prorsus, fratres mei, nitor illius eboris, idest, candor castitatis, cui nec aurum mundanae sapientiae, nec argentum eloquentiae, nec gemmam alicuius excellentis gratiae nostri praefert electio Salomonis: si modo tamen castitas humilitate commendetur, quia humilitatem ancillae suae respexit Dominus; proinde namque Salomon, cum in carmine amoris castitatem praedicaret, Virginis seu sponsae videliect, seu sponsi; quia quorum spiritus unus, et caro una, in plerique etiam laus una, ut castitatem illius adornatam, nostramque adornandam etiam aliis virtutibus doceret, ait: Venter eius eburneus, distinctus sapphyris. Ut autem noveris, quia castitas aliarum virtutum seu gratiarum sit receptaculum, apothecae aromaticae, seu unguentariae nostri Salomonis non nisi domus eburneae sunt, sicut David in illo epithalamio cecinit, quod inscriptio titulo: Canticum pro dilecto, de sponso Ecclesiae accipiendum ostendit: Myrrha, inquit, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiae Regum in honore tuo;* haec ille.

B. Petrus Damianus (*serm. de annunc. Deip.*) sic loquitur: *Locum voluptatis, uterum b. Mariae intelligo, in quo cumulavit omnes delicias deliciarum Dominus, de cuius deliciis Spiritus s. admiratorio sermone in amoris Cantico sic eructat: Quae est ista, quae ascendit de deserto, deliciis affluens? Numquid in angelis voluptatem habet Altissimus, in quibus ipse reperit pravitatem? numquid in constellatione, vel scintillatione stellarum, quarum aliae convertuntur in sanguinem, aliae cadunt de coelo, aliae in tenebras obscurantur? nunquid Dominus voluptatem habet in aere, vel igne, vel ventis? nequaquam; quia non in igne Dominus, non in commotione Dominus, non in spiritu Dominus; si verax est ille, qui curru igneo, et equis igneis est assumptus in coelum; nunquid in aquis, ubi furens, et tortuosus Leviathan immoratur, aut in terra, quae sub maledicto Adae spinas emittit, et tribulos? non est locus voluptatis, nisi uterus b. Virginis, ex hoc egreditur humanitate, quia vestitus cilicio nostrae mortalitatis visibilis humanis oculis apparuit, et de Virgine virgam, de libera autem, generationis lineam faciens, divinitatis humum invenit, quem carne operuit virginali, ut draco magnus illectus ad carnem, ferrum divini numinis subsentiret;* haec ille.

D. Bernardus (*serm. 3. super Salve Regi.*) propter maternam dignitatem variis metaphoris b. Virginem exornat in haec verba: *Non solum coelum, et firmamentum Domina rerum intelligitur, sed aliis nominibus convenienter appellatur, et rerum vocabulis designatur ipsa, tabernaculum Dei, templum, domus, atrium, cubiculum, thalamus, sponsa, filia, arca diluvii, arca testamenti, urna aurea manna continens, virga Aaron, vellus Gedeonis, porta Ezechielis, civitas Dei: coelum, terra, sol, luna, stella matutina, aurora, lucerna, tuba, mons, fons, hortus, lilium convallium, desertum. Ipsa est terra promissionis, lacte, et melle manans, stella maris, navis quoque, via in mari, sagena, vinea, ager, area, horreum, stabulum, et praesepe subiugale, apotheca, aula, turris, castra, acies, populus, regnum, sacerdotium, ovis, pascua, paradisus, palma, rosa, fluvius, portus, columba, columna, vestis, margarita, candelabrum, mensa, corona, sceptrum, panis, oleum, vinum, arbor, virga, cedrus, cypressus, platanus, libanus, cynnamomum, balsamum, myrrha, thus, oliva, nardus, crocus, fistula, calamus, storax. Soror, et Mater est; et ut breviter concludam, de hac, et propter hanc totus mundus factus est; et haec gratia Dei plena est, et per hanc homo redemptus est, Verbum Dei caro factum est, Deus humilis, homo sublimis;* haec d. Bernardus.

Sophronius (*serm. de assump. Deip.*) haec profert: *Vere hortus deliciarum, in quo consita sunt universa florum genera, et odoramenta virtutum, sicque conclusus, ut nesciat violari, neque corrumpi ullis insidiarum fraudibus: fons itaque signatus sigillo totius Trinitatis, ex quo fons vitae manat; in cuius lumine omnes videbimus lumen, quia iuxta d. Ioannem: ipse est, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Cuius profecto emissio uteri supernorum civium omnium est paradisus;* haetenus ille.

Divus Ioannes Damascenus (*orat. 1. de dorm. b. Virg.*), loquens cum Deipara, haec dicit: *Tabernaculum Abrahae te apertissime indicabat: etenim Verbo divino in ventre tuo, tanquam tabernaculo habitanti, humana natura subcinericium panem, hoc est sui primitias ex puris suis sanguinibus obtulit, a divino igne quodammodo coctas, panemque effectas: atque in divina ipsius persona existentes, et ad veram corporis animati anima rationali, atque intellectuali substantiam venientes:* et idem (*orat. 1. de Nativ. b. Virg.*): *Cedat, inquit, illud spiritus tabernaculum, quod Moyses in deserto ex pretiosa atque omnis generis materia construxit, atque etiam ante istud patris Abraham tabernaculum, vivo, et ratione praedito Dei tabernaculo: hoc enim non actionis duntaxat, ac potentiae divinae conceptaculum fuit; verum et essentiae, ratione ipsiusmet personae Filii, ac Dei;* sic d. Ioan. Damasc.

His omnes addimus nos, Christum Dominum dixisse (*Luc. 10*): *Beati oculi, qui vident, quae vos videtis.* Si ergo Apostolorum oculi, qui Verbum divinum incarnatum imbecilli tunc praediti fide, intuebantur, et non integro quadriennio familiares Christi fuerunt, et tamen ab ipso beati vocantur; cur non beati oculi Virginis Mariae, qui mundi lucem, et Verbum carnem factum, illumque speciosum prae filiis hominum, ante alios primum spectavere, simulque omnes aetatis illius progressus incredibili cum voluptate, et fide nunquam dubia spectando, sese obleclavere? Pari ratione, cur non recte profiteamur: Beatae aures, quas Maria plus, quam regina Saba, non dicam ad regem Salomonem, sed ad ipsam Dei Sapientiam, sed ad iustitiae doctorem, et magistrum unum Christum, privatim et publice audiendum, cupidissimas attulit, et porrexit? nullus ut illum vel attentius, vel laetius, vel utilius de summis illis disserentem mysteriis vel interrogasse, vel auscultasse videatur? Cur non beatas quoque Virginis Deiparae manus appellemus, quae tot annis tanta cum animi suavitate de Verbo vitae contrectaverunt? manus, inquam, quae huic divinissimo infanti, puero, adolescenti in victu, atque vestitu noctes ac dies materna quaevis officia fidissime praestiterunt? Cur non beatos pedes etiam agnoscamus, quos Dei amor, Christi cura, et obedientiae lex ad longas, difficiles, et sacras illas peregrinationes frequenter extraxit? pedes, inquam, quos ad Christi fastigia tum insequenda, tum revisenda ante, et post filium in coelos assumptum, libenter exercuit, ac defatigavit? Cur demum beata non fateamur oscula, quae dilecta dilecto in charitate non ficta toties, et tam reverenter delibavit? quae a nato vicissim amanter accepit, cum talem filium talis mater in sinu amplecteretur: et tam dulce dulci de collo penderet onus, quod eadem parens, et nutrix, et gerula manibus circumferret, gestaret in ulnis, foveret in gremio, ac saepenumero blandissime demulceret? Quem vero demulceret? Lilium convallium, Israelis gloriam, lumen gentium, delicias orbis terrarum, suum cor, suum thesaurum, suum decus, suum solatium, praesidium unicum. Certe Methildi sanctae virgini (*lib. 1. grat. spirit.*) hoc revelavit Deus, saepenumero usu venisse, ut b. Maria suum infantulum in gremio foveret, suumque caput illius capiti suavissime applicaret, ita sero factum esse, ut filii caput, et faciem profusis amoris lacrymis irrigaret: hunc vero sermonem matri eo tempore familiarem, usitatumque fuisse, ut compellans filium diceret: *O salus et gaudium animae meae.*

Beatus venter tuus, o Deipara Virgo, beatus locus, in quo qui genitus erat ab aeterno in utero Patris, temporaliter fuit conceptus in utero matris. Beatus liber candidus, in quo Verbum Dei scriptum fuit, non alio quam purpurei sui sanguinis atramento. Beatus venter, qui fuit mensura, ad quam se colligens immensus Dei Filius, parvitati eius se coaplavit. Beatus venter, qui praelum fuit, in quo imago illa invisibilis Dei maiestatis veram sumpsit imaginem hominis, non amissa illa, quae erat Dei. Beatus venter, in quo miraculum illud omnium miraculorum maximum patratum est, cum *Verbum caro factum est.* Beatus venter, qui mystica theca fuit, in qua thesaurus sapientiae, et scientiae Dei servatus fuit. Beatus venter, qui fuit conchilium, in quo pretiosa corporis Christi margarita, coelo irrorante, fuit procreata. Beatus venter, in quo vel ut olim in urna, divinum manna latuit. Beatus venter, qui domicilium fuit regale Regis coelorum. Lectulus vere Salomonis, ac thalamus, in quo triplex sponsalitium celebratum fuit: Verbi divini cum humanitate, Christi cum Ecclesia, Spiritus s. cum Maria. Beatus venter, in quo factus est coelestis panis, quo fideles cibamur, et reficimur. Beatus venter, coelo ipso capacior: siquidem capere potuit, *quem coeli coelorum capere non possunt.* Beatus venter, qui paradisus fuit secundi hominis de coelo coelestis. Beatus venter, qui ager fuit foecundus adeo, ut pro fructu proferret ipsum Deum. Beatus venter, qui portat omnia portantem verbo virtutis suae. Beatus venter, ex quo, velut ex arce, Filius Dei humanae carnis armis munitus, humani generis hostem debellavit, et spolia eius tulit. Beatus venter, qui officina fuit, ex qua rex gloriae purpuram carnis humanae, Mariani sanguinis cocco tinctam assumpsit. Beatus venter, ex quo Deus, qui non erat homo, prodiit filius hominis, ut Christus Dominus saepe se vocavit, quae appellatio nemini, nisi ipsi, convenire potest: quia reliqui sunt filii hominum, utpote ex viro, et foemina procreati, Christus autem solus est filius hominis: quia non ex viro, sed ex sola b. Virgine, Spiritu s. cooperante, genitus fuit. Beatus venter, qui Bethleemitica illa fuit cisterna, a Davide ardenter desiderata, ex qua immortalitatis poculum cunctis viventibus emanavit. Beatus venter, qui terra virginea fuit, de qua dictum est (*Ps. 84*): *Veritas de terra orta est.* Beatus venter, qui Deum peregrinantem, quando *Venit in propria, et sui eum non receperunt*, hospitio excepit. Beatus venter, qui hortus fuit conclusus, et fons signatus sigillo sanctissimae Trinitatis. Beatus venter, qui pretium fuit nostrae redemptionis, et commune aerarium extruxit, ad humani generis inopiam sublevandam. Beatus venter, qui factus est magnum, ac percelebre Deitatis templum, sacrarium Spiritus s. fulgentissimum divinae Triadis triclinium. Beatus venter, qui

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN

chara Dei civitas fuit, aula coelestis, ferculum Salomonis, fons lucis, altare summi sacerdotis. Beatus venter, qui et beatum filium concepit, et angelorum, et hominum beatitudinem genuit. Ac tandem, quia non solum difficile, sed impossibile iudico, huius Mariani ventris laudes exhaurire, Salomone dicente (*Eccl.*1): *Quis investigabit omnia secreta ventris?* finem dicendi facio, cum muliere illa Evangelica (*Luc.* 12). *Beatus venter, qui te portavit.* Beatus ille venter intactus, immaculatus, sanctus, illibatus, impollutus, seraphinisque purior. Beatus venter ille mundissimus, qui immortalitatis aditum reseravit, universum orbem locupletavit, ac divinae gratiae benedictionibus replevit. Beatus venter, per quem peccatores veniam, iusti gratiam, angeli laetitiam, totaque Trinitas gloriam percepit; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA V.

Celsissimae dignitatis Matris Dei praeclara multa encomia proferimus, in illa verba: Beatus venter, qui te portavit (*Luc. cap.* 11).

Maternitatis Dei sublimissimam dignitatem contemplans d. Thomas (3. *part. qu.* 27. *art.* 1. *ad* 1) dixit: *Hic titulus*, scilicet matris Dei, *ut admirabilis est, ita admirabiles sanctimoniae universae divitias postulat*: has copiose adeo divina munificentia in b. Virginem effudit, ut d. Bernardus (*hom.* 4. *sup. Miss. est*) dubitet, an beatissima Virgo, divino alioquin lumine prae omnibus aliis copiosissime illustrata, plene dignitatem hanc cognoverit: etenim ait: *Quid est, Et virtus Altissimi obumbrabit tibi? qui potest capere capiat: quis enim, excepta fortassis illa, quae hoc sola in se felicissime meruit experiri, id intellectu capere, vel ratione discernere possit?* Ecce, fortassis, dixit, dubitat ergo. At d. Augustinus (*sup. Magn. tom.*9) indubitanter, et absque haesitatione affirmat, Dei genitricis dignitatem ab ipsa etiam Dei parente non plene agnitam fuisse: *Audacter pronuncio, quod nec ipsa plene explicare potuit, quod capere potuit.* Unde Andreas Cretensis (*or.* 1. *de dorm. b. Virgin.*) a solo Deo dignam laudem ei posse deferri putat: *Quam, inquit, Dei tantum est laudare pro dignitate.* Quare cum nihil pro dignitate laudari queat, quod pro dignitate prius non agnoscitur; consequens est, nullam creaturam, etiam angelicam, dignitatem Dei parentis plene commendare posse, cum nullus plene, et comprehensive illam agnoscat: ad id namque oporteret, Deum ipsum incomprehensibilem comprehendere, cuius ipsa beatissima Virgo mater est. Quamobrem d. Anselmus (*lib. de excell. b. Virg. cap.* 2) postquam dixerat, dignitatem Matris Dei omnia quaecumque, praeter ipsum Deum, excellentia, et dignitate transcendere, solum nobis praebet facilitatem, illam sincere contemplandi, et religiose ruminandi: verba eius sunt haec: *Hoc solum de sancta Virgine praedicari, quod Dei mater est, excedit omnem altitudinem, quae post Deum dici, vel cogitari potest, et altissimum quid habet ad contemplandum, et ruminandum mens humana. Hanc ergo altitudinem, et nos altius contemplemur, et ruminemus: nam tametsi comprehendere non sit datum, ruminare non est negatum;* hactenus d. Anselmus.

Primo, tanquam principium satis notum, et exploratum, omnes etiam philosophi, solo lumine rationis illustrati agnoverunt, quanto aliquid coniunctius est Deo, omnis bonitatis, et perfectionis perenni fonti, tanto perfectius, et excellentius iudicari. Si ergo ostenderim, beatissima Virgine Dei parente nihil inter puras creaturas Deo coniunctius, aut arctiori vinculo cum eo copulatum concipi, aut excogitari posse, plane innotescet, Dei Genitricis dignitatem longe omnem aliam dignitatem transcendere. Strictissimo sane unionis vinculo coniuncta sunt anima, et corpus; mors tamen illud solvit, animam a corpore dividens; imo et amor potens est suo modo hanc separationem facere, ut Salomon (*Cant.*8) dixit: *Fortis est, ut mors, dilectio:* quia sicut mors animam disiungit a corpore, ita, iuxta sententiam philosophi: *Amantis anima plus est, ubi amat, quam ubi animat.* Ecce separationem animae per affectum a proprio corpore, quia adeo saepe efferbuit, ut, id experientia non semel comprobante, reipsa amanti animam abstulerit. Arctissima esse perhibetur coniunctio propriae passionis cum subiecto, ut philosophi docent: exempli gratia risibilitas cum homine; nihilominus tamen in dubium vertitur, an possit separari passio a subiecto, quibusdam affirmantibus, aliis vero negantibus. Unde utraque pars in opinionem abiit. Deinde unionis hypostaticae Verbi divini cum humanitate, licet sit tanta arctitudo, ut in morte Christi, separata anima a corpore, Verbum tamen divinum nunquam fuerit separatum ab eis; nihilominus tamen, communis est, nemine dissentiente, theologorum sententia, Verbum divinum de potentia eius absoluta dimittere posse humanitatem, coniunctionis vinculum cum illa penitus solvens. Ac tandem nullius mente concipi potest intimior, et arctior coniunctio, quam ea, quae propter summam Dei simplicitatem inter eius attributa ad invicem comparata, vel cum ipsa natura divina fides catholica in Deo nostro agnoscit; nihilo secius tamen, mens non solum angelica, sed et humana intelligentia, et ratione illa dividit; misericordiam a iustitia praescindens, et nudam essentiam consideranS absque attributis, et personis, immo in divina substantia illud genus divisionis invenitur, ut licet intellectus, et voluntas sint eadem simplicissima entitas, re vera secundum fidem catholicam, voluntate non generet Deus, sed intellectu, nec intellectu spiret, sed voluntate. Coniunctio autem matris cum filio, seu maternitatis cum filiatione tanta esse agnoscitur, ut neque cogitatione haec ab illa dividi, aut quoquo modo secerni possit. Cum ergo beatissima Virgo ad eam dignitatem ascenderit, ut *theotocos* sit, hoc est, *Dei mater*, ut sacrum Concilium Ephesinum contra Nestorii impietatem acerrime defendit, catholicaque definivit; consequens est, tantam esse cum Deo beatae Virginis coniunctionem, ut quatenus mater est, neque cogitatione separari quoquomodo possit ab ipso Deo: ad quod sane respiciens sanctus Bernardus (*hom.* 6. *sup. Miss. est*), haec praeclara verba tanti Patris ingenio digna protulit: *Cum Deus sit cum omnibus sanctis propter concordiam voluntatis, specialiter tamen cum Maria, cum qua utique tanta ei consensio, et coniunctio fuit, ut illius non solum voluntatem, sed etiam carnem sibi coniungeret, ac si de sua, Virginisque substantia unum Christum efficeret, vel potius unus Christus fieret, qui, etsi nec totus de Deo, nec totus de Virgine, totus tamen Dei, et totus Virginis esset, nec duo filii, sed unus utriusque filius;* haec divus Bernardus. Sed et Ovidius in suis epistolis matrem illam introducit, filium suum vocantem, propter summam cum eo coniunctionem, viscera sua:

> Cum ea me coram silvae lituleus in altas;
> Viscera montanis ferret edenda lupis.

Secundo, dignitatem Dei parentis id valde commendabilem reddit, quod Filius Dei uterum eius ingrediendi ardentissimo desiderio flagrarit, ut his verbis adnotavit b. Andreas Cretensis (*orat.* 2. *de dorm. Deip.*): *Tu es terra, quae ex vere desiderabilis. Rex enim desideravit gloriam tuae pulchritudinis, et amavit divitias tuae virginitatis, et in te habitavit.* Desiderium hoc contemplans s. Augustinus (*sermon.* 17. *de Nativit. Dom.*) quaedam verba adeo mysteriis gravida protulit, ut singula sua expositione indigeant: etenim ad b. Virginem, antequam consensum praeberet ad acceptandam Dei Matris amplissimam dignitatem, in hunc modum in persona Gabrielis loquitur: *Usque quo moraris, o Virgo nuntium festinantem? intuere Dominum Deum, in coeli me vestibulo sustinentem.* Observa quaeso, vocasse se nuntium festinantem: sed quid quaeso, opus est, o Gabriel, tanta festinatione in peragendo negotio tanti momenti? pedetentim res tanta pertractanda est. Deus ipse per plusquam quinque millia annorum propter summam rei gravitatem, quasi illud maturans, distulit; et nuncius illius festinanter vult rem tantam peragi? nuncium festinantem: sane Gabriel, probe agnoverat ardens Domini sui desiderium, quo tenebatur, virgineum thalamum ingrediendi; et ideo, tanquam fidelis nuncius, quantum potest, assensum ad ingressum eius accelerare satagit. Deinde subdit divus Augustinus in persona angeli: *Intuere Deum, in coeli me vestibulo sustinentem;* non dixit, Deum sustinere, aut expectare illum in sede regiae maiestatis, aut solio gloriae suae, sed in vestibulo coeli, ad fores sui palatii; qua loquendi phrasi manifestius expressit ardorem divini desiderii in virgineum thalamum ingrediendi: etenim, cum quispiam ardenter adventum alicuius desiderat, impatiens desiderium ad fores domus illum properare compellit, si forsan, quem desiderat adventantem, citius videat, ut fecisse legimus matrem Tobiae imioris, quae prae magnitudine desiderii videndi filium suum, ad fastigium montis conscendebat (*Tobiae* 10): *Anna autem ascendebat quotidie super culmen montis, unde prospicere poterat de longinquo.* Huius etiam ardentis Dei desiderii illud evidentissimum argumentum est, quod exhibito a beata Virgine consensu, nec per momentum ingressum in matris uterum distulit, ut egregie observavit divus Augustinus (*serm.* 17. *de Nativ. Dom.*): *Nec mora, revertitur nuncius, et nuptialem thronum ingreditur Christus;* o mirabile, et inauditus huius desiderii ardor. Noverat Dominus, antequam in materno utero foetus concipiatur, per quadraginta dies iuxta ordinem naturae in masculis disponi materiam; ipse tamen prae magnitudine desiderii beatae Virginis ventrem introeundi, supremi sui dominii auctoritate utens, naturae iura violans, quadraginta dies non expectat, sed in unico temporis momento, quo nulla brevior duratio excogitari potest, in utero beatae Virginis corpus sibi coaptat, animam ei infundit, et utrinque unionis hypostaticae vinculo sibi copulat. Unde divus Ioannes Damascenus (*lib.* 3. *fidei ortho. cap.* 2) dixit: *Non ita ut paulatim, tacitisque incrementis figura corporis absolveretur, sed uno eodemque momento perficeretur;* hoc idem Filii Dei desiderium non obscure probat, frequens, quem voluit, antequam homo fieret, de mysterio incarnationis in utero Virgineo celebrando, habere, sermo: quae enim ardenter desiderantur, frequenter in ore versari placet. Per Isaiam dixerat: *Ecce Virgo concipiet;* per Hieremiam: *Novum creavit Dominus super terram, mulier circumdabit virum;* per Michaeam: *Et tu Bethlehem, terra Iuda, nequaquam minima es: ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israel;* immo et per Oseam obstinatis Iudaeis in Christum credere renuentibus, tantae obdurationis supplicium ex praesagiens, incarnationis suae ex Virgine meminit; et per illam puniendos fore praedixit. Nam ubi noster vulgatus interpres legit: *Vae eis, cum recessero ab eis;* originale Hebraeum habet: *Vae eis, cum incarnatus fuero ab eis.* Ne autem cuipiam haec lectio commentitia videatur, parumque cohaerere vulgatae lectioni, legat, quae in commentario huius loci in haec verba scripsit noster doctissimus Lyranus: *Sciendum, quod iste est unus de passibus Scripturae veteris testamenti corruptis a Iudaeis*, secundum quod dicit frater Raymundus in hebraica lingua valde peritus: ad cuius intellectum sciendum, quod sic in hebraeo habetur: *quia etiam vae eis, Besuride eis.* Hebraei vero habent duplicem literam, scilicet, *Samech*, et *Sin*, in sono, et charactere differentes: quando vero *Besuri* per literam *Samech* scribitur, significat, *in recessu meo;* quando vero describitur per *sin*, significat, *Incarnationem meam;* hic autem scribitur per *Sin;* et ideo haec est vera litera: *quia etiam: vae eis incarnatio mea de eis:* assumpsit enim Deus carnem de Iudaeis, et ex hoc secutum est, *vae eis*, quia pro maiori parte fuerunt increduli, et persecutores Christi, et in vindictam mortis eius per Romanos trucidati, et captivati fuerunt, haec ille: quam intelligentiam

chara Dei civitas fuit, aula coelestis, ferculum Salomonis, fons lucis, altare summi sacerdotis. Beatus venter, qui et beatum filium concepit, et angelorum, et hominum beatitudinem genuit. Ac tandem, quia non solum difficile, sed impossibile iudico, huius Mariani ventris laudes exhaurire, Salomone dicente (*Eccl.*1): *Quis investigabit omnia secreta ventris?* finem dicendi facio, cum muliere illa Evangelica (*Luc.* 12). *Beatus venter, qui te portavit.* Beatus ille venter intactus, immaculatus, sanctus, illibatus, impollutus, seraphinisque purior. Beatus venter ille mundissimus, qui immortalitatis aditum reseravit, universum orbem locupletavit, ac divinae gratiae benedictionibus replevit. Beatus venter, per quem peccatores veniam, iusti gratiam, angeli laetitiam, totaque Trinitas gloriam percepit; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA V.

Celsissimae dignitatis Matris Dei praeclara multa encomia proferimus, in illa verba: Beatus venter, qui te portavit (*Luc. cap.* 11).

Maternitatis Dei sublimissimam dignitatem contemplans d. Thomas (3. *part. qu.* 27. *art.* 1. *ad* 1) dixit: *Hic titulus*, scilicet matris Dei, *ut admirabilis est, ita admirabiles sanctimoniae universae divitias postulat*: has copiose adeo divina munificentia in b. Virginem effudit, ut d. Bernardus (*hom.* 4. *sup. Miss. est*) dubitet, an beatissima Virgo, divino alioquin lumine prae omnibus aliis copiosissime illustrata, plene dignitatem hanc cognoverit: etenim ait: *Quid est, Et virtus Altissimi obumbrabit tibi? qui potest capere capiat: quis enim, excepta fortassis illa, quae hoc sola in se felicissime meruit experiri, id intellectu capere, vel ratione discernere possit?* Ecce, fortassis, dixit, dubitat ergo. At d. Augustinus (*sup. Magn. tom.*9) indubitanter, et absque haesitatione affirmat, Dei genitricis dignitatem ab ipsa etiam Dei parente non plene agnitam fuisse: *Audacter pronuncio, quod nec ipsa plene explicare potuit, quod capere potuit.* Unde Andreas Cretensis (*or.* 1. *de dorm. b. Virgin.*) a solo Deo dignam laudem ei posse deferri putat: *Quam, inquit, Dei tantum est laudare pro dignitate.* Quare cum nihil pro dignitate laudari queat, quod pro dignitate prius non agnoscitur; consequens est, nullam creaturam, etiam angelicam, dignitatem Dei parentis plene commendare posse, cum nullus plene, et comprehensive illam agnoscat: ad id namque oporteret, Deum ipsum incomprehensibilem comprehendere, cuius ipsa beatissima Virgo mater est. Quamobrem d. Anselmus (*lib. de excell. b. Virg. cap.* 2) postquam dixerat, dignitatem Matris Dei omnia quaecumque, praeter ipsum Deum, excellentia, et dignitate transcendere, solum nobis praebet facilitatem, illam sincere contemplandi, et religiose ruminandi: verba eius sunt haec: *Hoc solum de sancta Virgine praedicari, quod Dei mater est, excedit omnem altitudinem, quae post Deum dici, vel cogitari potest, et altissimum quid habet ad contemplandum, et ruminandum mens humana. Hanc ergo altitudinem, et nos altius contemplemur, et ruminemus: nam tametsi comprehendere non sit datum, ruminare non est negatum;* hactenus d. Anselmus.

Primo, tanquam principium satis notum, et exploratum, omnes etiam philosophi, solo lumine rationis illustrati agnoverunt, quanto aliquid coniunctius est Deo, omnis bonitatis, et perfectionis perenni fonti, tanto perfectius, et excellentius iudicari. Si ergo ostenderim, beatissima Virgine Dei parente nihil inter puras creaturas Deo coniunctius, aut arctiori vinculo cum eo copulatum concipi, aut excogitari posse, plane innotescet, Dei Genitricis dignitatem longe omnem aliam dignitatem transcendere. Strictissimo sane unionis vinculo coniuncta sunt anima, et corpus; mors tamen illud solvit, animam a corpore dividens; imo et amor potens est suo modo hanc separationem facere, ut Salomon (*Cant.*8) dixit: *Fortis est, ut mors, dilectio:* quia sicut mors animam disiungit a corpore, ita, iuxta sententiam philosophi: *Amantis anima plus est, ubi amat, quam ubi animat.* Ecce separationem animae per affectum a proprio corpore, quia adeo saepe efferbuit, ut, id experientia non semel comprobante, reipsa amanti animam abstulerit. Arctissima esse perhibetur coniunctio propriae passionis cum subiecto, ut philosophi docent: exempli gratia risibilitas cum homine; nihilominus tamen in dubium vertitur, an possit separari passio a subiecto, quibusdam affirmantibus, aliis vero negantibus. Unde utraque pars in opinionem abiit. Deinde unionis hypostaticae Verbi divini cum humanitate, licet sit tanta arctitudo, ut in morte Christi, separata anima a corpore, Verbum tamen divinum nunquam fuerit separatum ab eis; nihilominus tamen, communis est, nemine dissentiente, theologorum sententia, Verbum divinum de potentia eius absoluta dimittere posse humanitatem, coniunctionis vinculum cum illa penitus solvens. Ac tandem nullius mente concipi potest intimior, et arctior coniunctio, quam ea, quae propter summam Dei simplicitatem inter eius attributa ad invicem comparata, vel cum ipsa natura divina fides catholica in Deo nostro agnoscit; nihilo secius tamen, mens non solum angelica, sed et humana intelligentia, et ratione illa dividit; misericordiam a iustitia praescindens, et nudam essentiam consideranS absque attributis, et personis, immo in divina substantia illud genus divisionis invenitur, ut licet intellectus, et voluntas sint eadem simplicissima entitas, re vera secundum fidem catholicam, voluntate non generet Deus, sed intellectu, nec intellectu spiret, sed voluntate. Coniunctio autem matris cum filio, seu maternitatis cum filiatione tanta esse agnoscitur, ut neque cogitatione haec ab illa dividi, aut quoquo modo secerni possit. Cum ergo beatissima Virgo ad eam dignitatem ascenderit, ut *theotocos* sit, hoc est, *Dei mater*, ut sacrum Concilium Ephesinum contra Nestorii impietatem acerrime defendit, catholicaque definivit; consequens est, tantam esse cum Deo beatae Virginis coniunctionem, ut quatenus mater est, neque cogitatione separari quoquomodo possit ab ipso Deo: ad quod sane respiciens sanctus Bernardus (*hom.* 6. *sup. Miss. est*), haec praeclara verba tanti Patris ingenio digna protulit: *Cum Deus sit cum omnibus sanctis propter concordiam voluntatis, specialiter tamen cum Maria, cum qua utique tanta ei consensio, et coniunctio fuit, ut illius non solum voluntatem, sed etiam carnem sibi coniungeret, ac si de sua, Virginisque substantia unum Christum efficeret, vel potius unus Christus fieret, qui, etsi nec totus de Deo, nec totus de Virgine, totus tamen Dei, et totus Virginis esset, nec duo filii, sed unus utriusque filius;* haec divus Bernardus. Sed et Ovidius in suis epistolis matrem illam introducit, filium suum vocantem, propter summam cum eo coniunctionem, viscera sua:

> Cum ea me coram silvae lituleus in altas;
> Viscera montanis ferret edenda lupis.

Secundo, dignitatem Dei parentis id valde commendabilem reddit, quod Filius Dei uterum eius ingrediendi ardentissimo desiderio flagrarit, ut his verbis adnotavit b. Andreas Cretensis (*orat.* 2. *de dorm. Deip.*): *Tu es terra, quae ex vere desiderabilis. Rex enim desideravit gloriam tuae pulchritudinis, et amavit divitias tuae virginitatis, et in te habitavit.* Desiderium hoc contemplans s. Augustinus (*sermon.* 17. *de Nativit. Dom.*) quaedam verba adeo mysteriis gravida protulit, ut singula sua expositione indigeant: etenim ad b. Virginem, antequam consensum praeberet ad acceptandam Dei Matris amplissimam dignitatem, in hunc modum in persona Gabrielis loquitur: *Usque quo moraris, o Virgo nuntium festinantem? intuere Dominum Deum, in coeli me vestibulo sustinentem.* Observa quaeso, vocasse se nuntium festinantem: sed quid quaeso, opus est, o Gabriel, tanta festinatione in peragendo negotio tanti momenti? pedetentim res tanta pertractanda est. Deus ipse per plusquam quinque millia annorum propter summam rei gravitatem, quasi illud maturans, distulit; et nuncius illius festinanter vult rem tantam peragi? nuncium festinantem: sane Gabriel, probe agnoverat ardens Domini sui desiderium, quo tenebatur, virgineum thalamum ingrediendi; et ideo, tanquam fidelis nuncius, quantum potest, assensum ad ingressum eius accelerare satagit. Deinde subdit divus Augustinus in persona angeli: *Intuere Deum, in coeli me vestibulo sustinentem;* non dixit, Deum sustinere, aut expectare illum in sede regiae maiestatis, aut solio gloriae suae, sed in vestibulo coeli, ad fores sui palatii; qua loquendi phrasi manifestius expressit ardorem divini desiderii in virgineum thalamum ingrediendi: etenim, cum quispiam ardenter adventum alicuius desiderat, impatiens desiderium ad fores domus illum properare compellit, si forsan, quem desiderat adventantem, citius videat, ut fecisse legimus matrem Tobiae imioris, quae prae magnitudine desiderii videndi filium suum, ad fastigium montis conscendebat (*Tobiae* 10): *Anna autem ascendebat quotidie super culmen montis, unde prospicere poterat de longinquo.* Huius etiam ardentis Dei desiderii illud evidentissimum argumentum est, quod exhibito a beata Virgine consensu, nec per momentum ingressum in matris uterum distulit, ut egregie observavit divus Augustinus (*serm.* 17. *de Nativ. Dom.*): *Nec mora, revertitur nuncius, et nuptialem thronum ingreditur Christus;* o mirabile, et inauditus huius desiderii ardor. Noverat Dominus, antequam in materno utero foetus concipiatur, per quadraginta dies iuxta ordinem naturae in masculis disponi materiam; ipse tamen prae magnitudine desiderii beatae Virginis ventrem introeundi, supremi sui dominii auctoritate utens, naturae iura violans, quadraginta dies non expectat, sed in unico temporis momento, quo nulla brevior duratio excogitari potest, in utero beatae Virginis corpus sibi coaptat, animam ei infundit, et utrinque unionis hypostaticae vinculo sibi copulat. Unde divus Ioannes Damascenus (*lib.* 3. *fidei ortho. cap.* 2) dixit: *Non ita ut paulatim, tacitisque incrementis figura corporis absolveretur, sed uno eodemque momento perficeretur;* hoc idem Filii Dei desiderium non obscure probat, frequens, quem voluit, antequam homo fieret, de mysterio incarnationis in utero Virgineo celebrando, habere, sermo: quae enim ardenter desiderantur, frequenter in ore versari placet. Per Isaiam dixerat: *Ecce Virgo concipiet;* per Hieremiam: *Novum creavit Dominus super terram, mulier circumdabit virum;* per Michaeam: *Et tu Bethlehem, terra Iuda, nequaquam minima es: ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israel;* immo et per Oseam obstinatis Iudaeis in Christum credere renuentibus, tantae obdurationis supplicium ex praesagiens, incarnationis suae ex Virgine meminit; et per illam puniendos fore praedixit. Nam ubi noster vulgatus interpres legit: *Vae eis, cum recessero ab eis;* originale Hebraeum habet: *Vae eis, cum incarnatus fuero ab eis.* Ne autem cuipiam haec lectio commentitia videatur, parumque cohaerere vulgatae lectioni, legat, quae in commentario huius loci in haec verba scripsit noster doctissimus Lyranus: *Sciendum, quod iste est unus de passibus Scripturae veteris testamenti corruptis a Iudaeis*, secundum quod dicit frater Raymundus in hebraica lingua valde peritus: ad cuius intellectum sciendum, quod sic in hebraeo habetur: *quia etiam vae eis, Besuride eis.* Hebraei vero habent duplicem literam, scilicet, *Samech*, et *Sin*, in sono, et charactere differentes: quando vero *Besuri* per literam *Samech* scribitur, significat, *in recessu meo;* quando vero describitur per *sin*, significat, *Incarnationem meam;* hic autem scribitur per *Sin;* et ideo haec est vera litera: *quia etiam: vae eis incarnatio mea de eis:* assumpsit enim Deus carnem de Iudaeis, et ex hoc secutum est, *vae eis*, quia pro maiori parte fuerunt increduli, et persecutores Christi, et in vindictam mortis eius per Romanos trucidati, et captivati fuerunt, haec ille: quam intelligentiam

a calumniis quorundam Hebraeorum erudite ibidem vindicat. Hoc tandem Dei desiderium, ardens amor erga beatam Virginem, quo divinum pectus aestuabat, vehementius inflammabat. Refert Horatius Brisein servam pulchritudise sua fortissimum Achillem captivasse:

Serva Briseis niveo calore novit Achillem.

Quis fortis Achilles, nisi Verbum divinum, quod fortissimum est brachium Dei (*Isai.* 53): *Et brachium Domini, cui revelatum est?* hic ergo fortis Achilles captus fuit amore pulchritudinis, ac mirae sanctitatis servae, et ancillae illius, quae in medio exaltationis suae, dum mater Dei efficeretur, dum dignitate matris Dei invitaretur (*Lucae* 1): *Ecce ancilla Domini*, humilior dixit. Vehemens igitur iste amor Dei erga b. Virginem magis, ac magis Dei desiderium excitabat, sacrum illum thalamum ingrediendi.

Tertio, dignitatem, et excellentiam matris Dei ex eo non parum exaltari arbitror, quod ipsemet Filius Dei consubstantialis Patri gloriatur, naturalem filium esse tantae matris, ut non obscure indicant verba divi Matthaei (*cap.* 1) dicentis: *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Inter omnia Dei nomina nullum gloriosius, ac maiore veneratione dignius, quam nomen, *Iesus*, indicavit d. Paulus, dum (*ad Philippen.* 2) in nullo alio nomine dixit, quam in nomine Iesu flecti omne genu tam coelestium, quam terrestrium, et infernorum. Voluit ergo Dominus, cum a sacro Evangelista dicitur natus ex Virgine, illustriori, ac gloriosiori suo nomine nuncupari, ut hac ratione significaret, se filium tantae matris gloriari. Certe, cum contingit, principem aliquem humilem, et abiectam matrem habere, semper illam reticeri cupit, nec aliquam eius fieri mentionem vellet; quando tamen illam nobili genere natam, variisque animi dotibus conspicuam omnes norunt, mirum in modum gloriatur, talem sortitum fuisse matrem. Cum ergo videamus Christum Dominum principem pacis, voluisse a sacris historiographis natum ex Virgine praedicari, manifeste relinquitur, gloriosum sibi iudicasse filium esse tantae matris. Unde et in principio Genesis voluit nominari sexum, seu semen mulieris: *Inimicitias ponam inter te, et mulierem, semen tuum, et semen illius.* Ubi ut id obiter dicam, Rupertus (*lib.* 3. *de Trinit. cap.* 19) versans hunc locum, scite adnotavit, solum Christum ita esse semen, seu filium mulieris, ut non etiam sit semen viri; et ideo, non absque mysterio voluisse Dominum semen mulieris nuncupari. In evangelico tandem eloquio millies voluit Filium hominis nominari: quod idem prorsus est, quod filium Virginis appellari; quinimo et aeternus Pater sibi valde honorificum putat, beatam Virginem proprii filii sui naturalis veram esse matrem, ut non obscure mihi indicare videntur (*Lucae* 1) illa verba: *Ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Poterat sane varacissime b. Virgini dicere angelus: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius tuus;* at consulto id omittens dixit: *Vocabitur Filius Dei:* ut significaret, ad illud sanctitatis, et perfectionis culmen beatam Virginem attigisse, ut aeterno Patri pergratum sit, filium Virginis, filium Dei et esse, et nominari: hoc perpendens d. Anselmus (*lib. de excel. Virg. cap.* 3) sapienter valde dixit: *Intendat mens humana, et contempletur, videat, et miretur: unum filium consubstantialem sibi Deus Pater genuit, hunc sibi unicum, et omnibus modis aequalem, non passus est remanere solummodo suum, sed eum ipsum in rei veritate esse beatae Mariae unicum, et naturalem filium.*

Quarto, regius propheta (*Psal.* 86) postquam dixerat de b. Virgine sub civitatis metaphora: *Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei:* inter alia, illud tanquam gloriosius apponit: *et homo natus est in ea.* Posset quispiam merito Davidem interrogare, si cupiebat b. Virginis maiestatem, et excellentiam commendare; ut quid non dixit: *Et Deus natus est in ea?* hoc enim palam in maiorem b. Virginis cederet gloriam, cum per se notum sit, maiorem dignitatem praeseferre maternitatem Dei, quam hominis. Huic interrogationi illud occurrit respondendum, Davidem consulto eo loco contentum fuisse dicere: *et homo natus est in ea*, nam si ore proferret: *Deus natus est in ea*, timebat, ne inde ansam nonnulli arriperent existimandi, beatam Virginem Deum esse, cum Deum pareret: et ideo ad hanc falsam existimationem propulsandam consulto non dixit: *et Deus natus est in ea.* Ecce tanta est Dei matris dignitas, ut oporteat ipsos etiam prophetas caute loqui, ne beatae Virgini Deitatem deferentes in errorem inducerentur. Atque hue facit, quod d. Epiphanius, explicans illa verba Christi pendentis in cruce, *Mulier ecce filius tuus*, haeret in verbo illo *Mulier*, quare non potius mater, maxime tempore illo, quo maiore egebat consolatione sacratissima Virgo? verbum autem illud, *mulier*, siccum, et asperum videtur. Respondet s. Epiphanius, consulto id fecisse Christum, ne si matrem eam vocasset, quam postea Dei matrem esse manifestandum, et praedicandum erat, quispiam eam ob id, et propter eximiam eius sanctitatem, et perfectionem, Deitatem aliquam esse putaret, aut seraphinum aliquem carne velatum; quare tunc in articulo mortis constitutus, relinquere voluit testatum, eam non Deam esse, sed mulierem: *Mulier, ecce filius tuus.*

Quinto, praeexcellentem adeo dignitatem matris Dei esse reor, ut in nullo divinorum operum magna Dei omnipotentia magis effulgeat, quam in eo, quod beata Virgo facta fuerit mater Dei. Unde ipsa Deipara in Cantico suo cecinit: *Fecit mihi magna, qui potens est.* Nemo ignorat, Deum in opere creationis valde suam omnipotentiam manifestasse, cum ex nihilo tam coelum, quam terram, tam angelicam naturam, quam humanam effecerit: nemo inficiatur, in opere iustificationis maxime immotescere divinam omnipotentiam, cum filius perditionis in filium Dei transferatur: *Translati estis a morte ad vitam.* In opere etiam glorificationis divinam omnipotentiam mirifice ostentari tam notum, ut adprobatione non indigeat. At multo mirabilius, et gloriosius illa in maternitate Dei

praefulget: quia in illis omnibus, quantum valeat Dei virtus, et potentia, in creaturis innotescit; at cum beatam Virginem Dei matrem fecit, quod neutiquam praestare poterat, nisi ipse ex ea carnem assumeret, manifestavit, quantum possit divinae virtutis eius potentia erga seipsum operari, quod certe nunquam expertus fuerat, quousque beatam Virginem in matrem accepit: tunc enim experientia ipsa didicit, si ita fas est loqui, eo pertingere potuisse omnipotentiam suam, ut spiritum faceret carnem (*Ioan.* 1): *Et Verbum caro factum est:* et Deum hominem constitueret: *Et homo factus est:* et qui substantia est increata, et inoperata sit opus manuum suarum. Certe artifices, quantumcumque primi, ac peritissimi regia palatia mosayco, dorico, aut corinthio labore quamvis construant, se tamen ipsos construere non possunt, nec fieri opus manuum suarum: hoc enim divinae Dei omnipotentiae est reservatum, qui cum sit omnium Creator, potuit fieri creatura; atque adeo se ipsum hominem effingere, et formare, terminando dependentiam naturae humanae, ut loquuntur theologi, ac supplendo in Christo per suam suppositalitatem vicem suppositi humani, quo nullum excellentius opus divina valuit operari virtus: ob quam potissimam causam in eo conficiendo comparatur figulo (*Hier. cap.* 18): *Descendi in domum figuli, et ecce ipse faciebat opus super rotam, et dissipatum est vas, quod ipse faciebat e luto manibus suis, conversusque fecit illud, vas alterum, sicut placuerat in oculis eius:* in quo typo hominis lapsus, et instauratio exprimitur. Vere enim homo, quem Deus e luto formaverat, vas erat fictile, quod tam cito fractum est, ut adhuc volvente rota, fractum fuisse videatur. Idcirco enim dicitur (*ibid.*): *Faciebat opus suum super rotam, et dissipatum est;* verum, eo fracto, figulus alterum vas longe pulchrius, Christum videlicet, efformavit, in quo genus humanum in primo Adam dissipatum, rursus, tanquam in secundo, instauraretur. Ratio vero similitudinis, praeter alia, colligitur ex figuli descriptione, quae commemoratur (*Ecclesiast. c.* 38): *Figulus sedens ad opus suum, convertens pedibus suis rotam, qui in solicitudine positus est semper propter opus suum et in numero est omnis operatio eius;* alias legitur numerata *in brachio suo formabit lutum, et ante pedes suos curabit virtutem suam.* Ubi notanda sunt postrema illa verba *curabit virtutem suam*, quasi enim necesse fuit, ut omnipotentiam suam Deus usque ad ultimum exerceret, et quasi curvaret, et flecteret, ut ad tantum opus efficiendum pertingeret, ac difficultate curvatam fuisse, quemadmodum figulus flectit fortitudinem suam incurvando se deorsum ad perfectionem operis.

Sexto, inter pleraque alia, quae maiestatem, et excellentiam matris Dei ostentant, illud supra modum mirabile est, quod ad conceptionem Filii Dei naturam humanam induentis, nulla creatura, nisi sola b. Virgo propriam, et veram causalitatem, aut physicum concursum ad illam exhibuerit. Quare verba illa d. Matthaei, *De qua natus est Iesus*, de sola ipsa verificantur, quia ex sola illa, et in illa, Spiritu sancto cooperante, Filius Dei humanam carnem induit. Atque hinc est, quod si vera est sententia eorum, qui dixerunt, quod cum sola b. Virgo causalitatem exercuerit ad conceptionem, et formationem Christi Domini, et Christus vere sit Deus, consequens sit, ut sicut ipsa vere est Genitrix Dei, ita in eodem sensu veraciter sit causa Dei: etenim cum omnis, qui temporaliter necessario generat, causet, et causare sit ratio superior ad generare, et in eo essentialiter inclusa, manifeste efficitur, ut in quo sensu veraciter dicitur de b. Virgine, quod genuit Deum, in eodem vere enuncietur, quod causarit Deum; et quidem cum arbor vere sit causa sui fructus, et Christus Dominus vere et proprie sit fructus virginei uteri, iuxta verba Elisabeth (*Lucae c.* 1): *Benedictus fructus ventris tui*, consequens est, ut beata Virgo fuerit causa huius fructus; et cum rursus talis fructus vere sit Deus, consequens etiam est propter communicationem idiomatum, ut vere Deipara dicatur causa Dei. Unde sicut sensus primae propositionis non est, quod genuerit Deum, in quantum Deum reduplicative, sed specificative, Deum hominem, ut scholasticis theologorum terminis utar, ita et sensus secundae propositionis est, quod causaverit Deum, non in quantum Deum, sed Deum hominem. O stupendum, et ineffabilem b. Mariae, Dei parentis, dignitatem, ut cum alioquin Deus sit prima, et universalissima omnium causarum, a quo omnes pendent in esse, et operari: *in ipso enim civimus, movemur, et sumus*, ut ait d. Paulus, ipse voluerit ab ea dependere in generari, nec alia carne indui, quam per veram generationem, et propriam causalitatem a b. Virgine exhibita. Unde ob tantum portentum in admirationem raptus d. Ansel. (*orat. ad b. Virg.*) ingeniose dixit: *Mira res, in quam sublimi contemplor Mariam locatam: omnis natura a Deo est orta, et omnis Dei natura ex Virgine.* In ore omnium versatur illud in vita Aristotelis philosophorum principis, quod, cum Deum esse agnovisset ex eo, quod necessarium indicaret dari unam primam causam, a quo omnes causae penderent, et illa a nulla, ne alioquin in Scyllam, seu Carybdim incideret, instaute iam sibi morte in illam vocem proruptit: *Causa causarum miserere mei.* Si igitur Aristoteles indicavit, et merito, magnam dignitatem, ac excellentiam Dei redolere esse causam causarum creaturarum, quae facile perenut, et in nihilum ab eo redigi possunt. Davide dicente (*Psalm.* 33): *Auferes spiritum eorum, et deficient;* quam excellentiam, quaeso, quam dignitatem, quem honoris splendorem b. Virgini Dei parenti deferret Aristoteles, si agnovisset, illam causam esse non causarum secundarum, sed ipsius primae causae, cui ipse dicebat, *Causa causarum miserere mei.* Arbitror certe ipsum lapsurum in eum errorem, in quem ingenue fassus est, incidisset d. Dionysius Areopagita, quando primo beatam Virginem vidit, qui nisi fidei catholicae veritas ei obstitisset, Deitatis cultum ei deferret. Dixi tamen consulto, et notanter a principio, si vera est eorum sententia, qui dicunt, in eodem

sensu, in quo b. Virgo dicitur Mater Dei, posse etiam dici, causam Dei: hoc enim non omnes theologi concedunt, tum quia cum dicitur, Mater Dei, in ipso nomine Matris determinatur humana generatio, per quam Deus factus homo ex b. Virgine processit; nomen autem causae non determinat productionem. Unde si beata Virgo diceretur causa Dei, Deus denominaretur causatus, et effectus: quae enunciationes sunt falsae, quia simpliciter non est factus, sed est factus homo. Ac tandem, quia cuiuscunque rei, respectu cuius creatura habet causalitatem, Deus etiam est causa illius; atque adeo si b. Virgo esset causa Dei, Deus esset causa Dei, quod absurditatem praeseferet; sed hoc hic definire non est huius loci.

Septimo, accedit ad honoris cumulum dignitatis Matris Dei, quod voluerit Dominus ex eius consensu pendere salutem humani generis, ac liberationem eius a servitute satanae. Etenim cum tota nostra salus, ac libertas sita fuerit in Incarnatione Verbi divini, et hanc non aliter fieri, quam dependenter a consensu b. Virginis, Dominus decreviset, consequens est, humani generis salutem, et libertatem a b. Virginis consensu dependisse. Porro Deum b. Virginis consensum expectasse ad sumendam carnem in eius utero, his praeclaris verbis edocuit doctissimus Gulielm. (*in c.* 4. *Cantic.*), ubi exponens verba illa: *Favus distillans labia tua*, haec scripsit: *Deus misit Gabrielem ad beatam Virginem, ut si mysterium incarnationis, et redemptionis panderet, atque eius consensum flagitaret: nolebat enim omnipotens carnem sumere ex ipsa, non dante ipsa, sicut sumpserat de dormiente, et non dante Adam, unde formavit Evam. Ad futurae matris excellentiam non tantum ex ipsa carnem sumere, sed etiam ab ipsa, volebat; et ideo propter b. Virginis consensum dulcissimum dicitur* (*Cant.* 4): *Favus distillans labia eius*; haec ille. *Verba autem, quibus assensum praebuit, nemo ignorat illa fuisse: Fiat mihi secundum verbum tuum.* In quibus illud observatione dignum arbitror, quod cum alioquin Moyses rerum creationes enarrans, postquam dixerat, *Fiat lux*, continuo subiunxit: *Et facta est lux*: et postquam dixit, *Fiat firmamentum*, absque mora subiecit: *Et fecit Deus firmamentum*: ac tandem, postquam dixerat, *Congregentur aquae quae sub coelo sunt, in locum unum, et appareat arida*, confestim subdit: *Et factum est ita;* Evangelista tamen referens fiat b. Virginis, silentio praeteriit factum esse illius; nunquam dixit: factum est; ita sane mysterio vacare non potest, quod cum sacer Evangelista in exordio suae Evangelicae lectionis ex professo enarrandam assumperit Incarnationem Verbi divini, et conceptionem eius in utero virgineo, promissionem angeli expresse proponat: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei:* consensum deinde huic promissioni a b. Virgine exhibitum, et acceptionem eius palam testatur verba b. Virginis recitans: *Fiat mihi secundum verbum tuum*, effectum tamen omnino praeteriit: Verbum re ipsa carnem assumpsisse, et Deum hominem factum non exprimit, nec factum aliquod illi fiat respondisse commemorat. Et quidem, si decebat testificari in creatione mundi ad fiat Dei factum esse fuisse consecutum, decentius multo videbatur, ad fiat b. Virginis in restauratione eiusdem mundi factum esse, illius non reticuisse, sed palam illud exprimere. Ego sane libenter audirem doctiores me nodum huius difficultatis solventes: arbitror quidem, nisi mea me fallit opinio, quod cum iam in populo Dei satis pervulgata essent vaticinia Verbi divini Incarnationem, et conceptionem eius praenunciantia, nihilque aliud ad eorum impletionem, cum iam tempus adventus Filii Dei accessisset, quam b. Virginis consensus desideraretur, super vacaneum putavit sacer Evangelista, enarrato b. Virginis consensu, per illa verba exhibito: *Fiat mihi secundum verbum tuum*, factum esse illius commemorare, cum per se notum esset, Deum suae promissioni non defuturum. Quod si cuipiam videatur, etiam per se manifestum esse, efficax Dei fiat habiturum esse suum factum esse, non diffiteor; nihilo secius tamen Moyses non contentus dicere, fiat Dei: adiecit, factum esse: *Fiat lux, et facta est lux*. Alia ergo videtur ratio illius praeteritionis assignanda: mihi certe non alia detegitur, nisi quod Deus tanti habuit fiat b. Virginis, ut illud magis honorari voluerit, quam suum proprium fiat: volens fideles agnoscere, adeo tam mirabili efficacitate, ac tam potenti virtute coelitus praeditum fuisse fiat b. Virginis, quod exhibuit ad Incarnationem Verbi divini, ut etiam, Evangelista factum esse eius praetereunte, indubitanter credat in eius utero tunc Verbum carnem factum esse; meritoque mihi videtur, voluisse Deum talem deferri honorem huic b. Virginis fiat, quia si rem altius perpendamus, praestantius, et excellentius, ac multo nobis utilius, quam fiat Dei in rerum creatione sapienter indicandum est: etenim ad fiat Dei (*Ioan.* 1): *Mundus per ipsum factus est;* ad fiat autem b. Virginis (*ibid*): *Verbum caro factum est:* ad fiat Dei homo factus est in animam viventem per unionem corporis cum anima; ad fiat vero b. Virginis Deus factus est homo per unionem Verbi cum humana carne; quod si tanto nobilius est fiat, quanto res per illud facta nobilior, et praestantior esse perhibetur; quia ut commune fert philosophorum axioma, actiones specificantur a terminis, et ab eis perfectionem suam sumunt: consequens est, tanto nobilius, debita proportione servata, censeri debere fiat b. Virginis, quam fiat Dei, quanto nobilius est conceptio Christi ex b. Virgine, quam productio primi hominis ex limo terrae. Unde quemadmodum d. Paulus (*epist. ad Roman*) dixit: *Invisibilia Dei a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur:* nam ex rerum creatione ad notitiam omnipotentiae divinae ex pulchritudine, et profectione universi ad agnitionem divinae bonitatis: ex regimine tandem, et gubernatione totius ordinis ad cognitionem divinae sapientiae ascendimus; ita congrue satis de b. Virgine licet nobis dicere (*ibid*): *Invisibilia eius per ea quae facta sunt ab illa intellecta conspiciuntur*, cum per illam, et ex illa Deus factus sit homo.

Octavo, illud dignitatem beatae Matris Dei sublimem luculenter satis commonstrat, quod excepta dignitate Filii Dei naturalis, quae propria est Christi Domini, omnem tam angelicam, quam humanam dignitatem longe transcendit, ut b. Petrus Damianus his verbis eleganter edixit (*serm. de Assumpt. b. Mar.*): *In illa inaccessibili luce pertucens sic utrorumque spirituum, id est, hominum, et angelorum hebetat dignitatem, ut in comparatione b. Virginis, nec possint, nec debeant apparere.* Certe Deus in Ecclesia se gessisse mihi videtur, sicut rex in regia sua, qui munera, et officia domus suae inter familiares distribuit: hunc enim praepositum maximum aulae facit, illum camerarium, hunc thesaurarium, illum a consiliis: sed omnes istos famulos, et ministros appellamus; sic Deus noster munera, et officia Ecclesiae suae suis familiaribus impertivit, uti Apostolus asserit (*ad Ephes.* 4): *Et ipse*, scilicet Dominus, *dedit quosdam apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores.* Magna munera haec, et dignitates eximiae, Apostolum vel prophetam esse vel Evangelistam, etc. sed ad quem finem haec subdit Apostolus: *In opus ministerii, in aedificationem corporis Christi;* in opus ministerii? ergo ministri omnes isti: ita est: quid enim existimas Apostolos esse, nisi evangelicos nuncios, propter eos missos, qui haereditatem capiunt salutis? Unde illorum quidam (2. *ad Corinth.* 5) dixit: *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* Legati ergo, et nuncii Christi, Apostoli sunt. Quid vero prophetae? a secretis Christi. Quare prophetae vox est (*Isai.* 24): *Secretum meum mihi, secretum meum mihi:* et illa David (*Psalm.* 50): *Incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi.* Quid doctores et praedicatores nisi famulos facis, ut vocant, David dicente (*Psal.* 118): *Lucerna pedibus meis verbum tuum?* Quid martyres, nisi milites, ac duces exercitus Christiani, qui ob defensionem fidei, et amorem Christi sanguinem, et vitam ipsam tradiderunt? Quid virgines, nisi famulas regiae coelestis? Quid autem omnes isti, nisi famuli, ac ministri Domus Dei? *in opus*, inquit (*ad Eph.* 4), *ministerii, in aedificationem corporis Christi:* immo quid angeli sint, dicat Apostolus (*Hebr.* 1): *Omnes*, inquit, *sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capiunt salutis.* Unde praeclare ut assolet d. Bernardus (*hom.* 1. *sup. Miss. est*), explicans illa verba (*Luc.* 2): *Fili, quid fecisti nobis sic?* inquit: *Quis hoc audiat angelorum? sufficit eis, et pro magno habent, quod cum sint spiritus ex conditione, ex gratia facti, et vocati angeli sunt, teste Davide, qui facit*, inquit, *angelos suos spiritus. Maria vero matrem sic agnoscens se maiestatem illam, cui ipsi cum reverentia serviunt, cum fiducia suum nuncupat filium.* Omnes igitur huiusmodi dignitates sublimes esse non nego; ad ministros autem pertinere asserto. Dignitas vero matris Dei, quatenus talis non ministrantis, sed dominantis est, mater enim regis in aula regia, non famula, sed hera, non ancilla, sed regina est; sic Christi Domini mater in regia illius domo regina est, et Domina, cuius dominium in eo plane Christi dominium superat, quod ille subditas solum habet sibi creaturas, et super illas solum dominatur; at b. Maria subditum sibi habet Deum, ut d. Lucas testatur, *subditus erat illis;* et tanquam mater filio suo dominabatur, immo non solum sibi illum subditum fecit, sed et sponso suo Iosepho. Unde d. Bernardus (*praeceloc.*) subiecit: *Ille, cui angeli subditi sunt, cui principatus, et potestates obediunt, subditus erat Mariae, nec tantum Mariae, sed etiam Iosepho propter Mariam.* Ecce tanta est dignitas Matris Dei, tanta maiestas, tanta sui principatus virtus, ut quia Ioseph sponsus b. Virginis erat, ipsum Deum subditum sibi habeat.

Ad extremum, finem dicendi facio, illud honoris decantatis a me hucusque Marianis encomiis adiiciens, quod licet tanta sit magnitudo, ac sublimitas dignitatis Matris Dei, totque ac tam portentosa sint divina charismata illi adnexa, b. tamen Virgo omnium istorum pariter, et ipsius maternitatis Dei, si non ex condigno, ut loquuntur theologi, saltem de congruo, se dignissimam exhibuit, et illa coelitus sibi dari meruit, ut perlepide cecinit Sibylla Hellespontica, vel Troiana, ut auctor est Hercules de oraculis Sibyllarum:

Dum meditor, quandam vidi decorare puellam;
Eximio castam quae se servaret honore:
Munera digna suo, et divino numine visa;
Quae sobolem multo pareret splendore micantem.

Unde et d. Ioannes Damascenus (*or.* 1. *de nat. b. Virgin.*) dixit, dignum fuisse b. Virginem filium habere Creatorem, quae sola Creatore digna erat. Sicut autem b. Virgo propter dignitatem Matris Dei, mutuata nobilitate a prole sua, omnium creaturarum nobilissima esse perhibetur; ita stemmata, quae vulgus *arma* vocat, et nobilitatis insignia sunt, omnium stemmata nobilitate, et splendore longo intervallo superat, b. Petro Damiano (*ser. de Nat. b. Virg.*) dicente: *Haec per clarissimam sobolem, omnem humani stemmatis excedit nobilitatem.* Imperatorum aquila biceps, hoc est, duplici capite constans, gloriosius censetur stemma; at Deiparae Virginis generosior alia biceps aquila, stemma esse perhibetur, Christus scilicet Dominus ex duplici natura constans in unitate suppositi, una divina, per quam est imago Patris, alia humana, per quam est persimilis matri. Quod si Imperatorum stemma est aquila, quae in splendentem solem oculorum aciem figit; b. Virginis certe stemma est ipse Sol iustitiae, *qui illum nat omnem hominem venientem in hunc mundum*, nube tamen humanitatis ita obtectus, et involutus, ut manibus tangi potuerit, ut d. Ioannes testatur (*cap.* 1): *Et manus nostrae contrectaverunt de Verbo vitae.* Si Imperatorum stemma regia aquila est, aurea corona cinctum habet caput in signum regiae auctoritatis, et regalis imperii; certe b. Virginis stemma ille est, de quo Daniel (*cap.* 2) dixit: *Ipse transfert regna, atque constituit:* et d. Ioannes (*in sua Apoc.*): *Regem regum, et Dominum dominantium* illum nuncupavit. Quod si

imperatorum stemma, perspicacissima aquila est, uno capite versus orientem, alio versus occidentem respiciens; stemma Deiparae Virginis est, qui sedem habens in coelo terra scabellum est pedum illius, Isaia dicente (c.61): *Coelum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum.* Ac tandem, si imperatorum stemma, aquila est manibus suis regium scutum sustentans; stemma b.Virginis est ille, qui tribus digitis appendit molem terrae. Cum ergo Dei matris dignitas ex tam multiplici capite praecellat, omnis mater ei cedat. Eva iusti Abelis mater cedat. Sara mater obedientis Isaach cedat. Rebecca mater Iacob, coelestia contemplantis, cedat. Anna mater Samuelis, divinitus multa prophetantis, cedat. Bersabea mater sapientissimi Salomonis, quia *plusquam Salomon hic cedat.* Cedat mater Octaviani Augusti, universi orbis domini, de quo d. Lucas (c. 2) ait: *Exiit edictum a Caesare Augusto, ut describeretur universus orbis.* Cedat tandem Olympias Alexandri illius mater, de quo sacra eloquia testantur, siluisse terram in conspectu eius. Quia licet singuli istorum omnium magnanimitate, fortitudine, obedientia, animi generositate, immo et sanctitate, aliisque naturalibus vel supernaturalibus animi et corporis dotibus conspicui fuerint, omnes tamen homines fuerunt, atque adeo fragiles, labiles, et lapsi; beata autem Virgo filium habet, non purum hominem, sed pariter Deum, et hominem; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA VI.

Prosequimur idem argumentum ex septem insignibus matribus, quarum divina eloquia meminere, excellentiam Dei Matris deprehendentes in eadem verba; Beatus venter, qui te portavit.

In sacris historiis reperio, beatam Virginem Mariam octies appellari *matrem*, bis nempe in Cana Galilaea, et sub cruce, ne forte mulier parcius propter sexum leviter signandum; mater vero multoties dicta propter partum serio notandum. Partum autem non communi ratione, sed supra omnem naturae ordinem, enixum; propter quem et illa mater matrum, inter omnes mulieres, et matres benedicta censetur. Produc in hoc orbis theatrum septem illas veteris aevi matres, quae olim, cum fuissent steriles, et ex certa specialique Dei benignitate parentes evaserunt, nulla earum octies nuncupatur mater; Maria consecuta est. Puritatem vitae desideras? nulla sanctior: dignitatem quaeris? nulla honorificentior: parturiendi et patiendi modos? nulla praeter insuetum: Sara a Petro celebrata, quia obediebat Abrahae, dominum eum vocans: Rebecca laudata, quia in hospites munifica, et camelis ipsius potum praebens: Rachel, quia pudica, facie decora, et venusto aspectu: mater Sampsonis, quia religiosa, nec vinum, nec siceram bibens, nec immundum quidquam contingens, sed Deo libamina offerens: Anna Helcanae, quia devota, multiplicans preces coram Domino, et vota, et pendens: Ruth Moabitis, nam et haec, nonnisi Domino dante concepit, quia gentis, et sui Dei gentilis zelotypa sequax: non secuta iuvenes pauperes, seu divites diceret (*Ruth* 4): *Populus tuus, populus meus, et Deus tuus, Deus meus,* facta exemplum virtutis in Ephrata, tulit celebre nomen in Bethleem. Postremam habeo Ioannis parentem Elisabetham, quae cum marito ambo iusti ante Deum incedentes in omnibus mandatis, et iustificationibus Domini sine querela. Vigilabant hae septem, ventre steriles, mente foecundae. Tamen comparatione b. Mariae, aurum illarum arena est exigua, aqueae limpiditatis claritas, sive in Dei cultum, sive in proximi beneficium promptitudo, guttula est situlae ad immensum oceanum meritorum octavae matris, *Multae filiae congregaverunt sibi divitias.* Maria vero supergressa est universas. Saram praedicas ex obedientia? Quid mirum, lege tenebatur, naturae conditione adstringebatur, ut uxor marito, ut foemina viro subiecta. Maria in purificatione exlex legi paret, et paret prompta, paret coeca: prompta post illum diem lege praescriptum, nec hora moratur, quo ferebat spiritus, non quo Moyses cogebat, gradiebatur coeca, cum nonnullo probro suo, cum probro filii sui; quasi non ex Spiritu sancto superveniente concepisset filium: quasi non ex virtute Altissimi inumbrante peperisset. Rebeccae munificentiam laudas? non magna pronubo, et camelis nonnisi aquam effudit. Quanta haec Mariae, quae orbi viso propter virtutem, inviso propter flagitium, bonis, et malis solem suum oriri fecit: quae illum, heu ignotis praedonibus dedit, in quo sunt omnes thesauri sapientiae, et scientiae Dei absconditi: quae salutare Dei, paratum ante faciem omnium populorum, quae lumen accensum ad revelationem gentium, et gloriam plebis suae Israel, et ante vultum eorum, qui velut iumenta, computruerant in stercoribus suis, abiecit, ut quae contemplari in adspectabilem Moysen potuissent, fasciis involvit, et texit. Venit hora, cum vinum quoque miraculo ex aqua factum propinabit: vere, ut possit appellari (*Cantic.* 4): *Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quae fluunt impetu de Libano.* Verior ensemes, idest, fons solis: positus e regione ascensus Adommim, idest Dominorum posita ad ascensum mortalitatis nostrae ad immortalem, pauperis ad ditem, carnis ad Verbum, hominis ad Deum; in cuius profundo ascendit homo ad cor illud altumque Altissimi Filium, Dei virtutem, et Dei sapientiam, et exaltatus est Deus; simul in unum dives, et pauper. Rachelem miraris venustam aspectu et facie decoram? pudoris ostio tinxeras genas? aqua perenni? qua non evanido? Iacob accedit, se fratrem prodit, vocem in fletu elevat; elevat et manus. Illa virguncula in publico coram pastoribus in peregrini neque ex vultu, neque ex moribus, neque ex literis cogniti amplexus, et oscula ruit: nam Iacob *adaquato grege, osculatus est eam;* insignem verecundiam, columbinum osculum,

proditorem parentis sui. Respice mihi Mariam primogenitam pudoris filiam. Angelus stellato decorus lumine, Nazarethanam visitat, familiaris, saepe olim visus ex consiliis, sed illa coelesti conversatione intus, et in ente notus, conturbernalis Dei Salvatoris, non hominis corruptoris nuncius; in penetralibus solam ipse unicus reperit, divinos conceptus, non humanos, illibatos, non temerantes ei vovet partus: turbatur illa, haeret, vultum roseum demittit, verecundiae velum oppandit: virum, complexus viriles ignoro, respuo, horreo. Lilium ego inter spinas illi devotum, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, et inclinentur umbrae, lilium spinoso sepe continentiae occlusum, lilium puritate candens, sed verecundia russatum. Quis cocus, aut vermiculus hoc lilium rubens adaequet? bonum aspectum genae tuae, o Maria (*Cant.* 4): *Sicut fragmen mali punici absque eo quod intrinsecus latet,* ut fragmen pomi coronati, et intus granorum, et extimi corticis rubore gratum; ita facies tua illa decora, et intus modesta cogitatione, et extra verecunda turbatione omnibus probatur. Sampsonis mater abstemia, et religiosa, aquis pota, munda ab immundis, liba efferens Deo: myrrhata manus, abstinentia, et hinc Dei timoris, et exinde concupiscentiae compressae, vel quasi enecatae instar hoedi, vel magis odoratae hostiae myrrham spirans. Quid haec odoramenta ad Marianum odorem? quae ut primum surrexit, ut dilecto suo aperiret, voluntatis suae scilicet sensum, et assensum, hanc petreo cultro adhuc in utero materno concisam, aris divinis intulit, et ex illata, prorsusque caelesti ardore exusta, corpus quoque ipsum, Adami portionem compressit, ne amplius, immo, ne unquam cruore diffueret a carne obesa, vel infusa (*Cant.* 1): *Manus*, ait, *meae stillaverunt myrrham, et digiti mei pleni myrrha probatissima.* Quantum perfusae manus myrrha a stillantibus myrrham, eamque probatissimam absunt? Anna Samuelis propter orationis studium, et votorum fidem, Deo gratam fuisse scio: frequens in illis, in hoc fidelis fuerat, ne maledicta diceretur in populo. Rursus commodato iterum acceperat filium, commodato iterum tradit Deo Maria. Si contemplationis orationumque assiduum studium desideras, etiam sensibus oppressis a summo Dei excubias agebat: unde ait (*Cant.* 3): *Ego dormio, et cor meum vigilat.* Si voti stabilitatem requiris, non mutuo, non commodato se unigenam offert se ipsam (*Luc.* 1): *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum,* et suum unigenitum: Is enim *factus est Patri obediens usque ad mortem.* Moabitis Ruth illa specilega, in aceto tingens panem, sequax gentis suae, et Dei sui, ideo exemplum virtutis Ephrataeis mulieribus facta suo commodo, fecit, apud exteros vaga, apud suos domestica, ab illis despecta, ab his suscepta; sequax Dei Maria, non propter ea, quae Dei, sed propter ipsum amorem Dei: *Quid,* aiebat Psalmista (*Ps.*72), *a te in coelo, quid a te volui super terram? Deus cordis mei, Deus pars mea, Deus in aeternum: ego dilecto meo, et dilectus meus mihi.* Quamobrem vidimus Mariam, *sicut purpuram regis, iunctam canalibus.* Ille semper etiam dum in morte, velut fasciculus elevatus, crucis ligno trituraretur, etiam dum gladio illo doloris tacta crystallinam buccellam felle, et aceto tinctam aspiceret, et in immensum cruciata doleret, adstitricem, et comitem.

Elisabetha huic sponte cedit. Hanc enim, cum in suis aedibus primum apparuisse dignatione, non conditione, visitans novam matrem, quasi mente mota stupuit, et prae stupore vix loquebatur mirabunda (*Luc.* 1): *Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* Ad me: mater Domini ad matrem servi? mater Verbi ad matrem infantis? Regina orbis ad suam ancillam? o te beatam, quae credidisti, o te bene fortunatam, quae tam felicem partum concepisti (*ibid.*): *Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.* Ut hic speciosus forma prae filiis hominum, et dives prae omnibus comparticipibus suis: sic et tu speciosior inter filias Hierusalem, dives inter omnes post participes tuas. Virgines et ipsae, quae se immaculatas sponso nostro coelesti sacraverunt post te, non penes te, absit dictu, ante te, offerentur, ut ancillae, ut pedissequae, defluentia in humum vestimenta sua, variarum scilicet virtutum texturam colligentes, et dicentes (*Cant.* 1): *Trahe nos post te, in odorem unguentorum tuorum curremus.* Qualem mihi hanc mulierem? qualem hanc matrem? *Mulier amicta sole,* solari gratiarum, et meritorum splendore irradiatum lumen stellarum obumbrans; mater omnium matrum, quae ceu sidera unquam orbi illuxerunt, diffuse participatam gratiam illarum, velut impressa corona implexa, duodecim stellis distincta, sed nexu inusitato connexa, in suo vertice altissimo retinens. Cedit huic lumen variantis lunae illarum, quae ad tempus testimonia illustres matrimonii labe suum splendorem fuscarunt; hoc myrthino peruncta liquore, his pigmentis, et aromatibus delibuta, hoc non mundo, sed coelo muliebri ornata nostra Esther Maria dignam se fecit, quae est mater unigeniti Dei. O beatum ventrem, qui portavit omnia portantem: o beata ubera, quae lactaverunt omnipascentem (*ad Heb.* 1): *Cui aliquando angelorum dixit, filius meus es tu, ego hodie te?* cui aliquando matrum dixit: mater mea es tu, ego enim processi ex te? Soli Mariae hoc datum, cui tantarum gratiarum esse capacem soli est concessum. Suffecerit Sarae, Rebeccae, Racheli, Ruth, patriarchis, duces et reges, aliis vero prophetas genuisse, haec Regem regum, et Dominum dominantium, qui non solum ad suscitandas foeces Israel, et ad Israel reliquias convertendas, sed in lucem gentium datus est.

A partu suo celebri honoratae fuere illae steriles apud plebem suam, haec honorificata super omnes illas: haec honorificentia populi nostri, mater honorificata. Honorificata ab archangelo, qui illam poplite flexo adorans, salutat: *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Honorificata a militia coelestis exercitus, qui vocibus altissimis in sublime elati, laudes eius, et filii decantabant: *Gloria in excelsis Deo.* Honorificata a regibus, qui ab Oriente venientes, et in terram

procidentes, matrem, et filium adorarunt. Honorificata a filio, qui in medio doctorum declinans: *Descendit cum eis in Nazareth, eratque subditus illis.* Et dum provectioris esset aetatis, ad eius preces aquam in vinum convertit. Magis ab eodem honorificata quam olim Bersabea a Salomone, quando penes se iussit ei thronum collocari, et quicquid luberet, postulare. Nam haec regina adstitit a dextris Iesu filii in vestitu deaurato, circumdata varietate: illi ante omnes creaturas proxima, nec nisi gradu unico a sublimitate, et dignitate eius seiuncta. Proinde si dignitatem officii attendis, nulla veterum honorificentior.

Porro si modos parturiendi, et pariendi pervestigas, illae septem steriles consuetio naturae ordine matres evaserunt, haec insuetio: antequam enim parturisset, peperit, virgo manens et absque dolore peperit filium, filium autem Dei, Patri consubstantialem.

Atque, ut ad trophaeum b. Virginis super illas inclytas matres redeam, quis ita mentis inops neget, b. Mariam a filio suo super omnia, quae ab illo creata sunt, honore eveciam esse? si id, ut Deus pro suae maiestatis infinitate efficere potuit, et ut homo pro clementia sua voluit? ut legislator, propter exemplum debuit? Ut matrem ergo Dei honoremus beatam Mariam super alias omnes unam, sed longe minus, quam unum illum Deum, Dei, et huius matris filium.

Tria tamen tempora narrant Evangelistae, quibus humanitus rem aestimanti videretur opportunum fuisse, ut Mariam Christus matrem appellaret: in templo, cum dolorem suum mater exposuisset: in nuptiis, cum vini inopiam filio declarasset: sub cruce, dum sola morienti adstitisset. Sed si ex fide sincera haec perpendas, peropportune etiam tunc a matris nomine abstinuit. In templo quidem humana mater non agnoscitur, ut coelestis pater placetur, atque ut scias, ubi Dei causa agitur, humanos affectus seponendos esse; ille, qui extra templum in domo materna, non tantum, ut filius parentibus, sed ut mancipium sponte dominis subiectus est, in domo Dei paterna sic agit, tanquam necessitudinem sanguinis ignoraret. In nuptiis quoque, quoniam divina potentia miraculum patraturus erat, ut se Patris aeterni filium doceret: quod praesentes ignorabant, maluit beatam Mariam mulierem, quam matrem appellare, ne nihil prae aliarum matrum filis peculiare habere videretur, simul ut intelligeretur, quod matrem haberet in terris, non ut ceteris hominibus necessitatis, sed electionis, ac gratiae fuisse. Quod autem, ne in cruce quidem, nomine blandissimo matris usus sit, id fecisse arbitror piissimum filium, ne amabilissimum matris nomen in tam acerbo filii casu, maternum pectus vulneraret; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA VII.

Eadem verba: Beatus venter, qui te portavit, *elucidamus, internam b. Virginis puritatem, variis Canticorum locis explicatis, illustrantes, nonnullaque virginei ventris encomia subiicientes.*

Sacra illa Evangelica mulier, cuius meminit d. Luc. (*c.* 11), divino spiritu mentem eius irradiante, qui linguas etiam infantium facit disertas, licet alioquin abiectae conditionis, et in dialecticae, ac theologiae studio minime versata esset, in utraque non mediocrem progressum fecisse palam ostendit. Nam dum ait: *Beatus venter qui te portavit*, theologiae non ignarum se declaravit, Christum verum hominem confitendo: dialecticae vero non expertem aperte commonstravit, argumento a minori ad maius in b. Virginis laudem utens. Nam si beatus est Virginis venter, cum alioquin hic in reliquis foeminis corruptionis, et infelicitatis scaturigo esse soleat; manifeste relinquitur, Virginei corporis reliqua etiam membra beata esse praedicanda. Sane si quis domum principis alicuius ingrediens, viliora vasa ad humilia ministeria destinata, argentea esse videret, continuo inde inferret, calices, et pateras, ac similia alia vasa, multo excellentiora, et pretiosiora esse. Unde (*lib.* 3. *Reg. cap.* 7) legimus, in templo salomonis candelabra, forcipes, immo et portarum clavos ex purissimo confectos auro: ex quo facile colligere licebat, cherubinos, et altare, quod sancta Sanctorum nominabatur, pulchriora, et pretiosiora esse. Similiter etiam (1. *Paral.* 9) dicitur, scabellum eius aurum esse: ex quo facile coniectari potest, patinas, et alia, quae regiae eius mensae inserviebant, multo aestimabiliora esse. Si igitur felix, et beatus fuit venter Virginis, beatum fuit etiam caput, beati oculi, beatae genae, beata labia, beatum collum, et beata tandem illius sacri, ac virginei corporis membra cuncta. Verum quia haec omnia ad corporalem pulchritudinem, quae communis est ethnicis, et fidelibus iustis, et iniustis conveniunt; ad spiritualem beatae Virginis pulchritudinem me convertunt; illa omnia in sensu mystico explicabo, secutus in hoc doctissimum Rupert. (*lib. in Cant. cap.* 4), ubi explicans illa verba: *Quam pulchra es amica mea, oculi tui columbarum;* in septem b. Virginis membris septem eius virtutes adumbrari docet, quae pulchram reddunt sponsam: quia sicut pulchritudo corporis ex apta membrorum compagine cum quadam coloris suavitate oritur; ita pulchritudo animae ex virtutum inter se continentium nexu, et varietate, quam rubicunda charitas omnibus virtutibus aspergit, proficiscitur: verba Ruperti (*l.* 3. *in Cant.* 4) sunt haec: *O pulchritudo admirabilis, quam sic admiratur, et collaudat pulcherrimus auctor pulchritudinis. Septem praeconiis consideravit oculos, capillos, dentes, labia, genas, collum, et ubera, et pro singulis dilectus singula decantavit dignae collaudationis capitula: laudatur in oculis simplicitas, in capillis cogitationum tuarum munditia, in dentibus innocentia, in labiis doctrina, in genis verecundia, in collo humilitas, in uberibus tuis admiranda cum foecunditate virginitas;* haec Rupertus. Quae singula fusius ipse explicanda prosequitur.

Ut autem interna tantae matris pulchritudo clarius innotescat, Plin. (*l.* 35. *c.* 10) docet, summam picturae subtilitatem cerni in extremis illis lineis: *Corpora enim*, inquit, *pingere, et media rerum, est quidem magni operis, sed in quo multi gloriam tulerint: extrema corporum facere, et desinentis picturae modum includere, rarum in successu artis invenitur; ambire enim debet se extremitas ipsa, et sic desinere, ut promittat alia post se, ostendatque etiam, quae occultat.* Quo genere pingendi usa mihi videtur mulier haec Evangelica, quae dum solum ait, virginis ventrem, et viscera esse beata, simul alia, quae occultat, beata etiam esse ostendit. Sic ergo Deus supremus rerum opifex mirabilem suae sapientiae artem in matre sua mirabiliter commendans, illam extremis in Virgine lineis ducendis mirifice demonstravit. Etenim, cum omnia in Virgine sint summa, et ad extremum perfectionis purae creaturae communicatae pervenjant, certe, quamcunque eius praerogativam, aut excellentiam consideres, ex ea, tanquam ex ultima linea facile intelliges, innumeras alias occultari, tanquam ex ambiente se extremitate, et multa alia post se quodammodo promittente. Verum, ut hanc miram internam Mariae pulchritudinem magis explicemus, in memoriam revocare oportet verba illa Canticorum (*c.* 6): *Revertere, revertere Sunamitis, revertere, revertere, ut intueamur te.* Magna inter doctores concertatio de appellatione hac, quam Spiritus s. tribuit virgini: nam s. Theodoretus (*in comm. hui loc.*), Aquila (*ibid.*), et d. Ambrosius (*lib. de ob. Valentin.*) legunt: *Sulamitis*, quod idem est, quod *pacifica*. Septuaginta Interpretes, Aponius, Iustus, Orgelitanus, Alanus, Aquinas, Rupertus, d. Anselmus (*sup. eund. loc.*), nec non divus Bernardus (*serm.* 3. *de annunc.*) vertunt: *Sunamitis*, quod idem pollet, quod *Dormiens*, ut docet d. Hieronymus (*de nom. Hebr.*): Symmachus autem ex originali hebraeo transtulit, *Revertere spoliata.* Quibus sane tribus appellationibus, pacificae, dormientis, et spoliatae, eximiam b. Virginis internam pulchritudinem Spiritus sancius mirifice delexit. Nam si pacifica, ergo non desideratur in illa beatitudo illa, de qua Christus Dominus (*Matth. cap.* 5): *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Si spoliata: ergo evangelicam Christi paupertatem imitata, temporalibus omnibus bonis se expolians, melius, quam Apostoli proferre potuisset: *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te.* Si tandem dormiens: quis non videat, somnum altissimae contemplationis, quo mens b. Virginis iugiter absorptam verius, quam David iutonare posset: *In pace in idipsum dormiam, et requiescam.* Haec tamen, licet internam Virginis pulchritudinem singulariter manifestent, sequentia pariter verba illam luculentius ostendunt, nam ubi Vulgata nostra legit: *Revertere, ut intueamur te*, Septuaginta Interpretes vertunt: *Ut videamus in te.* Ecce silent, quidnam in illa esset videndum, quia id propter eximiam eius pulchritudinem ineffabile adeo esse autumabant, ut nullis posset verbis exprimi, aut subtili quantumcunque calamo scribi.

Ceterum, illud excellentius multo spiritualem beatae Virginis pulchritudinem ostentat, quod ipsa inter omnes puras creaturas omnium simillima Deo inveniatur, quod sub involucris illorum verborum (*Exod.* 37): *Fecit Beseleel arcam*, delineatum invenio: nam, ut tradunt Hebraicae linguae periti, cum *be* idem sit, quod *in*, *et sel* idem, quod *umbra*, *et el* idem quod *Deus*: perinde fuit, ac si dixisset, fecit in umbra Dei arcam. Consulto missum facio, quod olim amicus, qui a latere amici nunquam recedebat, umbra vocabatur, ut auctor est M. Tullius (*lib.* 8. *epistol.*) dicens: *Hominem amentem, et miserum esse, qui ne umbram quidem viderit.* Quasi diceret: infelicem illum iudicandum, qui nullum sibi adesse amicum experitur, consulto, inquam, id praetereo; licet hinc arctissimam beatissimae Virginis cum Deo amicitiam facile possem adstruere, quae a latere Christi ab ortu suo usque ad ultimum vitae alitum, Ioanne dicente (*c.* 19): *Stabat iuxta crucem Maria mater Iesu*, nunquam discessit. Solum ergo in eo vim facio, quod sicut umbra est expressa quaedam corporis imago, quae varia illius membra refert, ita tanta est beatae Virginis pulchritudo, ut sublimius, et excellentius, quam totus simul creaturarum coetus illum exprimat; et quemadmodum umbra, et corpus ita inter se coniuncta sunt, ut in puncto, quo desinit corpus, ibidem incipiat desinere umbra; ita Christus Dominus adeo coniunctus fuit sacratissimae Virgini, ut quodammodo in quandam identitatem cum illa coniunctio haec redegerit, propriam matris substantiam assumens, ut proprium ex ea corpus sibi efformaret. Ac tandem, quemadmodum umbra, quamvis corpora multa interponantur, inter ipsam tamen, et corpus, cuius est umbra, non patitur medium aliquod; sic inter Deiparam Virginem, quae vera Dei umbra fuit, et ipsum Deum, nihil prorsus unquam mediaverit. Sane nullus sanctorum gloriari potest, ita Deo coniunctum fuisse, ut nihil unquam mediaverit, dividens, et separans eum a Deo; cum omnes peccato originali fuerint infecti, animam a divina amicitia longe arcente. Nemo etiam sanctorum est inter quem, et Deum non mediaverit aliquis affectus saltem peccati venialis; quod licet Dei amicitiam non solvat, ab eius tamen familiaritate dividit, amicitiae fervorem intepidans. Beatae autem Virginis sanctitas, ac spiritualis pulchritudo adeo crevit, ut instar umbrae, nihil unquam permiserit etiam minutissimum pulvisculum peccati venialis inter Deum, et ipsam quoquo modo interponi. Unde d. Ambrosius (*epist.* 5) dixit: *Claudat sua ora perfidia, obmutescat, nec matrem Domini aliquo audeat temerare convicio:* et d. Bonaventura (*in* 3. *distinct.* 3. *p.* 1. *art.* 1. *q.* 1.) inquit: *Congruebat adeocatam generis humani, ut nullum haberet peccatum, congruebat, ut Virgo ita vinceret diabolum, ut nec ei succumbe-*

ret ad modicum: congruum etiam fuit, ut sic esset immaculata mente, sicut intemerata carne. Tandem eo pervenit spiritualis pulchritudo beatae Virginis, ut Deus ipse, qui est ipsa pulchritudo per essentiam, amore illius caperetur. Unde, ubi (*Cant.* 1) nostra Vulgata legit: *Recti diligunt te*, Septuaginta Interpretes transtulerunt: *Rectitudo dilexit te*: quae verba, ut graeci Patres affirmant, sunt adolescentularum, quae videntes sponsum, prae magnitudine amoris sponsae, deliquium pati, dixerunt ei, sive per invidiam, ut quidam opinantur; sive per congratulationem, ut mihi magis arridet, *Rectitudo dilexit te*, ac si dicerent, o te felicem, et beatam, cum Deus, qui est ipsa rectitudo per essentiam, et cuius de pulchritudine iudicium fallax esse non potest, amore pulchritudinis ardeat. Quamvis autem commune sit omnibus iustis, ut infusa sibi pulchritudine Deum in amorem suum alliciant, in eo tamen beatae Virginis pulchritudo omnem aliam transcendit, ut propter illam soli Virgini dictum sit a sponso (*Cant.* 6): *Averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt.* Quo loco Hebraeorum expositiones, et versiones ex originali hebraeo depromptas, maxime observandas censeo. Etenim Rabbi Abraham sic ea interpretatur: *Averte oculos tuos a me, quia ipsi fortiores fuerunt me, praevaluerunt mihi, et abstulerunt mihi dominium meum.* Quibus verbis indicat, Deum conspecta spirituali beatae Virginis pulchritudine, tam ardenti inflammatum amore, ut quasi deliquium mentis pateretur, et dominium sui quodammodo amitteret, totum se Virgini tradens, ac totam se Mariae esse confitens. Atque hinc est, quod ad eandem Mariae pulchritudinis excellentiam commendandam duplici utitur sponsus metaphora: nam (*Cant.* 1) postquam appellaverat sponsam, *Pulcherrimam inter mulieres*, subiecit: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te amica mea:* id est, ad literam: In curribus Pharaonis everiendis persimilis fuisti fortissimo meo equitatui. Quae similitudo, licet prima facie ab instituto laudandi pulchritudinem sponsae aliena videatur, quia nihil commune pulchritudo cum equitatu habet; aptissima tamen est ad explicandam b. Virginis pulchritudinem, quae tanta esse perhibetur, ut invincibilem Deum expugnaret. Sicut enim in bello equitatus fortissimus, acerrimus esse solet ad certamen, ita virtutes omnes, ac praerogativae Virginis a charitate, quasi duce instructae erant, veluti quidam equestris exercitus ad ipsius etiam Dei animum per amorem vincendum potentissimus. Unde recte dixit Virgilius (*eclog.* 6):

Omnia vincit amor, et nos cedamus amori.

Cui consonat illud:

Militat omnis amans: et habet sua castra cupido.

Deinde (*Cantic.* 7) ad explicandam eandem Mariae spiritualis pulchritudinis excellentiam, dixit sponsus: *Quam pulchra, et quam decora charissima in deliciis? statura tua assimilata est palmae.* Qua similitudine aperte significavit b. Virginem inter omnes puras foeminas palmam praeferre pulchritudinis, quia tanto reliquas omnes pulchritudine excellit, quanto palma proceritate cunctas superat arbores. Accedit, quod sicut palmae folium speciem refert gladii, ac propterea tot armetur gladiis, quot foliis vestitur; ita beata Virgo quot virtutibus exornabatur, ex quibus mira in ea consurgebat pulchritudo, tot quasi acutissimis, et acerrimis gladiis divinum cor transfigebat, ut ipse sponsus fateatur (*Cant.* 4): *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa in uno oculorum tuorum, etc.* Rabbi vero Salomon in hunc modum transfert illa verba: *Averte oculos tuos, quia ipsi me superbire fecerunt.* Cui translationi mihi consentire videtur nostra editio Vulgata, dum legit: *Quia ipsi me avolare fecerunt.* Nam qui volant, se in altum extollunt, et in sublime instar superbientium feruntur. Ecce miram, ac stupendam Mariae pulchritudinis excellentiam, quae eo pervenit, ut Deus ipse eximiam, quam Virgini indiderat, pulchritudinem, observans, de magnitudine suae potentiae gloriatur, ac laetabundus, de virtute sua efferri, et quodammodo superbire videatur, quod tanta pulchritudine praeditam Virginem suae omnipotentiae penicillus depingere, ac efformare valuerit.

Atque hinc est, quod sancti Patres, eximiam Virginis pulchritudinem admirantes, praeclara multa de ea nobis contestata reliquere, quorum quaedam non gravabor hic apponere. Divus Bernardus (*hom.* 3. *super missus est*) merito inquit: *Concupivit rex decorem Virginis, fecerat enim quidquid longe antea praemonita fuerat a patre suo David dicente sibi: Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui. Et si hoc feceris, concupiscet rex decorem tuum: audivit quippe, et vidit, non ut quidam, qui audientes non audiunt, et videntes non intelligunt, sed audivit, et credidit, vidit, et intellexit, atque inclinavit aurem suam ad obedientiam, et cor suum ad disciplinam, et oblita est populum suum, et domum patris sui; quia nec populum suum augere prolis successione, nec domum patris sui relinquere curavit haeredem; sed quicquid honoris in populo, quicquid de paterno domo rerum terrenarum habere potuisset, omnia arbitrata est, ut stercora, ut Christum lucrifaceret; nec se fefellit ea intentio, quando, et Christum sibi filium vindicavit, nec propositum pudicitiae violavit;* haec d. Bernardus, etc.

D. Augustinus (*serm.* 6. *de temp.*) de Deipara in hunc modum loquitur: *Videamus, quae est illa Virgo tam sancta, ad quam Spiritus s. venire dignatus est, quae tam speciosa, quam Dominus elegit sponsam, quae tam copiosa, cuius generationem totus orbis excipiat, quae tam casta, ut possit Virgo esse post partum? haec est immaculata concubitu, foecunda partu Virgo, et casta perpetuo: haec est sponsa Christi, gentium magistra;* sic d. Augustinus, etc.

His adnectam pulchrum discursum sapientissimi Idiotae, in hoc sapientior, quod prae humilitatis amore, humile hoc nomen sibi imposuit. Hic (*in lib. contempt. b. Virg.*) haec scrip-

sit, per quae spiritualis beatae Virginis pulchritudo egregie describitur: verba eius sunt haec: *Speciositas tua, beatissima Virgo Maria, designatur per septemplicem speciem, quae in sacra Scriptura invenitur: est namque species olivae, de qua scribitur: Quasi oliva speciosa in campis: est species columbae, de qua canitur: Vidi speciosam, sicut columbam: est species Libani, de qua dicitur: Species eius, ut Libani: est species coeli, de qua legitur: Species coeli cum visione gloriae: est species ignis in nocte, de qua scribitur: Operiebat tabernaculum, quasi species ignis: est species arcus, de qua scribitur: Vide arcum, et benedic eum, qui fecit illum; valde enim speciosus est: est etiam species solis, de qua scribitur: Est enim speciosior sole. Species olivae consistit inter cetera in viroris amoenitate; sic tua species, o beatissima Virgo Maria, consistit inter alia, in fidei sinceritate, et sicut vivor paciferae olivae delectat oculum corporis, sic fides tua, quae pacem inter Deum, et hominem reperit, delectat oculum mentis. Species columbae consistit in simplicitate, pulchritudine oculorum, colorum mutatione, et varietate circa collum; sic tua species o beatissima Virgo Maria, consistit in humilitate, pulchritudine sanctarum cogitationum, et doctrinae varietate, quae in collo intelligitur, quia doctrix fuisti doctorum, et magistra Apostolorum. Unde et beatus Lucas, cui inter ceteros Evangelistas descriptio dominicae incarnationis attribuitur, Evangelii seriem a te Maria didicisse traditur. Species Libani consistit in continua virgultorum foecunditate, et delectabilium flocum candore, et significat, o gloriosissima Virgo Maria, candorem tuae foecundae virginitatis: quia tu es, de qua dicitur: Egredietur virgo de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet, et requiescet super eum spiritus Domini. De tua autem supereminenti virginitate iuste dici potest, quod scribitur: pulchritudinem candoris eius admirabitur oculus. Species coeli est in visione gloriae, et significat in te, sanctissima Virgine Maria contemplationis sublimitatem, de qua scribitur:* Species mulieris exhilaret speciem viri. *Per quod intelligere quis possit, altitudinem contemplationis acceptam esse, et placentem in conspectu divinae pulchritudinis. Species ignis consistit in ardore, et splendore; in te autem, o beatissima Virgo Maria, fuit ignis charitatis ardens, et splendens ante Deum, et nos miseros peccatores protegens: et sicut tu, regina Virginum nominaris, sic charitas illa tua regina virtutum appellatur, quia virtutis nomen amittit, quae charitati non famulatur. Arcus coelestis fit ex radiis solis in humida nube, et significat incarnationem filii tui superbenedicti in te: tunc enim Sol iustitiae, qui est splendor Patris, ingressurus in mundum, ascendit super nubem levem, id est, sibi univit mundissimam carnem sine pondere peccati, quod factum est in tua carne, in tuo virginali utero, et sic facta est visibilis imago solis iustitiae, cum profusionis gratiarum plenitudine, ut sit visibilis imago solis, cum sit arcus, sed non nisi in die profusionis pluviae. Species solis consistit in splendentium radiorum emissione, et significat in te, advocata nostra, virgine Maria, largam gratiae effusionem in omnes, qui ad te se convertunt; quae es sole speciosior, et emissione gratiarum foecundior. Tua ergo species, virgo Maria, in corporis castitate, in conscientiae puritate, in exteriori conversatione, et in divinorum contemplatione consistit. Munda igitur cor meum immundum, et inquinatum, o piissima Virgo Maria, et tuis precibus mihi obtine speciem spiritualem, per quam in servitio tuo, et superbenedicti filii placeam tibi in vitam sempiternam.* Amen.

Porro, nos aliter philosophantes, ex his quae de corporalibus b. Virginis membris Sponsus edixit, myslice illa interpretantes iuxta morem sanctorum Patrum, spiritualem Virginis pulchritudinem deprehendemus. Et quidem in primis Sponsus ad caput sponsae respiciens, in hunc modum eius pulchritudinem laudavit (*Cant.* 4): *Capilli tui, sicut greges tonsarum, quae ascenderunt de monte Galaad.* Duplicem hic tangit comparationem: nam primo caput confert monti Galaad, qui amoenus erat aspectu, variisque speciebus aromaticis suavissimum odorem emittens, per quem Christus Dominus apte significatur, qui, ut dixit Isaias (*cap.* 2): *Mons est in vertice montium*, et ut ait d. Paulus (*ad Ephes.* 1): *Caput Ecclesiae ipsum dedit.* Significatio autem Galaad, quod *acervus testimonii* interpretatur, recte in Christum convenit, cum in eum totius legis veteres figurae, ac testimonia coacerventur, et super eundem sancti homines, et vivi lapides, in aedificium Ecclesiae sint coacervati; et ut quidam fidelium poetarum in persona Christi cecinit:

Semper ero testis in coeli sede fidelis.
Spem veniae genti trilinens peccata fatenti.
Insuper et vitae dans pascua semper opimae.

Capilli vero, qui descendunt ex hoc capite, cogitationes erant b. Virginis, quas in Christum caput suum crebro dirigebat: mente enim ascendebat, et descendebat per hunc montem instar angelorum, qui ascendebant, et descendebant per scalam, quam vidit Iacob: ascendebat, cogitans de illo: *In principio erat Verbum:* et descendebat per eundem, contemplans illud (*Ioan.* 1): *Et Verbum caro factum est:* ascendebat in sinum paternum, ubi *Verbum erat apud Deum*, et descendebat in proprium uterum maternum, ubi Verbum erat apud nos, *et habitavit in nobis.* Quod autem huiusmodi capillos cogitationum comparet Sponsus capreis de monte Galaad, illa ratio in promptu est, quod Galaaditae capreae nigrae erant, aut subrufae, quod geminam cogitationum b. Virginis laudem indicat: nam niger color obscuritatem significat illarum cogitationum, quae propter eximiam earum perfectionem soli Deo innotescebant; alii vero incomprehensibiles erant, ad quod alludens sanctus Theodoretus explicans illud (*Cant.* 5): *Comae eius sicut latae palmarum, nigrae quasi corvus*, inquit: *Dicuntur comae eius nigrae, ut per profundum, et obscurum colorem, abdita, et inaccessa incarnationis eius ratio declaretur.* Subrufo etiam colore dicuntur praediti capilli b. Virginis cogitationum, quia subrufo charitatis

UNIVERSIDAD DE NAVARRA

colore, qui ardens est, et quodammodo aureus, mirifice erant ornati. Unde, quemadmodum excrescentibus in foemina capillis, solet interdum totum eius corpus cooperiri, ita contemplari licet b. Virginem aureis cogitationibus, et flavis charitatis affectibus totam coopertam, ut iam non aurea tantum, sed veluti aurum ipsum splenderet, ac rutilaret. Quare ad hoc innuendum, ubi Vulgatus Interpres (*Cant.* 2) legit: *Ne evigilare faciatis dilectam*, Septuaginta Interpretes transtulerunt: *Ne evigilare faciatis dilectionem, sive amorem.* Quo manifeste indicare voluerunt, tanta b. Virginem charitate ardere, ut non tam amans, aut diligens, quam amor ipse, ac dilectio esse videretur, etc.

Deinde Sponsus ad pulchritudinem oculorum beatae Virginis se convertens, inquit: *Oculi tui sicut piscinae in Hesebon, quae sunt in porta filiae multitudinis, etc.* Gulielmus (*in com. hui. loc.*) pulchre dixit: *His piscinis assimilantur oculi piae matris: nam plena erat oculis, et utique multo plenior, quam quodlibet illorum quatuor animalium, de quibus scriptum est, quod in circuitu, et intus plena sunt oculis. Plena*, inquam, *erat oculis providentiae, sine intermissione providendo bona non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Plane hos oculos eius nullus unquam vel tenuis carnalis illecebrae pulvis fuscavit, nullus vel modicus aemulationis, sive iracundiae motus turbavit: sed ad instar aquae vivae, puri semper, ac perlucidi fuere, quia nihil in se turbulentum habebant;* haec ille. Alanus autem (*sup. eund. loc.*) huic Gulielmi expositioni duplicem aliam apponit; prima est, quam ex doctrina Ruperti (*in cap. 7. Cant.*) depromit, ut propterea oculos beatae Virginis piscinis Hesebon, quae aquarum copiam emittebant, comparaverit, quia lacrymarum fluenta frequenter ex eis, praecipue post filii sui ascensionem prodibant, adeo ut melius, quam David dicere potuisset illud (*Ps.* 41): *Fuerunt mihi lacrymae meae panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus?* Vel certe, quia crebro ante mortem, et post mortem Christi, acerbissimos eius dolores attenta mente perpendens, copiosus lacrymarum imber ex virgineis oculis decidebat: id quod maxime congruit significationi Hesebon, quod interpretatur, *Cingulus moeroris:* quia moeror ille ob Christi passionem undique cingebat animam beatae Virginis. Secundam iam expositionem accipe: duplicem laudem Sponsus in praedictis verbis Marianis oculis tribuit; nam et comparat illos piscinis Hesebon, de eisdem ait: *Quod astant portae filiae multitudinis, piscinae, seu stagna*, ut vertunt Septuaginta; quia hoc habent speciale, ut eorum aquae summa claritate, et serenitate gaudeant. Ideo Sponsus eis comparat Virginis oculos, qui divinis splendoribus illustrati, secretissima Dei arcana limpidissima cogitatione perspiciebant, ac divinitus confortati, omnis perturbationis expertes, miram serenitatem praeseferebant, ut serenissimam reginam Mariam decebat. Tanquam quidpiam mirabile, maris quietem, et serenitatem commemorans poetarum princeps ait:

Nuper me in littore vidi,
Cum placidum ventis esset mare.

At, post tranquillitatem illam, subito successit tempestas: nec enim unquam maris serenitas stabilis est, sed facile in tempestatem commutatur; serenitas autem oculorum beatae Virginis, non variabilis, sed in media insurgente mortis filii sui tempestate, firma semper, et perseverans extitit. Secundam Sponsi laudem, quam Mariae oculis adhibet, continent verba sequentia (*Cant.* 7): *Quae sunt in porta filiae multitudinis:* quibus viscera misericordiae beatae Virginis aperte indicavit: nam sicut piscinae illae aderant iuxta portas urbis, ad quas tunc moris erat, varia negotia peragendi causa, magnam hominum multitudinem tam nobilium, quam ignobilium confluere; ita misericordes oculi beatae Virginis, quos in Cantico, Salve Regina, Ecclesia Catholica petit ad se converti: *Illos tuos misericordes oculos ad nos converte;* materno charitatis affectu in petitiones suorum famulorum, semper intenti sunt ad eorum miseriam sublevandam; et instar aquilae, quae quantumcunque altius evolet, a filiis, quos in nido reliquit, oculos non avertit, ita ipsa, licet ad supremi coeli cacumen evolarit, oculi tamen eius semper in pauperes respiciunt, qui misericordiae eius, et magnificentiae se committunt: et utilius, quam Absalon, qui viventibus ad portas usque ad osculum blandiebatur, confugientes ad se singulari benevolentia suscepit, et amplectitur, etc.

Porro, post commendationem oculorum, ad genarum laudem descendit Sponsus, dicens: *Sicut fragmen mali punici, ita genae tuae;* qua metaphora verecundiam in beata Virgine commendat: nam sicut cortex mali punici rubens est, ita verecundiae rubor virginum vultus exornare debet: et sicut cortex mali punici durus est, et virtutem stringendi habet, et per illam granorum suavitatem, quae suo sinu continet, nutrit, ita dura continentium flagellis, et ieiuniis confecta vita, pudicitiae, et castitatis custos est fidelissima. Unde d. Ambrosius (*lib. 3. de virg.*) ponderans, quomodo Rebecca, cum primum a longe videret vultum Sponsi, continuo faciem suam cooperuit, ut legimus (*Genes. cap.* 24), sic ait: *In virginibus pudor ornat aetatem, taciturnitas commendat pudorem. An vero mediocre pudoris exemplum est, quod Rebecca, cum veniret ad nuptias, sponsumque vidisset, velamen accepit? haec utique pulchra virgo non decori timuit, sed pudori;* haec ille. Quibus addo, si Rebecca faciem suam velabat, proprio viro ad eam accedente, quid quaeso putas facturam, si alienus adventasset? Certe non solum velamen, sed et fugam arriperet; ut enim dixit Tertul. (*in lib. de cult. foem.*): *Qui praesumit, minus veretur, minus praecavet, plus periclitatur, timor fundamentum salutis est.* Ruperti sententia non est praetermittenda, dum (*in comm. hui. loc.*) ait: *O vere laudabilis verecundia, ubi est intus conscientia munda, et foris est facies verecunda; nam ubi est aliquid, quo mens erubescat, non adeo laudabile est, si conspectam faciem rubor perfundat.* Ab hac ergo verecundia, et pudore Sponsus laudat b. Virgi-

nem, quam non obscure significavit divus Lucas, dum ait turbatam fuisse in sermone angeli, cum filium concepturam ei praedixit: unde recte d. Bernardus (*serm. sup. sign. magn.*) dixit: *An vero quis putat, quod haec verecundia caruerit gratia, quae gratia plena fuit? verecunda fuit Maria, ex evangelio id probamus: ubi enim aliquando loquax? ubi praesumptuosa fuisse videtur? foris stabat, quaerens loqui filio, nec materna auctoritate, aut sermonem interrupit, aut in habitationem irruit, in qua filius loquebatur.* Addo his genas b. Virginis malo punico rubenti comparari, quia et rubore in facie propter opprobria passionis, et mortis filii sui nequiquam erubuit. Unde Beda hunc locum explicans, dixit: *Malum punicum, quia rosei coloris est, passionis dominicae mysterium adumbrat.* Hunc igitur colorem beatissima Virgo in facie habens de filio flagellato, et ex turpi patibulo suspenso, tantum abest, ut confunderetur, ut ruborem, et confusionem, tanquam gloriam, et mirum sui nominis merito reputaret, ut quae probe agnosceret, ob merita passionis filii sui ab omnibus gentibus beatam fore praedicandam, iuxta eius vaticinium (*Lucae c.* 1): *Beatam me dicent omnes generationes, etc.*

Pergit postmodum Sponsus, et labia b. Virginis laudans ait (*Cant. cap.* 4): *Sicut vitta coccinea, labia tua, et eloquium dulce.* Hunc locum ita erudite, et ingeniose doctissimus Gulielmus exposuit (*in comment. hui. loc.*), ut nefas esse putem praeclara eius verba praeterire. Etenim silentium eius, ac prudentiam in labiis suis diffusam commendans, sic loquitur: *Parum est, si dicam, in ore eius non esse inventum mendacium, cum ab ore eius nec verbum quidem sonuerit otiosum; nec enim vel leviter Verbi mater verbo poterat offendere. Vir pollutus labiis, ego sum*, ait Isaias (*cap.* 6), *et subdit causam: in medio populi polluta labia habentis ego habito. Eximium, et singulare fuit Mariae, in medio talis populi habitare, et labia prorsus impolluta servare, habitans inter peccatores, tam perfectam ori suo posuit custodiam, ut nec leviter delinqueret in lingua sua. Nonne haec labia sunt vittae similia? sicut enim vitta fluentes capillos stringit, ita se labia eius perdiscreti censuram silentii stringebant, ne quod ex eis verbum inordinatum, vel inutile effueret: lingua eius aeque, ut aliorum, in mundo erat, sed non ut aliorum lingua labebatur, quia discretionis vitta constricta, nonnisi utilia, et utiliter loquebatur: diffusa haec erat gratia in labiis eius; quare non poterat non eloquium eius esse dulce: non tantum sibi cavebat a noxiis, et inutilibus verbis, sed etiam ab utilibus, cum taceret melius proferendis. Quis unquam tam dulci fuit eloquio, quam mater dulcedinis? si ex abundantia cordis os loquitur, quid poterat nubes illa dulcedine gravida, stillare, nisi dulcedinem, nisi mel, et favum: sed cur vittae coccineae labia similia? per rubentem coccum passio dominica significatur. Itaque sicut vitta coccinea, labia eius; quoniam tum etiam, cum parietem cerneret filium, silentii districtionem non remisit: adeo ut nec tam acerbus materni affectus dolor eiulatum, vel clamorem foemineum, vel vocem ullam animi fracti indicem extorqueret. Viderat filium, sicut agnus coram tondente obmutescit, non aperientem in passione os suum, filio compatiens, mater stabat iuxta crucem, doloris acerbitatem sacro silentio premens: antea labia eius ut vitta fuerunt; tunc autem revera vittae coccineae simillima fuere. Spiritus sanctus testatur, tempus esse loquendi, et tempus tacendi: tempore tacendi, labia eius fuere sicut vitta coccinea; sed tempore loquendi sicut mel dulce fluebat eloquium eius: tempus erat tacendi, filio tacite cruciatus perferente: tempus loquendi fuit, postquam idem filius triumphator ab inferis remeavit. Sed quid tum locuta fuerit, tacent sacrae literae, ut meditetur pietas cogitantis, quod exprimere nequit ratio disserentis;* haec erudite satis Gulielmus.

Cuius ultimae interpretationi consentit expositio Bedae in eundem locum asserentis, labia b. Virginis vittae purpureae, seu coccineae apte comparari, quoniam Virgo sermones suos purpurei sanguinis in passione Christi effusi, memoria tingere solebat, et veluti coccineos reddere; adumbrari autem passionem Christi per filum coccineum, perspicuum est ex (*Iosue* 2), cum Raab meretrix ex fenestra funem appendit coccineum, ad cuius conspectum sibi, domuique suae parceretur, ut in eum locum Origenes perdocte observavit. Quod autem Sponsus subdit (*Cant.* 4): *Et eloquium suum dulce*, mihi recte explicari videtur per verba eiusdem Sponsi in eodem capite, labia beatae Virginis comparari favo non sterili, aut parco nectaris, sed foecundo, et uberi mel copiosum distillanti (*ibid.*): *Favus distillans labia tua sponsa, mel, et lac sub lingua tua:* quae verba plane videntur mihi dicta b. Virgini, cum proxima erat melliflua illa verba pronunciare, quae ad Verbi divini Incarnationem desiderabantur (*Luc.* 1): *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum:* cum enim Dei Filius suspiriis, et clamoribus antiquorum Patrum annuere vellet, qui iam pene usque ad raucedinem vocem exaltarunt (*Psalm.* 75): *Excita Domine potentiam tuam, et veni ad salvandum nos:* dum inquam ipse iam excitaret potentiam suam, ut exiret a Patre, et veniret in mundum, non ut iudicaret mundum, sed ut salvaretur mundus per eum, coelestem nuncium ad Virginem misit, in cuius utero ipse incarnandus erat, ut ad id eius consensum, cooperationem efflagitaret: nolebat enim omnipotens carnem sumere ex ipsa, non sponte, dante ipsa; sicut ad formandam Evam sumpsit de dormiente Adam, ipso non dante, aut cooperante. Voluit namque Deus, ad maiorem b. Virginis excellentiam, quod incarnatio Verbi divini, et consequenter generis humani salus, dependeret a consensu Virginis; quia tamen volebat, hunc consensum verbis exprimi, contemplor angelum coixe a Virgine illum deprecantem in haec verba: illa diffide, dabis illi de te, quod in salutem omnium expendatur, credis, scio; sed quia non sufficit credere, quia *corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, oportet, ut fidem hanc ore exprimas, maxime quod Verbum sine tuo verbo carnem sumere recusat. Dic ergo cito, quod dictura es, quia tempus loquendi est, non tem-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

pus facendi: noli tuo silentio salutem humani generis suspendere, ecce ex ore tuo pendent in coelis angeli, hominum amatores; sancti patriarchae ex limbo, in quo detinentur, expectant verbum tuum quasi imbrem serotinum, imo omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc sub expectatione verbi dulcissimi, instar mellis ex favo oris tui distillandi: adhuc labia tua sunt, sicut mel in favi cera delitescens: fac, ut sint favus distillans. Tunc labia beatae Virginis distillare coeperunt mel dulcissimum illorum verborum, quod erat sub lingua Virginis: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Ad hoc ergo significandum, postquam dixerat Sponsus Virgini (*Cant.* 4): *Sicut vitta coccinea, labia tua*, continuo subinuxit: *et eloquium tuum dulce.*

Rursus pulchritudinem colli suae sponsae intuens, singulari turris metaphora in haec verba illud commendavit (*Cant.* 4): *Sicut turris David collum tuum, quae aedificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium:* vel, ut alii transferunt, *omnes aladrae fortium.* Scio quosdam Interpretes per collum b. Virginis intelligere eius intercessionem, per quam, sicut per collum a Christo capite, divina praesidia, ac coelestia munera in nos transfunduntur. Nec me latet, alios expositores per collum Virginis intelligere eius obedientiam: etenim proprium obedientis est, collum subiicere ad obedientiae iugum suscipiendum. Novi etiam alios doctores per collum beatae Virginis intelligere eius fortitudinem, quia collum membrum est omnium robustissimum, utpote ex ossibus, nervis, et cartilaginibus compactum. His tamen omnibus expositionibus consulto omissis, ne quae latius alibi disseruimus, nunc repetamus; opinor, per collum Virginis congrue accipi eius charitatem: nam sicut id proprium colli est, ut sit vinculum, et nexus corporis cum capite, ita charitatis, quam Apostolus vocat (*ad Coloss.* 3), *Vinculum perfectionis: Super omnia autem haec charitatem habete, quod est vinculum perfectionis*, corpus mysticum cum capite suo Christo unit, et copulat. Sicut autem collum est supra totum corpus, et immediatius capiti, quam illud; ita charitas b. Virginis omnem purae creaturae charitatem superat, et nulla charitate Christi secundum perfectionem immediatior est. Cum autem addit (*Cant.* 4): *Mille clypei pendent ex ea*, reliquas virtutes intellexit, quae a charitate pendent, quibus christiani milites ad praelium armantur, implentes illud d. Pauli (*ad Ephes.* 6): *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli:* quot enim sunt virtutes in iusto, tot existima clypeos, ac tot bellica turmenta ad hostium defensionem, et offensionem. Quod autem ex charitate pendeant virtutes reliquae, luculenter docuit d. Paulus, dum (1. *ad Cor.* 13) dixit: *Charitas patiens est, benigna est, non cogitat malum, non aemulatur.* Ac tandem merito charitas turri etiam comparatur (*Cant.* 4): *Sicut turris David collum tuum:* quia sicut capta arce, et dirula turri, facile urbs expugnatur; ita charitate deperdita, civitas animae facili negotio ab hoste occupatur. Propugnacula vero, quibus turris haec defenditur, opera sunt in charitate facta, quorum exercitium si ab hostibus impediatur, neutiquam turris ab illis eam invadentibus liberari poterit, etc.

Tandem coelestis Sponsus, virgineum Mariae ventrem pariter, et foecundum intuens, acervo tritici praeclare illum comparavit (*Cant.* 7): *Venter tuus, sicut acervus tritici, vallatus liliis.* Hic sane non oportet in laudem b. Virginis ad spiritualem ventrem voluntatis illius, quo innumera desideria sancta concipiebat, et totidem merita pariebat, confugere, cum proposita verba apte in corporalem Virginis ventrem conveniant: etenim ex purissimo sanguine, quem beatissima Virgo utero suo, tanquam vera mater, subministravit Spiritu sancto, ad temporalem Verbi divini conceptionem, formatus fuit acervus ille membrorum corporis Christi, quod frumentum fuit electorum. Laborabat fame orbis universus, et panem parvuli petebant, et non erat, qui frangeret eis; cuius rei figuram gessit Ægyptus, dum tempore Pharaonis, et Ioseph gravissima fame laborabat. Paravit Deus horreum frumenti uberrimum, atque amplissimum, uterum nempe integerrimum beatissimae Virginis, cunctis hominibus usque ad saturitatem sufficientissimum; quod aperte indicat, eximiam beatae Virginis foecunditatem, cum fructum protulerit aequalem illi, quem foecundissimus aeterni Patris venter ab aeterno peperit. Unde quidam ad beatam Virginem illa Proverbiorum referunt dicta (*Proverb.* 18): *De fructu oris viri Dei replebitur venter eius;* fructus oris Dei eius filius est, ipso dicente (*Eccles.* 34): *Ex ore Altissimi prodivi.* Hoc ergo fructu replebatur venter beatae Virginis. Quod autem addit, *Vallatus liliis*, virginitatem Marianae foecunditatis individuam comitem denotat. Etenim lilium virgineae puritatis symbolum esse meminit Propertius (*lib.* 4. *eleg.* 4), dum ait, virginem Vestalem Tarpeiam Diis suis solitam fuisse, ad suam virginitatem profitendam, lilia in sacrificio offerre:

Saepe tulit blandis argentea lilia Nymphis.

Quin et divus Hieronymus (*in Psal.* 44), cuius inscriptio est iuxta Hebraicam lectionem: *Super lilia, vel prae liliis*, ipse intelligit virgines. Quae inscriptio satis mihi videtur consentiens ei, quam Vulgatus Interpretes eidem Psalmo apponit: *Pro his, qui commutabuntur:* nam virgines videntur commutari in angelos. Unde ipse divus Hieronymus testatur, Psalmi illius expositionem ad beatam Virginem praecipue direxisse, eo quod in inscriptione eius invenisset: *Flores liliorum*, quae virginitatis sunt symbola: quod idem non obscure delineatum cerno in columnis aereis, quas Salomon (3. *Reg.* 7) fieri praecepit ante vestibulum templi, super quarum summitatem nihil aliud apposuit, quam lilia, ad significandum castitatem, per candida lilia significatam, tanti ponderis esse propter eius difficultatem, ut opus sit ad illam sustentandam fortissimis aereis columnis, hoc est, firmissimis divinae gratiae praesidiis,

quod et nomina ipsarum columnarum non obscure indicabant; quarum una Iachin, altera vero Booz nominabatur: utraque autem vox fortitudinem significat. Quid plura? id ipsum etiam lilii arbusculum manifestat, per illud virginitatem significari; tum quia candidissimos flores profert, tum quia postulat, esse intactum: nam si manibus contingatur, et contrectetur, praeter quam quod marcescit, quod commune est aliis floribus, fragrantem suum odorem amittit, quod proprium esse virginum, nemo est, qui non videat. Quia ergo b. Virgo semper intacta fuit, nullum alium tactum, quam illum Spiritus sancti sentiens, de quo ipsa: *Venter meus intumuit ad tactum eius;* idcirco merito virgineus beatae Mariae venter liliis decoratur. Quod autem lilia ait vallare illum, plane significat, quod sicut civitate bene circumdata, strenuissimisque militibus undique vallata, hostis eam ingredi non potest; ita beata Virgo tot pudicitiae, et puritatis liliis undique tam anima, quam corpore, tam mente, quam sensu circumdata erat, ut nec minutissimus alicuius impuritatis pulvisculus eam subintrare quiverit. Unde pie noster s. Bernardinus Busten. hunc eundem locum Cantic. versans (6. *par. Marial. serm.* 5. *de partur. Mar. par.* 2), inquit: *Vallatus*, ait, *quia venter eius liliis puritatis, et munditiae undique fuit circumdatus, ita, quod hostis in eius cor nunquam intrare potuit, nec aliquam impuritatem iomittere valuit: nam intus inveniebat lilium puritatis, lilium castitatis, sursum lilium contemplationis, a dextris lilium temperantiae, a sinistris lilium patientiae, ante lilium providentiae de futuris, retro lilium institiae de praeteritis*, etc. Vel dicamus aliter: lilia, quae circumdant virgineum ventrem, esse sacras virgines, divo Ambrosio dicente (*lib. de inst. Virg. cap.* 15): *Christi lilia sunt specialiter sacrae virgines, quarum est splendida, et immaculata virginitas. Etenim virgineus ille venter principium fuit, et origo, imo et perennis fons, unde efficacissimo Deiparae exemplo, omnium virginum chori dimanarunt.* Vel tandem dicamus, si placet, per acervum tritici, et lilia, materna misericordiae viscera, quibus beata Virgo clientulos suos fovet, aperte adumbrari: nam in praesenti vita, tanquam navis institoris de longe portans panem suum, frumentum corporis Christi, quo cibemur, et alamur, nobis subministrat; in futura vero, lilii conditionem illam omnibus notissimam imitatur; etenim a terra praecisum non oliatur, sed innata sua virtute nititur complicatos flores, qui nondum eruperant, explicare, ut et candorem suum ostentent, et odorem emittant; ita Deipara Virgo, quamvis alioquin a terra iam praecisa, utpote in coelum iam assumpta, et cum filio conregnans, suorum non immemor, illos inde fovet, et auxilia multa impertitur, quibus suffulti, et suavissimum exemplaris vitae odorem emittunt, ac innocentiae suae candorem in Dei gloriam ostendant, iuxta illud (*Matth.* 5): *Ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in coelis est;* cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA VIII.

Deiparam Virginem divinae gratiae miraculum, ac beatum eius ventrem miraculorum officinam esse, aperte commonstramus, in illa eadem verba: Beatus venter, qui te portavit.

Primus, qui mihi videtur, Deiparam Virginem, miraculum appellasse, Ioannes est, dilectus Christi Domini discipulus, et eiusdem Virginis filius singulariter adoptivus, dum (*Apoc.* 12) vocavit illam magnum signum: *Signum magnum apparuit in coelo, mulier amicta sole.* Signum enim in sacra Scriptura pro miraculo, et prodigio frequenter usurpatur: unde David (*Psalm.* 134) ait: *Misit signa, et prodigia in medio tui Aegypte:* et (*Actor.* 5): *Per manus autem Apostolorum fiebant signa, et prodigia multa in plebe.* In hac ergo acceptione vocavit d. Ioannes beatam Virginem, *signum magnum*, id est, grande miraculum. Et quidem, si vera est theologorum sententia, qui cum divo Thoma (1. *part. quaest.* 103. *art.* 7. *et in disp. qu. de poten.*) docent, miraculum duo importare, et quod sit aliquid superans totam facultatem naturae, et quod sit rarum, non frequens; iure optimo Deipara Virgo stupendum miraculum censeri debet, cum et dignitas matris Dei, et supernaturalia divinitus ei infusa charismata totam naturae facultatem longe transcendant: et in eo, quod pariter sit mater, et virgo, ita rara, et unica esse perhibeatur, ut in hoc genere phoenix sit, ac sine exemplo, ad quod respiciens Sponsus dixit (*Cant.* 6): *Una est columba mea, una est amica mea*, et Ecclesia catholica canit: *Tu sola sine exemplo placuisti Domino nostro Iesu Christo.* Optimo etiam iure appellari potest Deipara miraculum, quia, sicut datur miraculum comparatione operum naturae, eo quod naturalem rerum ordinem excedit; ita b. Virgo comparatione operum gratiae miraculum censenda est, quia in genere sanctitatis fuit supra totum communem ordinem gratiae; adeo ut plus gratiae, aut gloriae sola ipsa obtinuerit, quam omnes sancti, et angeli simul, ut testatur d. Bernardus, qui postquam dixerat, b. Virginem adumbrari per reginam Esther, quam adamavit rex super omnes mulieres, et posuit diadema super caput eius, subiecit haec verba: *Istud est diadema speciei, et gloriae corona, qua b. Virgo super angelos coronatur, ut intra Trinitatis gloriam ipsa sola amplius sit evecta, ac plus sanctissimae Trinitatis delight gloriam, cupiat, sentiat, ac fruatur, quam omnis alia pura creatura simul sumpta.* Sed, ut vetustiores alii Patres stupendam, ac ineffabilem b. Virginis sanctitatem altius consideranles, miraculum illam nuncuparunt. S. Ignatius (*in epist. ad Ioan.*) appellat eam *coeleste*, si fas est dicere, *prodigium, et sacratissimum spectaculum:* et s. Ephrem (*in orat. de Deip.*) sic eam salutat: *Ave praestantissimum universi orbis miraculum:* d. Epiphan. vero (*orat. Deip.*): *O Virgo*, inquit, *can-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

pus facendi: noli tuo silentio salutem humani generis suspendere, ecce ex ore tuo pendent in coelis angeli, hominum amatores; sancti patriarchae ex limbo, in quo detinentur, expectant verbum tuum quasi imbrem serotinum, imo omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc sub expectatione verbi dulcissimi, instar mellis ex favo oris tui distillandi: adhuc labia tua sunt, sicut mel in favi cera delitescens: fac, ut sint favus distillans. Tunc labia beatae Virginis distillare coeperunt mel dulcissimum illorum verborum, quod erat sub lingua Virginis: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Ad hoc ergo significandum, postquam dixerat Sponsus Virgini (*Cant.* 4): *Sicut vitta coccinea, labia tua*, continuo subinuxit: *et eloquium tuum dulce.*

Rursus pulchritudinem colli suae sponsae intuens, singulari turris metaphora in haec verba illud commendavit (*Cant.* 4): *Sicut turris David collum tuum, quae aedificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium:* vel, ut alii transferunt, *omnes aladrae fortium.* Scio quosdam Interpretes per collum b. Virginis intelligere eius intercessionem, per quam, sicut per collum a Christo capite, divina praesidia, ac coelestia munera in nos transfunduntur. Nec me latet, alios expositores per collum Virginis intelligere eius obedientiam: etenim proprium obedientis est, collum subiicere ad obedientiae iugum suscipiendum. Novi etiam alios doctores per collum beatae Virginis intelligere eius fortitudinem, quia collum membrum est omnium robustissimum, utpote ex ossibus, nervis, et cartilaginibus compactum. His tamen omnibus expositionibus consulto omissis, ne quae latius alibi disseruimus, nunc repetamus; opinor, per collum Virginis congrue accipi eius charitatem: nam sicut id proprium colli est, ut sit vinculum, et nexus corporis cum capite, ita charitatis, quam Apostolus vocat (*ad Coloss.* 3), *Vinculum perfectionis: Super omnia autem haec charitatem habete, quod est vinculum perfectionis*, corpus mysticum cum capite suo Christo unit, et copulat. Sicut autem collum est supra totum corpus, et immediatius capiti, quam illud; ita charitas b. Virginis omnem purae creaturae charitatem superat, et nulla charitate Christi secundum perfectionem immediatior est. Cum autem addit (*Cant.* 4): *Mille clypei pendent ex ea*, reliquas virtutes intellexit, quae a charitate pendent, quibus christiani milites ad praelium armantur, implentes illud d. Pauli (*ad Ephes.* 6): *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli:* quot enim sunt virtutes in iusto, tot existima clypeos, ac tot bellica turmenta ad hostium defensionem, et offensionem. Quod autem ex charitate pendeant virtutes reliquae, luculenter docuit d. Paulus, dum (1. *ad Cor.* 13) dixit: *Charitas patiens est, benigna est, non cogitat malum, non aemulatur.* Ac tandem merito charitas turri etiam comparatur (*Cant.* 4): *Sicut turris David collum tuum:* quia sicut capta arce, et dirula turri, facile urbs expugnatur; ita charitate deperdita, civitas animae facili negotio ab hoste occupatur. Propugnacula vero, quibus turris haec defenditur, opera sunt in charitate facta, quorum exercitium si ab hostibus impediatur, neutiquam turris ab illis eam invadentibus liberari poterit, etc.

Tandem coelestis Sponsus, virgineum Mariae ventrem pariter, et foecundum intuens, acervo tritici praeclare illum comparavit (*Cant.* 7): *Venter tuus, sicut acervus tritici, vallatus liliis.* Hic sane non oportet in laudem b. Virginis ad spiritualem ventrem voluntatis illius, quo innumera desideria sancta concipiebat, et totidem merita pariebat, confugere, cum proposita verba apte in corporalem Virginis ventrem conveniant: etenim ex purissimo sanguine, quem beatissima Virgo utero suo, tanquam vera mater, subministravit Spiritu sancto, ad temporalem Verbi divini conceptionem, formatus fuit acervus ille membrorum corporis Christi, quod frumentum fuit electorum. Laborabat fame orbis universus, et panem parvuli petebant, et non erat, qui frangeret eis; cuius rei figuram gessit Ægyptus, dum tempore Pharaonis, et Ioseph gravissima fame laborabat. Paravit Deus horreum frumenti uberrimum, atque amplissimum, uterum nempe integerrimum beatissimae Virginis, cunctis hominibus usque ad saturitatem sufficientissimum; quod aperte indicat, eximiam beatae Virginis foecunditatem, cum fructum protulerit aequalem illi, quem foecundissimus aeterni Patris venter ab aeterno peperit. Unde quidam ad beatam Virginem illa Proverbiorum referunt dicta (*Proverb.* 18): *De fructu oris viri Dei replebitur venter eius;* fructus oris Dei eius filius est, ipso dicente (*Eccles.* 34): *Ex ore Altissimi prodivi.* Hoc ergo fructu replebatur venter beatae Virginis. Quod autem addit, *Vallatus liliis*, virginitatem Marianae foecunditatis individuam comitem denotat. Etenim lilium virgineae puritatis symbolum esse meminit Propertius (*lib.* 4. *eleg.* 4), dum ait, virginem Vestalem Tarpeiam Diis suis solitam fuisse, ad suam virginitatem profitendam, lilia in sacrificio offerre:

Saepe tulit blandis argentea lilia Nymphis.

Quin et divus Hieronymus (*in Psal.* 44), cuius inscriptio est iuxta Hebraicam lectionem: *Super lilia, vel prae liliis*, ipse intelligit virgines. Quae inscriptio satis mihi videtur consentiens ei, quam Vulgatus Interpretes eidem Psalmo apponit: *Pro his, qui commutabuntur:* nam virgines videntur commutari in angelos. Unde ipse divus Hieronymus testatur, Psalmi illius expositionem ad beatam Virginem praecipue direxisse, eo quod in inscriptione eius invenisset: *Flores liliorum*, quae virginitatis sunt symbola: quod idem non obscure delineatum cerno in columnis aereis, quas Salomon (3. *Reg.* 7) fieri praecepit ante vestibulum templi, super quarum summitatem nihil aliud apposuit, quam lilia, ad significandum castitatem, per candida lilia significatam, tanti ponderis esse propter eius difficultatem, ut opus sit ad illam sustentandam fortissimis aereis columnis, hoc est, firmissimis divinae gratiae praesidiis,

quod et nomina ipsarum columnarum non obscure indicabant; quarum una Iachin, altera vero Booz nominabatur: utraque autem vox fortitudinem significat. Quid plura? id ipsum etiam lilii arbusculum manifestat, per illud virginitatem significari; tum quia candidissimos flores profert, tum quia postulat, esse intactum: nam si manibus contingatur, et contrectetur, praeter quam quod marcescit, quod commune est aliis floribus, fragrantem suum odorem amittit, quod proprium esse virginum, nemo est, qui non videat. Quia ergo b. Virgo semper intacta fuit, nullum alium tactum, quam illum Spiritus sancti sentiens, de quo ipsa: *Venter meus intumuit ad tactum eius;* idcirco merito virgineus beatae Mariae venter liliis decoratur. Quod autem lilia ait vallare illum, plane significat, quod sicut civitate bene circumdata, strenuissimisque militibus undique vallata, hostis eam ingredi non potest; ita beata Virgo tot pudicitiae, et puritatis liliis undique tam anima, quam corpore, tam mente, quam sensu circumdata erat, ut nec minutissimus alicuius impuritatis pulvisculus eam subintrare quiverit. Unde pie noster s. Bernardinus Busten. hunc eundem locum Cantic. versans (6. *par. Marial. serm.* 5. *de partur. Mar. par.* 2), inquit: *Vallatus*, ait, *quia venter eius liliis puritatis, et munditiae undique fuit circumdatus, ita, quod hostis in eius cor nunquam intrare potuit, nec aliquam impuritatem iomittere valuit: nam intus inveniebat lilium puritatis, lilium castitatis, sursum lilium contemplationis, a dextris lilium temperantiae, a sinistris lilium patientiae, ante lilium providentiae de futuris, retro lilium institiae de praeteritis*, etc. Vel dicamus aliter: lilia, quae circumdant virgineum ventrem, esse sacras virgines, divo Ambrosio dicente (*lib. de inst. Virg. cap.* 15): *Christi lilia sunt specialiter sacrae virgines, quarum est splendida, et immaculata virginitas. Etenim virgineus ille venter principium fuit, et origo, imo et perennis fons, unde efficacissimo Deiparae exemplo, omnium virginum chori dimanarunt.* Vel tandem dicamus, si placet, per acervum tritici, et lilia, materna misericordiae viscera, quibus beata Virgo clientulos suos fovet, aperte adumbrari: nam in praesenti vita, tanquam navis institoris de longe portans panem suum, frumentum corporis Christi, quo cibemur, et alamur, nobis subministrat; in futura vero, lilii conditionem illam omnibus notissimam imitatur; etenim a terra praecisum non oliatur, sed innata sua virtute nititur complicatos flores, qui nondum eruperant, explicare, ut et candorem suum ostentent, et odorem emittant; ita Deipara Virgo, quamvis alioquin a terra iam praecisa, utpote in coelum iam assumpta, et cum filio conregnans, suorum non immemor, illos inde fovet, et auxilia multa impertitur, quibus suffulti, et suavissimum exemplaris vitae odorem emittunt, ac innocentiae suae candorem in Dei gloriam ostendant, iuxta illud (*Matth.* 5): *Ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in coelis est;* cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA VIII.

Deiparam Virginem divinae gratiae miraculum, ac beatum eius ventrem miraculorum officinam esse, aperte commonstramus, in illa eadem verba: Beatus venter, qui te portavit.

Primus, qui mihi videtur, Deiparam Virginem, miraculum appellasse, Ioannes est, dilectus Christi Domini discipulus, et eiusdem Virginis filius singulariter adoptivus, dum (*Apoc.* 12) vocavit illam magnum signum: *Signum magnum apparuit in coelo, mulier amicta sole.* Signum enim in sacra Scriptura pro miraculo, et prodigio frequenter usurpatur: unde David (*Psalm.* 134) ait: *Misit signa, et prodigia in medio tui Aegypte:* et (*Actor.* 5): *Per manus autem Apostolorum fiebant signa, et prodigia multa in plebe.* In hac ergo acceptione vocavit d. Ioannes beatam Virginem, *signum magnum*, id est, grande miraculum. Et quidem, si vera est theologorum sententia, qui cum divo Thoma (1. *part. quaest.* 103. *art.* 7. *et in disp. qu. de poten.*) docent, miraculum duo importare, et quod sit aliquid superans totam facultatem naturae, et quod sit rarum, non frequens; iure optimo Deipara Virgo stupendum miraculum censeri debet, cum et dignitas matris Dei, et supernaturalia divinitus ei infusa charismata totam naturae facultatem longe transcendant: et in eo, quod pariter sit mater, et virgo, ita rara, et unica esse perhibeatur, ut in hoc genere phoenix sit, ac sine exemplo, ad quod respiciens Sponsus dixit (*Cant.* 6): *Una est columba mea, una est amica mea*, et Ecclesia catholica canit: *Tu sola sine exemplo placuisti Domino nostro Iesu Christo.* Optimo etiam iure appellari potest Deipara miraculum, quia, sicut datur miraculum comparatione operum naturae, eo quod naturalem rerum ordinem excedit; ita b. Virgo comparatione operum gratiae miraculum censenda est, quia in genere sanctitatis fuit supra totum communem ordinem gratiae; adeo ut plus gratiae, aut gloriae sola ipsa obtinuerit, quam omnes sancti, et angeli simul, ut testatur d. Bernardus, qui postquam dixerat, b. Virginem adumbrari per reginam Esther, quam adamavit rex super omnes mulieres, et posuit diadema super caput eius, subiecit haec verba: *Istud est diadema speciei, et gloriae corona, qua b. Virgo super angelos coronatur, ut intra Trinitatis gloriam ipsa sola amplius sit evecta, ac plus sanctissimae Trinitatis delight gloriam, cupiat, sentiat, ac fruatur, quam omnis alia pura creatura simul sumpta.* Sed, ut vetustiores alii Patres stupendam, ac ineffabilem b. Virginis sanctitatem altius consideranles, miraculum illam nuncuparunt. S. Ignatius (*in epist. ad Ioan.*) appellat eam *coeleste*, si fas est dicere, *prodigium, et sacratissimum spectaculum:* et s. Ephrem (*in orat. de Deip.*) sic eam salutat: *Ave praestantissimum universi orbis miraculum:* d. Epiphan. vero (*orat. Deip.*): *O Virgo*, inquit, *can-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

ctissima, quae exercitus angelorum in stuporem deduxisti : stupendum enim est miraculum in coelis: mulier amicta sole: stupendum miraculum in coelis: mulier gestans lucem in ulnis, stupendum miraculum in coelis: alter thronus cherubicus, stupendum miraculum in coelis : mulieris filius, qui, et ipsius, et saeculorum est pater: stupendum miraculum in coelis: thalamus Virginis habens Filium Dei: Deum sponsum, Christum, stupendum miraculum in coelis, Dominus angelorum, infans b. Virginis effectus est; haec Epiphan: D. Ioan. Damasc. (*orat. 1. de nativit. Deip.*) agens : *O miraculum*, inquit, *omnium miraculorum maxime novum : mulier seraphinis sublimior effecta est, Deus visus est paulo minus ab angelis minoratus : silent sapientissimus Salomon, nec iam nihil sub sole novum esse affirmet;* haec ille; et merito, quia (*Hier. 31*) dixit: *Creabit Dominus novum super terram, mulier circumdabit virum.* Quare per nullam puram creaturam, imo nec per omnes simul sumptas, magis nobis innotescere arbitror divina attributa, quam per solam b. Virginem : nam si de sapientiae Dei thesauro, quem in Deipara exornanda Deus ostendit, agamus, ipsa Virgo sub typo domus, columnis septem suffultae, in plenitudine nimirum septem donorum Spiritus sancti, singulariter a Dei sapientia, non in aliorum usum, sed sibi peculiariter aedificatae, pronunciatur (*Prov. 9*): *Sapientia*, inquit, *aedificavit sibi domum, excidit columnas septem:* quod de b. Virgine exponit Petrus Damianus (*orat. 2. de nativ. Virg.*), divus Bernardus (*serm. 9. parvis*), et divus Bonaventura (*in spec. b. Virg. cap. 6*). De potentia vero, et bonitate Dei, quae in beata Virgine praecipue relucent, virgo ipsa, quamvis humillima, Spiritus sancti impulsu in ea verba protrupit: *Quia fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen eius,* a potentia, et sanctitate Deum circumscribens, ac si diceret, quae in me magna conspicitis, peculiariter proficiscuntur ab eo, qui summam omnipotentiam, et sanctitatem, seu bonitatem in me ostendere voluit, et rursus (*in Psalm. 47*), qui totus de Virgine sub typo fundationis Hierusalem agit, omnipotentia, ac bonitas Dei, quem propterea magnum et laudabilem vocat, in beata Virgine praedicatur: *Magnus*, inquit, *Dominus, et laudabilis nimis, in civitate Dei nostri.* Beata Virgo enim ex divo Ioanne Damasceno (*orat. 1. de dormit. Virg.*): *Civitas est Dei, et quidem Dei nostri, quia mater est filii Dei, qui ob susceptam ex beata Virgine humanitatem, peculiari ratione Deus noster dicitur.* Quod etiam confirmat id quod sequitur: *Deus in domibus eius cognoscetur, cum suscipiet eam.* Deus duplicem habet domum, Ecclesiam militantem, et Ecclesiam triumphantem: tunc autem dicit David, valde cognoscendum esse Deum, cum b. Virginem in Ecclesia militanti in matrem, et in triumphanti in coeli Reginam suscipiet: atque ad haec respicientes sancti Patres, saepe maiestatem, et gloriam Dei per beatam Virginem nobis maxime innotescere inculcant. Etenim divus Bonaventura (*in spec. bea. Virg. cap. 7*) inquit : *Opus Domini mirabile est Maria, de quo dicitur in Ecclesiastico : Vax admirabile, opus excelsi: vere opus mirabile, quia nusquam invenietur simile. Unde hoc dicitur: Non est factum tale opus in universis regnis, non in regno coelestium, nec terrestrium, nec infernorum : hoc enim opus plenum est Dominica gloria, quia supra omnem puram creaturam resultat, et relucet plenissime in beata Maria. Nam praeter assumptam a Verbo naturam, nullum est opus, nulla creatura, in qua tanta divinae gloriae materia reluceat, sicut in Maria:* et infra: *Plena est tota Maria relucente in se plenissime divina gloria;* haec ille. Petrus Chrysologus (*ser. 140*): *Quantus*, inquit, *sit Deus, satis ignorat ille, qui huius Virginis mentem non stupet, animam non miratur, pavet coelum, tremunt angeli, creatura non sustinet, natura non sufficit, et una puella sic Deum in sui pectoris capit, recipit, oblectat hospitio, ut pacem terris, coelis gloriam, salutem perditis, vitam mortuis, terrenis cum coelestibus parentelam ipsius Dei cum carne commercium, pro ipsa domus exigat pensionem, pro ipsius veteri mercede conquirat, et impleat illud Prophetae: Ecce haereditas Domini, filii merces, fructus ventris:* ita s. Chrysolog. Consonat his revelatio s. Birgittae (*ser. angel. cap. 5*), dum ait: *Mundo creato adhuc unus minor mundus Virgo Maria coram Deo, cum omni venustate nondum creatus est, a quo maior gloria Deo, et angelis maior laetitia, atque omni homini eius bonitate frui volenti maior utilitas, quam de hoc maiore mundo provenire debebat.* Ac tandem noster Galatinus (*l. 7. de arc. cath. ver. c. 19*), reddens rationem, cur b. Virginem Hieremias (*c. 7*) vocaverit: *Solum gloriae Dei*, ait: *Quia sicut sedes ornata, ac regio more parata, sedentis magnificentiam, ac maiestatem indicatita Deus in Virgine ostensurus erat gloriam suam, et claritatem.*

Quare licet revera ad illius sanctitatis culmen b. Virgo pervenerit, ut soli Deo cognoscenda reservetur, iuxta illud (*Eccl. 1*) : *Ipse creavit illam in Spiritu sancto, vidit, dinumeravit, et mensus est;* illud tamen solum pro corporis nostri tenuitate de illius eximia sanctitate, et dignitate cognoscimus, quod ipsa incomparabiliter magis Dei gloriam, maiestatem, et reliqua attributa nobis manifestat, quam totus simul creaturarum coetus. Et quid quaeso non manifestet, cum agnoscamus, illam post Christum in aeterna praedestinatione primum locum obtinere, atque adeo non solum a Deo electam, sed praeelectam, antiquis Patribus coelitus promissam, mysticis praefiguratam miraculis, propheticis vaticiniis praenunciatam, Sibyllarum oraculis honorifice praedicatam, Dei beneficio ex sterilibus parentibus ortam, qui ex voto nasciturum prolem Deo dicaverant, ab angelo nativitatem eius praedictam, ex quadruplici generosa stirpe, patriarchali, prophetali, sacerdotali, ac regia progenitam, ab originali peccato singulari privilegio praeservatam, a puncto suae immaculatae conceptionis ita in gratia confirmatam, ut ex suppositione illius non solum moraliter, sed nec venialiter potuerit peccare: fomitem semper extinctum habuerit, nunquam saevientem membrorum legem, vel inferioris partis rebellionem senserit, rationis usum ab exordio suae conceptionis ac-

cepit, votum virginitatis ex tunc Deo nuncupaverit, ab eo instanti mereri inceperit, meritum etiam dormiendo non interruperit, omnibus non solum virtutibus tam theologicis, quam moralibus, sed et cunctis gratiis gratis datis a suae creationis primordiis fuerit exornata, trinula in templo Deo ex voto consecrata, ibique sanctissime educata, infans absque humano adiutorio in templo ascenderit, ex divina ordinatione miraculo confirmata, sponsum acceperit; gratia plena ab Spiritu sancto obumbrata, et foecundata, filium Dei concepit, quem coeli capere non poterant, suo gremio portarit, atque adeo ad culmen dignitatis matris Dei evecta fuerit, simul mater, et virgo perpetua, et omnium virginum primiceria extiterit, praegnantium taedium non senserit, filium suum absque dolore in partu, immo cum mira dulcedine ediderit, consuetudine, et familiaritate Christi per triginta tres annos usa fuerit, morti illius constans, summo pariter moerore confecta iuxta crucem adstiterit, ad humani generis reparationem singulariter fuerit cooperata, prima viderit Christum resurgentem et prae cunctis de Christi resurrectione gavisa, gloriosae ascensioni filii sui praesens, prae reliquis aliis, quando nubes abduxit eum ab oculis Apostolorum, usque in cacumen empyrei coeli ascendentem prospexerit, tanquam Apostolorum magistra, varia ex divinorum mysteriorum aerario arcana panderit, dum superstes erat in hac mortali vita, templa suo nomine dicata aguverit, febri divini amoris aestuans interierit, Apostolorum manibus fuerit sepulturae tradita, in gloriam super dilectum filium suum innitens conscenderit, et a dextris filii sui constituta, super omnes puras creaturas sedem habeat ; aliaque pene infinita mirabilia, quae Deiparam Virginem exornant, ut etiam succincta eorum enarratio longum ultra modum exposcat sermonem. Unde recte quidam christianorum poetarum dixit:

Maiores, pluresque tibi debentur honores,
Sed quos non hominum, mensve, liberve capit.

Cum ergo in beatam Virginem tot, ac tam stupenda miracula in unum confluxerint, iure optimo sancti Patres miraculum uno ore nuncupant : nonnulli tamen non contenti gratiae miraculum illam appellasse, eandem etiam vocant miraculorum officinam. Etenim s. Andreas Hierosolymitanus (*serm. in salutat. Deip.*) Verbi officinam, Arnoldus Carnotensis (*tract. de laud. Mar.*) Spiritus sancti officinam, divus vero Ioannes Damascenus (*orat. 1. de nativ. Mar.*) miraculorum officinam illam dixit. Certe summus ille miraculorum opifex Deus, cum sparsis per totum orbem terrarum miraculis, tanquam propriae potentiae suae praeconibus videretur sibi adhuc non plene suam ostentasse potentiam; tandem, ut faciendi miracula mirabilem artem, ac singularem virtutem suam commendabiliorem redderet, sacratissimam Virginem extraxit, quae non solum portentosum miraculum, sed et miraculorum officina esset, ex qua inaudita miracula prodirent, quae tam terram, quam coelum stupefacerent. Equidem tot, ac tam innumera in solum Incarnationis Verbi divini mysterium in utero b. Virginis celebratum, confluxere miracula, ut vel hoc solum nomine, iure optimo, virgineus venter miraculorum officina nuncupari debeat. Unde Isaias (*c. 10*), ineffabile incarnationis mysterium, consummatio, et abbreviatio dicitur mirabilium operum Dei, ut praeclare sancti Doctores expendunt; quorum nonnulla selecta testimonia hoc loco inserere non gravabor, cum copiose ea, quae in Verbi divini incarnatione ex beata Virgine admiratione digna sunt, recenseant.

Sanctus Basilius Seleuciae episcopus (*orat. in Annunc. b. Virg.*): *Tunc*, inquit, *factum est mysterium, quod in hodiernum usque diem manet mysterium, neque unquam mysterium esse desinet: tunc creatura vidit, quod antea visum est nunquam, nempe prolem, quae suae matris erat parens: infantem, qui genitricem aetae antecedebat, puerum saeculis omnibus quae ante effluxerant, antiquiorem.* Et rursum introducit Deiparam filium suum, Deum hominem in una persona admirantem, et cum eo ita loquentem: *Et quid igitur tecum disceptabo, lacte ne enutriam, an vero, ut Deum colam? ut mater curabo, an vero, ut ancilla adorabo? ut filium amplexu fovebo, an vero, ut Deum supplex invocabo? hic ne porrigam, an vero thymiama offeram: et quod hoc magnum, et abditum est miraculum? Coelum tibi thronus est, et sinus meus te complexus est: totus his praesto es, qui in inferno degunt, neque unquam tamen ab iis abes, qui in supernis vivunt; nec enim localis fuit tua illa descensio, sed divina quaedam subnissio, et condescensio. Celebro proinde tuam clementiam, sed non investigo tuam aeconomiam: tale namque mysterium per illum patratum est, quale nulla prorsus lingua, aut cogitatio assequi potest;* sic ille.

Divus Ioannes Damascenus (*orat. 1. de Nat.*) divinam verbi Incarnationem miraculorum omnium caput, et Deiparam Virginem, miraculorum officinam, appellat: quaerens enim, cur Virgo mater ex Anna sterili orta sit: *Quoniam*, inquit, *oportebat ut ad id, quod solum sub sole novumeaat, ac miraculorum omnium caput, eia per miracula sterneretur, ac paulatim ab humilioribus ad sublimiora progressus fieret ;* et infra, cum Deiparae uterum, quod Christum peperisset, et ubera, quod eundem lactassent, beata pronunciasset, exclamat in haec verba: *O miraculorum miracula, et rerum admirandarum res maxime admiranda:* et rursum, miracula in incarnatione recensens: *O quot*, inquit, *miraculorum, et cuiusmodi foederum haec filiola, hic sterilitatis foetus officina extitit, divinitatis nimirum, et humanitatis, passionis, et impassibilitatis, vitae, ac mortis, ut scilicet in omnibus rebus, id quod inferius erat, a praestantiore vinceretur ;* haec ille. Et iterum ad Deiparam sermonem dirigens, alia admirabilia recenset: *Sane*, inquit, *res omnes conditas dignitate antecelluisti, ex te enim sola summus ille opifex partem assumpsit, hoc est massae nostrae primitias: caro ipsius ex carne tua, et sanguis ex sanguine tuo, et lac e mammillis tuis suxit Deus, et labia tua Dei labiis unita*

UNIVERSIDAD DE OVIEDO
003190

sunt. O miracula mentis captum, atque orationis facultatem excedentia; hucusque d. Ioannes Damascenus.

D. Bernardus (*hom. 2. super Missus est*), mellifluo suo eloquio, miracula, quae cum Verbum caro factum in utero virgineo, tanquam in miraculorum officina peracta sunt, pulchre commemorat: is enim enarrans illud Hierem. (*c.* 31): *Novum creavit Dominus super terram, foemina circumdabit virum: Verto*, inquit, *ad conceptum, partumque virginalem, si forte inter plurima nova ac mira, quae ibi profecto inspicit qui diligenter inquirit, etiam hanc, quam de Propheta protuli, reperiam novitatem. Porro ibi agnoscitur longitudo brevis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana, ibi agnoscitur lux non lucens, Verbum infans, aqua sitiens, panis esuriens: videas, si attendas potentiam regi, sapientiam instrui, virtutem sustentari, Deum denique lactantem, sed angelos reficientem; vagientem, sed miseros consolantem: videas, si attendas tristari laetitiam, pavere fiduciam, salutem pati, vitam mori, fortitudinem infirmari, sed quod non minus mirandum est, ipsa ibi cernitur tristitia laetificans, pacor confortans, passio salvans, mors vivificans, infirmitas roborans, et inter haec novam foeminam agnosce virum circumdantem, cum Mariam videas, virum approbatum a Deo, Iesum suo utero circumplectentem: vir igitur erat Iesus, nec dum etiam natus, sed sapientia, non aetate, animi vigore, non viribus corporis, maturitate sensuum, non corpulentia membrorum:* et infra: *Foemina circumdans virum, iuxta Isaiam, Virgo est concipiens Deum, vides, quam stupendum sit hoc unum de b. Virgine, et in Virgine factum miraculum, quod tot miracula praevenerunt?* haec divus Bernardus.

His consonat s. Bernardinus (*serm. 4. de vigil. Nativ. Dom.*), qui cum enumerasset quaedam Dei opera naturalia, solis nimirum ortum, et occasum, terrae foecunditatem, temporum vicissitudines, quae magna ab eo vocantur miracula, sed consuetudine vilucrunt; subiicit de admirabilibus operibus in incarnatione ex illo Isaiae (*c.* 36): *Innova signa, et immuta mirabilia: O nova*, inquit, *miracula, conceptus fuit sine pudore, partus sine dolore, mutata est in Virgine nostra maledictio Evae, peperit enim filium sine dolore, mutata est in benedictionem, sicut praedictum est per angelum Gabrielem: Benedicta tu in mulieribus: nec solum sine pudore conceptus, et sine dolore partus, sed et mater sine corruptione. O vere novitas inaudita, Virgo peperit, et post partum inviolata permansit; iam securus expecto promissam mihi gloriam incorruptionis in carne mea, quandoquidem conservata per eum est incorruptio etiam in matre sua:* et infra: *Crescunt miracula, multiplicantur divitiae, thesaurus aperitur; quae generat, et mater et virgo est, qui generatur Deus, et homo est;* haec d. Bernardinus. Et sane maius miraculum fuit, ex d. Ambrosio (*de inst. Virg. c.* 7), et Theophylacto, Christum de Virgine nasci, quam eum a mortuis resurgere: illud enim fuit singulare in Deipara, mortuorum autem plurimi resuscitati leguntur; ideo Ecclesia catholica ad Virginem Deiparam ait:

> Tu quae genuisti
> Natura mirante tuum sanctum genitorem,
> Virgo prius, ac posterius.

Sed iam alios audiamus vetustiores Patres. Sanct. Irenaeus (*l.* 3. *adv. haer. c.* 18): *Unus*, inquit, *Christus Iesus Dominus noster veniens per universam dispositionem, et omnia in semetipso recapitulans, in omnibus autem est et homo plasmatio Dei et hominis; ergo in semetipso recapitulatus est invisibilis, et visibilis factus, et incomprensibilis factus comprehensibilis, et impassibilis passibilis, et Verbum homo universa in semetipsum recapitulans, uti sicut insuper coelestibus, et spiritualibus, et invisibilibus princeps est Verbum Dei, sic et invisibilibus, et corporalibus principatum habeat in semetipsum primatum assumens, et apponens semetipsum caput Ecclesiae, universa attrahat ad semetipsum apto in tempore:* sic d. Irenaeus.

D. Cyprianus (*ser. 3. de nat.*): *O Domine*, inquit, *quam admirabile est nomen tuum? vere tu es Deus, qui facis mirabilia: non modo mundi huius staturam admiror, non stabilitatem terrae, cum eam complectitur volubile firmamentum, non singulos dies, non lunae defectum, et incrementum, non solem semper integrum, et laborem eius perpetuum, non temporum vicissitudines, in quibus quaedam arent, quaedam virent, et quae mortua modo videntur, deinceps reviviscunt: miror Deum in utero Virginis, miror omnipotentem in cunabulis, miror quomodo Verbo Dei caro adhaeserit, quomodo incorporeus Deus corporis nostri tegumentum induerit, miror in hac dispensatione tanti dispendia temporis, et tam lentos processus ad obedientiam Salvatoris: in brevi poterat patrari negotium, et poterat tantus labor abbreviari ad solum Christi verbum, sicut factus mundus, et disposita cuncta ad eius imperium; sed elementario mundo dignior est rationabilis homo, quod ex eo, quod in eius servitium facta sunt omnia, facile creditur: in ceteris quocumque modo aliquae satisfaciunt rationes, hic solus me complectitur stupor, et cum Habacuc cano: Consideravi opera tua, et expavi: miror ieiunium, miror tentationes, miror omnipotentem in sepulcro incentem, miror occisum, et resurgentem. Haec sunt nova mira, quae praedixerat Hieremias: Novum fecit Dominus super terram, mulier circumdabit virum, opus suum faciet, et peregrinum opus eius, ab eo Iesus Christus heri, et hodie ante Luciferum genitus, initium carnis sumpsit ex beata Virgine, quem coeli coelorum non capiunt, qui implens omnia, cum sit in omnibus, ab his tamen non capitur, nec tenetur. Novum est, et inauditum, quod in materni angustia uteri circumdedit intra se fragilis caro virtutem Altissimi, et ordinem rerum cursumque naturae mutavit sapientia Dei, et ubique divinitas dilatata, plenitudinem sui vasi infundens exiguo, sic est circumdata muliebri utero, ut universa ambiret implens omnia, excedens cuncta, intra se omnia continens, extra universa complectens, quem nos parvulum, propheta nuncupat virum: insinuans, ei numquam defuisse virtutem, sed semper vi-*

rilis aetatis affuisse fortitudinem quem infantilis infirmitas occultabat: opus igitur fecit, quod creaverat salvans, quod perierat, ad vitam revocans, quod mortuum erat, sed peregrinum opus fecit in Deo, quod Verbum factum est caro, quod factus est visibilis, et comprehensibilis, et mortalis; et peregrinum a maiestate, puer sugens ubera, panniculis involutus, et sustinens convicia, Filius Dei in patibulo constitutus; haec d. Cyprianus.

Sophronius (*serm. de assump.*) citans locum illum Hier. (*c.* 31) Novum creavit Dominus super terram: *Vere*, inquit, *novum, et omnium novitatum superveniens novitas virtutum, quando Deus, quem ferre non potest mundus, neque videre aliquis, ut vivere possit, sic ingressus est hospitium Virginis, ut corporis claustrum nesciret, sicque gestatus, ut totus Deus in eo esset, et sic exivit inde, ut esset, sicut Ezechiel fatetur, porta omnino clausa;* haec ille.

Sanctus Leo (*sermon. 2. de nat.*): *Advenientibus*, inquit, *temporibus, quae redemptioni hominum fuerant praestituta, ingreditur haec infima Iesus Christus Dominus noster, de coelesti sede descendens, et a paterna gloria non recedens, novo ordine, nova nativitate generatus: novo ordine, quia invisibilis in suis, visibilis factus est in nostris, incomprehensibilis voluit comprehendi: ante tempora manens, esse coepit ex tempore: universitatis Dominus servilem formam obumbrata maiestatis dignitate suscepit: impassibilis Deus non dedignatus est homo esse passibilis, et immortalis mortis legibus subiacere. Nova autem nativitate genitus, est conceptus a Virgine, natus ex Virgine, sine paternae carnis concupiscentia, sine maternae integritatis iniuria;* haec s. Leo.

Hildeph. (*lib. de Virg. Deip. c.* 11) Christi conceptionem omni miraculo mirabiliorem, omni opere potentiorem, omnique signo, ac prodigio augustiorem appellat: et merito quidem, quia cum beatissima Virgo esset praestantissimum orbis miraculum, non poterat non eius conceptio, et partus esse miraculosus. Unde et ipse Christus eius proles fatetur se ex utero Virginis prodiisse, factus prodigiosum miraculum, tanquam prodigium factus sum multis, vel, ut vertit cardinalis Caietanus ex Hebraeo, miraculum factus sum multis. Cum ergo Christus Dominus summum, et maximum omnium miraculorum sit, imo solus per antonomasiam, et per excellentiam, miraculi appellationem mereatur, et ex immaculato beatae Virginis Mariae utero, tanquam ex officina, ubi formatus fuit, prodierit, nemo sanae mentis inficiabitur, Deiparam Virginem excellentissimam quandam miraculorum officinam esse, imo et miraculorum abyssum, ut ingeniose dixit divus Ioannes Damascenus, innuens, in Deiparae Virginis utero tanquam in abysso multa latere miracula, ad quae penetranda, propter summam eorum profunditatem, tam humanae, quam angelicae intelligentiae aditus omnino praecluditur. Andreas Cretensis (*orat. 1. de dormit. b. Virg.*) praeclare dixit: quam Dei tantum est laudare pro dignitate, qui quas novit rationes, in ea tot fecit miracula.

Ad extremum, quod et mirabilius multo videri debet, ipsi etiam ethnici homines, immo et Turcarum princeps Mahomethus in Alcorano Azaor (*cap.* 31) non dubitavit, perillustri miraculi nomenclatura Deiparam Virginem exornare: sic enim ait: *Deus illam filiumque suum manifestum gentibus miraculum posuit.* In quibus verbis primo observo, vocasse illam absolute miraculum, non limitans illam ad miraculum in hoc, vel illo genere. Olim Aristoteles philosophorum princeps propter ratam, ac limpidissimam rerum naturalium cognitionem, miraculum naturae fuit cognominatus. Beatam autem Virginem non vocat ethnicus ille miraculum naturae, sed miraculum absolute, ut significaret, illam non solum in ordine naturae, sed et in ordine gratiae miraculosam, ac prodigiosam semper extitisse. Secundo observo, vocasse illam miraculum non occultum, sed manifestum gentibus: quandoque contingit, ad preces alicuius sanctorum effusas infirmum repente in pristinam restitui sanitatem; propter varias tamen, quae occurrunt, dubitandi rationes, in quaestionem vertitur, fuerit sanitas illa miraculosa, necne; tunc certe miraculum illud dicitur occultum, non clare patens: quando autem post manifestam alicuius mortem quispiam ad vitam revocatur, illud manifestum fuisse miraculum omnes proclamant. Hoc igitur interest discrimen inter beatam Virginem, et reliquos sanctos, quod illorum mirabilia multa in quaestionem veniuntur; quae vero propria beatae Virginis sunt, et dignitati Matris Dei consentanea esse perhibentur, non oportet in disceptationem, et controversiam illa trahere, sicut specialiter d. Augustinus (*lib. de nat. et grat. c.* 36) de peccatis agens dixit: *Excepta sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, volo habere quaestionem:* quod ea sane ratione dixit, quia indicabat per se manifestum, in Matrem Dei cadere peccatum non potuisse. Tertio observo, divisse beatam Virginem fuisse miraculum manifestum gentibus, quia revera non uni, vel alteri nationi, sed omnibus illis indiscriminatim, ad quos mirae sanctitatis eius notitia pervenit, supra modum mirandam se exhibere consuevit. Experientia novimus, singulis regionibus singula quaedam esse mirabilia, quae licet illis communia sint, et non rara, aliis tamen pretiosa, et singularia habentur. Unde lacus, cuius aqua nocturno tempore ebibita nocet, diurno vero nihil laedit, sed salubris est, ut cecinit Ovidius (*lib. Metamorph.*):

> Est lacus Arcadiae, phenenum dixere priores:
> Ambiguis suspectus aquis, quas nocte timeto:
> Nocte nocent potae, sine noxa in luce bibuntur:

hic, inquam, lacus incolis illius regionis communis, et familiaris est, alienigenis vero rarus, ac mirabilis.

Plinius (*lib.* 19. *cap.* 1), et Strabo (*lib.* 10) referunt, quoddam lini genus, quod vivum vocitant, in ignem missum non concremari, sed potius purificari: nobis certe rem mirabilem narrant, Cretensibus vero rem satis tritam di-

cunt, apud quos frequens est illud lini genus. Similiter Flavius Iosephus (*in sua historia*) flumen quoddam scribit ea proprietate praeditum, ut nonnisi die sabbati fluat; unde sabbatinum flumen appellatum est: quia cum reliquis hebdomadae diebus alveus eius aquarum fluxu careat, solo die sabbati illae defluunt: nos illud miraculum naturae appellamus, habitantibus vero in ea regione nihil prorsus admirationis infert. Deinde Plinius (*lib. 6. natur. histor. cap.* 32) tradit in India, quam olim Embrion, ut ipse vocat, nunc vero vulgari sermone Hiero appellatur, communem, ac frequentem esse arborem quandam talis naturae, ut cum regio illa fluminibus, fontibus, lacubus, et puteis penitus careat, illa certis temporibus instar foecundissimae nubis, tantam aquae copiam effundit, ut defectum fluminum, et fontium, non solum ad hominum usum, sed ad brutorum quoque animantium potum abunde suppleat. Certe nobis hoc mirabile, et inauditum est, illis vero adeo frequens, ut ex consuetudine viluerit, nihilque rem tam stupendam iam mirentur. Hoc igitur, ut in beatam Virginem convertamus, illud singulare est in beatissima Virgine, quod omnibus gentibus, omnibus nationibus, omnibus tam coelestibus, quam terrestribus incolis mirabilis sit, omnes rara, et eximia eius sanctitas, ac suprema matris Dei dignitas in admirationem, et stuporem rapiat; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA IX.

Virginem Deiparae ventrem bonorum omnium scaturiginem esse, atque ideo merito dici beatum, variis animi conceptionibus palam fit, in eadem verba: Beatus venter, qui te portavit.

Inter pleraque alia Virginis Deiparae praeconia illud non solum admiratione, sed stupore dignum esse reor, quod cum alioquin humanus venter fons sit, innumera mala, graviaque peccata scaturiens; e contra tamen Marianus venter omnium bonorum sit foecundissimus fons, uberrimaque scaturigo. Humanum ventrem ita Ægyptii execrabantur, ut auctor est Plutar. (*lib. de sepulc.*), et refert Laelius (*lib.* 13. *cap.*25), ut a mortuorum corporibus ventrem eximerent, tanquam peccatorum omnium, ut ipsi dicebant, causam. Verum ad hanc veritatem comprobandam, non opus habemus ab ethnicis testimonium emendicare, cum plura, eaque manifestissima, sacra eloquia nobis suppeditent. David enim (*Psal.* 50) in hunc modum a Deo veniam deprecabatur: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea*, quasi diceret: ne mireris Domine, quod in peccata actualia prolapsus fuerim, cum peccato originali infectum conceperit me mater mea, quod funitem ad peccandum in me induxit: et (*Psalm.* 72) maternum ventrem officinam esse fatetur errorum: *Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero, locuti sunt falsa;* beatae autem Virginis venter tanta puritate, et sanctitate enituit, ut proles in eo concepta non solum peccatum originale non contraxerit, utpote qui naturalis Dei Filius erat, sed ipsius mortis destructor, et peccati peremptor esset. Verum oculatius contemplemur, quod quam pereximia, atque magnifica bona ex Mariano ventre, velut ex perenni fonte ad nos emanarint, non enim absque causa ab Sponso vocatur (*Cant.* 4): *Fons hortorum, et puteus aquarum viventium, quae fluunt impetu de Libano:* quia illis iustis, quasi coelestis regis horti amoenissimi, ac regio cultu, manuque consiti, uberrime irrigantur, ac foecundantur: et quoniam triplex potissimum est aquae usus, videlicet, ad extinguendam sitim, ad abluendas sordes, ad irrigandam, et foecundandam terram; sane Marianus venter tanquam fons vivus, aquam illam viventem, Christum Dominum ex se protulit, in nostram omnium utilitatem illum effundens, per quem concupiscentiae nostrae ardens sitis refrigeratur, criminum maculae absterguntur, et cordis nostri sterilis terra, quae instar foeni arnerat, ut loquitur David (*Psal.*101), ad germinandos bonorum desideriorum flores, ac sanctorum operum producendos fructus foecundatur. Quod si, cum Sponsus beatam Virginem appellat, puteum aquarum viventium, sub nomine aquae Spiritus sanctus intelligatur, ut Christus Dominus intellexit illis verbis (*Ioann.*7): *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquae vivae:* hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eo; aple etiam b. Virgo puteus aquarum viventium nuncupatur, cum ipsa, non solum habitaculum sit Filii Dei, sed sacrarium Spiritus sancti: ut verbis d. Bernardi utar (*ser.* 4. *de assump.*), triplexque ille affectus refrigerandi, lavandi, et rigandi proprius sit Spiritus sancti. Unde Ecclesia catholica canit:

Dulcis hospes animae,
Dulce refrigerium.

Ecce refrigerat,

Lava quod est sordidum.

Ecce maculas abluit,

Riga quod est aridum.

Ecce infoecundam cordis nostri tellurem divinae suae gratiae imbre irrigat: quis ergo pleno ore non Virginis ventrem beatum vocitet?

Deinde b. Virgo utero suo Christum portans, monti merito solet comparari, quia praeterquam quod praefigurata fuit per montem, de quo David dixit (*Psalm.* 67): *In quo beneplacitum est Deo habitare in eo:* praeterquam etiam quod d. Ioannes Damascenus (*orat.* 1. *de dorm. Virg.*) appellat eam, montem pinguem, s. Gregorius montem in vertice montium eam

nuncupat, quia super angelorum choros meritorum verticem erexit. Ac tandem praeterquam quod iuxta Danielis vaticinium (*cap.* 2) mons est, ex quo sine manibus abscissus est lapis, Christus scilicet Dominus, qui sine viri opera, ac sine obstetricis adiutrice manu in utero beatae Virginis carnem induit, et ex eo per nativitatem producit, ut exponunt s. Irenaeus (*lib.* 3. *contr. haeres. cap.* 28). Iustinus Martyr (*in dialog. cum Tryph.*), et Epiphanius (*serm. de laud. b. Virg.*), quorum expositioni consonat explicatio d. Hieronymi (*epist.*22), ubi animadvertit, ideo lapidem illum dici abscissum de monte sine manibus, quia manus accipiuntur pro opere nuptiarum, iuxta illud Canticorum (*c.* 2): *Laeva eius sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.* Lapis autem hic, qui a divo Petro (*epist.* 1. *cap.* 2) vocatur pretiosus, et angularis, Christus est, cui omne spirituale aedificium innititur, et qui contrivit statuam illam Nabuchodonosoris, quatuor praecipuas gentilium Monarchias, Chaldaeorum, Persarum, Graecorum, atque Romanorum significabat; praeter haec, inquam, beata Maria humanam, divinamque prolem utero gestans, recte monti comparatur in sacris eloquiis, et a sanctis Patribus, quia mons lingua Hebraea dicitur Hara, quod idem valet, quod praegnans, quia vere mons propter tumorem non solum figuram praegnantis praesefert, sed quia multis bonis gravidus, et foecundus abundanter illa ad humanum usum suppeditat, arbores producit, quarum quaedam ad ignem conficiendum, quaedam ad aedificia construenda, quaedam ad imagines sculpendas, quaedam ad fructus edendos conducunt: herbarum genera diversa germinat, quae pecoribus, et aliis animantibus in pabulum deserviunt: et fontales aquas ex se scaturit, ad foecundandas valles: durissimos lapides gignit ad basilicas condendas, et ad arces, et moenia civitatum in sublime erigenda: immo, quandoque argenti, et auri mineralia intra sua viscera maturat, quibus homines locupletantur: ac tandem, ut dixit David (*Psalm.* 103): *Montes excelsi cervis, petra refugium herinaceis*, vel, ut Hebraeum Originale habet, petra refugium leporibus. Quis iam igitur ex his non videat, recte Virginem praegnantem montem nuncupari, non solum propter uterum tanto plus intumescentem, quanto infans Christus secundum corpulentiam substantiam in virgineo eius utero magis crescebat; sed quia ex ea, tanquam ex monte prodiit arbor vitae, non fructus corruptibiles ferens, sed immortalitatem conferens; ex ea prodiit fons gratiae salientis in vitam aeternam; ex ea prodiit lapis, qui tametsi iniuste reprobatus fuerit, factus tamen est postea in caput anguli; ex ea prodiit aurum, et argentum divinitatis, et humanitatis, omni argento, et auro Arabiae incomparabiliter pretiosius, ex quibus divinum electum Christi Domini erat compositum; ex ea prodiit, non foenum iumentis, non gramen pecoribus, non herba reliquis animantibus, sed frumentum electorum, quo Ecclesiae horrea adeo plena, ac redundantia sunt, ut pene infinitis ex illo vescentibus, nec fuerint unquam exhausta, nec imminuta, ut cecinit d. Thomas:

Sumit unus, sumunt mille,
Quantum isti, tantum ille,
Nec sumptus consumitur.

Ac tandem si timidis cervis mons refugium esse solet; mons Virgo pietatis, ad quam in occurrentibus necessitatibus confidenter confugere licet: nam ut recte dixit sanctus Bonaventura (*in Litan. b. Virg.*): *Mammilla est orphanorum, et consolatio afflictorum:* quod probe agnoscens divus Bernardus (*serm. sup. sign. magn.*) inquit: *Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? nihil austerum in ea, nihil terribile, tota suavis est, omnibus offerens lac, et lanam.* Quis ergo beatum non fateatur Virginis ventrem tantorum bonorum feracem?

Ad haec, sicut nullum deterius malum mundo accidere potuit, quam amissio gratiae divinae, ita nullum excellentius bonum ei contingere potuit, quam recuperatio, et restauratio eiusdem: sicut autem amissionis gratiae, et iustitiae originalis causa fuit intemperatus venter primorum parentum, vetitam dulcis pomi escam gulose appetens, ita restaurationis amissae gratiae, et divinae amicitiae, temperatus pariter, et immaculatus beatae Virginis venter auctorem gratiae Christum concipiens principium fuit, et origo. Explicemus hoc, si placet, drachmae perditae, et inventae parabola. *Quae mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, et everrit domum, et quaerit diligenter, donec inveniat eam?* persimilis mihi videtur Deipara Virgo huic mulieri: nam si rem altius contemplemur, ipsa et lucernam accendit, et everrit domum, et drachmam perditam invenit. Reminiscamini, obsecro, per Adae peccatum amissam fuisse olim pretiosam illam gratiae divinae drachmam: ille per spatium nongentorum triginta annorum semper quaesivit hanc drachmam, si forsan resarcire posset iacturam a se factam; nunquam tamen eam posteris suis invenire potuit. Abraham eandem ut inveniret, accendit lucernam circumcisionis, exiit e propria patria, nec illam potuit invenire. A Moyse usque ad Christum diversi patriarchae, et prophetae figuraram, visionum, prophetiarumque lucerna iugiter quaesiverunt hanc drachmam, nec invenire potuerunt. Moyses sexcentorum decem et trium praeceptorum lucernam accendit, ut inveniret, et non invenit: omnes sancti Patres veteris testamenti deplorabant perditionem illius drachmae, et quod non possent illam invenire. Veniens autem in hunc mundum sacra illa mulier, mulierum decus, diligenter accendit lucernam Verbi incarnati, posuit flammam divinitatis in vas suae humanitatis, et everrit domum, quando effecit, ut immortalis ex utero suo mortalis prodiret, aeternus temporalis, Creator creatura, incomprehensibilis comprehensus, Deus homo, et homo Deus: everrit domum, quando Verbum fecit mutum, longitudinem brevem, latitudinem angustam, altitudinem humilem, et demissam, profunditatem planam: everrit domum quando edidit lucem non lucentem, immensum in-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

fantulum corpore contentum, fontem aquarum sitientem, et panem esurientem. Postquam autem Virgo sanctissima sic everrit domum, totius mundi gratiae drachmam invenit. In Nazareth, angelo ei dicente: Invenisti gratiam apud Deum, non tamen illam invenit sibi solum, sed omnibus, quae Salvatorem omnium, uberrimum fontem gratiae utero suo concipiebat: quis quaeso id considerans, negabit beatum Virginis ventrem?

Praeterea, Marianus venter fuit velut minutissima arx, ex qua prodiit, qui Saran infestissimum humani generis hostem virilifer debellavit, et vires eius confregit; cuius tanti beneficii beato illo Mariae ventri necesse est debitores nos esse ingenue fateamur. Iob (*cap.* 40) dixit Dominus: *An extrahere potes Leviathan hamo? et funo ligabis linguam eius?* quasi dicat, nequaquam id praestare poteris hamo, et funo humanae industriae, sed Verbi divini virtute, in utero Virginis incarnati: nam, ut d. Gregorius dixit (*lib.* 33. *moral. cap.* 10): *In hamo Incarnationis Dominicae cetus iste ad omnium hominum mortem inhians, vitam pene omnium vorans, captus est: in Christo enim erat humanitas tanquam esca, quae ad se devoratorem duceret, et erat ibi divinitas, tempore passionis latens, cuius aculeus mordentem cetum tenuit, et perforavit: dum enim ipse Christi mortem iniuste appetiit, nos, quos quasi iuste tenebat, amisit;* ita d. Gregorius. Addit etiam idem sanctus Doctor (*cap.* 12): *Huic hamo lineam non defuisse, antiquorum nimirum Patrum propaginem: cum enim dicitur: Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Iacob, et ceteri successores usque ad beatam Mariam Virginem desponsatam describuntur, quasi quaedam linea torquetur, in cuius extremo incarnatus Dominus, id est, hamus intelligeretur, qui ad mortem celi iidius in hac aquarum profunditate caliginosa mira est dispositione suspensus.*

Quam autem apte hamo metaphora rei praesenti congruat, ex eo aperte liquet, quod, sicut hamus ferreus est, ne a pisce consumi possit, esca vero, quae illi apponitur, vermis esse solet; ita divinitas Christi, instar ferri invincibilis est, caro vero Christi, quae veluti esca fuit, huic fit composita hamo, quando in utero b. Virginis *Verbum caro factum est.* Vermis erat, ut in persona Christi dixit David: *Ego sum vermis:* quod in sua conceptione, et passione satis utique innotuit: nam sicut vermis, ut adnotavit divus Ambrosius (*in Psalm.* 21), absque commixtione sexuum ex terra, et solis influentia gignitur, ita et caro Christi ex sola Maria, terra virginea, Spiritu sancto cooperante, concepta fuit: et quemadmodum vermis absque ulla commiseratione conculcatur, et interimitur; ita deposito omnis pietatis sensu, caro Christi Domini in passione fuit conculcata, ac turpissimae morti saevissime addicta: et quemadmodum vermis crudeliter vexatus non stridet; ita et Christus in passione, sicut agnus coram tondente se obmutuit; et, ut ait divus Petrus (1. *Pet.* 2), *cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur:* et quemadmodum etiam, sicut vermis quamvis tenerrimus, durissima perfodit ligna, et in minutissimos pulveres redigit; ita Christus Dominus durissimas daemonis vires attrivit, ac de tyrannis Fidei persecutoribus triumphavit, ut praeclare adumbratum observavi in Davide (2. *Regum* c. 23), ubi posiquam de eo dicitur fuisse quasi temerimus ligni vermiculus, statim subdit sacer textus: *Ipse interfecit octingentos impetu uno.* Verum hanc victoriam non solum Christus obtinuit in bello cruento suae passionis, sed etiam in utero beatae Virginis, dum carne eius tanquam verme sit composita divinitatis hamo, mirabili industria fuit captus magnus ille Leviathan: quod, ne ex meo marte asserere videar, sacris Scripturis id comprobabo. Etenim divus Paulus (*ad Hebr.* c. 10) loquens de Christo, recens in utero beatae Virginis concepto, inquit: *Ingrediens mundum, dicit, hostiam, et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerunt, tunc dixit, ecce venio:* et continuo subiungit: *In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Christi.* Ecce aperte ait, de potestate diaboli ereptos sanctificasse per holocaustum illud quod in utero beatae Virginis delitescens, Deo Patri obtulit. Unde paulo post incarnationem, hanc infantis Christi victoriam decantans, inquit: *Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui; deposuit potentes de sede.* Quae verba intelligens divus Bernardus de victoria, quam Christus intra virgineum uterum latens, de immundis spiritibus in nostrae salutis beneficium tulerat, haec praeclara scripsit (*serm.* 2. *de Pent.*): *Christus substantialiter Virginis utero illapsus de Spiritu sancto conceptus est, ut conceptionem nostram mundaret, quam spiritus malus, si non fecerat, tamen infecerat, ut non esset etiam in utero vita ipsius otiosa, dum novem mensibus purgat vulnus antiquum, et scrutans, ut dicitur, usque ad imam putredinem virulentam, ut sanitas sempiterna succederet; et tunc iam operabatur salutem nostram in medio terrae, in utero videlicet beatae Virginis Mariae;* haec d. Bern.

Atque hinc est, quod cum Christus in utero beatae Virginis assuefactus daemonem expugnare, cum primum ex sacro illo thalamo, in Bethleemitico hospitiolo natus prodiit, confestim satanae spolia detrahere coepit, iuxta illud (*Isa.* 8) vaticinium praedicentis, nomen illius futurum esse: *accelera, spolia detrahere, festina praedari.* Primum spolium, ut adnotavit divus Irenaeus, fuit Ioan. Baptista, ad quem Christus Dominus in ferculo Mariani uteri delatus venit in montana Iudaeae, ut serpentem peccati originalis, quo daemon infantulum Ioannem sub potestate sua tenebat, foras eiceret. Unde in signum expiati peccati continuo coepit prae gaudio infans Ioannes in utero matris tripudiare, et Christum in actionem gratiarum adoravit: *Ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exultavit infans in gaudio in utero meo* (*Luc. cap.* 1). Secundum spolium fuerunt tres reges Magi, quos ab idolorum cultu ad sui adorationem pertraxit, ut docuit divus Augustinus (*serm.* 32. *de temp.*) dicens: *Debellaturus Christus universum orbem; et spolia, id est, Magos, qui spolia dicuntur*

Samariae, et aurum ab eis, quod est virtus Damasci, abstulit in hac terra, et nondum loquens per linguam, locutus est per stellam. Tertium spolium Christi infantis innocentes pueri fuere, ut sanctus Cyprianus (*serm. de innocen.*) tradit, nec non d. Aug. (*lib.* 3. *de sym. ad Catechum. cap.* 4), ubi ait: *Christus, qui in praesepio iacet, thronum Herodis terret, et agit per eum nescientes causas suas, et a captivitate diaboli animas liberat, suscepit filios inimicorum in numerum adoptatorum; nec pauca putanda sunt haec fuisse spolia, aut exigua horum infantium praeda; etenim, quatuordecim millia fuisse testatur menologium Graecorum, et canon missae Aethiopum, ut habetur in tomo* 6. *bibliothecae sanctorum Patrum.*

Ad haec nemo ignorat, Christum Dominum infantulum manibus b. Virginis in Aegyptum inductum simulacra Idolorum evertisse, ut praedixerat Isaias (*cap.* 19): *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Aegyptum, et commovebuntur simulacra Aegypti a facie eius.* Quae verba, licet d. Hieronymus (*lib.* 7. *in Isa.*) de ingressu Christi in Aegyptum huius mundi, super nubem levem beatae Virginis, nullo peccati pondere praegravatam interpretetur, tamen de peculiari idolorum ruina in illa exponunt divus Athanasius (*lib. de Incarn. Verb.*), Origenes (*hom.* 3. *in die.*), necnon Eusebius (*l.* 3. *de demonst. Evang. cap.* 20), ubi inquit: *Daemones pravi incolentes Aegyptum per multa saecula in simulacris latitantes, animasque Aegyptiorum omni superstitionis errori addicentes, cum sensissent novam quandam divinamque virtutem ad se accessisse, illico commoti sunt.* Nec solum tunc Christus infantulus simulacra Aegypti corruere compulit, sed et desertis Aegypti latem, ac tam fecundam impertivit benedictionem, ut ex illis pene innumera sanctorum virorum examina prodierint. Quibus recte congruere puto illud Isaiae (c. 35): *Laetabitur deserta et invia, et exultabit solitudo, et florebit quasi lilium.* Unde d. Ioannes Chrysostomus (*hom.* 8. *in cap.* 2. *Mat.*) dixit, tunc desertum commutatum fuisse in locum ipso paradiso praestantiorem: *Si quis nunc, inquit, ad Aegypti veniat solitudines, paradiso prorsus omnem istam videbit cremum digniorem.* Ecce, quam innumera bona virgineus b. Mariae venter, Christum concipiens, nobis peperit: merito ergo propierea beatus nuncupari debet etc.

Ceterum, ut haec ad mores nostros informandos convertamus, mementote, quaeso, quod d. Iacobus Apostolus (*in sua cath. epist.*) dixit: *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus, et illectus: deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem.* Nonne videlis claram, et perniciosam oppositionem? Virgo namque Deum et hominem plenum gratiae, et veritatis concepit; nos vero per concupiscentiam concipimus malum: Virgo eundem Filium Dei, remanens ipsa virgo, mundo peperit; nos ex concepta malo per plenum consensum parturimus tandem peccatum: Virgo per suum partum salutem universo attulit mundo, et perpetuam vitam; nos ex nostro pernicioso partu mortem nobis ipsis afferimus, et nisi corrigamur, in aeternam incidimus mortem. Hoc lamentabatur Isaias dicens (*cap.* 56): *Conceperunt laborem, et pepererunt iniquitatem, ova aspidum ruperunt, et telas araneae texuerunt; qui comederit de ovis eorum, morietur, et quod fotum est, erumpet in regulum.* Quaeso singulas has divinas discutiamus metaphoras. Conceperunt, inquit, laborem: nam quisque peccator labores patitur maximos in concipiendo, et perpetrando peccato. Vult quis verbi gratia adulterari, quot difficultates, quot pericula subit; quot suspectiones, quot observationes, quot discrimina ingreditur: periclitantur in eo statim facultas, honor, fama, vita ipsa; dicant experti? subdit deinde, peperunt iniquitatem, sane per plenum consensum, in ipsum peccatum incidunt: quare partus non fuit violentus, sed voluntarius; quomodo vero infelicem hunc partum in lucem edant, explicat statim: *Ova aspidum ruperunt, telas araneae texuerunt.* Quemadmodum enim vipera, maternum exulcerando ventrem, et matri necem inferendo, nascitur, ita peccatum corrodit, et lacerat animae viscera, aeternam inferens illi mortem; et sicut araneae sese eviscerant, tenues illas, ac futiles texendo telas, ad capiendas muscas solum aptas; ita miseri peccatores sese eviscerant, cuncta per peccatum dissipando animi bona, virtutes, opera, merita, gratiam, vitam, et gloriam in futurum. Quod si inquiras, ut quid tot sumptus, et expensae: non certe ob aliud, quam ut temporalium bonorum, divitiarum, et voluptatum muscas apprehendant. Quod autem postea subiungit: *Qui vero comederit de ovis eorum, morietur,* idem est ac si diceret: qui peccatis iam palam commissis, ad similia patranda peccata, pravo suo exemplo alios provocat, infelici morte morietur. Ac tandem cum dicit: *Quod fotum est, erumpet in regulum,* perinde fuit, ac si dixisset: cum peccatum in longam consuetudinem abierit, permultos trahet, instar reguli, sui sequaces. Satagite ergo, fratres mei dilectissimi, a pravis cogitationibus vos abstinere, sanctis cogitationibus imbui, ac bona desideria semper animo concipere, quousque formetur Christus in vobis, ut Paulinis verbis loquar; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA X.

Beata Virgo Christum Dominum ventre suo deferens mulieri Evangelicae, tria sata farinae commiscenti, clibano, quo Eucharistiae panis formatur, ac ferculo Salomonis, illum nobis deferenti comparatur, in illa eadem verba: Beatus venter, qui te portavit.

Divus Bernardus (*serm.* 2. *de Nat. Chris. Dom.*) docet Deiparam Virginem egregie adumbrari per foeminam illam Evangelicam, quae acceptum fermentum abscondit in farinae satis tri-

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
CONSEJO EDITORIAL

bus, habetque fundamentum haec comparatio in eo, quod Christus Dei Filius in una persona Verbi triplicem habuit substantiam, nimirum divinam, et substantiam animae rationalis; substantiam item corporis, ut ex d. Augustino (13. *de Trin.* c. 12) docet s. Thomas (3. *p. q.* 1. *art.* 1), quorum fermentatio, seu unio admirabilis absque naturarum confusione, in eius utero est celebrata: ibi enim Deus homo factus est, id quod fuit permansit, et quod non erat assumpsit, non commixionem passus, neque divisionem. Verum audiamus ipsum d. Bernardum loco citato, ubi loquens de unione admirabili Verbi aeterni cum anima, et carne: *Haec sunt*, inquit, *Evangelica illa sata farinae, quae pariter fermentatur, ut sit panis angelorum, quem manducet homo, cor hominis confirmans: felix mulier, benedicta in mulieribus, in cuius castis visceribus superveniente igne sancti Spiritus coctus est panis iste: felix inquam mulier, quae in haec tria sata immisit fidei suae fermentum; siquidem fide concepit, fide peperit; nec miretis, quod fide eius mediante, unitum dixerim Verbum carni, quandoquidem et carnem ipsam de eius carne sumpsit. Sane nec hoc quidem praesenti expositioni obviare potest, quod de coelestis regni dicitur similitudine: neque enim indignum videtur, si coelorum regnum fidei Mariae comparatur, quae et reparatur;* hactenus d. Bern. Haec est etiam illa mulier, quae (*Prov.* 31) facta est quasi navis institoris, de longe, id est, de coelis, per vitae huius pelagus, portans panem suum: illud enim *de longe* distantiam inter Verbum Dei, et humanam naturam, quam sibi hypostatice univit in utero huius bene dictae mulieris, apprime significat. Recte vero panem hunc vocat suum, quia sola absque viri opera illum concepit, quem apud Bethlehem, quae domus panis interpretatur, per partum suum virgineum, tanquam ex navi in omnium utilitatem exposuit, quo in sanctissima Eucharistia pascimur, nutrimur, ac vires ad laborandum in Domini vinea acquirimus, et ad conflingendum cum nostris hostibus reficimur, iuxta illud (*Psal.* 22): *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.*

Sanctus autem Epiphanius (*serm. de laud. Deip.*), ad eandem sermonem dirigens, cibano eam comparat in haec verba: *Ace clibanus intellectualis, qui ignem, et panem vitae calidum mundo in esum attulit, de quo Salvator mundi Christus ait: Accipite, et comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum. Est*, charissimi, *virtutibus plena mensa virginea, optimis quibuscunque cibis abundans, quibus terra fruatur.* Nemo ignorat Christum Dominum frumenti granum se vocasse. Unde d. Ambrosius (*de institut. Virg. cap.* 14) dixit: granum mortuum plurimum fructum attulit: et hoc quidem granum omnes homines perpetua coelestium munerum esca saturavit, dicente Davide: *Cibavit eos adipe frumenti.* Sane hoc frumenti granum cadens in terram virginei uteri, formam carnis ex B. Virgine assumens, factus est cibus panis, quo in Eucharistiae sacramento alimur, et nutrimur. Quare d. Ioannes Damascenus (*orat.* 1. *de dormit. b. Virg.*) vocat eam mensam, ex qua ille panis vitae, ac coelestis ille nullis agricolae manibus excultus fructus, corporeo modo pullulavit: et mox loquens cum b. Virgine, inquit: *Nam tabernaculum Abrahae te apertissime indicabat: etenim Verbo Domini in ventre tuo, tamquam tabernaculo, habitandi, humana natura subcinericium panem, hoc est sui primitias ex tuis puris sanguinibus obtulit, a divino igne quodammodo coctas, panemque effectas, atque in divina ipsius persona existentes, et ad veram corporis animali, anima rationali, atque intellectuali, substantiam venientes.*

Quoniam autem divinissimum Eucharistiae sacramentum sub speciebus non tantum panis, sed etiam vini in ultima coena a Christo Domino est institutum, iuxta illud Zachariae (*cap.* 9): *Quid bonum, et quid pulchrum eius, nonne frumentum electorum, et vinum germinans Virgines*; licet sub unaquaque specie totus Christus contineatur, ad utramque speciem exprimendam, (*Cant.* 7) in beatae Virginis utero non tantum triticum, ut diximus, sed etiam vinum contineri affirmatur: *Umbilicus*, inquit, *tuus, sicut crater tornatilis, nunquam indigens poculis*, de quo div. Ambrosius (*de instit. virg. cap.* 14): *Vere*, inquit, *alius ille Mariae crater tornatilis, in quo erat sapientia, quae miscuit in cratere vinum suum; indeficientem cognitionis piae gratiam: divinitatis suae plenitudine administrans, in quo beatae Virginis utero simul acervus tritici, et lilii floris gratia germinabat; quoniam et granum tritici generabat, et lilium.* Atque huc facit, quod ubi nostra vulgata legit (*Prov.* 9): *Sapientiam aedificasse sibi domum, et immolasse victimas*, Septuaginta interpretes haec verba subiecerunt: *Miscuit in cratere vinum suum*: quod non obscure significarunt de utero b. Virginis prodiisse, tanquam ex cratere, Christi sanguinem, qui sub speciebus vini in Eucharistia nobis propinandus exhibetur. Quam intelligentiam docuit me d. Cyprianus (*lib.* 2. *epist.*): ubi locum hunc Prover. legit iuxta a me allatam Septuaginta interpretationem, ac de dominico sacrificio, in quo sub speciebus panis, et vini Christus immolatur, luculenter exponit. Assimilatur vero beatae Virginis venter satis convenienter cratori, quia crater vas est capacissimum, quo in libationibus, et solemnioribus epulis veteres utebantur (1. *Æn.*): *Crateres magnos statuunt, et vina coronant.* Fuit autem virgineus beatae Mariae venter coelesti hoc sanguinis Christi vino plenus, adeo ut quantumcunque ex eo hauriatur, exhauriri nequit, quia quoties sacerdos vinum consecrat, ea est verborum eius efficacia, ut toties sanguis Christi in incarnatione ex beatae Virginis visceribus acceptus credatur, quoties sub speciebus vini advenit. Quod autem ait, tornatilem esse craterem, eandem capacitatem virginei uteri per rotunditatem significatam, quae omnium est figura capacissima, aperte ostendit. Unde canit Ecclesia catholica: *Quem coeli coelorum capere non poterant, tuo gremio contulisti.* Tornatilis etiam fuit Deipara ex Alano (*in cap.* 7. *Cant.*), quia sine angulo, et ruga, sine acceptatione personarum, omnibus, quod est in se, salutem propinat: significat etiam in externa conversatione, eam omnino levigatam ac mundam fuisse. Poculorum autem nomine id, quod in poculis continetur, per metonymiam accipi debet, sicuti apud poetam, *Poculaque inventis Acheloia miscuit uvis.* In his poculis vinum illud germinans virgines, et cor hominis laetificans continetur, seu quod idem est, in illis continetur mixtum, ut ex Septuaginta legit divus Ambrosius (*loc. cit.*): Hebraice enim habetur *Mazec*, quod est vinum aqua mixtum, nam ex sacro Concilio Tridentino (*sess.* 22. *c.* 7) Christus in ultima coena aquam vino miscuisse creditur; et ideo in missa idem ex Ecclesiae praeceplo faciendum praescribitur. Illud porro, *nunquam indigens poculis*, id est, semper plenus poculis, copiam indeficientem ostendit, qua omnibus sitientibus abunde hoc vinum exhibetur, nec unquam exhauritur, quod singulare, et admirabile est in venerabili Eucharistiae sacramento: quantumcumque enim sumatur, nunquam absumitur, iuxta illud, quod canit Ecclesia:

Sumit unus, sumunt mille,
Quantum isti, tantum ille,
Nec sumptus consumitur.

Et s. Andreas Apostolus Ægeae Proconsuli: *Ego*, inquit, *omnipotenti Deo immolo quotidie immaculatum agnum in altari, cuius carnes posteaquam omnis populus credentium manducaverit, agnus, qui immolatus est, integre perseverat, et vivus.* Hinc d. Bernardin. Senen. (*tom.* 1. *ser.* 61. *art.* 1. *c.* 10) probat, ex beata Virgine totam Ecclesiam militantem ornari, ac decorari: *Quoniam*, inquit, *de carne Virginis s. benedictae, et in parte corporis eius excisa consistit, perficitur, et terminatur totum decus ac pondus sacramentorum Ecclesiae. Certum enim est, quod omnis institutio sacramentorum, et omnia alia sacramenta tanquam in ultimum finem, et ad illud sacramentum omnium sacramentorum excellentissimum, quod est Eucharistia, ordinantur, quae quidem conficitur, et consecratur, dum panis in corpus Christi convertitur;* haec sanctus Bernardinus, qui addit, carnem illam de beata Virgine decisam, ita nobilitatam, et tanto vinculo unitam Verbo Dei, ut in Christi morte separari potuerit a propria forma, id est, ab anima, non tamen a Verbo.

Ad haec, mensa panum propositionis (*Exodi cap.* 25), quam sacer textus vocavit (*Levit. c.* 24) mensam purissimam, beatam Virginem adumbrat; tum quia maiore puritate, quam mensa illa, nitebat; tum quia, sicut illa duplici cingebatur corona, ita Deipara Virgo duplici fulgentissima corona, aurea scilicet, et aureola, hoc est, gloria essentiali, ac accidentali, prae omnibus aliis fuit donata. In hac mensa repositus est panis vivus nostris necessitatibus propositus, qui de coelo descendit. Super panes vero ponebatur divino iussu thus lucidissimum, quod Christi divinitatem, in cuius honorem adoleri solet, significabat. Ideo Deipara Virgo a Patribus mensa panum propositionis dicitur: quam Methodius (*in hypopante*) vocat *Altare animatum panis vitae*, id est, sanctissimae Eucharistiae: d. Epiphan. (*serm. de laud. b. Virg.*) eam dicit: *Fidei mensam intellectualem, quae panem vitae nobis suppeditavit:* D. Greg. Nicomediensis (*orat. de oblat. Virg.*): *Mensam, quae portat vitam, in qua vitae nostrae panis propositus, ambrosia pavit eos qui illius fuerunt participes.* Quoniam vero contra nostrorum hostium saevitiam tantum praesidii nobis est repositum in Christi corpore percipiendo, quod in sacrosancta Eucharistia continetur, et de hac Deiparae mensa fuit desumptum, idcirco merito David de ea (*Psalm.* 22) pronunciat: *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.* Neque enim panis hic supersubstantialis Eucharistiae in Deipara Virgine, tanquam in mensa, fuit solum asservatus, verum etiam ex eius substantia sancti Spiritus opera fuit confectus. Unde merito ei accommodare possumus verba illa (*Prov. c.* 9): *Venite, comedite panem meum, et bibite vinum, quod miscui vobis.* Licet enim sacramentum illud sit panis, et vinum divinae sapientiae, hoc est, corpus, et sanguis Christi, Verbo hypostatice unita; nihilominus tamen est etiam panis suus, id est, Virginis Deiparae, quia de ipsius sanguinibus acceptus, et in suis visceribus conceptus est; similiter et vinum, quod miscuit ipsa. Unde (*Ecclesiast. c.* 24) illa ait: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me.* Invitantur enim a beata Virgine illi, qui eam concupiscunt, qui scilicet peculiari reverentia et affectu eam prosequuntur: *et a generationibus meis impleminí*, id est, a filio meo, quem genui, explete vestrum desiderium in sanctissima Eucharistia; per quam tot bona in Ecclesia Dei communicantur. Quare ardenti fame, ac magno desiderio huius coelestis cibi diligenter oportet praeparemur, et disponamur, ad illum digne sumendum. Etenim, ut ipsa beata Virgo in suo Cantico monuit (*Lucae* 1): *Esurientes implevit bonis*: ut sic ex eo repromissum fructum reportemus; et ut verbis utar divi Leonis (*serm.* 1. *de pass.*), in id quod sumimus, transeamus.

Unde merito d. Ioannes Chrys. (*in sua Lit.*), ante sumptionem Eucharistiae huius beatae Virginis opem implorat, ut digne communicet: haec enim verba in quadam oratione recitanda praescribit: *Intercessione immaculatae Dominae nostrae Deiparae, et semper Virginis Mariae dignum me fac, ut sine condemnatione accipiam immaculatum tuum donum in remissionem peccatorum, in vitam aeternam:* ita d. Ioannes Chrysostomus. Qui igitur erga beatam Virginem peculiari amore flagrant, ad excitandum, et acuendum ex hac etiam parte erga beatam Virginem devotionis sensum, cum ad sanctissimam Eucharistiam percipiendam accedunt, cogitare debent in Christi corpore, quod sumunt, esse substantiam illam, quae fuerat beatae Virginis, ex qua Christi corpus formatum, et postea ex eiusdem Virginis substantia auctum, quandin etiam post nativitatem matris lacte nutritum fuit, quae substantia olim Virginis nunc hypostatice est unita Verbo Dei, et sic etiam beatae Virgini gratias agant, ex qua tantorum bonorum ubertas ad nos emanavit. Si enim Iosephum filium Iacob patriar-

UNIVERSIDAD DE MONTERREY

chae (*Gen. c.* 41), ut triticum huic mortali mundo pernecessarium in futurum sterilitatis septennium conservandum curaret, Pharao in tantam dignitatem evexit, ut supra omnes eum constituerit, eique suum annulum, stolam byssinam, et torquem aureum dederit, atque super currum suum ascendere fecerit, clamante praecone, ut omnes coram eo genuflecterent, et praepositum esse scirent universae terrae Aegypti; nec quicquam absque Joseph imperio fieri voluerit, eumque lingua Ægyptiaca, Salvatorem mundi appellarit; quanto quaeso magis Virgini Deiparae debilorem universus orbis se fateri tenebitur, quae panem vitae, qui de coelo descendit, quo a morte aeterna liberamur: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum* (*Joann. c.* 6), non in solum septennium, sed in omnem aetatem, nec uni tantum Ægypto, sed nationibus omnibus in Ecclesia perpetuo permansurum: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi*, ex purissimo suo sanguine concepit, et lacte postea nutrivit, ut merito Deus eam de mundo optime meritam in tantam sublimarit dignitatem, ut uni Deo sit secunda, dominamque mundi, et dispensatricem divinarum gratiarum eam constituerit. Quare b. Laurentius Iustinianus (*ser. de Nativ. b. Virg.*), agens de sanctissimo Christi corpore, quod in Eucharistiae sacramento nobis proponitur: *Hoc*, inquit, *manna, quod in utero beatae Mariae repositum, ubique expositum, atque appositum, gratiam contemplare, quae tale excepit munus, talemque genuit prolem, quae te corporis sui manna reficeret, inebriaret cruore, passione redimeret, morte salvaret*; hucusque b. Laurentius Iustinianus.

Ad extremum beatae Virginis venter, non solum fuit cibanus huius coelestis panis, quo fideles vescimur, sed et vehiculum, ut loquitur divus Gregorius Nicomediensis (*orat. de obl. Virg.*), quo nobis illum asportavit: facta quidem *quasi navis institoris, de longe portans panem suum;* sed nobiliori alio vehiculo, quam sit navis, comparavit illam Salomon Canticorum (*cap.* 3), vocans eam ferculum regium: *Ferculum fecit sibi de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum;* quem locum de b. Virgine apte intelligi, testatur Andreas Cretensis (*or.* 2. *de dorm. Virg.*), sanctus Antoninus (4. *part. tit.* 15. *cap.* 44. §. 7), Honorius (*in sigil.*), et Gulielmus (*in cap.* 3. *Cant.*): et merito quidem Deipara Virgo huic Salomonis ferculo comparatur, quam verus Salomon Christus, sapientia Patris, et pax nostra fecit sibi, hoc est in proprium usum construxit, ut in eius corde spiritualiter, corporaliter autem in eius utero atque ulnis dignissimis gestaretur. Ligna vero Libani, ex quibus ferculum illud constabat, erant, ex Glossa interlineari, fortia, celsa, speciosa, odorifera, imputribilia, atque candida; et his quidem lignis singulares heroicae, atque eximiae Deiparae Virginis virtutes, quarum aliquas in (*c.* 21) attingemus, quibus eius spiritualis structura constabat, significantur. Beatae enim Virginis virtutes erant ad omnem hostium impetum sustinendum, et reprimendum fortes: proceritate sua coelo proximae spirituali pulchritudine decorae, ad sui dilectionem, vel ipsum Deum, qui concupivit speciem eius, suaviter allicientes, boni exempli odore fragrantes, contra omnem saniem, atque putredinem divinitus ita munitae, ut essent prorsus inaccessibiles. Denique puritate sua, atque candore omnibus conspicuae, et illustres.

Columnae autem argenteae, quibus ferculum innitebatur, merito septem illae credendae sunt, quas divina Sapientia excidit, cum domum sibi aedificavit (*Prov.* 9), quae septem dona Spiritus sancti instar argenti nitidissima clare adumbrant, quibus ab Spiritu sancto movemur ad opera virtutis promptius exercenda, ut docet divus Thomas (*lib.* 2. *qu.* 68. *art.* 1). Huius ferculi reclinatorium fuit aureum; scilicet Deiparae uterus, qui regio decore, plusquam auro fulgebat, in quo per novem menses Christus Iesus est reclinatus: fuit etiam ascensus eius purpureus, quoniam ad altissimam in coelis sedem ascendit non absque laboribus, et pressuris: nam praeterquam quod iuxta d. Simeonis vaticinium acerbi doloris gladius, ob filii sui mortem, animam eius transverberavit; certe d. Bonavent. (*in medit. vitae Chris. cap.* 3), ex quadam revelatione refert, nullam gratiam, donum, vel virtutem b. Virginem obtinuisse absque magno labore, afflictione, et lacrymis, excepta gratia, qua primum in utero matris Annae fuit sanctificata.

Denique ascensus purpureus indicat regiam b. Mariae dignitatem, cuius insigne est purpura; quod, autem subdit, *media charitate construxit, propter filias Hierusalem*, affectum charitatis, et misericordiae, quo coelestem hunc panem utero suo nobis de coelo detulit, et in quotidianum cibum praebet, aperte significat. Unde d. Bernardus (*serm.* 1. *de assump.*) dixit: *Nemo dubitare potest omnino in affectum charitatis transisse beatae Mariae viscera, in quibus ipsa quae ex Deo est charitas, novem mensibus corporaliter requievit; praecipua tamen erga filias Hierusalem, eos nimirum, qui ad coelestem Hierusalem affectu, et desiderio aspirant: hi enim aptiores sunt ad manducandum Eucharistiam, panem, cuius proprius effectus est, in vitae aeternae immortalitatem vescentes illos servare.*

Quod si quispiam huic interpretationi obliciat, Salomonem in praecitato loco Canticorum non dicere, ferculo illo portari nobis panem, sed gestari regem potius, id eandem interpretationem astruit, cum revera ipse rex Christus sit ipse panis, ipso dicente: *Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi.* Unde et Ecclesia in invitatorio officii corporis Christi exorditur in haec verba: *Christum regem adoremus dominantem gentibus, qui se manducantibus dat spiritus pinguedinem.* Ecce rex ipse pinguis est cibus, ac coelestis panis ad reficiendas animas; quod sane, ut id obiter dicam, ardentem Iesu Christi erga nos charitatem apertissime commonstrat. Unde non infimae notae Doctores per charitatem in eo loco, ipsum regem Salomonem in media ferculi parte residentem, accipiendum putant, qui figurate, et amaterio more appellatur charitas propter eam, quam filiis Hierusalem se illis communicando exhibet: favelque huic intelligentiae, quod alia versio habet, et medium tenet ipse accensus, quod vero addatur, *propter filias Hierusalem*, manifeste ostendit, voluisse portari in sacro virginei uteri ferculo ad conciliandum sibi amorem fidelium, coelestis sui corporis panem illis providens; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XI.

Virgo Deipara utero suo Dei Filium gestans arcae foederis, seu testimonii, ex antiquorum Patrum doctrina apposite satis comparatur, in qua similitudine varia b. Virginis encomia delitescunt, etc.

Universi Ecclesiae Patres beatam Virginem arcae nomenclatura frequenter exornant: nam, ut omittam divum Epiphanium (*serm. de Deip.*), Andream Cretensem, Gregorium Nicomediensem (*orat. de oblat. Deip.*), Ildephonsum (*serm. de assump.*), d. Bern. (*serm. de b. Virg. tom.* 2), Anton. (4. *part. tit.* 15. *cap.* 2), d. Bernardinum Senensem (*tom.* 3. *serm.* 11. *art.* 1. *cap.* 3), qui omnes, quandoque arcam legalem, quandoque arcam animatam, quandoque arcam sanctificationis b. Virginem vocitant; apud d. Ioannem Chrys. (*in Liturg.*) haec lego: *Omnium Deus incarnatur in te, sacrosancta arca, ut dixit iustus David:* alludit sine dubio ad verba illa regii Vatis (*Ps.* 131): *Surge Domine in requiem tuam, tu, et arca sanctificationis tuae:* apud d. Laurentium Iustinianum (*serm. de nativ. beat. Virg.*) haec etiam reperio: *An non Maria testamenti arca verissima dicinis manibus fabricata, auro vestita mundissimo, virtutum gemmis ornata, atque imputribilibus lignis spiritualiter facta testamenti arca, tabulas, frondentem virgam, et suavissimum in se manna continuit?* Accedit Eychius presbyter Hierosolymitanus (*hom.* 2. *de Deip.*), ubi loquens cum Christo, ait: *Si tu es gemma, et illa est arca*: iuxta Billius eruditus, divus Ioann. Damascen. (*sch. orat.* 1. *de nativ.*), affirmat, in veteri lege ea praecipue ratione arcam foederis in magno honore habitam, quod Virginis sanctissimae Messiae Matris figuram ac typum gereret. Quam autem adamussim vetus illa arca beatam Virginem adumbraverit, ex his, quae de illa sacra commemorant eloquia, praesertim (*Exodi* 25), nervose, ni fallor, comprobavimus, etc.

Et quidem in primis inter ea, quae in templo ad Dei cultum spectabant, omnium primo, ut notat Beda (*lib.* 1. *de de tabern. cap.* 4), iussa est fieri a Domino arca; et inter omnia etiam templi supellectilia, ut mensam panum propositionis, candelabrum aureum, altare thymiamatis, et pleraque alia his similia, arca testamenti principem sedem obtinebat, utpote quae collocata erat in sancta sanctorum: haec duo in beata Virgine praelucent, nam sicut arca foederis, prius quam reliqua fuit fabricata, ita beata Virgo inter omnes puras creaturas fuit prima omnium praedestinata, ut ex verbis Salomonis (*Prov.* 8) in persona Virginis dicentis: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret, ab aeterno ordinata sum*, perspicuum fit: etenim per vias opera Dei intelligi, aperte testatur David, nam postquam dixerat (*Psal.* 144): *Iustus Dominus in omnibus viis suis*, exponens quaenam essent illae viae, continuo subiunxit: *Et sanctus in omnibus operibus suis.* Unde divus Gregorius (*lib.* 32. *mor. cap.* 18) ait: *Quid vias Dei, nisi eius actiones accipimus, de quibus Propheta dicit: Non enim viae meae sicut viae vestrae.* Cum ergo ait, a Deo in initio viarum suarum fuisse possessam, et ante reliquas creaturas factam, aperte significabat, inter omnes puras creaturas primum locum habuisse in aeterna praedestinatione: et certe, cum Christus Dominus fuerit primus omnium praedestinatorum, et revera non fuerit praedestinatus praecise ut homo, sed ut filius hominis, atque adeo, ut habiturus matrem, in cuius utero carnem assumeret; consequens est, beatam Virginem inclusam, et involutam fuisse in praedestinatione Christi Domini, et ideo inter puras creaturas primam simpliciter fuisse omnium praedestinatorum: potiorem etiam locum deberi illi tam in Ecclesia militanti, quam in triumphanti, vel sola Dei matris dignitas, quae omnem dignitatem transcendit, satis utique probat. Unde d. Bernardus dixit (*serm.* 1. *de assump.*): *Nec in terris locus dignior uteri virginalis templo, in quo Filium Dei Maria suscepit, nec in coelis regali solio, quo Mariam hodie Mariae Filius sublimavit.*

Arca foederis fabricata erat ex ligniis Selhim imputribilibus: id in b. Virgine minime desideratur; nam praeterquam propter excellentem confirmationem eius in gratia, omnia divina charismata divinitus ei infusa, corruptioni non erant obnoxia, quia virtutes omnes in ea erant inamissibiles, certe etiam putredini, aut rubigi levissimae etiam culpae subiacere non poterat, quicquid haereticí oblatrent; quibus illud d. Ambrosii eloquium (*epist.* 5. *in edit. Rom.*) congruit: *Claudat sua ora perfidia, obmutescat, nec matrem Domini aliquo audeat temerare convicio.* Quare recte divus Bonav. (*in* 3. *distin.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *q.* 1) dixit: *Congruebat adoptatam generis humani, ut nullum haberet peccatum, congruebat, ut virgo ita vincere diabolum, ut nec ei succumberet ad modicum: congruum etiam fuit, ut sic esset immaculata mente, sicut intemerata carne.* Fuit tandem b. Virgo instar ligni Selhim, imo plusquam illud incorruptibilis, cum putredo humanae conditioni in poenam peccati data: *Pulvis es, et in pulverem reverteris*, in eam irrnere non sit ausa. Unde noster Galatin. (*l.* 7. *de arc. c.* 4. *et* 12) ait: *Per ligna imputribilia, ex quibus constabat arca, significabatur, immaculatum b. Virginis corpus nunquam visurum corruptionem.* Imo si vera est quorundam medicorum sententia asserentium, ita bene complexionata fuisse quaedam corpora humana, ut etiam humata longo tempore incorrupta fuerint servata; non est difficile intelligere, quomodo etiam absque miraculo incorruptum mansserit in sepulcro corpus Deiparae, cum egregia adeo comple-

chae (*Gen. c.* 41), ut triticum huic mortali mundo pernecessarium in futurum sterilitatis septennium conservandum curaret, Pharao in tantam dignitatem evexit, ut supra omnes eum constituerit, eique suum annulum, stolam byssinam, et torquem aureum dederit, atque super currum suum ascendere fecerit, clamante praecone, ut omnes coram eo genuflecterent, et praepositum esse scirent universae terrae Aegypti; nec quicquam absque Joseph imperio fieri voluerit, eumque lingua Ægyptiaca, Salvatorem mundi appellarit; quanto quaeso magis Virgini Deiparae debilorem universus orbis se fateri tenebitur, quae panem vitae, qui de coelo descendit, quo a morte aeterna liberamur: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum* (*Joann. c.* 6), non in solum septennium, sed in omnem aetatem, nec uni tantum Ægypto, sed nationibus omnibus in Ecclesia perpetuo permansurum: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi*, ex purissimo suo sanguine concepit, et lacte postea nutrivit, ut merito Deus eam de mundo optime meritam in tantam sublimarit dignitatem, ut uni Deo sit secunda, dominamque mundi, et dispensatricem divinarum gratiarum eam constituerit. Quare b. Laurentius Iustinianus (*ser. de Nativ. b. Virg.*), agens de sanctissimo Christi corpore, quod in Eucharistiae sacramento nobis proponitur: *Hoc*, inquit, *manna, quod in utero beatae Mariae repositum, ubique expositum, atque appositum, gratiam contemplare, quae tale excepit munus, talemque genuit prolem, quae te corporis sui manna reficeret, inebriaret cruore, passione redimeret, morte salvaret*; hucusque b. Laurentius Iustinianus.

Ad extremum beatae Virginis venter, non solum fuit cibanus huius coelestis panis, quo fideles vescimur, sed et vehiculum, ut loquitur divus Gregorius Nicomediensis (*orat. de obl. Virg.*), quo nobis illum asportavit: facta quidem *quasi navis institoris, de longe portans panem suum;* sed nobiliori alio vehiculo, quam sit navis, comparavit illam Salomon Canticorum (*cap.* 3), vocans eam ferculum regium: *Ferculum fecit sibi de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum;* quem locum de b. Virgine apte intelligi, testatur Andreas Cretensis (*or.* 2. *de dorm. Virg.*), sanctus Antoninus (4. *part. tit.* 15. *cap.* 44. §. 7), Honorius (*in sigil.*), et Gulielmus (*in cap.* 3. *Cant.*): et merito quidem Deipara Virgo huic Salomonis ferculo comparatur, quam verus Salomon Christus, sapientia Patris, et pax nostra fecit sibi, hoc est in proprium usum construxit, ut in eius corde spiritualiter, corporaliter autem in eius utero atque ulnis dignissimis gestaretur. Ligna vero Libani, ex quibus ferculum illud constabat, erant, ex Glossa interlineari, fortia, celsa, speciosa, odorifera, imputribilia, atque candida; et his quidem lignis singulares heroicae, atque eximiae Deiparae Virginis virtutes, quarum aliquas in (*c.* 21) attingemus, quibus eius spiritualis structura constabat, significantur. Beatae enim Virginis virtutes erant ad omnem hostium impetum sustinendum, et reprimendum fortes: proceritate sua coelo proximae spirituali pulchritudine decorae, ad sui dilectionem, vel ipsum Deum, qui concupivit speciem eius, suaviter allicientes, boni exempli odore fragrantes, contra omnem saniem, atque putredinem divinitus ita munitae, ut essent prorsus inaccessibiles. Denique puritate sua, atque candore omnibus conspicuae, et illustres.

Columnae autem argenteae, quibus ferculum innitebatur, merito septem illae credendae sunt, quas divina Sapientia excidit, cum domum sibi aedificavit (*Prov.* 9), quae septem dona Spiritus sancti instar argenti nitidissima clare adumbrant, quibus ab Spiritu sancto movemur ad opera virtutis promptius exercenda, ut docet divus Thomas (*lib.* 2. *qu.* 68. *art.* 1). Huius ferculi reclinatorium fuit aureum; scilicet Deiparae uterus, qui regio decore, plusquam auro fulgebat, in quo per novem menses Christus Iesus est reclinatus: fuit etiam ascensus eius purpureus, quoniam ad altissimam in coelis sedem ascendit non absque laboribus, et pressuris: nam praeterquam quod iuxta d. Simeonis vaticinium acerbi doloris gladius, ob filii sui mortem, animam eius transverberavit; certe d. Bonavent. (*in medit. vitae Chris. cap.* 3), ex quadam revelatione refert, nullam gratiam, donum, vel virtutem b. Virginem obtinuisse absque magno labore, afflictione, et lacrymis, excepta gratia, qua primum in utero matris Annae fuit sanctificata.

Denique ascensus purpureus indicat regiam b. Mariae dignitatem, cuius insigne est purpura; quod, autem subdit, *media charitate construxit, propter filias Hierusalem*, affectum charitatis, et misericordiae, quo coelestem hunc panem utero suo nobis de coelo detulit, et in quotidianum cibum praebet, aperte significat. Unde d. Bernardus (*serm.* 1. *de assump.*) dixit: *Nemo dubitare potest omnino in affectum charitatis transisse beatae Mariae viscera, in quibus ipsa quae ex Deo est charitas, novem mensibus corporaliter requievit; praecipua tamen erga filias Hierusalem, eos nimirum, qui ad coelestem Hierusalem affectu, et desiderio aspirant: hi enim aptiores sunt ad manducandum Eucharistiam, panem, cuius proprius effectus est, in vitae aeternae immortalitatem vescentes illos servare.*

Quod si quispiam huic interpretationi obliciat, Salomonem in praecitato loco Canticorum non dicere, ferculo illo portari nobis panem, sed gestari regem potius, id eandem interpretationem astruit, cum revera ipse rex Christus sit ipse panis, ipso dicente: *Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi.* Unde et Ecclesia in invitatorio officii corporis Christi exorditur in haec verba: *Christum regem adoremus dominantem gentibus, qui se manducantibus dat spiritus pinguedinem.* Ecce rex ipse pinguis est cibus, ac coelestis panis ad reficiendas animas; quod sane, ut id obiter dicam, ardentem Iesu Christi erga nos charitatem apertissime commonstrat. Unde non infimae notae Doctores per charitatem in eo loco, ipsum regem Salomonem in media ferculi parte residentem, accipiendum putant, qui figurate, et amaterio more appellatur charitas propter eam, quam filiis Hierusalem se illis communicando exhibet: favelque huic intelligentiae, quod alia versio habet, et medium tenet ipse accensus, quod vero addatur, *propter filias Hierusalem*, manifeste ostendit, voluisse portari in sacro virginei uteri ferculo ad conciliandum sibi amorem fidelium, coelestis sui corporis panem illis providens; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XI.

Virgo Deipara utero suo Dei Filium gestans arcae foederis, seu testimonii, ex antiquorum Patrum doctrina apposite satis comparatur, in qua similitudine varia b. Virginis encomia delitescunt, etc.

Universi Ecclesiae Patres beatam Virginem arcae nomenclatura frequenter exornant: nam, ut omittam divum Epiphanium (*serm. de Deip.*), Andream Cretensem, Gregorium Nicomediensem (*orat. de oblat. Deip.*), Ildephonsum (*serm. de assump.*), d. Bern. (*serm. de b. Virg. tom.* 2), Anton. (4. *part. tit.* 15. *cap.* 2), d. Bernardinum Senensem (*tom.* 3. *serm.* 11. *art.* 1. *cap.* 3), qui omnes, quandoque arcam legalem, quandoque arcam animatam, quandoque arcam sanctificationis b. Virginem vocitant; apud d. Ioannem Chrys. (*in Liturg.*) haec lego: *Omnium Deus incarnatur in te, sacrosancta arca, ut dixit iustus David:* alludit sine dubio ad verba illa regii Vatis (*Ps.* 131): *Surge Domine in requiem tuam, tu, et arca sanctificationis tuae:* apud d. Laurentium Iustinianum (*serm. de nativ. beat. Virg.*) haec etiam reperio: *An non Maria testamenti arca verissima dicinis manibus fabricata, auro vestita mundissimo, virtutum gemmis ornata, atque imputribilibus lignis spiritualiter facta testamenti arca, tabulas, frondentem virgam, et suavissimum in se manna continuit?* Accedit Eychius presbyter Hierosolymitanus (*hom.* 2. *de Deip.*), ubi loquens cum Christo, ait: *Si tu es gemma, et illa est arca*: iuxta Billius eruditus, divus Ioann. Damascen. (*sch. orat.* 1. *de nativ.*), affirmat, in veteri lege ea praecipue ratione arcam foederis in magno honore habitam, quod Virginis sanctissimae Messiae Matris figuram ac typum gereret. Quam autem adamussim vetus illa arca beatam Virginem adumbraverit, ex his, quae de illa sacra commemorant eloquia, praesertim (*Exodi* 25), nervose, ni fallor, comprobavimus, etc.

Et quidem in primis inter ea, quae in templo ad Dei cultum spectabant, omnium primo, ut notat Beda (*lib.* 1. *de de tabern. cap.* 4), iussa est fieri a Domino arca; et inter omnia etiam templi supellectilia, ut mensam panum propositionis, candelabrum aureum, altare thymiamatis, et pleraque alia his similia, arca testamenti principem sedem obtinebat, utpote quae collocata erat in sancta sanctorum: haec duo in beata Virgine praelucent, nam sicut arca foederis, prius quam reliqua fuit fabricata, ita beata Virgo inter omnes puras creaturas fuit prima omnium praedestinata, ut ex verbis Salomonis (*Prov.* 8) in persona Virginis dicentis: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret, ab aeterno ordinata sum*, perspicuum fit: etenim per vias opera Dei intelligi, aperte testatur David, nam postquam dixerat (*Psal.* 144): *Iustus Dominus in omnibus viis suis*, exponens quaenam essent illae viae, continuo subiunxit: *Et sanctus in omnibus operibus suis.* Unde divus Gregorius (*lib.* 32. *mor. cap.* 18) ait: *Quid vias Dei, nisi eius actiones accipimus, de quibus Propheta dicit: Non enim viae meae sicut viae vestrae.* Cum ergo ait, a Deo in initio viarum suarum fuisse possessam, et ante reliquas creaturas factam, aperte significabat, inter omnes puras creaturas primum locum habuisse in aeterna praedestinatione: et certe, cum Christus Dominus fuerit primus omnium praedestinatorum, et revera non fuerit praedestinatus praecise ut homo, sed ut filius hominis, atque adeo, ut habiturus matrem, in cuius utero carnem assumeret; consequens est, beatam Virginem inclusam, et involutam fuisse in praedestinatione Christi Domini, et ideo inter puras creaturas primam simpliciter fuisse omnium praedestinatorum: potiorem etiam locum deberi illi tam in Ecclesia militanti, quam in triumphanti, vel sola Dei matris dignitas, quae omnem dignitatem transcendit, satis utique probat. Unde d. Bernardus dixit (*serm.* 1. *de assump.*): *Nec in terris locus dignior uteri virginalis templo, in quo Filium Dei Maria suscepit, nec in coelis regali solio, quo Mariam hodie Mariae Filius sublimavit.*

Arca foederis fabricata erat ex ligniis Selhim imputribilibus: id in b. Virgine minime desideratur; nam praeterquam propter excellentem confirmationem eius in gratia, omnia divina charismata divinitus ei infusa, corruptioni non erant obnoxia, quia virtutes omnes in ea erant inamissibiles, certe etiam putredini, aut rubigi levissimae etiam culpae subiacere non poterat, quicquid haereticí oblatrent; quibus illud d. Ambrosii eloquium (*epist.* 5. *in edit. Rom.*) congruit: *Claudat sua ora perfidia, obmutescat, nec matrem Domini aliquo audeat temerare convicio.* Quare recte divus Bonav. (*in* 3. *distin.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *q.* 1) dixit: *Congruebat adoptatam generis humani, ut nullum haberet peccatum, congruebat, ut virgo ita vincere diabolum, ut nec ei succumberet ad modicum: congruum etiam fuit, ut sic esset immaculata mente, sicut intemerata carne.* Fuit tandem b. Virgo instar ligni Selhim, imo plusquam illud incorruptibilis, cum putredo humanae conditioni in poenam peccati data: *Pulvis es, et in pulverem reverteris*, in eam irrnere non sit ausa. Unde noster Galatin. (*l.* 7. *de arc. c.* 4. *et* 12) ait: *Per ligna imputribilia, ex quibus constabat arca, significabatur, immaculatum b. Virginis corpus nunquam visurum corruptionem.* Imo si vera est quorundam medicorum sententia asserentium, ita bene complexionata fuisse quaedam corpora humana, ut etiam humata longo tempore incorrupta fuerint servata; non est difficile intelligere, quomodo etiam absque miraculo incorruptum mansserit in sepulcro corpus Deiparae, cum egregia adeo comple-

xione fuerit praeditum, ut nunquam in morbum inciderit. Unde Sophronius (*in epist. Syn. quae habetur in 6. Synodo act.* 11) dixit: *Beatae Virginis corpus ab omni contagione fuisse liberum:* idque facile mihi persuadeo ex similitudine, quam habuit cum Christo: sane Christus omni morbo semper caruit propter egregiam eius complexionem, ac mirabilem temperantiam, ut expresse testatur d. Basilius (*in regul. brevior. interrogat.* 177), d. Athanas. (*lib. de Incarn. Verbi*), s. Thom. (3. *part. q.* 14. *art.* 4), cuius doctrina bene eloctus cardinalis Caietan. (*tom.* 2. *opusc. cap.* 13) de spasmo b. Virginis haec scripsit: *Dissonum rationi est, b. Virginem aegritudinem aliquam passam esse, quia similis debet credi Filio per omnia, quantum fas est.*

Arca foederis auro mundissimo intus, et foris erat exornata, quod praeter vitam intus contemplativam, et foris activam, in quibus Deipara mirifice praefulsit, duo praecipue adumbrat, quae b. Virginis excellentiam mirum in modum commendant. Primum, ardentem Virginis charitatem, qua Deum intus, et proximos foris prosequebatur: et quidem, etsi divus Augustinus (*lib.* 9. *confess. cap.* 1) diceret: *Sagittaverras tu Domine cor meum charitate tua?* quibus quaeso amoris sagittis putamus transfixum cor b. Mariae: audiamus d. Bernar. (*serm.* 19. *in Cantic.*): *Sagitta electa est amor Christi, quae Mariae animam non modo confixit, sed etiam pertransivit, ut nullam in pectore virginali particulam amore vacuam relinqueret, sed toto corde, et tota anima, tota virtute diligeret.* Unde s. Thom. ex Hugone (*opusc.* 8) haec maxime observanda scripsit: *Quia in corde b. Virginis amor Spiritus s. singulariter ardebat, ideo in carne mirabilia faciebat, in tantum, quod de ea nasceretur Deus, et homo.* Quia tamen haec charitas b. Virginis non solum interius ad Deum, sed exterius ad proximos extendebatur, ideo ad id significandum (3 *Reg.* 10) legimus, thronum Salomonis eburneum vestitum esse auro fulvo nimis, et (*Exod.* 25) legimus, coccum bis tinctum, cuius usus frequens erat in cortinis tabernaculi: libro tandem Apocalypsis idipsum plane significat mulier illa, quam vidit d. Ioannes amictam sole, omnes calefacientem, et splendorem ac calorem suum in omnes liberaliter effundentem: ad quod respiciens d. Bern. (*ser. super sign. magn.*) dixit: *Candidissimus, sed et calidissimus huius mulieris amictus, cuius splendore omnia tam excellenter irradiata noscuntur, ut nihil in ea, non dico tenebrosum, sed obscurum saltem, vel minus lucidum, sed ne lepidum quidem aliquid, aut ferventissimum liceat suspicari.* Secundo arbitror aurum illud interius, et exterius arcae, adumbrasse eximiam b. Virginis sanctitatem, qua interno cultu Deum venerabatur, et suo exemplo alios exterius aedificabat: hac enim ratione iuxta sententiam d. Bonaventurae cinnamomo, et balsamo comparatur (*Eccles.* 24): *Odor,* inquit, *ille Mariae fuit, sicut cinnamomum in cortice concorsationis, sicut balsamum interius in unctione devotionis;* haec ille. Verum et balsami odor, ac suaveolentia sanctitatis Deiparae, fragrantiam indicat, qua ad currendum post Christum excitat, iuxta illud (*Cant.* 1): *Curremus in odorem unguentorum tuorum.* Unde et ibidem (*Eccles.* 6) in persona Deiparae ait: *Sicut balsamum aromatizans odorem dedi:* qua in re illud peculiare in balsamo oleo observandum censui, quod virtutem quandam masculam, et fortem habeat, quod praeclaram, ac praecellentem Deiparae virtutem, non mollem aut effeminalam significat. Balsamum quidem, veluti nobile, ac generosum, reliquis unguentis praestans, viris adhiberi solebat, foeminis vero magis congruebat amomum Assyrium, aliaque id genus delicata unguenta, quibus reges Assyriorum, quorum notissimus est luxus, utebantur; idque satis exprimit Martialis (*lib.* 4. *epigram.* 54):

Balsama me cupiunt, haec sunt unguenta virorum.
Delicias Nini vos redolete nurus.

Secundo balsamum olim uni Iudaeae, nulli praeterea religioni erat concessum, quod non tantum Plinius, sed etiam Iustinus (*lib.* 36), Strabo (*lib.* 16), Solinus (*c.* 36) affirmant: nam ex Iosepho (*lib.* 8. *antiquit. cap.* 6) fertur, regina Saba balsami radicem Salomoni dono dedisse, et ideo in sola Iudaea reperiri, ut propterea ex Plinio loco citato, Pompeius devicta Iudaea, balsami arbusculam in triumpho duxerit, et Vespasiani imperatoris iterum ipsam, Romam Iudaea vastata, attulerant, quo tempore Iudaei, ne in potestatem Romanorum venirent, eam prorsus excidere sunt conati, ut diximus ex Plinio, nisi Romani armis eam servassent. Quare Virgil. (*in* 2. *Georg.*) referens suas cuique regioni datas arbores, sic de balsamo cecinit:

Divisae arboribus patriae: sola India nigrum
Fert ebanum; solis est thurea virga Sabaeis.
Quid tibi odorato referam sudantia ligno
Balsamaque et baccas semper frondentis acanthi?

At vero circa Christi Domini adventum videtur balsami fratex multis in locis propagatus: nam Dioscorides, qui circa Christi tempora claruit, et Avicenna in Ægypto eam nasci testantur, quibus consentit Borchardus in descriptione terrae sanctae (*part.* 2. *cap.* 4), ubi inter Heliopolim, et Babyloniam medio fere loco a se visum refert hortum balsami, qui nisi irrigetur aqua ex fonte, in quo Deipara dum in Ægypto maneret, fila lavit, fructum minime edit, Solinus etiam (*lib.* 6) ait, balsami lucos, devicta Iudaea, ita propagatos, ut iam laetissimi colles sudent balsama Strabo (*lib.* 17) tradit, silvestre balsamum oriri in maritimis Sabaeorum; et Pausanias (*lib.* 9) in Arabia balsami arbores ponit, ac tandem ex India occidentali nos tesles sumus, magnam balsami copiam asportari. Hoc autem quis non videat, quam aptè in Deiparam conveniat, cum aliquin prius uni solum nota Iudaeae, divulgata vero evangelica illa virtute, Verbum divinum humanam carnem in eius utero assumpsisse, eximiae sanctitatis eius odor omnes recreat Ecclesiae fideles, exemploque suo ad Christo in-

serviendum mirum in modum eos conciliat. Licet autem non semel contingat, balsamum admixtione olei, vel mellis vitiari; beata autem Virgo, utpote omnis maculae semper expers, purum balsamum fuit absque alicuius imperfectionis mixtione. Unde ipsa ait (*Eccl.* 24): *Quasi balsamum non mixtum odor meus:* super quae verba sanctus doctor Bonavent. (*in spec. B. Virg. cap.* 5) dixit: *Balsamum misceri solet melle, vel oleo; sed certe balsamum Spiritus s. in b. Maria non fuit mixtum, quia nec melle carnalitatis, et mundanae consolationis, nec oleo vanae laudis, et adulationis fuit vitiatum, sed vera, et pura b. Mariae gratia fuit.* Neque silentio praeteribo, quod Pausanias (*in ethic. lib.* 9) scribit, in Arabia plurimas viperas sub balsami arboribus commorantes, venenum amittere ex balsami pastu, et ob id earum morsus nihil veneni inferre: hoc sane mihi ob oculos ponit praesidium Deiparae Virginis, quae mystica est balsami arbor: ita enim in daemonibus, per serpentes significatis, venenum eorum supprimit, ut diversarum suggestionum morsus, quibus illi Deiparae famulos inficere satagunt, nihil prorsus eis noceant.

Arca foederis operiebatur propitiatorio, seu oraculo de auro mundissimo, et, ut (*Exodi* 25) dicitur, cum Deus inde cum Moyse loqueretur, oracula, seu divina sua responsa dabat, ac populo se propitium exhibebat. Unde et Saul, ut habetur (1. *Reg.* 14), consulere volens divinum oraculum sacerdoti dicebat: *Applica arcam Dei;* ita Deus per b. Virginem, tanquam per propitiatorium universae terrae, ut loquitur s. Ephrem (*orat. de laud. b. Virgin.*), seu commune reconciliatorium, ut eam appellat b. Andreas Cretensis (*orat.* 2. *de dormit. Deip.*): *Precibus nostris misericorditer annuens, respondet, et per illam tanquam per advocatricem orationes nostras exaudit.* Quare s. Bonavent. (*in spec. b. Virg. cap.* 8) dixit: *Maria fidelissima mediatrix salutis, veluti fidelissima columba inter summum Noe, et mundum spirituali diluvio submersum. Eva autem, velut corvus in diluvio infidelissima mediatrix fuit perditionis.* Sed altius d. Anselmus, cuius verba refert d. Antoninus (4. *p.* 15. *cap.* 14, § 7), dum ait: *Haec est figurata in illa prudentissima muliere Thecuite,* (3. *Reg.* 14), *quae ita sapienter advocavit apud regem David in causa Abaloni, cui, superbi, et fratricidae, exulis facti propter tantum scelus a Hierusalem, quod induxit patrem David ad misericordiam erga filium, et ab exilio revocandum; sic ergo Virgo Maria pro mundo rebelli ipsi Deo, et occisore fratris sui, id est, animi sui, propter quod exul constituitur a suprema Hierusalem, ita advocat, et interpellat, ut Deum Patrem placeat, et universum ad poenitentiam, et ad gloriam inducat.*

Atque hanc b. Virginis efficacem intercessionem respiciens s. Thom. (*opusc.* 8), cum probasset, b. Virginem plenam esse gratia, primo in anima, secundo, quoad redundantiam in corpus, tertio probat, quoad effusionem in nos, verba eius sunt haec: *Tertio plena fuit gratia non solum in se, sed quantum ad refugium in omnes homines. Magnum enim est in quolibet sancto, quando habet tantum de gratia, quod sufficit ad salutem multorum; sed quando haberet tantum, quod sufficeret ad salutem omnium hominum de mundo, tunc esset maximum; et hoc est in Christo, et in b. Virgine: nam in omni periculo, etenim* (*Cantic.* 4) *Mille clypei, id est, remedia contra pericula, pendent ex ea.*

Erant in arca foederis duo cherubini aurei portatiles, qui ex utraque parte oraculi versis vultibus se mutuo aspicientes, expansis alis utrumque latus propitiatorii tegebant. Quidam volunt per hos cherubinos, qui, ut d. Hieronymus interpretatur (*in cap.* 10. *Ezechiel.*), *plenitudinem scientiae sonant*, profundissimam beatissimae Virginis sapientiam denotari, in qua adeo excelluit, ut s. Bernardus (*serm. super sign. magn.*) non dubitarit dicere: *Maria iure sole perhibetur amicta, quae profundissimam divinae sapientiae, ultra quam credi potest, penetravit abyssum, ut quantum sine personali unione creaturae conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa.* Et quidem, si dilectus discipulus Ioannes in ultima coena sub pectus Domini recumbens, fluenta Evangelii de ipso sacro Dominici pectoris fonte potavit, ut in eius festo canit Ecclesia; quanto maiora divinae sapientiae arcana hausisse credenda est Deipara, quae non ad breve tempus unius coenae, sed per novem integros menses Christum in utero gestavit, et toto tempore eius infantiae, gremio, et manibus suis balbavit, ac per triginta, et tres annos eius doctrina mirifice fuit imbuta. Verum ego cum nostro Nicolao Lyrano (*in mor. expos. Exod. cap.* 25) arbitror, per Cherubinos illos arcam concomitantes, assistentiam angelorum b. Virgini, tam in Ecclesia militanti, quam triumphanti semper adsistentium, adumbrari: et quidem in infantia ei adstitisse non unum, ut reliquis infantibus, sed plures, his verbis testatur d. Ioannes Damasc. (*orat.* 1. *de Nativit. b. Virg.*): *O sanctissima filia, quae materni uberis lacte aleris, et ab angelis undique cingeris.* Quod autem hi angeli essent, audi beatum Gregorium Nicomediens. (*orat. de oblatione Deip.*); ubi postquam narraverat b. Virgini in templo, cum triennis esset, degenti, cibum ab angelis deferri solitum, subiicit: *Oportebat non unum solum et servire angelum, sed decies mille millia eam stipare.* Et s. Hieronymus (*in libr. de Nativit. Mariae tom.* 9) loquens de vita a b. Virgine in templo traducta inquit: *Quotidie ab angelis frequentabatur, quotidie divina visione fruebatur, quae eam a malis omnibus custodiebat, et bonis omnibus redundare faciebat.* In coelesti autem patria angelos specialiter assistere b. Virgini ad eum modum, quo aulici regii assistunt reginae, non obscure illud indicat, quod Ioannes (*Apoc.* 4) ait, septem spiritus vidisse, qui assistebant throno Dei, per quem beatam Virginem adumbrari, quae veri, ac pacifici Salomonis thronus fuit, clare patet, ut testantur s. Patres, s. Augustinus, Epiphanius, Athanasius, immo et d. Iacob. Apost. ad quod respiciens illuminatus Mayron (*ser. de creat. animae b. Virg.*) dixit: *Privilegium huius stellae maris est, quod habet septiformitatem in ambitu, quia septem stellae*

notabiles volvuntur circa eam, ideo eius regio dicitur septentrionalis, ita et mater Domini dicitur habere septem angelos notabiles qui assistunt eius throno, de quorum numero est b. Raphael, ut dicitur in Tobia. Ne autem quispiam dicat, illuminatum doctorem ex marte suo hoc excogitasse, attendat quaeso, id ipsum revelatum fuisse beato nostro Amadeo: nam, ut legimus (3. *p. Chronic. seraphici nostri patris s. Francisci lib.* 6. *cap.* 30), b. Amadeus cum in primo raptu coelestem curiam vidisset, audivit Gabrielem haec sibi dicentem: *Septem angeli sumus, qui Genitricem Dei nostri veneramur, alios omnes vestri generis praecedimus.* Quod et confirmant antiquae, ac pervetustae quaedam imagines: etenim Venetiis apud sanctum Marcum, imago septem angelorum virgas manu praeferentium, Mosayco opere affabrefacta, ita est constituta, ut stantes angeli b. Virginem circumsient: idem quoque in celebri, et antiqua imagine Deiparae in monte Virginis cernitur, quae septem est circumcincta angelis: quod idem etiam videre est in imagine s. Mariae angelorum Romae in thermis Diocletianis, quae in supremo altari colitur; et non solum illi septem angeli, sed et reliqui omnes angelici spiritus, b. Virginem semper collaudantes, ante conspectum eius singulari cum reverentia adstant, ut his verbis dixit s. Bonaventura (*in comment. cant. Te Deum laudamus*): *Tibi omnes angeli, et archangeli, tibi throni, et principatus fideliter deserviunt; tibi omnes potestates, et omnes virtutes coeli coelorum, et universae dominationes obediunt, tibi omnes chori, tibi cherubim, et seraphim assistunt. tibi omnis angelica creatura incessabili voce proclamat: sancta, sancta, sancta, Maria, Dei genitrix, mater, et virgo.* Ac tandem noster s. Bernardinus Senensis (*tom.* 1. *concion.* 61. *art.* 1. *cap.* 6) ait: *Tot creaturae serviunt gloriosae Virgini Mariae, quot serviunt Trinitati, sive spirituales, ut angeli, sive rationales, ut homines, sive corporales, ut coeli, et elementa: omnia haec sunt divino imperio subiugata, et gloriosae Virgini subiecta, imo et ille, qui Filius Dei est, Virgini benedictae matri famulabatur in terra;* haec ille. Adeo autem angeli omnes b. Virgini assistentes, eius regio imperio obsequentes se exhibent, et in mandatis eius exequendis tam seduli, ac diligentes, ut in revelationibus s. Birgittae (*in serm. Ang. quam quidam angel. ex Dei praec. eidem dict. cap.* 20) haec verba legamus: *Angeli postmodum obedientes b. Virgini effecti sunt, quod omnes inferni poenas libentius sustinerent, quam aliquibus suis praeceptis in aliquo contradicere.*

Arca foederis manna continebat, virgam Aaronis, et tabulas legis, quod mirifice adumbrat beatam Virginem, quae Christum Dominum per haec tria adamussim significatum, per novem menses portavit. Etenim corpus Christi manna dulcissimum est, quo vescimur, et nutrimur in Eucharistiae sacramento. Tabulae legis, tres animae Christi potentiae, in quibus omnes thesauri sapientiae, et scientiae Dei absconditi erant, ut loquitur divus Paulus (*Coloss.* 2). Virga quae dominii symbolum semper fuit, apte exprimit divinitatem eius. Vel aliter dicamus, intra Virginei uteri arcam delituisse Christum Dominum recte per virgam Aaronicam adumbrari propter regalem, ac pontificiam eius potestatem, ad quem respiciens David (*Psalm.* 109) dixit: *Virgam virtutis suae emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum.* Manna autem in arca inclusum pariter cum virga, lenitatem Christi Domini cum virga potestatis eius coniunctam esse demonstrat: etenim dulcedo mannae severitate virgae temperatur; et quidem utrumque est valde necessarium in principe, nam cum boni, et mali sub eius degant dominio, virga opus est propter malos, manna propter bonos. Unde ad idipsum significandum David virgam, et baculum simul coniunxit (*Psalm.* 22) dicens: *Virga tua, et baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Tabulae tandem legis, quae in arca aderant, praeterquam quod eundem Christum, Sapientiam Patris, ac supremum legislatorem apte denotant, qui tam veteris, quam novae legis auctor extitit: etenim illae posteriores tabulae in arca repositae, typum gesserant legis novae, cum priores, quae fractae fuerant, legem veterem aliquando abolendam designassent, ut adnotarunt divus Augustinus, et divus Ambrosius: ad quod alludens divus Paulus (2. *ad Corinth.* 3) dixit: *Epistola estis Christi, ministrata a nobis, et scripta non atramento, sed spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis:* praeter hoc, inquam, in eisdem tabulis significatur Christus Dominus, quatenus perfectus legis observator, qui exactissime Dei voluntatem implevit, iuxta illud (*Psal.* 39): *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei.* Atque hoc est illud imperium super humeros eius constitutum, cuius meminit Isaias: nam ubi (*c.* 9) Vulgatus interpres legit: *Factus est principatus super humerum eius,* Paraphrastes Chaldaeus transtulit: *Suscepit legem super se, ut servaret eam.*

Possumus etiam aliter haec tria interpretari, ad virtutes b. Virginis illa referentes: manna enim Deiparae misericordiam dulcissimam egregie significat, quae in nos maternae pietatis viscera exhibens, Dei flagella vel penitus avertit, vel magna ex parte mitigat. Tabulae legis, divina mandata servandi studium, quo b. Virgo flagrabat, commode denotant: quae melior sane, quam David, canere potuisset illud (*Psalm.* 30): *Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei.* Virga denique regiam potestatem ac dominium designat, quo a filio cunctis est praelata creaturis.

Tandem Arcae foederis inerat corona aurea, quae circumdabat illam. Certe, cum corona aurea regium insigne sit, luculenter satis indicat, b. Virginem reginam esse coeli et terrae. Unde s. Ephrem (*or. de b. V.*) vocat illam *dominam, principem atque reginam praestantissimam, et perquam benedictam, dominarum dominam purissimam.* Imo s. Antoninus (4. *par. tit.* 15. *cap.* 22. §. 9) b. Mariam appellat *Imperatricem, et monarcham mundi.* Rationem autem, ob quam b. Virgini debita sit regia dignitas, reddidit s. Augustinus (*sermon.*

35. *de sanct.*) in haec verba: *Sufficere debet naturae humanae, hanc vere fateri reginam coelorum pro eo, quod regem peperit angelorum.* Meminit eiusdem rationis s. Petrus Chrysologus (*serm.* 142), dum inquit: *Maria Hebraeo sermone, Latine Domina nuncupatur, nasci et vocari Dominam, ipsa sui germinis, idest, Christi filii fecit, et impetravit auctoritas.* Verum Deiparae Virgini non solum fuit imposita regia corona, regali eius dignitati debita; sed et multiplex alia: s. Thomas (*in* 4. *distin.* 49. *q.* 5. *art.* 5. *quaest.* 1. *et* 3) loquens de coronis, quas aureolas vocant theologi, haec scripsit: *Est privilegiatum quoddam praemium, respondens privilegiatae victoriae circa opera perfectionis, in quibus homo maxime Christo conformatur secundum perfectam victoriam. Porro aureola tribus hominum statibus, virginibus scilicet, doctoribus, et martyribus tribuitur: et sane in eadem aureolae specie iuxta meritum ex parte ipsius operis, ob quae aureola excellentior uni, quam alteri confertur;* hactenus doct. Thomas, ex quibus palam fit, aureolas, quibus Deipara exornatur, reliquis omnium aliorum beatorum praestantiores, ac rutilantiores esse. Sane eo illustrior virginitatis corona Deiparae debebatur, quo eius virginitas in eo prae ceteris emicuit, quod cum aliorum omnium virginitas sterilis sit, nullum foetum producens, illius tamen foecunda fuit, humanam pariter, et divinam prolem concipiens, et pariens, ad quod significandum in persona ipsius Virginis ait (*Eccles.* 24): *Flores mei, fructus honoris, et honestatis.* Certe In arboribus flores non sunt pariter, et fructus, sed floribus decidentibus fructus succedunt: non sic autem in b. Virgine: flos enim symbolum est virginitatis, fructus vero foecunditatis. Cum ergo flores Deiparae fructus honoris et honestatis sint, plane significatur virginitas eius foecunda, et foecunditas virginea singulari aureolae praemio digna, sicut et singularis est, instar phoenicis, copulatio virginitatis cum foecunditate.

Accedit, quod, praeter hanc praecellentem virginitatis aureolam b. Virgo fructum continentiae centesimum, qui virginibus deputatus est, obtinuit (*Mat.* 13): *Alia ceciderunt in terram bonam, et dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, et aliud quinquagesimum.* Primum convenit virginibus; secundus viduis et aliis se continentibus; tertius coniugatis, ad alienam non accedentibus, ut unanimi sententia interpretantur Patres, d. Cyprianus, Athanasius, d. Thomas, s. Antoninus, necnon s. Hieronymus multis in locis, praesertim tamen in apologia adversus Iovinianum, ubi ex arte numerandi per digitos hoc ipsum perdocte confirmat, quod et Marianus Victorinus (*in notis ad illum loc.*) d. Hieronymi ex Beda erudite explicat. Est autem fructus iste centesimus praemium quoddam accidentale, non solum ab aurea, sed et ab aureola distinctum; quatenus, ut docet s. Thomas praecitato loco, quispiam a carnali vita in quandam vitam spiritualem per continentiam transit; ratione cuius speciale gaudium prae ceteris virgines exhilarat, eo quod propter Christum, omnem prorsus veneream, etiam licitam spreverint voluptatem. Ex quo aperte liquet, fructum hunc centesimum longe in Deipara praestantiorem fuisse, quam in reliquis virginibus: quippe quae propter suam, plusquam angelicam puritatem, ac raram sanctimoniam, tota spiritualis, et in Deum transformata, omnes virgines longe superet.

Deinde Deiparam doctorum aureola donatam fuisse, dubitari non potest: haec enim confertur propter victoriam, qua quis non solum a se, sed a cordibus aliorum, doctrinae lumine tenebras fugat, ac daemonem illas immittentem longe propulsat: nec opus est, ut id faciat per publicam praedicationem, sed satis est, etiam si privatim doctrinam fidei communicet, ut docet s. Thomas (*in* 4. *dist.* 49. *quaest.* 5. *art.* 5. *ad* 5); b. autem Virgo non solum docuit vulgares homines, sed Apostolos ipsos Ecclesiae archimagistros, ut s. Birgitta (*in suis revel. in serm. angel. cap.* 19) his verbis testatum reliquit: *Ascendente Filio ad suum regnum, Virgo Maria in hoc mundo ad bonorum consolationem, et errantium correctionem remanere permissa est: erat enim magistra apostolorum, confortatrix martyrum, doctrix confessorum, clarissimum speculum virginum, consolatrix viduarum, in coniugio viventium saluberrima monitrix, atque omnium in fide catholica perfectissima roboratrix. Apostolis namque ad se venientibus, omnia, quae de suo filio perfecte non noverant, revelabat, et rationabiliter declarabat. Martyres quoque ad tribulationes pro Christi nomine sufferendas animabat.* Quare eruditus auctor Supplementi Gabriel (*in* 4. *dist.* 49. *q.* 4. *artic.* 3. *dub.* 2) sane dixit: *B. Virginem doctorum aureola reliquis aliis praestantiori esse coronatam, quoniam non solum vulgarium hominum, sed et apostolorum, et magnorum theologorum doctrix fuit, ac Ecclesiae rectores, patres, et magistros sua sapientia illuminavit.*

Rursus, Deiparam martyrum coronam meruisse, praeter Hieronymum, Ildephonsum, Bernardum, Anselmum, et b. Birgittam, qui pleno ore Mariam martyrem appellant; id probat d. Antoninus (4. *part. tit.* 15. *cap.* 24), auctor Supplementi Gabriel (*in* 4. *dist.* 49. *q.* 4. *art.* 3. *dub.* 2), Viguerius (*in suis Constit. cap.* 14. §. 3. *vers.* 2), Salmeron (*tom.* 10. *tract.* 51), nosque ex professo copiose id ostendimus (*lib.* 12). Quare pauca quaedam, quae ibi omisi, nunc apponam. Certe, quod attinet ad essentialem coronam martyri debitam, nulla ratione dubitari potest, illam meruisse: nam si de s. Martino Ecclesia catholica in eius officio canit: *O sanctissima anima, quam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrii non amisit;* multo certius est, Dei Genitricem illam non amisisse. De accidentali corona, quam aureolam vocant theologi, licet nonnulli dubitarint, arbitror illa non caruisse, quia, ut Anselmus (*praec. loc.*) dixit: *B. Virgo in passione Christi vere interiisset prae magnitudine doloris, nisi ab eo praeservata esset.* Praeservatio vero, sicut non abstulit meritum, ita nec praemium; immo hoc uberius suscepisse credendum est; tum quia, sicut amore Christi omnes martyres superabat, ita et dolore compassionis omnibus illis acrius angebatur: tum

quia cruciatus martyrum breves fuerunt; interni autem beatae Virginis dolores ob Christi mortem, animam eius graviter sauciantes, et per redundantiam corpus affligentes, valde prolixi, ac longissimi fuerunt, cum a tempore consensus in matrem Dei, quem per illa verba praestitit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum,* (*Luc.*1), futurae passionis acerba memoria ancipiti doloris gladio continuo transverberavit usque ad ultimum vitae halitum, ut his verbis eleganter tradit Rupertus (*in cap.* 1. *Cant.*): *Notite solam attendere horam, vel diem illam, in qua vidi talem dilectum ab improbis comprehensum, male tractari, scilicet illud, spinis coronari, flagellari, crucifigi, felle et aceto potari, lanceari, mori, et sepeliri: nam tunc quidem gladius animam meam pertransivit, sed antea, quam sic pertransiret, longum per me transitum fecit: prophetissa namque eram, et ex quo mater facta sum, scici illa passurum. Cum igitur carne mea taliter progenitum, talem filium sinu meo foverem, ulnis gestarem, uberibus lactarem, et talem eius futuram mortem semper prae oculis haberem, et prophetica, imo, plusquam prophetica mente praeciderem, qualem, quantam, quam prolixam me putatis materni doloris pertulisse passionem? hoc est, quod dicit: fasciculus myrrhae, dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. O commoratio dulcis quidem, sed plena gemitibus inenarrabilibus, ad ubera de foris cingebatur, et iisdem lactabatur uberibus, simulque inter ubera intus in corde praesepio futurorum semper patebat quali esset morte moriturum;* hactenus Rupertus: quibus consonant multa, quae noster s. Bernardinus scripsit (*t.*3.*ser.*6. *art.* 2), ubi inter alia ait, b. Virginem consensisse ad concipiendum filium Dei statuto tempore crucifigendum: verba eius sunt haec: *Crucifixa crucifixum concepit, ordinavitque summa sapientia Dei, quod eodem die Christum concepit, quo etiam fuit passus.* Quod non solum d. Bernardinus, sed plures eruditi doctores asseruere, tradentes eodem mense, et eadem die Christum conceptum, et crucifixum: idque non obscure mihi indicatum videtur per Zachariam (*cap.*3), ubi Dominus agens de Christo, ut homo est, sub typo lapidis habentis oculos septem, subdit: *Ecce ego caelabo sculpturam eius, ait Dominus, et auferam iniquitatem terrae in die una;* quasi dicat: ego ipse corpus Christi formabo in utero Virginis, et eodem die post aliquot annos per crucem delebitur iniquitas terrae: utraque enim dies ex d. Ioanne Chrysostomo (*hom. de nativ. s. Ioann. Bapt.*), dies coenae purae fuit, ut eius verbis utar; in qua luna decimaquarta occurrit; quin etiam in feriam sextam, quam diem Veneris dicimus, incidit iuxta auctores supra citatos annunciatio b. Virginis, et in eundem hebdomadae diem Christi Domini passio; et tam annunciatio, quam etiam passio in diem 25. Martii, inciderunt; et quidem passionem Domini feria sexta factam fuisse ex Evangeliorum historia, et Ecclesiae traditione habemus; quod vero die eadem fuerit incarnatio, plerique colligunt ex supputatione tabularum astronomicarum. Et praeterea, quia, ut in (6. *Synod. cap.* 8) dicitur: *Nativitas Domini in diem dominicam incidit:* quod et s. Bonaventura affirmat (*in med. cap.* 7) ex revelatione quadam, et cardinalis Baronius (*in not. martyr.* 25. *die Dec.*), et Pererius (*tom.* 1. *in Genes.*). Ex quo rursus colligunt, annunciationem b. Virginis in praecedenti Martio fuisse Feria sexta, praeterita die 25. Martii, quo in Ecclesia celebratur Incarnatio, seu b. Virginis annunciatio: fuisse etiam Domini passionem tenet d. Augustinus (*lib.*4. *de Trinitat. cap.* 5): *Sicut,* inquit, *a maioribus traditum, suscipiens Ecclesiae custodit auctoritas. Octavo enim Kalend. Aprilis conceptus creditur, quo et passus, ita monumento novo, quo sepultus est, ubi nullus erat mortuorum positus, nec ante, nec postea, congruit uterus b. Virginis quo conceptus est, ubi nullus seminatus est mortalium: natus autem traditur octavo Kalend. Ianuarii;* haec d. Augustinus: quod etiam alibi docet. His adstipulatur martyrologium, ubi 25. die Martii ponitur commemoratio sancti Latronis, qui Christum in cruce confessus est; et, ut refert Beda de ratione temporum (*cap.* 28, et 45), plures Ecclesiae magistri, et doctores ecclesiastici tradiderunt, Christum passum fuisse 25. die martii.

Porro, praeter haec, quae de arca foederis sacer textus probat (*Exod.* 25) alia divina eloquia commemorant, quae silere non licet, cum multa, eaque praeclara beatae Virginis adumbrent encomia. (*Lib. Num.*10) cum elevaretur arca, dicebat Moyses: *Surge Domine, et dissipentur inimici tui, et fugiant, qui oderunt te a facie tua:* quae verba explicans s. Bernardinus (*tom.* 3. *serm.* 11. *artic.* 1. *cap.* 2) de Deipara, ait his verbis: *Mystice innuitur, quod quando elevata fuit gloriosa ad coelestia regna, daemonis potentia imminuta est, et dissipata. Unde ipsa dicere potest illud Ecclesiastici, superborum, et sublimium colla propria virtute calcavi.* In idem etiam recidit, quod (*Ios.* 6) habetur, nimirum Iericunthinos muros arca Domini circumdata elegantibus tubis corruisse. Idem enim d. Ioannes Damascenus (*orat.*2. *de dormit. Deip.*) ad beatae Virginis potentiam in coercendis tartareis hostibus refert, dicens: *Iubilemus in arca Domini Dei toto animo, et muri cadent Iericunthini, contrariarum potestatum infestae munitiones.* Idipsum etiam adstruit, quod (1. *Reg.* 5) legimus, arcam Dei a Philistaeis captam, idolorum dragonem evertisse, eidemque capul, et manus praecidisse, Azotios, reliquosque populi Dei inimicos percussisse, et multis plagis affecisse: quod sane nemo catholicus dubitare potest, frequenter a b. Virgine facilitari, dum daemonum adversus nos rabiem compescit, et ab eorum telis incolumes nos servat: immo et nostris pedibus eos prosternit, ut merito singulis dici possit (*Psal.* 90): *Super aspidem, et basiliscum deambulabis, et conculcabis leonem, et draconem.* Quid plura? Certe percussio Oziae super irreverentia, qua extendit manum ad arcam Dei (2. *Reg.*6), satis nobis indicat, quam religioso cultu animata haec Deiparae arca a nobis tractanda sit; maxime quod, si (1. *Reg.* 6) de viris Bethsamitibus dicitur, percussos fuisse a Domino septuaginta viros de populo, et quinquaginta millia plebis, ea solum ratione, buod vidissent arcam Domini; magna caulione, ac diligentia nobis opus est, ut nec levissimam irreverentiam in cultu Deiparae Virginis committamus, certo credentes, non futuram inultam, et impunitam a Domino.

Ad haec de arca foederis lego (*lib.* 3. *Reg. cap.*8), inductam fuisse a sacerdotibus in templo Salomonis, et intra sancta sanctorum collocatam; quod d. Bonaventura (*in spec. b. Virg.*) de illa in coelum assumpta, et a summo Sacerdote Christo Domino in coelestis gloriae templo super omnes angelicas acies collocata, mystice interpretatur, secutus in hoc d. Ildephonsum (*serm.* 1. *de Virgin. Deip. assump. in fin.*), dum exponens similem locum (*Apoc.*11): *Apertum est templum Dei in coelo, et visa est arca testamenti in templo, et facta sunt fulgura, voces, et tonitrua,* haec dicit: *Quae profecto arca non illa Moysi fabrica, sed b. Virgo Maria est, quae hinc iam transposita erat, quam beat. Ioannes Evangelista testis veritatis, cui commissa est forte recognoscens, venerabiliter effatur;* haec ille. Id autem, quod ibidem subdit sacer textus: visa arca facta fuisse fulgura voces, et terraemotus, quidam interpretantur de illustrationibus, et conversionibus peccatorum, qui nunc ex blanda b. Virginis admonitione, nunc ex terrifica concussione in Deum convertuntur. Verum dicus Bernardus (*tom.* 2) exponit illa de reconditis mysteriis, quae b. Virgo sanctissima suis famulis pandere dignatur; verba eius sunt haec: *Ioannes in Apocal. de throno ait, scilicet de b. Maria, procedebant fulgura, voces et tonitrua, quia mater filii Iesu Christi parabolas, aenigmata, legalia, et mirifica gesta, dicta, et opera avidius ebibit, fideliuz credidit sincerius, luculentiusque aliis edidit.*

Ad extremum illud, quod (*Numer.* 10) de arca foederis dicitur: *Arca autem foederis Domini praecedebat eos, providens castrorum locum,* aperte nobis indicat mumus, quo fungitur Deipara in coelo, sua intercessione nobis providens locum manendi in coelesti patria, ad quam nos perducere dignetur Filius eius, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XII.

In eadem verba divi Lucae: Beatus venter, qui te portavit, *Deipara Virgo nubi fulguranti comparatur, iuxta sanctorum Patrum doctrinam, quam similitudinem varia, ac multiplici, tam divina, quam humana eruditione illustramus.*

Beatam Virginem sub typo nubis significari, vaticinium Isaiae non obscure commonstrat: *Ascendit Dominus super nubem levem, et ingredietur Aegyptum.* Etenim sanctus Athanasius, Cyrillus Hierosolymitanus, Anselmus, Ioannes Chrysostomus, divus Bonaventura, et alii non pauci, per nubem levem Mariam intelligunt. nullo peccati pondere praegravatam: sicut autem in concavitate nubis ex vapore eius vehementer inflammato fulgur generatur, ita Christus Dominus, qui se fulguri comparavit (*Mat.* 24): *Sicut fulgur exit ab oriente, ita erit adventus filii hominis,* intra concavitatem viscerum b. Mariae genitus fuit. Unde sanctus Methodius martyr (*or. in hyp. Dom.*) vocat Virginem nubem fulgurantem: *Fulgurasti,* inquit, *o Genitrix, suavia nobis dona producens, fulgurasti luminis solaris ardentissimis facibus, ferventissimae nempe dilectionis aestu, quod ante principium fuerat, in fine pariens, palam faciens occultum sacramentum, ineffabilem invisibilis Patris filium.* Et brevius s. Epiphanius (*serm. de laud. Virg.*): *O beata Virgo, nubes es lucida, quae fulgur lucidissimum ad illuminandum mundum deduxisti Christum.*

Verum, quia quidam cum doctissimo Ambrosio, illud inter fulgur et fulmen constituunt discrimen, quod fulmen est telum, quod in terram decidit, fulgur vero, lux, seu splendor illius, qui repente, et inopinate apparet, facile ostendam, beatam Virginem Christum parientem, nubem esse, ex se utrumque emittentem. Et quidem cum Christus Dominus *sit splendor Patris,* ut loquitur d. Paulus (*Hebr.* 1), *et lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum,* ut ait d. Ioannes (c. 1), et b. Virgo conceperit, et pepererit Christum; consequens est, lucem hanc increatam, et splendorem Patris produxisse: unde s. Epiphanius (*praec. loc.*) ad beatam Virginem haec verba dirigit: *O Virgo sancta, lucis aeternae mater, lucis, inquam, quae in coelis illuminat copias angelorum: lucis, quae illuminat solem splendidis facibus: lucis, quae fines terrae illuminat ad credendum Trinitati: lucis, quae dixit: ego sum lux mundi.* Unde merito mihi videtur praefigurata b. Virgo per fontem solis, de quo (*Ios.* 15), aut per solis civitatem, cuius meminit Isaias (*cap.* 19): *Civitas solis vocabitur,* una scilicet Maria unice a Deo dilecta, quae Solem iustitiae, instar fulguris coruscantis parturivit. Deinde Christus Dominus fulmen est; etenim sicut, ut philosophi docent, fulmen constat partibus igneis, quibus in sublime tendit, et partibus terreis ignea illa natura deprimitur ad terram, ita Christus Dominus, cum pariter sit Deus, et homo, constat igne divinitatis, et terrestri materia humanitatis, per quam ignea illa deitatis natura tunc ad terram usque depressa est, cum Verbum caro factum est. Ex eo etiam fulmen esse perhibetur, quia instar fulminis conterit, et dissipat inimicos suos, ipso dicente (*Matth. cap* 21): *Super quem vero ceciderit, conteret eum:* et David (*Psalm.*2): *Tanquam vas figuli confringes eos:* et d. Paulus (2. *ad Thess.* 2), Antichristum *Interficiet spiritu oris sui.* Quod et vaticinatus fuerat Isaias (*c.*11) cum dixit: *Percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium.* Quare d. Leo (*serm.* 1. *de Pass.*) acute dixit: *Illud Christi verbum ego sum: manum illam ex ferocissimis congregatam, quasi quodam fulmineo ictu stravit, atque percuit, ut omnes illi atroces, minaces, atque terribiles retroacti corrue-*

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN

rint, quidnam poterit maiestas eius iudicantis, cuius hoc potuit humilitas iudicanda? Quibus non dissimilia sunt illa d. Augustini (*serm.* 30) dicentis: *Quid erit tribunal iudicantis, quando superbos reges cuna terrebat infantis?* Cum hunc ergo infantem Maria enixa sit, non solum nubes, ex qua fulgur, sed ex qua fulmen pariter prodierit, esse comprobatur. Refert Pierius Valerianus, secunda, ac felici fortuna Alexandrum demulcente, praecepisse ipsum peritissimo illi pictori Apelli, ut imaginem eius ad vivum exprimeret; ea tamen arte, et industria, ut non solum externa corporis delineamenta, sed et internas animi eius virtutes adamussim imago illa referret: difficultatem huius provinciae alta cogitatione perpendens Apelles, post multa, ac diversa ab eo cogitata, quae in varias sententias illum trahebant, tandem in hanc incidit animi conceptionem: Alexandri imaginem ad vivum depinxit, manu fulmen tenentem. Videbitur forsan alicui satius fuisse devictas ab eo urbes, aut triumphos propter partas victorias, aut capita regum praecisa, aut regias coronas, quas a principum mundi capitibus evulserat, vel certe vexilla capta, aut similia alia spolia iuxta Alexandri imaginem depinxisse; at sapientius multo ille fecit, cum ad exprimenda interna Alexandrini animi ornamenta, fulmen in manu sua illum tenentem depinxit, tum quia, sicut fulmina mittere proprium Dei solius opus est, iuxta illud Ovid. Nason. (*lib. de Pont.*):

> Iupiter in multis temeraria fulmina torquet;

ita acerrimos hostes profligare, ac universum orbem sibi subiugare, argumentum erat divinae cuiusdam fortitudinis, et potentiae in Alexandro latentis: tum quia, sicut fulmen ea praeditum est innata virtute, ut sonus, et fragor eius ad longa audiatur intervalla, et audientes ingenti pavore contremiscere faciat, ita heroica Alexandri gesta adeo insonuerunt, ut Spiritus sanctus (*lib.* 1. *Machab. cap.* 1) dicat: *Siluit terra in conspectu eius*: ac si diceret: nullius, nisi Alexandri arma perstrepebant, nullius, nisi Alexandri bellica instrumenta personabant. Hectores, Achilles, Hercules ante illum audiebantur; Alexandro tamen imperante, omnes hostes obmutuerunt. Siluit terra in conspectu eius. Etenim, ut (*ibid.*) ait sacer Textus: *Constituit praelia multa, et obtinuit omnium munitiones, et interfecit regiones:* quod perinde fuit, ac si diceret, ut Glossa ibi adnotavit, cruenta bella gessit, superavit Darium, dimicavit acriter contra Thracios, et contra Corosmos, et eos, qui habitabant ad radices montis Caucasi, superavit et profligavit. Non dissimiliter haec in beatam Virginem convertens, mihi fecisse videtur sanctus Methodius martyr, dum volens Deiparam ad vivum depingere, nubem fulgurantem illam appellavit, sub qua eleganti metaphora multa latent beatissimae Virginis praeconia, a me nunc decantanda.

Et quidem in primis sicut sonus fulminis longe lateque diffunditur, ita nullus est despectus adeo orbis angulus, ubi heroica beatae Virginis facinora non personent, iuxta eius vaticinium (*Luc.* 1): *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Antequam sacra haec nubes fulguraret, antequam Christum pepelisset, aliae insignes foeminae personabant, quarum praeclara virtus omnes in admirationem rapiebat: invicta castitas Lucretiae audiebatur, Semiramidis animositas, Amazonarum bellica fortitudo, Sibyllarum sapientia undique diffundebatur; postquam tamen Mariana nubes Christum fulmen coeleste in orbem emisit, siluit terra in conspectu eius, omnia illarum foeminarum heroica facinora conticuerunt: quia in comparatione virtutum beatae Virginis dotes illae ethnicarum mulierum, vilia merito censeri debent. Unde d. Hieronymus commendatis, non ethnicis, sed sanctissimis veteris testamenti foeminis, subiunxit: *Taceo de Anna, et Helisabeth, et ceteris mulieribus, quarum, velut syderum igniculus clarum Mariae lumen abscondit.* Quid plura? B. Virgine fulgurante, ac coeleste filii sui fulmen in orbem immittente, famosum Delphici Apollinis oraculum continuo obmutuit, non secus ac apparente aurora solis nuncia, nocturnae aves conticescunt. Hoc autem Delphici Apollinis silentium Iuvenalis cecinit (*Satyra* 6):

> Cessant oracula Delphis;
> Sed siluit, postquam reges timuere,
> Et superi ei metuere loqui.

Strabo etiam (*lib.* 9) idipsum confirmans dicit: *Hodie profecto summa in mendicitate est Delphicum oraculum.* Huius autem silentii causam ipse daemon in Apolline divinitus compulsus, reddidit Augusto Apollinis studiosissimo, seque a Christo adhuc infante in tartara exactum plane confessus est; quemadmodum docent Svidas (*in Augu.*), Cedrenus (*in comp.hist.*), et Nicephorus (*lib. hist. cap.* 17), cuius verbis rem gestam narrabo: *Caesar, inquit, Augustus provectiore iam aetate ad oraculum Pythii Apollinis venit, et sacrificio omnium maximo, quod Hecatombe dicitur, daemoni oblato, quaesivit, quisnam post eum Romanum administraturus esset Imperium; at cum nullum ei daretur responsum, alterum quoque adiecit sacrificium, denuoque rogavit, quid ita oraculum pluribus verbis uti solitum, nunc tandem obmutuisset; tum illud, parva interposita mora, ad hunc modum respondit:*

> Me puer Hebraeus divos Deus ipse gubernans
> Cedere sede iubet, tristemque redire sub orcum.
> Aris ergo dehinc tacitus abscedito nostris.

Verum, non solum cum beata Virgo instar nubis fulgurabat, sed prius etiam, cum iam iam tempus approximabat, ut fulmen suum mitteret in terram, Delphica oracula siluisse affirmat Cicero (*lib.* 2. *de div.*), qui quadraginta propemodum annis ante conceptionem Christi in utero virgineo vixit, eiusque rei causam, quam nonnulli afferebant, merito irridet his verbis: *Cur isto modo iam oracula Delphis non eduntur, non modo nostra aetate, sed iam diu, ita ut nihil possit esse contemptius, hoc loco cum urgentur, evanuisse aiunt vetustate, cum loci eius, unde anhelitus ille fieret, quo Pythia mente incitata oracula ederet, de vino aut salsamento putes loqui, quae evanescunt vetustate;* haec ille.

Deinde sicut fulmen omnia ea, quae sibi resistunt, confringit, conterit, dissipat, et in favillas saepe convertit; ita b. Virgo instar nubis ex se Christum, velut fulmen contra diabolum mittens, caput eius contrivit: impium Nestorium, matrem Dei esse abnegantem, a vermibus praecepit linguam eius dilacerari, et corrodi, ut tradit Nicephorus (*lib.* 14. *histor. c.* 36). Celebris fuit apud antiquos, et magni habita Cleopatra, eo quod non contenta obtinuisse regna Syriae, et Arabiae, tentavit Romam debellare, ut Romanorum Regina fieret, ut Propertius cecinit (*lib.* 3), licet subobscuris verborum involucris:

> Ausa Iovi nostro latrantem apponere Anubim.

Quod perinde est, ac si diceret: eo audacia eius pervenit, ut stemmata Romanorum prosternere, et loco illorum sua substituere tentaret. Vel aliter, tantae audaciae fuit, ut in templum Romanorum, ubi Iupiter adorabatur, illo contrito ferocem canem, cui cultum illa deferebat, immittere satageret; at potentia, et plusquam virilis b. Mariae fortitudo longe commendabilior est, cum non solum tentarit, sed reipsa obtinuerit, rabidum diaboli canem a templo Ecclesiae exterminare, et loco illius mansuetum Dei Agnum, Deum verum, et hominem Christum Iesum colendum, honorandum nobis proponere, etc.

Ad haec, illa est fulminis notissima proprietas, cuius meminit Plinius (*lib.* 1. *cap.* 35), ut omnem materiam sibi resistentem penitus absumat, cedentem vero illi indemnem relinquat: unde experientia compertum est, ut ibidem ait Plinius *Fulmen pecuniam, et ferrum ensis confringere, et in cinerem convertere, marsupio, et vagina illaesis manentibus.* Ad eundem modum beatissima Virgo, filii sui ingenium imitans, superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, etc.

Quid plura? Berchorius (*lib.*6. *Reduc. mor. cap.* 27) ait, quod fulmen percutiens animalia venenosa, venenum adimit ab eis, et continuo vermescere facit, cum alioquin venenosum animal, cum interiit, vermes non gignat; non secus Deipara Virgo, cum videt famulatui eius addictos in via retrocedere, divinam legem transgredientes, temporalis tribulationis fulmine eos feriens, peccati venenum in eis absumit, et illos vermescere facit, hoc est, ad agnitionem sui trahit, ut cognoscant, se vermes tandem convertendos; sic enim mortis timore conterriti, a vitiis se abstinent. Unde (2. *Mac.* 9) dicitur: *Coepit ad agnitionem sui venire, divina admonitus plaga;* plaga autem fuit vermium, ut sacer Textus ait: *Ita ut de corpore impii vermes scaturirent;* tunc quidem ad se reversus, in illa prorupit verba: *Iustum est subditum esse Deo, et mortalem non paria Deo sentire.* Et licet divino illo lumine illustratus non resipuerit, sed obstinatus adhuc interierit, hoc tamen non fuit ex defectu agnitionis: in hanc enim vermium plagam iam illum induxerat, sed ex inveterata, et radicata malitia sua, etc.

Ad extremum Pierius Valerianus (*libr.* 43) refert, Ægyptios ad clementiam, et beneficentiam exprimendam, solitos fuisse, fulmen in molli thoro iacens depingere; etenim cum fulminantem Iovem existimarent, qui in delinquentes, ut quidam poetarum dixit:

> Fulmineo saepe sine igne tonat;

quando iram eius, vel mitigatam, vel a vindicta quiescentem, et quasi dormientem volebant; fulmen in mollibus pulvinis substrato thoro pingebant: nam certe qui in lecto cubant, vel mollitudine resolutos, vel certe quietis, aut somni gratia se recumbere testantur. Itaque fulmen in lecto collocatum, vim illam coelestem, ac divinam ad exterrendos, et castigandos homines placatam, et quiescentem, vel certe quasi dormientem innuit: non dissimiliter Christus Dominus in molli thoro virginei uteri recubans, praeclarum mihi symbolum videtur divinae iracundiae, per beatam Virginem placatae, ac reconciliationis, et pacis inter Deum et homines per intercessionem eius initae. Ad quod respiciens d. Ioannes Damascenus (*orat.* 1. *de nativ.*) eleganter dixit: *Quia universa terra in foedissimam sese provolverat libidinem, ac Domini populus a Domino Deo suo aberraverat, factusque fuerat populus Domini, non populus ipsius, et qui misericordiam consecutus, non misericordiam consecutus, et qui dilectus, non dilectus; ob eam causam nunc beata Virgo priscae praevaricationis adversaria patitur, ac Deo despondetur, Deique misericordiam parit, atque populus Dei efficitur, qui prius populus non erat, et qui prius misericordiam minime consecutus fuerat, misericordiam nanciscitur; et qui prius non dilectus erat diligitur;* hactenus divus Ioannes Damascenus.

Ad eandem etiam Dei reconciliationem cum hominibus per beatae Virginis intercessionem respiciens sanctus Bernardinus Senensis (*tom.* 3): *Ipsa est arcus foederis sempiterni, ut non interficiatur omnis caro, quia illum genuit, qui fecit utraque unum; faciens pacem, ut reconciliet ambos.* Quibus sane videtur mihi allusisse ad coelestem arcum, qui praeterquam quod chorda, et sagittis caret ad feriendum, symbolum pacis, et confoedarationis semper fuit: unde (*Genes.* 9) Dominus dixit: *Arcum meum ponam in nubibus, et erit signum foederis inter me, et non erunt ultra aquae diluvii super terram ad delendam omnem carnem.* Unde sicut ibidem Dominus dixit: *Videbo arcum meum in nubibus, et recordabor foederis sempiterni;* ita intuens Deus coelestem hunc arcum Deiparae Virginis, memor pacti cum beata Virgine initi, quoscunque a se aversos, sibi placeret ei reconciliare, misericorditer suscepturum; neminem, quantumcunque peccatorem respuit, qui tantae matris patrocinium invocat; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XIII.

In eadem verba: Beatus venter, qui te portavit, *Virginis Deiparae venter nido comparatur, quem alcedines, seu, ut alii volunt, halcyones aves fabricant.*

Salomonis celebris est illa sententia (*Prov.* 7), quam filio b. Virginis apte convenire arbitror: *Sicut avis transmigrans de nido suo, sic vir qui dereliquit locum suum.* Etenim sicut illa mutatio nidi nociva est volucri, ita cum Filius Dei de nido paterni sinus descendit ad nidum materni uteri, tot ac tam importuna incommoda suscepit, ut inter angustias etiam virginei thalami illa experiri inciperet, ut non obscure indicant verba illa Ambrosiani Cantici: *Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum.* Certe nisi illis angustiis, qui vir erat, et usu rationis praeditus, premeretur, non erat cur exhorresceret immaculatum b. Virginis uterum. Ut autem fabricam Mariani huius nidi, quem sibi Dominus ad habitandum per integros novem menses construxit, altius repetamus, placet in memoriam revocare, quae de avibus alcedinibus tam sancti Patres, quam naturales historiographi commemorant. In primis Alciatus (*embl.* 178) tradit, halcyonem nidum suum extruere ex spicis, et teneris intertextis palmitibus vitis:

Grandibus ex spicis tenues texere corollas
Quas circum alterno palmite vitis eat.

Mirabile certe est, quod cum reliquae volucres ex ramis, paleis et foliis suos aedificent nidos, alcyon tamen ex spicis illum construat. Illud sane inter pleraque alia Virginis encomia non ultimum locum tenet, quod cum primordia nidorum reliquorum hominum sint humilia, immo et turpia, utpote peccati originalis luto deturpata, Marianus tamen nidus, quem Dominus sibi fabricavit, a principio foecundissimis meritorum spicis exornari coepit. Etenim, ut noster s. Bernardinus Senensis docet, qui postquam dixerat: b. Virgo, etiam dum erat in utero matris, habuit usum liberi arbitrii; postea subdit, anima sua libere, ac meritorio actu, tunc tendebat in Deum. Reliquis omnibus accidit, quod agris, quibus uno tempore semina arantur, et alio illi fructus reddunt. At in beatissima Virgine simul atque Deus in instanti suae conceptionis, divinae gratiae, et reliquarum virtutum semina in ea iecit, continuo illa meritorum copiosissimas spicas, tanquam fructus protulit. Cuius rei figura mihi praecessisse videtur in Esther, de qua (*Esther* 2) dicitur: *Placuit ei,* nimirum Assuero, *et invenit gratiam in conspectu illius, et praecepit eunucho, ut acceleraret mundum muliebrem, et traderet ei partes suas, et septem puellas speciosissimas de domo regis, et tam ipsam, quam pedisseequas eius ornaret, atque excoleret:* ita Deus Virgini, quam in futuram matrem elegerat, mundum, seu ornatum muliebrem acceleravit, in ipsa conceptione conferens ei divinae gratiae ornatum, et septem speciosissimas pedissequas, id est, virtutes septem: tres theologicas, et quatuor morales, quibus libere posset uti. Ad idem etiam facit illud (*Proverb.* 9): *Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem:* hoc est Christus Dominus, Sapientia Patris aedificavit sibi domum septem virtutibus, seu septem donis Spiritus sancti suffultam. Quod autem ait, aedificasse illam sibi, idem est, ac si dixisset, in proprium usum, et in propriam utilitatem illam extruxisse, instar avis nidificantis. Observavi, quod inter praeclara multa, quibus b. Virginem exornat sanctus Iacobus apostolus in sua Liturgia, quam Proclus mirifice celebrat, et sexta Synodus generalis libenter acceptat, ut refert Ferreolus de Maria; illam compellat paradisum spiritualem: qua etiam appellatione postea usi sunt s. Ephrem (*orat.* 2. *de Deip.*), d. Ioannes Damascenus (*orat.* 2. *de dorm. b. Virg.*), d. Ambrosius (*in Psal.* 1), d. Bonaventura (*in spec. Virg. cap.* 5), nec non et Rupertus (*lib.* 4. *in Cant.*). Omissis tamen multis, quae ille de paradiso terrestri b. Virgini accommodat, et fuse prosequitur: quomodo nimirum Virgo sit novus paradisus, non terrestris, sed coelestis, a Deo plantatus, et quomodo in ea formaverit hominem, cum in ea Verbum caro factum est, et in cunctarum germina gratiarum, et omnium exemplaria virtutum, ipsum etiam Christum germinarit, qui est lignum vitae: quomodo item ex ea fluvius egressus est, cum Iesus ex ea nascens, et ex thalamo eius foras, instar fluvii laetificantis Civitatem Dei prodiens, divisus est in quatuor Evangelia: his inquam, et aliis similibus omissis, illud solum observo, ut ad praesens argumentum spectat, inter paradisum, et reliquos hortos, hoc interesse manifestum discrimen, quod nullus unquam hortus hominum industria consitus, a principio suae conditionis fructifer fuit; paradisus autem voluptatis, quem Deus condidit, ab initio ferax fuit, dulcissimos fructus proferens: hoc idem discrimen inter reliquos sanctos, et b. Virginem reperio, quod illi ab initio suae conceptionis non fuerunt fructiferi, imo infoecundi, et steriles, non aliud, quam peccati originalis sentes et tribulos germinantes; at beatissima Virgo ab instanti suae conceptionis, quia paradisus erat secundo Adamo destinatus, semper fructifer fuit, dulcissimos reddens suo Conditori meritorum fructus, ut proinde merito dicamus, Christum Dominum, instar avis halcyonis ex spicis, quae fructuum copiam symbolice praeferunt, nidum suum extraxisse.

Quod autem Alciatus praecitato loco ait, hanc avem nidum suum aedificare non ex spicis minimis, sed magnis, grandibus ex spicis, ad magnitudinem meritorum b. Virginis refero. Ut enim, cum Dominus elegit Saulem in regem, sacer textus ait (1. *Reg.* 9): *Ab humero, et sursum eminebat super omnem populum;* elegerat quidem illum in caput totius populi, et sic toto capite volebat, ut reliquos excederet, et supereminerel: ita cum Deus elegisset beatam Virginem, in reginam non solum hominum, sed et angelorum, imo, et in matrem suam; consequens erat, debere magnitudine meritorum omnes longe transcendere. Atque hinc est, ut sacra eloquia (*Cant.* 7) dum singula b. Virginis membra in Sunamite adumbrata describunt, ea assimilant rebus quibusdam sua magnitudine incomparabiliter excedentibus humani corporis mensuram, et membrorum eius compaginem: *Collum,* inquit (*Cant.* 7), *tuum sicut turris eburnea; oculi tui, sicut piscinae in Hesebon; nasus tuus, sicut turris Libani; caput tuum, ut Carmelus; statura tua assimilata est palmae,* quam constat inter arbores maxime proceram esse. Consulto Spiritus sanctus exiguas has partes virginei corporis cum rebus magnitudine molis praestantibus componit, ut merita b. Virginis, et praeclaras eius dotes magnitudine virtutis reliquis omnibus praestare demonstret. Unde qua proportione mons Carmelus, cui Marianum caput comparat, cuiuslibet hominis, imo et innumerabilium capita magnitudine excedit; ita Deipara meritorum excellentia reliquos omnes sanctos simili proportione superat. Unde d. Bonaventura (*in spec. Virg. cap.* 2) postquam dixerat, Deum praeparasse Mariae magnam gloriam in coelo, subdit: *Ut sicut fuit grandis in merito, ita etiam grandis esset in praemio.* Quare ipsa est thronus ille grandis, de quo dicitur: *Fecit rex Salomon thronum de ebore grandem:* thronus veri Salomonis est Maria, grandis omnino in gratia, et in gloria; sed quomodo non grandis, cum grandibus ex spicis divinus Alcyon Christus Dominus Mariam, tanquam proprium nidum sibi aedificaverit?

Porro, nec silentio praetereunda puto praeclara illa Alciati verba:

Tenues texere corollas:

quibus significat, hanc avem nidum suum extruere ex intertextis spicis cum teneris vitis palmitibus in modum coronae. Unde modus aedificandi eius est, ut ex illa duplici materia primam coronam conficiat, et super illam aliam apponat, et sic coronas coronis adiungeas, totum fabricet nidum. In eo autem valde excedit beata Virgo omnium sanctorum coetum, quod illi non erant in continuo motu merendi, nec semper meritorum coronas sibi fabricabant; b. autem Virgo, nec per momentum ab amore dilecti sui cessabat, sed magis, ac magis in divina dilectione continuo flagrabat, ut expresse docuit s. Bernardinus Senensis (*tom.* 2. *serm.* 51. *art. c.* 3. 2.) dum dixit: *Mens beatae Virginis in ardore dilectionis continuo tenebatur,* ac si diceret: licet reliqui omnes amores interruptionem patiantur; actualis tamen amor beatae Virginis semper fuit continuus, et nunquam interruptus. Quod verum adeo putat, ut etiam dum corpus dormiret, pariter animum eius evigilasse, nec ab amore per momentum destitisse existimari, iuxta illud (*Cantic.* 5): *Ego dormio, et cor meum vigilat.* Hoc sane modo coelestis Alcyon nidum suum fabricabat, merita meritis, et coronas coronis continuo adiungendo: quod non obscure mihi significasse videtur Sponsus, cum dixit ei (*Cant.* 4): *Emissiones tuae, paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus.* Certe cum plures arborum fructus suaviores multo malis punicis agnoscamus, carere non potest mysterio, quod Sponsus comparaverit sponsae opera malis punicis: *Emissiones tuae, sicut paradisus malorum punicorum.* Arbitror, consulto id fecisse ad significandum, illud interesse inter beatam Virginem, et reliquos sanctos, quod inter mala punica, et reliquos fructus: quod sicut illa ab initio suae generationis corona exornantur, et quamdiu in arbore consistunt, tamdiu corona eorum augetur, usque ad debitum ei augmentum, alii vero fructus coronis carent; ita omnia, et singula beatissimae Virginis gesta, quia charitate semper erant informata, quae corona est omnium virtutum, quot opera faciebat, tot coronas acquirebat: aliorum vero sanctorum opera non semper erant meritoria, immo quandoque demeritoria, quia venialiter peccaminosa. His adiungo, incessabilem adeo fuisse beatam Virginem Deiparam in acquirendis coronis per actus charitatis, ut sanctus Antoninus ex Alberto Magno, consulto probet, charitatem beatae Virginis incessabilem magis fuisse, quam ipsorum seraphinorum fuerit charitas: verba eius sunt haec: *Incessabilitatem habuit beata Maria super seraphim, quod sic probat Albertus: Magis incessabile est, quod non cessat, nec potest modo cessare, nec unquam potuit cessare, quam quod non cessat, nec potest cessare, sed tamen potuit aliquando cessare: sed charitas seraphim, etsi non potest modo, potuit tamen aliquando cessare, scilicet in prima eorum conditione, quod per exemplum luciferi, qui secundum beatum Gregorium supremus fuit de ordine seraphim, qui tamen a charitate sibi collata, cecidit de coelo; sed charitas beatae Mariae nunquam potuit cessare, quod ostenditur per hoc, quia charitas non potest cessare, nisi per mortale peccatum: sed b. Virgo nunquam potuit peccare mortaliter, quia in utero sanctificata, antequam posset peccare, per ipsam sanctificationem ita fuit confirmata in gratia, et charitate, quod post ea peccare non potuit etiam venialiter; unde nec amittere charitatem, quod tamen potuerunt seraphim agere, et de facto aliqui amiserunt, scilicet lucifer cum suis; ergo b. Maria in hoc omnes excellit.*

Hinc fit, quod cum ex variis coronis nidus halcyonis constet, figura eius sit rotunda, ad quod respiciens Helianus (*de historia animal. libr.* 1. *cap.* 37) dixit: *Leniter in figuram rotundam subtexit.* Certe figura rotunda, eo quod undique clausa sit, virginalem clausuram beatae Mariae refert, et symbolum etiam munditiae apud veteres semper extitit, teste Virgilio in epigrammate de viro bono: cuius ratio est, quia figura circularis angulis caret, in quibus sordes facile delitescere solent. Illud etiam circuli proprium nemo ignorat, si perfectionem sphaericam habet, necesse esse in eundem punctum, a quo incipit, desinere, seu finiri; in quo magnum illud discrimen mihi detegitur inter beatam Virginem, et reliquos homines mortales, etiam insigni sanctitate conspicuos,

quod in illis non est idem principium, et finis, quia non incipiunt in eo, in quo desinunt, in gratiam enim desinunt; incipiunt tamen in peccato, iuxta illud Davidis (*Psalm.* 50): *In peccatis concepit me mater mea;* at b. Virgo, nidus rotundus, et circularis, instar Halcyonis, coepit in gratia concepta, et finivit in gratia mortua, quae duae gratiae factae sunt una intensior, ut proprie idem punctus huius mystici circuli sit principium, et finis eius. Atque hanc eandem b. Virginis excellentiam confirmat, quod idem Helian. (*praecit. loc.*) dixit de eodem halcyonis nido: *Neque per ipsum nidi os quidquam ex mari influere potest, illud enim speciale habet nidus huius avis, quod inter medios aquarum gurgites, neque unica salsi maris gutta in eum subintrat.* Etenim cum Deus nidum matris suae fabricasset, non inter angelos, quia, ut Apostolus (*Hebr.* 2) dixit: *Nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit;* necesse erat, nidum hunc inter amaras huius saeculi fluentes aquas fabricaret; eo tamen divino artificio, instar halcyonis, illum condidit, ut neque peccati originalis amaritudo, imo nec unica etiam levissimi peccati venialis gutta in eum aditum haberet. Contigit sane illi, quod Christus Dominus dixit (*Lucae* 6): *Inundatione facta, illisum est flumen domui illi, et non potuit eam movere:* etenim, cum peccati originalis universalis inundatio in omnes fideas domos irrueret, ita tamen divinus Halcyon domum suam praemunivit, ut illidens in eam inundans flumen peccati originalis, nullum ei nocumentum inferre potuerit: illisum est flumen domui illi, et non potuit eam movere.

Ad haec idem Helianus praeallegato loco de nido halcyonis duo praeclara dicit, quae in beatam Virginem mirifice conveniunt. *Os,* inquit, *nidi non plane conspicuum, et in accessum solum illum suscipere potest.* Certe, quomodo Verbum aditum sibi fecerit in viscera b. Virginis, et ibi carnem assumpserit, non solum humanae menti non est perspicuum, sed et angelico intellectui obscurum: adeo ut daemon, quantumcunque perspicacissimi ingenii, frequenter vacillaret, an sub humana Christi carne divinitas latitaret. Unde non ausus est illi dicere nisi dubitans, et sub conditione (*Matth.* 4): *Si Filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant:* quod autem nidus halcyonis solum illum suscipere posset, quis non videat, id multo ante vaticinium Ezechielis praenunciasse, cum dixit (*c.* 44): *Porta haec clausa erit, et non aperietur, et vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam:* nam per hanc portam clausam d. Ambrosius, et divus Hieronymus, et alii Patres integerrimam Virginem intelligunt, a qua Christus Dominus conceptus, et natus virginalem matris clausuram non violavit, sed potius magis constabilivit: ad quod alludere mihi videntur verba Davidis (*Psal.* 147): *Quoniam confortavit seras portarum tuarum.*- Alii quidem, cum nascuntur, seras confringunt materni claustri; Christus autem non sic, sed potius confortavit. Unde eleganter d. Fulgentius (*serm. de laud. b. Mar.*) ad id respiciens dixit: *Iesus post transitum suum illaesam fecit Virginem permanere: qui enim ditrupta corporum membra in aliis poterat integrare tangendo, quanto magis in sua matre, quod invenit integrum, potuit non violare nascendo? Crevit enim eius partu integritas potius, quam decrevit, et virginitas ampliata est potius, quam fugata.* Ecce divus Fulgentius ait, quod David, Christum confortasse potius, quam aperuisse seras materni uteri.

Addit deinde idem Helianus nidum halcyonis tanta fortitudine praeditum esse, ut neque ferro possit quispiam illum demoliri, *ut nec ferro,* inquit, *discindatur.* Verba haec a me extorquent, ut de invincibili b. Mariae fortitudine ad resistendum daemoni, et illum expugnandum nonnihil disseram. Suppono ad id, Christum Dominum per corpus suum, tanquam per arma, caput antiqui serpentis contrivisse, ut his verbis edixit s. Leo (*serm.* 1. *de nativit.*): *Omnipotens Dominus cum saevissimo hoste, non in sua maiestate, sed in nostra congreditur humilitate, obiiciens ei eandem formam, eandemque naturam mortalitatis nostrae participem, sed peccati totius expertem, ut inventor mortis diabolus, per ipsum, qua vicerat, vinceretur;* haec d. Leo: quibus consonant illa divi Augustini (*ser.* 176. *de temp.*) in hunc nidum loquentis: *Si nihil de nostro suscepit, nihil nobis praestitit: proinde charissimi, si non in nostra carne de diabolo triumphavit, se exercuit, non nos fuvit: si non in nostro corpore resurrexit, conditioni nostrae resurgendo nihil contulit; si non in nostra carne peregit medicinam, solam ergo, homine nascendo, elegit iniuriam: de nostro est, quod apprehendit, de suo est, quod donavit: meum textor esse, quod cecidit, ut meum sit quod resurrexit; meum est, quod iacuit intra tumulum, ut meum sit, quod ascendit in coelum;* haec ille. Cum ergo b. Virgo ex purissimis suis sanguinibus Verbum divinum carne induerit, manifestum est, eidem arma, quibus daemonem devicit, suppeditasse: hac enim ratione comparatur a Sponso (*Cant.* 4) turri David, quae aedificata est cum propugnaculis, de qua ait: *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* In hac ergo turri, armis onusta, Dei Filius armavit se ad fortem armatum daemonem, ut ipse loquitur, expugnandum: quod praevidens regius Vates, dixit (*Psal.* 92): *Indutus est Dominus fortitudine, et praecinxit se virtute:* quod perinde fuit, ac si diceret: induit se Dominus humanitate decora, et speciosa, ac simul fortissima, qua ad hostes debellandos se munivit.

Quare, sicut qui arma porrigit ad necem alteri inferendam, necis particeps dicitur; ita beata Virgo, quia Christo arma suppeditavit ad caput daemonis conterendum, merito huius victoriae particeps censeri debet: sicut e contra mortis humani generis particeps censetur Eva, eo quod pomum Adamo porrexerit, quo ille vescens totum humanum genus interemit. Placet hoc ipsum ex his, quae narrat Plinius (*lib.* 7. *cap.* 2) obiter illustrare. Meminit ille Marsorum, qui erant quidam gentium populi descendentes a Marso filio illius Circis, regis Sarmaturum uxoris, sororisque Aetae Colchorum regis, quem divus Augustinus, magnum famosissimum vocat, quod eius incantationes famosissimae sint apud Homerum, Virgilium, Theocritum, et alios poetas. Haec filium suum Marsum ita suae incantationis, et unctionis viribus munivit, ut nullatenus contra eam possent vel aspides ipsae praevalere, omniumque serpentum venenum enervabat. Quamvis autem Circis unctiones, et incantationes, ut ait divus Augustinus (*lib.* 11. *sup. Gen. ad liter. cap* 28) non laudamus, ex illis tamen similitudinem trahimus, sicut Christus ex iniquo Iudice similitudinem construxit (*Lucae cap.* 18), ut loco nuper citato idem s. Doctor scite adnotavit. Si igitur Christus Dominus non Circis incantatricis, sed Virginis sanctissimae filius, in eius visceribus genitus, et inde arma capessens, ita unctione Spiritus sancti fuit munitus, ut libere posset cum antiquo serpente congredi, a quo nullatenus posset laedi, sed ab alios laedendos inermis, et impotens maneret.

Sed non opus habemus his profanis monumentis, cum praeclaro exemplo Iacob patriarchae id in laudem beatae Virginis confirmare liceat. Hic (*Genesis cap.* 34) loquens cum Ioseph filio suo, de praedio quod habebat in Sychimis, id quod filii quamvis ipso inscio fecerant, sibi tribuere non dubitat: *Do,* inquit, *tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhaei in gladio et arcu meo;* cum non tamen suo, sed Simeon, et Levi gladio fuisset, ut patet (*Genes. c.* 34). Nam et Ulysses, licet quoque nobis ratiocinationis nostrae efficacitatem ex profanis auctoribus confirmare, quod Achilli alieno habitu delitescenti, arte sua deprehenso, arma tantum sumere, et ad bellum Troianum proficisci persuaserint, eiusdem egregia apud Troiam facinora, et ipsam Hecloris caedem sibi ascribere non veretur; sic enim contra Aiacem in illo Graeciae ducum consensu, cum Achillis arma sibi deposceret, de Achille loquentem induci Poeta:

Iniecique manum, fortemque ad fortia misi:
Ergo opera illius, mea sunt; ego Telephon hasta
Pugnantem domui; victum, orantemque reliqui.
Quod Thebae cecidere meum est, an me credite Lesbos;
Me Tenedos, Chrysenque, et Cilla Apollinis Urbes.
Et Scyron cepisse; mea concussa putate
Praenubisse solo Lyrnesia moenia dextra.
Utque alios taceam, quis saevum perdere posset
Hectora? nempe dedi, per me iacet inclytus Hector.

Si ergo Ulysses, quod solum Achillem conciliatus fuisset, ut arma capesseret, et ad bellum Troianum se accingeret, eius praeclara facinora, ac hostium victorias sibi tribuendas putat: quanto magis Deiparae Virgini victoria de satana a Christo reportata tribuenda erit, quae non solum consilio, sed et ipsius etiam opera Christum nobis genuit, eique carnem tribuendo arma ad daemonis caput conterendum subministravit? Tanta igitur b. Virginis fortitudo esse perhibetur, ut non solum a daemone calcaneo eius illi frequenter insidiante laedi ulla ratione non potuerit, sed et illum fortem adeo, ut Iob dicat: *Non est fortitudo in terra, quae comparetur ei,* gloriose devicerit, et caput contrivertit, iuxta antiquum Dei vaticinium: *Ipsa conteret caput tuum.* Ecce quanta fortitudine praeditus sit nidus coelestis halcyonis; de quo melius sane quam de illo dici potest: nec ferro sciindetur.

Ad extremum illud in ore omnium versatur, quod s. Basilius (*in exam. homil.* 8), et s. Ambrosius etiam (*in exam.*) de halcyone dicunt, nimirum tempore partus mare alioquin variis tempestatibus agitari solitum, singulari tranquillitate fruitur, quae cum per 14. dies duret naturae dies illos tranquillos, dies halcyones appellare solent: verba d. Ambrosii omnia minutim describentis digna censui, quae hoc loco inserantur: *Halcyon est avis maritima, quae in littoribus factus suos edere solet, ita ut in arenis ova deponat medio fere hyemis: nam id temporis fovendis habet deputatum partibus, quando maxime insurgit mare, litoribusque vehementer fractus illiditur, quo magis repentinae placiditatis solemnitate avis huius elucceret gratia: nam, quum undosum fuerit mare, positis ovis, subito mitescit, et omnes cadunt ventorum procellae, flatusque aurarum quiescunt, ac placidum ventis stat mare, donec ova fovet halcyon sua: septem dies foetus sunt, quibus decurtis, educit pullos, illico alios septem adiungit dies, quibus enutrit partus suos, donec incipiant adolescere: tantum autem beneficium aviculae hanc divinitus sibi datum habet, ut suos quatuordecim dies nautici praesumptae serenitatis observent, quos et halcyonidas vocant, quibus nullos motus procellosae tempestatis horrescant.* Atque hinc poetae ansam fabulandi arripuerunt, Alcyonem filiam Aeoli fuisse, qui in gratiam filiae, dum illa in littore ova parit, et foetus educat, ventos inclusos servat.

Sed omisso hoc fabuloso commento, certe, quemadmodum, matre halcyone pariente, turbulentum mare quiescit, et furentes eius fluctus mansuescunt, ut eo tempore non tam mare aqueum, quam lacteum dixeris: ita tempore virginei partus, quando coelestis Halcyon Christus Dominus ex matris visceribus per nativitatem prodiit, summa pax in mundo vigere coepit, ut angelorum vox attestata est (*Luc.* 2): *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis.* Sane cum gentiles honorem, et gloriam Deo debitam ad Idola transtulissent, Psalmographo dicente (*Psalm.* 115): *Mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis foenum,* debitus honor, et gloria Deo deesse videbatur, terrae vero deerat pax cum Deo; Christus autem ex Maria natus reddidit gloriam Deo, et pacem hominibus: pacem, inquam, non solum temporalem, sed et spiritualem: etenim, quod ad illam attinet, apud historicos memoriae proditum reperimus, postremis illis temporibus Romanam Urbem, ipsumque imperium misero in statu fuisse propter immane bellum inter Iulium Caesarem, et Pompeium. Unde iustissima Scipionis Nascae querela illa est, quae felicitas in hac urbe nostra esse potest stantibus moenibus, ruentibus moribus? Facta erat Roma, velut nova Babylon, patens ad omnem improbitatem, et em-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nes omnium gentium errores recipiebat; at placuit Deo tandem hanc nubem malorum gratiae suae sole repellere: occisus Pompeius, qui prius quingentarum navium classi praefuerat, qui per triumphum duxerat, qui in aerarium plura centena talentorum millia intulerat: erat et eodem Dei iudicio interfectus Iulius primus Caesar, qui fastuosos Senatus Romani Imperium contempserat, et Pompeio debellato scripserat: Veni, vidi, vici. Itaque post tot incommoda, tantasque ruinas hoc beneficium Augusto Caesari reservatum est, ut pacem rebus omnibus compositis restitueret. Templum Iani clauderet in signum solidae pacis, et pene universi orbis Monarcha fieret: atque illo imperante, Christus nasceretur, qui pacem illam stabiliret. Unde quemadmodum, aquila adveniente, reliquae aves quiescunt, alasque demittunt, ita adveniente coelesti illa aquila, Redemptore nostro, omnes terrae principes quieverunt, et unusquisque, ut olim aetate Salomonis, pacifice sub sua ficu vivebat, ut ad literam impleretur illud (*Isa.*2) dicentis: *Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad praelium.* Hoc genus pacis tanti habebatur apud antiquos, ut ad significandam illam depingerent virginem quandam, manu cornucopiam tenentem: in cornucopia vero antiqui omnem abundantiam significabant. Hinc etiam Iulius Caesar in moneta imperii sui caduceum cum cornucopiae insculpi fecit: per caduceum olim pacem, et concordantiam significabant veteres, et per cornucopiae, ut diximus, rerum abundantiam; et eadem ratione Vespasianus imperator in moneta sui temporis signari voluit duas manus inter se unitas, et cohaerentes, a quibus manipulus spicarum procedebat; per manus coniunctas concordiam, per manipulum abundantiam significare volens.

Denique sicut discordia, et bellum omnium malorum origo sunt, scilicet bonorum direptionis, et patriae amissionis, et captivitatis, et mortis: sic e converso pax origo est, et aggregatio omnium bonorum. Non tamen coelestis Halcyon tranquillitatem et pacem temporalem, sed praecipue spiritualem induxit in terram, ut ipse per Aggaeum prophetam praedixerat: *Implebo domum istam gloria, et in loco isto dabo pacem:* erat enim hunc templum aeternae pacis, hoc est, coelestis paradisus, clausus, et ab eius ingressu exclusum genus humanum, quod praefiguraverat Dominus, quando eiecto Adamo, et Eva e paradiso terrestri collocavit cherubin, et gladium versatilem ad custodiendam viam ligni vitae; adventante autem Christo Domino, facta est tranquillitas, et pax inter Deum, et hominem, et fores coelestis paradisi iam patent, Apostolo dicente (*ad Rom.* 5): *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo:* et (*ad Ephes.* 2): *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.*

Est etiam et alia pax, cuius haec pax cum Deo origo esse perhibetur, nimirum, cum sibi ipsi homo pacatus est, qui a seipso antea acerrime dissidebat, dum aliud spiritus, aliud caro flagitabat, iuxta illud d. Pauli (*Galat.*5): *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem.* Haec etiam pax, nascente hoc divino halcyone, nobis donata est, ut his verbis adnotavit d. Hieronymus (*in cap.* 2. *Isaiae*): nam exponens locum illum: *Conflabunt gladios in vomeres, et lanceas suas in falces,* ait: *Hoc quidem spiritualiter intelligi potest, quando omnis duritia cordis nostri Christi vomere frangitur, et eradicantur spinae vitiorum, ut semen sermonis Dei crescat in fruges, et postea labores manuum nostrarum manducemus.* Et divus Ioan. Chrysostomus: *Quantam,* inquit, *abundantiam pacis nunc videmus, ut caro quae concupiscit adversus spiritum, subiugetur, et subiugati sint affectus carnales spiritui, sit abundantia pacis, donec tollatur luna, id est, finiatur omnis Ecclesiae praedicatio: Ecclesia enim luna dicitur, quae crescit in sanctis, decrescit in peccatoribus:* quibus persimilia sunt praeclara illa verba divi Augustini (*lib.* 1. *de serm. Dom. in monte*), qui exponens locum illum: *Beati pacifici,* inquit: *Pacifici in seipsis sunt, qui omnes animi motus componentes, et subiicientes rationi, et spiritui, carnalesque concupiscentias habentes edomitas, fiunt regnum Dei, in quo ita sunt ordinata omnia, ut id, quod est in homine praecipuum, et excellens, hoc imperet, caeteris non reluctantibus, quae sunt nobis, bestiisque communia, atque idipsum, quod excellit in homine, id est, mens, et ratio, subdatur potiori, Deo scilicet; et haec est pax, quae datur in terra hominibus bonae voluntatis, haec vita consummati, perfectique sapientis;* haec d. Augustinus.

Est tandem et alia pax, quae animorum unionem et concordiam importat, quam Christus Dominus toties inculcavit, et commendavit, ut exinde miram eius utilitatem deprehendere debeamus. Etenim praeterquam quod illo nascente pacem evulgavit, certe pacificos filiorum Dei illustri nomenclatura cohonestavit, dicens (*Matth.* 5): *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Discipulos illa salutatione uti praecepit (*Luc.* 19): *Pax huic domui.* Iturus ad crucem, quasi in testamento pacem discipulis donavit (*Ioan.*14): *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Post resurrectionem, ad discipulos clausis iannis intrans, illis verbis eos salutavit (*Ioan.*29): *Pax vobis.*

Certe ethnici non a Christo edocti, sed rationis solo lumine illustrati, ita pacis, et concordiae cultores fuerunt, ut merito nos Christiani eorum gesta audientes, verecundia erubescere deberemus. De Leone Bizantino memorat Erasmus, quod Philippo regi cum exercitu Bizantium properanti occurrerit. *Dic,* in quiens, *Philippe, quae causa te in urbem nostram impulit?* quo respondente: *Patriae tuae amor: atque,* ait ille, *non bellico instrumento, sed musico amantibus est opus.* Musonii scitum est, nullas nuptias sine concordia esse honestas, nullam societatem utilem, quod lepido exemplo idem Sophista Leo demonstravit. Venerat Athenas de pace verba facturus, et tumultuanti populo concordiam suasurus, cumque esset corpore pusillo, omnibus movit risum: ille occasionem fortuitam in procemium verteus: *Quid,* inquit, *viri Atheniensis, si conspiceretis uxorem meam, quae tam pusilla est, ut vix ad genua mea pertingat?* ad quam vocem maior obortus est risus: tum subiecit Leo: *At nos tam pusillo, si quando dissidemus, vix Bizantium capere potest.* Illaesum Sophistam memorat Plutarchus, cum Lacedaemonii de moenibus oppido suo circumducendis consultarent, Homericum versum recitasse:

Scutus haesit scuto, galeae galea, atque viro vir,

Et adiecisse:

Sic Lacedaemonii state, et muris cincti sumus.

Hinc Agesilaus rex percontanti, cur Spartana civitas muris careret, cives exhibuit armatos, et unanimes.

Africanus Scipio, cum Numantinos saepe victores tandem superasset, rogavit Tyresium principem Colticum, quomodo Numantia ita eversa fuisset, quae prius tot gentium victrix fuerat; cui Tyresius: *Pax et concordia civium eam victoriam; discordia tam praeceps exitium produxit.* Blond. etiam (*lib.* 2. *de Roma inst.*) refert, olim fuisse in monte Palatino templum concordiae dicatum, a Tiberio Caesare instructum, et iuxta eundem montem aliud magnificum templum aedificatum a Vespasiano in honorem pacis, quo nullum erat augustius delubrum. Quod si gentiles pacem, velut numen quoddam venerabantur; quanto aequius est, ut eandem nos fideles summo studio comparare laboremus, qui pacis auctorem Christum habemus; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XIV.

Deipara Virgo utero suo Christum gestans coelo comparatur, quo Deus sanctos beat, in eadem verba: Beatus venter qui te portavit, (*Lucae* 11).

Primum omnium arbitror fuisse Davidem, qui beatam Virginem coelum appellavit, dum (*Psal.* 18) dixit: *Tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultavit ut gigas ad currendam viam, a summo coelo egressio eius.* Etenim per coelum hoc loco intellexisse beatam Virginem, illud non obscure indicat, quod, postquam dixisset, Christum Dominum humanae carnis purpura ornatum, ex virgineo thalamo matris suae, instar sponsi processisse, continuo subiunxit, hanc processionem esse egressum a coelo (*ibi.*): *A summo coelo egressio eius.* Quibus verbis etiam insinuavit, Christum Dominum ex matris utero progressum absque ulla prorsus suae virginitatis iactura: nam sicut, cum quispiam eorum, qui in coelo habitant, e coelo descendit, ut in hac militanti Ecclesia ministerium aliquod exequatur, coeli ianuis clausis, et absque ulla eius divisione ab eo egreditur, ita et Christus a coelo Mariani uteri, clausa manente eius ianua, et absque ulla suae integritatis iactura prodiit. Hoc etiam perillustri coeli cognomine opinor divum Paulum appellasse beatam Virginem (1. *Corinth.*15), ubi, postquam dixerat: *Primum hominem de terra terrenum, secundum,* subiunxit, scilicet Christum, *de coelo coelestem* ipse autem alibi (*ad Gal.*4); appellat *illum factum ex muliere:* ergo mulier haec, ex qua formatus est secundus homo coelestis, mysticum quoddam est coelum: quamvis alioquin non me lateat in sensu literali, Apostolum appellasse Christum de coelo coelestem ratione Verbi, quod de coelo descendens in utero beatae Virginis, ex purissimo eius sanguine naturam sibi univit humanam.

Deinde Ecclesia catholica plane in officio natalis Domini b. Virginem coelum compellat, ex quo armatus prodiit Christus Dominus ad debellandas aereas potestates: *Cum quietum silentium tenerent omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus Domine de coelo a regalibus sedibus durus debellator in mediam exterminii terram prosiliit.* Accommodate satis Verbum divinum incarnatum sermo vocatur: tum quia sermo apud nos solet dici verbum vocale; sicut autem verbum vocale nihil aliud est quam verbum mentis, prout humana voce expressum, ita Christus nihil aliud est, quam Verbum aeterni Patris humana carne indutum: tum quia sicut sermo secundum latinorum rigorem importat orationem, quae ex pluribus vocibus coalescit; ita Christus Dominus suppositum est divinum, ex duabus constans naturis: ipse ergo, qui omnipotens sermo Dei est, daemone forti armato custodiente atrium suum, pacis silentio omnia possidente, ac idololatria universum fere orbem occupante, ex coelo uteri virginei media nocte prodivit ad profligandos hostes, et arma eius diripienda, iuxta illud (*Isa.*8): *Antequam sciat puer vocare patrem suum, et matrem, auferetur fortitudo Damasci.* Ac tandem Ecclesiae Patres beatam Virginem pleno ore coelum vocitant: ita loquuntur divus Epiphanius (*serm. de laud. Deip.*), sanctus Athanasius (*ser. in descript. sanct. Mar.*), s. Ioannes Chrysostomus (*ser. de Annunc.*), sanctus Methodius (*orat. in hypop. Dom.*), s. Augustinus (*ser.* 18. *de sanct.*), s. Bonaventura (*in spec. beat. Verg. cap.* 5) ubi ait: *Coelum est Maria, tum quia coelesti puritate, coelesti charitate, coelestibus aliis virtutibus abundavit, tum quia sedes Dei altissima fuit, teste propheta, qui dicit: Dominus in coelo paravit sedem suam:* et divus Ioannes Damascenus (*orat. sec. de dorm. beat. Virgin.*) inquit: *Virgo immaculata, cum esset animatum coelum, in coelestibus tabernaculis collocatur;* ac divus Bernardus (*ser.* 3. *sup. Salc. Reg.*): *Per coelum firmamenti dividentis aquas ab aquis,* quod (*Gen.* 1) initio creasse scribitur Deus, significatam ostendit his verbis: *Et opera manuum eius annuntiat firmamentum. Fiat,* inquit, *firmamentum, et dividat aquas ab aquis: omnibus firmamentis firmius firmamentum tu Domina, quae eum, quem coeli capere non poterant, concepisti, et concepisti, portasti, et non defecisti, genuisti, aluisti, pavisti, mammisti, et educasti, tu in medio aquarum divisisti aquas ab aquis, affectus videlicet aeternorum ab affectibus tempora-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

nes omnium gentium errores recipiebat; at placuit Deo tandem hanc nubem malorum gratiae suae sole repellere: occisus Pompeius, qui prius quingentarum navium classi praefuerat, qui per triumphum duxerat, qui in aerarium plura centena talentorum millia intulerat: erat et eodem Dei iudicio interfectus Iulius primus Caesar, qui fastuosos Senatus Romani Imperium contempserat, et Pompeio debellato scripserat: Veni, vidi, vici. Itaque post tot incommoda, tantasque ruinas hoc beneficium Augusto Caesari reservatum est, ut pacem rebus omnibus compositis restitueret. Templum Iani clauderet in signum solidae pacis, et pene universi orbis Monarcha fieret: atque illo imperante, Christus nasceretur, qui pacem illam stabiliret. Unde quemadmodum, aquila adveniente, reliquae aves quiescunt, alasque demittunt, ita adveniente coelesti illa aquila, Redemptore nostro, omnes terrae principes quieverunt, et unusquisque, ut olim aetate Salomonis, pacifice sub sua ficu vivebat, ut ad literam impleretur illud (*Isa.*2) dicentis: *Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad praelium.* Hoc genus pacis tanti habebatur apud antiquos, ut ad significandam illam depingerent virginem quandam, manu cornucopiam tenentem: in cornucopia vero antiqui omnem abundantiam significabant. Hinc etiam Iulius Caesar in moneta imperii sui caduceum cum cornucopiae insculpi fecit: per caduceum olim pacem, et concordantiam significabant veteres, et per cornucopiae, ut diximus, rerum abundantiam; et eadem ratione Vespasianus imperator in moneta sui temporis signari voluit duas manus inter se unitas, et cohaerentes, a quibus manipulus spicarum procedebat; per manus coniunctas concordiam, per manipulum abundantiam significare volens.

Denique sicut discordia, et bellum omnium malorum origo sunt, scilicet bonorum direptionis, et patriae amissionis, et captivitatis, et mortis: sic e converso pax origo est, et aggregatio omnium bonorum. Non tamen coelestis Halcyon tranquillitatem et pacem temporalem, sed praecipue spiritualem induxit in terram, ut ipse per Aggaeum prophetam praedixerat: *Implebo domum istam gloria, et in loco isto dabo pacem:* erat enim hunc templum aeternae pacis, hoc est, coelestis paradisus, clausus, et ab eius ingressu exclusum genus humanum, quod praefiguraverat Dominus, quando eiecto Adamo, et Eva e paradiso terrestri collocavit cherubin, et gladium versatilem ad custodiendam viam ligni vitae; adventante autem Christo Domino, facta est tranquillitas, et pax inter Deum, et hominem, et fores coelestis paradisi iam patent, Apostolo dicente (*ad Rom.* 5): *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo:* et (*ad Ephes.* 2): *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.*

Est etiam et alia pax, cuius haec pax cum Deo origo esse perhibetur, nimirum, cum sibi ipsi homo pacatus est, qui a seipso antea acerrime dissidebat, dum aliud spiritus, aliud caro flagitabat, iuxta illud d. Pauli (*Galat.*5): *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem.* Haec etiam pax, nascente hoc divino halcyone, nobis donata est, ut his verbis adnotavit d. Hieronymus (*in cap.* 2. *Isaiae*): nam exponens locum illum: *Conflabunt gladios in vomeres, et lanceas suas in falces,* ait: *Hoc quidem spiritualiter intelligi potest, quando omnis duritia cordis nostri Christi vomere frangitur, et eradicantur spinae vitiorum, ut semen sermonis Dei crescat in fruges, et postea labores manuum nostrarum manducemus.* Et divus Ioan. Chrysostomus: *Quantam,* inquit, *abundantiam pacis nunc videmus, ut caro quae concupiscit adversus spiritum, subiugetur, et subiugati sint affectus carnales spiritui, sit abundantia pacis, donec tollatur luna, id est, finiatur omnis Ecclesiae praedicatio: Ecclesia enim luna dicitur, quae crescit in sanctis, decrescit in peccatoribus:* quibus persimilia sunt praeclara illa verba divi Augustini (*lib.* 1. *de serm. Dom. in monte*), qui exponens locum illum: *Beati pacifici,* inquit: *Pacifici in seipsis sunt, qui omnes animi motus componentes, et subiicientes rationi, et spiritui, carnalesque concupiscentias habentes edomitas, fiunt regnum Dei, in quo ita sunt ordinata omnia, ut id, quod est in homine praecipuum, et excellens, hoc imperet, caeteris non reluctantibus, quae sunt nobis, bestiisque communia, atque idipsum, quod excellit in homine, id est, mens, et ratio, subdatur potiori, Deo scilicet; et haec est pax, quae datur in terra hominibus bonae voluntatis, haec vita consummati, perfectique sapientis;* haec d. Augustinus.

Est tandem et alia pax, quae animorum unionem et concordiam importat, quam Christus Dominus toties inculcavit, et commendavit, ut exinde miram eius utilitatem deprehendere debeamus. Etenim praeterquam quod illo nascente pacem evulgavit, certe pacificos filiorum Dei illustri nomenclatura cohonestavit, dicens (*Matth.* 5): *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Discipulos illa salutatione uti praecepit (*Luc.* 19): *Pax huic domui.* Iturus ad crucem, quasi in testamento pacem discipulis donavit (*Ioan.*14): *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Post resurrectionem, ad discipulos clausis iannis intrans, illis verbis eos salutavit (*Ioan.*29): *Pax vobis.*

Certe ethnici non a Christo edocti, sed rationis solo lumine illustrati, ita pacis, et concordiae cultores fuerunt, ut merito nos Christiani eorum gesta audientes, verecundia erubescere deberemus. De Leone Bizantino memorat Erasmus, quod Philippo regi cum exercitu Bizantium properanti occurrerit. *Dic,* in quiens, *Philippe, quae causa te in urbem nostram impulit?* quo respondente: *Patriae tuae amor: atque,* ait ille, *non bellico instrumento, sed musico amantibus est opus.* Musonii scitum est, nullas nuptias sine concordia esse honestas, nullam societatem utilem, quod lepido exemplo idem Sophista Leo demonstravit. Venerat Athenas de pace verba facturus, et tumultuanti populo concordiam suasurus, cumque esset corpore pusillo, omnibus movit risum: ille occasionem fortuitam in procemium verteus: *Quid,* inquit, *viri Atheniensis, si conspiceretis uxorem meam, quae tam pusilla est, ut vix ad genua mea pertingat?* ad quam vocem maior obortus est risus: tum subiecit Leo: *At nos tam pusillo, si quando dissidemus, vix Bizantium capere potest.* Illaesum Sophistam memorat Plutarchus, cum Lacedaemonii de moenibus oppido suo circumducendis consultarent, Homericum versum recitasse:

Scutus haesit scuto, galeae galea, atque viro vir,

Et adiecisse:

Sic Lacedaemonii state, et muris cincti sumus.

Hinc Agesilaus rex percontanti, cur Spartana civitas muris careret, cives exhibuit armatos, et unanimes.

Africanus Scipio, cum Numantinos saepe victores tandem superasset, rogavit Tyresium principem Colticum, quomodo Numantia ita eversa fuisset, quae prius tot gentium victrix fuerat; cui Tyresius: *Pax et concordia civium eam victoriam; discordia tam praeceps exitium produxit.* Blond. etiam (*lib.* 2. *de Roma inst.*) refert, olim fuisse in monte Palatino templum concordiae dicatum, a Tiberio Caesare instructum, et iuxta eundem montem aliud magnificum templum aedificatum a Vespasiano in honorem pacis, quo nullum erat augustius delubrum. Quod si gentiles pacem, velut numen quoddam venerabantur; quanto aequius est, ut eandem nos fideles summo studio comparare laboremus, qui pacis auctorem Christum habemus; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XIV.

Deipara Virgo utero suo Christum gestans coelo comparatur, quo Deus sanctos beat, in eadem verba: Beatus venter qui te portavit, (*Lucae* 11).

Primum omnium arbitror fuisse Davidem, qui beatam Virginem coelum appellavit, dum (*Psal.* 18) dixit: *Tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultavit ut gigas ad currendam viam, a summo coelo egressio eius.* Etenim per coelum hoc loco intellexisse beatam Virginem, illud non obscure indicat, quod, postquam dixisset, Christum Dominum humanae carnis purpura ornatum, ex virgineo thalamo matris suae, instar sponsi processisse, continuo subiunxit, hanc processionem esse egressum a coelo (*ibi.*): *A summo coelo egressio eius.* Quibus verbis etiam insinuavit, Christum Dominum ex matris utero progressum absque ulla prorsus suae virginitatis iactura: nam sicut, cum quispiam eorum, qui in coelo habitant, e coelo descendit, ut in hac militanti Ecclesia ministerium aliquod exequatur, coeli ianuis clausis, et absque ulla eius divisione ab eo egreditur, ita et Christus a coelo Mariani uteri, clausa manente eius ianua, et absque ulla suae integritatis iactura prodiit. Hoc etiam perillustri coeli cognomine opinor divum Paulum appellasse beatam Virginem (1. *Corinth.*15), ubi, postquam dixerat: *Primum hominem de terra terrenum, secundum,* subiunxit, scilicet Christum, *de coelo coelestem* ipse autem alibi (*ad Gal.*4); appellat *illum factum ex muliere:* ergo mulier haec, ex qua formatus est secundus homo coelestis, mysticum quoddam est coelum: quamvis alioquin non me lateat in sensu literali, Apostolum appellasse Christum de coelo coelestem ratione Verbi, quod de coelo descendens in utero beatae Virginis, ex purissimo eius sanguine naturam sibi univit humanam.

Deinde Ecclesia catholica plane in officio natalis Domini b. Virginem coelum compellat, ex quo armatus prodiit Christus Dominus ad debellandas aereas potestates: *Cum quietum silentium tenerent omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus Domine de coelo a regalibus sedibus durus debellator in mediam exterminii terram prosiliit.* Accommodate satis Verbum divinum incarnatum sermo vocatur: tum quia sermo apud nos solet dici verbum vocale; sicut autem verbum vocale nihil aliud est quam verbum mentis, prout humana voce expressum, ita Christus nihil aliud est, quam Verbum aeterni Patris humana carne indutum: tum quia sicut sermo secundum latinorum rigorem importat orationem, quae ex pluribus vocibus coalescit; ita Christus Dominus suppositum est divinum, ex duabus constans naturis: ipse ergo, qui omnipotens sermo Dei est, daemone forti armato custodiente atrium suum, pacis silentio omnia possidente, ac idololatria universum fere orbem occupante, ex coelo uteri virginei media nocte prodivit ad profligandos hostes, et arma eius diripienda, iuxta illud (*Isa.*8): *Antequam sciat puer vocare patrem suum, et matrem, auferetur fortitudo Damasci.* Ac tandem Ecclesiae Patres beatam Virginem pleno ore coelum vocitant: ita loquuntur divus Epiphanius (*serm. de laud. Deip.*), sanctus Athanasius (*ser. in descript. sanct. Mar.*), s. Ioannes Chrysostomus (*ser. de Annunc.*), sanctus Methodius (*orat. in hypop. Dom.*), s. Augustinus (*ser.* 18. *de sanct.*), s. Bonaventura (*in spec. beat. Verg. cap.* 5) ubi ait: *Coelum est Maria, tum quia coelesti puritate, coelesti charitate, coelestibus aliis virtutibus abundavit, tum quia sedes Dei altissima fuit, teste propheta, qui dicit: Dominus in coelo paravit sedem suam:* et divus Ioannes Damascenus (*orat. sec. de dorm. beat. Virgin.*) inquit: *Virgo immaculata, cum esset animatum coelum, in coelestibus tabernaculis collocatur;* ac divus Bernardus (*ser.* 3. *sup. Salc. Reg.*): *Per coelum firmamenti dividentis aquas ab aquis,* quod (*Gen.* 1) initio creasse scribitur Deus, significatam ostendit his verbis: *Et opera manuum eius annuntiat firmamentum. Fiat,* inquit, *firmamentum, et dividat aquas ab aquis: omnibus firmamentis firmius firmamentum tu Domina, quae eum, quem coeli capere non poterant, concepisti, et concepisti, portasti, et non defecisti, genuisti, aluisti, pavisti, mammisti, et educasti, tu in medio aquarum divisisti aquas ab aquis, affectus videlicet aeternorum ab affectibus tempora-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

lium. Posuit Deus in hoc firmamento solem et lunam, Christum, et Ecclesiam, et stellas, praerogativas gratiarum multas; hactenus d. Bernardus.

Porro, quam mirifice congruat beatae Virgini haec coeli nomenclatura, qua sancti Patres illam illustrant, latius enucleare exordiamur. In primis inter omnia, quae magnitudine molis constant, nullum corpus incorruptibile est, nisi coelum: mixta omnia, et elementa quotidie corrumpuntur, solum coeleste corpus omnis corruptionis expers perseverat; non dissimiliter, cum omnes filii Adae naturali modo propagati, peccati originalis corruptionem sustineant, et matres omnes integritatem corporis amittant; solum Marianum coelum, speciali filii sui gratia factum est incorruptibile secundum utramque partem animae, et corporis: animae quidem, quia peccati originali contagio, et corruptio nec per momentum illam unquam infecit: ut enim dixit divus Bernardus (*hom. 2. super Miss. est*): *Factor hominum ut homo fieret, nasciturus de homine, talem sibi ex omnibus debuit deligere, imo condere matrem, qualem et se decere sciebat, et sibi noverat placituram: quis autem non perhorresceat dicere, decuisse Matrem Dei originali macula fuisse inquinatam, aut Deo placitum iri, matrem sumere quondam peccati turpitudine foedatam?* secundum corpus autem, quamvis vera Mater, et utero suo filium conceperit, corruptionem omnino nescivit, virginitatem tam mentis, quam corporis perpetuo servans, ut his verbis praeclare dixit divus Cyprianus (*lib. de oper. Christ. cardinal.*): *In Nativitate Christi Matri plenitudo gratiae debebatur, et beatae Virgini abundatio gloriae, quae carnis et mentis integritate insignis, spiritualiet corporali intus et extra Christi praesentia fruebatur;* haec ille. Per mentis autem integritatem illuminatus doctor Mairon (*ser. 2. de concept. b. Virg.*) intelligit carentiam omnis peccati etiam originalis, quia virginalis integritas creaturae rationalis in eo posita est, ut nunquam per peccatum, quae est violatio, et corruptio illius integritatis, a Deo recesserit: etenim quamvis per gratiam subsequentem praecedens illa infectio tollatur, dignitas tamen illa virginea iam amissa non reparatur; eo namque ipso, quo quispiam peccarit, licet per gratiam instificetur, tolli non potest, quin peccatorem fuisse vere dicatur. Quare, cum beatissima Virgo fuerit integerrima anima, et corpore, fateamur necesse est, ab omni corruptione tam mentis, quam corporis, eam longe fuisse alienam: merito ergo coelo propter miram suam incorruptibilitatem Virgo inviolata comparatur. Coeli deinde ea est natura, ut in eo nulla sit contrarietas: de reliquis corporibus quidam poetarum dixit:

Frigida pugnabant calidis, humentia siccis.

Materia in illo totaliter subiecta est formae, neque ei adulterium machinatur, ut mos est materiae rerum corruptibilium, non dissimiliter ac si diceret: video in Virgine apte satis coeli nomenclaturam convenire, in qua corpus per omnia subditum erat animae; caro, sicut in reliquis, non concupiscebat adversus spiritum, nulla ibi erat rebellio partis inferioris adversus superiorem, nullum inter eas fuit unquam excitatum bellum, summa erat pax, et concordia, per illam, quae viguit in arca Noe mirifice adumbrata, in qua licet essent animalia natura inimicissima, et magnae inter se antipathiae, ut lupus, et agnus, canis, et lepus, summa tamen tranquillitate, et pace perfruebantur. Certe, in omnibus aliis filiis Adae cum fomes peccati non fuerit extinctus, quem Apostolus (*ad Rom.* 7) vocavit peccatum, *quod habitat in me peccatum:* non quod vere in renatis maneat peccatum, sed quia, ut docet sacrum Concilium Tridentinum (*sess.* 5): *Ex peccato est, et ad peccatum inclinat:* propter quod Apostolus, licet alioquin in gratia confirmatus, ibidem dixit: *Invenio in membris meis aliam legem, repugnantem legi mentis meae,* cui non dissimile est illud d. Augustini (*serm.* 12. *de verb. Apost.*), ubi de hoc fomite, seu concupiscentia, quia est effectus peccati originalis, loquens dixit: *Ego, quicquid in me rebellat adversus mentem meam, et litigat mecum delectatione contraria, omnino interficere volo; et si ei forte adiuvante Deo, non consentiam, nolo habere, cum quo litigem: multo est mihi optabilius, inimicum non habere, quam illum vincere;* haec d. Augustinus. Beata autem Virgo illud optabilius, quod divus Augustinus consequi desiderabat, nempe, hoc interno concupiscentiae inimico carere, ipsa ex singulari gratia obtinuit, ut propterea Richardus Victorinus (*lib.* 2. *de Emman. cap.* 19) verba illa (*Ps.* 45): *Venite, et videte opera Domini, quae posuit prodigia super terram, auferens bella usque ad finem terrae,* de Deipara Virgine in hunc modum exponat: *Quae est terra ista, de qua bella omnia finetenus auferuntur? nisi illa, de qua idem Prophela ait: Veritas de terra orta est? de hac terra omnis pugna tollitur, in hac pax plena reparatur. Atque hinc etiam est, quod sicut coelum non est capax alicuius peregrinae impressionis, ut loquuntur astrologi, ita nec Deipara propter mirabilem eius impeccabilitatem nullam peregrinam levissimi etiam peccati originalis impressionem unquam suscepit,* ut sacrum Concilium Tridentinum definivit (*sess.* 6. *canon.* 23), et ante illud concilium Claremontanum sub Urbano II. Unde divus Bernardus (*sermon.* 2. *de assumpt.*) recte dixit: *Absit, ut proprii quicquam inquinamenti domus haec aliquando habuisse dicatur, ut in ea proinde scopa Lazari quaereretur;* et quidem, ut in hoc a metaphora coeli non egrediamur, sicut coelum in motu suo propterea nullum errorem committere potest, quia semper obedit intelligentiae motrici, seu angelo moventi illud, ideirco etiam b. Virgo in nullum peccati errorem labi poterat, quia Spiritui s. suo motori ad nutum obediebat, et ab eo, quo illi placebat, se moveri sinebat: etenim, si, qui filii Dei sunt, spiritu Dei aguntur, quanto magis, quae filia pariter, et mater Dei erat, spiritu Dei ageretur?

Praeterea, si gravissimorum doctorum ea fuit sententia, ut putarent, coelum sonum, ac musicum concentum edere; in qua video fuisse

divum Isidorum (*lib.* 3. *etymol. cap.* 16), d. Anselmum (*lib.* 1. *de imagin. mund.*), d. Ambrosium (*proef. in Psalm.*), Boetium (*lib.* 1. *de mus. cap.* 2), Macrobium (*lib.* 2. *in somn. Scipion.*), Caelium Rhodicinum (*lib.* 5. *lect. antiqu. cap.* 25), Plinium (*lib.* 2. *histor. natur. cap.* 16), imo et Platonem, dum (*in lib. de republ.*) docet singulis orbibus coelestibus singulas Syrenes insidere, arbitror, Syrenes vocasse intelligentias motrices ipsorum coelorum, quod idem refert Gregorius Venetensis (*tom.* 5. *in probl. in scer. Script. sess.* 5. *numer.* 321), videnturque huius musici sonus concentum indicasse verba Davidis (*Psalm.* 18), cum de coelis loquens, dixit: *In omnem terram exivit sonus eorum:* seu, ut potest ex Hebraeo transferri: *Exivit linea eorum,* vel, *amussis eorum:* quo significatur, coelorum musicam ad lineam, et amussim fuisse concinnatam; sed clarius huius coelestis musicae meminit Iob, dum (*cap.* 33) dixit: *Quis enarrabit coelorum rationem? et concentum coeli quis patefaciet?* itaque, si verum est, coelis concentum inesse, certe hic non desideratur in hoc Mariano coelo: nam praeterquam, tanquam divina tympanistria, ut d. Ambrosius loquitur (*in cap.* 1. *Luc.*), suave illud melos cecinerit: *Magnificat anima mea Dominum: et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo:* frequenter divinas laudes aut ore, aut mente tenus concinebat, ut propterea non immerito d. Ephrem (*in orat. de Deip.*) illam vocaverit, *thuribulum aureum,* quia ipsa ex se instar thuribuli, divinarum laudum suavissimum odorem ad coelum usque emittebat, cui consonat, quod d. Ambrosius (*lib.* 2. *de Virgin.*) appellat illam *Altare thymiamatis:* nam, quemadmodum altare illud erat cornibus insignitum, in quo suavissimi odoris thymiama mane et vesperi adolebatur, ita sanctissima Virgo adversus daemones saevissimos hostes in quatuor partes mundi divisos, fortiter instructa, fragrantissimo suae orationis thymiamate, et Deum placabat, et tartareas potestates longe propulsabat.

Ad haec, sicut coelum nihil magis ornat, quam sol in eo habitans, dum aureis suis radiis coruscans, totum illud illustrat; sic super omnia illud excellentius b. Virginem exornat, quod Sol iustitiae Christus Dominus in ea habitaculum suum per integros novem menses fecerit, dignaque facta sit, solem ipsum in sui ornamentum habere: ad quod respiciens d. Ioannes (*lib. suarum revelationum*) dixit (*Ap.* 12): *Signum magnum apparuit in coelo, mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius; et in capite eius corona stellarum duodecim; et in utero habens;* quae ultima verba apte explicantur per illa (*Cant.* 4): *Quam pulchra es amica mea, oculi tui columbarum absque eo quod intrinsecus latet:* filius enim, qui intrinsecus in utero latebat, multo pulchriorem reddebat b. Virginem, quam fructus arborem, a qua pendet: ex hoc enim obtinuit Dei matris dignitatem praeexcellentem adeo, ut quamvis omnipotentia Dei sit infinita, ad efficiendam tamen perfectiorem matrem, sicut nec ad generandum perfectiorem filium, nulla ratione valeat extendi.

Praeterea sicut coelum est speciale Dei domicilium, in quo Deus inhabitat, unde, licet alioquin Deus sit ubique, Christus Dominus orare nos docuit, dicens (*Luc.* 11): *Pater noster, qui es in coelis:* et David (*Psalm.* 112): *Deus qui in altis habitat;* ita b. Virgo per totum vitae suae curriculum, mysticum fuit coelum Dei, in quo specialiter prae omnibus aliis Altissimus habitavit. Quare Ezechiel (*cap.* 48) b. Virgini sub metaphora civitatis, cognomen imposuit ab habitatione Dei in illa, dicens: *Nomen civitatis Dominus ibidem:* et d. Rupertus (*in Cant.* 5) ad b. Virginem sermonem dirigens, dixit: *O coelum Dei, unica sedes Domini.* Attende quaeso, non vocasse illam coelum, sed *coelum Dei,* sacrae Scripturae phrasim, et morem imitans, quae excellentiora quaeque, et praestantiora Dei esse dicit, ad eorum excellentiam, et praestantiam indicandam; unde (*Psalm.* 79) ad cedrorum proceritatem significandam appellavit, *cedros Dei;* et ad ostendendam urbis Hierosolymae magnitudinem (*Ps.* 26) inquit: *Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei:* ita Rupertus ad excellentiam b. Virginis commendandam non contentus est, vocare illam coelum, sed *coelum Dei;* quasi diceret: reliqui omnes coeli, angelorum, et hominum coeli sunt, ut sit eorum habitaculum, beata autem Maria Dei coelum est, in qua specialiter Deus inhabitat. Quis autem non videat, multum interesse inter domicilium servorum, et habitaculum regis proprium? s. Thomas (1. *p. qu.* 43. *art.* 3) affirmat, *creaturae rationali propter communem modum, quo Deus est propter suam immensitatem in rebus omnibus convenire, ut per gratiam gratum facientem inhabitet in eo, sicut in templo:* ex qua doctrina aperte colligitur, ut quo maior haec fuerit gratia, tanto specialius Deus inhabitet in habente illam. Unde, cum gratia b. Virginis adeo creverit, ut d. Epiphanius (*ser. de laudib. Deip.*) ausus sit dicere: *Gratia sanctae Virginis est immensa;* cui persimile est illud d. Bonaventurae (*in specul. b. Virg. cap.* 5): *Immensa fuit gratia qua ipsa fuit plena,* immensum enim vas non potest esse plenum, nisi immensum sit illud, quo est plenum; Maria autem vas immensissimum fuit, in quo illum qui coelo maior est, continere potuit; quare consequens est, b. Virginem fuisse coelum, in quo Deus specialiter prae aliis omnibus semper inhabitavit.

Quia tamen coelum non unum est, sed undecim nimirum, primum orbis lunae, secundum Mercurii, tertium Veneris, quartum solis, quintum Martis, sextum Iovis, septimum Saturni, octavum stellarum, novum crystallinum, seu, aqueum, decimum primum mobile, undecimum empyreum. Sane inter omnes illos ex duplici capite similiorem video beatam Virginem coelo empyreo primo, quia sicut illud est omnium capacitate maximum, cum infra se universa corpora claudat, tam coelestia, quam terrestria, ita capacitas Mariani coeli tanta esse perhibetur, ut quem coelum empyreum reliquos omnes coelos intra se claudens capere non potuit, ipsa suo utero concluserit, et alioquin incomprehensibilem Virginei sui ventris circulo comprehenderit: id enim sibi volunt

verba illa Hieremiae (*cap.* 31): *Mulier circumdabit virum:* nam quod undique circumdatur, comprehenditur. Unde divus Epiphanius (*ser. de laud. Mar. Deip.*), tantum prodigium admiratus, in illa verba exclamaus, prorupit: *Uterum impollutum, habentem circulum coelorum, qui Deum incomprehensibilem, in te vere comprehensum portasti: o uterum coelo ampliorem, qui Deum in te non coarctasti: o uterum, qui coelum es septem circulis constans, et capacior illis existis: o uterum septem coelis sublimiorem, ac latiorem. O uterum, qui et octavum coelum septem firmamentis latiorem;* haec divus Epiphanius: quibus persimilia sunt illa d. Chrysologi (*serm.* 143): *O vere benedicta, quae fuit maior coelo, fort or terra, orbe latior; nam Deus, quem mundus non capit, sola capit, et portavit cum, qui portat orbem, genuit suum genitorem, nutrivit omnium viventium nutritorem.* Ac tandem d. Bonaventura (*in spec. b. Virg. cap.* 6) inquit: *Tu ergo immensissima Maria capacior es coelo, quia quem coeli capere non poterant, tuo gremio contulisti: tu capacior es mundo, quia, quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera, factus homo.* Quod si quisplam dicet, qua ratione verificatur, quod coeli coelorum Deum capere non possunt: nam cum totus Deus sit in qualibet creatura, et etiam in minimo atomo per essentiam, praesentiam, et potentiam, etiam minimus atomus capit illum; occurendum est, quod, quia Deus immensus est, taliter totus sit in una creatura, quod totus etiam sit in reliquis omnibus, et in singulis; et ideo veraciter dicitur, nullam creaturam, etiam coelum, illum capere posse. Sed hinc maior oritur difficultas, quomodo verificetur, et in laudem b. Virginis vertatur, quod quem coeli capere non possunt, ipsa capere potuerit? nam certe b. Virgo utero suo solum continuit Christum infantem; empyreum autem coelum continet illum multo grandiorem factum, pariterque continebit pene infinitam multitudinem corporum beatorum; capacius ergo videtur coelum utero b. Virginis. D. Epiphanius (*serm. de laud. Deip.*) solvit hunc nodum, referens maiorem hanc capacitatem b. Virginis ad copiosissimam eius gratiam, non ad uterum virgineum: verba eius sunt haec: *Quonam pacto coelum ea, quae coelos amplitudine superavit, suscepit? nonne corporeae molis ratione coelum amplitudine superavit; quoniam ergo modo corpus, quod tribus cubitis constat, coeli latitudini, ac longitudini comparari queat? verum per gratiam potius magnitudinis modus superavit: nec enim est aliquid quod Deo conferri possit;* hactenus d. Epiphanius. Opinor tamen verba Ecclesiae: *Quem coeli coelorum capere non possunt, tuo gremio contulisti,* apte intelligi etiam posse de ipso utero Virgineo, non tamen excludendo copiosissimam gratiam qua beata Virgo erat perfusa: etenim licet omnis creatura totum Deum intra se contineat, nulla tamen, excepta beata Virgine, debitam capacitatem habuit ad continendum illum utero suo, tanquam mater; tum quia vel non erant principia apta ad generationem humanam, ut matris munus obirent, per quod excludentur omnes coeli; vel si erant apta, ut revera fuerunt omnes foeminae, et maxime foecundae, ea tamen aptitudo et capacitas per sexus naturam erat nimis remota; ad capiendum autem Deum intra proprium uterum, proxima requirebatur aptitudo per gratiam Dei parenti congruam, et consentaneam, quam quia sola b. Virgo feliciter obtinuit, de illa sola verificatur, utero suo capere potuisse, quem nec coeli coelorum, nec universus orbis capere potuerunt.

Secundo in eo singulariter beata Virgo coelo empyreo persimilis esse perhibetur: quia sicut illud proprius est locus beatitudinis, ubi Deus beatis clare, et faciliter se manifestat; ita sacratissimus Deiparae venter primus locus fuit in quo Deus permanenter claram, et beatificam sui visionem animae Christi Domini communicavit; cum certum sit, a principio suae conceptionis viatorem pariter, et comprehensorem ipsum extitisse: mira sane virginei uteri laus, ut cum aliarum foeminarum venter officina sit peccati originalis, ut David plorabat (*Psal.* 50): *Et in peccatis concepit me mater mea,* quod clara Dei visione hominum indignum reddit, solus Marianus uterus dignus locus fuerit visionis beatificae, et beatitudinis prima officina; ut sic iure optimo Evangelica illa mulier beatum nuncupaverit immaculatum b. Virginis ventrem: *Beatus venter, qui te portavit.*

Philosophi antiqui in varias abierunt sententias, in quo consisteret beatitudo; adeo ut ducentae octoginta octo circumferrentur sententiae, quas omnes collegit Marcus Varro, ut auctor est d. Augustinus (*lib.* 19. *de civitat. Dei cap.*1). Quidam, teste d. Ambrosio (*lib.* 3.*off. cap.*2), beatitudinem constituebant in integra, ac perfecta corporis sanitate, ac recta valetudine. Alii, ut Heryllus philosophus, in perfecta rerum naturalium scientia, ac limpida cognitione: alii, ut Calippus, in voluptate, et omnis doloris carentia: Possidones unus ex philosophis stoicis, in divitiarum affluentia, Antistenes in alacritate et hilaritate, Thymon in tranquillitate, Pythagoras in perfecta Arithmeticae cognitione, Hecateus in rerum omnium ad vitam humanam necessariarum sufficientia: verum has omnes philosophorum sententias a veritatis scopo longe aberrare docuit sapientiae pater Christus Dominus, dum illas omnes damnavit, dicens (*Luc.* 6): *Vae vobis divitibus, vae vobis, qui ridetis: beati pauperes: beati, qui lugent: beati, qui persecutionem patiuntur.* Et quidem cum proprium sit beatitudinis satiare; manifestum est, omnia illa ex philosophorum sententia a me nuper commemorata, nec umbram verae beatitudinis habere; cum honores, divitiae, scientia, et similia alia bona, quae absque Dei amicitia obtineri possunt, non solum non satient, sed potius maiorem famem excitent, multisque soleant malis tam animi, quam corporis permisceri. Igitur qui nosse desiderat, virgineum uterum Christum portantem contempletur, quia in eo reperiet veram beatitudinem, animam plene satiantem, delitescere. Nam vel sermo est de beatitudine obiectiva, vel de formali, ut more scholasticorum theologorum loquar: si de beatitudine obiectiva, ecce in Mariano utero latet infans Deus, et homo, quod est obiectum nostrae beatitudinis, et praemium, et merces iustorum, ut loquitur s. Thomas (*in hym. in fest. Cor. Christ.*):

Se regnans dat in praemium:

et luculenter praedixit David (*Psal.* 126), cum cecinit: *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce haereditas Domini, filii merces fructus ventris.* Praeclarum sane, et omni exceptione dignum virginei ventris praeconium, ut fructus illius sit obiectum beatificum, tam hominum, quam angelorum, imo et ipsiusmet Dei: si autem sermo sit de beatitudine formali, plane haec etiam adfuit in utero virgineo per tot menses, quot intra viscera sua Deipara Virgo Christum infantem portavit. Certum enim est, hanc consistere in clara Dei visione, vel in ardenti amore ad illam consecuto, vel ut aliis placet, in utroque copulatim; hanc autem habuit perfectissime Christus Dominus, dum viator erat, ut docent theologi (*in* 3. *dist.* 14), et d. Thom. (3. *par. quaest.* 10. *art.*2. *in corp. et ad secun.*), ubi duplicem constituit in Christo beatitudinem, unam increatam, et aliam creatam; verba eius sunt haec: dicendum, quod ex ipsa unione homo ille est beatus beatitudine increata, sicut ex unione est Deus, sed praeter beatitudinem increatam, oportuit in natura humana Christi esse quandam beatitudinem creatam, hac autem frui coepisse Christum Dominum ab instanti suae conceptionis in utero virgineo, communis est sententia eorundem theologorum, habetque fundamentum in illo d. Ioannis (*c.* 1): *Deum nemo vidit unquam, unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrabit.* Quibus verbis praesupponit, se, qui unigenitus erat, clare Deum videre, et propterea posse enarrare. Sicut autem per humanitatem narrabat, ita et per eandem videbat. Fundatur etiam in illo d. Ioannis (*c.*3): *Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis, qui est in coelo.* Cum autem tunc esset in terra, planum est, per coelum, in quo se esse dicebat, intellexisse gloriam, et beatitudinem. Fundatur deinde in illo d. Ioan. (*ibid.*): *Quod scimus, loquimur; et quod vidimus, testamur*; et in illo d. Ioannis (*ibid.*): *Ego, quae vidi apud Patrem, loquor;* ac etiam in illo divi Ioannis (*c.* 12): *Ubi ego sum, illic et minister meus erit*: et (*cap.* 14): *Ubi ego sum, et vos sitis.* Quibus locis ministris suis promittit statum beatificum in praemium sui ministerii: praesupponit igitur, iam ipsum obtinuisse talem statum. Ac tandem fundatur in illo praeclaro testimonio Isaiae (*c.*4): *Ecce Dominus veniet, et merces eius cum eo.* Constat autem, beatitudinem formalem mercedem esse beatorum. Cum igitur hanc dicat Isaias, veniente Domino, in uterum b. Virginis venisse cum illo, consequens fit, Christum Dominum beatum fuisse a principio suae conceptionis. Unde d. Eusebius (*lib.* 10), explicans de Christo verba illa (*Psal.* 12): *In te proiectus sum ex utero matris meae,* introducit illum, ad Patrem dicentem: *Ex tunc Deum meum iam videbam*; cui persimile est illud Richardi de sancto Victore (*lib.* 2. *de Emman. cap.* 22), ubi inquit: *Quod nos expectamus in consummatione, illi datum est in sua conceptione.*

Ac tandem eidem veritati, quam negare, vel haeresim, vel errorem esse sentio, utpote communi Ecclesiae catholicae traditioni, ac locis sacrae Scripturae, iuxta receptissimam Patrum intelligentiam expositis, valde adversum, multiplex ratio opitulatur. Prima, quia Christus Dominus a principio suae conceptionis fuit Filius Dei naturalis, atque adeo ex tunc coepit esse haeres, et possessor, cum expectanda non esset interventura Patris mors ad hoc, ut in haereditatis possessionem mitteretur: nec infantilis illa aetas visioni beatificae impedimento esse poterat, cum sit operatio omnino independens a corpore, et totam facultatem naturae longe transcendens. Secunda, quia Christus Dominus ab exordio suae conceptionis fuit caput omnium hominum, et angelorum, in illos influens gratiam, in hos gratiam, et gloriam: unde ipsi iussi sunt a Deo, *cum introduxit filium suum in orbem terrarum illum adorare,* et tanquam proprio capiti subiici, ut tradidit d. Paulus (*ad Hebr.*1). Quis autem, nisi desipiat, sibi persuadeat, Christum fuisse caput angelorum in inferiori statu gratiae, aut gloriae constitutum, quam angeli tunc essent? Tertia ratio, quia Adam, eo quod futurus erat naturale principium generis humani, creatus fuit a principio perfectus in naturalibus: ergo Christus, qui est supremus auctor gratiae, et gloriae, debuit a principio suae conceptionis habere gratiam, et gloriam summe perfectam. Unde et ipsa b. Virgo, probe agnoscens, beatitudinem esse summam omnium requiem; et hac frui natum suum in eius utero, scite dixit (*Eccl.* 24): *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Nec huic catholicae veritati quidquam obest illud d. Ioannis (*c.* 7): *Nondum erat spiritus datus, quia nondum erat Iesus glorificatus*; aut illud (*Luc.* 24): *Nonne oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam*: quia haec testimonia, et si quae sunt alia similia, unanimis est Patrum sententia, intelligi debere non de gloria essentiali, sed de gloria resurrectionis, et ascensionis, ac de manifestatione, et exaltatione sanctissimi nominis Christi; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XV.

Beatissimam Virginem Deiparentem vere et proprie thronum Dei esse, varia tam sacrae Scripturae, quam sanctorum Patrum eruditione commonstramus, in illa verba: Beatus venter qui te portavit.

Frequenter in sacris eloquiis reperimus, Deum sedere super thronum, praecipue tamen id legimus (3. *Reg.* 22. *Ezech.*1. *Daniel.* 7), et ut reliqua omittam, (*Isaiae* 6), ubi id sacer propheta vidit Dominum super thronum excelsum, et elevatum, quem locum expendens d. Chrysostomus (*hom. in haec ver.*), quaerit, cur,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

cum dixisset, *solium excelsum*, adiecit, *et elevatum*; et respondet per hoc divinae dignitatis eminentiam declarari: excelsum enim respectu inferiorum dici, elevatum vero significare sublimitatem in se ipsius naturae divinae incomprehensibilis, etiam secluso quocunque respectu, quam nec cogitatione concipere, nec verbis eloqui quispiam potest; haec ex Chrysostomo: qui plane id mihi videtur didicisse ab antiquissimo Dionysio Areopagita (*c. 9. de div. nomin.*), ubi de divina sede, seu throno pertractans, docet thronum Dei divinae naturae excellentiam significare, qua in se ipso Deus ab aeterno est, et immobiliter quiescit ad supremam eius super omnem creaturam auctoritatem; verba eius sunt: *Quid vero de divino statu, sive sede dicamus? quidnam aliud, nisi Deum in se manere, et constanter in una, eademque natura, quae sit immobilis, fixum esse, ac firmiter locatum, eodemque modo, et in eodem agere? atque per id quod ipsum immutabile est, et quod ipsum immobile est, ab omni sui mutatione ac motu omnino solutum esse, et liberum; atque id ratione quadam quae essentiam superat. Is enim omnium et status et sessionis auctor est, qui omni sessioni, atque statui antecellit, in eoque omnia constant, dum ex suorum bonorum quiete, atque constitutione immota servant*; haec Dionysius.

Verum tametsi Dei sedes seu thronus sic accipi soleat, plura tamen sunt, quibus haec divina oracula throni nomen in creaturam tribuunt. Nam in primis Christus Dominus coelum appellavit thronum Dei (*Matth.* 5): *Ego autem dico vobis, non iurare omnino per coelum, quia thronus Dei est.* Nubes deinde thronus Dei appellatur (*Eccl.* 24): *Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis*: quod propterea dixit, quia Deus per columnam nubis in deserto filiis Israel ducatum praeseferens, eosque ab aestu solis protegens, ad terram promissionis perduxit. Rursus animam iusti thronum esse, in quo Deus sedet, manifeste indicat illud Salomonis (*Sapient.* 7): *Anima iusti sedes sapientiae.* Ac tandem spiritus angelicos, tertii praecipue ordinis nemo est qui ignoret thronos appellari, ut tradit divus Dionysius Areopagita (*cap.* 6. *de coel.hier.*), nec non et d. Gregorius (*homil.* 34. *in Evang.*) ait: *Ipsi enim throni tanta divinitatis gratia replentur, ut in eis Dominus sedeat, et per eos sua iudicia decernat.* Unde per Psalmistam dicitur: *Sedes super thronum, qui iudicas aequitatem.*

Caeterum praeter haec omnia reperio, non solum sanctos Patres, sed et divina eloquia appellatione throni Deiparam Virginem saepe saepius cohonestare: etenim in primis illud Hieremiae (*c.* 17): *Solium gloriae altitudinis a principio locus sanctificationis nostrae expectatio Israel*, licet Lyranus exponat de coelo empyreo altissimo, ubi Deus se videndum exhibet sanctis, Glossa vero Interlinearis (*Ier.* 14), templo Salomonis, Aug. autem (*lib.* 13. *contra Faustu. cap.* 13) de Ecclesia catholica, noster tamen Galatinus (*lib.* 7. *de arcanis catholic. ver. cap.* 18) illa omnia de sanctissima Virgine ad litteram eleganter sic interpretatur: *Per solium*, inquit, *gloriae gloriosam Virginem Matrem Messiae intelligi arbitror, quae, cum sit in coelesti gloria super omnes choros angelicos exaltata, recte dicitur solium altitudine*, id est sedes Dei altissimi, super quam divina sedet maiestas; *dicitur vero solium gloriae, quia sicut sedes ornata, ac regio more parata, sedentis magnificentiam ac maiestatem indicat, ita Deus in beata Virgine ostensurus erat gloriam suam, et claritatem, ipse enim Christus est lux vera, quae illuminat omnem hominem. Additur solium gloriae a principio, id est, ab initio immaculatae conceptionis, quae fuit sine ulla labe peccati*; haec ex Galatino. Quod autem de beata Virgine id intelligendum sit, probat non solum ex dictis; et praeterea auctoritate eiusdem Rabbi Hakados magnae apud Hebraeos auctoritatis, quem Hebraei honoris causa appellant Rabbi Hakados, id est, magistrum nostrum, dicentis, Matrem Messiae esse *sedem*, quam Deus construxit, ut in ea sederet rex Messias ad ostendendam omnibus mortalibus maiestatis suae gloriam; sed etiam id confirmat Galatinus ex verbis illis *Expectatio Israel Domine*, quae ibi proxime subnectuntur: vera enim expectatio Israel non erat nisi Messias, qui ex matre sua sanctissima proditurus erat. Quin etiam (3. *Reg.* 11) thronus eburneus Salomonis legitur per illam mystice praefigurari, et significare b. Virginem, quae nitidissima fuit sedes pacifici Salomonis Christi Domini, qui est pax nostra, frequenter docent sancti Patres: nam praeter d. Bonavent. (*in spec. b. Virg. cap.* 2), et d. Antoninum (4. *p. titul.* 15. *c.* 44. §. 7), id asserentes; certe b. Petrus Damianus (*ser.de nat. Virg.*) haec praeclara verba in huius rei confirmationem edixit: *Fecit thronum, uterum videlicet intemeratae Virginis, in quo sedit illa maiestas. Hanc sessionem filii, et probavit, et cognovit Pater, ipso dicente, tu cognovisti sessionem meam, thronus tuus Deus in saeculum saeculi, et thronus iste, sicut sol in conspectu tuo. Et vox de throno exivit, dicens, laudem dicite Deo nostro omnes sancti eius, et ex throno, inquit, hoc est ex Virgine, laus angelorum prorumpit, et hominum, quia dum his restituitur, ille resarcitur, utrique gratiarum debent devotionem. Nosti quidnam dicat, qui sedet in throno? Ecce nova facio omnia; felix thronus in quo sedit dominator Dominus, in quo et per quem non solum omnes, sed omnia renovantur*; hactenus Petrus Damianus.

Thronus quoque sapphyrinus Ezechielis (*cap.* 1) quid aliud, quam beatam Virginem praesignificabat: sic enim legimus, et super firmamentum, quod erat imminens capiti eorum, nimirum quatuor animalium quasi aspectus lapidis sapphyri similitudo *throni*, et super similitudinem *throni* similitudo quasi aspectus hominis desuper. Per firmamentum enim pleriique angelos: per thronum vero sapphyrinum, aliqui, ut s. Antoninus (4. *par. titul.* 15. *cap.* 44. §.7), et Petrus Galatinus (*lib.* 7. *de arcan. cap.* 8), *beatam Virginem super choros angelorum evectam accipiunt*: et s. Bonaventura (*in spec. b. Virg. cap.* 11): *Ipsa*, inquit, *est thronus ille sapphyrinus*: qui sicut (*in Ezech.*) legitur, super firmamentum angelorum exaltatus est. Dicitur autem beata Virgo similis sapphyro propter intemeratae virginitatis gloriam, et omnimodam puritatem: tota erat enim coelestis. Sapphyrus enim ex Plinio (*lib.*37. *cap.* 9) caerulei, id est, coelestis coloris est, et aureis punctis collucet. Beatissima vero quidni coelestis, quam sol vestit, stellae coronant, sub cuius pedibus luna ipsa subiicitur? In hoc vero sapphyrino throno conspicitur quasi aspectus hominis, id est, Christus Dominus ex Virgine conceptus: in cuius utero novem mensium spatio, tanquam in sede pretiosissima resedit. Similiter (*Daniel.* 3) pueri in fornace quasi ex uno ore Deum collaudantes in hymno inter alia sic Domino concinebant: *Benedictus est in templo sancto gloriae tuae, et superlaudabilis, et superglorioso in saecula; benedictus est in throno regni tui, et superlaudabilis, et superexaltatus in saecula.* Lyranus in hunc modum illud, *Benedictus est in templo sancto gloriae tuae*, explicat de humanitate sanctissima Christi, in quo ex Apostolo (*Colos.* 2): *Inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Illud vero, *Benedictus est in throno regni tui*, hoc est, inquit Lyranus, in Virgine, quae speciali modo coniuncta est Deo ratione maternitatis; et dicitur proprie ipsius *thronus*, quia in gremio eius sedit, quando recepit munera a regibus (*Matth.*2); sic ille.

Isaiae etiam (*cap.*16) habetur: *Praeparabitur in misericordia solium Agno dominatori terrae, et sedebit super illud in veritate.* Hoc solium divinae misericordiae est b. Virgo, ut ait d. Bonaventura (*in spec. b. Virg. cap.* 8), et Pelbartus de Themesvar (*in stellar. Virg. lib.* 12. *part.* 2. *art.* 2). Quomodo autem solium Dei misericordiae Virginem significet, explicat (*Psa.* 32): nam ubi in vulgata ex Septuaginta legimus: *De praeparato habitaculo suo respexit super omnes, qui habitant terram*, s. Hieronymus ex Hebraeo vertit: *De fortissimo solio suo prospexit*: ita enim Genebrardus, et Felix ac s. Pagninus de habitaculo sessionis suae. Hoc autem habitaculum, quod ex Hebraeo dicitur solium, explicans Hugo cardinalis, inter alias significationes interpretatur de beata Virgine, quam dicit Deum prae aliis parasse ad habitandum, de qua misericorditer respexit super omnes, qui habitant terram, id est, super omnes peccatores. Quibus omnibus sancti Patres innitentes unanimi consensu beatam Virginem thronum Dei compellant. Nam in primis s. Iacobus Apostolus (*in liturg.*), quam Synodus Universalis (*canon.* 32. *allegat.*), et habetur (*de conscer. distinct.*1. *cap.Iacob.*), cum beata Virgine loquens ait: *Deus noster tuum uterum thronum fecit, et tuum ventrem latiorem, et ampliorem ipsis coelis reddidit.* S. Athanasius, id referente Surio die 25. Decemb. tom. 6. scrutans mysteria loci, in quo Deipara Christum peperit, inquit: *Parva illa domus Ecclesiae figuram continebat, praesepe vero altaris, Iesus Pontificis formam in se gerebat. Thronus autem Dei per Virginem Mariam figurabatur.* D. Epiphanius (*serm. de laudib. Deip.*) conversus ad Virginem dicit: *Thronus es divinitatis, quae coruscantem in coelo, et in terra Solem habes Christum.* D. Augustinus (*l. de ass. in princ.*): *Sola*, inquit, *meruit Deum, et hominem paritura suscipere, facta thronus Dei, et aula regis aeterni, secundum quam nos docuisti per sanctos tuos patriarchas, prophetas, et apostolos.* Eodem etiam modo loquuntur s. Methodius (*in Hypop. Dom.*), sanctus Ephrem (*de laud. Virg.*), Hieronymus (*adv.Elvid.*), Chrysostomus (*serm. de virg.*), Ildephonsus (*ser.2. de assumpt.*), Damascenus (*orat.*1.*de dorm.Virg.*), Brunus (*serm.de nunnc.*), Gregorius Nicomediensis (*orat.de oblat. Deip.*), Rupertus (*lib.* 5. *in Cant.*), Bernar. (*ser.de B.Maria tom.* 2), Bonaventura (*in specul. B. V. cap.*8), Bernardinus Senensis (*tom.* 3. *conc. serm.* 11. *art.* 3. *cap.* 1).

Ut clarius tamen innotescat quam apte tam sacra eloquia, quibus sancti Patres Deiparam Virginem thronum Dei appellarint, placet in medium proferre, quae d. Dionysius Areopagita (*cap.* 7. *de coel. hierarch.*) de tertio ordine supremae hierarchiae, qui throni dicuntur, scripsit: *Thronorum*, inquit, *summorum, et excelsorum nomen declarat id, quod ab omni terrena humilitate sine admixtione secretum est, quodque ad superiora divino studio fertur, nec in infimis ullis rebus habitat; sed totis viribus in eo, qui vere summus est, immobiliter, firmiterque haeret, divinum adventum sine ulla motione atque materia recipit, ac Deum portat, officiosoque od ea, quae divina sunt, capienda, propensum est*; haec Dionys. Ex cuius doctrina colligit s. Thomas (1.*p.q.* 108. *art.* 5. *ad* 6), thronorum angelicorum ordinem per convenientiam, ut ipse ait, ad materiales sedes exponi: in quibus quatuor docet considerari posse. Primo situm, quia elevantur a terra; et throni ita elevantur, ut rationes rerum immediate in Deo cognoscant. Secundo, firmitatem: in sedibus enim quis firmiter sedet: sed hic e contra ait evenire, ipsi enim throni firmantur per Deum. Tertio, quod sedes suscipiat sedentem, et in ea deferri possit: ita et throni Deum in se ipsis familiariter suscipiunt, et eum quodammodo ad inferiores ferunt. Quarto, figuram sedis, quae est superius aperta ad suscipiendum sedentem: ita et throni sunt per promptitudinem aperti ad suscipiendum Deum, eique famulandum. Haec igitur quatuor, nimirum, situs, firmitas, susceptio sedentis, et figura, si in beata Virgine excellentius, et perfectius, quam in ipsis angelicis thronis reperiri probavero, manifestum erit potiori iure prae omnibus creaturis illam thronum Dei dici, et esse. Exordior ergo a situ: sane situs throni hic esse debet, ut ab humo se attollat: quam autem multa diginitate, et meritis sanctitatis, et gloriae sublimitate beata Virgo sit elevata, haud difficile erit commonstrare. Primo id ostendo ex sublimitate suae praedestinationis: in hac enim inter puras creaturas principatum tenet: ut non obscure indicant verba illa (*Sapient. capit.* 7): *Est haec speciosior sole, et super omnem dispositionem stellarum, luci comparata, invenitur prior.* Quae verba Deiparae eleganter accommodat Bonaventura (*in spec. capit.* 3). Cum enim locum hunc Sapientiae (*cap.* 7) ad ostendendam Deiparae puritatem peccati omnis immunem, attulisset, subiecit. Quidam legunt hic, prior; quidam, pulcior: utrumque Mariae stellae nostrae compe-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
CAPILLA ALFONSINA

tit: Maria enim est prior, id est, potior sive dignior. Maria etiam purior est sole, et stellis, et luce, quia tam dignitate, quam puritate solem, et stellas, et omnem lucem superat corporalem, imo etiam et spiritualem, id est, angelicam creaturam. Dicitur, *Dicisit Deus lucem a tenebris*, id est, angelos stantes a cadentibus. Hac utique luce angelis prior, et purior est Maria, prior dignitate, et purior sanctitate. Facit etiam ad idem illud (*Proverb.* 8), ubi beata Virgo introducitur ab Ecclesia dicens, *ante omnes colles ego parturiebar*, id est, in priori rationis, ante angelorum sanctorum electionem, qui sunt veluti colles altissimi, tum propter naturae, tum etiam propter gloriae sublimitatem. Ego per praedestinationem parturiebar. *Nondum erant abyssi*, id est, nondum intelligebatur praevisum originale peccatum, quod est velut abyssus obscura, et profundissima; *et ego iam concepta eram*. Et (*Eccl. c.*24): *Ab initio, et ante saecula creata sum*: quod pariter Virgini propter suae praedestinationis praestantiam aptatur. Hinc est, quod (*Cantic.* 6) dicitur, *Electa ut sol*, tum quia in sui praedestinatione, atque electione, non fuit distincta a filio, qui *Sol iustitiae* dicitur (*Malach.*4): tum etiam, quia in electione Soli iustitiae Christo fuit suo modo quam simillima: ut enim ille (*Roman.*1), *Praedestinatus est filius Dei*, et quatenus homo absque ulla peccati macula, omnique gratia plenus, *Electus ex millibus* (*Cantic.* 5); ita Virgo sanctissima praedestinata est mater Dei, et ab omni peccati labe immunis, una *Electa Genitrici suae* (*Cantic.* 6). Haec Virginis praestantia in arca foederis, per quam Virgo figurabatur, ut ex Damascen. et aliis (*cap.* 38. *et* 5) diximus, significata, describitur. Arca etenim foederis in tabernaculo a Moyse erecto (*Exod.* 25), inter ea, quae ad Dei cultum spectabant, omnium prima, ut notat Beda (*libr.* 1. *de Tabern. cap.* 4) fieri iubetur a Deo: quod idem animadvertit Rupert. *Principio*, inquit, *sanctuarii compingitur arca, et in templo Salomonis quemadmodum in Moysis tabernaculo, inter ea, quae ad templum pertinebant, mensam nimirum panum propositionis, candelabrum, altare thymiamatis, altare holocaustorum, et castera, ipsa arca principem dignitatis locum obtinebat: quod ex loco eius nobilissimo facile colligitur, erat enim collocata in medio intra sancta sanctorum, habebatque propitiatorium, unde Deus responsa dabat: similiter et Virgo in corpore mystico s. Ecclesiae, cui caput est Christus, ut per collum aptissime significari solet, quod ut loco, sic et dignitate proximum est capiti, et reliquis omnibus eminet; quoniam Virgo sanctissima loco, et dignitate Christo maxime propinqua, reliquis omnibus praestat.*

In titulo quoque (*Psal.*47) cuius initium est: *Magnus Dominus, et laudabilis nimis*, quem ad Virginem per civitatem Dei nostri significatam pertinere diximus, non obscure Deiparae prae aliis dignitas eximia indicatur: sic autem habet Psalm. *Canticis filiis core secunda sabbati*: quemadmodum enim titulus (*Psalm.* 28), ubi legimus, prima sabbati Psalmus David, ipsi Christo capiti tribuitur, et ut animadvertit August. (*in Psal.* 23. *et in praefat. Psal.*47), prima enim sabbati Deus lucem fecit, eam divisit a tenebris, quod spiritualiter factum esse docet idem August. cum prima sabbati, quae propterea Dominica dicitur, Christus a mortuis resurrexit: ita in secunda sabbati, quae feria secunda vocatur, in qua firmamentum est factum, virginem sanctissimam, quae proxime Christum sequitur, quaeque ex iis, quae diximus, coelum appellatur, merito intelligimus. Et licet Augustinus secundam sabbati Ecclesiam Christi in sanctis intelligat, quam non negamus: ratio Augustini est, quoniam, inquit, sancti scripti sunt in coelo, et tentationibus minime cedunt, sed firmi sunt, et propterea firmamenti nomine digni censentur; hoc tamen multo magis de sanctissima Virgine dicemus: tum quia Psalmus totus in Deiparam mirum in modum quadrat: tum quia firmitatem ipsa prae omnibus est adepta, ita ut firmamentum iure optimo appellari possit: tum quia per Christam in divina praedestinatione dignitate omnibus praecellit, atque adeo eius nomen in coelo nobilissimo modo inscriptum invenitur: tum denique quia ipsa est Ecclesiae pars omnium nobilissima, et veluti collum Christo capiti vicinissima; atque ita quae de Ecclesia dicuntur, eidem praecipue accommodantur. Quocirca in secunda sabbati, quae primam sabbati, in qua Christus intelligitur, immediate consequitur, aptissime sanctissima Virgo Christo coninunctissima exprimitur. His etiam addere possumus et illud, hebdomadae nimirum dies, a planetis, qui prima eius diei hora dominium habent, desumpsisse nomen, iuxta astronomos, teste Clavio (*in primum caput sphaerae*), ubi de ordine sphaerarum coelestium agit, singuli enim planetae singulis horis suo ordine, qui semper recurrit, praeesse dicuntur, quod quam verum sit, negat Clavius esse illius loci disputare. Ioannes tamen Xiphilinus (*in comp.*), Dion (*lib.*36. *in Pompeio*), ab Ægyptiis hoc institutum manasse affirmat, quare et septem hebdomadae dies, hoc ordine servato, ab iisdem planetis nomen invenire, quibus positis, si hoc etiam spectemus, iure optimo prima sabbati, quae est dies solis, et secunda sabbati, quae est dies lunae, tributuntur Christo, qui (*Malach.* 6): *Sol Iustitiae* vocatur; et Deiparae, quae (*Cant.* 6), et alibi saepe lunae comparatur: quare recte habetur (*Habacuch. cap.* 3): *Elevatus est sol, et luna stetit in ordine suo*, hoc est, ubi Christi dignitas mundo per Apostolorum praedicationem innotuit, illico et eius Genitricis praestantia omnibus fuit cognita, atque perspecta. Hinc divus Ioannes Damascenus (*orat.* 1. *de nativit. Virg.*) montem illam appellat angelicis spiritibus sublimiorem: sic enim ait: *Exultate montes, hoc est, ratione praeditae naturae, quaeque ad spiritualis contemplationis fastigium assurgitis: siquidem clarissimus Dei mons paritur, mons*, inquam, *ille, qui collem omnem, ac montem, id est, angelorum et hominum sublimitatem exsuperat: ex quo citra ullam manuum operam, corporeo modo excindi voluit lapis angularis Christus, una persona distinctas naturas copulans, divinitatem nimirum et humanitatem;*

angelos, et homines, gentiles, et carnalem Israelem in unum spirituatem Israelem; haec ille.

Sed veniamus iam ad firmitatem huius celsissimi throni: hoc enim erat secundum quod in sedibus materialibus s. Thomas ex divo Dionysio reperiri dicebat. Fuit sane beatissima Virgo in bono semper firmata, et confirmata, ut non obscure indicant verba Davidis (*Psalm.* 32): nam ubi ex versione Septuaginta legimus de praeparato habitaculo suo respexit super omnes, per quod habitaculum Virginem designari testis est, ubi Hugo card. s. Hieronymus, et alii vertunt, de firmissimo solio prospexit. Unde d. Bonaventura (*in spec. b. Virg. cap.* 7): *Domus*, inquit, *illa, in cuius solio Dominus sedit, est Virgo, in cuius montis solio Dominus requievit. O vere stabilissimum solium, sicut dicitur lib. Reg. firmissimum solium tuum in aeternum*; haec d. Bonaventura: et s. Bernardinus (*tom.* 5. *ser.* 11. *art.* 1. *c.* 2): *Virginis*, inquit, *altitudo firmissima est, et inconcussa ut moveri non possit stabilitas montis, quamdiu durat firmitas lapidis: nec regnum matris, quamdiu durat imperium prolis, de cuius imperio* (*Daniel. cap.* 7) *scriptum est, potestas eius aeterna, et regnum eius, quod non corrumpetur, hoc enim significatur Isai.* (*cap.* 6): *Vidi Dominum sedentem super solium, quia immobiliter requievit super Virgine gloriosa*. Quibus accedit, quod in haec verba docuit s. Thomas (3. *part. quaest.* 27. *art.* 6. *ad* 1), cum dicit: *Beatam Virginem a Deo in matrem electam ampliorem sanctificationis gratiam obtinuisse, quam Ioannem Baptistam, et Ieremiam sanctificatos in utero: cuius signum est, quod beatae Virgini praestitum est, ut de caetero non peccaret nec mortaliter, nec venialiter: aliis autem sanctificatis creditur praestitum esse, ut de caetero mortaliter non peccarent, divina eos protegente gratia*; ita s. Thomas. Item (*in* 3. *distinct.* 3. *q.* 1. *art.* 2. *quaest.* 3. *in corp.*): *In prima*, inquit, *sanctificatione Virgini gratia collata fuit ad bonum efficaciter liberum arbitrium inclinans, quamvis non esset sufficiens ad tollendam flexibilitatem liberi arbitrii in malum, quam etiam homo in primo statu habuit: in secunda vero sanctificatione gratia superaddita fuit, qua ita potentiam liberi arbitrii impleret, ut in contrarium flecti non quidem tollendo naturam lib. arbitrio, sed defectum: sicut materia coeli ex eo, quod subsistit formae, quae omnem privationem ab eo excludit, non est in potentia ad corruptionem.* Adeo autem b. Virgo fuit in bono semper confirmata, ut nec per peccatum aliquod actuale, nec originale a Creatore suo fuerit unquam separata: de primo nullus est locus ambigendi, cum id definierint duo sacra Concilia Claromontanum, et Tridentinum (*sess.*6. *can.*21). De secundo vero non obscure id mihi indicari videtur primo ex illo patriarchae Iacob (*Genes.* 28): ille enim evigilans e somno, in quo scalam illam a terra in coelum usque protensam conspexerat, beatam Virginem spiritu prophetico praevidens, haec verba pronunciavit: *Non est hic aliud, nisi domus Dei et porta coeli*. Si autem Virgo beatissima originali labe fuisset vel ad brevissimum temporis spatium inquinata, vere tunc fuisset domus daemonis, ac proinde aliquando fuisset aliud, quam domus Dei, cuius contrarium perspicue satis dixit Iacob: *Non est hic aliud, nisi domus Dei*. Secundo id confirmat, quod ubi (*Psal.*44), ubi Septuaginta Interpretes legunt, *Astitit regina in vestitu deaurato circumdata varietate*, S. Hieron. vertit: *Fasciis aureis vestita est, in scutulatis ducetur ad regem*: quia adhuc tenera in utero matris, velut fasciis aureis charitate circumdata erat, et gratiae scutis praemunienda, ne a iaculis culpae originalis, quae futura erat origo Christi, quoquo modo laederetur. Tertio, id ipsum non obscure indicat locus ille (*Cant.* 2): *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*: id enim plane Sponsus dixit ad significandum, solam Virginem Deiparentem inter omnes puras creaturas spina originalis peccati nunquam fuisse punctam. Etenim sicut rosa ante peccatum, ut divus Ambros. adnotavit (*lib.* 3. *exameron. cap.* 11), spinis carebat, postea tamen ex spinis nascens asperitatem nullam contraxit: *Surrexerat*, inquit, *antea floribus immista teneris sine spinis rosa, et pulcherrimus flos sine ulla fraude vernabat, postea spina floris gratiam sepsit; ita Deipara post originale peccatum ex humani generis spinis peccati originalis nullam contraxit.*

Nec reticendum illud, quod ii qui plantarum naturam investigarunt, de vi, atque efficacitate lilii, qua adversus serpentes eorumque venena pollet, litteris prodiderunt: cum ad illustrandum hunc typum, quo Deiparae conceptio immaculata per lilium adumbrari diximus, maxime faciat. Plinius (*lib.* 21. *cap.* 19): *Radices*, inquit, *lilii multis modis florem suum nobilitaverunt contra serpentium ictus ex vino et contra fungorum venena*; haec ille. Dioscorides vero (*lib.* 3. *c.* 90), ubi agit de lilio: *Folia*, inquit, *herbae illata, serpentium morsibus subeuntur, eadem cocta, in aqua ignis adustionibus et cum aceto condita vulneribus*. Quod ipsum de lilio confirmat Petrus Andreas Matthiolus (*lib. de plantis c. de lilio pag.* 270), additque semen lilii potum adversari iisdem serpentium morsibus: et Gulielmus Rovilius (*in hist. gen. plan. lib.* 15. *pag.* 1496) haec eadem refert, quae Plinius, et Dioscorides. Idem quoque Dioscorides (*lib. cap.*4) de alia lilii specie, quae Latine iris, Italice vero lilium coeleste appellatur, radicem eius cum aceto potam venenatorum animalium morsibus mederi docet. Et Petrus Matthiol. (*in comment.*) addit, eandem radicem in pulverem contusam cum aceto potam, universaliter adversus omnia venena conferre. Quod si lilium, et praesertim eius radix tantam contra veneneta animalia vim habet, qui fieri poterit, ut serpentes saevum dentem lilio infigant, eique virus suum infundant? Pari itaque ratione cum Virgo Deipara (*Cant.* 6) lilio inter spinas comparetur, quemadmodum Ephrem (*ser. de laudibus Virginis*) tradidit, quippe quae filium gignendo, universis venenis antidotum protulit praesentissimum, quis originali veneno, a serpente primum infuso, et per Adam in posteros transfuso, eam aliquando infectam dicere audebit? Adde, quia si Virgo est lilium, radix huius lilii, cui nominatim antidotum contra

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS

serpentes inesse traditur, eiusdem respondet conceptioni, quae totius vitae veluti radix est, et principium. Ex quo facile colligimus, ipsam, quae delecta erat ad gignendum eum qui daemonum venena curaturus adveneral, omnis veneni singulari Dei privilegio in conceptione expertem fuisse. Nec illud significatione vacat, radicem hanc lilii ex vino, ut dicebat Plinius, venenatis morsibus auxiliari: vinum enim in sacris litteris plerumque Christi sanguinem significat, in torculari crucis ex corpore Christi, qui est vitis vera, expressum: in quo omnis sanctorum intercessio nititur. Nam ex sacro Concilio Tridentino (*sess.* 25. *cap. de sanctor. invocation.*), ad sanctorum orationes opemque confugimus, ob beneficia impetranda a Deo per filium eius Iesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor, et Salvator est; quem, inquit Apostolus (*ad Rom.* 5). *Proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius.* Quarto, (1. *Machab.* 4) legimus Iudam Machabaeum cum aliis, altari holocaustorum, quia contaminatum fuerat a gentibus, ne forte esset illis in opprobrium uti noluisse, sed acceperunt lapides integros, et aedificaverunt altare novum secundum illud, quod fuit prius; quanto ergo magis credendum est, Dei Filium noluisse in matrem accipere eam, quae per peccatum fuisset contaminata, ne in eius opprobrium cederet: nam, ut ait s. Thomas (3. *par. qu.* 27. *art.* 4), sicut gloria filiorum, patres eorum (*Proverb.* 17), ita per oppositum ignominia matris ad filium redundaret.

Tertia thronorum angelicorum ad materiales sedes, ut loquitur s. Thomas, convenientia in eo posita est, teste Dionysio (*cap.* 7. *coeles. hierar.*), et s. Thomas (1. *par. q.* 108. *art.* 5. *ad* 6. *et art.* 6), quia sedes suscipit sedentem, qui in ea deferri potest, nihilque sedenti vicinius est sua sede. Est autem adeo proprium throni suscipere sedentem in se, ut sanctus Thomas (1. *part. quaest.* 109. *artic.* 1. *ad* 3), investigans rationem, quare, cum daemones de singulis ordinibus angelorum, etiam thronorum, ceciderint, nunquam tamen illis post casum thronorum nomen, sicuti seraphim, vel dominationum tribuatur, sed aliorum aliquorum tantum ordinum. Nam lucifer (*Ezech. cap.* 28) dicitur cherubin, quod a scientia deducitur, et (*ad Ephes. ult.*) daemones dicuntur principes, et potestates, quae nomina a principatu et potentia derivantur. Sanctus Thomas, inquam, ad hoc respondet: *Quoniam in nominibus seraphim, thronorum, et dominationum importantur ea, quae opponuntur peccato; nomen enim seraphim ab ardore charitatis, thronorum vero ab inhabitatione imponitur, nomen autem dominationum quandam libertatem importat; ideo angelis peccantibus huiusmodi nomina non tribuuntur. Quam autem egregie in beatam Virginem conveniat inter regium thronum Deum familiariter excipere, illud satis aperte indicat, quod praeterquam quod ab instanti suae immaculatae conceptionis Deum per gratiam in anima sua exceperit, postea utero suo per novem menses eundem carne indutum continuit, iuxta illud* (*Eccl.* 24) *qui creavit me, requievit in tabernaculo meo: ad quam duplicem Dei inhabitationem spiritualem, et corporalem respiciens divus Augustinus serm.* 4 *de natalitate, eleganter docet, Deum magis esse cum Virgine sanctissima, quam cum angelis. Dixit, inquit, angelus Mariae, Dominus tecum, plusquam mecum, ita est Dominus tecum, ut sit in corde tuo, sit in utero tuo, adimpleat mentem tuam, adimpleat carnem tuam: procedat formosus de utero tuo, tanquam sponsus de thalamo suo, procedat princeps ex aula regali, ita ut virginitatem tuam non faciat violari.* Non solum autem Virgo Deum excepit, sed et poriavit excellentius, quam omnes iusti, quibus Apostolus dixit (1. *Corinth.* 6): *Glorificate, et portate Deum in corpore vestro*, sed et illo speciali, cuius meminit inclyta hodierni Evangelii mulier cum dixit: *Beatus venter, qui te portavit*: ad quod alludens d. Gregorius Taumaturgus (*orat. de Annunc. Deip.*) dixit: *Sola ferens eum, qui verbo portat omnia;* et Methodius (*in orat. in hypap.*): *Tu cuncta continentis et comprehendentis comprehensio, tu illius gestatrix, qui verbo suo portat universa.* Propterea (*cap.* 5) figuratur per ferculum illud Salomonis magnificentissimum, in quo cum magna maiestate Salomon deferebatur, de quo (*Cant.* 3): *Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constravit propter filias Ierusalem.* Ad hoc ferculum respiciens Gregorius Nicomediensis (*orat. de praesent. Virg.*), vocat illam thronum gloriosum, et regium vehiculum, quo vectum Verbum cum carne advenit. Cui simile est illud Andreae Cretensis (*orat.* 2. *de dorm.*), ubi alludens ad illud (*Psal.* 67): *Currus Dei decem millibus multiplex*, ad Virginem ait: *Tu es ille decies mille millibus multiplicatus Dei currus, quae millia millium locupletum adduxisti ad eum in carne tectum.* Ac tandem d. Bernardus (*serm.* 7. *in Psalm. qui habitat*) sic de Virg. loquitur: *Magnus ille Ignatius, discipuli, quem diligebat Iesus, auditor, in pluribus quas ad eam conscripsit, epistolis, Christiferam consalutat; egregius plane titulus dignitatis, et commendatio honoris immensi, nempe cui servire regnare est, gestare hunc non onerare est, sed ornari;* ita d. Bern.

Ad extremum quarta throni cum sede materiali convenientia est, apertum, et capacem esse ad excipiendum sedentem. Hoc plane in Deipara Virgine fulgentissimo Dei throno perfecte reperiri, nemo catholicus inficiabitur, cum eius anima, et corpus, ut dignum filii Dei habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante, ut canit Ecclesia catholica, fuerit divinis charismatibus mirabiliter praeparatum. Unde divus Damascenus (*orat.* 1. *de dormit.*) inquit: *Is qui coelum et terram implet, cuius coelum thronus, et terra scabellum pedum est, et ancillae suae ventrem latissimum domicilium fecit.* Chrysippus presbyter Hierosolymitanus (*hom. de b. Virg.*): *Arca*, inquit, *pretiosissima est Virgo Deipara, quae excepit totius sanctificationis thesaurum: Arca, non ea, in qua erant omnium animalium genera, quemadmodum in arca Noe, quae fluctuantis universi mundi effugiebant naufragium:* et infra: *Sed arca, cuius architectus, et incola, gubernator, mercator, comes viae, et dux erat opifex omnium creaturarum, quas in se universas portat, sed a cunctis ipse non comprehenditur;* haec Chrysippus.

Ac tandem d. Bonaventura (*in spec. b. Virg. cap.* 5) agens circa illud, *Gratia plena*, inquit: *Consideremus gratiae Mariae veritatem, immensitatem, multiplicitatem, et utilitatem*, et horum singula d. Bonav. late prosequitur: sed quod facit ad nostrum propositum de immensitate gratiae Virginis: *Immensa*, inquit, *fuit gratia, qua ipsa fuit plena: immensum enim vas non potest esse plenum, nisi immensum sit illud, quo est plenum; Maria autem vas immensissimum fuit, ex quo illum, qui in coelo maior est, continere potuit. Quis est coelo maior? certe ille, de quo Salomon ait: Si coelum, et coeli coelorum te capere non possunt, quanto magis domus haec, quam aedificavi: non utique domus per Salomonem aedificata, sed domus per illam significata, Deum capere potuit. Tu ergo immensissima Maria capacior es coelo, quia quem coeli capere non poterant, tuo gremio contulisti. Tu capacior es mundo, quia quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo. Si ergo Maria tam capacissimo fuit ventre, quanto magis mente? et si capacitas tam immensa fuit gratia plena, oportuit utique, quod gratia illa, quae tantam implevisse potuit capacitatem, esset immensa. Quis immensitatem Mariae potest mensurare? Ecce, quod dicitur in Ecclesiastico capite primo: Altitudinem coeli, latitudinem terrae, et profundum abyssi quis dimensus est? Coelum est Maria, tum quia coelesti puritate, coelesti claritate, coelestibus aliis virtutibus abundavit, tum quia sedes Dei altissimi fuit, teste propheta, qui dicit, Dominus in coelo paravit sedem suam. Terra quoque Maria fuit, quae fructum illum nobis protulit, de quo idem propheta ait: Terra dedit fructum suum. Abyssus etiam est Maria in bonitate, et in misericordia profundissima, unde etiam profundissimam misericordiam filii sui pro nobis interpellat, quasi abyssus abyssum invocat. Coelum ergo est Maria. Terra est Maria, abyssus est Maria, quis huius coeli altitudinem, quis huius terrae latitudinem, quis huius abyssi profunditatem, quis inquam, Mariae immensitatem dimensus est, nisi ille solus qui ipsam non solum in gratia, et in gloria, sed etiam in misericordia, tam altissimam, tam latissimam, tam profundam operatus est?* hucusque sanctus Bonaventura. Ex quibus omnibus satis utique constat excellentius, quam in ipsis etiam angelicis thronis illa quatuor supra adducta Dei parenti convenire; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XVI.

Variae rationes apponuntur, ob quas omnino decuit Christum Dominum non alio lacte in eius infantia nutriri, quam eo, quod ubera beatae Virginis matris suae ei propinabant, in illa verba: Beata ubera, quae suxisti.

Si rem altius contemplemur, eaedem prorsus rationes, quae ostendunt, propterea beata, ac felicissima fuisse Deiparae ubera, quia Christum Dominum lactaverunt, etiam comprobant, decuisse Christum Dominum non aliud lac, quam ex b. Mariae uberibus suxisse. Inter has rationes illa primum locum teneat, quod oportebat antiqua huius mysteria, vaticinia, et figuras compleri; nam Sibylla Tiburtina cecinit,

O nimium felix coelo dignissima mater,
Quae tantum sacro lactabit ab ubere pedem.

Cui consonat illud Salomonis propheticum eloquium: *Quis mihi det te fratrem sugentem ubera matris?* (*Cantic.* 8) quod perinde fuit, ac si diceret: quis mihi concedat, ut videam te foris, hoc est, carne indutum, non intus solum in sinu Patris, sed in gremio matris sugentem ubera matris tuae, et meae? Virgo enim omnium mater est. Idipsum in Moyse praefiguratum cerno: nam, ut legimus (*Exodi.* 2), cum noluisset a muliere Ægyptiaca lactari, quaesita fuit mulier Hebraea, mater scilicet eius propria, quae illam lactavit. Illud etiam (*Iudic.* 5) ad beatam Mariam converto: *In phiala principum propinavit butyrum:* phiala enim est manna Deiparae, propinans lactis pinguedinem principi nostro Christo, non ad soporem, et necem, ut fabel Sisarae propinavit, sed ad nutriendam, et conservandam vitam. Quod si (*Exod.* 3) promisit Deus terram lacte et melle manantem; sane ubera b. Virginis Christo Domino fuerunt terra, lacte, et melle manans. Unde b. Petrus Damianus (*hom.* 2, *de nat. B. Virg.*): *Terra repromissionis est dicta, quae longe ante paritura Salvatorem mundi a Prophetis multifariam est promissa, quae vere lac et mel manavit, dum Deum, et hominem intemerata virginitate profudit.* Ac tandem quia Isaias praedixerat (*cap.* 15): *Delectabitur infans ab ubere:* quae verba, iuxta communem Patrum sententiam, intelliguntur de Christo infante, de quo praedixit, infantilem eius gustum magnam delectationem habiturum sugendo ubera matris suae. Existimo namque nullius matris lac tanta suavitate, ac dulcedine plenum fuisse, ut Deiparae Virginis lac: nam illud fuerat a Spiritu sancto depuratum. Unde noster Bernardinus Busten. (*ser.* 5. *de par. B. Maria p.* 2, *in fine*) dixit: *B. Virginis lac habuit saporositatem, quam traxit a Spiritus sancti depuratione, nunquam enim aliqua mulier habuit lac tam saporosum, sicut ipsa: et huius ratio est, quia lac aliarum mulierum habet multum impuritatis, et ideo non potest esse magni saporis; lac autem*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

serpentes inesse traditur, eiusdem respondet conceptioni, quae totius vitae veluti radix est, et principium. Ex quo facile colligimus, ipsam, quae delecta erat ad gignendum eum qui daemonum venena curaturus adveneral, omnis veneni singulari Dei privilegio in conceptione expertem fuisse. Nec illud significatione vacat, radicem hanc lilii ex vino, ut dicebat Plinius, venenatis morsibus auxiliari: vinum enim in sacris litteris plerumque Christi sanguinem significat, in torculari crucis ex corpore Christi, qui est vitis vera, expressum: in quo omnis sanctorum intercessio nititur. Nam ex sacro Concilio Tridentino (*sess.* 25. *cap. de sanctor. invocation.*), ad sanctorum orationes opemque confugimus, ob beneficia impetranda a Deo per filium eius Iesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor, et Salvator est; quem, inquit Apostolus (*ad Rom.* 5). *Proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius.* Quarto, (1. *Machab.* 4) legimus Iudam Machabaeum cum aliis, altari holocaustorum, quia contaminatum fuerat a gentibus, ne forte esset illis in opprobrium uti noluisse, sed acceperunt lapides integros, et aedificaverunt altare novum secundum illud, quod fuit prius; quanto ergo magis credendum est, Dei Filium noluisse in matrem accipere eam, quae per peccatum fuisset contaminata, ne in eius opprobrium cederet: nam, ut ait s. Thomas (3. *par. qu.* 27. *art.* 4), sicut gloria filiorum, patres eorum (*Proverb.* 17), ita per oppositum ignominia matris ad filium redundaret.

Tertia thronorum angelicorum ad materiales sedes, ut loquitur s. Thomas, convenientia in eo posita est, teste Dionysio (*cap.* 7. *coeles. hierar.*), et s. Thomas (1. *par. q.* 108. *art.* 5. *ad* 6. *et art.* 6), quia sedes suscipit sedentem, qui in ea deferri potest, nihilque sedenti vicinius est sua sede. Est autem adeo proprium throni suscipere sedentem in se, ut sanctus Thomas (1. *part. quaest.* 109. *artic.* 1. *ad* 3), investigans rationem, quare, cum daemones de singulis ordinibus angelorum, etiam thronorum, ceciderint, nunquam tamen illis post casum thronorum nomen, sicuti seraphim, vel dominationum tribuatur, sed aliorum aliquorum tantum ordinum. Nam lucifer (*Ezech. cap.* 28) dicitur cherubin, quod a scientia deducitur, et (*ad Ephes. ult.*) daemones dicuntur principes, et potestates, quae nomina a principatu et potentia derivantur. Sanctus Thomas, inquam, ad hoc respondet: *Quoniam in nominibus seraphim, thronorum, et dominationum importantur ea, quae opponuntur peccato; nomen enim seraphim ab ardore charitatis, thronorum vero ab inhabitatione imponitur, nomen autem dominationum quandam libertatem importat; ideo angelis peccantibus huiusmodi nomina non tribuuntur. Quam autem egregie in beatam Virginem conveniat inter regium thronum Deum familiariter excipere, illud satis aperte indicat, quod praeterquam quod ab instanti suae immaculatae conceptionis Deum per gratiam in anima sua exceperit, postea utero suo per novem menses eundem carne indutum continuit, iuxta illud* (*Eccl.* 24) *qui creavit me, requievit in tabernaculo meo: ad quam duplicem Dei inhabitationem spiritualem, et corporalem respiciens divus Augustinus serm.* 4 *de natalitate, eleganter docet, Deum magis esse cum Virgine sanctissima, quam cum angelis. Dixit, inquit, angelus Mariae, Dominus tecum, plusquam mecum, ita est Dominus tecum, ut sit in corde tuo, sit in utero tuo, adimpleat mentem tuam, adimpleat carnem tuam: procedat formosus de utero tuo, tanquam sponsus de thalamo suo, procedat princeps ex aula regali, ita ut virginitatem tuam non faciat violari.* Non solum autem Virgo Deum excepit, sed et poriavit excellentius, quam omnes iusti, quibus Apostolus dixit (1. *Corinth.* 6): *Glorificate, et portate Deum in corpore vestro*, sed et illo speciali, cuius meminit inclyta hodierni Evangelii mulier cum dixit: *Beatus venter, qui te portavit*: ad quod alludens d. Gregorius Taumaturgus (*orat. de Annunc. Deip.*) dixit: *Sola ferens eum, qui verbo portat omnia;* et Methodius (*in orat. in hypap.*): *Tu cuncta continentis et comprehendentis comprehensio, tu illius gestatrix, qui verbo suo portat universa.* Propterea (*cap.* 5) figuratur per ferculum illud Salomonis magnificentissimum, in quo cum magna maiestate Salomon deferebatur, de quo (*Cant.* 3): *Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constravit propter filias Ierusalem.* Ad hoc ferculum respiciens Gregorius Nicomediensis (*orat. de praesent. Virg.*), vocat illam thronum gloriosum, et regium vehiculum, quo vectum Verbum cum carne advenit. Cui simile est illud Andreae Cretensis (*orat.* 2. *de dorm.*), ubi alludens ad illud (*Psal.* 67): *Currus Dei decem millibus multiplex*, ad Virginem ait: *Tu es ille decies mille millibus multiplicatus Dei currus, quae millia millium locupletum adduxisti ad eum in carne tectum.* Ac tandem d. Bernardus (*serm.* 7. *in Psalm. qui habitat*) sic de Virg. loquitur: *Magnus ille Ignatius, discipuli, quem diligebat Iesus, auditor, in pluribus quas ad eam conscripsit, epistolis, Christiferam consalutat; egregius plane titulus dignitatis, et commendatio honoris immensi, nempe cui servire regnare est, gestare hunc non onerare est, sed ornari;* ita d. Bern.

Ad extremum quarta throni cum sede materiali convenientia est, apertum, et capacem esse ad excipiendum sedentem. Hoc plane in Deipara Virgine fulgentissimo Dei throno perfecte reperiri, nemo catholicus inficiabitur, cum eius anima, et corpus, ut dignum filii Dei habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante, ut canit Ecclesia catholica, fuerit divinis charismatibus mirabiliter praeparatum. Unde divus Damascenus (*orat.* 1. *de dormit.*) inquit: *Is qui coelum et terram implet, cuius coelum thronus, et terra scabellum pedum est, et ancillae suae ventrem latissimum domicilium fecit.* Chrysippus presbyter Hierosolymitanus (*hom. de b. Virg.*): *Arca*, inquit, *pretiosissima est Virgo Deipara, quae excepit totius sanctificationis thesaurum: Arca, non ea, in qua erant omnium animalium genera, quemadmodum in arca Noe, quae fluctuantis universi mundi effugiebant naufragium:* et infra: *Sed arca, cuius architectus, et incola, gubernator, mercator, comes viae, et dux erat opifex omnium creaturarum, quas in se universas portat, sed a cunctis ipse non comprehenditur;* haec Chrysippus.

Ac tandem d. Bonaventura (*in spec. b. Virg. cap.* 5) agens circa illud, *Gratia plena*, inquit: *Consideremus gratiae Mariae veritatem, immensitatem, multiplicitatem, et utilitatem*, et horum singula d. Bonav. late prosequitur: sed quod facit ad nostrum propositum de immensitate gratiae Virginis: *Immensa*, inquit, *fuit gratia, qua ipsa fuit plena: immensum enim vas non potest esse plenum, nisi immensum sit illud, quo est plenum; Maria autem vas immensissimum fuit, ex quo illum, qui in coelo maior est, continere potuit. Quis est coelo maior? certe ille, de quo Salomon ait: Si coelum, et coeli coelorum te capere non possunt, quanto magis domus haec, quam aedificavi: non utique domus per Salomonem aedificata, sed domus per illam significata, Deum capere potuit. Tu ergo immensissima Maria capacior es coelo, quia quem coeli capere non poterant, tuo gremio contulisti. Tu capacior es mundo, quia quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo. Si ergo Maria tam capacissimo fuit ventre, quanto magis mente? et si capacitas tam immensa fuit gratia plena, oportuit utique, quod gratia illa, quae tantam implevisse potuit capacitatem, esset immensa. Quis immensitatem Mariae potest mensurare? Ecce, quod dicitur in Ecclesiastico capite primo: Altitudinem coeli, latitudinem terrae, et profundum abyssi quis dimensus est? Coelum est Maria, tum quia coelesti puritate, coelesti claritate, coelestibus aliis virtutibus abundavit, tum quia sedes Dei altissimi fuit, teste propheta, qui dicit, Dominus in coelo paravit sedem suam. Terra quoque Maria fuit, quae fructum illum nobis protulit, de quo idem propheta ait: Terra dedit fructum suum. Abyssus etiam est Maria in bonitate, et in misericordia profundissima, unde etiam profundissimam misericordiam filii sui pro nobis interpellat, quasi abyssus abyssum invocat. Coelum ergo est Maria. Terra est Maria, abyssus est Maria, quis huius coeli altitudinem, quis huius terrae latitudinem, quis huius abyssi profunditatem, quis inquam, Mariae immensitatem dimensus est, nisi ille solus qui ipsam non solum in gratia, et in gloria, sed etiam in misericordia, tam altissimam, tam latissimam, tam profundam operatus est?* hucusque sanctus Bonaventura. Ex quibus omnibus satis utique constat excellentius, quam in ipsis etiam angelicis thronis illa quatuor supra adducta Dei parenti convenire; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XVI.

Variae rationes apponuntur, ob quas omnino decuit Christum Dominum non alio lacte in eius infantia nutriri, quam eo, quod ubera beatae Virginis matris suae ei propinabant, in illa verba: Beata ubera, quae suxisti.

Si rem altius contemplemur, eaedem prorsus rationes, quae ostendunt, propterea beata, ac felicissima fuisse Deiparae ubera, quia Christum Dominum lactaverunt, etiam comprobant, decuisse Christum Dominum non aliud lac, quam ex b. Mariae uberibus suxisse. Inter has rationes illa primum locum teneat, quod oportebat antiqua huius mysteria, vaticinia, et figuras compleri; nam Sibylla Tiburtina cecinit,

O nimium felix coelo dignissima mater,
Quae tantum sacro lactabit ab ubere pedem.

Cui consonat illud Salomonis propheticum eloquium: *Quis mihi det te fratrem sugentem ubera matris?* (*Cantic.* 8) quod perinde fuit, ac si diceret: quis mihi concedat, ut videam te foris, hoc est, carne indutum, non intus solum in sinu Patris, sed in gremio matris sugentem ubera matris tuae, et meae? Virgo enim omnium mater est. Idipsum in Moyse praefiguratum cerno: nam, ut legimus (*Exodi.* 2), cum noluisset a muliere Ægyptiaca lactari, quaesita fuit mulier Hebraea, mater scilicet eius propria, quae illam lactavit. Illud etiam (*Iudic.* 5) ad beatam Mariam converto: *In phiala principum propinavit butyrum:* phiala enim est manna Deiparae, propinans lactis pinguedinem principi nostro Christo, non ad soporem, et necem, ut fabel Sisarae propinavit, sed ad nutriendam, et conservandam vitam. Quod si (*Exod.* 3) promisit Deus terram lacte et melle manantem; sane ubera b. Virginis Christo Domino fuerunt terra, lacte, et melle manans. Unde b. Petrus Damianus (*hom.* 2, *de nat. B. Virg.*): *Terra repromissionis est dicta, quae longe ante paritura Salvatorem mundi a Prophetis multifariam est promissa, quae vere lac et mel manavit, dum Deum, et hominem intemerata virginitate profudit.* Ac tandem quia Isaias praedixerat (*cap.* 15): *Delectabitur infans ab ubere:* quae verba, iuxta communem Patrum sententiam, intelliguntur de Christo infante, de quo praedixit, infantilem eius gustum magnam delectationem habiturum sugendo ubera matris suae. Existimo namque nullius matris lac tanta suavitate, ac dulcedine plenum fuisse, ut Deiparae Virginis lac: nam illud fuerat a Spiritu sancto depuratum. Unde noster Bernardinus Busten. (*ser.* 5. *de par. B. Maria p.* 2, *in fine*) dixit: *B. Virginis lac habuit saporositatem, quam traxit a Spiritus sancti depuratione, nunquam enim aliqua mulier habuit lac tam saporosum, sicut ipsa: et huius ratio est, quia lac aliarum mulierum habet multum impuritatis, et ideo non potest esse magni saporis; lac autem*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

b. Virginis sic fuit a Spiritu sancto depuratum, quod factum est dulcissimum, et nimium saporosum. Dulcedinem huius lactis considerans d. Aug. (*ser.de annun.*) *in hunc modum b. Virgini dulciter alloquitur: Lacta Maria Creatorem tuum, panem coeli, pretium mundi, praebe lambenti mammillam, ut ille pro te percutienti praebeat maxillam. Lacta eum, qui fecit te talem, ut ipse fieret in te*; haec ille. Lactavit certe, alioquin non dixisset (*Cantic.* 1): *Inter ubera mea commorabitur*; nec ipsi filio suo dicendo, lac uberum suorum propinaturam polliceretur: *Dabo tibi ubera mea* (*Cantic.*7): ubi obiter observo, minime beatae Virgini, Filio suo blandiendo contigisse,quod Ecclesiastes minatur parentibus (*c.* 30): *Lacta filium, et parentem te faciet, lude cum eo, et contristabit te*: etenim b. Virgo, dum Christo infantulo, sinu suo illum fovens, blandiebatur, ac virgineum lac in os eius effundebat, mirum in modum animus eius recreabatur, summas sibi delicias merito arbitrans, aeterni Patris filium coelesti illo lactis nectare cibare, et potare.

Deinde secundo, cum Christus Dominus conceptus, et natus fuisset ex sanguine virgineo, nutriri etiam debebat virgineo matris suae lacte; nullum autem unquam lac, nisi Deiparae virgineum fuit, cum nulli unquam foeminae natura lac providerit, quae prius virginitatis suae iactura illud non emerit: at cum Christus Dominus etiam genitus fuisset coelesti Spiritus sancti spiramine, beatissima Virgine materiam supponente oportebat consequenter non aliter nutriri, quam ubere de coelo pleno, eadem Virgine materiam summo opifici subministrante, quam constat fuisse sanguinem: nam, ut philosophi docent, lac nihil aliud est, quam sanguis concoctus, non corruptus, alborem in destinatis, et frigidioribus genitricis partibus assumens; atque hinc est, quod cum Spiritus s. beata Virgine cooperante, coeleste illud lactis nectar, ac divinam ambrosiam confecisset, certe parienti Virgini colostrum, cuius meminit Martialis: *De primo matrum lacte colostra damus*, sicut reliquis foeminis parturientibus non accidit: nam cum colostrum nihil aliud sit, quam superflua quaedam spongiosa densitas lactis; Deiparae autem Virginis lac, utpote ab Spiritu sancto mirabiliter confectum, omni superflua densitate caruit. Scio quosdam doctores, cum Teriul. (*lib.de carne Christi, c.* 20) existimasse, naturale fuisse lac beatissimae virginis, quia naturale est foeminis parientibus lac habere, eo quod naturaliter gignitur ex sanguine ad ubera confluente, et per caloris coctionem ad candorem deducto; verum alii Patres, quibus maiorem fidem facio, putant, per miraculum in ubera sanctissimae Virginis lac fuisse evocatum: etenim divus Athanasius (*in serm. descrip. Virg.et Ios.*) haec scripsit: *Ubera beata Virginis naturae consuetae radicem non habuerunt, longeque a naturali consuetudine, ac lege fuerunt aliena: lac vero peregrino modo fluxit*;et d.Vincent. (*serm. de nativ.Christi*) ait: *Beatam Virginem lacte carentem, pro lacte Deum deprecatam, subitoque fuisse eius ubera lacte plena*: quibus omnibus favent verba Ecclesiae catholicae in Festo circumcisionis Domini dicentis: *Ipsum regem angelorum Virgo lactabat ubere de coelo pleno*, quae plane non a natura, sed praecipue ex Dei miraculo, lac illud fluxisse aperte indicant.

Tertia ratio sit, quia b. Virgo, tam legis supernaturalis, quam naturalis observantissima custos, naturae iura violare noluit. Docet autem natura, ipsis matribus lactandam, atque alendam suam prolem: hac enim ratione omni parienti lactis alimentum suppeditat: et quia sapientissima est auctoris naturae providentia, bina foeminis ubera dedit, ut etiam si gemellos edidisset, uterque haberet diversum alimenti sui fontem. Quare divus Gregorius ad undecimam interrogationem divi Augustini Cantuariensis archiepiscopi (*cap.*10) matrum incontinentiae tribuit, quod proprios filios lactare respuant: verba eius sunt haec: *Dum enim se continere nolunt, despiciunt lactare, quod gignunt.* Atque ob eandem causam d. Ambrosius monet matres, ut Saram aemulantes filios suos aliis foeminis lactandos minime committant, sed illos proprio nutriant lacte. Unde Phavorinus philosophus apud Aulum Gellium (*lib.* 12. *cap.* 1) erudite dixit: *Quid indignius, quam infantem statim a matre relinqui, quem in utero nutrivit? quis hoc in feris, quantumvis immansuetis, observare potuit? quanta cura leaenae, tigrides, et lupae suos foetus nutriunt? quanta apri?* Mihi non dubium, quin matres, quae, urgenti necessitate cessante, filios proprio lacte nutrire renuunt, crudeliores sint lamiis ferocissimis, et struthionibus in deserto quam simillimae: et in quas aptè conveniat Hieremiae lamentatio (*Thren.* 4): *Sed et lamiae nudaverunt mammas, lactaverunt catulos suos, filiae populi mei crudeles quasi struthio in deserto*, cuius ferinam conditionem explicans Iob (*cap.* 39) dixit: *Struthio duratur adfilios suos, quasi non sint sui.*Virgo igitur sanctissima naturae legibus se coaptans, quae propriae prolis nutritionem suadet, ceteris matribus ad idem facitandum exemplum praebet: frequenter enim, quae ad generationem ventrem exhibuerunt, ubera ad educationem porrigere recusant: nam, ut ipsae liberius voluptati genioque indulgere valeant, per conductitias nutrices filios suos alunt. Velle igitur, ut multae matres facere solent, lac de uberum fonte artificiose exiccare, cum ipsa natura lac providente pugnat, cum tamen nobilibus foeminis, etiam reginis proprios filios lactare dedecus non sit, imo decus, ut recte probant Plato (*lib. de liber.educand.*), et Macrobius (*lib.* 5. *Saturn. cap.* 11).

Quarta ratio, quia cum beata Virgo fuisset perfectissima, et integerrima mater, opus erat, ut ipsa filium suum lactaret, nec alii nutriendum daret:nam quae parit filium, et non nutrit, dimidiata, non integra mater censenda est, ut ex Phavorino, auctor est Aulus Gell. (*l.* 12.*noct.art.c*1): etenim cum Phavorinus uxorem cuiusdam senatoris ex familia nobilioris auditoris, sectatorisque sui invisisset, e puerperio laborantem; audissetque tunc quandam foeminam dissuadentem, ne filium suum lactaret, sed alteri nutriendum traderet, sapienter dixit: *Oro te mulier, sine eam totam integram esse*

matrem filii sui, ecce indicavit matrem filium parientem, et non nutrientem, dimidiatam matrem censendam esse, non integram.

Quintam deinde accipe rationem: quia cum beatissima Virgo ardentissime filium suum amaret, non patiebatur amor eius alteri foeminae nutriendum illum tradere. Unde Plutarchus (*l. de educan .puer.*) dixit: *Mea quidem sententia matres ipsae nutrire infantes, atque lactare debent: maiore enim cum affectu, maioreque studio, utpote intime, et a teneris, ut Graeci aiunt, unguiculis diligentes: nutricum autem amor subdititius, atque adscititius est, utpote propter mercedem.* Rursus, cum nihil impensius beatissima Virgo desideraret, quam amorem filii sui magis ac magis conciliare, et ad filiorum amorem conciliandum non parum prodesse agnosceret, ut matres filios suos lactent, sic enim non dividunt amorem in matrem, et nutricem, cum eadem sit et mater, et nutrix; hinc est, quod b. Virgo proprio uberum suorum lacte Christum Dominum lactavit.

Sextam adnecto rationem, hoc principio naturali fundatam, quod pueri cum lacte, moribus quoque, et affectibus nutricis imbuuntur; qui si in parvulis laudabiles sunt, etiam et nutricibus argumentum laudis suppeditant; sicut e contrario, si parvulos feritatem, luxuriam, aut alia vitia imbiberit,illa velut cum lacte a matre accepisse censetur, unde et nutrix his vitiis corrupta colligitur. Ælius Lampridius scribit, Titum Vespasianum Vespasiani filium morbis addictum propter nutricem, quae infirmae valetudinis erat. Tiberius etiam vino se ingurgitare didicerat ab ebria nutrice, quae vino intincto pane eum a mammilla abigebat. Dionys. Cass. (*in vitis Caesarum*), Caligulam narrat cruore gavisum hucusque, ut ensem cruentum lamberet, idque non a parentibus, sed a barbara nutrice habuisse, quae extremum mammae puero porrigens sanguine tingebat. Romulum, et Remum, propterea ait Iustinianus (*lib.* 43), fuisse ad depraedandos populos maxime proclives, quia ad ubera cuiusdam lupae, vel saltem, ut aliis placet, cuiusdam foeminae lupinam conditionem induentis lactati fuerunt. Ac tandem Virgil. (4. *Aeneid.*), ad significandam Aeneae saevitiam, et crudelitatem, hoc solum dixit lactatum fuisse ad ubera tigridum:

> Perfide; sed duris genuit te cautibus horrens
> Caucasus: Hircanaeque admorunt ubera tygres.

Haec vitia simul cum lacte infantes imbibunt, ex quo etiam accepta in nutrices retorquere possumus, cum idem quoque de naturalibus virtutibus accidat; nimirum ut si nutrix casta, sobria, diligens, fidelis fuerit, haec omnia quasi infusa puer accipiat: ex quo fit, ut illius laus quodammodo ad nutricem pertinere videatur, ut recte dicantur beata ubera quae ille suxerit. Idque Romanorum exemplo facile comprobari potest: nam, quamdiu apud eos matronae filios, quos genuerant, lactabant, fovebant, nutriebant, et educabant, respublica illa mundi domina, hominibus magnanimis, et in virtutibus moralibus strenuis, atque in arte militari fortissimis abundabat, ut optime Cornelius Tacitus nobilis auctor (*in Dial. de orat.*) his verbis adnotavit: *Si quis forte scire desiderat, cur tantopere antiqui illi Romani floruerint, in robusque omnibus excellentes fuerunt, nullam aliam causam reperiet, quam liberorum educationem vigilantem: suum nam quisque filium ex casta natum parente, non emptae nutriendum, sed propriae matri alendum relinquebat.* Qua cessante causa, postquam Romanae matronae deliciis deditae, filios suos ancillis garrulis nutriendos tradidere, infantes impudicitiam cum lacte ipso sugentes, ab antiqua sua nobilitate degenerare coeperunt, ut idem Cornelius Tacitus sic advertit: *Postquam autem garrulae ancillae filios nutriendos acceperunt, infans Dominus impudicitiam cum ipso lacte sugere incepit.* Alimentum enim corporale in substantiam aliti conversum facultatem habet afficiendi hominem qualitate, et temperamento eiusdem alimenti: picium enim caro frigida est, quia in aqua frigida gignitur, et alitur: et hinc Dominus Deus (*Levit. cap.* 17) praecipiebat, ne quis comederet aut biberet animalium sanguinem, dicens: *Omnis anima ex vobis non comedat sanguinem.* ubi eam rationem assignat: *quia anima carnis in sanguine est*: nam cum animalis anima educatur de potentia materiae, homo animalis sanguinem comedens, facile illius animalis conditionem, complexionem, et temperamentum participaret, quia licet in corruptione resolutio fiat usque ad materiam primam; materia tamen adhuc taliter affecta, et sigillata manet. Quapropter divus Hieron. (*in epist. ad Letam de instit. fil.*), eam severissime hortatur, quod in necessitatis casu, quo filia sua nutrici sit committenda, bonis moribus illa sit praedita, dicens: *Nutrix ipsa non sit temulenta, non lasciva, non garrula, habeat modestam gerulam, et nutricem gracem.* Atque hinc est quod antiqui in eligendis bonis nutricibus magnam curam adhibebant. Unde Plat. (*l.de Republ.*) praecipit nutricibus, ne inanes fabulas pueris enarrent, aut quae eorum bonae institutioni inutilia sunt: et Chrysippus, ut auctor est Plutarchus, monebat, pudica et honesta verba proferenda esse a nutricibus, quia quae in illa tenera aetate pueri addiscunt, eorum mentibus tenaciter inhaerescunt. Cum igitur omnis in Christo gratia, et omne bonum, etiam naturale, et ingenita inclinatio ad illud, suum locum obtinuerit, potuit mulier Evangelica etiam ad lac et ubera quae ille suxerat, benedictionem illam convertisse: *Beata ubera quae suxisti.*

Septimam appono rationem, quia oportebat b. Virginem non defraudari ea praeclara laude, quae propter lactationem filii sui ei accessit. Certe David (*Psal.* 144) dixit: *Oculi omnium in te sperant Domine, et tu das illis escam in tempore opportuno; aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione*, id est, refectionem, ut ibi adnotat Lyranus: hoc enim ad Dei pertinet maiestatem, ut a supremo seraphino, usque ad minimum vermiculum, omnia viventia a Deo pabulum expectent; ipsa tamen a nemine alio, sed intra seipsum se videns, et amans, sibimet sit cibus, et pastus.

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN

Illa autem singularis est b. Virginis praerogativa, et excellentia, ut ipsa ubere suo paverit omnia pascentem, aluerit omnia alentem, et proprio lacte nutrierit omnium Creatorem. Fertur, Pythagoram olim dixisse, foeminas uberibus suis Deorum potum gestare; adeo placebat ei lactis liquor. Verum id, quod ipse per exaggerationem dixit, nos vere et catholice dicemus de beata Virgine, ex uberibus suis dum lac emanabat, potum non falsorum Deorum, sed vere Dei effluxisse: nam dum infans Christum os suum ad sugendum coelestem illum liquorem materno uberi admovebat, lubens ipsa illud propinabat. Memini apud Poetas me legisse, quod lilii flos, emaculatissimi omnium candoris, ob nobilitatem regius a quibusdam dictus, ex Deae Iunonis lacte natus dicitur, ut his carminibus cecinit Conradus Gesnerus (*lib. de lacte, et oper. lactis*)

Dum puer Alcides divae lagus ubera suxit
Iunonis, dulci pressa sopore fatt.
Ambrosiumque alto lac distillavit Olympo,
In terras fusum, lilia nata sunus.

Fingunt etiam, ut auctor est Pierius Valerianus (*lib.* 2), quod cum eadem Dea Iuno lactavit Herculem supremi Dei filium, ex guttulis lactis, quae in terram decidebant, candida lilia prodiisse. Cedant antiqua figmenta veritati catholicae: ex sanguine enim Deiparae conceptus est candidus, et rubicundus flos, Christus Dominus, et lacte eius fuit enutritus: vere ipsa lacte suo, non fictum aluit, sed verum et fortissimum Herculem: *Qui mortem nostram moriendo destruxit, et vitam resurgendo reparavit.* Et sicut ex lacte Iunonis poetae commentantur, procreata fuisse candida lilia; certe ex lacte beatae Virginis sere procreabatur, et nutriebatur candidum lilium convallium, Christus Dominus, qui et a Salomone vocatus est *Candor lucis aeternae*. Ac tandem, si, ut Augustinus docet (*l. 4. de civit. Dei c.* 11), quod gentes Iovem, tanquam omnium nutritorem, coluerant sub nominibus *Ruminae, Educae*, seu *Edulica*, et *Potina*: sic enim ait in *d. Rumina*, mamma parvulo immulget, quia Ruminam dixerunt veteres mammam; in *d. Potina*, potionem ministrat: in *d. Edulica*, escam praebet; merito b. Virgo eo nomine valde colenda venit, quod non puras creaturas, sed creatorem ipsum lacte suo aluerit, et omnium nutritorem ipsa proprio ubere nutriverit.

Ceterum his omissis poetarum figmentis ad sacra nos convertamus eloquia, in quibus coelestis Sponsus variis comparationibus sacra Deipara Virginis ubera mirifice commendat: etenim (*Cant.* 4) dixit: *Duo ubera sicut duo hinnuli capreae gemelli, qui pascuntur in liliis, donec aspiret dies, et inclinentur umbrae.* Scio interpretes huius loci in varias dividi sententias circa eius expositionem: nam Absalon Abbas (*serm.* 7. *in Nat. Dom.*) per haec verba intelligit Synagogam, Ecclesiam gentium, quam interpretationem fuse prosequitur Angelus, et Philon (*in comm. hui. loc.*). Censent enim illa duo ubera esse vetus, et novum testamentum, quorum dulci nectare maternum Ecclesiae catholicae pectus plenum erat: haec ubera perfectione scientiae abundabant, rubicunda erant charitate, duriuscula sensuum soliditate, laeta, et festiva, grata historiarum varietate, iucunda et illecebrosa cunctis, qui fidei luce illa continentur. Quamvis autem in conspectu hominum videatur vetus testamentum prius natum, quam novum; respectu vero Dei, cuius aeternae providentiae, et dispositioni cuncta sunt praesentia, gemella sunt, seu gemellae sorores: maxime quia habent se velut corpus, et umbra, haec duo testamenta velut duo ubera, ludaeorum et Gentium populos, tanquam parvulos, lac ab illis sugentes, ad pietatem enutriunt, quousque adolescant in perfectum virum, neque id facere desinent, *donec aspiret dies*, hoc est donec saeculo praesenti vesper adveniat, clarum adducens futuri saeculi mane, quo tenebricosae errorum, et adversitatum nebulae dispellantur, ut quidam poetarum his sequentibus carminibus cecinit:

Donec sub fine statuta
Mundi nox abeat, et verum mane nitescat
Ad faciem facie cum cernent me sine fine.

Divus Gregorius Nyssenus longe aliam viam ingressus, in singulis hominibus duo esse animadvertit, quorum unum sit corporeum, et sub oculos cadens, alterum sola mente intelligi, ac cerni queat, hoc animum, illud corpus vocari, et esse gemella ab orta, quoniam animae creatio corporis perfectam conformationem concomitatur: quorundam quidem hominum venenatum cibum esse peccata, hoc est spinas, quas serpentis invidia procreavit, sed animae Deo dilectae nutrimentum esse flores purissimos virintum. His pastas animas, ipsas quidem salubri succo impleri, et hunc geminis uberibus aliis materna charitate propinare. Nonnulli etiam alii interpretes interpretantur, per haec ubera intelligi praedicatores Ecclesiae catholicae, de quibus Salomon (*in Cant.*) sub variis metaphoris locutus est. Oculos illos vocat: quia occulta mysteria prospiciunt: dentes, quia doctrinae cibosterunt, comminuuntque fidelibus: collum, quia flatum vitalem Ecclesiae ministrant: denique ubera, quia parvulis in Christo lac doctrinae salutaris instillant. Duo autem dicuntur, quia duplex doctrinae lac confinent, unum de astructione fidei, alterum de compositione morum: pertinet enim ad concionatoris officium, et fidem astruere, et ad bonos mores incitare. Comparatur hinnulis capreae propter perspicacitatem aspectus quoad intellectum: propter hilaritatem, quoad affectum; propter velocitatem, quoad executionem operum, etiam arduorum, atque difficilium. Denique pascuntur in liliis, id est, in floridis Scripturarum campis, donec aspiret dies, et inclinentur umbrae, id est, dum vitae huius tempus perduraverit.

Porro alii Doctores eundem locum ad ubera beatissimae Virginis referunt, quidam ad ubera eius spiritualia, alii ad corporalia. Adamus vult esse geminum affectum charitatis maternae, unum erga humanitatem, alterum erga divinitatem filii. Haylgrinus vero duo haec ubera interpretatur affectum pietatis, seu devotionis, et affectum misericordiae, de quibus dulcedo piae devotionis velut sugitur, et quae adiuncta discretione velut acuto capreae lumine considerant, qua, et quanta quisque ope indigeat: et per talem considerationem discurrunt, et per promptam subventionem accurrunt velociter, ut hinnuli, quibus affectus hi comparantur propter varios subventionum modos: quia pellis hinnulorum pulchra macularum varietate distinguitur. Gemellos vocat, quia hi affectus valde similes sunt eo, quod ex uno fonte misericordiae, et pietatis officia manant, iidem in ingratis moriuntur, et deficiunt; sed in illis nutriuntur, et adolescunt, qui candore, et odore bonorum operum liliis assimilantur. Ubera ista Deiparae tota hac praesenti vita lac suum propinare non cessant, donec veniat dies illa, quae corporibus de pulvere reformatis adspirabit spiritum vitae, et vitam gloriae, donec umbrae praesentis miseriae inclinentur. Deinde Rupertus (*lib.* 3. *in Cant.*) interpretatur haec ubera Deiparae Virginis esse virginitatem, et foecunditatem, quae propterea hinnulis comparantur, quia propter laetitiam, quam mundo attulerunt, sunt hinnuli festivi, ac laeti, dum huc, et illuc cum spectantium laetitia in montibus saliunt: gemellis autem hinnulis similia dicuntur, quia in sola b. Virgine duo haec, velut gemellae sorores, fuisse noscuntur, maternitas, et virginitas, et ut filium lactaret, et virgo esset: denique dicuntur pasci in liliis, propter summam foecundae huius virginitatis pulchritudinem, quae in liliis maxime enitet: verba Ruperti nunc accipe: *Nonne sunt haec*, inquit Rupertus), *sicut duo hinnuli capreae gemelli? numquam visum est simile huic in montibus, sive collibus nostris; sed neque videbitur in saeculis superventuris, ut uni capreae fiant duo tales hinnuli gemelli, ut uni foeminae contingat, quatenus eisdem uberibus et filium lactet, et virgo sit. Aspicite hoc, et admiramini, videte, et congratulamini, quia caprea haec duos hinnulos ita geminos edidit: quia foemina haec, dum quasi caprea per montes exilit, dum coelestibus vel supernis animo intendit, gemella haec plena gratiae dona feliciter apprehendit, ut et mater, et virgo sit*; hactenus divus Rupertus: eandem expositionem accepiens d. Anselmus (*lib. de excel. Virg. cap.* 4) de his duobus uberibus haec perdocte scribit: *Equidem haec duo ipsa iucundius amabat, scilicet virginitatem, et foecunditatem: virginitatem, quia hanc placere Deo per omnia intelligebat; foecunditatem, quia sine hac maledictum legis, quae adhuc carnaliter custodiebatur, incurrere metuebat*; haec ille. Verum oportet, ut hanc Ruperti, et Anselmi expositionem amplius illustremus. Etenim virginitas, et foecunditas merito ubera dicuntur, quia inde humanum genus spiritualiter infans lac salutis, et gratiae hausit, ex eo videlicet, quod in b. Virgine cum virginitate coniuncta est foecunditas, qua Deum hominem peperit: nihil enim nobis eius virginitas profuisset, nisi foecunda fuisset. Fit deinde mentio liliorum, ad exprimendam virginitatis pulchritudinem: est enim lilii flos pulcherrimus, et ad hieroglyphicum spei. Unde in multis antiquorum imperatorum nummis exaltata facie Dea sculpta erat, lilium dextra praetendens, cum hac inscriptione, Spes Publica: quod mirifice in sacratissimae Mariae virginitatem cum foecunditate coniunctam, convenire videtur, in qua spes humani generis publica reposita est. Ac tandem ubera b. Virginis, id est, virginitas, et foecunditas, hinnulis comparantur, quia sicut hi hilares sunt, ac laeti, ita haec sacra duo ubera ad consolationem, et hilaritatem universo orbi valde profuerunt.

His egregiis antiquorum Patrum expositionibus aliam non ingratam, ut arbitror, novissimam interpretationem apponam, pro cuius intelligentia suppono ex Arist. (*lib.* 4 *de gener. animal.*), et ex communi naturalium philosophorum consensu, eandem esse materiam, nempe sanguinem, ex qua foetus generatur, et ex qua fit lac quo ille alitur: hoc supposito, cum constet, ex purissimo beatissimae Virginis sanguine per virtutem Spiritus sancti, in uterum eius attracto, Christum Dominum genitum fuisse, consequens est, ex eodem sanguine lac in illius uberibus fuisse confectum: quod catenus e coelo provenisse canit Ecclesia, *Sola Virgo lactabat ubere de coelo pleno*, quatenus divina Spiritus sancti operatione purissimus ille beatae Virginis sanguis magis concoctus ad mammillas eius attrahi coepit. Praeclare ergo divinus Sponsus commendans beatae Virginis ubera, laudat eam per similitudinem duorum hinnulorum, qui in uberrimis pascuis inter lilia pascuntur: illa enim, quasi duo hinnuli, in purissimo pascuntur corde, super quod sita sunt, et inde, quasi ex uberrimis pascuis purissimum illum attrahunt sanguinem, qui in candidissimum concoquitur lac, et cum sanguines illi attracti virginei sint, in liliis, quae virginitatis symbola sunt, recte hi duo hinnuli uberum beatae Virginis pasci dicuntur. Ex qua expositione penitus evacuatur difficultas illa, quae multos male torsit; quomodo Sponsus compararit ubera hinnulis capreae, cum ubera pascant, illi pascantur, illa nutriant, hi vero nutriantur? Addo his omnibus, ea etiam ratione apte ubera beatae Virginis hinnulis capreae comparari, quia hinnulus est velocissimus in cursu, et levissimus in saltu, et caro eius dulcissima ac tenerrima ad gustum, et avidissima ad esum, ut naturales historiographi tradunt. Cum ergo ubera lumentia, sicut nec venter tumens aliquo gravamine beatam Virginem premebant, merito hinnulis comparantur, quia carnis pondere non praegravati, hac, et illac facile cursitant, et cum lac, quod ubera illa Christo Domino propinabant, suavissimum esset, et ad potum et esum avidissimum; merito etiam eisdem hinnulis conferuntur, quorum caro gustui multum consentanea esse perhibetur.

Ad extremum, pulchritudinem uberum beatae Virginis commendans coelestis Sponsus, in hunc modum eam alloquitur (*Cant.* 4): *Quam pulchrae sunt mammae tuae, soror mea sponsa, pulchriora sunt ubera tua vino. Super hunc locum* Rupertus Abbas haec scribit: *Per haec verba*

UNIVERSIDAD DE NAVARRA

significari videtur, incarnationem Christi multo pulchriorem fuisse formatione primorum parentum, quia pulchrius valde est de utero mulieris absque viro virum facere, quam tunc de terra virum, et de costa viri mulierem fecisse: ibi namque mulier de viro facta, quae perdat, hic de muliere vir factus est, qui perdat, ac salvet; haec ille. Quaerit postea Rup. in quo consistat sequens comparatio, et quid sibi velit: *Pulchriora sunt ubera tua vino. Quid,* inquit, *sibi vinum ad ubera;* et respondet, pulcherrimam esse hanc comparationem, et ubera ad vinum optime conferri, si per ubera virginitatem Deiparae intelligamus, ut supra dictum est: per vinum vero, nuptias, seu connubia, quae partim ad concupiscentiam sedandam ordinantur; sic autem scribit: *Qualis tandem est ipsa comparatio, Pulchriora sunt ubera tua vino; aut, quid magnum est dicere; pulchriora sunt ubera tua vino? nam in vino luxuria est. Nolite, ait quidam amicorum, ad nostras adolescentulas scribens, inebriari vino, in quo est luxuria: quid ergo magnum est dicere, quod ubera tua pulchriora sunt eo, quod non est pulchrum, cum sit luxuria, sive carnis voluptas, sine cuius ebrietate praesente, nulla unquam ubera praeter ubera tua filium lactaverunt? Est ergo illud, quod apud hominum scholas dicitur, tapinosis, id est, humilitas, statum rei magnae dictis infirmans. Magna quippe res est virginitas, sive integritas uberum meum filium lactantium: nec satis laudatur haec tam pulchra res, dum re maritali, sive coniugali pulchrior esse non praedicatur. Sed suavis, lacteus, ac dulcis Gulielmus in suo sigillo, haec melliflua in os meum effudit: non simpliciter, ait, Pulchrae sunt mammae tuae: sed quasi cum admiratione. Quam pulchrae sunt mammae tuae? id est, quam gratae sunt oculis patris, quae filium unicum aluerunt: quam pulchrae sunt, quae lacte singulariter candido tumuerunt; nempe lac illud singulariter candidum quam virgineum. Quid negas, o stulta mundi sapientia partum virgineum? Deus nascebatur, et quid idem negas, lac virgineum? Deus pascebatur. Non potuit Deus in salutem hominum corporaliter nasci, nisi partu virgineo, nec decuit eum pasci, nisi lacte virgineo Nec minus habet miraculi pectus b. Virginis lactescens, quam venter partu grandescens. Propterea filio Virginis non tantum dictum est: Beatus venter qui te portavit, sed adiunctum est, et ubera, quae suxisti: et quidem pulchrae sunt mammae Virginum, quia virgineae, sed dum virgineae sunt, lactescere nesciunt, ideo simpliciter pulchrae sunt; sed de illis non potest dici, quam pulchrae sunt; at beatissimae Mariae mammae non tantum virgineae fuere, sed etiam ad singulare miraculum, lacte virgineo tumuerunt; ideo cum admiratione gratulatoria cult dici, quam pulchrae sunt mammae tuae? Plane specie, et pulchritudine sua sanctos angelos oblectabant, cum ab eis penderet speciosus forma prae filiis hominum, Dominus angelorum, minoratus paulo minus ab angelis propter similitudinem carnis peccati. Tunc erant eius ubera pulchriora vino. Vinum potest intelligi illud, quod germinat virgines, ipsa virginitas utique propter meracissimam puritatem, quidnam virginali puritate meracius? Hoc vino, ubera b. Mariae priusquam mater esset, plena erant; sed ubi salva virginitate mater facta est, non plena tantum vino, sed etiam pulchriora vino eius ubera facta fuerunt: quia, non tantum virginea, sed etiam lacte virgineo tumida extiterunt. Ubera habere virginea cum multis illis virginibus est, et fuit commune, sed singulare illi est, et fuit, et erit, virginea ubera lacte virgineo post partum tumentia habere;* haclenus Rupertus.

Ad haec, verba illa Sponsi: *Statura tua assimilata est palmae, et ubera tua botris,* Haylgr. de spiritualibus uberibus beatissimae Virginis in hunc modum exponit: *Statura eius, videlicet rectitudo bonae intentionis, et sanctae operationis directio, assimilata est palmae; ut sic palma, id est, arbor triumphalis crucis dominicae terribilis est malignis spiritibus; sic b. Virgo merito suae rectitudinis malignos spiritus terreat, et expellat. Ubera quoque botris assimilata sunt, ex quo mirabilis praerogativa merendi monstratur in b. Virgine, quae non minus meruit fundendo lac de uberibus suis ad filii nutrimentum, quam martyres, qui per botros figurantur, meruerunt fundendo sanguinem suum in martyrio: omnium enim operum merces secundum radicem charitatis pensatur.*

Alanus similiter (*in comm. ill. loc.*) *Fasciculus myrrhae, dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur,* de eisdem spiritualibus beatissimae Virginis uberibus illum interpretatur in haec verba: *Eleganter per myrrham doloris amaritudo significatur, quia myrrha amaritudo interpretatur, et quia pro nostra redemptione passus est, inter ubera mea commorabitur, id est, in intimo cordis mei amore detinebitur. Duo ubera beatissimae Virginis duo sunt brachia charitatis, unum, quo dilexit Christum tanquam Deum, aliud, quo dilexit eum, tanquam filium; et his duobus brachiis charitatis amplexatur illum.* Eleganter autem duo rivuli charitatis dicuntur ubera, quia mulieres illis parvulis solent offerre ubera ad lactandum, quos diligunt, et hos duos ramos charitatis proposuit aliis ad exemplum, et ad alios informandum, tanquam mater ubera ad lactandum. Vel, ideo Christus dicitur matri fasciculus myrrhae, quia veniens in carnem exclusit a b. Virgine omnem concupiscentiae putredinem, sicut myrrha servat carnem a putredine immunem. Sequitur, *inter ubera mea commorabitur:* quia a Virgine natus, a sola Virgine est lactatus. O b. Mater, quae ubere eum lactat, qui omnibus ubera misericordiae propinat: o mira res, filia lactat patrem, creatura Creatorem, famula dominantem.

Denique Patriarcha Iacob, ut sacra Geneseos narrat historia, cum proximus morti Iosepho filio suo ultimam benedictionem impertiret, verba quaedam protulit Deiparae Virgini multo magis, quam ipsi Iosepho consentanea: *Omnipotens benedicat tibi benedictionibus coeli desuper, benedictionibus abyssi iacentis deorsum, benedictionibus uberum, et vulvae.* Sane his omnibus benedictionibus cumulatissime intueor beatam Virginem, et eius ubera beatifica. In primis cum ait: *Omnipotens benedicat tibi,* idipsum beata Virgo attestata est in suo Cantico: *Quia fecit mihi magna, qui potens est.*

Quod autem subdit, *benedictionibus coeli desuper,* recte in Virginem convenit: nam duplicis illius benedictionis, qua Deus suos coelicolas, hoc est, supernos spiritus angelicos benedixit, nimirum in gratia illos creando varilisque coelestibus donis eos cumulando, copiosius Virginem participem fecit; tum quia a principio suae conceptionis ab omni labe eam praeservans, angelis puriorem effecit, ut palam testificatur divus Ioannes Chrysostomus (*in sua liturg.*) dum ait: *Vere dignum, et iustum est, glorificare Deiparam, et semper beatissimam, et penitus incontaminatam matrem Dei nostri, honoratiorem cherubim, et gloriosiorem incomparabiliter seraphim.* Ecce, vocat illam semper beatissimam: si autem pro aliquo instanti infelicitas peccati originalis eam occupasset, non semper fuisset beatissima, sed pro tunc infelix. Idipsum confirmat, quod vocat illam *penitus incontaminatam.* Si autem peccati originalis contagione, et macula fuisset aliquando deturpata, minime semper fuisset penitus incontaminata. Tum etiam, quia coelestibus charismatibus supra omnes quoque supremos angelos fuit cumulatissima, ut eadem divi Ioannis Chrysos. verba clare indicant, dum vocat illam *Honoratiorem cherubim, et gloriosiorem incomparabiliter seraphim:* et verba archangali Gabrielis id satis commonstrant, dum (*Luc. cap.* 1) plenam gratia illam nuncupavit, quae appellatio adeo reliquas omnes transcendit, ut s. Athanasius (*serm. de Deip.*) testetur, angelos omnes in coelo, non alia, quam Gabrielis verba ad b. Virginem salutandam sibi usurpare, dulci melodia canentes: *Ave Maria, gratia plena.* Fuit ergo beatissima Virgo benedicta benedictionibus coeli desuper, hoc est, benedictionibus, quibus Deus coeli habitatores a primordiis creationis mundi benedixit. Rursus subdit Iacob (*Gen.* 17): *Et abyssi iacentis deorsum;* quibus verbis, ut Paraphrastes Chaldaeus observat, deprecabatur ei abundantiam terrestrium bonorum, per abyssum enim iacentem deorsum terram intellexit, quae respectu coeli, quod sursum est, ipsa deorsum iacet. B. autem Virgo excellentioribus aliis benedictionibus fuit locupletata in terra, ipsa id praedicante, cum cecinit (*Luc.* 1): *Beatam me dicent omnes generationes.* Claud. Minte (*emble.* 83) narrat, antiquos in honorem Catonis Portii gloriosum illud ac perillustre epitaphium in eius honorem scripsisse: *Is summus imperator, summus orator, summus iuris consultus.* Excesserunt tamen in hac laude, quia ut ibidem Claud. adnotavit, non ita illa in supremo grada in eo enitebant, quin in eisdem ab aliis eiusdem tempestatis viris longe superaretur; b. autem Virginis ea est singularis praerogativa, ut quia Dei Genitrix est, non falso, sed veracissime, summa in omnibus dicatur: summa in fide: *Beata, quae credidisti:* summa in charitate, *Ordinavit in me charitatem;* vel, ut alia versio habet, *Vexillum amoris in me erexit:* summa in spe, ita ut non solum mater spei nominetur, sed et ipsa spes ab Ecclesia catholica appelletur in cantico Salve Regina: *Vita dulcedo, et spes nostra:* summa in virginitate, cum nemine dissentiente, virginum princeps, et regina sit. Summa in fecunditate, cum pro fructu Deum ipsum in carne ediderit; quo nihil excellentius concipi, aut excogitari potest. Tandem adiecit Iacob, *Benedictionibus uberum, et vulvae,* per quae Lyranus (*in comm. hui. loc.*) adnotavit: *Deprecatus est filio suo abundantiam pecorum, ad quorum procreationem, et nutritionem, praecipua instrumenta sunt vulva, et ubera.* Quis autem non videat, hoc genus benedictionis, quod a ventre, et uberibus petitur, incomparabiliter accommodatius in beatissimam Virginem quadrare? Unde et glossa interlinearis ad ventrem, et ubera Deiparae illam beatitudinem refert: et merito quidem, nam, cum super ventres aliarum foeminarum maledictio illa ceciderit (*Genes.* 3): *In dolore paries filios tuos:* infantes enim nascendo materna claustra ita abrumpunt, ut necesse sit, matres propter ruptionem illam summo dolore confici, iuxta verba illa Christi Domini (*Ioan.* 16): *Mulier, cum parit, tristitiam habet;* ab ea autem maledictione longe abfuit beata Virgo, quia, cum Christus Dominus, salva integritate virginei claustri e visceribus maternis in lucem prodierit, beatissima Virgo in eius partu, sicut in concipiendo, nullam libidinem experta, ita et in pariendo Christum Dominum nullum prorsus dolorem sensit; cui cum matre sua sit sempiternus honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XVII.

Beatam Virginem non solum corporaliter Christum Dominum, sed et nos omnes spiritualiter utero suo portasse, ac suis uberibus lactasse, ex sacra Scriptura, ex sanctis Patribus, et efficacissimis ratiocinationibus commonstramus: ut propterea non solum Christi, sed et viventium omnium mater, et nutrix censeri debeat.

Hoc dulcissimum argumenti genus, quo iustorum corda suavissime recreantur, dum matrem Dei, matrem pariter suam agnoscunt, ut altius reputemus, divino oraculo praenunciatum lego, iustos omnes filios esse beatae Virginis, atque adeo ipsam eorum matrem: id enim palam indicant verba illa (*Genes.* 3): *Inimicitias ponam inter te, et mulierem, et inter semen tuum, et semen illius.* Sicut enim impii semen sunt serpentis, ita iusti spirituale semen sunt illius sacrae mulieris, ut animadvertit Rupertus (*lib.* 3. *de Trinit. cap.* 19). Nec enim per semen mulieris intelligitur tantum caput electorum, sed et ipsi etiam electi, ut expresse docuit d. Ioann. (*Apocal.* 12), dum ait draconem abiisse facere praelium cum reliquis de semine illius mulieris amictae sole: *Qui custodiunt,* ait, *mandata Dei, et habent testimonium Iesu Christi.* Atque hinc est, quod Patres communi consensu, unoque ore beatam

Virginem, matrem iustorum, matrem electorum, matrem omnium viventium frequenter compellant. S. Epipha. (*haeres.* 78) sic loquitur: *Beata mater Dei, Maria per Evam significatur, quae per aenigma accepit, ut mater viventium vocetur: ab illa Eva omnis generatio ducta est in terra, hic autem vere a Maria haec vita mundo genita est, ut viventem gigneret, et fieret Maria mater viventium. Eva mortis causa facta est hominibus: per ipsam enim mors ingressa est in mundum; Maria vero causa vitae, per quam genita est nobis vita, et per hanc filius Dei advenit in mundum;* haec Epiphanius. D. Chrysologus (*serm.* 14): *Benedicta tu in mulieribus, quia in quibus Eva maledicta paniebat viscera, tunc in illis gaudet, horiatur, suscipitur Maria benedicta; et facta est vere nunc mater viventium per gratiam, quae mater ante extitit morientium per naturam;* haec Chrysologus. Noster sanctus Bernardinus (*tom.* 3. *serm.* 6. *artic.* 2. *cap.* 2) loquens de consensu, quem angelus Gabriel postulavit Virgini, ut mater Dei fieret, haec scripsit: *Virgo per hunc consensum incarnationem filii, omnium electorum salutem visceroissime expetiit, et procuravit, et omnium salutí, et salvationi per hunc consensum se singularissime dedicavit, ita ut ex tunc omnes in suis visceribus baiularet, tanquam verissima mater filios suos:* et (*serm.* 11. *art.* 2. *c.* 1): *Unde,* inquit, *ab ipso Patre aeterno beata Virgo recepit fontalem fecunditatem ad generandos omnes electos, etiam ipsos angelos.*

Sed iam variis ratiocinationibus idipsum demonstremus: nam eo ipso, quod Christum Dominum utero suo corporaliter concepit, nos omnes in eo spiritualiter genuit; ut his melliffluis, ac vere coelestibus verbis doctissimus, ac piissimus Gulielm. (*in sig. verba illa Cant.* 4) exponens: *Duo ubera tua, sicut duo hinnuli capreae,* sapienter speculatur: *Ipsa quidem, et quia acuta videbat intentione contemplationis, et velociter currebat alacritate sanctae actionis, per capream recte figuratur. Erat autem huic capreae hinnulus unus, mediator Dei, et hominum Christus Iesus, qui corporalibus piae matris unus uberibus pascebatur: sicut enim non decebat, matrem Verbi et alios parere, ita nec matrem Verbi aliis sacra illa ubera admovere. Proinde, sicut materna viscera sibi sanctificarat, quibus unicus alceretur, ideo dictum est ei: Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae suxisti. Porro, eo ipso, quo sibi magnum illum hinnulum,* id est, Verbum incarnatum *corporaliter genuit, duos sibi hinnulos, idest teneriora eius membra in utroque sexu, spiritualiter adoptavit. Siquidem per hoc, quod facta est incarnati Verbi mater corporalis, facta est membrorum eius mater spiritualis, per hoc, quod caput nostrum secundum carnem concepit, membra eius lacte pietatis alenda suscepit. Habet ergo unicum, quem pro tempore lacte corporeo nutrivit, habet et gemellos, id est, ex utroque sexu adoptatos, quos lacte pietatis nutrire non desinit: illi corporalia matris ubera erant fons proprius, cui communicare non poterat alius, his duo spiritualia eiusdem matris ubera erunt fons itidem proprius, cui non communicat alienus;* haec doctissimus Gulielmus. Quod si Apostolus (1. *ad Cor.* 4) eos quos ad fidei veritatem sua praedicatione, et doctrina perduxerat, filios pleno ore appellat: *Ut filios meos charissimos moneo: nam si decem milia paedagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres; nam in Christo Iesu per evangelium ego vos genui;* quibus persimilia sunt illa alia (*ad Gal.* 4): *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis:* potiore iure b. Virgo, quae doctrina sua ipsos etiam Principes Ecclesiae, et clarissimos doctores, et iustos etiam quotidie instruit, dicere poterit: In Christo Iesu ego vos genui: maxime quod gignendo Christum, necesse erat gignere eius membra. Beatam autem Virginem communem fuisse omnium magistram, et doctricem, testatur expresse s. Birgitta (*in suis revelat. ser. Angel. cap.* 19), ubi ait: *Ascendente filio ad suum regnum, Virgo Maria in hoc mundo ad bonorum consolationem, et errantium correctionem remanere permissa est. Erat enim magistra apostolorum, confortatrix martyrum, doctrix confessorum, clarissimum speculum virginum, consolatrix viduarum, et coniugio viventium saluberrima monitrix: atque omnium in fide catholica perfectissima roboratrix. Apostolis namque ad se venientibus omnia, quae de suo filio perfecte non noverant revelabat, et rationabiliter declarabat, martyres quoque ad tribulationes pro Christi nomine sufferendas animabat;* haec ibi: quibus consonant, quaes Rupertus (*in cap.* 5. *Cant.*) in haec verba scripsit: *Qualis est dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum? opportuna percontatio, si respiciamus ad illa tempora, quando tu dilecta propter evangelium dilecti praesens aderas, et in corpore detinebaris magistra necessaria, et testis valde idonea contra Iudaeos blasphemantes, et haereticos Christianam veritatem corrumpere laborantes. Pulsandum igitur erat ad ostium veritatis, et consulendum oraculum Spiritus sancti, scilicet sacrarium pectoris tui, ut viva voce omnem necessario tenendam demonstrares regulam fidei, cum testimonio Scripturarum, quas memoria tenebas, prophetissa magna, et capax omnium prophetiarum;* haec Rupertus. Imo d. Cyrillus (*hom.* 6. *in Nestor.*), loquens ad Virginem, haec longe maiora protulit: *Per te omnis creatura idolorum errore detenta, conversa est ad agnitionem veritatis, et fideles homines ad sanctum baptisma pervenerunt, atque in toto orbe terrarum constructae sunt Ecclesiae: te adiutrice gentes veniunt ad poenitentiam;* haec d. Cyrillus. Accedit, quod si seraphicus pater noster s. Franciscus, ut refert s. Doctor Bonaventura (*in eius vit. cap.* 6) eos, qui exemplo, et precibus aliorum convertuntur, filios eorumdem appellabat; verba s. Bonaventurae haec sunt: *Praeferendum concionatori vano,* dicebat s. Franciscus, *fratrem simplicem, et eiusquem, qui bono exemplo alios provocat ad bonum: illud quoque verbum, donec sterilis peperit plurimos, taliter exponebat: sterilis est frater pauperculus, qui generandi in Ecclesia filios non habet officium, hic pariet in iudicio plurimos, quia quos nunc privatis orationibus convertit ad Christum, suae gloriae tunc index adscribet* haec d. Bonaventura; quanto plures filii b. Virgini adscribentur, cuius immaculatae vitae exemplo pene innumeri viri, et foeminae evangelicam vitam sunt amplexi. Unde d. Augustinus (*lib. de sanct. virgin. cap.* 6) dixit: *Haec mater spiritu membrorum Salvatoris, quia cooperta est charitate, ut fideles in Ecclesia nascerentur.* Ad haec Christus Dominus ab Isaia (*cap.* 33) vocatus est *Pater futuri saeculi;* et merito, quia per baptismum in novam creaturam iustos regeneravit, Apostolo dicente (*ad Galat. ult.*): *Novae creaturae in ipso efficiuntur, quia pretioso suo sanguine eos redemit, et in filios adoptavit.* Unde et David in persona Christi (*Psal.* 21) de filiorum Dei semine, ac prole copiosa, quam habiturus erat dixit: *Anima mea illi vivet, et semen meum serviet ipsi.* Cum ergo Christus Dominus pater sit omnium iustorum, et b. Virgo mater est eorum, ad eum certe modum, quo Sara (*Isa.* 51) dicitur peperisse Hebraeos ex eo ipso, quod genuerit Isaac, ex quo propagati sunt Hebraei. Quare non immerito, iuxta expositionem divi Ambrosii (*lib. de instit. Virg. cap.* 13) beatissimae Virgini dicitur: *Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis.* Quamvis enim virgineo Deiparae utero unicum fuerit granum frumenti, quia tamen ex divo Ambrosio: *Granum frumenti postea in cruce mortuum plurimum fructum attulit: ideo de uno grano tritici acervus est factus, et completum est illud propheticum dictum, et valles abundabunt frumento;* ita divus Ambrosius: et Epiphanius (*ser. de laudib. Deip.*): *Ipsa,* inquit, *est ager minime cultus, quae Verbum, velut granum frumenti suscipiens, etiam manipulum germinavit;* sic ille. Cum ergo granum illud innumeros electos, quorum Christus caput est, atque parens, virtute contineat; consequens etiam est, ut omnes illi sanctissimae Dei Genitricis spirituales filii, velut acervus tritici in eius utero censeantur.

Secundam iam subnecto ratiocinationem; quia Christus Dominus in lecto crucis iacens, beatam Virginem constituens matrem dilecti discipuli, et Ioannem filium eius, dicens: *Mulier, ecce filius tuus,* eandem nostram matrem effecit, et in filios eius nos adoptavit, ut s. Antonius his verbis palam edixit: *Quia vero Ioannes interpretatur, in quo est gratia, cuilibet etiam qui Ioannes dicitur, existit, in quo scilicet est gratia gratum faciens, datur Virgo Maria in matrem.* Sicut enim Christus nos genuit verbo veritatis ad esse gratiae spirituale, in cruce patiendo; ita et beata Virgo Maria nos genuit, et peperit in maximis doloribus filio compatiendo, poenas immensas pro nobis patienti. Et quidem Christus Dominus pro singulari eius in nos pietate, ac plusquam regia munificentia, non satis sibi visum fuit, si nos fecisset aeterni sui Patris filios, nisi et quo sibi coniunctiores nos redderet, etiam in Ioanne, matris suae filios efficeret; ut ex utraque parte tam patris, quam matris fratres illius essemus. Quare divus Bernardus (*ser. sup. sign. magn.*): *Gratias,* inquit, *age ei, qui talem tibi mediatricem benignissima miseratione providit.* Et hoc fuit legatum, seu haereditas illa pretiosissima, inter summos cruciatus a Christo nobis relicta, cum Deiparam Ioanni, et in Ioanne nobis eam tradidit: quam non obscure in Eliae pallio figuratum accepimus. Sicut enim olim Elias (4. *Reg.* 2) in curru igneo per turbinem evectus, ascendens in coelum, Helisaeo pallium suum reliquit, per quod ipse Helisaeus (3. *Reg.* 19) a laborioso, et humili arandi opere ad salutarem, et honorificam Heliae sequelam antea fuerat traductus, et in quo postea admirabilia effecit, cum Iordanis aquas, ut per eas sicco vestigio pertransiret, divisit; ita Christus per turbinem passionis, in curru cruces, flammis charitatis undequaque flagrante recedens, b. Virginem quae suum erat pallium; ita enim illam appellat s. Methodius (*in Hypop. Dom.*): *Tu es impollutum illius indumentum, quia revera, ventre suo, velut indumento, aut pallio illum circumdedit: illud, tanquam legatum in testamento suo nobis reliquit, cum in Ioanne eam in matre nobis tradidit, cuius virtute, et precibus pene innumerae peccatorum conversiones fiunt; ac portenta multa quotidie patrantur. Et quemadmodum Helisaeus adduci neutiquam potuit, ut Eliam priusquam raperetur, desereret, sed ad finem usque illi adhaesit, et ita huius pallii haeres factus est: audierat item Eliam sibi duplicem eius spiritum in se fieri postulanti, ita dicentem: si videris me, quando tollar a te, erit tibi quod petisti; ita et nos, ut tantum Christi pallium haereditate possideamus, et spiritum eius duplicem, uberem nimirum eius gratiam consequamur, exemplo sancti Ioannis, ex iuxta crucem Iesu cum matre eius in finem usque persistamus, per crebram ac devotam passionis eius meditationem cum animi gratitudine, et charitatis ardore coniunctam, certi, quod,* ut ait Apostolus (*ad Corinth.* 1): *Si fuerimus socii passionum, etiam et consolationis erimus.*

Tertiam tandem ratiocinationem accipe: quia Christus Dominus frater noster est, d. Bernardo (*ser. de aquaed.*) dicente: *An trepidas ad Christum accedere? frater tuus est, et caro tua, tentatus per omnia absque peccato, ut misericors fieret: hunc tibi fratrem Maria dedit, ergo et ipsa mater nostra est.* Quare d. Bonaventura (*in spec. b. Virg. cap.* 8) dixit: *Maria non solum est mater Christi singularis, sed etiam mater omnium fidelium universalis;* unde d. Ambrosius ait: *Si Christus est credentium frater, cur non ipsa, quae genuit Christum, credentium est mater? ea charissima omnes nunc gaudeamus, nunc omnes gaudendo dicamus: benedictus frater, per quem Maria est nostra mater, et benedicta mater, per quam Christus est noster frater;* hinc bene Anselmus ait: *Domina mater, per quam talem fratrem habemus, quid gratiarum, quid laudis tibi retribuimus?* hactenus d. Bonaventura.

Celerum, sicut b. Virgo non solum mater, sed et nutrix fuit Christi Domini, utero suo secundum carnem illum concipiendo et uberibus suis lactando: ita non contenta, iustos secundum spiritum concepisse, eosdem etiam spiritualibus suis uberibus materna providentia nutrit et lactat. Unde verba illa (*Isa.* 66), quae secundum literalem sensum de Deo, universali omnium parente intelliguntur, recte etiam in b. Virgine communem omnium matrem conveniunt: *Sugetis, et ad ubera portabimini, et in-*

per genua blandietur vobis sicut mater blanditur filio suo, id quod probe intelligens mellifluus Gulielmus (*in cap. 6.Cant.*), exponens illa verba: *Ubera tua sicut botri*, haec scripsit: *Habet autem pia mater et spiritualia ubera, quibus nimirum datum est illi adoptivos fratres filii sui spiritualiter enutrire, et de his quidem uberibus eius potest intelligi, quod in Proverbiis dicitur: Cerva charissima, et gratissimus hinnulus, ubera eius inebrient te omni tempore, et in amore eius delectare iugiter. Cerva enim charissima est, quae habet gratissimum hinnulum, Maria scilicet quae peperit Iesum. Cerva ista magnorum plane, nobilisque cervarum filia est, quorum unus: quemadmodum, inquit, desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Magnus itidem, nobilisque cervus fuit Abraham, a quo exortus est magnorum successiones cervorum: dixitque Matthaeus usque ad cervam charissimam, de qua natus est hinnulus gratissimus, id est usque ad Mariam, de qua natus est Iesus qui vocatur Christus. Ubera*, inquam, *eius inebrient te omni tempore, et in amore eius delectare iugiter: bis dicitur, eius, unum refert ad cervam charissimam, alterum vero ad gratissimum hinnulum sic, ubera eius, id est, cervae charissimae inebrient te in omni tempore, et in amore eius, id est, gratissimi hinnuli, delectare iugiter, nempe parum est, amare gratissimum hinnulum, nisi in amore eius delecteris, cum sit et amor crucians, magis quam delectans. Plenum est uberibus maternum illud pectus intus, et foris: foris quidem, habet duo ubera, quibus pro tempore pia mater alunt filium Dei: intus idem duo ubera habet ad alenda membra eius, unum compassionis, alterum congratulationis; ut etenim eorum infirmitatibus materne compatitur, sic eorum profectibus materne congratulatur, non quod nostris tribulationibus perpetuas eius, quibus fruitur, delicias minuamus, vel bonis nostris, quibus utique non eget, beatitudini eius addere valeamus, sed ipsam nobis compati est, in pressuris, quas patimur, gratiam nobis consolationis a filio impetrare, et nobis congratulari, et profectibus nostris perseverantiam, et augmentum a filio postulare. Cum ergo infirmitates nostras piis precibus sublevat, lactat nos ubere congratulationis; sic duo eius ubera, sunt duo hinnuli capreae gemelli;* haec ille. Quibus consentanea sunt, quae in eadem verba Canticorum elegantes disseruit Haylgrinus (*in 7.Cant.*), nam duo haec ubera interpretatur affectum pietatis, seu devotionis, et affectum misericordiae, de quibus dulcedo piae devotionis, velut lac sugitur, et quae, adiuncta discretione, velut aculo capreae lumine considerant, qua et quanta quisque ope indigeat, et per talem consideationem discurrunt, et per promptam subventionem accurrunt velociter, ut hinnuli, quibus affectus hi comparantur propter varios subventionum modos; quia pellis hinnulorum pulchra macularum varietate distinguitur. Gemellos vocat, quia hi affectus valde similes sunt, eo quod ex uno fonte, misericordiae, et pietatis efficia manant; iidem in ingratis moriuntur, et deficiunt, sed in illis nutriuntur, et adolescunt, qui candore, et odore bonorum operum liliis assimilantur. Ubera ista Deiparae tota hac praesenti vita lac suum propinare non cessant, donec veniat dies illa, quae corporibus de pulvere reformatis, aspirabit spiritum vitae, et vitam gloriae; donec umbrae praesentis miseriae inclinentur, etc.

Inter alia multa, quae de uberibus philosophi naturalium arcanorum diligentes investigatores commemorant, illud singulare est, quod habent vim conversivam: hac enim ratione natura cordi, vitalis caloris perenni fonti, vicina illa constituit, ut sic copiosiore eius participatione coctionem sanguinis facilius efficiant, et in lac illum convertant, lac enim nihil aliud est, quam sanguinis bis coctus semel in venis, et iterum in mammillis. Unde lac dicitur a voce Graeca *Leucos*, quod album significat, quia sanguis in uberibus fit albus, ut adnotavit Archid. (*in c. deniq. dist. 4*). Hac mirabili vi conversiva praedita multifariam agnosco spiritualia beatissimae Virginis ubera, quae sunt eius pietas, et charitas, quibus iustos consolatur, et nutrit; multiplicem tamen quam conficiunt, conversionem satis utique mihi insinuasse videtur Deipara (*Eccl.24*), cum dixit: *Ego mater pulchrae dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctae spei.* Convertunt spiritualia piae huius matris ubera frigus nostrum in calorem, quia a nobis spiritualem expellens torporem, fervorem divinae dilectionis in nos effundit: *Ego mater pulchrae dilectionis.* Unde seraphicus noster doctor s. Bonavent. (*in spec. b. Virg. c. 7*), versans illa verba Isai. (*c.11*): *Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet*, haec erudite et pie de thesauro suae devotionis profert: *Quicunque septiformem Spiritus s. gratiam adipisci desiderat, ipsum florem in Spiritus s. virga quaerat: per virgam enim ad florem, per florem ad Spiritum in ipso requiescentem pervenimus: per Mariam ad Christum accedimus, et per Christum gratiam Spiritus sancti invenimus, propterea Bernardus Mariam alloquens, ait, per te accessum habeamus ad filium o benedicta inventrix gratiae, genitrix vitae, mater salutis, ut per te suscipiat nos, qui per te datus est nobis;* haec d. Bonav. Convertunt praeterea moerorem vani timoris in gaudium timoris filialis (*Eccl. 24*): *Ego mater timoris:* est enim proprium huius timoris animam recreare, iuxta illud (*Eccl. 1*): *Timor Domini delectabit cor, et dabit laetitiam, et gaudium in longitudinem dierum.* Convertunt ignorantiae nostrae tenebras in lucem, lacte suae doctrinae nos nutriens (*Ecc. 24*): *Ego mater agnitionis:* sicut enim nutrix cibaria, quibus vescitur, sibi incorporat, et in dulce lac conversa, per os mammillae ori pueri infundit; sic Deipara Virgo secreta fidei arcana, ac difficiles, quas audiebat sententias, memoria sua ruminans, iuxta illud (*Lucae 2*): *Maria autem conservabat omnia verba haec, conferens in corde suos:* postea illa iam digesta, discipulis Christi effundebat, ut adnotavit Beda (*in comment. illius loc.*): *Huiusmodi autem lac non potuit nisi optimum esse, quia non scaturiebat et limo terrenae sapientiae, vel saecularis literaturae, sed coelitus ex alto defluebat instar matutini roris, et serotini imbris.* Unde

melius, quam Moyses (*Deuter. 22*), canere potuisset illud: *Concrescat in pluviam doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum: quasi imber super terram, et quasi stillae super gramina.* Convertunt tandem haec sacra b. Virginis ubera vacillationem animi, illum perturbantem, infirmissima spe animam stabilientia (*Eccl. 24*): *Ego mater spei.* Spes animam firmat, iuxta illud (*ad Hebr. 6*): *Confugimus ad tenendam propositam nobis spem, quam sicut anchoram animae habemus tutam, ac fixam.* Ego sane ita fixe collocatam in pietate beatae Virginis spem meam habeo, ut merito cum David canere possim (*Psal.21*): *Spes mea ab uberibus matris meae.* Etenim in aliis matribus sanguis ex excessivo calore accenditur, et sic ad iracundiam corda earum concitantur; at in piissima Virgine, ac amantissima matre excessivo calore sanguis accensus, locum non habet; sed ubera eius pietatis lacte turgentia nobis exhibet: nihil enim severum, aut austerum in ea cernitur, tota lactea, tota mellea: ut propterea merito ei dixerit Sponsus (*Cant. 4*): *Mel et lac sub lingua eius.* Unde d. Bernardus (*super Missus*) inquit: *Revolve totam Scripturae seriem, et si quid in Maria austerum inveneris, de caeteris eam suspectam habeas, et ad ipsam accedere verearis:* ipse autem d. Bernad. (*serm. 3. in Cant. Salve Regina*), ita in b. Virgine spem suam firmarat, ut non dubitaret ei dicere: *Omnibus firmamentis firmiut firmamentum, tu Domina, quae Dominum coeli concepisti, portasti, et non defecisti.*

Ad extremum ex his omnibus efficitur, ut, dum beatissima Virgo nos tanquam filios spiritualiter regenerat, et nutrit, Christi etiam Domini spiritualis mater, et nutrix efficiatur, nam (*Matth. 10*) Dominus dixit: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, ipse meus frater, et soror, et mater est:* quae verba explicans d. Greg. (*hom. 4. in Evang*): *Sciendum*, inquit, *nobis est, quia qui Christi soror, et frater est, credendo efficitur mater praedicando; quasi enim parit Dominum, qui eum cordi audientis infundit, et mater eius praedicando efficitur, si per eius vocem amor Domini in Proximi mente generatur;* haec divus Gregorius. Cum ergo Deipara sanctissima multis modis, ut in aliorum cordibus Christus gigneretur, effecerit; consequens est, ut spiritualis eiusdem mater sit effecta. Imo et divus Iustinus martyr (*quaes. 136*), exponens illa verba (*Matth. 12*): *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei qui in coelis est, ipse meus frater, et soror, et mater est*, duplicem in beatissima Virgine respectu Christi maternitatem agnoscens: *Non matrem*, inquit, *debito honore fraudat Dominus, sed docet, quia ut dicam, ex maternitate virgo sit beatissima. Si enim is, qui verbum Dei audit, et servat, Dei est frater, et soror, et mater, quorum utrumque in eius matre inerat, perspicuum est, matrem ipsius ex hac matris ratione beatam dici oportuisse;* et d. Augustinus (*lib. de sanc. virg. cap. 8*) inquit: *Faciens voluntatem Dei, corporaliter tantummodo mater est, spiritualiter autem et soror, et mater:* et Gueric. Abbas (*serm. 14. de assumpt. b. Virg.*) dixit: *Ipsa Virgo voluntatem Patris in tantum faciebat, ut de ipsa praediceret Deus per Isaiam capite sexagesimo secundo: Vocaberis voluntas mea. Igitur, ubi eam filius negligere videtur, ibi amplius illam honorasse invenitur, dum ei materni nominis honor duplicatur pro eo, quod eundem filium, quem alvo gestaverat incarnatum, et nunc animo gestabat inspiratum;* cui propterea sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XVIII.

Vindicatur Deipara ab iniuria, quam Haeretici ei irrogant, adversus eam perperam intorquentes verba illa Christi Domini: Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud: *quorum germanus, et catholicus apponitur sensus iuxta receptatissimam Patrum illius loci expositionem.*

Haeretici, sacrarum Scripturarum manifestissimi depravatores, insanissime opinantur, verba illa, quae respondit Christus mulieri: *Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud*, reprehensoria fuisse, quod stulte dixisset: *Beatus venter, qui te portavit.* Lutherus tamen, praesertim in Evangelium de die conceptionis Mariae, introducit Christum Dominum his verbis taxantem inscitiam huius mulieris: *Gravant me carnales laudes, nec mater mea hinc beata est, tua laus nullius momenti est: non enim adhuc ea, quae Dei sunt, assequeris, cor tuum ab his frivolis, inanibus et vanis cogitationibus averte.* Verum, iam Lutherus, quam omnes eius asseclae certatim eximiam Matris Dei dignitatem deprimere satagentes, et veneationem uteri virginei hostiliter oppugnantes, hoc tantum, me iudice, assequuntur, ut quo acrius in Deiparam Virginem debacchantur, eo plures, et praestantiores Marianae dignitatis praecones, et vindices emergant. Ultimam in eorum numerum referar, qui non absque speciali divini numinis providentia hoc sabeam munus, quod Gabriel benedictam in mulieribus, et Elisabetha beatam praedicans, ac praesens Evangelica mulier, uterum eius beatificans, ad b. Virginem celebrandam praeclare sancteque admodum inchoarunt: nec enim aliter fieri potest, quin perpetuum robur ac vigorem, incessantemque cursum habeat, quod divino est oraculo praenuntiatum, atque sancitum, ut Mariam, cui ut ipsa cecinit, magna fecit, qui potens est, beatam dicant omnes generationes. Unde, quam perperam adversus celsissimam Deiparentis dignitatem verba illa hi Haeretici intorqueant, meridiana luce clarius commonstrare, nostrum erit absque labore munus.

Et quidem in primis Haereticorum socordia, et in sacris Scripturis perscrutandis oscitantia, dum affirmant, per phrasim illam loquendi, *Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei*, negari, quod nuper dictum fuerat, et affirmari, quod

postmodum dictum est: ex quo inferunt Christum negare matrem suam beatam fuisse, quia illum genuit; asserere vero eos esse beatos, qui verbum Dei audientes, illud custodiunt, omnino abiicienda, ac detestanda est: nam si vim vocabuli respiciamus, Erasmus, qui magis Latinus est, quam theologus (*in c.* 11. *Luc.*) expresse ait, particulam illam, *Quinimo*, non esse negantis; in eo autem quod subdit, neque esse affirmantis, mentitur in caput suum: nam praeterquam Patres omnes in commentario illius loci, quos neminem adeo mentis inopem esse putarim, cui non iudicet Erasmo praeferendos, in sacris Scripturis elucidandis, unanimi consensu docent, vocem illam, *Quinimo*, idem valere, quam imo potius; qui autem dicit potius utrumque, et quod dictum, et quod est dicendum, affirmat: ut exempli gratia, si quopiam dicente, bonum est argentum, respondeas, imo potius aurum, non negas, sed affirmas, argentum esse bonum, ceterum aurum melius esse dicis. Sacra etiam eloquia eadem voce, *quinimo*, nonnunquam utuntur, ut plane sit asseverantis: etenim et (1. *Reg.* 20) legimus, David Ionathae loquens, dixit: *Quinimo vivit Dominus, et vivit anima tua, quia uno tantum, ut ita dicam gradu ego, morsque dividimur*, quod, ut observant Hebraicae linguae periti, idem fuit, ac si diceret: *Profecto vivit Dominus*. Unde et Graeci interpretes (*sup. c.* 11. *Luc.*), ubi vulgatus interpres legit: *Quinimo beati*, ipsi vertunt: *Quin profecto beati*. Vox igitur, *Quinimo*, non semper est adversativa, sed addit etiam id, quod potius est. Unde cum Christus Dominus dixit, quin potius beati, perinde fuit, ac si dixisset, quin potius beatiores; id enim consonat phrasi Hebraeae, quae frequenter positivo utitur pro comparativo, ut cum Dominus dixit Thomae: *Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati*, id est, beatiores, *qui non viderunt, et crediderunt*. Unde noster d. Bonaventura (*in comm. hui. loc.*) expresse docet, Christum Dominum approbasse laudem illius mulieris: verba eius sunt haec: *Quantum ad approbationem laudis expresse subdit, quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, hoc non dicit adversando, sed potius superaddendo, non solum beatus venter, qui portavit me, Verbum caro factum, verum est beatior, qui suscipit verbum a me prolatum. Unde et Maria non tantum beata fuit, quia Christum gestavit in carne, verum etiam beatior, quia ipsum perfectissime gestavit in mente*; haec d. Bonaventura. Nunc accipe, quae singulari eruditione (*in commentario huius loci*) scripsit venerabilis Beda in haec verba: *Pulchre Salvator attestationi mulieris annuit, non eam solummodo, quae Verbum Dei corporaliter generare meruerat, sed et omnes, qui idem verbum spiritualiter auditu fidei concipere, et boni operis custodia vel in suo, vel in proximorum corde parere, et quasi alere studuerint, asseverans esse beatos; quia et eadem Dei Genitrix, et inde quidem beata, quia Verbi incarnandi ministra facta est temporalis; sed inde multo beatior, quia eiusdem semper amandi custos manebat aeterna: qua sententia sapientes Iudaeorum clam percutit, qui verbum Dei non audire, et custodire, sed negare et blasphemare quaerebant*. Postea vero nonnullis interpositis citatis verbis illis, *Beatus venter qui te portavit*, subdit: *At ille testimonium veritatis prolatum libenter accipiens, continuo respondit: Beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud: ac si aperte dicat: Quamvis singulare privilegium habeat, quae Filium Dei Incarnatum Virgo in utero gestare, parere, ac nutrire digna extitit, atque praecipuum, hoc est, praeclarum, et honestum, id iudicetur, tamen in eadem vita perpetuae beatitudinis locum et ipsi sunt habituri, qui eius fidem, ac dilectionem casto in corde concipiunt, qui sedulam in mente praeceptorum eius memoriam portant, qui hanc et in mente proximorum solerti cohortatione nutrire satagunt*. Euthymius nobilis Interpres (*sup. eund. loc.*) haec scribit: *Non ergo hic sermo abnegantis consanguinitatem illorum iuxta carnem; neque enim dixit, non sunt, sed praeponentis eum, quae secundum virtutem est, ac dicentis, nullam illius esse utilitatem, nisi et haec adsit. Quod si nec Dei matri genuisse illum profuisset nisi virtutem secuta fuisset; cui alteri proderit viri sancti esse cognatum, si virtutem non habeat. Contigit enim et cognatos non haberi pro cognatis, et non cognatos pro cognatis haberi: illud quidem propter eiusmodi dissimilem, hoc autem propter conversationis bonae similitudinem*. His Patrum testimoniis insistens Cornelius Iansenius (*in sua conc. Evang. cap.* 50) ait: *Est autem, quinimo pro quo Graece verti potest certe, connectio, qua non negatur, quod dictum est, sed cum affirmatione dicti infertur, quod est certius. Itaque non negat hoc responso Dominus, matrem ob conceptum sui, et enutritionem esse beatam*; haec ille.

Celerum, ut clarius innotescat haereticorum delirium, dum per illa verba, *Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei*, insanissime putant, Christum Dominum abnegasse matrem suam esse beatam, etiamsi Dominus disertis verbis dixisset: non est beatus venter, qui me portavit, sed beati, qui audiunt Verbum Dei, et custodiunt illud; non posset inde inferri Christum negasse, quod mulier illa dixerat: nam quemadmodum ex eo, quod dixit (*Marci* 9): *Misericordiam volo, et non sacrificium*, colligi minime potest, Deum sacrificium nolle, sed minus, quam misericordiam id velle; et similiter ex eo, quod dixit apud Matthaeum (*cap.* 10): *Non estis vos, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis*, non sequitur, non fuisse apostolos, qui loquerentur, sed Spiritum sanctum potius fuisse, qui in ipsis loquebatur; ita etiamsi Christus dixisset: non venter, qui me portavit, sed qui audit verbum Dei, et custodit illud, certe non negasset beatum venirem, qui se portaverat, sed minus beatum, quam qui verbum audiret, et custodiret illud: significasset etenim in his, et aliis similibus locutionibus id, quod absolute negare videtur, non absolute, sed alterius comparatione negari.

Ad haec, dum haeretici falso opinantur, Christum Dominum negasse illis verbis: *Beati, qui audiunt verbum Dei*, Virginem Mariam esse beatam, quia utero suo portavit illum, ipsi Christo iniuriam inferunt, iudicantes hunc

errorem in mentem eius cadere potuisse: nam mulier illa, cum dixit: *Beatus venter, qui te portavit*, plane id intellexit de ventre, qui digne illum portasset: alius enim aliquid cogitavit de beata Virgine, quam quod corporale in illa erat, ut hoc loco fatentur Beda, et Iansenius. Digne autem utero concipere Filium Dei, ipsummet gratiam significantem, aperte includit: etenim ipsa prius corde, quam corpore, prius mente, quam ventre, prius fide, quam reipsa Christum concepit. Causa autem reddens illam dignam ad Christi conceptionem fides fuit, et assensus charitate informatus, quem praestitit, ut Verbum caro fieret in ea. Certe in ceteris matribus non requiritur fides, ut concipiant: fiunt enim ipsa natura, et congressu viri foecundae, non merito, et fide: nec mirum, cum pariturae sint miseros peccatores, reos ac filios irae; at beatissima Virgo peperit iustum, et sanctum, imo et ipsum Dei Filium: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*. Quam dignam igitur reddi oportuit, quae tanti filii mater esset? non hic naturae, sed Spiritus sancti virtus requirebatur (*Sapient.* 1): *Qui non habitat in corpore subdito peccatis, nec in malevolam animam ingreditur*. Itaque dignitatem maternae animae praecedere oportuit, ut et conceptio Verbi consequeretur. Cum ergo mulier illa intellexerit, beatam esse Virginem ex eo, quod digne utero suo concepisset, et portasset Christum Dominum, nullus nisi insanissimus, et a fide catholica longe aberrans, dicet Christo Domino displicuisse laudem, quam illa mulier protulit. Verum, ut haereticorum petulantiam magis compescam, demus illis, mulierem illam nihil sublimius de beata Virgine cogitasse, sed id praecise, quod Christum utero concepisset, et ubere suo illum lactasset, adhuc ex hoc solo capite veracissime locuta fuisset mulier illa, beatum appellans Mariae Virginis ventrem: nam si Christus Dominus dixit (*Luc.* 10): *Beati oculi, qui vident, quae vos videtis*; quanto potiore iure verum dixit, beatum esse ventrem, qui illum portavit, cum et excellentius multo sit, generare Christum, quam illum oculis corporeis videre, incomparabiliterque maius beneficium beatae Virgini fuerit collatum, cum effecta fuit Mater Dei, quam quod collatum est his, qui corporaliter illum videbant? Quod si David dixit (*Psal.* 89): *Adorate scabellum pedum eius*. Cur non adorandus venter, qui illum portavit? cum revera, ut Richel. adnotavit (*in c.* 10. *Luc.*), beata Maria inaestimabiliter dignificata, et deificata manseril ex filii unione, communione, contuitu, et obsequio. Quod si etiam Isaias glorificavit Christi sepulcrum illis verbis (*c.* 11): *Et erit sepulcrum eius gloriosum*, nemoque id inficietur, aut reprehendat: ergo nec inficiandum, aut reprehendendum est, quod mulier illa beatificaverit virgineum ventrem: nam si sepulcrum inanime inanimatum Christi corpus continens gloriosum est, multo gloriosior censeri debet animatus venter Deiparae Virginis animatum corpus Christi concipiens, et gestans; maxime cum Christus nonnisi tribus diebus in sepulcro iacuerit, in utero autem virgineo per novem menses requieverit: et si regina Saba prudenter iudicavit, beatos esse, qui ita propinqui erant Salomoni, ut frequenter possent audire sapientiam eius; dubium non est, quin beatiorem iudicasset beatam Virginem, quae ita propinqua erat Christo, de quo dictum est: *Ecce plusquam Salomon hic*, ut utero suo illum conciperet, et gestaret, et natum, ubera eius sugentem, gremio suo contineret.

Accedit, quod qua ratione infelix, et infortunatus appellari potest venter muliebris, quatenus concipit filium, peccati originalis naevo deturpatum, ac inimicum Dei, et secundum praesentem iustitiam ad inferni barathrum destinatum: unde ad id respiciens Iob (*cap.* 7) dixit: *Pereat dies, in qua natus sum, et nox, in qua dictum est, conceptus est homo*: ita a contrario sensu virgineus Mariae venter beatissimus est, ac felicissimus est praedicandus, qui non peccatorem, sed iustum, non in peccatis genitum, sed Spiritu sancto cooperante conceptum, non filium irae, sed filium Dei, non destinatum ad infernum, sed beata, et Dei clara visione fruentem, non inimicum Dei, sed sibi dilectum, in quo sibi bene complacet, et per quem accessum habemus apud Patrem, utero suo concepit, et baiulavit. Deinde, quia apud omnes nationes communi locutione beatus appellatur, qui bonis abundat, aut ille cui felix aliqua sors maximi honoris, aut dignitatis contingit. Cum ergo beatissimae Virgini felicissima illa sors ex divina praedestinatione obtigerit, ut ad culmen dignitas matris Christi Domini ascendisset, merito per solam illam maternitatem potuisset mulier illa beatam, imo et beatissimam nuncupare Mariam; maxime, cum et omnia bona venerint ei pariter cum illa, et maternitatis dignitas causa extiterit, ob quam varia coelestia charismata divinitus ei fuerint collata: alioquin si Christum utero suo non concepisset, minime illi conferenda.

Rursus. Certe si verba illa, *Beatus venter qui te portavit*, dissonam beatae Virginis laudem, minimeque ei congruentem continerent, utique Ecclesia catholica non passim usurpasset similem loquendi phrasim; saepe autem canit: *Beata es Virgo Maria, quae omnium portasti Creatorem, et beata viscera Mariae Virginis, quae portaverunt aeterni Patris Filium*; atque alia his similia, quae in festo immaculatae Conceptionis, et Nativitatis Deiparae habentur. Denique, quia ipsamet Virgo divino Spiritu afflata prophetaveral, ab omnibus generationibus beatam se fore praedicandam propter magna, quae Dei omnipotentia in ea aefectura eral: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna, qui potens est*. Quis autem, nisi omnino desipial, magnum quidpiam esse beatam Mariam, Christum Deum, et hominem concipere, et utero suo illum gestare negabit? Unde sacri Evangelistae ad maiorem beatae Virginis honorem saepius illam nominant *Matrem*. Propter hoc igitur magnum, quod ei fecit Dominus, merito appellari potest, et debet beata. Non ergo perfidi haeretici intelligunt, quale, quantumque hoc beatae Mariae sit donum, etiam

UNIVERSIDAD DE NAVARRA

secundum carnem Dei matrem existere: intellexit tamen divus Anselmus, qui (*lib. de excell. Virgin. c.* 2) sapienter dixit: *Hoc solum de sancta Virgine praedicari, quod Dei Mater est, excedit omnem altitudinem, quae post Deum dici, vel cogitari potest.* Quare cum d. Augustinus (*tract.* 10. *in Ioan.*) in persona Christi dicit: *Mater mea, quam appellastis felicem, inde felix, quia verbum Dei custodivit, non quia in illa Verbum caro factum est, et habitavit in nobis:* non negat, felicem fuisse ex maternitate, sed praefert felicitatem, quam habuit ex custodia verbi divini: idque clare constat ex alio loco eiusdem d. Augustini (*lib. de sanct. Virgin. cap.* 3) dum ait: *Beatior fuit Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi:* ecce comparat illa duo, et supponens Virginem beatam esse ex primo, affirmat, beatiorem ex secundo.

Atque ex his omnibus infero, tantum abesse, ut Christus Dominus laudem illam matri suae delatam, *Beatus venter qui te portavit*, abiecisse aut refutasse voluerit, ut potius illam admittens, eandem perfecerit, et confirmaverit, subiungens aliam potiorem rationem, per quam Virgo beata erat praedicanda; nempe quia audierat verbum Dei, et custodierat illud: ipsi enim praecipue dixit David pater eius (*Psal.* 44): *Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam.* Inclinavit certe, cum angelo ad se destinato assensum praebuit, dicens (*Luc.* 1): *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Deinceps etiam tam solicite Verbum Dei custodiebat, ut d. Luc. (*cap.* 1) de illa dicat, *Conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo.* Conservavit in ventre memoriae (*Ps.*16): *De absconditis tuis adimpletus est venter meus.* Conservavit in ventre cordis (*Cant.* 5): *Ad tactum eius intumuit venter meus.* Conservavit in ventre mentis suae (*Ezech.* 3): *Fili hominis, venter tuus comedet, et viscera tua implebuntur volumine isto.* Conservavit in ventre appetitus sensitivi (*Psal.* 43): *Conglutinatus est in terra venter noster*, excepto tamen b. Mariae, quae caruit peccati fomite. Conservavit in ventre gratiae, ut d. Gregorii utar phrasi, qui exponens illud Iob (*c.* 38): *De eius utero egressa est glacies*, inquit: *Quid enim in utero, nisi gratiae sinus accipitur?* Cum ergo beata Virgo non solum Verbum incarnatum utero corporis custodierit, sed verbum praedicatum utero cordis sui diligenter conservaverit, felix, et beata est ex primo; felicior tamen, et beatior est ex secundo. Unde Beda (*in comm. hui. loc.*) ait: *Eadem Dei genitrix, et inde quidem beata, quia Verbi incarnandi ministra facta est temporalis, sed inde multo beatior, quia eiusdem semper amandi custos manebat aeterna:* quibus consonant verba d. August. (*lib. de san. Virg. c.* 3) dum ait: *Materna propinquitas nihil Mariae profuisset, nisi prius Christum corde, quam carne gestasset.* Quare illis verbi generalibus: *Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud*, uberius multo affirmavit Christus, matrem suam esse beatam, quam mulier illa verbis illis peculiaribus: *Beatus venter, etc.* nam Christi Domini verbis laudata est eius anima, verbis autem illius mulieris commendatum est eius corpus: illa quidem sermone suo extulit corporea concipiendi, et lactandi munera; Christus autem spiritualia liberi arbitrii, coelesti gratia perfusi, officia, in credendo, et amando Deum commendavit; quae verbi divini custodia complectitur.

Deinde cum Christus Dominus respondit illi mulieri: *Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud*, videtur mihi quoddam consolationis genus exhibere ei voluisse in praemium; quod aliis omnibus, qui aderant, eum blasphemantibus, ipsa sola in laudes eius prorupisset. Consolatio autem haec fuit: Si tanti facis ventrem, qui me portavit, ut beatum illum voces, ne desperes, appellationem beatae te consequi posse: nam si verbum Dei audieris, et illud custodieris, beata quoque tu eris. Vel dicamus aliter: Tu matrem, et gestatricem Verbi praedicas beatam, in illa Deum laudas, et me simul honoras: quod autem de matre affirmas, equidem non negaverim, quin eam etiam beatam esse confirmo; nolim autem, ut quisquam putet, illam solam beatitudinis participem esse, sed generatim hoc dixerim, iustos et beatos etiam omnes posse censeri, quicumque idem illud verbum, quod a me praedicatur, corde sicut illa, susceperint, atque opere fideliter adimpleverint. Itaque Christus Dominus non negavit, Virginem fuisse beatam, ex eo, quod ventre suo illum concepisset, sed ex hoc occasionem accepit, Verbum Dei, quod praedicabat, commendandi, quod beatiores homines, quam ventrem, et ubera posset facere, nam et ipsa mater sua beatior erat, quod mente, quam quod ventre Christum concepisset. Hoc autem genus beatitudinis omnes poterant ex divino auxilio obtinere: beatitudo enim, et felicitas gestandi in ventre Christum Dominum uni soli Mariae data erat, nec alteri unquam communicanda; beatitudo autem audiendi, et custodiendi verbum Dei, omnibus poterat esse communis. Falluntur igitur omnes haereticí, dum ex voce Christi Domini, *Quinimo*, perperam intellecta, tot, ac tantas turbas excitant, ut Dei Genitricis honorem obscurent; cui sit cum Filio eius honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XIX.

Christus Dominus verbis illis: Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud, *humanas laudes longe abiiciendas esse nos docet.*

Non desunt graves huius loci interpretes, qui putarint, Christum Dominum propterea duriusculis illis verbis secundum speciem respondisse mulieri se et matrem suam laudanti, ut tanquam perfectionis Evangelicae archimagister, humanas laudes contemnendas significaret, nec de aucupanda populari aura christiano homini quidquam curandum esse doceret. Quod genus argumenti tanto libentius pertractandum suscipio, quanto et ad vanae gloriae pestem expiandam utilius, et omnibus statibus hoc vitii genus familiarius esse iudico. Etenim

illud singulare in vanae laudis, et humanae gloriae appetentia non semel observavi, quod, licet non omnia vitia omnium corda subintrent quaedam enim sunt familiaria divitibus, alia sapientibus, alia principibus, alia subditis; humanae tamen gloriae appetitus, instar passionum entis, ut philosophi loquuntur, quae omnia transcendunt, omnium pulsat animos, et instar universalis pestis, undique grassatur, et per omnes serpit, ut cancer: ad quod alludens Socrates, ut auctor est Stobaeus (*serm.* 31), vanae laudis appetitus morbum in hunc modum pulchre descripsit: *Si quis in theatro inberet coriarios solos surgere, illi soli surgerent; similiter, si fabros ferrarios, textores, aut alios generatim: si vero prudentes, aut iustos iubeat surgere, hic omnes illico consurgent, quia omnes tales videri volunt.* Appetitum hunc vanae gloriae in divitibus frequenter dominari quis ignorat? Paulo dicente (*Timoth.* 6): *Divitibus huius mundi praecipe non superbe sapere.* Sapientes et literis conspicuos hoc eodem appetitu saepe intumescere, idem d. Paulus testatur dicens (1. *Cor.* 8): *Scientia inflat.* Iustos etiam, et Sanctos hac eadem passione crebro agitari testatur d. Thomas (2. 2 *quaest.* 123. *art.*3), dum ait: *Cum alia vitia locum habeant in servis diaboli, inanis gloria locum habet in servis Christi;* haec ille. Hi enim non semel propriis suis operibus humanam laudem aucupantur, quos in hunc modum (*c.*58) Isaias increpat: *Numquid tale*, inquit Dominus, *est ieiunium, quod elegit per diem affligere animam suam? numquid contorquere, quasi circulum caput tuum?* ubi Originale Hebraeum legit: *Numquid contorquere, quasi hamum collum suum?* Quibus verbis non obscure significavit, quod sicut piscatores hamo utuntur ad capiendos pisces, sic multi, qui spirituales haberi volunt, dum ieiunant, orant, vel aliis bonis operibus vacant, quasi hamum ad collum contorquent ad vanas hominum laudes captandas: hi sane oleum et operam perdunt, et mercedem aeternam, quam aeternum gloriae pondus vocavit Apostolus, pro inanis gloriae mercede, quae instar fumi, nullius prorsus ponderis est, insipienter, ac infeliciter commutant. Atque hoc facit, quod cum olim recreandi animi gratia Imper. Nero piscaretur, hamus vero, quo pisces capere tentabat, cum non ferreus, sed aureus esset; videns hoc Romanus quidam ei irrisit: *Ut quid*, inquiens, *quaeso perditio haec? piscis saepe oboli pretium non excedit, et frequenter secum in profundum hamum trahit, qui centuplum maioris valoris erat.* Opera in charitate facta aurea quidem sunt, utpote charitatis auro decorata; haec tamen si omnino propter vanam gloriam fiunt, perent, solumque ventum vanae gloriae in praemium obtinent: ut quid ergo perditio haec? Finge modo, agricolam toto anni decursu terram colentem, arantem, seminantem, rigantem, expurgantem, metentem, triturantem, ac tandem magno labore triticum in horrea inducentem; si postea cum tritico uti oportet, a gurgulione devastatum illud reperiret, infelicem se proculdubio exclamaret, et frustra tot expensas fecisse doleret. Non dissimiliter, qui per anni circulum seminavit eleemosynas, orationes, ac pia alia opera, ac propterea putasset, per multa bona opera in aeternae patriae horrea se induxisse, ad Dei tamen iudicium vocatus, videat omnia illa vanitatis gurgulione omnino deperdita, merito se infelicem exclamabit, et dicet: *Ut quid perditio illa?* frustraque dolebit, se tot expensas inaniter fecisse. Sanctus Fulgentius (*lib. Mytrol.*) sic hieroglyphice vanam gloriam descripsit. Iuvenem quendam depinxit facie pulchrum, et reti indutum: iuvenem, quia vana gloria a primis parentibus usque ad nos perdurans, nunquam emarcuit, imo quotidie efflorescit, et iuvenescit: pulchrum facie, quia vanae gloriae vitio stimulatus, pulchra sua secundum faciem ab omnibus videri cupit: reti tandem indutum, quia vani hominis illa praecipue cura et solicitudo est, ut ubique rete expandat ad humanas laudes capiendas: et quidem cum illa sint instrumenta ad venandum, apposite sanctus Fulgentius in ea sua vanae gloriae descriptione reti usus est, quia hoc venandi instrumentum commune est ad capiendos ex aqua pisces, ex terra quadrupedia, ex aere volucres; quo aperte significavit, vanae gloriae stimulis agitatum ad omnia ubicunque potest quidpiam vanae laudis aucupari, rete suum caute, et simulate extendere, ut periti solent ad capienda animalia praestare venatores.

Praeterea illud etiam valde singulare est in hoc vitii genere, quod cum omnia alia vitia nonnisi a vitiis, et a materia vitiosa generentur, foveantur, perficiantur; otium invitat ad gulam, gula ad luxuriam, luxuria ad prodigalitatem, prodigalitas ad rapinas, et furta, furtum ad iniuriam, iniuria ad malevolentiam: quae omnia, vel generant vicissim, vel generantur, vel fovent mutuo, vel foventur: sed eadem omnia virtutibus extinguuntur, et corriguntur: sola superbia ex ipsis virtutibus nascitur, nonnisi bonis insidiatur, ex pietate ortum, et incrementum capit: quemadmodum enim ignis sulphureus aqua iniecta roboratur, ipsa aqua materiam ei, et alimentum praebente, quae tamen ceteros ignes solet extinguere: sic superbia, crescente virtute, et rebus praeclare gestis apparentibus, magis inflammatur, illis, quasi materia utitur, quae cetera vitia solent perimere. Iam vero cetera vitia singula singulas perdunt virtutes, avaritia liberalitatem, libido castitatem, gula temperantiam, iracundia benevolentiam; at una superbia omnes perdit, omnia bona tollit, omnia praeclare gesta evacuat, mercede spoliat, Deo reddit exosa, ut in ieiuniis, ac decimarum solutione illius Pharisaei apparet. Edidisset Eleazarus praeclarum facinus, occiso elephante, nisi illato imperite vulnere ab eodem etiam fuisset miser interfectus: quoties aut peccato resistimus, aut virtutem operamur, quasi elephantem occidimus, ut vel mundum, vel diabolum, vel carnem; sed nisi a blandiente propriae laudis memoria caveamus, ab eodem bono opere ipsimet occidimur. Deinde cetera peccata saltem cum aetate languescunt, et vinci se tandem patiuntur: libidinem aetas extinguit, odium, et malevolentiam redintegrata amicitia absumit, avaritiam inducta liberalitas profli-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

secundum carnem Dei matrem existere: intellexit tamen divus Anselmus, qui (*lib. de excell. Virgin. c.* 2) sapienter dixit: *Hoc solum de sancta Virgine praedicari, quod Dei Mater est, excedit omnem altitudinem, quae post Deum dici, vel cogitari potest.* Quare cum d. Augustinus (*tract.* 10. *in Ioan.*) in persona Christi dicit: *Mater mea, quam appellastis felicem, inde felix, quia verbum Dei custodivit, non quia in illa Verbum caro factum est, et habitavit in nobis:* non negat, felicem fuisse ex maternitate, sed praefert felicitatem, quam habuit ex custodia verbi divini: idque clare constat ex alio loco eiusdem d. Augustini (*lib. de sanct. Virgin. cap.* 3) dum ait: *Beatior fuit Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi:* ecce comparat illa duo, et supponens Virginem beatam esse ex primo, affirmat, beatiorem ex secundo.

Atque ex his omnibus infero, tantum abesse, ut Christus Dominus laudem illam matri suae delatam, *Beatus venter qui te portavit*, abiecisse aut refutasse voluerit, ut potius illam admittens, eandem perfecerit, et confirmaverit, subiungens aliam potiorem rationem, per quam Virgo beata erat praedicanda; nempe quia audierat verbum Dei, et custodierat illud: ipsi enim praecipue dixit David pater eius (*Psal.* 44): *Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam.* Inclinavit certe, cum angelo ad se destinato assensum praebuit, dicens (*Luc.* 1): *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Deinceps etiam tam solicite Verbum Dei custodiebat, ut d. Luc. (*cap.* 1) de illa dicat, *Conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo.* Conservavit in ventre memoriae (*Ps.*16): *De absconditis tuis adimpletus est venter meus.* Conservavit in ventre cordis (*Cant.* 5): *Ad tactum eius intumuit venter meus.* Conservavit in ventre mentis suae (*Ezech.* 3): *Fili hominis, venter tuus comedet, et viscera tua implebuntur volumine isto.* Conservavit in ventre appetitus sensitivi (*Psal.* 43): *Conglutinatus est in terra venter noster*, excepto tamen b. Mariae, quae caruit peccati fomite. Conservavit in ventre gratiae, ut d. Gregorii utar phrasi, qui exponens illud Iob (*c.* 38): *De eius utero egressa est glacies*, inquit: *Quid enim in utero, nisi gratiae sinus accipitur?* Cum ergo beata Virgo non solum Verbum incarnatum utero corporis custodierit, sed verbum praedicatum utero cordis sui diligenter conservaverit, felix, et beata est ex primo; felicior tamen, et beatior est ex secundo. Unde Beda (*in comm. hui. loc.*) ait: *Eadem Dei genitrix, et inde quidem beata, quia Verbi incarnandi ministra facta est temporalis, sed inde multo beatior, quia eiusdem semper amandi custos manebat aeterna:* quibus consonant verba d. August. (*lib. de san. Virg. c.* 3) dum ait: *Materna propinquitas nihil Mariae profuisset, nisi prius Christum corde, quam carne gestasset.* Quare illis verbi generalibus: *Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud*, uberius multo affirmavit Christus, matrem suam esse beatam, quam mulier illa verbis illis peculiaribus: *Beatus venter, etc.* nam Christi Domini verbis laudata est eius anima, verbis autem illius mulieris commendatum est eius corpus: illa quidem sermone suo extulit corporea concipiendi, et lactandi munera; Christus autem spiritualia liberi arbitrii, coelesti gratia perfusi, officia, in credendo, et amando Deum commendavit; quae verbi divini custodia complectitur.

Deinde cum Christus Dominus respondit illi mulieri: *Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud*, videtur mihi quoddam consolationis genus exhibere ei voluisse in praemium; quod aliis omnibus, qui aderant, eum blasphemantibus, ipsa sola in laudes eius prorupisset. Consolatio autem haec fuit: Si tanti facis ventrem, qui me portavit, ut beatum illum voces, ne desperes, appellationem beatae te consequi posse: nam si verbum Dei audieris, et illud custodieris, beata quoque tu eris. Vel dicamus aliter: Tu matrem, et gestatricem Verbi praedicas beatam, in illa Deum laudas, et me simul honoras: quod autem de matre affirmas, equidem non negaverim, quin eam etiam beatam esse confirmo; nolim autem, ut quisquam putet, illam solam beatitudinis participem esse, sed generatim hoc dixerim, iustos et beatos etiam omnes posse censeri, quicumque idem illud verbum, quod a me praedicatur, corde sicut illa, susceperint, atque opere fideliter adimpleverint. Itaque Christus Dominus non negavit, Virginem fuisse beatam, ex eo, quod ventre suo illum concepisset, sed ex hoc occasionem accepit, Verbum Dei, quod praedicabat, commendandi, quod beatiores homines, quam ventrem, et ubera posset facere, nam et ipsa mater sua beatior erat, quod mente, quam quod ventre Christum concepisset. Hoc autem genus beatitudinis omnes poterant ex divino auxilio obtinere: beatitudo enim, et felicitas gestandi in ventre Christum Dominum uni soli Mariae data erat, nec alteri unquam communicanda; beatitudo autem audiendi, et custodiendi verbum Dei, omnibus poterat esse communis. Falluntur igitur omnes haereticí, dum ex voce Christi Domini, *Quinimo*, perperam intellecta, tot, ac tantas turbas excitant, ut Dei Genitricis honorem obscurent; cui sit cum Filio eius honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XIX.

Christus Dominus verbis illis: Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud, *humanas laudes longe abiiciendas esse nos docet.*

Non desunt graves huius loci interpretes, qui putarint, Christum Dominum propterea duriusculis illis verbis secundum speciem respondisse mulieri se et matrem suam laudanti, ut tanquam perfectionis Evangelicae archimagister, humanas laudes contemnendas significaret, nec de aucupanda populari aura christiano homini quidquam curandum esse doceret. Quod genus argumenti tanto libentius pertractandum suscipio, quanto et ad vanae gloriae pestem expiandam utilius, et omnibus statibus hoc vitii genus familiarius esse iudico. Etenim

illud singulare in vanae laudis, et humanae gloriae appetentia non semel observavi, quod, licet non omnia vitia omnium corda subintrent quaedam enim sunt familiaria divitibus, alia sapientibus, alia principibus, alia subditis; humanae tamen gloriae appetitus, instar passionum entis, ut philosophi loquuntur, quae omnia transcendunt, omnium pulsat animos, et instar universalis pestis, undique grassatur, et per omnes serpit, ut cancer: ad quod alludens Socrates, ut auctor est Stobaeus (*serm.* 31), vanae laudis appetitus morbum in hunc modum pulchre descripsit: *Si quis in theatro inberet coriarios solos surgere, illi soli surgerent; similiter, si fabros ferrarios, textores, aut alios generatim: si vero prudentes, aut iustos iubeat surgere, hic omnes illico consurgent, quia omnes tales videri volunt.* Appetitum hunc vanae gloriae in divitibus frequenter dominari quis ignorat? Paulo dicente (*Timoth.* 6): *Divitibus huius mundi praecipe non superbe sapere.* Sapientes et literis conspicuos hoc eodem appetitu saepe intumescere, idem d. Paulus testatur dicens (1. *Cor.* 8): *Scientia inflat.* Iustos etiam, et Sanctos hac eadem passione crebro agitari testatur d. Thomas (2. 2 *quaest.* 123. *art.*3), dum ait: *Cum alia vitia locum habeant in servis diaboli, inanis gloria locum habet in servis Christi;* haec ille. Hi enim non semel propriis suis operibus humanam laudem aucupantur, quos in hunc modum (*c.*58) Isaias increpat: *Numquid tale*, inquit Dominus, *est ieiunium, quod elegit per diem affligere animam suam? numquid contorquere, quasi circulum caput tuum?* ubi Originale Hebraeum legit: *Numquid contorquere, quasi hamum collum suum?* Quibus verbis non obscure significavit, quod sicut piscatores hamo utuntur ad capiendos pisces, sic multi, qui spirituales haberi volunt, dum ieiunant, orant, vel aliis bonis operibus vacant, quasi hamum ad collum contorquent ad vanas hominum laudes captandas: hi sane oleum et operam perdunt, et mercedem aeternam, quam aeternum gloriae pondus vocavit Apostolus, pro inanis gloriae mercede, quae instar fumi, nullius prorsus ponderis est, insipienter, ac infeliciter commutant. Atque hoc facit, quod cum olim recreandi animi gratia Imper. Nero piscaretur, hamus vero, quo pisces capere tentabat, cum non ferreus, sed aureus esset; videns hoc Romanus quidam ei irrisit: *Ut quid*, inquiens, *quaeso perditio haec? piscis saepe oboli pretium non excedit, et frequenter secum in profundum hamum trahit, qui centuplum maioris valoris erat.* Opera in charitate facta aurea quidem sunt, utpote charitatis auro decorata; haec tamen si omnino propter vanam gloriam fiunt, perent, solumque ventum vanae gloriae in praemium obtinent: ut quid ergo perditio haec? Finge modo, agricolam toto anni decursu terram colentem, arantem, seminantem, rigantem, expurgantem, metentem, triturantem, ac tandem magno labore triticum in horrea inducentem; si postea cum tritico uti oportet, a gurgulione devastatum illud reperiret, infelicem se proculdubio exclamaret, et frustra tot expensas fecisse doleret. Non dissimiliter, qui per anni circulum seminavit eleemosynas, orationes, ac pia alia opera, ac propterea putasset, per multa bona opera in aeternae patriae horrea se induxisse, ad Dei tamen iudicium vocatus, videat omnia illa vanitatis gurgulione omnino deperdita, merito se infelicem exclamabit, et dicet: *Ut quid perditio illa?* frustraque dolebit, se tot expensas inaniter fecisse. Sanctus Fulgentius (*lib. Mytrol.*) sic hieroglyphice vanam gloriam descripsit. Iuvenem quendam depinxit facie pulchrum, et reti indutum: iuvenem, quia vana gloria a primis parentibus usque ad nos perdurans, nunquam emarcuit, imo quotidie efflorescit, et iuvenescit: pulchrum facie, quia vanae gloriae vitio stimulatus, pulchra sua secundum faciem ab omnibus videri cupit: reti tandem indutum, quia vani hominis illa praecipue cura et solicitudo est, ut ubique rete expandat ad humanas laudes capiendas: et quidem cum illa sint instrumenta ad venandum, apposite sanctus Fulgentius in ea sua vanae gloriae descriptione reti usus est, quia hoc venandi instrumentum commune est ad capiendos ex aqua pisces, ex terra quadrupedia, ex aere volucres; quo aperte significavit, vanae gloriae stimulis agitatum ad omnia ubicunque potest quidpiam vanae laudis aucupari, rete suum caute, et simulate extendere, ut periti solent ad capienda animalia praestare venatores.

Praeterea illud etiam valde singulare est in hoc vitii genere, quod cum omnia alia vitia nonnisi a vitiis, et a materia vitiosa generentur, foveantur, perficiantur; otium invitat ad gulam, gula ad luxuriam, luxuria ad prodigalitatem, prodigalitas ad rapinas, et furta, furtum ad iniuriam, iniuria ad malevolentiam: quae omnia, vel generant vicissim, vel generantur, vel fovent mutuo, vel foventur: sed eadem omnia virtutibus extinguuntur, et corriguntur: sola superbia ex ipsis virtutibus nascitur, nonnisi bonis insidiatur, ex pietate ortum, et incrementum capit: quemadmodum enim ignis sulphureus aqua iniecta roboratur, ipsa aqua materiam ei, et alimentum praebente, quae tamen ceteros ignes solet extinguere: sic superbia, crescente virtute, et rebus praeclare gestis apparentibus, magis inflammatur, illis, quasi materia utitur, quae cetera vitia solent perimere. Iam vero cetera vitia singula singulas perdunt virtutes, avaritia liberalitatem, libido castitatem, gula temperantiam, iracundia benevolentiam; at una superbia omnes perdit, omnia bona tollit, omnia praeclare gesta evacuat, mercede spoliat, Deo reddit exosa, ut in ieiuniis, ac decimarum solutione illius Pharisaei apparet. Edidisset Eleazarus praeclarum facinus, occiso elephante, nisi illato imperite vulnere ab eodem etiam fuisset miser interfectus: quoties aut peccato resistimus, aut virtutem operamur, quasi elephantem occidimus, ut vel mundum, vel diabolum, vel carnem; sed nisi a blandiente propriae laudis memoria caveamus, ab eodem bono opere ipsimet occidimur. Deinde cetera peccata saltem cum aetate languescunt, et vinci se tandem patiuntur: libidinem aetas extinguit, odium, et malevolentiam redintegrata amicitia absumit, avaritiam inducta liberalitas profli-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

gat, gulam, ebrietatem parsimonia reprimit, solius superbiae tanta est pertinacia, ut aliis vitiis omnibus profligatis, sola audeat in campo manere, virtutique pugnam per totam aetatem inferre. Quemadmodum enim umbra corpus, nisi undequaque corpus illustretur, ut cum in Zenith medio sol stat, semper consequitur, vel ante, vel ad dexteram, vel ad sinistram, sic superbia virtutem semper comitatur, et ex aliquo latere insidiatur, nisi quis ita luce virtutis effulgeat, ut vitiorum tenebris, seu umbris nihil loci relinquat, totusque et undique cautus ab omni parte sibi prospiciat.

Porro inanis gloriae fugiendae causae sancti Patres nos monent, ut opera nostra abscondamus, ne videntium hominum oculi illa inficiant, aspectu suo ad vanam gloriam nos excitantes. Unde divus Ioannes Chrysostomus (*hom. 2. in Ioann.*): *Homines*, inquit, *nihil nobis utilitatis offerre possunt, sed tantum inspicere quae facimus, ac inspiciendo laedere, laboremque nostrum inanem reddere.* (*Exod.* 2) videns Moysis mater eum eleganiem, abscondit, sic tu si elegantem, pulchrumque habes filium, id est, si quid, quod laudem mercatur, a Deo accepisti, absconde, ne hominum oculis fascinentur, ac per inanem gloriam corrumpantur. Origenes (*ho. 2. in Ex.*) referi: *Ait Scriptura, quod de tribu Levi quaedam genuit masculum, et videns infantem esse elegantem, occultavit eum mensibus tribus; unde si non propterea nobis praecipitur, ne bonos actus in publico geramus, ne iustitiam nostram coram hominibus faciamus, sed ut clauso ostio oremus Patrem in occulto, et quod facit dextera, nostra nesciat sinistra, nisi enim in occulto fuerit, diripietur ab Aegyptiis, invadetur ab hostibus, in flumen iactabitur, et fluctibus submergetur. Ergo, si faciam eleemosynam, quia opus Dei est, masculum genero; sed si ita faciam, ut hominibus innotescat, et ab hominibus laudem quaeram, et non occultavero, rapta est ab Aegyptiis, et in flumen demersa;* haec Origenes. (*Ad Coloss. cap.* 5.) Graeco vocabulo: *Opathalmodulia* utitur divus Paulus, quod huic rei, de qua sermo est, maxime inservit; significat enim oculorum servitutem: ait ergo d. Paulus: *Non ad oculum servientes:* et si verbum verbo reddere velis, non in oculorum servitutibus. Quod autem ille servis, hoc cunctis hominibus dici potest. Non in *ophthalmodulia*, id est, non in oculorum servitute vitam traducatis, ne sitis quaeso oculorum servi, ne hominum oculis, qui omnia fascinant, serviatis: quo certe vitio laborant plerique: quorsum enim pretiosae, bombicinaeque vestes gemmis auroque distinctae? quorsum magnifici prandiorum apparatus? quorsum equorum, argento auroque radiantes phaleraе? quorsum famulorum ingens caterva? quorsum aurea peristromata? multorumque nummorum aulea? nonne ut hominum oculis serviatur? Haec vero oculorum servitus, quam sit gravis, Origenes (*in comment. epistol. ad Roman. hom.* 17) his verbis ostendit: *Elegerim potius innumerorum barbarorum servitutem, quam semel unius inanis gloriae: neque enim captivis illi suis talia praecipiunt, qualia subditis suis ista iubendo mandat: omnium*, inquit, *servus esto, animam contemnito, virtutem negligito, libertatem rideto.* Item *vanae gloriae cupidus similis est illis, qui tempestates ferunt, semper timens innumerosque Dominos obseruans, qui vero extra illam est tyrannidem, recte comparatur iis, qui in portu constituti, integra iam libertate potiuntur. Alias vero non item, sed quam multis est cognitus, tam multos habet dominos omnibus coactus.* Fugiamus ergo ophthalmoduliam, oculorumque humanorum, servitutem in oculos Dei oculos nostros coniiciamus, et in illius conspectu, theatroque perpetuo versemur. Duo sunt theatra: alterum sursum amplissimum, ubi Rex regum, hoc est, Deus nobilissimis angelis stipatus, ad spectandum sedet; alterum deorsum angustissimum, ubi viles homunculi, et peccatores turpissimi multi adstant. Unde divus Paulus (1. *Corinth.* 4) dixit: *Spectaculum facti sumus mundo, et angelis, et hominibus;* magna igitur insania est, amplissimum Dei, angelorumque theatrum repudiare, et in paucorum, eorumque vilium hominum theatro versari, illorumque oculis magno labore inservire: qui hoc facit, eum d. Ioannes Chrysostomus (*homil.* 17. *in epist.* 2. *ad Rom.*) his verbis increpat: *Servus ad oculos heri sui respicit, mercenarius operator ad operis sui dominum praemia illi daturum, discipulus ad praeceptorem: tu vero omnino contrarium facis, Deum qui remunerat, Dominumque relinquens, ad conservos respicis: etiamsi scias, quod Deus recte factorum tuorum etiam in futurum recordetur; homo tamen cum sis vilis, ad praesens tantum respicis. Et cum habeas in coelo theatrum constitutum, in terra tamen spectatores tibi colligis: athleta quidem ubi certat, ibi et probari cupit, tu cum in superioribus certes, in inferioribus coronari quaeris? et quidnam poterit hac amentia peius fieri?* haec d. Ioannes Chrysostomus.

Verum dicat quis, si fugere debemus hominum oculos, ne opera nostra videntes, illa aspectu suo inficiant, oportebit adire deserta loca, in quibus nulli appareant hominum oculi: minime quidem, sed quaerenda deserta voluntas ab omni inanis gloriae, quam oculi hominum pariunt, cupiditate. Si in oculis omnium hominum praeclarum opus gesseris, non hominum curans oculos, sed Dei, abscondite, et sinistra ignorante, geres; si vero nullo cernente homine feceris, videri tamen cupiens, hominumque laudes captans, coram hominibus sinistra sciente facies. Auctor Imperfecti (*in cap.* 6. *Matth.*) ait: *Qui non ideo facit, ut ab hominibus videatur, et si coram hominibus fecerit, tamen non videtur coram hominibus fecisse.* Chrysologus (*serm.* 9): *Deus arguit largientem ad suam famam, non ad pauperis famem, vota culpat, non loca: docuit misericordiae auctor, ut misericordia non terrae sit nota, sed coelo, non hominibus insinuata, sed Deo.* Theophylactus etiam (*in cap.* 6. *Matth.*): *Licet coram hominibus eleemosynam faciat, non tamen ideo facias, ut videaris ab hominibus, non condemnaris: sin vanae gloriae scopum spectaveris, etiamsi in penetralibus promptuarii tui facias, condemnaris: voluntatem enim, vel coronat, vel punit Deus;* haec ille. Atque hoc facit, quod Christus Dominus ad fugiendam inanem hominum gloriolam, monuit, ad eleemosynam elargiendam, non esse tuba canendum (*Matth.* 6): *Cum facis eleemosynam, noli tuba canere.* Tubis utebantur olim Iudaei ad convocandam plebem, sicut et nos utimur cymbalis. Unde Dominus (*Num.* 10) Moysi dixit: *Fac tibi duas tubas argenteas, quibus convocare possis multitudinem.* Noster Lyranus, cardinalis Caietanus, et episcopus Abulensis, Iansenius, et alii putant, tunc homines humanae gloriae cupidos solitos fuisse tuba pauperes convocare; mihi tamen d. Ioannis Chrysostomi sententia probatur asserentis, tropum esse, et figuratum loquendi modum continere verba illa: *Noli tuba canere ante te:* quia perinde est, ac si dixisset: noli arroganter eleemosynam tuam ostentare: verba d. Chrysostomi haec sunt: *Non quia hypocritae eleemosynam ad signum erogant tubarum, sed maximam in eis volens notare ostentationis insaniam, translatione verborum, vitii redundantiam publicavit.* Eleemosyna, et in universum omnia opera insidiatricem habent gloriam inanem: alia vilia in terra nobis insidiantur, haec vero in ipso coelo, ut d. Basilius loquitur; quia in ipsismet virtutibus de coelo delapsis clare ostendit: etenim (*in constitut. cap.* 11) inquit: *Callida insidiatrix vana gloria, vel in ipsius coeli convexis insidiarum adversus nos est collocatrix*, et ibidem ait: *Vana gloria virtutes, ramis in coelum usque licet expansis, adornatas profligare, ac deturbare contendit.* Laetus sub viridi hedera sedebat Ionas (*cap.* 4); ea vero a verme subito corrosa exarnit: virescit, floretque opus bonum, quamdiu a verme inanis gloriae, ac superbiae non corroditur; si tamen ab inani gloria corrodatur, exarescit. Unde d. Basilius eleganter (*eod. lib. cap.* 11) dixit: *Fugiamus inanem gloriam, dulcem spiritualium operum spoliatricem, iucundum animarum hostem, tineam virtutum, blandissimam bonorum nostrorum depraedatricem, candemque mellis illitu fraudis suae veneno coloratricem, et mortiferi hominum mentibus oculi porrectricem:* quibus consonant verba divi Ioannis Chrysostomi (*hom.* 72. *in cap.* 22. *Matth.*), dum ait: *Haec est linea coelestis thesauri, hic est fur, qui regna aeterna furatur, qui immarcescibiles a nobis divitias aufert, qui tanquam contagiosus morbus omnia corrumpit.* Qui polum arcticum intuentes navigant, buccinae figuram intuentur; qui vero alterum cernentes polum fluctus sulcant, intuentur figuram crucis: etenim in polo arctico, stellae sunt in speciem buccinae; in polo vero antarctico in formam dispositae crucis; ad eundem modum ex his, qui mare magnum huius saeculi navigant, quidam vanae laudis cupidi, buccinas, id est, placidas hominum laudes, inanemque gloriam aspiciunt; alii vero humanam hanc gloriam despicientes, laudum buccina, seu tuba contempta, in crucem coniiciunt oculos, cum divo Paulo (*ad Gal.* 6) dicentes: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Quare si, cum eleemosynis, ieiuniis, et aliis bonis operibus vacamus, volumus ante nos tuba canere, haec non debet esse tuba ostentationis, sed tuba extremi iudicii, qua si cecineris ante te somitu eius terribili, humanam deterrebis gloriam, ac humanas laudes longe fugabis. Si vero malueris humanae laudis tuba canere, contingit tibi illud (*Iob* 15): *Congregatio hypocritae sterilis.* Etenim humanae laudis cupidus congregat varia bona opera, sed eorum sterilis haec est congregatio, quia per haec, quae vane agit, fructum aeternae retributionis non recipiet, in eoque palam verificatur illud (*Osee* 8): *Culmus stans, non est in eo germen, non faciet farinam, quod, etsi fecerit, alieni comedent eam:* bene ait, culmus stans, non est in eo germen, quia sicut vitis racemi, si in sublime non attolluntur, in terram iacent, et facilius putrescunt propter humiditatem terrae; sic bona opera, si recta intentione in coelum non sublevantur, in terra iacent, ac putrescunt. Bene etiam ait, germen non faciet farinam, quia humanam laudem appetentis opera sunt infoecunda, nihil aliud producentes quam humanae gloriae paleas. Bene tandem ait, quod, etsi fecerit, alieni comedent eam: quia, ut recte dixit d. Gregorius (*l.* 12. *Moral. cap.* 24): *Cum fecerit farinam, hanc alieni comedunt, quia, et cum bona opera hypocritae ostendunt, de his malignorum spirituum vota satiantur: qui enim per haec placere Deo non appetunt, nequaquam agri Dominum, sed alieni pascunt:* haec ille. Christus Dominus praevidens dominantem in nos inanis laudis appetitum dixit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum;* non dixit, ut glorificent vos: nam hic nostrae lucis scopus debet esse, non ut nomen notrum celebretur, sed ut divinum illustrius fiat, iuxtaillud (*Ps.* 113): *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Cavete*, ait Dominus (*Marc. c.* 8), *a fermento Pharisaeorum.* Vis Pharisaeorum videre fermentum (*Matth.* 23): *Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus;* hoc multi sunt infecti vitio.

A Magno Alexandro, narrat Plutarcus (*in fin. lib. de profectu morum*), nuncium summa laetitia gestientem, dexteraque protensa accurrentem, his verbis exceptum: Quid mihi, vir bone nunciabis aliud, quam Homerum revixisse? nihil videlicet, ut ait idem auctor, sibi desse his verbis contristatus est, quam famam insignem apud posteros, hoc enim unum cupiebat, Homerum poetarum principem in vitam revocari, ut res, quas gesserat, principe carmine celebratae, Homericoque penicillo depictae, ab omnibus hominibus cognoscerentur: scilicet fermento fervebant Alexandri viscera. Adumbrat autem superbiam, inanemque gloriam; nam quemadmodum fermentum massam inflat, sic superbia, inanisque gloria inflat hominem. Unde Philo propterea putat, ab altari repulsum in libro de offerentibus victimas, quia iubet legislator, oblationem omnem sine fermento fieri propter humiditatem, quam efficit figurato praecepto: ne quis elatus ad altare accedat, tumidus fastu, et arrogantia. Praeterea, quemadmodum fermentum, ut ait Apostolus, massam, sic inanis gloria opus, etsi praeclarum, corrumpit. Saul (1. *Reg.* 15) post victos Amalecitas fornicem triumphalem erexisse dicitur: similem in modum, ait

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

d. Gregorius (*in comm. 1. lib. Reg.*), arrogantem doctorem, et inani gloria inflatum, post victa concionibus aliqua auditorum vitia, veluti fornicem triumphalem sibi erigere, dum superbit. Arrogantes, inquit, doctores, dum magna dicunt, se in sublime aestimationis erigunt, et quales se intus aspiciunt, per iactantiam, et ostentationem, foris innotescunt. Cumque et illud, quod per se alii proficiunt, ad favorem propriae laudis trahunt, quid aliud videntur agere, nisi altum victoriae signum in signi titulo demonstrare? In eos, qui vanam sectantur gloriam, illud quadrat (*Psal.* 105): *Mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis foenum*; mutant enim gloriam veram ac coelestem gloriam quoque Dei, ad quam sua opera dirigere debuerant, in vitulum, qui foeno pascitur; hoc est, ut Richardus Victorinus moraliter interpretatur, in appetitum inanis gloriae, et popularis aurae, quae foenum est, quod hodie viget, et cras in clibanum mittitur. Vitulus, sive potius taurus cornupeta, est inanis appetitus gloriae, cornu petit ille, caveto: petit, inquam, cornu, et alios, et illum, a quo pascitur. Richelius (*lib. 1. de crudit. intern. homin. part.* 1. *cap.* 4): *Cum*, inquit, *scriptum sit* (*Isa.* 40): *Omnis caro foenum, et omnis gloria eius quasi flos agri, quid aliud erat vitulus foenum comedens, nisi humani favoris appetitus, carnalem et temporalem gloriam ambiens? Foeno pascitur popularis aureae captator, sive potius aere, et aura: at solidam qui quaerit gloriam, is divinis, ac coelestibus fruitur pascuis: fugiendo gloria quaeritur; si vanam atque inanem fugiamus, solidam ac veram consequemur. Non ergo inficiamur, fratres charissimi, inani gloria cupidi, sed gloriam Dei in omnibus sincere quaeramus.* Refert Ludovicus Granatensis (*tom.* 1. *de temp.*), quod Thales Milesius iam senex admirandam quandam rationem de coelo commentus, eandem Mandritae philosopho Cirensi communicavit, qui cum hoc nomine magnas gratias ageret, rogaretque, quam mercedem pro tanto documento vellet: satis, inquit Thales, mihi erit, o Mandrita, si id, quod a me didicisti, cum proferre volueris, tibi non adscripseris, sed me eius repertorem praedicaveris. Quanto magis Deus hoc summo iure a nobis flagitat, ut omnem virtutem, scientiam, prudentiam, ac fortitudinem, si quam habemus, non nobis, sed illi acceptam referamus, quoties ea utimur? quanto magis summa ratio docet, et Theologos, ac Christianos, ut omnes ingenue agnoscant, per quos profecerint.

Sed perge quaeso pleraque alia in idem argumenti genus edissere. Basiliscus, animal venenatum, et hominis hostis capitalis, si primus te videt, interficit certissime: si a te prius conspiciatur, facile superatur. Sic vana gloria si a te primum expenditur, facili negotio repellitur; si incautum te occupet, opprimit: quod qualiter faciat, sapienter describit s. Basilius dicens: *Inanis gloria spiritualium operum est latro, blandus animarum hostis, tinea virtutum, sub mellis illitu fraudis suae venena propinat, et poculum mortiferum porrigit: quos captivos tenet, eos ad omne nefas facile impellit, ut id faciant, quod admirationi esse animadvertunt, quantumcunque id turpe, et inhonestum sit: sic non modo honestas omnes actiones subvertit, sed et ad improbas iter facit*; haec ille. Refert Plinius, quod aquilae pullis, quae in alto semper nidificat, serpens, qui vocatur parias, insidiatur, qui videns se propter altitudinem ad illos accedere non posse, trahit ad se ventum, et venenum emittit, ut aer infectus per venenum, ad pullos deductus, illos occidat; sed aquila ex instinctu naturali, ut huic malo occurrat, nido suo inaedificat lapidem, qui vocatur gagates, et semper in illa parte, quae est contra ventum, illum ponit: ista autem lapis venenum expellit, ne ad pullos accedat. Simili industria, et cautela debemus nos pullos nostros, id est, bona opera, quae per Dei gratiam in sublimi virtutum exercitio operamur, tueri, ne a vento superbiae diaboli excitato, pereant, et dissolvantur, Christum lapidem, seu Dei gloriam inter opera nostra, et ventum vanae gloriae ponere satagentes. Eleganter dicebat s. Arsenius: *Qui bona quidem opera facit, sed ut studeat hominibus placere, similis est perpetuo haurienti aquam, et in canalem perforatum continuo infundenti*: et certe sicut dementissima res esset, pretiosis gemmis, atque lapillis ruinosi alienius parietis rimulas implere atque fulcire, sic pro virtute humanos favores desiderare, et rem coelo dignam vili pretio venalem exponere. Porro, sicut ineptus ille mercator esset, qui merces optimas parvo praesenti pretio venderet, certo sciens, si ad aliquot dies expectaret, centuplo plus se accepturum; sic inepti illi operatores sunt, qui bonas operationes praesenti hominum laude, eaque levi, et momentanea vendunt, cum certo sciant, post hanc vitam futurum, ut amplissimam mercedem accipiant, si tantisper expectent: et quum vix usquam tam ineptus mercator reperiatur, ineptos istos operatores ubique locorum invenies.

Quid plura? qui statim virtutem suam ostentare contendunt, sunt tanquam amygdalus, quae florem cito emittit, et flante vento, celeriter amittit; qui autem occultant, morum imitantur, quae cum sero emittat flores, nullo unquam vento aut gelu offenduntur. Natura providit, ut non esset in manu, et potestate mulierum parere: nam si quando vellent, ipsae parerent, multa monstra utique emitterent; et aliae spatio unius mensis, aliae duorum, aut trium parerent: sic opus est labore, et manu Dei obstetricante, ut virtus, sicut foetus, in ventre abscondatur, et laboret in hac vita, donec tempus pariendi adveniat, de quo Christus Dominus dixit (*Ioan.* 16): *Mulier, dum parit, tristitiam habet; cum autem peperit, non meminit pressurae propter gaudium*; sic vos contristabimini, in multa patientia bonum operantes, *sed tristitia vestra vertetur in gaudium*. Quod si ante tempus prodire, et parere virtus vult, et hic gloriam quaerere, ut foetus immaturus, variis casibus extinguetur, vel superbia sua, vel invidia, aut adulatione aliena. Animalia apud Ezechielem habebant quatuor alas, quarum duae erant erectae: illae sunt

opera virtutum sursum tendentia: aliis duabus alis tegebant corpora sua: istae sunt timor, et humilitas, quibus virtutum actus, et substantia a vana laude teguntur. Qui iter longum faciunt, solent secum duas crumenas ferre, quarum altera monetam auream includunt, hanc semper ducunt absconditam, altera minoris valoris, et vulgarem asservant, et hanc in hospitiis manifestant hospitibus, ex ea symbolum solventes: alteram occultant, ne latronibus insidiandi ansam praebeant. Sic abscondita debet esse virtus, ut, sicut Christus monuit, *nesciat sinistra manus, quid faciat dextera*, id est, ut exponit Ioannes Chrysostomus, *nesciat voluntas carnis, quae Deo semper est contraria, quid faciat voluntas animae, et superioris rationis Deo subdita. Certe, ut thesaurus absconditus tutior a latronibus est, et virgo domi clausa facilius castitatem servat, quam ea, quae vagatur; sic virtus occultata a superbia, a diaboli laqueis tutior est: et quemadmodum fructus arborum, quae iuxta viam publicam crescunt, rarissime maturescunt, quia a transeuntibus praepostera aviditate comedendi, ante maturitatem colliguntur; sic virtutum opera quae in hominum conspectu fiunt, vel ut ab hominibus spectentur, ostentantur, nunquam ad veram soliditatem pervenient, quia statim humano favore intumescere operantem faciunt, ideoque eum distentum ad progrediendum in virtute, vel ad alia virtutum opera capessenda prorsus inidoneum reddunt. Postremo sicut gallina, quae ovo deposito statim cantillat, causam praebet cur statim collectis ovis, nunquam pullos pariat, sic qui suas virtutes statim praedicant, aut praedicari cupiunt, id agunt, ne ullos virtutum suarum fructus amplius producant*; haec sapienter d. Ioannes Chrysostomus. Sic aurum, vestemque pretiosam cum in publico ponimus, plurimos ad insidias provocamus; si vero ea recondamus, atque occultemus domi, in tuto cuncta servabimus. Sic, si divitias virtutum in memoria quasi venales assidue portemus, armamus hostem, irritamus inimicum, et dolosum invitamus ad furtum; sin vero nemo alter id scierit, nisi ille quem nulla occulta latere possunt, tutissimo in loco pretiosa quaeque consistent. Certus enim recte factorum thesaurus oblivio. Unde Apostolus (*Philip.* 3): *Ea quae sunt retro, obliviscens*: memoria quippe praeteritarum virtutum impedimentum est sequentium, dum ex praeteritis ita sibi quisque inaniter placet, ut plus sibi ad cumulum addi, aut non necesse putet, aut negligat; ita cum inani gloria crescere, aut maturari virtus non potest.

Verum quidem est, *Quod virtus laudata crescit*, quando vera virtus et solida est, quae laudatur, id est, quae propter solum Deum suscepta fuit, et non propter laudem humanam: quemadmodum enim aurum, si verum, et purum est, in fornace purgatum manet, si adulterinum, in fumum abit; sic virtus laudata, si vera, et pura virtus est, crescit, et solidatur; si falsa et fucata, evanescit: unde Salomon ait (*Proverb.* 27): *Quomodo probatur in conflatione argentum, et in fornace aurum, sic probatur homo ore laudantis.* Iustis sane illa est gloria, de qua d. Paulus (2. *ad Corinth.* 1): *Gloria mea haec est testimonium conscientiae meae*; et iterum (1. *Corinth.* 2): *Mihi pro minimo est ab hominibus iudicari? aut ab humano die*, id est, favore, et existimatione. Qui conscientias suas in alienis labiis posuerunt, modo magni, modo parvi, modo nulli sunt (*Eccles.* 27): *Sic stultus, ut luna mutatur*, et crescit, et decrescit pro laudatorum arbitrio. Polycletus statuarius duo simulacra fecit, unum ad arbitrium plebis transponens, et commutans, prout quisque accedens, atque aspiciens mutandum diceret, et ut cuiusque voluntati morem gereret, in publico opus suum effingebat; alterum vero ex artis suae peritia domi suae fabricabat: cum utrumque in foro prosuisset, et domesticum omnes admirationi haberent, publicumque omnes deriderent, utpote, in quo vix ullum membrum alterius proportioni responderet. *Atqui*, inquit Polycletus, *quod vituperatis, a vestra arte profectum est; quod vero suspicitis, ego mea facultate sum fabricatus.* Hippomachus pugilandi magister quum athleta quidam ex eius discipulis specimen exhiberet artis, et circumstans multitudo universa acclamaret, percussit eum virga, inquiens: *Sed tu perperam fecisti: nam si quid artificiosum praestitisses, ignari isti non te collaudarent.* Antisthenes philosophus dicenti sibi cuidam: *Multi te laudant. Quid enim*, ait, *mali fecisti?* Turpe est, christianos sacerdotes theologos hoc non videre, quod isti Ethnici viderunt. Acute hoc in Diogene taxavit Plato. Stetit aliquando Diogenes gelidissimo tempore in aquis pene congelatis nudus; cum magna multitudo hoc spectans, commiseratione hominis tangeretur, superveniens Plato multitudini dixit: *Si huic homini misereri vultis, cumque hanc molestia liberare, discedite.*

Accedit ad haec omnia ex virtute laudem humanam aucupari velle, per se malum esse, et superbiae specimen, seu speciem; ideoque Deo exosam, et, ut d. Ioannes Chrysostomus loquitur, *matrem gehennae: qui enim se exaltat, id est suas laudes praedicat, vel se laude dignum, et ceteris praeferendum iudicat, humiliabitur, id est, ad barathrum detrudetur. Nam ut humilis exaltatio, de qua Christus Dominus illic loquitur, est coelestis gloria, sic superbi hominis humiliatio est inferni poena. Vitia ceteris in peccatis*, ait d. Augustinus, *superbia vero etiam in recte factis timenda est, ne illa, quae laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur.* Quare hanc vanitatem pestiferam, naufragium in portu esse docet d. Chrysostomus: *Sicut navis*, inquit, *quae multos fluctus transit, multasque tempestates effugit, in ipso autem portu tandem in scopulum impingit, et iacturam totius in se reconditi thesauri infeliciter facit; ita qui post multos labores, ac virtutes linguam, et mentem a cupiditate laudis non temperavit, in portu naufragium patitur.* Hac de causa valde apposite Plato superbiam vocat, *Ultimam vestem, quam anima deponit, quasi in exuendo vetere homine, extremus sit superbiae pannus.*

Deinde vana haec laus, quam captare intendimus, fallacissima, et mendacissima est; similemque ac praestigia in oculis nostris de-

ceptionem parit. Quemadmodum enim imago, quanto artificiosius rem repraesentat, fallacior est, quia tanto magis persuadet rem ipsam esse, non imaginem eius, sicut imago Bucephali ab Apelle depicta, equum ad hinnitum concitavit; et uvae depictae a Zeusi aves deceperunt; nec non Parasii linteum depictum Zeusim decepit: sic certe humanae laudis honores quanto maiores sunt, eo maiora sunt mendacia, et deceptio maior: quia tunc magis videntur veri esse, cum alioquin falsi, et non veri sint, sed verorum tantummodo imago. Atque hinc est, quod divus Iacobus (*in epistola sua cap.* 4) de huiusmodi humana gloria dixit: *Umbra est, et vapor ad modicum parens.* Certe ut umbra, cuiuscunque corporis umbra sit, sive viridis, sive flavi, ipsa tamen semper nigra est, et obscura, et quaedam vacuitas, et lucis privatio; sic omnis huius saeculi gloria, atque humana laus, ex quacunque re nascatur, sive a literis, sive a virtute, sive ab aliis quibuscumque animi dotibus, non nisi umbra est, et inane quidpiam, sola fallaci opinione consistens. Et quidem, qui ex qualibet virtute, quae in illo effulget, vel ex qualibet suo opere se extollit, humanamque gloriam venari curat, persimilis mihi videtur ei, qui ita debilis cerebri, et infirmi capitis est, ut modico accepto vino facile inebrietur: quemadmodum pueri ludentes, ex foeno coronam alicui imponunt, coronatum autem irrident; sic saepe fit, ut qui te in faciem praedicant, postea clanculum subsannent: attollunt, ut deliciant, exaltant hosanna, dicentes, et mox crucifige, vociferantur.

Ceterum, quando illud solum malum humanae laudis appetitus secum ferret, quod debitam Deo gloriam surripit, ob hanc solam rationem vehementer huiusmodi vitium detestandum esset (*Isai. cap.* 24): *Gloriam meam alteri non dabo*, ait Dominus. Liberalissimus est Deus, coelum, et terram, *et quidquid coeli, et terrae ambitu continetur*, nobis Deus dedit, imo et sanguinem, et carnem, et merita sua; at tantus est gloriae suae Zelator, ut dicat: *Gloriam meam alteri non dabo.* Hanc sibi reservavit, utpote supremo omnium conditori debitam. Nunc igitur attende: *Gloriam meam alteri non dabo*, ait Dominus: superbus autem dicit, eam, licet non dederis mihi, usurpabo. Vide hominis temeritatem, vide hominis superbi infidelitatem. Recte s. Bernardus (*ser.* 13. *in Cant.*) ait: *Fidelis revera famulus es, si de multa gloria Domini tui, etsi non exeunte ex te, tamen transeunte per te nihil manibus tuis adhaerere contingat, quare audies et tunc: Euge serve bone, et fidelis, super multa te constituam. Ioseph, cum domum, et omnia bona Domini sui sibi credita sciret, Dominum non ignoravit exceptam, non est, inquit, ex omnibus bonis Domini mei, quod non tradiderit mihi praeter te, quae uxor eius est; mulierem noverat esse gloriam viri, et iniquum sibi iudicavit, vice contraria inglorium facere illum, qui se ferebat gloriosum. Quid ergo homo zelat gloriam suam, et Deum audet velle fraudare de sua quasi non zelantem: audi ergo, quid dicat: gloriam meam alteri non dabo;* ita s. Bernar. Quod si adeo zelat, Deus gloriam suam ut sibi honor, et gloria danda sit, quid audes gloriam usurpare?

Ratio autem, quare Deus gloriam sibi vindicet soli, haec est: quia omnia opera bona nostra ipse, tamquam bonorum princeps, et auctor, operatur in nobis omne datum, quantumvis optimum. et *Omne donum seu bonum perfectum, de sursum est, descendens a Patre luminum.* Unde optime s. Bern. (*ser.* 13. *in Cant.*): *Quis credat parieti, si se dicat parturire radium quem suscipit per fenestram? aut si glorientur nubes, quod genuerunt imbres? quis non irrideat. Mihi liquido constat, nec de canalibus oriri rivos aquarum, nec de labiis vel dentibus, verba prudentiae, et si sensus noster corporeus ultra non attingat. Si quae sane in sanctis digna laude, vel admiratione video, laudo Deum in sanctis suis, sive sit Heliseaeus, sive magnus ille Elias, mortuorum utique suscitatores: pii enim non imperio suo, sed ministerio exhibent insuetа. Deus vero in ipsis manens, ipse facit opera, qui invisibilis est, et solus mirabilis, qui facit mirabilia magna solus, nec laude calami laudabilis est pictura, aut scriptura, nec gloria labiorum sermo bonus, et nunc loquatur propheta: nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum, a quo trahitur?* Ita s. Bernardus. Quamvis enim in bonis operibus concurrat libere, ipsam tamen facultatem libere operandi a Domino Deo accipit, imo et ipsum opus liberum, cum ex divina, et efficaci eius motione procedat, sine qua nihil prorsus operaretur. Reddat igitur Deo gloriam, qui operatur in eo velle, et perficere pro bona sua voluntate: nam si artifici, qui expensis alterius opus aliquod conficit, non licet stemmata propria in eo apponere, quomodo licebit tibi in operibus, quorum es artifex, gloriam quaerere, cum ad ea efficienda necessarias expensas tibi suppeditet Dominus, imo eadem illa ipse principalius efficiat? omnia enim opera operatus est in nobis Dominus; quomodo inquam tibi licebit illorum operum tibi gloriam captare? Quod si gloriam, et honorem tibi arrogaveris, et non glorificaveris Deum, Deus vindictam sumens, debitam sibi gloriam restituet. Quare (*Exod.* 14): *Glorificabor*, ait, *in Pharaone, et in omni exercitu eius*, quia eum, et exercitum suum in mare proiecit, et fuit Deus punitione illa glorificatus, qui non fuerat ab eo honoratus.

Magna in Ezechiam Deus contulit beneficia, ad, o humanam fragilitatem (2. *Paralip.* 32) haec de illo verba scripta extant: *Non iuxta beneficia, quae acceperat retribuit, quia elevatum est cor eius, et facta est contra eum ira, et contra Iudam, et Ierusalem respondetur, ortam ex legatione regis Babyloniae.* Etenim Babyloniі astrologiae periti, solis illam admirandam retrogressionem observaverant, et regis Ezechiae causa tantum portentum accidisse audierant. Ea re commotus Babyloniorum potentissimus rex Merocach Baladan, legatos ad Ezechiam cum epistolis ac muneribus misit; qui tanto hoc honore elatus, thesauros omnes, et quidquid in domo, et potestate regia erat, Babyloniis patefecit, divitiasque suas, et potentiam ostentavit (4. *Reg.* 20): *Non fuit, quod non monstraret eis Ezechias in domo sua, et in omni potestate sua.* An introduxerit legatos in templum,

eiusque divitias ostentarit, dubum est. Rabbi Salomon ait apud Lyranum, ostendisse ea etiam, quae in templo summa cum reverentia occultabantur, scilicet unctionem regum, et pontificum, et tabulas testimonii. Respondemus, non esse verisimile religiosissimum regem ethnicos in templi penetralia intromisisse, aut tabulas testimonii, quae in arca foederis erant, ostendisse. Opus vero templi, si quae non in templo, sed in aedibus templo coniunctis asservabantur, forsitan ostendit. S. magnus Dionys. Areop. (*in epist. ad Polyc.*) ait: *Solis admirandam retrogressionem Babylonios Ezechiae absque pugna subiecisse. Hoc (inquit) miraculum Babylonios tunc merito terruit, et absque pugna Ezechiae, ut qui Deo putaretur aequalis; ac mortalibus ceteris virtute praestare, subiecit; sed non est existimandum, regem Babylonis tributum solvisse Ezechiae: fuit haec inanis gloriae tentatio, in qua dereliquit Ezechiam Deus, ideoque victus est* (2. *Paral.* 32) *in legatione principum Babylonis, qui missi fuerant ad eum, ut interrogarent de portento, quod acciderat super terram, dereliquit eum Deus, ut tentaretur et nota fierent omnia, quae erant in corde eius.* Erat autem in corde Ezechiae gloria inanis, haec nota est facta. Non privavit illud Dominus omni penitus auxilio: quod enim opus est, ne in peccatum incidamus, largitur; privavit eum auxilio maiori ob superbiam occultam, quae in corde illius erat. Caveamus ergo peccata, ne maioribus auxiliis nos privet Deus, iisque privati, tentationibus succumbamus. (*Ad Philipp.* 2) ait Apostolus: *Cum timore, et tremore vestram salutem operamini: Deus est enim, qui operatur in vobis velle, et perficere pro bona voluntate.* Vide, quam reddat rationem timoris, et tremoris ut Paulus, Deus est enim qui operatur, quasi dicat: Timete valde, ne impedialis opus Dei, ne obsistatis auxiliis divinis: Deus namque est, qui suis auxiliis operatur in vobis velle, et perficere. Hinc ille sanctorum timor, de quo d. Leo (*serm.* 8. *Epiph.*): *Haec, inquit, sanctis causa est tremendi, ac metuendi, ne ipsis operibus pietatis elati, deserantur ope gratiae, et remaneant in infirmitate naturae, etc.* Sit nobis exemplum Ezechias, desertus ope gratiae, qui remansit in infirmitate naturae, et absque maiore illo Dei auxilio tentationi succubuit.

Tandem, angelos superbientes, et se ipsos exaltantes ad ima detrusit Deus. Davidem, quia elevatum est cor eius, et iussit populum numerari, ut gloriaretur, peste per omne eius regnum grassante, affecit. Chore, Dathae, et Abyron, quia seipsos exaltare voluerunt, dicente illis Moyse *Multum erigimini filii Levi*, vivi in infernum descenderunt, ut legimus (*Num.* 26).

Ab huius humanae laudis, et vanae gloriae comparandae cura, et sollicitudine longe abesse debent viri divinae gloriae zelatores, prout antiqui Patres, tam veteris, quam novi testamenti, exemplo suo nos docuerunt. (*Daniel.* 2) Daniel vocatus a Nabuchodonosor, et sapientiae nomine commendatus, ut somnium eius interpretaretur, respondit omnium a se sapientiae opinionem, et laudem removens: *Est Deus in coelo revelans mysteria mihi, quoque non in sapientia, quae est in me, plusquam in cunctis viventibus sacramentum hoc revelatum est, sed ut interpretatio regis manifesta fieret.* Sic et sanctus Iosephus. Praeterea Pharisaei Ioannem potius pro Messia agnoscere parati erant. Sanctus Ioannes Baptista, cum ei honorem illum Pharisaei detulissent, Messiae dignitate illum invitantes: *Confessus est, et non negavit, et confessus est, quia non sum ego Christus.* (*Act.* 14), cum in Lystris sanctus Paulus, et sanctus Barnabas versarentur, propter miraculum quoddam a Paulo perpetratum, utrumque adorare voluerunt, dicentes, Paulum quidem esse Mercurium, et Barnabam Iovem: quare hostias illis offerre voluerunt. Quid tunc Apostoli? *Concissis*, inquit textus, *tunicis, exiliverunt in turbas, clamantes, et dicentes: Viri, quid haec facitis? et nos mortales sumus similes vobis homines:* pondera: *Concissis tunicis clamantes*, quia quod alii facere consueverunt, cum quadam magna iniuria, vel damno fuerint afflicti, uti fecisse legimus Iobum, et Iacob, et alios plures, hoc idem Apostoli tunc praestiterunt prae dolore, quem conceperant ob gloriam Deo debitam, sibi attributam. S. Bernardus cum multa signa, et miracula per varias Galliae partes faceret, ne sibi quid propterea plus ceteris tribuerent, anxietate maxima prospiciens, in haec verba prorupit: *Ex Scripturis didici, signa fieri, vel per perfectos, vel per fictos; ego nec perfectionis mihi sum conscius, nec fictionis: nihil ergo mihi ob signa ista tribuere debetis; quandoquidem meae illa famae magis, quam vitae noverim exhiberi, nec ad meam fieri commendationem, sed commonitionem potius, et ad fructum aliorum, et ad fovendam bonam de me opinionem.* Sic videlicet in hoc sancto viro vincebat sublimitatem nominis humilitas cordis, nec tantum poterat universus mundus eum erigere, quantum seipse deiicere solus, pulchra scilicet ratiocinatione, ac magno studio inventa, sanctitatis de se opinionem a mente sua removit: nec minus laboravit, ne sanctulus videretur, cum esset sanctissimus, quam alii laborant, ut sanctissimi, et doctissimi, fortissimi, et prudentissimi videantur, cum nihilominus sint quam sancti, docti, fortes, prudentes. Idem studium in aliis sanctis fuit. Gregorius Turonensis Episcopus, cum multa per eum Deum miracula facere animadverteret, semper sanctorum reliquias collo circumferebat, eo fine, ut quoties divina virtus aliquid per eum gessisset, non suis meritis, sed virtuti reliquiarum, quas circumferebat, tribueretur. Sed in hoc genere excelluit s. Elia. Noviomen. Episcopus, vir nobilitate, eruditione, ac pietate celeberrimus. Mendicus quidam coecus a s. Eligio, adhuc laico nobilis, sed vulgi opinione, viro sancto, eleemosynam accepturus, manum subtraxit, orans ut oculis potius eius crucis signum imprimeret, visumque praeberet: cui ille dissimulans, ac subridens: *tu*, inquit, *amice, necdum nosti te signare? docebo te*: moxque signum crucis imprimens, illius oculos aperuit, totumque hominis illius fidei tribuendum asseruit. Idem, quum pauperem, aridam manum habentem, et eleemosynam petentem, arrepta arida ma-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

nu, similiter sanasset, ut miraculum a se factum occultaret: *Ego* inquit, *putavi illum fingere, ut a me facilius eleemosynam posset petere.* Idem vir sanctus, quum quendam, in publica via transiens, suspensum cerneret, eumque ut sepulturae corpus daret, per suos deposuisset, aliis fossam parantibus, coepit tacite orans illud ab imis usque ad summa palpare; ubi autem sensit adesse animam, mira arte a se virtutem facti repellens: *O quam grande*, inquit, *scelus, nisi Dominus iuvisset, perpetrare poteramus, si corpus hoc humo texissemus, quum anima eius in ipso sit?* haec dicens, mirantibus famulis, iussit eum vestimentis indui, et quiescere paululum; quo surgente, et ita recreato, quasi nullam passus esset molestiam, discessit vir sanctus cum suis, ac si nullum virtutis signum fecisset. Rara sunt haec, sed pulcherrima verae humilitatis exempla, quando sic vana gloria fugitur, ut ne quidem in veris vicinitibus, veraque laude dignis ullo modo admittatur. Unum igitur adhuc aliud subiiciam s. Anni Archiepisc. Coloniens. ad quem cum accederet coecus quidam, qui in visione accepisse se dixerat, fore, ut visum reciperet, si aqua, qua manus suas ad altare lavisset, oculos suos abluceret, ideoque ab eo, iam ad sacrum faciendum se praeparante, hanc gratiam petisset; Episcopus multum commotus, eum acribus verbis reiecit, fallacem, et impostorem vocans: coecus nihilominus in fide persistens, obtinuit clauculum a clerico, qui celebranti Episcopo ministraverat, aquam praedictam, moxque oculos ea abluens, visum recepit. Cum autem finito sacro, ad Episcopi pedes se pervolvens, accepti beneficii gratias agere vellet, Episcopus, re intellecta, eum vehementer iterum obiurgavit, quod ita Deum tentare ausus fuisset: clerico vero leviter alapam dedit, quod huiusmodi facto, vanam de se apud populum opinionem conciture voluisset; utrique autem sub gravi anathemate iniunxit, ut se vivo, nemini hoc propalaret, sed soli Deo acceptum referret, eique soli gratias ageret. S. Pachomius, ut legimus in vita eius apud Surium (*tom.* 3), tanquam vir admirabilis sanctitatis, et prudentiae, cum animadvertisset, quendam ex suis fratribus duas parvas storeas uno die factas, cum ceteri fratres unicam quisque faceret, sic ex adverso loci, ubi vir ille sedebat, sub vesperam, posuisse, ut ab illo viderentur, simulque ut a Pachomio laborantis industria praedicaretur, dixit astantibus: Tristis frater iste a mane hucusque laborans totum suum laborem diabolo donavit, nihil sibi fructus ex opere relinquens, sed magis amans hominum gloriam, quam Dei. Quare, eum acerrime increpatum severe punivit, ut hoc in eo vanitatis vitium sanaret. S. Dominicus rogatus, cur in Carcasona dioecesi libentius moraretur, quam in Tholosana, ubi tot haereticos converterat, sapienter respondit: *In Tholosana multos invenio, qui me honore afficiunt, in Carcasona vero omnes me impugnant.* S. Marcellus Abbas, ut tradit Surius, cum daemones multis precibus coniuraret, ut ex obsessis corporibus exirent, clamabant illi: *Iube nos exire, quoniam in nos accepisti potestatem;* ille perseverabat in oratione, donec virtute divina expellerentur. Cum autem causam rogarent, qui tunc aderant, cur daemonibus secessuros confitentibus, ab initio nihil praecepit, ille respondit: *Quoniam dicentes, me in eos accepisse potestatem,* non aliud agebant, quam vanae gloriae laqueis me conaerantur implicare. S. Ioannes Canonicus regularis, ut idem Surius scribit (*tom.* 5) in Anglia ante annos ducentos, inclusam quandam, ut spiritualibus eius colloquiis frueretur, visitavit: illa, post prima verba, visionem se illa nocte vidisse affirmavit, de aquila circumvolante cum chartula in rostro, cui inscriptum erat: *Iesus est amor meus: tu vero pater*, inquit illa, *haec aquila es pro excellentia tuorum meritorum:* quod ille audiens: *Nos quidem*, inquit, *eo animo huc accessimus, ut mutuis colloquiis Dei gratiam nobis conciliaremus; at nunc ut video malus daemon, vitiorum nostrorum sagax explorator, per hos inanes sermones in animos nostros aditum sibi parat: atque his dictis statim abiecessit.* Quid de sacratissima Virgine dicam, quae a beata Elisabeth mirifice laudata, et exaltata, cum propriam laudem non quaereret, continuo illam in Deum retulit, ad magnificandum illum se convertens? *Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo:* non exultavit in humanis laudibus, sed in Iesu salutari suo. Quid tandem dicam de Christo Domino, a quo omnes sancti humanam gloriam flocci pendere didicerunt? nonne divus Ioannes (*c.* 10) narrat, quod cum regis gloriam, et honorem Iudaei ei deferre vellent, consulto se abdidit: *Et fugit in montem ipse solus:* et d. Matthaeus (*c.* 8) narrat, quod cum leprosum imperii sui virtute sanasset, illum monuit, ut faceret: *Vide, nemini dixeris;* et (*Ioannis c.* 5) legimus, ipsum dixisse: *Claritatem ab hominibus non accipio:* etenim sicut sol a lucerna lucem accipere non potest, ita Sol iustitiae Christus fatetur, se hominum laudibus non indigere, atque adeo, tanquam rem vanissimam, illas despicere.

Ad extremum, nonnulla selectiora, quae sancti Patres in hoc utili, ac pernecessario argumenti genere suis scriptis nobis confestata reliquere, silentio praeterire non patiar. S. Ioan. Chrysostomus (*hom.* 5. *in* 2. *epist. divi Pauli ad Cor.*) rem hanc mirabili eloquentia prosequitur: *Haec summa virtus est, omnia Deo accepta referre, nihil nostrum ducere, nihil ad humanam gloriam facere, sed ad Dei placita: quia is est, qui rationem exacturus est; nunc vero ordo inversus est: illum namque, qui pro tribunali sedet, et causas excutit, non admodum metuimus; eos vero qui nobiscum sunt, simulque iudicantur, timemus. Unde igitur hic morbus, unde in nostras animas invasit? ex eo, quod non assidue versamus animo, quae illic sunt, sed rebus praesentibus affixi sumus. Hinc venit, quod in pravas actiones facile prolabimur: et si quid boni facimus, ad ostentationem facimus. Itaque ne respicias ad consercos: nam etiamsi laudet homo, nulla hinc utilitas, si Deus non approbet. Rursum, quamvis damnet homo, nullum detrimentum, si non condemnet Deus. Negligamus igitur laudem ab hominibus cenientem, quousque vides, et humilium rerum admiratores sumus? quousque Deo, nos ad coelum erigente, ipsi studemus humi repere? Considerate, quod et Abraham, cum hostiam offerret, ac gladium teneret manibus, non uxorem, non servum, non alium quemquam passus est adesse: itaque nec tu sinas servilium, illiberaliumque affectuum quicquam adesse tibi, sed solus ascende in montem, quo ascendit ille, quo fas non est, quempiam alium ascendere. Quod si quae talium cogitationum comentur tecum ascendere, imperato illis, cum auctoritate, ac dicito: sedete hic, ego vero, et puer adorato Domino revertemur; et asina, et pueris deorsum relictis, aut si quid aliud brutum est, ac mentis indigum: si quid est rationale assumito, atque ascendito, quemadmodum ille assumpsit Isaach, aramque sicut et ille aedifica, tanquam nihil habens humanum, sed velut a natura factus alienus.*

Idem d. Ioannes Chrysost. explicans illa verba (2. *Paral.* 26): *Et fecit Ozias, quod rectum est in conspectu Domini*, sic habet: *Hoc testimonio magnam illius virtutem declaravit: non enim solum fecit, quod rectum erat, verum etiam fecit in conspectu Domini; non apud homines ostentans, quemadmodum apud Iudaeos faciebant illi, qui ante eleemosynam tuba canebant, et ieiunii facies suas obscurabant, qui orabant in compitis, quibus rebus quid potest esse miserius, ubi post toleratos labores omni praemio frustrabantur? quid facis homo? alii redditurus es rationem factorum tuorum, et alium testem citas eorum, quae facis? alium habes iudicem, et alium adhibes spectatorem? non vides auriga, qui praetereuntes totam illam stadii partem, qua universa civitas e sublimi spectat, sedens in equestri certamine, ibi contendunt concertatorum currus subvertere, ubi Caesarem viderint sedentem, et unum oculum diguiorem, cui fidant, ducunt, quam tot hominum vultus? at tu, cum videas ipsum angelorum regem tuo cursui agonothetam, hoc est, certaminis iudicem, et praemiatorem praesidere, eo praetermisso, ad conservorum fugis oculos? tuque ideo sane post innumerabiles luctas incoronatus recedis, post sudores plurimos absque brachiis venis ad agonothetam. At non talis erat Ozias, sed in conspectu Domini faciebat, quod rectum erat.* Idem dicit, quod infelicius credatur esse, quam cum in portu sedens, naufragium pateris etiam? Hoc autem faciunt hi, qui ob inanem gloriam bona operantur. Ne igitur istud eveniat, cum boni quidpiam feceris, noli a me graiiam flagitare, ut Deum certe habeas debitorem: accipit enim ille foenus, a quibus non putatur accipere: habes igitur locupletissimum debitorem, cui illum relinquens, me exigis, hominem pauperem prorsus, ac tenuem? nunquid enim indignatur hic debitor, cum foenus exigitur? num aut verax in solvendo non est? aut solvere sponte dissimulat? non cernis eius nullo explicabiles sermone thesauros? non liberalitatem illam innarrabilem donatoris? ipsum igitur tene, ipsumque exige: hac enim exactione iactatur: nam si ab alio exigi viderit, quae ipse debet, suam repetabit iniuriam, nec tibi ultra iam reddet, quinimo se tibi ullionis faciet debitorem.

Idem s. Chrys. (*hom.* 13. *op. imperf.*) exponens illa verba: *Non habebitis mercedem apud Patrem vestrum*, dicit: *Quid enim a Deo accipies qui Deo nihil dedisti? nam quod propter Deum fit, Deo datur, et ab eo recipitur; quod autem propter homines fit, in ventos effunditur, et a nullo speratur: quid est enim aliud hominum laus, quam ventorum transeuntium sonus? cessaverunt homines loqui, et perdidit fructum suum, quia propter homines fecit, ut ab eis laudaretur. Quae est autem sapientia res dare, et verba vacua comparare? aut certe mercedem Dei contemnere in perpetuum manentem in coelis, et fugitivos hominum sermones eligere? melius est sane non facere quam propter homines facere: nam qui non fecit, etsi in coelo non invenit, vel super terram nihil perdit, saltem super terram nihil perdit; qui autem propter homines facit, et in terra perdit, et in coelo non invenit: vel illum aspice, a quo laudem expectas; idea te laudat, quia propter Deum te facere putat; si autem intelligeret, quia propter eum facis, vituperaret potius. Quid ergo illi placere festinas, qui, si te aliquando intellexerit, deridebit? sic est homo, qui propter homines facit bonum, sicut mercenarius malus, qui intra tempus locationis suae comedit omnes mercedes suas; cum autem tempore completo recesserit, nudus egreditur: sic ergo vacuus vadit ad Deum, qui mercedem omnium bonorum suorum accipere desideravit in saeculo.* Idem (*homil.* 2. *in Ioann.*) explicans illa verba: *Ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisaeos non confitebantur, ut de synagoga non eiicerentur; potius enim hominum, quam Dei gloriam optarunt*, ait: *Nullo pacto fieri potest, ut is, qui tanto studio saeculari gloriae serviat, divinam unquam assequatur: idcirco his verbis reprehenduntur: quomodo potestis vos credere, qui gloriam inviicem accipitis, et gloriam, quae a solo Deo est, non quaeritis. Intolerabilis quaedam ebrietas est inanis gloria, ideoque quem suae subiecit ditioni, is aegre in sanctitatem restituetur; et quam pestifera rabie infecit animam, a coelo abscendens, terrae affigit.*

D. Bernardus (*ser.* 13. *in Cant.*) inquit: *Homo zelat gloriam suam, et Deum audet velle fraudare, de sua quasi non zelantem; sed audi quid dicat: gloriam meam*, inquit, *alteri non dabo, quid ergo dabis nobis Domine? pacem*, inquit, *do vobis, pacem relinquo vobis, sufficit mihi, gratanter suscipio, quod relinquis, et relinquo, quod retines, sic mea interesse non dubito: Aburo gloriam prorsus, nec forte si usurpavero non concessum, perdam merito et oblatum. Cautus sum, nec ingratus forem beneficio datae pacis, nec sacrilegus invasor gloriae tuae: tibi Domine, tibi gloria tua maneat illibata: mecum bene agitur, si pacem habuero Goliath prostrato: laetatus est populus pace recepta, sed David singulariter extitit gloriosus. Iosue, Iephte, Samson, Gedeon, et Iudith gloriose in diebus suis triumpharunt de hostibus, sed pace, cum gaudio fruentibus ceteris, nemo eis communicavit in gloria. Iudas Machabaeus multis et ipse inclytus victoriis, cum frequenter exul-*

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN

tanti populo pacem fortiter pugnando tribuisset, nunquid gloriam quandoque est partitus alicui? Denique et facta est, inquit, *laetitia magna in populo, laetitia, non gloria, quid minus ab his omnibus conditor omnium fecit, quominus et ipse debeat gloriari singulariter? solus cuncta creavit, solus de hoste triumphavit, solus captivos liberavit, et socium habebit in gloria? quia ergo mihi cum victoria, si nec in praelio fui? impudentissime mihi arrogo, vel gloriam absque victoria, vel victoriam sine pugna. Sed suscipite montes pacem populo, pacem suscipite nobis, non gloriam, ipsi soli etiam servantes, qui solus et pugnavit, et vicit: ita quaeso, ita sit gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis: at vero non bonae, sed plane iniquae voluntatis, qui nequaquam pace contentus superbo oculo, et insatiabili corde, inquietus anhelat ad gloriam Dei, nec pacem proinde retinens, nec gloriam apprehendens:* et nonnullis interiectis sic loquitur: *Erant ergo vani filii hominum mendaces, et decipiant ipsi de vanitate in idipsum: nam sapiens gloriator probabit opus suum, atque ad lumen veritatis diligenter examinabit, et sic habebit in semetipso gloriam, et non in ore alterius. Stultus sum, si cistellae labiorum tuorum gloriam meam credidero, et caepero mendicare eam ab te, cum habere voluero. Retineo gloriam meam penes me, et ei repono servandam, qui potens est depositum meum servare in illum diem, iustus Iudex, cautus in custodiendo, fidelis in restituendo: securu tunc erit unicuique laus a Deo, his duntaxat, qui humanas laudes contempserint; nam gloria in confusione eorum, qui terrena sapiunt, dicente etiam David, qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos. Fratres, si haec scitis, nemo vestrum velit laudari in vita ista, quia quidquid hic favoris captas, quod ad Deum non retuleris, ipsi furaris; tibi enim unde gloria putride puteis? de vitae sanctitate? sed spiritus est, qui sanctificat, non tuus, sed Dei. An blanditur popularis favor, quod verbum bonum, et bene forte depromperis? sed Christus donavit os et sapientiam; nam lingua tua quid nisi calamus scribae? et hoc ipsum mutuo accepisti: talentum creditum est repetendum cum usura, si inventus fueris ad opus impiger, ad fructum referendum fidelis, pro labore tuo mercedem accipies.*

Divus Augustinus (*lib. 1. de serm. Dom. in monte cap. 4*) sic loquitur: *Cordis mundatio est tanquam oculus, quo videtur Deus, cuius simplicis habendi tantam curam esse oportet, quantam eius rei dignitas flagitat, quae tali oculo conspici potest: huic tamen oculo magna ex parte mundato difficile est non surripere sordes aliquas de his rebus quae ipsas nostras bonas actiones comitari solent, veluti laus est humana: siquidem non recte vivere perniciosum est, recte autem vivere, et nolle laudari, quid est aliud, quam inimicum esse rebus humanis? quae utique tanto sunt miseriores, quanto minus placet recta vita hominum: si ergo inter quos te recte viventem non laudaverint, illi in errore sunt; si autem laudaverint, tu in periculo, nisi tam simplex cor habueris, et mundum, ut ea, quae recte facis, non propter laudes hominum faciasmagisque illis recte laudantibus gratuleris, quibus id, quod bonum est placet, quam tibi; nisi quia recte vivis, etiamsi nemo laudaret, ipsamque laudem tuam tunc intelligas utilem esse laudantibus, si non te ipsum in tua bona vita, sed Deum honorent: cuius sanctissimum templum est omnis, qui bene vivit. Qui autem bonitatem simulant, duplici corde sunt: non ergo habet simplex cor, id est, mundum cor, nisi qui transcendit humanas laudes, et illum solum intuetur, cum recte vivit, et ei placere nititur, qui conscientiae solus inspector est. De cuius conscientiae puritate quidquid procedit, tanto est laudabilius, quanto humanas laudes non desiderat;* haec divus Augustinus; qui etiam (*libro soliloquiorum*) haec valde observanda scripsit: *Aperuisti mihi oculos lux, et excitasti, atque illuminasti me, et vidi, quoniam tentatio est hominis vita super terram, et quod gloriari non valeat ante te omnis caro, quia si quid boni est parvi, vel magni, donum tuum est, et nostrum nonnisi malum est. Unde gloriabitur omnis caro? nunquid de malo? haec non est gloria, sed miseria. Sed, nunquid de alieno? tuum Domine est bonum, tua gloria: qui enim de bono tuo gloriam sibi, et non tibi quaerit, hic fur est, et latro, similis diabolo, qui enim laudari vult de tuo bono, et non quaerit in illo gloriam tuam, sed suam, hic, dicet propter tuum donum, laudetur ab hominibus, a te tamen vituperatur, quia de tuo dono non tuam, sed suam gloriam quaesivit. Qui autem ab hominibus laudatur, vituperante te, non defendetur ab hominibus, iudicante te, neque liberabitur, condemnante te. At tu Domine, formator meus ex utero matris meae, non me sinas cadere in illam exprobrationem, ut exprobretur mihi furari voluisse gloriam tuam: tibi enim sit gloria, cuius est omne bonum; nobis autem confusio faciei, et miseria: quorum est omne malum, nisi tu volueris misereri:* haec ille.

Idem d. Augustinus (*epist. 46. ad Aurel. Ep.*) ait: *Qui laudatur, minus sibi assumere debet, quam offertur: sed tamen ab eis, qui se honorant, nec totum, nec nihil accipiendo, et id quod accipitur laudis, aut honoris, non propter se, qui totus coram Deo esse debet, et humana contemnere, sed propter illos accipiatur, quibus consulere non potest, si nimia dilectione vilescat: ad hoc enim pertinet, quod dictum est: Nemo adolescentiam tuam contemnat: cum hoc ille dixerit, qui alio in loco ait: Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem: magnum est de honoribus et laudibus hominum non laetari, sed omnem pompam inanem praecedere, et siquid inde necessarium retinetur, id totum ad utilitatem honorantium salutemque conferre. Non enim frustra dictum est: Deus confringet ossa eorum, qui hominibus placent, et placere volunt; quid enim languidius, quid tam sine stabilitate, et fortitudine? quod ossa significant, quam homo, quem male loquentium lingua debilitat, cum sciat falsa esse, quae dicuntur, cuius rei dolor nullo modo animae viscera dilaniaret, si non amor laudis ossa eius confringeret. Mecum considera, quam sint gravia, quam difficilia, quae dico, non enim huius hostis vires sentit, nisi qui et bellum indixerit; quia*

etsi cuiquam facile est, laude carere, dum denegatur, difficile tamen est, ea non delectari, cum offertur: et nihilominus tanta mentis in Deum debet esse suspensio, ut si non merito laudemur, corrigamus eos, quos possumus, ne arbitrentur, aut in nobis esse, quod non est, aut nostrum esse, quod Dei est, aut ea laudent, quae quamvis sint in nobis, nequaquam tamen sunt laudabilia, velut sunt bona omnia, quae vel cum pecoribus habemus communia, vel cum impiis hominibus: si autem merito laudamur propter Deum, gratulemur eis, quibus placet rerum bonum; non tamen pro his, quia placemus hominibus. Sed si coram Deo tales sumus, quales nos esse credunt, et non tribuitur nobis, sed Deo; cuius dona sunt omnia quae vere, meritoque laudantur. Haec mihi ipse canto quotidie, et tamen vehementer cum adversario dimicans, saepe ab eo vulnera capio, cum oblectationem oblatae laudis mihi auferre non possum.

Divus Gregorius (*l. 2. Moral. cap. 5*), exponens illa verba, *si vidi solem, cum fulgeret*, haec valde notanda, ac tanto Pontifice digna scripsit: *Sciendum est, quia, ne immoderatis laudibus erigamur, plerumque miro rectoris nostri moderamine, etiam detractionibus lacerari permittimur, ut, cum nos vox laudantis elevat, lingua detrahentis humiliet; quia, et arbor saepe, quae cuius venti impulsu ita impellitur, ut pene iam erui posse videatur, alterius e diverso venientis flatu erigitur, et quae hac ex parte inflexionem pertulit, ab alia ad statum redit. Unde et illa arbor alte radicata, quasi inter adversantes ventos fixa steterat, quae dicebat: Per gloriam, et ignobilitatem; per infamiam, et bonam famam: et laetatum est in abscondito cor meum: qua attestatione quid nobis innuitur, nisi, quod magno metu et circumspectione opus est, ne mens nostra unquam de suis laudibus vel tacite laetetur; quamvis nonnunquam etiam sancti viri de bona sua opinione gaudeant, sed, cum per hanc ad meliora proficere audientes pensant, non iam de opinione sua, sed de proximorum gaudeant utilitate: quia aliud est favores quaerere, et aliud de profectibus exultare. Cum humanae linguae attestatione laudamur, occulta pulsatione requirimur, quid de nobis ipsis sentiamus, ut in hoc humiles permaneamus. Superba etenim mens, etiam cum de falsa bona dicuntur, exultat, quia non apud Deum, qualiter vivat, sed apud homines, qualiter innotescat, excogitat. Iudicium enim de se omnipotentis Dei despiciens, et solummodo hominum quaerens, inter auditas laudes extollitur, et quae hoc solum quaesierat, quasi de bravio operis laetatur. At contra, si cor veraciter humile est, bona, quae de se audit, aut minime recognoscit, et quia falsa dicuntur, metuit; aut certe, si adesse ea sibi veraciter sciat, ea ipso formidat, ne ab aeterna retributione Dei sint perdita, quo haec considerat hominibus divulgata, pavetque vehementer, ne spes futuri muneris in mercedem permutetur transitorii favoris: qua ex re agitur, ut electorum animus magna laudum suarum igne crucietur: cauta enim considerationе trepidat, ne aut de his, in quibus laudatur, et non sunt, maius Dei iudicium inveniat; aut de his, in quibus laudatur, et sunt, competens praemium perdat. Unde bene per Salomonem dicitur: Sicut probatur in conflatorio argentum, et in fornace aurum, ita probatur homo ore laudantis: argentum quippe, vel aurum, si reprobum est, igne consumitur; si vero probum, igne declaratur; sic virum est, et sensus operantis; nam qualis est in eo, quod laudatur, ostenditur: si enim se auditis suis laudibus extollit, quid est aliud, quam aurum, vel argentum reprobum fuit, quem undelibet formax linguae consumpsit? si autem favores suos audiens, ad superni iudicii considerationem redit; ac ne de his apud occultum arbitrium graviter metuit, quasi expurgationis igne ad magnitudinem claritatis crescit; et unde incendium trepidationis sustinet, inde clarius effugiet.*

Idem sancius Gregorius (*hom. 32. in evang. to. 3*) dicit: *Ipsis virtutibus quaedam vitia mixta, et iuncta sunt: e vicinio namque abstinentiam carnis nonnunquam vana gloria obsidet, quia, dum tenuitas in corpore, dum pallor in vultu respicitur, virtus patefacta laudatur; et tanto se celerius foras fundit, quantum ad humanos oculos per ostensum pallorem exit; et plerumque fit, ut hoc, quod causa Dei agi creditur, pro solis humanis favoribus agatur, quod bene Simon ille significat, qui inventus in itinere, crucem dominicam in angaria portat: aliena quippe onera in angaria portantur, quando per vanitatis studium aliquid geritur. Qui ergo per Simonem designantur, nisi abstinentes, et arrogantes, qui per abstinentiam quidem carnem affligunt, sed fructum abstinentiae interius non requirunt. Crucem ergo Domini in angaria Simon portat, quia, cum ad opus bonum ex bona voluntate non educitur, rem iusti sine fructu peccator operatur. Unde idem Simon crucem portat. Sed non moritur, quia abstinentes, et arrogantes per abstinentiam quidem corpus afficiunt, sed per desiderium vanae gloriae mundo vivunt;* haec ille.

Idem s. Gregorius exponens illa verba: *Ionathas extendit summitatem virgae, quam habebat in manu, et intinxit in favo mellis, et convertit manum suam ad os suum; et illuminati sunt oculi eius,* sic habet: *Quid est, virgam extendere, et manum ad os cum melle revocare, nisi, tam de praedicationis verbo, quam de studio boni operis, tanti favoris gustum recipere? Sed quia more electorum peccat, non virga, sed extremitate virgae mel levare dicitur: virgam quippe, et manum melle plenam ad os convertunt, qui iuxta veritatis vocem omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus: dum enim suis laudibus saturantur, mel non ad tenacem gustum habent in summitate virgae, sed vel in tota virga, vel in manu ad plenam refectionem;* hactenus ille.

Ac tandem sancius Ioannes Climacus (*in sua schol. spirit. grad. 21*) inquit: *Inanis gloria est laborum dissipatio, sudorum perditio, thesaurus infidiae, perfidiae alumna, superbiae praecursor, in portu naufragium, in area formica, quae et tenuis est, laboribus tamen omnibus, et fructibus insidiatur. Expectat formica, dum perficiatur triticum, cenodoxia vero dum congregantur opes, gaudet illa, ut dissipet, haec autem, ut fruatur; gaudet desperationis spiritus, cum videt mul-*

tiplicari vitia, cenodoxia vero, cum virtutes multiplicari videt: prioris ianua, multitudo vulnerum: secundi vero divitiae laborum. Observa diligenter et usque ad mortem, et sepulcrum invenies, hanc nefariam labem quotidie vestibus, unguentis, pompis, aromatibus et aliis florere. Lucet omnibus affatim sol, omnibusque studiis cenodoxia ad gaudet, verbi gratia: ieiunio inaniter glorior, latendi causa solvo ieiunium, tanquam prudens iterum glorior: si splendide vestior, vincor ea peste: si vilius induor, denuo glorior: si loquar, hac superor, si taceam, rursus superatus sum; quocunque hunc tribulum teceris, erecto perstat aculeo. Eiusmodi vero gloriosus est fidelis idolorum cultor, qui Deum quidem colere, et venerari videtur, hominibus vero, non Deo placere studet; hactenus s. Climacus.

Idem s. Ioannes Climacus (*in eod. grad.*) ait; *Notavit quidam ex his, qui videre acutius poterant, narravitque, quid viderat. Cum sederem,* inquit, *in coelo quodam advenientes ad me cenodoxiae, et superbiae daemones, iuxta me, ex utraque parte sederunt, et unus quidem ex his digito illo suo vanissimo pulsavit latus meum, hortans, ut aliquid, quod ad contemplationem pertineret, sive opus quodlibet in deserto a me gestum loquerer; quem cum a me repulissem, dicens: Convertantur retrorsum, et erubescant, qui mala mihi cogitant, protinus is, qui a sinistris erat, ad aurem mihi dixit: eia bene fecisti, magnusque effectus es, quippe qui impudentissimam matrem meam viceris; ad quem ego rite sequentes versus resumens, dixi: Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi: euge bene fecisti;* haec s. Ioannes Climacus, quibus et gloriam hominum fugiendam, Christi vero solum quaerendam docet; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XX.

Prosequimur idem argumentum adversus inanis gloriae appetitum, cuius gravitatem, et stultitiam multiplici eruditione tam ex sacra Scriptura, quam ex sanctis Patribus, ac ingenti conceptuum copia palam demonstramus in eadem verba: Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei.

Quemadmodum Christus Dominus, id referente d. Matthaeo (*cap.* 14), auditis illis verbis: *Ecce mater tua, et fratres tui foris stant, quaerentes te,* ex illis occasionem arripuit docendi auditores, omnem carnis, et propinquitatis affectum longe esse propulsandum, maxime cum impedit, quae Dei sunt praestare: sic enim respondit: *Quae est mater, et qui sunt fratres mei? quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, ipse meus frater, et soror, et mater est;* ita nunc auditis verbis humanae laudis, quae mulier illa protulit: *Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae suxisti*, asperiorem illam responsionem dedit: *Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei,* ut auditores exemplo suo doceret, humanis laudibus non libenter aures esse accommodandas, sed fugiendas potius, et refutandas. Sane inter alia pleraque, quae humanae laudis effraenem appetitum compescere deberent, illud maximi ponderis indico, quod, qui laudem humanam suorum operum aucupatur, divinae gloriae sacrilegus fur, et iniustissimus depraedator efficitur, d. Augustino (*lib. soliloq. cap.* 15) dicente: *Tuum, Domine, est bonum, tua gloria; ideoque qui de bono tuo gloriam sibi quaerit, et non tibi quaerit, hic fur est, et latro, et similis est diabolo qui voluit furari gloriam tuam.* Equidem cum laus, et gloria non debeatur nisi bono, et omne bonum desursum sit, descendens a Patre luminum, ipsi debetur laus, et gloria, non nobis. Unde, qui illam sibi usurpat, fur est, et latro divinae gloriae. Divus Paulus (*ad Philip. cap.* 2) ut explicaret, omnium bonorum nostrorum operum Deum esse auctorem, dixit: *Ipse est qui operatur velle, et perficere pro bona voluntate sua.* Mos est sacrae Scripturae, ut cum vult aliquid plene comprehendere, extrema illius exprimat, ut sub illis intermedia complectatur, sicut cum dixit Moyses (*Gen.* 1): *In principio creavit Deus coelum et terram*, plane significavit, non solum illa, sed omnia intermedia creata fuisse a Deo, ut adnotarunt d. Chrysostomus (*homil.* 2. *in Genes.*), et d. Augustinus (*lib.* 2. *contr. Manich. cap.* 3); et Christus Dominus ad exprimendam plenam potestatem, quam super omnem creaturam acceperat, dixit (*Matth.* 28): *Data est mihi omnis potestas in coelo, et in terra.* Quibus plane indicavit, etiam ea, quae interiacent inter coelum et terram suae potestati subesse. Certe *velle et perficere* duo extrema sunt, inter quae totius boni operis structura continetur, cuius principium est velle, finis est perficere; quare dicere voluit, Deum totius nostri boni operis esse auctorem, et nihil esse in eo, quod non Deus ipse in nobis pro bona sua voluntate operetur. Dixerat Isaias (*cap.* 26), Deum operari in nobis omnia nostra opera. Apostolus tamen non solum hoc dixit, sed addidit, ita omnia opera nostra in nobis operari, ut quicquid bonum est, in unoquoque eorum operetur; non quod homo sit tanquam inanime organum, ut haeretici contendunt, sed quia ab ipsius Dei virtute, et auxilio procedit quicquid est boni in opere, quod homo operatur; quod et David dixit illis verbis, quae s. Patres sacraque observant Concilia: *Quoniam gloria virtutis eorum tu es, et in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum.* Habet homo potentiam aut virtutem bene operandi, sed huic virtuti Deus dat virtutem, sine qua nihil penitus operabitur: habet cornu fortitudinis, id est, potentiam liberi arbitrii, quam nemo cogere potest; nisi tamen cornu hoc exaltetur, hoc est, nisi potentia, et facultas liberi arbitrii supernaturali Dei auxilio elevetur, neutiquam minimum etiam opus meritorium elicere valebit.

Quam autem solicitus relator sit Dominus Iorgine suae, praeclare mihi iudicasse videtur

(*Exod.* 30) per suavissimum odorem thymiamatis, quem sibi soli reservari praecepit. *Sume tibi,* inquit ad Moysen, *stacten, et onycha, galbanum boni odoris, et thus lucidissimum, aequalis ponderis erunt omnia, faciesque thymiama purum, et sanctificatione dignissimum*, id est, quod Deum deceat, aptumque sit ei offerri, et illo subfumigare sanctum sanctorum, erit vobis thymiama, id est, sanctissimum, purissimum, Deo soli reservatum. *Talem compositionem non facietis in usus vestros, quia sanctum est Domino*, id est, quia Deo ipsi consecratum, et dicatum. *Homo quicunque fecerit simile, ut odore illius perfruatur, peribit de populis suis.* Per thymiama igitur ex omnibus aromaticis speciebus compositum, omnium virtutum operationem intellexit: nec enim contentus est Deus, si unam solummodo teneas virtutem, qui te in omnibus perfectum exposcit; et idcirco, ut d. Basilius adnotat, eas aromaticas species expressit, quae universa continere viderentur: quatuor enim species aromaticae, ex quibus componendum erat thymiama, ad quatuor referuntur elementa, ex quibus omnia componuntur, quorum singularem tenent similitudinem. Stacte namque refertur ad aquam, quia est recentis myrrhae incisae pinguedo cum aqua expressa, aut, ut alii volunt, gutta, quam arbor quaedam aromatica distillat. Onyx ad terram ob retorridam ariditatem. Galbanus ad ignem, propter calorem praefervidum. Thus vero aerem repraesentat, quod transparentis sit, et dilucidae perspicuitatis. Quod Deus sibi reservat, est suffimentum aut odor, ex his speciebus aromaticis consurgens. Ex virtutum namque universarum operibus inter se commixtis, quando scilicet ieiunium est humile, misericors, et orationi coniunctum; quando oratio est copulata ieiunio, misericordiae, et humilitati; quando humilitas secum tenet orationem, et misericordiam, ut d. Ambrosius (*lib.* 5. *in Luc. in illud: Beati pauperes*), d. Augustinus (*lib.* 6. *de Trinit. cap.* 4), ac d. Gregorius (*lib.* 22. *Mor. cap.* 1) loqui solent, quorum doctrinam excellenter d. Thomas explicat (1.2. *quaest.* 65. *art.* 1), ex quibus consurgit odor suavissimus, aut suffimentum laudis, honoris et gloriae: hoc Deus sibi ita reservat, ut prohibeat dicens: *Talem compositionem non facietis in usus vestros*, id est, ad vestram gloriam, et honorem, *quia sanctum est Domino*, id est, Deo dicatum, et debitum; ideoque *homo quicunque fecerit simile, ut odore illius perfruatur, peribit de populis suis.* Pereat Lucifer, et aeternae perditioni tradatur, quia odore virtutum, donorum, et gratiarum, quibus fuit ornatus, perfrui voluit, gloriam et honorem inde procedentem sibi aucupari volens: cui dictum est, ut sanctus Thomas explicat, elevatum est cor tuum in decore tuo, in terram proiecit te. Pereat rex Tyri, qui gloriam, et honorem, quem in Deum referre debebat, propter divitias, et potentiam, quibus fuit donatus, in suum voluit usum convertere, cui dictum est, eo quod elevatum est cor tuum, quasi cor Dei, id est, intendens gloriam, quae tantummodo Deum decebat, idcirco ego adducam super te alienos robustissimos, qui interficient te. Pereat Herodes, qui splendore regio fulgens, gloriam ab adulatoribus sibi delatam, quam Deo tenebatur servare, acceptavit; ideo percussus ab angelo expiravit, de quibus supra. Expendit s. Ioannes Chrysostomus iustam regis Oziae percussionem, quem Deus insanabili lepra percussit, ex qua mortuus fuit. Vere enim res digna est grandi animadversione. Fuit Ozias, quem aliquando Scriptura Azariam vocat, rex, qui fecit quod rectum erat in oculis Dei, cumque requireret Dominum, direxit eum Dominus in omnibus, unde insignes comparavit victorias, resque grandes fuit adorsus. Hinc egressum est nomen eius procul, eo quod auxiliaretur ei Dominus, et corroborasset illum. Nihilominus percussit eum Dominus: orta est enim lepra in fronte eius coram sacerdotibus in domo Domini, super, id est, iuxta altare thymiamatis: et sacerdotes festinato expulerunt eum, et fuit leprosus usque in diem mortis suae. Inquirit divus Ioannes Chrysostomus, cur tam grande supplicium intulerit Deus regi, qui fecerat, quod rectum erat in oculis eius; tandem docet, rationem fuisse eam, quam ipsamet Scriptura sacra expressit: quia sibi voluit arrogare gloriam, et honorem, non Deo ipsi, sed eius sacerdotibus reservatum circa thymiamatis suffimentum, aut oblationem: hoc enim coram Deo offerre, et incendere solis sacerdotibus volebat Deus esse concessum. Cum autem Ozias roboratus esset: *Elevatum fuit cor eius in interitum suum, et neglexit Dominum Deum suum:* ingressus enim templum, voluit adolere incensa super altare thymiamatis. Si ergo ex eo solum, quod hic rex sibi usurpare voluit, quod ad solos sacerdotes pertinebat, scilicet offerre Deo thymiama, ita acriter Deus illum punivit; dubium non est, quin acerbiore poena illum plecteret, si odorem Deo soli reservatum sibi usurpare voluisset. In hoc sane peccati genus incidunt, qui cum bona opera operentur, contendunt odorem laudis ex eis procedentem in se ipsos convertere, gloriam Deo debitam tyrannice sibi arrogantes: nam sic divus Paulus, cum diceret (2. *ad Corinth.* 2): *Christi bonus odor sumus Deo:* ecce odorem bonorum operum non sibi arrogabat, sed Deo deferebat. Diaboli proprium est, Dei gloriam velle capere: ille enim qui quasi praedator in via ex primordiis suae conditionis voluit Dei gloriam sibi usurpare, et nunc opera bona, quae in Dei obsequium fieri conspicit, totis viribus furari conatur, excitando desiderium, et appetitum inanis gloriae, auferendo ab ipsis insigne, quod ille servari vult illaesum, soli Deo honor et gloria; ita multa bona, quae operatus fuerat Pharisaeus ille, de quo Christus Dominus loquitur, rapuit, idque illi conveniri potest, quod s. Iacob dixit de Dan (*Gen.* 49. 18): *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor eius retro.* Omnibus ambulantibus in via huius vitae se exponit diabolus, tanquam coluber, eo modo, quo primis parentibus nostris, suadens, Dei mandatum contemnere, terrena appetere, et in velitum lignum manum mittere.

tiplicari vitia, cenodoxia vero, cum virtutes multiplicari videt: prioris ianua, multitudo vulnerum: secundi vero divitiae laborum. Observa diligenter et usque ad mortem, et sepulcrum invenies, hanc nefariam labem quotidie vestibus, unguentis, pompis, aromatibus et aliis florere. Lucet omnibus affatim sol, omnibusque studiis cenodoxia ad gaudet, verbi gratia: ieiunio inaniter glorior, latendi causa solvo ieiunium, tanquam prudens iterum glorior: si splendide vestior, vincor ea peste: si vilius induor, denuo glorior: si loquar, hac superor, si taceam, rursus superatus sum; quocunque hunc tribulum teceris, erecto perstat aculeo. Eiusmodi vero gloriosus est fidelis idolorum cultor, qui Deum quidem colere, et venerari videtur, hominibus vero, non Deo placere studet; hactenus s. Climacus.

Idem s. Ioannes Climacus (*in eod. grad.*) ait; *Notavit quidam ex his, qui videre acutius poterant, narravitque, quid viderat. Cum sederem,* inquit, *in coelo quodam advenientes ad me cenodoxiae, et superbiae daemones, iuxta me, ex utraque parte sederunt, et unus quidem ex his digito illo suo vanissimo pulsavit latus meum, hortans, ut aliquid, quod ad contemplationem pertineret, sive opus quodlibet in deserto a me gestum loquerer; quem cum a me repulissem, dicens: Convertantur retrorsum, et erubescant, qui mala mihi cogitant, protinus is, qui a sinistris erat, ad aurem mihi dixit: eia bene fecisti, magnusque effectus es, quippe qui impudentissimam matrem meam viceris; ad quem ego rite sequentes versus resumens, dixi: Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi: euge bene fecisti;* haec s. Ioannes Climacus, quibus et gloriam hominum fugiendam, Christi vero solum quaerendam docet; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XX.

Prosequimur idem argumentum adversus inanis gloriae appetitum, cuius gravitatem, et stultitiam multiplici eruditione tam ex sacra Scriptura, quam ex sanctis Patribus, ac ingenti conceptuum copia palam demonstramus in eadem verba: Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei.

Quemadmodum Christus Dominus, id referente d. Matthaeo (*cap.* 14), auditis illis verbis: *Ecce mater tua, et fratres tui foris stant, quaerentes te,* ex illis occasionem arripuit docendi auditores, omnem carnis, et propinquitatis affectum longe esse propulsandum, maxime cum impedit, quae Dei sunt praestare: sic enim respondit: *Quae est mater, et qui sunt fratres mei? quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, ipse meus frater, et soror, et mater est;* ita nunc auditis verbis humanae laudis, quae mulier illa protulit: *Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae suxisti*, asperiorem illam responsionem dedit: *Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei,* ut auditores exemplo suo doceret, humanis laudibus non libenter aures esse accommodandas, sed fugiendas potius, et refutandas. Sane inter alia pleraque, quae humanae laudis effraenem appetitum compescere deberent, illud maximi ponderis indico, quod, qui laudem humanam suorum operum aucupatur, divinae gloriae sacrilegus fur, et iniustissimus depraedator efficitur, d. Augustino (*lib. soliloq. cap.* 15) dicente: *Tuum, Domine, est bonum, tua gloria; ideoque qui de bono tuo gloriam sibi quaerit, et non tibi quaerit, hic fur est, et latro, et similis est diabolo qui voluit furari gloriam tuam.* Equidem cum laus, et gloria non debeatur nisi bono, et omne bonum desursum sit, descendens a Patre luminum, ipsi debetur laus, et gloria, non nobis. Unde, qui illam sibi usurpat, fur est, et latro divinae gloriae. Divus Paulus (*ad Philip. cap.* 2) ut explicaret, omnium bonorum nostrorum operum Deum esse auctorem, dixit: *Ipse est qui operatur velle, et perficere pro bona voluntate sua.* Mos est sacrae Scripturae, ut cum vult aliquid plene comprehendere, extrema illius exprimat, ut sub illis intermedia complectatur, sicut cum dixit Moyses (*Gen.* 1): *In principio creavit Deus coelum et terram*, plane significavit, non solum illa, sed omnia intermedia creata fuisse a Deo, ut adnotarunt d. Chrysostomus (*homil.* 2. *in Genes.*), et d. Augustinus (*lib.* 2. *contr. Manich. cap.* 3); et Christus Dominus ad exprimendam plenam potestatem, quam super omnem creaturam acceperat, dixit (*Matth.* 28): *Data est mihi omnis potestas in coelo, et in terra.* Quibus plane indicavit, etiam ea, quae interiacent inter coelum et terram suae potestati subesse. Certe *velle et perficere* duo extrema sunt, inter quae totius boni operis structura continetur, cuius principium est velle, finis est perficere; quare dicere voluit, Deum totius nostri boni operis esse auctorem, et nihil esse in eo, quod non Deus ipse in nobis pro bona sua voluntate operetur. Dixerat Isaias (*cap.* 26), Deum operari in nobis omnia nostra opera. Apostolus tamen non solum hoc dixit, sed addidit, ita omnia opera nostra in nobis operari, ut quicquid bonum est, in unoquoque eorum operetur; non quod homo sit tanquam inanime organum, ut haeretici contendunt, sed quia ab ipsius Dei virtute, et auxilio procedit quicquid est boni in opere, quod homo operatur; quod et David dixit illis verbis, quae s. Patres sacraque observant Concilia: *Quoniam gloria virtutis eorum tu es, et in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum.* Habet homo potentiam aut virtutem bene operandi, sed huic virtuti Deus dat virtutem, sine qua nihil penitus operabitur: habet cornu fortitudinis, id est, potentiam liberi arbitrii, quam nemo cogere potest; nisi tamen cornu hoc exaltetur, hoc est, nisi potentia, et facultas liberi arbitrii supernaturali Dei auxilio elevetur, neutiquam minimum etiam opus meritorium elicere valebit.

Quam autem solicitus relator sit Dominus Iorgine suae, praeclare mihi iudicasse videtur

(*Exod.* 30) per suavissimum odorem thymiamatis, quem sibi soli reservari praecepit. *Sume tibi,* inquit ad Moysen, *stacten, et onycha, galbanum boni odoris, et thus lucidissimum, aequalis ponderis erunt omnia, faciesque thymiama purum, et sanctificatione dignissimum*, id est, quod Deum deceat, aptumque sit ei offerri, et illo subfumigare sanctum sanctorum, erit vobis thymiama, id est, sanctissimum, purissimum, Deo soli reservatum. *Talem compositionem non facietis in usus vestros, quia sanctum est Domino*, id est, quia Deo ipsi consecratum, et dicatum. *Homo quicunque fecerit simile, ut odore illius perfruatur, peribit de populis suis.* Per thymiama igitur ex omnibus aromaticis speciebus compositum, omnium virtutum operationem intellexit: nec enim contentus est Deus, si unam solummodo teneas virtutem, qui te in omnibus perfectum exposcit; et idcirco, ut d. Basilius adnotat, eas aromaticas species expressit, quae universa continere viderentur: quatuor enim species aromaticae, ex quibus componendum erat thymiama, ad quatuor referuntur elementa, ex quibus omnia componuntur, quorum singularem tenent similitudinem. Stacte namque refertur ad aquam, quia est recentis myrrhae incisae pinguedo cum aqua expressa, aut, ut alii volunt, gutta, quam arbor quaedam aromatica distillat. Onyx ad terram ob retorridam ariditatem. Galbanus ad ignem, propter calorem praefervidum. Thus vero aerem repraesentat, quod transparentis sit, et dilucidae perspicuitatis. Quod Deus sibi reservat, est suffimentum aut odor, ex his speciebus aromaticis consurgens. Ex virtutum namque universarum operibus inter se commixtis, quando scilicet ieiunium est humile, misericors, et orationi coniunctum; quando oratio est copulata ieiunio, misericordiae, et humilitati; quando humilitas secum tenet orationem, et misericordiam, ut d. Ambrosius (*lib.* 5. *in Luc. in illud: Beati pauperes*), d. Augustinus (*lib.* 6. *de Trinit. cap.* 4), ac d. Gregorius (*lib.* 22. *Mor. cap.* 1) loqui solent, quorum doctrinam excellenter d. Thomas explicat (1.2. *quaest.* 65. *art.* 1), ex quibus consurgit odor suavissimus, aut suffimentum laudis, honoris et gloriae: hoc Deus sibi ita reservat, ut prohibeat dicens: *Talem compositionem non facietis in usus vestros*, id est, ad vestram gloriam, et honorem, *quia sanctum est Domino*, id est, Deo dicatum, et debitum; ideoque *homo quicunque fecerit simile, ut odore illius perfruatur, peribit de populis suis.* Pereat Lucifer, et aeternae perditioni tradatur, quia odore virtutum, donorum, et gratiarum, quibus fuit ornatus, perfrui voluit, gloriam et honorem inde procedentem sibi aucupari volens: cui dictum est, ut sanctus Thomas explicat, elevatum est cor tuum in decore tuo, in terram proiecit te. Pereat rex Tyri, qui gloriam, et honorem, quem in Deum referre debebat, propter divitias, et potentiam, quibus fuit donatus, in suum voluit usum convertere, cui dictum est, eo quod elevatum est cor tuum, quasi cor Dei, id est, intendens gloriam, quae tantummodo Deum decebat, idcirco ego adducam super te alienos robustissimos, qui interficient te. Pereat Herodes, qui splendore regio fulgens, gloriam ab adulatoribus sibi delatam, quam Deo tenebatur servare, acceptavit; ideo percussus ab angelo expiravit, de quibus supra. Expendit s. Ioannes Chrysostomus iustam regis Oziae percussionem, quem Deus insanabili lepra percussit, ex qua mortuus fuit. Vere enim res digna est grandi animadversione. Fuit Ozias, quem aliquando Scriptura Azariam vocat, rex, qui fecit quod rectum erat in oculis Dei, cumque requireret Dominum, direxit eum Dominus in omnibus, unde insignes comparavit victorias, resque grandes fuit adorsus. Hinc egressum est nomen eius procul, eo quod auxiliaretur ei Dominus, et corroborasset illum. Nihilominus percussit eum Dominus: orta est enim lepra in fronte eius coram sacerdotibus in domo Domini, super, id est, iuxta altare thymiamatis: et sacerdotes festinato expulerunt eum, et fuit leprosus usque in diem mortis suae. Inquirit divus Ioannes Chrysostomus, cur tam grande supplicium intulerit Deus regi, qui fecerat, quod rectum erat in oculis eius; tandem docet, rationem fuisse eam, quam ipsamet Scriptura sacra expressit: quia sibi voluit arrogare gloriam, et honorem, non Deo ipsi, sed eius sacerdotibus reservatum circa thymiamatis suffimentum, aut oblationem: hoc enim coram Deo offerre, et incendere solis sacerdotibus volebat Deus esse concessum. Cum autem Ozias roboratus esset: *Elevatum fuit cor eius in interitum suum, et neglexit Dominum Deum suum:* ingressus enim templum, voluit adolere incensa super altare thymiamatis. Si ergo ex eo solum, quod hic rex sibi usurpare voluit, quod ad solos sacerdotes pertinebat, scilicet offerre Deo thymiama, ita acriter Deus illum punivit; dubium non est, quin acerbiore poena illum plecteret, si odorem Deo soli reservatum sibi usurpare voluisset. In hoc sane peccati genus incidunt, qui cum bona opera operentur, contendunt odorem laudis ex eis procedentem in se ipsos convertere, gloriam Deo debitam tyrannice sibi arrogantes: nam sic divus Paulus, cum diceret (2. *ad Corinth.* 2): *Christi bonus odor sumus Deo:* ecce odorem bonorum operum non sibi arrogabat, sed Deo deferebat. Diaboli proprium est, Dei gloriam velle capere: ille enim qui quasi praedator in via ex primordiis suae conditionis voluit Dei gloriam sibi usurpare, et nunc opera bona, quae in Dei obsequium fieri conspicit, totis viribus furari conatur, excitando desiderium, et appetitum inanis gloriae, auferendo ab ipsis insigne, quod ille servari vult illaesum, soli Deo honor et gloria; ita multa bona, quae operatus fuerat Pharisaeus ille, de quo Christus Dominus loquitur, rapuit, idque illi conveniri potest, quod s. Iacob dixit de Dan (*Gen.* 49. 18): *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor eius retro.* Omnibus ambulantibus in via huius vitae se exponit diabolus, tanquam coluber, eo modo, quo primis parentibus nostris, suadens, Dei mandatum contemnere, terrena appetere, et in velitum lignum manum mittere.

Quoniam autem multi sunt, qui eligunt semitam illam strictam, quae ducit ad vitam, quam perambulant per opera sancta mortificationis, poenitentiae, religionis et omnium virtutum, istis se exhibet, tanquam cerastem, qui parvus serpens est, summa cupiditate, exoptans deiicere equitem, quem videt pulchro currentem equo; ideoque inter pulveres se abscondit, et illo transeunte, mordet ungulas equi, ut recalcitrans equus equitem retro deiiciat: ita diabolus, quando videt iustum et sanctum virum, per strictam virtutis semitam currentem, quem non potuit impedire a bonis operibus, inter pulveres humanarum laudum, et vocum se abscondens, latenter ungulam mordere conatur. Ungulae nomine recta mentis intentio designatur, qua quis movetur, et progreditur in bono opere: hanc mordere, et inficere summopere procurat, appetitum inanis gloriae calliide ingerens, ut generosam animum, Dei gloriam intendentem, a sublimi intentione cadere, et deficere faciat. Istorum miseriam deplorans sanctus Thadaeus (*epist. sua can.*) inquit: *Vae illis, qui in via Cain abierunt, et errore Balaam mercede effusi sunt, et in contradictione Core perierunt.* Tria personarum genera exprimit, quibus quasi iam damnatis compati possumus, et quibus sanctus Apostolus grande comminatur supplicium, illam praemittens comminatricem interiectionem vae: quae quando inducitur, ut d. Ioannes Chrysostomus (*hom. 7. in Gen. et l. de virg. cap. 21*) adnotavit, horrendam, supremam, et irremissibilem poenam exprimere solet. Primum illorum, qui in via Cain abierunt, invidos significat: hoc namque fuit peccatum Cain, per quod ad execrandum fratricidium pervenit, cui ipsemet Deus, quasi compati visus fuit, volens illum a suo torquente affectu revocare dicens (*Gen. 4*): *Quare iratus es? et quare concidit facies tua? nonne si bene egeris, recipies?* quasi dicat: Cur de fratris tui bono trasceris, et doles, qui magis inde laetari deles. Non impules fratri tuo, quod a me contemnaris, sed tibi, qui si similis illi volueris esse, similes reportabis favores. Aliud est eorum, qui in contradictione Core perierunt, isti superbi sunt, et ambitiosi, atque praelatis suis, qui loco Dei sunt constituti, rebelli se contradictione opponunt. Aliud tandem eorum, qui cum Baalam mercede effusi sunt: satis nota est haec historia. Fuit Baalam, ut Origenes, et d. Augustinus dicunt, famosissimus in arte magica, et carminibus noxiis praepotens incantator, quem Basilius vocat, *Augurem, et divinatorem*, ut qui daemoniacam sibi doctrinam per augurandi superstitionem comparasset, quem et falsum prophetam fuisse probat d. Ambrosius, vocans eum *Ariolum*, nihilominus, quando vocatus fuit a rege Balac, ut populo Dei malediceret, verissima prophetasse docent Patres, Origenes, Augustinus, Basilius, Ioannes Chrysostomus; et signanter d. Gregorius censet, grandi Spiritu Dei fuisse illustratum, per quem cognovit veri Dei maiestatem, et populi illius excellentiam, et felicem sortem eorum, qui ipsi obsequuntur, ideoque exclamasse: *Moriatur anima mea morte iustorum, et fiant novissima mea horum similia.* Vero ergo spiritu prophetico fuit tunc illustratus: sed mercede effusus est, quia, ut eleganter dixit Origenes, prophetiae verba tantum habuit in ore: dictum enim fuerat illi a Deo: Verbum, quodcunque dedero in ore tuo, hoc loqueris: in corde autem desiderium erat mercedis, et cupiditatis pecuniae a rege percipiendae. Etenim quia per prophetiam, quam in Dei, et populi eius honorem, et gloriam protulit, non a Deo praemium, sed quam mercedem posset ab hominibus reportare, solummodo concupivit; ideo merito, inquit Origenes, vocatus est Balaam, qui interpretatur, populus vanus. Expende illud, *mercede effusi sunt*: effundere est se totum omni affectu, et ex toto corde in aliquid demittere, quomodo David (*Ps. 60*): *Effundite coram illo corda vestra*; et iterum (*Psal. 21*): *Sicut aqua effusus sum.* Totam mentem, affectum, et omne cordis sui desiderium in obtinenda a rege Balac mercede pro opere illo quod, Deo suggerente, perficiebat, constituit. Pariter autem cum eo dicuntur mercede effusi, qui solam mercedem temporalem propter bona sua opera ab hominibus expectant: et quidem Balaam divitias multas accepit, quae apud carnales homines magnopere aestimantur; quid si nonnisi solam, et nudam exteriorem laudem pro prelio, et mercede requireret? Vae igitur hypocritis, qui in hac via Balaam ambulantes, minorem mercedem, quam Balaam, ab hominibus exposcunt; a quibus tantum quaerunt conspici, et videri.

Porro, illud etiam magni ponderis esse autumo ad detestationem humanae laudis, quod qui operibus suis non Dei gloriam, sed propriam exaltationem quaerituntur, in quoddam idololatriae genus misere prolabuntur, cum gloriam, et laudem, quam Deus in suae veraeidealis protestationem exposcit, sibi tribuant. Unde opere ipso Deum abnegant, et loco illius seipsos, tanquam Deum constituunt: ad quod magis intelligendum explicare invabit, quid sibi voluerit Iacob, cum dixit (*Gen. 24*): *Si fuerit Deus mecum, et custodierit me in via, per quam ego ambulo, erit mihi Dominus in Deum.* Nunquit putabat Iacob, quod Dominus non esset Deus eius, nisi ipse haberet illum in Deum? minime quidem: recte enim sciebat per hoc, quod assumeret illum in Deum, non constitui illum Deum suum: nam etiam illo renuente, necesse erat Deum illius esse: et quidem nomine Dei omnes nationes intelligunt primam omnium causam, a qua cuncta procedunt, et in quam, velut in ultimum finem, omnia diriguntur: habere ergo Dominum in Deum, est ab illo omnia bona tanquam ab universorum bonorum fonte, et origine expectare, et in illum se, et omnia sua, tanquam in finem, referre, dirigere, et ordinare; idque sibi volunt verba Iacob: *Erit mihi Dominus in Deum:* non dixit, erit mihi Dominus pro Deo, sed in Deum: nam, ut d. Thomas (2. 2. q. 2. *art.* 2) docuit, praepositio *in* significat motum animi tendentis in aliquid; ex quo explicat illud symboli: *Credo in Deum.* Quare Iacob habere Dominum in Deum, nihil aliud erat, quam toto corde, et animo, se suaque bona omnia in illum, tanquam principium, et auctorem referre, et omnem gloriam ex illis resultantem illi efferre ad imitationem coelestium incolarum, de quibus Ioannes (*Apoc. 4*) inquit: *Procidebant, et adorabant viventem in saecula saeculorum, et mittebant coronas suas ante thronum dicentes: Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, et honorem, et virtutem, quia tu creasti omnia.* Hinc est, quod qui laudem, et gloriam propter opera sua bona Deo debitam sibi usurpant, in quoddam genus idololatriae incurrunt, dum non ad Deum, sed ad seipsos, tanquam ad ultimum finem referunt illa, ut contigit regi Tyri, cui propterea quod gloriam, et honorem ex bonis suis operibus resultantem sibi arrogabat, propheta Ezechiel (*c. 28*) dixit se ipsum constituisse, tanquam Deum, ac vero Deo neglecto, in cathedra eius sedere non erubuisse: *Elevatum est cor tuum, et dixisti: Deus ego sum, et in cathedra Dei sedi:* ecce hominem vanum, sui ipsius idololatram factum. Accedit, quod inter omnes pravos affectus, qui disponunt ad infidelitatem inducendam, et a fide apostatandum, primas tenet appetitus proprii honoris, et gloriae. Unde d. Augustinus (*de civit. Dei c.* 14) vocat vanae laudis appetitum, vitium valde piae fidei inimicum: quod et probat d. Ioannes Chrysostomus (*hom. 2. in Ioan.*) ex illis verbis Christi Domini (*Ioan. c. 5*): *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam, quae a Deo solo est, non quaeritis?* quibus consonant illa alia (*Ioan. 12*) *Ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisaeos non confitebantur; magis enim dilexerunt gloriam hominum, quam Dei* ecc. ingenlem huius pravi affectus inpietatem, cum per illum homo coronam gloriae, ipsi Deo debitam, ab ipsius Dei capite auferat, et sibimetipsi imponat; ac tandem, per illum, ad negandum Deum, et seipsum tanquam Deum colendum miserrime disponatur.

Ceterum, postquam inanis gloriae gravitatem ostendimus, ad eius stultitiam, multifariam, multisque modis manifestandam, sermonem convertamus. Inter pleraque naturae opera admiratione digna, quae Deus Iob ante oculos posuit, illud de struthione singulari speculatione dignum arbitror: pennae struthionis similes sunt pennis herodii, et accipitris: *Pricavit illum*, inquit ipse Iob, *sapientia, nec dedit illi intelligentiam:* signum autem non obscurum suae stoliditatis est, quod, cum alioquin avis sit aequalis magnitudinis cum camelo, caput habet parvum ad modum anatis, ut testatur Plinius (*libr. 10. c. 1*). Apud Physiognomas autem parvitas capitis insipientiam indicat, et, ut refert Pierius (*lib. 25*), olim antiqui struthionem pro stoliditatis symbolo usurpabant. Hoc loco Deus iam multa de struthione commemorat, ut nulla ratione credi possit, ad struthionis naturam explicandam illa dixisse; sed sicut quando de bobus locutus est, de ipsis non curabat, sed de re significata per illos, ut dixit divus Paulus (*ad Corinth. 9*): *Nunquid de bobus cura est Deo?* ita dum Deus ex professo de struthionis natura, et stoliditate sermonem instituit, non tam de illo, quam de re significata per ipsum, intelligenda vult ab eo commemorata: iustum enim est, ut natura gratiae deserviat, et ut sapienter dixit divus Gregorius (*lib. 21. moral. cap. 1*) de libro Iob loquens: *Multae quidem eius sententiae tanta allegoriarum conceptione sunt gravidae, ut quisquis eas ad solam historiam tenere nititur, earum notitia per suam iniuriam privetur.* Quare idem d. Gregorius (*lib. 21. moral. cap. 5*) docet, Deum hoc loco hypocritam, vanae laudis cupidum, ex professo describendum assumpsisse, multaque de eius insipientia, et stoliditate edixisse, ut inde nos sapientes, et cordatos efficeret: idque plane verba illa indicant (*Iob 30*): *Pricavit illum Deus sapientia*, nam cum nemo dicatur privari re, cuius non est capax; nec enim lapis dicitur privatus visu, cum incapax sit illius, manifeste relinquitur, Deum verba illa direxisse ad hypocritam, qui capax est sapientia privari. In primis ait Iob, pennas struthionis esse instar herodii, et accipitris, subtiles scilicet, magnas, et latas: in eo tamen valde dissimiles sunt, quod accipitres, et herodius adeo in sublime erigantur, ut ipsum coelum contingere videantur; struthio autem suis pennis, nec per latum unguem a terra se eleval. Unde Diodorus (*lib. 3, rerum antiq.*) vocavit illum medium inter aves, et bestias; quia habet alas sicut aves, sed a terra non elevatur, sicut bestiae: et Strabo (*lib. 16*) propter eandem rationem struthiones avis cervinas appellavit, quia licet alas habeant instar avium, currunt tamen super terram instar velocium cervorum, ut scribunt Helianus (*lib. 11. cap. 20*), et Xenophon (*lib. 1. de cervi expeditione*); non dissimiliter hypocritae, licet alioquin habeant pennas similes accipitris, et herodii pennis, hoc est, virorum sanctorum, qui instar istarum avium in sublime se elevant, et coelum contingentes, cum d. Paulo dicant (*ad Philip. 3*): *Nostra conversatio in coelis est*; terra vero, hoc est, terrenos affectus non deserunt; ieiuniis se exasperant, orationes in Ecclesia fundunt, eleemosynas erogant; pennae sunt istae sine dubio, quibus sancti sursum elevantur; at ipsi, dum propter vanam hominum laudem aucupandam illis vacant, in terra fixi manent. Deinde struthio, quamvis tanta fecunditate vigeat, ut plus quam octoginta ova in lucem edat, ut scribit Helian. (*l. 4. cap. 19. et seqq.*), nullum tamen eorum protegit, aut fovet, sed in pulvere relinquit, nihil curans, si a transeuntibus bestiis concalcentur: imo licet ova, et filios ex eis productos, magno pepererit dolore, quasi saeva noverca, omni cura destituta relinquit, beato Iob dicente (*cap. 39*): *Duratur ad filios suos, quasi non sint sui, frustra laboravit, nullo timore cogente*, vel ut Pagninus vertit: *Crudelis fuit pullis suis, ac si non essent sui*, seu, ut transfert regia: *Duriter tractat filios suos, non sibi.* Etenim licet struthio pullos suos diligere videatur, ut indicat Michaeas (*c. 1*), quia illorum visu valde delectatur, ita tamen efferato, et crudeli animo erga illos se gerit, ut nec eos foveat, nec pascat, neque eorum amissionem timeat: ad quod alludens Hieremias dixit (*Thren. 4*): *Filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto.* Ad eundem modum hypocritae multis bonis operibus secundum faciem student,

UNIVERSIDAD DE OVIEDO

ieiunant, orant, eleemosynas faciunt, sicut et Pharisaeus dicebat (*Lucae* 18): *Ieiuno bis in Sabbato, decimas do omnium quae possideo*, et in illis superbe complacent, et eorum aspectu mirifice delectantur, adeoque stulti sunt, ut foetus istorum bonorum operum, quos multo cum labore pepererunt, a crudeli vanae gloriae fera dilacerari, et conculcari sinant, nec lacrymandam eorum amissionem quicquam timeant. Hanc eandem stultitiam columbae Metaphora explicuit Dominus (*Osee* 7), cum dixit: *Factus est Ephraim sicut columba seducta non habens cor*, vel ut originale Hebraeum habet, *sicut columba stulta, seu stolida*: (*in cuius loci comm.*) divus Hieronymus observat, propterea columbam stultam, et vecordem nuncupari, quod, cum illa frequenter varios foetus producat, illos tamen non custodit, neque a raptore defendit. Certe gallina, quamvis alioquin imbecillis, et pusillanimitatis symbolum sit, rostro tamen, alis, et unguibus pro pullis defendendis rapaci milvo se opponit: hirundo anxia cura pullos custodit, circumvolans, et pipiens, quando raptorem timet; ac tandem omnes aves in tuto curant nidos suos locare, ne filii nocumentum patiantur; sola columba non curat custodire ova, aut pullos suos; nec si auferri eos videat, illos defendit, et quasi corde careret, nullo tristitiae affectu propter pullorum amissionem excitatur, imo e contra, quasi laetari videtur, cum edilos pullos raptos videns, ad alios edendos statim se convertit, quasi ad hoc tantum illos peperisset, ut raperentur. Ita hypocritae stulti adeo sunt, instar columbae, ut quamvis omnes bonorum operum pulli absumantur, et rapiantur ab inani gloria, id non doleant, imo alacriores se exhibent, quando spectatorum oculi foetus suos depraedantur, et ad alios edendos, et a spectatoribus similiter rapiendos se statim convertunt.

Sed eundem Iob (*cap.* 8) audiamus, hanc eandem hypocritae stultitiam singulari metaphora delineantem: *Non ei placebit vecordia sua, et sicut tela aranearum fiducia eius*, vel sicut originale Hebraeum legit: *Non placebit ei fatuitas sua, et sicut domus aranearum fiducia eius*. Consideranda sunt cum divo Gregorio multa circa aranearum telas, ex quibus domunculas illae sibi faciunt. Primum, nullum esse opus subtilius, nec maiori ordine compositum, inter animalium opera quam telam araneae; quam saepe admirantes conspicimus. Secundum nullum esse animal, quod ita laboret in opere suo, sicut aranea: cetera namque conficiunt opera ex his, quae extrinseca sibi sunt: ex paleis, et luto collectis hirundo, ceteraeque aves nidum extruunt; aranea vero ex intimis praecordiis, ex ipsismet suis visceribus fila trahit, quibus telam ordiatur. Deinde cetera animalia domunculas, aut nidos, aut foveas sibi sub brevi temporis spatio conficiunt; aranea autem hinc inde texens procedit, egreditur, et regreditur, et saepe ab uno loco in alium longe distantem opus extendit. Tertium nullum esse opus, quod facilius dissipetur, et pereat: nec enim requiruntur mallei ferrei, aut secures, aut bombardarum ictus, aut lancearum vibrationes, sed sufficit levis aer ad telam penitus dissipandam, ut ultra non solum ipsa tota, sed nec eius pars, aut filum appareat. Tandem, totum opus tanto labore confectum ordinatum tantummodo est ad muscas, et cinifes capiendos, quibus aranea sustentatur; talis certe pastus tali animali dignus. Vide, quid hypocritae agant, certe non aliud, quam telas aranearum. Videntur primo eorum opera ordinatissima, et magna discretione perfecta: hoc enim tanto magis procurant, quanto solicitius contendunt, ne aliquis defectus in eorum actionibus deprehendatur: secundo summo cum labore talia opera faciunt, mira abstinentia se affligentes, et ut inquit divus Gregorius: *Omne robur corporis alterunt, et quasi carnis vitam in carne viventes extinguunt, sicque per abstinentiam morti appropiant, ut pene quotidie morientes vivant*, veritate attestante, quae ait (*Matt.* 6): *Exterminant facies suas, ut apparent hominibus ieiunantes*. Nam ora pallescunt, corpus debilitate qualitur, et pectus interrumpentibus suspiriis urgetur. Tertio, tam facile quis dissolvitur, et tela, quam orsi fuerunt, consumitur, ut levi flatu venti dissipetur, et pereat; quia quicquid hypocrita cum labore peragit, inquit div. Gregor. *aura humani favoris tollit, et dum in appetitu laudis opus deficit, quasi in ventum labor evanescit*. Tandem, si inquiras, quid miser grandi suo labore intendat? invenies eius spem similem esse araneae, quae nihil aliud, nisi muscas, et cinifes resonantes captare constituit, humanam scilicet laudem, transitoriamque, momentaneam, ac inanem gloriam, qua pascitur, quam aucupatur: similis Ephrahim, de quo propheta Oseas dixit: *Ephraim pascit ventum*. Observavit sanctus Maximus (*hom. in Evangel.*): *Nolite fieri, sicut hypocritae tristes*, quod cum Apostolus dixit (*ad Gal.* 5): *Non efficiamur inanis gloriae cupidi*, non prohibuit Dominus gloriae appetitum, quia, ut idem Apostolus dixit (*ad Romanos* 2): *Gloria, et honor operanti bonum*; sed solum vetuit appetitum vanae, et inanis gloriae, qualis est illa, quae ex hominum aestimatione procedit: ut enim adnotavit divus Thomas (*in cap.* 5. *ad Galat. lect.* 6): *Vanum, et inane est, quod nec firmum, nec verum, neque utile est; humana autem gloria firma non est, aut stabilis*, Isaia dicente (*cap.* 40): *Omnis caro foenum, et omnis gloria eius, quasi flos agri, exsiccatum est foenum, et cecidit flos*, quibus persimilia sunt, quae dixit sanctus senex Matathias: *A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria eius stercus, et vermis, et cras non invenietur, quia concersus est in terram suam, et cogitatio eius periit*. Est etiam humana gloria non vera, sed falsa, cum de eius amatoribus Isaias (*c.* 5) scripserit: *Dicunt malum bonum, et bonum malum*: quae summa falsitas est. Superbiam, magnitudinem animi aestimant, crudelitatem, et vindictam fortitudinem, mordacem loquelam eloquentiam, humilitatem animi vilitatem iudicant, parsimoniam avaritiam, remissionem illatae iniuriae pusillanimitatem appellant, facti in his omnibus, instar dolosae staterae falsi aestimatores, ut praedixerat David (*Psalm.* 61): *Verumtamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum*. Tandem est humana gloria inutilis, et infructuosa: nam quantamcunque magnam ab hominibus nanciscatur homo vanus gloriam, non solum non consequitur suum ultimum finem, propter quem possidendum creatus est, sed illum in aeternum amittit. Quare divus Ioannes Chrysost. (*hom.* 21. *et* 72. *in Mat.*) dixit: *Si gloriam quaeris, veram gloriam quaere, et concupisce: si gloriam amas, magis ama eam, quae a Deo est*.

Ceterum, ex multiplici alio capite demonstrare pergo stultitiam, et stoliditatem eorum, qui appetitu humanae laudis bona opera exercent: hi laborem suum penitus perdunt, et proprio suo gladio se iugulant: accidit enim illis, quod Eleazaro filio Saura, concupienti nomen, quod omnium stultissimum est, aeternum sibi acquirere; cum filii Israel ad praelium provocati fuissent ab hostibus, et quod maiorem timorem illis inculiebat, elephantes erant, ligneas turres supra dorsum portantes, in quibus multi armati homines latitabant; decrevit Eleazarus in praecipuum illorum, quem regis ornamentis phaleratum vidit, visum est enim ei, quod in eo est rex, acriter invadere, quod et perfecit, sub elephantes se constituens, et gladio suo illum occidens, sub ipso tamen, quem extinxit, ipse etiam interiit, et occubuit, et ut pulchre dixit d. Ambros. (1. *offic. cap.* 4), *suo remansit triumpho sepultus*. Non secus vanae laudis cupidis evenit: laboriosa multa opera bona faciunt, ieiunant, carnem macerant, et ut ait divus Matthaeus, *exterminant facies suas*, qui sibi de propria concupiscentia triumphare videntur, tamen sub hoc suo triumpho occumbunt, et cadunt, dum de illo gloriam aucupantur humanam: non ob aliud illa facientes, quam ut videantur ab hominibus. Iacturam hanc bonorum operum explicuit Hieremias olivae metaphora (*c.* 1) in haec verba: *Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocavit Dominus nomen tuum, ad vocem loquelae grandis exarsit ignis in ea, et combusta sunt fruteta eius*. Manifestum est, prophetam non loqui de oliva materiali, cum respectu illius nulla sit humana vox, quae illam comburere possit: loquitur ergo de hypocrita, qui cum alioquin instar fructiferae olivae variis operibus bonis abundet; blanda tamen vox, seu loquela humanae laudis ac inanis gloriae igne succendit, et omnia eius fruteta consumit. *Grandis exarsit ignis in ea*; tanta autem est operum bonorum iactura, quae humanam laudem consequitur, ut Oseas dicat sacerdotibus (*cap.* 5): *Victimas declinastis in profundum*. Ad cuius loci intelligentiam observare oportet, Deum ibi sacerdotes arguere, quod omnia, quae in bonum erant constituta, illi in malum detorquerent, et quae profectum adiicere debebant, in perniciem converterent: sacrificia quidem, et victimae ad Deum placandum debebant ordinari; ipsi autem in suam solum utilitatem illa convertebant; atque hac ratione victimas, quae ad Deum tendere debebant, in profundum declinabant: unde per sacrificia, quibus sancti viri ad coelum volabant, illi ad profundum tendebant. Haec est igitur hypocritarum non exigua stultitia, per quod mactationem et iugulationem carnis, per quam iusti coelestia appetunt, ipsi in profundum tendunt barathrum. Equidem quod per atrocia scelera quispiam in profundum feratur, nihil sane mirum, cum grave sint pondus iniquitates eorum; at quod per opera sancta, quae pennae sunt, quibus ad coelum sancti volant, in profundum tendant, hoc mirandum valde est. Quod pergat in infernum Cain per invidiam, et fratricidium, Giezi per simoniam, et Balaam per avaritiam, et Zambri per impudicam, et inverecundam fornicationem, non mirum, sed quod per ieiunia, orationes, et eleemosynas in tartarum tendat homo, hoc summam redolet tristitiam; atque huc in idem argumentum faciunt illa eiusdem prophetae verba: *Multiplicavit Ephraim altaria ad peccandum, factae sunt arae ei in delictum*. Certe, quod lupanaria sint in delictum luxuriae, nundinae in delictum avaritiae, civitates in delicta diversi generis, non mirum; sed quod arae, et altaria sint in delictum et perditionem, hoc mirandum, miserandumque est: si videres duos agricolas aequaliter laborantes eiusdem generis semina iacientes, easdem expensas facientes, quorum unus abundantissimos fructus colligeret, alter vero nollet nisi spinas, et tribulos reportare; quid diceres? si duos aspiceres in aurifodinis laborantes, aequaliter desudantes, et simili lassitudine se conficientes, quorum unus aureos lateres extraheret, alter vero cum similes posset, nollet, nisi vermes foetidos reportare; nonne hanc magnam existimares stoliditatem? haec est igitur istorum stultitia, et insipientia, ut per eundem laborem, per eundem sudorem, per easdem victimas, et iugulationes, per quas iusti aeternam gloriae coronam consequuntur, hypocritae nil nisi spinas, vermes, et aeternam confusionem reportent. Quare existimo, quod, licet omnia vitia generaliter charitati contrarientur, appetitus humanae laudis e diametro cum charitate pugnet, tum quia, sicut charitas bona opera in Deum, et ipsius gloriam, et laudem tanquam in finem ultimum dirigit, ut docet d. Thomas (2.2.*q.* 23), ita humanae gloriolae inordinatus affectus in nos ipsos, et in gloriam nostram, tanquam in finem, illa refert: tum etiam quia sicut charitas est virtus, bona opera vitae aeternae meritoria reddens, ita vana gloria vitium esse perhibetur, aeternae mercedis demeritoria illa reddens.

Deinde aliam istorum stultitiam mihi detegit, quod Christus Dominus docuit (*Matth.* 7), stultum scilicet super arenam aedificare. Stultus aedificat domum super arenam, et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit. Sane, qui bene operantur, aedificium quoddam spirituale construunt, ut s. Apostolus loquitur (1. *ad Corinth.* 3); et ideo oportet, ut unusquisque videat, quomodo superaedificet. Aperte Christus Dominus illis verbis demonstravit hypocritarum stultitiam, qui totum suorum bonorum operum aedificium extruunt super arenam, et pulverem humani applausus,

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN

cuius quidem aedificii futuram ruinam Dominus praedicit: humanae enim laudis zephyrino vento flante, continuo illud corruet. E contra faciunt iusti, qui tanquam sapientes, ne aedificium bonorum operum corruat, non super arenam, sed super petram aedificant. Sapiens, ait Christus Dominus (*Matth.* 7), *aedificavit domum suam supra petram, et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit: fundata enim erat supra petram*, hoc est, Christum, iuxta illud Davidis (2. *Reg.* 2): *Dominus petra mea, et refugium meum*: et (*Psal.* 17): *Petra, refugium haerinaceis*. Qui super hoc stabili fundamento aedificant, omnia in Christum, et propter Christum operantes, cum vanae gloriae venti perflant in eorum aedificium, illud non corruit, quia fundatum est supra firmam petram.

Ad extremum, in illam summam omnium stultitiam, et stoliditatem incidunt hypocritae, et vanae laudis appetitores, quod aeternae gloriae retributionem pro brevi, et futili humana gloria commutant, Christo Domino dicente (*Matth.* 6): *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Quam autem hoc genus abiectissimi, et inanis praemii operibus illorum congruat, etymologia ipsius nominis hypocritae luculenter ostendit: hypocrita vox est Graeca. Aymon credit, significare *deauratum*, a chrysos, quod est aurum, metaphora sumpta a simulacris, de quibus dicebat sanctus propheta Baruch, quod cum sint lignea inaurata, et inargentata, scietur postea, quia falsa sunt ab universis gentibus, et regibus. Haec etymologia placuit etiam divo Augustino, ut refert cardinalis Toletus, ad eamque alludere visus est Christus Dominus, dum dixit: *Vae vobis Scribae, et Pharisaei hypocritae*, id est, deaurati, *quia similes estis sepulcris dealbatis, quae foris apparent quidem hominibus speciosa, intus vero sunt plena ossibus mortuorum*: quae verba ad hoc institutum expendunt d. Isidorus, s. Greg. et Origen. qui observant illud: *Plena ossibus mortuorum: Tanta*, inquiunt, *ossa in eis sunt, et immunditiae, quanta opera simulantur bona ex malo affectu*. Sunt igitur sicut simulacra inaurata, quae exteriore specie nitent, intus vero immunditia sunt plena. Cardinalis Toletus (*in cap.* 6. *Lucae annot.* 76) refert ex eodem divo Augustino hypocritam dici *ab hypo*, quod est falsum, *et crisis*, quod est iudicium, quasi falsum iudicium, quia hypocrita homines decipit, et falsum eorum iudicium quaerit, intendens iudicari bonus, et sanctus, cum omni bonitate et sanctitate careat. Communis tamen est sententia, hypocritam dici a verbo Graeco, *hypocrino*, quod est, simulo: et inde derivatur hypocrisis, id est, simulatio, et hypocrita, id-est, simulator, instar histrionis, mimi, seu repraesentatoris in scenis: nam quemadmodum hi in hoc toti positi sunt, ut unam personam teneant, et aliam repraesentent, a sua longe diversam, rusticus enim repraesentat personam regis, et vir personam foeminae; ita hypocritae, cum sint in sua persona iniqui, et peccatores, hoc solummodo contendunt referre, et repraesentare in theatro huius mundi personam sanctorum, ut communi consensu Patres docent, Origenes (*homil.* 4. *et* 25. *in Matth.*), Basilius (*hom.* 1. *de ieiu.*), div. August. (*serm.* 59. *de temp. et lib.* 2. *de serm. Dom. cap.* 2), Euthymius, et Theophyl. (*in cap.* 6. *Matth.*), et singulariter div. Ambros. (*lib. de Elia cap.* 10), et div. Ioannes Chrysost. (*homil.* 21. *in Matt.*), singularius tamen d. Thomas (2. 2 *quaest.* 112. *art.* 2). Unde, sicut tales histriones solummodo procurant aliorum personam gerere, quamdiu spectatores coram se habent, et tanto vivacius, quanto plures, attentioresque habent auditores, et illis deficientibus, cessant illi repraesentationes: ita hypocritae agunt. Cum igitur opera illorum fictam solum sanctitatem, et simulatam probitatem contineant, praemium ex iustitia eis debitum non aliud est, quam gloria ficta, et simulata, et, ut ita loquar, in mercedem eis correspondere debet, non vera gloria, sed gloriae hypocrisis: etenim cum huiusmodi opera sint instar nucis vacuae, vana, hoc est, sanctitate, et vero merito carentia, praemium eis correspondens, debet esse vanum, et omni vera gloria vacuum: cuiusmodi est humana laus, quam Christus Dominus testatur hypocritas in operum suorum mercedem recepisse, huiusmodi erant opera Episcopi Sardicensis, cui Ioannes (*Apocalyp.* 3), dixit: *Non invenio opera tua plena coram Deo meo*: reprehendit illum, quod opera eius vacua erant sanctitate, et quod inventus esset in illis minus habens.

Ad haec, tantus est boni operis meritorii valor, quantumvis minimae aquae potus, ut si Deus in praemium illius tibi donaret coelum, et terram, imo et ipsos angelos, quotquot creavit, ut tibi ministrarent, et in perpetuum ad nutum servirent, omnesque divitias, quas omnipotentia Dei creare potest, tibi soli conferret, non persolveret ad aequalitatem minimum illud opus meritorium, quia, cum Deus per suam promissionem fidem suam adstrinxit, se ipsum daturum in praemium bonorum operum, ut loculus est Abrahae (*Gen.* 15). *Ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis*, et universaliter (*Sap.* 5) de omnibus iustis legimus: *Iusti autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum*: non potest persolvere opera meritoria pretio minoris valoris, quam sit ipse. Unde cum Christus Dominus divo Thomae dixit: *Bene scripsisti de me, Thoma, quam ergo recipies pro labore mercedem?* ipse continuo respondit: *Non aliam, Domine, nisi teipsum*. Si igitur stultissimus censeretur, qui veros, ac pretiosissimos adamantes pro fictis commutaret, quanto maiore stultitia laborare censendi sunt, qui aeternum gloriae pondus operibus bonis promissum pro vili humanae gloriolae pretio, imo solo applaudentium hominum aspectu commutant: etenim, qui, ut Christus Dominus ait, opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus, praemium essentiale, quod secundum d. Thomam (1. *parte quaest.* 12) consistit in videre Deum, ipsi commutant pro videri ab hominibus, quorum aspectus tantum abest, ut beatos illos faciat, ut potius illos fascinans, miseros, et infelices reddat: Zacharias, cum praevidisset, Iudam vili pretio triginta argenteorum venditurum esse Christum, dixit in persona illius ironice, et irrisorie: *Decorum pretium, quo appreciatus sum ab eis*. Sic sane dicere licebit irrisorie hypocritis, opera sua pro solo oculorum applausus pretio vendentes, decorum pretium, hoc est, vilissimum, et abiectissimum. Ad haec: Dic mihi, quaeso, si duo essent emporia, in quorum uno solum adessent pauperrimi homines, et qui merces nihil facerent, ac proinde vilissimo pretio vellent eas emere, in altero autem convenirent plurimi ditissimi illarum mercium cupidi, et ad illas, magno etiam pretio emendas paratissimi, nonne mercator stultissimus iudicaretur, qui emporio isto relicto, omnes suas merces ad illud primum vendendas deferret? Sane opera bona, quae homines faciunt, merces sunt quaedam, pro quibus unusquisque pretium accipere satagit: duo autem sunt emporia, in quibus illa vendere possunt: primum est huius mundi platea, in qua plurimi resident, ita tamen inopes, ut nec minimum opus meritorium cum digno pretio persolvere possint, ipsis dicentibus (*Psal.* 78): *Pauperes facti sumus nimis*; adeo quidem, ut nonnisi ventum laudantis vocis in pretium dare queant: nam si hominis vita ventus est, ut dixit Iob (*c.* 10): *Ventus est vita mea*; quid erit eius vox, quae humana vita futilior esse perhibetur? alterum emporium est coelum, ubi magna suppetit divitiarum copia: *Gloria, et divitiae in domo eius* (*Psalm.* 111): ibi bona opera tanti habentur, ut tres divinae personae non minus, quam infinito thesauro minimum opus bonum persolvant, pro potu aquae frigidae sitienti dato, pro lacera veste nudo misericorditer praestita, pro suspirio ad Deum ex corde emisso, aeternae gloriae corona reposita est: quis ergo stultissimos non iudicet humanae laudis appetitores, dum, relicto coelesti emporio, merces operum suorum deferunt ad nundinas huius mundi emptoribus illas exponentes, nullum aliud pretium pro illis, quam humanae laudis auram porrigentibus, quae adeo cito transit, ut de ea dictum sit, gaudium hypocritae instar puncti: in quo etiam alia eorum detegitur stultitia, dum pro brevissima gloriola captanda, aeternitatis indicibile praemium amittere non curant. Atque hoc etiam faciunt verba illa Apostoli Iudae (*in sua Canoni.*): *Vae illis*, atque hoc est, quod dicit, *receperunt mercedem suam*, id est, praemium suis meritis dignum, mercedem suis operibus congruam. *Indignae sunt*, inquit divus Augustinus, *huiusmodi passiones, et opera ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis; ideo non illam accipient pro mercede*. Condigna tamen sunt huius transitoriae inanisque gloriae, quam properea tanquam suam mercedem recipiunt. Ex eisdem explicat d. Augustinus honorem, et gloriam terrenam, qua Deus Romanos fecit illustrissimos, mercedem fuisse bonorum operum quae egerant, et agebant. Grandia siquidem, et eximia, ac pene innumerabilia erant virtutum opera, quae fecerant: privatas namque res suas, inquit d. Augustinus, pro re communi, hoc est, republica, et eius aerario contempserunt; avaritiae restiterunt; consuluerunt patriae consilio libero, neque delictum, secundum suas leges, neque libidini obnoxii, ut longo, eloquentique catalogo plurium illorum miranda acta d. August. prosequitur. Brutus pro liberiate patriae filios suos sponte occidit, de quo poeta: *Vicit amor patriae*. Romanorum princeps Torquatus filium, non quia contra patriam, sed etiam pro patria; tamen, quia contra imperium suum, id est, contra quod imperaverat pater Imperator, ab hoste provocatus, iuvenili ardore pugnaverat, licet vicisset, occidit, ne plus mali esset in exemplo imperii contempti, quam boni in gloria hostis occisi. Furius Camillus etiam ingratam patriam, a cuius cervicibus acerrimorum hostium Veientium iugum depulerat, damnatusque ab aemulis fuerat, a Gallis iterum liberavit, quia non habebat potiorem, ubi posset vivere gloriosus. Mutius, ut cum Porsenna rege pax fieret, qui gravissimo bello Romanos premebat, quia Porsennam ipsum occidere non potuit, et pro eo alterum deceptus interemit, in ardentem aram, ante eius oculos dexteram extendit, dicens, multos tales, qualem se viderat in eius exitium coniurasse; cuius fortitudinem, et coniurationem talium perhorrescens Porsenna, sine ulla dilatione se ab illo bello, facta pace compescuit. Curtius armatus, equo concitato, in abruptum hiatum terrae se praecipitem dedit, deorum suorum oraculis serviens, qui iusserant, ut illuc id, quod Romani haberent optimum, mitteretur; nec aliud intelligere potuerunt, quam viribus, armisque se excellere: unde, videlicet, oportebat, ut deorum iussis in illum interitum vir praecipitaretur armatus. Decii, ut iram deorum sanguine suo placarent, Romanusque liberaretur exercitus, se occidendo, certis verbis quodammodo consecrantes, devoverunt. Marcus Regulus, ne crudelissimos hostes Carthaginenses iurando falleret, gravissimis suppliciis necari elegit. Lucius Valerius, qui in suo defunctus fuit consulatu, usque adeo paupertatis fuit amator, ut nummis a populo collatis, eius sepultura curaretur. Quintius Cincinnatus cum quatuor iugera possideret, et ea suis manibus coleret, ab aratro adductus fuit, ut dictator fieret, victisque hostibus ingentem gloriam consecutus, in ea pauperiate permansit. Fabricius summis muneribus Pyrrhi Epirotarum regis oblatis, promissa etiam quarta parte regni, a Romana civitate non potuit divelli, solius boni publici promotionem omnes intendebant, ideoque cum rempublicam, id est, rem populi, rem patriae, rem communem haberent opulentissimam, sic ipsi in suis domibus pauperes erant, ut quidam eorum, qui bis iam Consul fuerat, de Cornelio Rufo, id narrant Valerius Maximus, Titus Livius, et Aulus Gellius, ex illo senatu pauperum hominum pelleretur notatione Censoria, quod decem pondo argenti in vasis habere compertus est, etc. haec et alia d. Augustinus prosequitur.

Opera igitur illorum insignia erant, sed terrena: non terram transcendebant, quippe cum non propter Deum facta fuerint: tantum enim suam gloriam, honorem, et laudem apud ho-

mines intendebant; idcirco dignam mercedem eis reddi statuit Deus, non quidem coelestem, quia, ut dictum est, terram non transcendebant eorum opera, sed terrenam. Quia tamen inter opera bona, quae terram non transcendant, illa fuerunt suprema, eximia, et excellentia, supremis terrenis bonis voluit compensari: nam suprema gloria, honore, divitiis, imperio, dominatione donati fuerunt. Honorati sunt in omnibus fere gentibus. Imperii sui leges cunctis nationibus imposuerunt, hodieque literis, et historiis gloriosi sunt pene in omnibus gentibus. Totum orbem suo subiecerunt imperio, et omnium provinciarum obtinuerunt dominium. Ut enim, quae profani auctores scribunt, dimittamus, aperte dicitur in Scriptura, iam tempore Machabaeorum subiecisse Galatiam, Hispaniam, et eius metalla auri, et argenti, et Philippum, et Persen Caeteorum regem, et Antiochum Magnum regem Asiae, qui eis pugnam intulerat, habens centum viginti elephantes, et equitatum, et currus, et exercitum magnum valde, contritum ab eis, et regionem Indorum, et Medos, et Syrios, etc. Tempore, quo Christus Dominus natus fuit, toti orbi imperabat (*Luc. 2*): *Unde exiit edictum a Caesare Augusto, ut describeretur universus orbis.* Et tandem, inquit d. Augustinus, rectissime istorum gloria donati sunt Iudaei, qui terrenis bonis erant addicti, istam gentem possidentes, ut omnium bonorum terrae dominari viderentur. Haec omnia mercedis loco acceperunt: ad humanam namque gloriam praesentis temporis satis digna vita, operaque illorum existimabantur, quae condigna non erant futurae gloriae, quae revelabitur in nobis, sicut ex Apostolo dictum est. Per huiusmodi terrena bona quod illi merebantur, Deus persolvit, ideoque non est, quod aliam expectantes ab illo mercedem, de summi et veri Dei iustitia conquerantur: perceperunt enim mercedem suam. Tales sunt hypocritae, et quotquot ex bonis suis operibus gloriam, laudemque humanam quaerunt, de quibus dicitur: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam:* merces sane inanis, vilis, et contemnenda, cuius vanitatem, et inanitatem nullus melius poterit explicare, quam ipsimet, qui ipsa donati sunt; et qui manibus comprimentes, quantae esset vanitatis, tandem experti fuerunt: nam et Brutus, et Torquatus, et Furius Camillus, et Decii, et Scevolae, et Curtii, ceterique inter Romanos excellentes, ex illis sunt, quos in inferno positos exhibet Spiritus sanctus loquentes, nobisque referentes, qualis fuerit mercedis suae stabilitas, et magnitudo: *Quid*, inquiunt, *nobis profuit superbia vitae* in Graeco, iperiphania, quae significat statum illum tumentem, quo quis tumens, ceteros, tanquam inferiores, contemnere videtur: vocaturque Latine fastus; aspirando ore resonat: quod Hispane dicunt aliqui, fau, fau. *Et divitiarum iactantia quid contulit nobis?* quis posset Romanorum divitias enumerare, qui, ut doctus quidam auctor refert, in publico aerario in numerata pecunia auri, et argenti habuerunt simul collectos, aliquando sexcentos milliones, ut ita loquamur? Hoc maxime credibile facit, quod de eis Scriptura enarrat, quod multa fecerunt in regione Hispaniae, et in potestatem suam redegerunt metalla auri, et argenti, quae illic sunt, et possederunt omnem locum consilio, et patientia, et omnes orbis reges sibi tributarios fecerunt, a quibus innumeras divitias quotannis recipiebant: *Transierunt omnia illa, tanquam umbra, et tanquam nuncius velociter percurrens, et tanquam navis, quae pertransit fluctuantem aquam, cuius cum praeterirct, non est vestigium invenire; aut avis, quae transvolat in aere, cuius nullum invenitur argumentum itineris illius, sed tantum sonitus alarum verberans levem ventum: aut tanquam sagitta emissa in locum destinatum: divisus aer continuo in se reclusus est, ut ignoretur transitus illius: sic et nos nati continuo desivimus esse*, etc. singula expende; nec enim ab omnibus oratoribus posset aliquid dici, quod elegantius rem propositam explicaret: considera similitudinem a quinque rebus petitam, umbra, et nuncio praecurrentibus; navi fluctuante, ave volante, et sagitta emissa: considera similiter illud: *Nos nati continuo desivimus esse*, etc. et recte illos indicasse probat Spiritus sanctus, subdens (*Sap.* 5. *cap.* 15): quoniam *spes*, inquit, *impii*, *tanquam lanugo est*, *quae a vento tollitur*, *et tanquam spuma gracilis, quae a procella dispergitur, et tanquam fumus, qui a vento diffusus est, et tanquam memoria hospitis diei praetereuntis.* Ecce, quid humana gloria, terrenus honor, mundi laus, lanugo, spuma gracilis, fumus, memoria unius diei, etc. Haec expendens d. Augustinus acutissime observat, ipsosmet, qui Romanorum facta laudant, quod per ea excellentem claramque gloriam apud homines compararunt, vocasse eosdem infelices: unde poeta laudator Bruti, assumens illius laudes decantandas, quoniam ex amore patriae filios proprios occidit, infelicitati illius perhibet testimonium; ait enim:

Natosque pater, nova bella moventes
Ad poenam pulchra pro libertate vocabat: infelix, etc.
Vicit amor patriae, laudumque immensa cupido.

Quae autem maior potest esse infelicitas, quam pro tam insigni opere tam vilem, inanem, fallacem, et brevem reportare mercedem, post quam nullam amplius posset alteram expectare: *Merces autem sanctorum*, inquit divus Augustinus, *longe alia est, quam Spiritus sanctus, postquam utilitatem mercedis humanae gloriae expressit, subdidit, dicens: Iusti autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum, et cogitatio eorum apud Altissimum.*

Sed, ut iam sermonis vela contraham; illud superest mihi dicendum, sanguineis lacrymis plangendum esse, quod, cum hoc vitii genus adeo Deo infensum, ac detestabile, et homini nocivum sit, ut luculenter hucusque ostendimus; paucissimi tamen sunt, etiam ex sanctissimis viris, qui eo quandoque non inquinentur. Etenim licet opera sua propter Dei gloriam agere proponerent, et inciperent; tamen humanae laudis appetitus in prosequutione,

vel in fine operis, clanculum ingreditur, et, ut ait d. Basilius (*de const. monastic. cap.* 11): *Intrat blande, leniter, suaviter, insensibiliter, et ipso operante inadvertenter, universum bonum opus inficit, ut supremo angelo contigit:* nam iuxta d. Thomas sententiam (1. *p. q.* 63) laudis propriae appetitus latenter, et inadvertenter, cum tamen advertere debuisset, voluntatem eius occupavit, et supernaturalia eius bona diripuit, adeo ut ex excellentissimo angelo pessimum omnium diabolum fecerit, ut dixit d. Ioannes Chrysostomus (*hom.* 1. *in ill. vid. Domin.*): unde b. Petrus Chrysologus (*ser.* 7) respiciens ad penetrantem vim, quam hoc venenum habet, dixit: *Hoc malum subtilissimum esse virus, et latentissime eos impetere, qui recta agere coeperunt:* et s. Ioannes Chrysostomus (*hom.* 19. *in Matth.*) ait, hoc vitium esse malam bestiam, quae clam ingreditur, et cuncta bene orientia, intus maxima cum quiete, et absque ullo sensu perdentis exportare. Hoc experientia in semetipso deprehendit Gregorius, a quo tam valide se inadvertenter impetitum fuisse sensit, ut ad suffragia, et orationes aliorum quaerendas se converterit. Coepit ille opus illud insigne expositionis moralis in libri b. Iobi, et quidem sine dubio ad id agendum excitatus fuit Dei amore, et desiderio laudis, et gloriae ipsius, et id ipsam intendens, coepit, et prosequutus fuit opus; sed quid ad finem operis ei acciderit, nullus ipsomet poterit melius explicare: *Ad me*, inquit, *intrinsecus rediens, dum ipsam subtiliter radicem meae intentionis inspicio, Deo quidem ex ea me summopere placere voluisse cognosco, sed eidem intentioni, qua Deo placere studeo, furtim se, nescio quomodo, intentio humanae laudis interserit; quod, cum iam postmodum tandem discerno, invenio, me aliter agere, quod scio me aliter inchoasse. Sic etenim saepe intentionem nostram, dum ante Dei oculos recte incipitur, occulte sibi subiuncta, et eam velut in itinere comprehendens, intentio humanae laudis assequitur; sicut pro necessitate quidem cibus sumitur, sed in ipso esu, dum furtim gula subrepit, edendi delectatio permiscetur: unde plerumque contingit, ut refectionem corporis, quae salutis causa coepimus, causa voluptatis expleamus. Fatendum est igitur, quod rectam quidem intentionem nostram, quae soli Deo placere appetit, nonnunquam intentio minus recta, quae de donis Dei placere hominibus quaerit, insidiando comitatur:* et paulo inferius: *Lacerationem igitur vulnerum meorum non abscondo, et quisquis haec legerit, apud districtum Iudicem solatium mihi suae orationis impendat.* D. etiam Chrysologus iniquitatem huius vitii probe agnoscens, eloquenter et sapienter (*ser.* 7) dixit: *Inanis gloria subtile est malum, secretum virus, venenum latens, virtutum fucus, tinea sanctitatis.* Ac tandem eius malitiam latius describens, dixit: *Adversa omnia nituntur viribus suis, armis suis pugnant, et impugnant palam; unde et caventur tam facile, quam videntur: haec tamen crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum, ieiunium ieiunio perimit, orationem orationem evacuat, misericordiam miseratione prosternit.* Vide excellentem ponderationem, quam eisdem fere verbis sanctus Cyprianus prosequitur: *Res quaevis suis pugnat viribus contra sibi contrariam, et quanto unius vires fuerint fortiores, tanto alterius robur magis languescit; sed quis unquam vidit inimicum aliquem tanto maiores vires resumere, quanto ipsius inimicus potentior fuerit factus? Luxuria non sumit vires ex castitate, quae potius, quanto castitas fuerit potentior, redditur infirmior; avaritia non roboratur ex liberalitate, imo quanto haec robustior, tanto illa debilior; infirmitas non sumit vires ex sanitate, sed potius quanto sanitas validior, tanto infirmitas impotentior; inanis tamen gloria et superbia, quanto virtutes fuerint potentiores, tanto magis acuitur, et potentiore impetu insurgit, et ad mensuram, qua virtutes augentur, illius etiam augetur vis et impetus. Virtutes propterea truncat mucrone virtutum; nam ex earum excellentia vires resumit ad easdem obtruncandas, et ieiunio ieiunium perimit, quia ex ipso vires sumit ad ipsummet perdendum.* Quibus etiam consonant, quae d. Cyprian. (*lib. de ieiun. et tent. Christ.*) in haec verba scripsit: *Castigatio carnis spiritum inflat, et macies corporis extenuatum, arrogantem impinguat, contemptus venerationem veneratur; fames, et calamitas laudibus saturatur, mens hoc veneno imbuta in miseriis deliciatur, et occupata hac scabie in ulceribus gloriatur, et religio fit superstitio.* Id sane expertus est divus Augustin. qui, ut legimus (*epist.* 64. *ad Aurel. Episc.*), *quanto validius ad inanis gloriae inimicum expugnandum insurgebat, tanto illa potentius contra ipsum dimicabat; quia quasi ad aurem sibi haec verba dici videbantur: O quam excellenter inanem gloriam, et superbiam expugnas? quam eleganter eius malitiam ostendis? quam efficaciter eam fugiendam demonstras? Ecce ex ipsa, quam praestabat, inanis gloriae expugnatione, seipsum acrius ab illa impugnari sentiebat; atque eadem via, qua illam abiiciendam ostendebat, aditum illi aperiebat, ut ad se veniret.* Unde acute, et ingeniose, ut assolet, d. Chrysol. (*sermon.* 7) dixit: *Fratres, fugiendum est hoc virus, pestilentia haec cavenda, quae de remediis creat morbos, conficit de medicina languorem, sanctitatem vertit in crimen, placationem facit iratum, generat de propitiatione discrimen.* Atque hinc est, quod SS. Patres difficultatem experti ingentem in expugnando hoc inanis gloriae saevo tyranno, d. Augustinus dixit difficile, d. Bernard. mirabile, d. Gregor. rarum, d. Hieronym. quasi impossibile, oblatis humanis laudibus propter bonum opus, quod agitur, non delectari, et in eis non complacere. Concludo, verba illa (1. *Reg.* 12) recitans: *Nolite declinare post vana, quae non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana sunt*; sed omnes, cum bene operamur, pleno ore clamemus: soli Deo honor, et gloria per infinita saecula. Amen.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

HOMILIA XXI.

De verbi divini utilitate, et efficacia, varia erudilione disserimus, nec non de multiplici discrimine circa auditionem verbi Dei inter reprobos, et praedestinatos, in illa verba: Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.

Sapienter doctissimus Titus Bostrenorum Antistes adnotavit (*in comm. hui. loc.*), opportune satis Christum Dominum verba haec pronunciasse (*Luc.* 11): *Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud;* quando nimirum multi erant, qui eum non solum non audiebant, sed etiam eos, qui ad illum audiendum confluebant, acriter increpabant, in ius vocabant, et certis poenis mulctabant: illis autem verbis, et illos persecutores incredulos modeste reprehendit, et eos, qui audiebant, confortavit, omnesque ad audiendum sermones eius excitavit, nobisque ansam dedit, ut de utilitate verbi divini, et eius custodia sermonem instituamus. Sanctus Thomas (*lection. 6. sup. epist. ad Hebr.*) utilitatem verbi divini egregie praefiguratam agnoscit in buccinarum clangore, et Israeliticarum gentium clamore, quibus muri fortissimi Hierico penitus corruerunt, ut libro Iosue legimus: *Ibi enim, ait, moraliter Hierico interpretatur luna, sive defectus, et significat mundum istum; muri autem mundi sunt impedimenta, quibus aliqui detinentur in mundo: per buccinas, quibus Sacerdotes, et Levitae intonabant, vox praedicatorum significatur: per circuitum septem dierum, totus designatur decursus temporis praesentis, qui per septem dies complectur: per quae datur intelligi, quod omnia mundi huius impedimenta ad continuam vocem praedicationis cadunt:* ita s. Thom. Sane iuxta expositionem d. Anselmi (*super epist. 2. ad Corinth.*) cum *cap.* 10 Apostolus dicit: *Arma militiae nostrae non sunt, sed potentia a Deo ad destructionem munitionum*, interpretatur verba concionatoris, arma esse spiritualia, quibus animae hostes profligantur, et munitiones eorum destruantur, sed lucenter idem divus Paulus (*ad Ephes.* 6) dicens: *Galeam salutis accipite, et gladium spiritus, quod est verbum Dei:* imo, et Philo Iudaeus (*libro de Cherubin et flammeo gladio*) verbum Dei intelligit mystice significari per flammeum gladium: eruditi verba eius sunt haec: *Sermo flammeus gladius dicitur, quia fervens est igneus, nunquamque moveri desiit properans semper, expectando bona, fugiendoque contraria: an non vides, quod et sapiens ille Abraam, quando incepit iuxta Deum metiri omnia, nihil creaturae tribuens, accepit ad ignei gladii similitudinem, ignem et gladium?* (*Genes.* 2). *Resecare, et exurere quicquid mortale habebat, cupiens, ut expedita cogitatione sublimis ad Deum evolaret. At Balaam ille, id est, vanus populus, induitur inermis dexertor militiae, et belli imperitus: sic enim alloquitur asinam, hoc est, brutum vitae propositum, cui omnis insipiens insidet, si gladium haberem, iam te transfixissem* (*Num.* 22): *Gratia maxima conditori quae sciens imprudentiae rabiem, non dedit tanquam furenti gladium, verbi videlicet facultatem, ne quoscunque obvios magna clade conficeret;* haec ille.

Deinde in eo mirifice verbi divini utilitas effulget, ut nulla sit prava animi affectio, nullus spiritualis morbus, cui mederi non valeat, praesentissimum ei conferens remedium. Die, obsecro, ingreditur quis huc, tristitia et negotiorum solicitudine oneratus, et ingressus huc, ita moerore obrutus est statim, ut audivit prophetam dicentem (*Psa.* 41): *Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, et Deus meus?* sufficienti consolatione suscepta, abit, et omnem illam mentis tristitiam excutit. Alius item extrema premitur inopia, gravatim fert, et moeret, videns alios affluere, et valde inflari, et magno apparatu, ac pompa stipari: audit et hic eundem prophetam dicentem (*Psal.* 54): *Iacta in Dominum soliciudinem tuam, et ipse te enutriet;* et iterum (*Psal.* 48): *Ne timeas, cum ditatus fuerit homo, et cum multiplicata fuerit gloria domus eius, quoniam cum interierit, non sumet omnia.* Est et alius quoque, qui insidias, et insuavem putat vitam; nusquam humanum invenire valens auxilium, docetur et ab eodem propheta in talibus angustiis non ad humanum praesidium confugiendum. Unde (*Psal.* 108) dicit: *Ipsi detrahebant mihi, ego autem orabam:* alii dolos plectebant, ego autem ad inexpugnabilem murum confugio, ac tutam anchoram ad portum, fluctuum expertem, preces, inquam, per quas omnia difficilia levia, et facilia mihi fiunt. Alius ab amicis contemnitur, et hoc est, quod mentem eius maxime conturbat, sed et hic, si huc veneril, audit beatum illum dicentem: *Amici mei, et proximi mei adversum me appropinquaverunt, et steterunt, et eim faciebant, qui quaerebant animam meam, et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates, et fraudulentias tota die meditabantur.* Vidisti struentes insidias usque ad mortem ipsam, et perpetuum bellum gerentes, quia hoc indicat, tota die, hoc est, per totam vitam. Quid ergo ille interim egit, has possus insidias? *Ego autem,* inquit, *quasi surdus non audiebam, et quasi mutus non aperiens os suum, et factus sum, quasi homo non audiens, et nos habens in ore suo redargutiones:* illi dolos struebant, ipse aures obturabat, ne audirel: illi omni tempore non cessabant linguam acuere, et vanitates, et fraudulentias meditari; hic autem silentio illorum insaniam comprimebat. Vidisti, quomodo quacunque calamitate humanam naturam premente, conveniens ex Scripturis antidotum accipere liceat, et omnis vitae huius repellatur cura, ne ab ullo, quod accidit, gravemur. Atque huc faciunt verba divi Augustini (*lib. 9. contr. Rodom. Manich. tom. 6*), ubi explicans verba illa (*Prov.* 6): *Vade ad formicam, o piger,* haec dicit: *Illud de formica ita positum est, ut sicut illa aestate colligit, unde in hyeme pascatur, ita unusquisque christianus in rerum tranquillitate, quam significat aestas, colligat verbum Dei, ut*

in adversitate, et tribulationibus, quae hyemis nomine significantur, habeat, unde spiritualiter vivat: non enim in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei. Concinunt eisdem praeclara verba divi Bernardi (*serm. de mult. verb. Dei*), dum ait: *Licet mortuus in peccato, si audieris vocem Dei, vives: sermo enim, quem loquitur, spiritus, et vita est. Si cor tuum induratum est, memento Scripturae dicentis: Emittet verbum suum, et liquefaciet ea. Si tepidus es, et ceroni iam formidas, non discedas ab eloquio Domini, et inflammabit te, quia eloquium eius ignitum valde. Quod si tenebras ignorantiae plangis, diligenter audi quid loquatur in te Dominus Deus, et erit lucerna pedibus tuis verbum Domini, et lumen semitis tuis. At fortassis tanto amplius doles, quanto clarius peccata etiam minima illuminatus agnoscis: sed sanctificabit te Pater in veritate, quae est utique sermo eius; ut inter Apostolos audire merearis: Iam vos mundi estis propter sermonem meum. Iam vero cum laveris manus tuas, ecce paravit in conspectu tuo mensam, ut non de solo pane vivas, sed ex omni verbo, quod procedit de ore Dei, et in fortitudine cibi illius curras viam mandatorum Dei, ubi, si consistant adversum te castra, et procelvium tentationis insurgat, arripe gladium spiritus, quod est verbum Dei, et in eo facile triumphabis. Quod si forte, ut est certaminis consuetudo, contigerit aliquando vulnerari, mittet verbum suum, et sanabit te, et eripiet de interitionibus iniis, ut in te quoque impleatur, quod ait Centurio: Domine dic tantum verbo, et sanabitur puer meus. Sed si titubas adhuc, clama ad Dominum, et in verbis tuis confirmabit te, ut experimento discas, quoniam verbo Domini coeli firmati sunt, et spiritu oris eius omnis virtus eorum. Si trepidas, nesciens, utrum amore, vel odio dignus sis, tunc maxime, memor esto verbi tui servo tuo Domine, in quo mihi spem dedisti, ut ab auditione mala non timeam.* Ac tandem verba illa Apostoli (*ad Hebreos cap.* 4): *Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti,* quamvis de Verbo ipso increato illa intelligant in commentario illius loci divus Ioannes Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius, imo et divus Ambrosius (*in cap.* 66. *Isai.*), quae expositio est valde conformis sequentibus verbis: *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu eius, omnia autem nuda et aperta sunt oculis eius;* nihilominus tamen divus Ambrosius (*lib.* 3. *de Virgin.*), et divus Augustinus (*epist.* 58), secuti Origenem (*hom.* 13. *super Num.*), illa interpretantur de verbo creato. Unde Theodoretus (*in cap.* 3. *Cantic.*) gladii similitudinem de verbo Dei agnoscit in illis verbis: *En lectulum Salomonis sexaginta ambiunt de fortissimis Israel, uniuscuiusque ensis super foemur suum:* ubi sapienter observavit huiusmodi viros binos gestare gladios, unum super foemur, in manu alterum, unum videlicet reprehensionis, et alterum intelligentiae: illum in promptu ad coarguendum, hunc mysticum, et tamquam in vagina reconditum ad mysteria pervestiganda. Atque hinc Philo Episcopus Carpasius (*tractat. suo in Cant.*), et refertur (*in app. Biblioth. sanct. Pat.*), per ensem, seu gladium, verbum Dei intellexit. Quicumque verbum Dei corde, et opere complent, hi sunt fortissimi pugnatores; hi sunt, qui in manibus suis, hoc est, rectis operibus propriae conscientiae, gladium suum tenent, non alienum: non enim alienis precibus solummodo praefidunt, sed carnem suam cum vitiis omnibus, et concupiscentiis mactant; ob idque ensem super foemur suum tenere dicuntur: nam foemur carnis illecebras, et voluptates significat. Illud autem gladius divini verbi singulare habet, quod cum alii omnes feriant, et occidant, et vitam auferant, hic mortuos ad vitam revocet. Propterea enim Christus Dominus dixit (*Ioan.* 5): *Amen dico vobis, quia venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei; et qui audierint, vivent.* Scio divum Ioannem Chrysostomum, et Euthymium verba haec de mortuis iam iam per Christum excitandis, et ad vitam revocandis exposuisse: mortui enim dicuntur audisse vocem, quia virtus vocis Christi Domini in eos pervenit, resurrectionem in illis operando: voce enim, velut divinitatis instrumento utetur, ut cum dixit: *Lazare veni foras.* Verum in sensu spirituali divus Augustinus (*lib.* 20. *de Civ. Dei capit.* 6. *et serm.* 64. *de verb. Dom. et tractat.* 22) verba illa interpretatur de mortuis morte peccati, qui praedicatione verbi Christi ad gratiae vitam revocati sunt: ecce quomodo cum alii gladii trucident, et occidant, gladius verbi Dei vivificat, et resuscitat, in quo certe mira eius effulget et utilitas, et efficacia.

Ceterum, inter alia, quae hanc efficaciam verbi divini luculenter ostendunt, est colloquium illud Abrahami cum divite, in tormentis ab eo exigente, ut mitteret Lazarum ad fratres convertendos verbis suis; in hunc enim modum illi respondit: habent Moysem, et prophetas, audiant illos. Et cum ille replicassel: non, Pater Abraham, sed, si quis ex mortuis ierit ad eos, poenitentiam agent; cui Abraham, si Moysen, et prophetas non audiunt, neque, si quis ex mortuis resurrexerit, credent. Ecce, quam magna sit verbi Dei efficacia; cuius virtutem tantam esse agnovit Abraham, ut non dubitarit dicere, quod etiam si quis ex mortuis ad illos veniret, et enarraret horribilia gehennae tormenta, quae ipse patitur, non maiorem haec narratio habitura esset efficaciam, quam verbum Dei praedicatum a Moyse, et prophetis. Certe viva vox habet nescio quid latentis energiae. David sapientissimus erat, et magnam Dei cognitionem attigerat, et divinis revelationibus donabatur; nihilominus haec omnia nihil ei profuerunt toto tempore, quod in peccato vixit; sed tamen protinus ut ad eum venit Nathan propheta, ad vivam vocem praedicantis conversus est. Similiter et Nabuchodonosor contemplabatur illam arborem, quae statum suum designabat, nihil tamen ipse hac cogitatione movebatur; sed, cum adiuncta fuit visioni, et contemplationi viva vox prophetae Danielis, poenitentiam egit. Doctus erat Paulus in lege, qui praeclara didicerat ad pedes Gamalielis, sed haec nil ei profuerunt; cum autem vivam vocem de coelo dicentem: *Saule, Saule cur me persequeris?* audivit, statim attonitus et stupefactus cecidit, dicens: *Domine,*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

quid me vis facere? vide quomodo illum, quem Scripturae lectio, et libri non converterant, vox praedicantis convertit. Verbum Dei non solum eum, qui in peccatis iacet, iustum efficit, sed etiam iustum pascit, alit, et sustinet. Ne autem a verbis Christi Domini recedamus (*Luc.* 11): *Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud*, satis utique mira eius efficacia in eo delegitur, quod beatos eius auditores reddat. *Beati qui audiunt verbum Dei.* Hoc genus beatitudinis considerans David (*Psalm.* 126) dixit: *Sicut sagittae in manu potentis, ita filii excussorum. Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis, non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta.* Cassiodorus (*in comm. hui. loc.*) per filios excussorum, seu, quod idem est emissorum, intelligit praedicatores verbi Dei, qui quasi sagittae excussi sunt a Deo, ut verbis suis, velut sagittarum spiculis, corda penetrent audientium. Ait ergo: *Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis*, vel ut Originale Hebraeum legit: *Beatus vir, qui implevit pharetram suam ex ipsis*, id est, qui verborum sagittas, quas emittit concionator, in pharetra cordis sui recondit, et quibus postea occurrentibus occasionibus, velut armis, ab inimicis se tuetur. Offert se alicui occasio inusti lucri: memor autem verbi Dei: *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?* a peccaminoso illo lucro se abstinet. Offert se occasio vindictam sumendi ab inimico, memor tamen verbi Dei: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos*, vindictae desiderium compescit. Offert se tandem occasio explendae libidinis, quae quis acriter vexatur, memor tamen verbi Dei (*Apoc.* 2. *c.* 12): *Vincenti dabo manna absconditum*, libidinis tentationem gloriose vincit. Et igitur, qui hoc modo se gerit, convenit, quod David ait (*Psal.* 126): *Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis*; nec non et id, quod sequitur: *non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta.* Portam dicit mortem: nam per illam ex hac vita egredimur, et in aliam ingredimur. In hac porta conveniunt nos hostes infernales, et vehementer accusant coram Deo; tunc vero non confundetur legitimus verbi Dei auditor, cum ostenderit, sagittis verbi Dei, quibus pharetram cordis sui impleveral, immissas ab eis tentationes superasse.

Porro observandum maxime est, quod, cum Christus Dominus dixit (*Luc.* 11): *Beati qui audiunt verbum Dei*, continuo adiecit, *et custodiunt illud*: quia audire, et non custodire, nihil deservit ad vitam aeternam custodiendam, Apostolo dicente (*ad Rom.* 2): *Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur:* quibus consonant illa d. Iacobi (*epist. cap.* 1): *Estote factores verbi, et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos, quia, si quis auditor est verbi, et non factor, hic comparabitur viro, considerantl vultum nativitatis suae in speculo: consideravit enim se, et abiit, et statim oblitus est, qualis fuerit;* quasi dicat, qui audit verbum Dei, et non custodit, perinde est, ac ille, qui intuens in speculo vultum suum maculatum, maculas non curat abstergere. Hinc Divus Ioannes (*Apocal.* 1) postquam dixerat: *Beatus qui legit, et audit verba prophetiae huius*, continuo subiunxit: *Et servat ea, quae in ea scripta sunt:* quod idem mihi delineasse videtur propheta Ezechiel (*cap.* 10) cum dixit: *Apparuit in cherubim similitudo manus hominis subtus pennas eorum*: etenim cherubim interpretatur plenitudo scientiae: pennae etiam symbolum sunt doctrinae, et speculationis; per manus autem, quibus operamur, nemo ignorat opera significari: per coniunctionem ergo manuum cum pennis cherubim aperte docemur, copulanda nobis esse opera cum doctrina verbi divini, quia audire, et non custodire, maiorem potius condemnationem affert, ut divus Petrus docuit (*epist.* 2. *cap.* 2) dicens: *Melius erat illis non cognoscere viam iustitiae, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato;* hinc d. Ioan. Chrysostomus audidores suos in hunc modum erudite, et sapienter hortatur: nam (*hom.* 78) praeclara haec scripsit: *Nos hoc solum requiritur, charissimi, ut per singulos dies huc conveniamus, et de eisdem audiamus continue, si in nihil ex eo, quod hic assidue convenimus, admonemur: hoc enim non solum nihil nobis prodesset, verum maioris fieret occasio damnationis, cum neque iracundus mitis efficiatur, nec in benignitatem invidus se reducat, neque pecuniarum captus insania, a vitio desistens, ad misericordiam, et pauperum se transferat sustentationem; neque impudicus continens evadat, nec superbus inanem gloriam contemnere discat, veramque perquirere gloriam, nisi hos supremos morbos per singulos dies huc convenientes, et continue vacantes auditioni, tantamque consequentes doctrinam: quae nobis erit venia? quaenam excusatio? dic quaeso, si tu videas, filium scholam petentem, et temporis simili progressu nihil inde lucrantem, nunquid patienter feres? nonne flagella puero infliges? et praeceptorem accusabis? quod si postea noveris a praeceptore nihil esse praetermissum, sed omnium causam fuisse pueri negligentiam, nonne causa liberans praeceptorem, omnem in puerum transferes indignationem? Idem et hic fieri iustum est, nos enim quodammodo sumus a divina gratia constituti praeceptores, quasi spirituales filios ad hanc scholam quotidie vocantes, salutarem vobis doctrinam apponimus, non quae veniant ex propria mente loquentes, sed documenta nobis a Domino per divinas donata Scripturas in medium proponentes: si nobis itaque omne studium exhibentibus, vos in eisdem permanentis, quantus nobis erit dolor? quanta vobis damnatio? cogitate. Licet enim nos insontes faciat, quod nihil ad vestram aedificationem congruum emiserimus; verumtamen quia vestrae salutis curam gerimus, non possumus aeque tolerare, quia, cum praeceptor, cum discipulum viderit ex studio suo proficientem nihil, non mediocriter dolet, sese frustra laborasse conspiciens;* ita sanctus Ioannes Chrysostomus, et (*in cad. hom.* 1) si medelam, et multa remedia a medico adhibita, aegrotus sumere non acquiescat.

Ceterum, observatione etiam dignum arbitror in hoc genere argumenti, quod, cum nemo absque speciali Dei revelatione, agnoscere possit, an in praedestinatorum felicem sortem sit adnumeratus, et in libro vitae scriptus, ut aeterna fruatur vita; illud reliquum est solaminis, si quis signa quaedam aeternae praedestinationis a sacris eloquiis probata in se experiatur. Inter haec Christus Dominus annumeravit, libenter audire verbum Dei: *Omnis qui ex Deo est, verba Dei audit.* (*Ioan.* 8); cui consonant verba divi Lucae (*Act.* 14): *Audientes gentes, gavisi sunt, et glorificabant verbum Domini, et crediderunt quotquot erant praeordinati ad vitam aeternam.* Certe sustinere triduo docentem Iesum, nec habere, quod manducet, ut quondam turba illa, sedere ad pedes Christi, ibique cum Magdalena audire verbum Dei, nec ab ore loquentis pendentem posse avelli, non ob ministeria domestica, non ob murmur sororis, non pene ob fastuarium, uti nec sic Diogenes ab Antisthene abigi aliquando potuit, ego praedestinationis indicium valde apparens esse sentio. Non ignorabat hoc David cum (*Psal.* 38) dixit: *Aures autem perfecisti mihi:* quae verba d. Hieronymus ex Hebraeo vertit: *Aures fodisti mihi;* hoc est, servum me tuum in perpetuum fecisti, iuxta id, quod (*Exod.* 21) de servali dicitur: *Servi perpetui signum erat, auris perforatio;* ita servi Dei perpetui signum est auris ad divina verba obedienter excipienda aperitio, ad audienda vero daemonis, mundique verba occlusio. Incircumcisas Iudaeorum aures Hieremias vocat (*c.* 6). Incircumcisae autem aures illae sunt, quae ad verba noxia audienda circumcisae non sunt, quae mundum, daemonemque, veluti prophetas falsos, ac mendaces audiunt. *Cui loquar*, ait Dominus (*Hier.* 6), *et quem contestabor, ut audiat? ecce incircumcisae aures eorum haec audire non possunt.* Theodoretus: *Vocat*, inquit, *aures incircumcisas, quae sine discrimine excipiunt omnia.* Illud est discrimen, inter alia multa, inter reprobos, et praedestinatos, quod praedestinati audiunt verbum Dei, ut ei obediant. Cum enim Christus Dominus dixit (*Ioann.* 8): *Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam*, auditionem verbi sumpsit ibi pro adimplenione eius: alioquin non statim subderet: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis:* nam illi etiam audiebant, sed quia non parebant auditis, ideo non audivisse dicuntur: illi ergo ex Deo sunt, illi electi, et praedestinati, qui audiunt verbum Dei, et illi obedient; reprobi autem audiunt verbum divinum, convertentes illud in concentum, aures suas demulcentem, ut (*Ezec.* 33) dixit: *Filii populi tui audiunt sermones tuos, et non faciunt eos, quia in cantico oris sui vertunt illos; et ex eis quasi carmen musicum faciunt, quod suavi, dulcique sono canitur.* Egregia sane similitudo: nam sicut qui suavissimam audit musicae harmoniam, instrumenti sono, ac voce solummodo delectatur; facta vero illustrium virorum, quae in cantico concinuntur, non intendit imitari; sic plurimi conciones audiunt, qui praedicatoris stylo, dicendique modo delectantur, nec vero ad doctrinam, quam praedicat, attendunt, illam enim imitari non intendunt: quos in hunc modum d. Ioan. Chrys. carpit (*hom.* 2. *ad Pop.*): *Non est theatrum Ecclesia, ut ad delectationem audiamus, auditores hinc oportet recedere lucratos amplius: temere enim, et frustra hinc proficiscemur; si ad tempus refrigerati, sic recesserimus vacui, et dictorum utilitate inanes facti;* ita ille. *Infelicem se mercator iudicat, si in forum negotiandi causa progressus, inde sine lucro in domum redierit: forum spirituale est Ecclesia, et nos mercatores sumus bonorum aeternorum; propter huius mercaturae lucrum in Ecclesia concenimus: stultus sane est, qui sine lucro, sola auditus delectatione contentus, recesserit. Sed, proh dolor, multi sunt hi stulti, qui ad audiendum verbum Dei non accedunt, ut id, quod concionator monet, faciant, sed, ut concionatoris eloquentia, et ratiocinandi acumine recreentur, quos ego non inco cagruecompararim otiosis pueris, qui ex silice ferro ignem excutiunt, non ut ignem accendant, sed ut videant, quomodo evolent scintillae, et eax salientes contemplentur; percutiunt silicem, et vix scintilla exiliveit, cum clamant: en, ut haec scintilla volavit? percutiunt iterum, ut aiunt: plus ista volavit; sed quamvis plures iterent ictus, nunquam tamen ignem accendent, quia escam non admovent silici, nam si admoverent, ignem statim conciperet. Auditorum intellectus est tanquam silex, praedicatores vero sunt tanquam ferrum, hoc est estacum. Vos igitur auditores huc conventis, ut praedicatores suis vocibus, et aures, et animos vestros feriant, non ut charitatis ignis in vobis accendatur, sed ut videatis quaenam scintillae plus evolent, quisnam in verbis ornatior sit, quis in rebus plus eruditus, quis in gestu venustior, quis in pronunciatione clarior, et decentior, et ita dicitis: plus volat hic, quam ille, melior est hic praedicator, quam ille, et nunquam divini amoris ignem accenditis, quia non applicatis escam, quae est voluntas, ut ignem concipiat; nam si, cum intellectus, quod praedicator docet, apprehendit, statim voluntas tanquam esca illud amplecteretur, et amaret, magnus in animis vestris ignis excitaretur.* Sed audiamus iterum divum Ioan. Chrys. hos curiosos, magis quam religiosos verbi divini auscultatores in haec verba reprehendentem (*hom.* 38. *ad Popul.*): *Hoc Ecclesiam subvertit, quod non quaeritis sermonem compunctivum audire, sed qui delectare valeat, et verborum compositionem, tanquam cytharoedos, et cytharistas auditis, et nos sequiter, et aerumnose facientes, vestras sequimur concupiscentias, cum illas excidere opus esset, et idem sit, ac si pater aliquis frigido, et molli filio, licet aegrotanti, placentam offerat, et aquam frigidam, et quae dumtaxat delectare solent, utilium vero nullam ingerat curam, et postea a medicis incusatus, se purget dicens, quid faciam? ille ita cupiebat miser, et infelix, et proditor, neque enim huiusmodi patrem dixerim: et quanto melius est, bene contristatum, semper incolumem reddere, quam momentaneam hanc laetitiam continuae moestitiae facere materiam; haec et nos patimur, verborum fucos conquirentes, et compositionem, et elegantem iunctuam, ut delectemur, non ut proximus, attendimus, quomodo videamur admirabiles, non quomodo*

UNIVERSIDAD DE CUENCA

mores componamus: credite mihi, vera dico, dum mihi applauditur dicenti: per ipsum tempus, humanum aliquid patior: cur enim non verum fateor, et exulto, sed postquam domum ingressus, plausores nihil adiutos cogitavero, et si quid profecisse debebant, per plausum et laudes amisisse doleo, gemo, lugeo, et tanquam omnia temere dixerim, sic afficior, et mihimetipsi dico: quae mihi sudorum utilitas, cum nihil lucrati sint auditores? omne igitur studium, fratres, ad dicta suscipienda praestetur. Unde deridendus est auditor, qui apud alios, bene, inquit, concionator dixit, quid vero dixerit, pronunciare non sum idoneus: hoc quidem assentationis est. Nam cytharoedos quidem audiens, hoc iure potiretur, utpote qui dictionem similiter proferre nesciant, ubi vero non caula est ostentatio, neque vocis, sed sententiarum, et philosophiae facultas, cuique dicere erit facile, quomodo igitur non accusatione dignum est, si quis laudans causam nequeat dicere, quam dicens laudavit; hactenus d. Ioan. Chryso.

Hoc idem discrimen inter praedestinatos, et reprobos pulchre delineatum reperio in metaphora cibi. In sacris literis satis perspicuum est, verbum Dei cibum, et alimentum animae vocari (*Amos.* 8): *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et mittam famem in terram, non famem panis, nec sitim aquae, sed audiendi verbum Domini.* Sane fami satisfieri non potest, nisi per cibum, et (*Matth. cap.* 4) Christus Dominus dixit: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Unde divus Hieronymus (*in Matt.* 4): *Si quis,* inquit, *non vescitur verbo Dei, iste non vivit.* Et divus Augustinus (*serm.* 56, *de temp.*): *Certissime,* inquit, *scitote, quia qualis est caro, quae post multos dies percipit cibum, talis est anima, quae assidue non pascitur verbo Dei. Quomodo caro per famem sicca, et tenuis, veluti quoddam simulacrum efficitur, et inutilis, et ad nullum opus bonum congrua inventur. Itaque, sicut cibus est necessarium alimentum, quo natura ad sui reparationem indiget; nam cum perpetuo per insensibilem evaporationem, actionemque caloris naturalis humidum radicale consumatur, natura per fauces affectionem, quasi clamat, petens necessarium cibum, ne nativus calor extinguatur, sicuti lampas, si non superfundatur oleum; ita similiter et anima propter continuum concupiscentiae ardorem, et labores, quos patitur, minuitur viribus, et deficere aliquando videtur, ideoque oportet ei cibum verbi divini praeparari, cuius continua subministratione reparentur vires, et facultates roborentur; et sicut ad hoc, ut cibus nutriat, ac deperditum calorem restauret, non sufficit illum deglutire, sed necesse est, ut stomachus illum retineat, coquat, ac digerat, et in reliquas corporis partes dispertiat; ita, nisi cor animi cibum, quod est Dei verbum, conservet, intelligat, consideret, et in actiones hominis distribuat, quid proderit? Verbum Dei non retinere est cibum sumptum evomere, quod imbecillis admodum est stomachi.* Unde d. Gregor. (*hom.* 15, *in ecang.*): *Cibus,* ait, *est sermo Dei, et quasi receptus cibus stomacho languente resicitur, quando auditus sermo in ventre memoriae non teneatur: sed quisquis alimenta non retinet, huius profecto vita desperatur; tales sunt reprobi. Cor autem bonum et optimum, cuiusmodi est iustorum, et praedestinatorum, stomachus est animi validus, et alimenta retinet, considerando coquit, et in cunctas dispergit actiones; nam cor per verbum Dei, actiones, negotiaque omnia moderatur, et dirigit.* Unde de homine sapiente ait Ecclesiasticus (*Prover.* 20): *Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis;* non in ore corporis, sed in ore cordis: quare hortatur idem Sapiens (*Prover.* 3): *Fili mi, ne obliviscaris legis meae, et praecepta mea cor tuum custodiat.* Hi revera audiunt verbum Dei, non, ut statim obliviscantur, sed, ut postea meditentur in lege veteri, ut Levitici (*cap.* 11) animalia, quae ruminabant cibum, munda erant; in lege vero nova, animae quae verba Dei audita meditantur, et quasi in propriam substantiam actione convertunt, ad magnam munditiam perveniunt. Hunc esse illius legis spiritum d. Prosper. (*sent.* 103) manifeste testatus est: *Verbi auditor,* inquit, *similis esse debet animalibus, quae ob hoc, quod ruminant, munda esse dicuntur, ut non pigeat cogitare, quae in alvo cordis accepit, et cum audit, sit similis ruminanti.* Affert certe ruminatio haec varias utilitates. Nam primo hac ratione prohibentur inutiles, ac noxiae cogitationes, quas otiosae, vel vacuae menti diabolus solet suggerere. Cum enim duas res simul cogitare non possimus, si, ut aliquid aliud cogitando, non cogitemus immunda, inquit d. Gregorius, si autem huiusmodi cogitationes accedant, facile abiguntur, cum iam alii hospites mentis nostrae domicilium occupaverint. Deinde, ita percipitur, ac sentitur suavitas doctrinae sacrae seu rerum divinarum, de qua propheta David (*Psalm.* 118): *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo,* et ibidem, *narraverunt mihi iniqui fabulationes,* seu delectationes suas, ut legit divus Augustinus, quas habent in vanitatibus, ac voluptatibus suis; *sed non ut lex tua.* Suaviores enim, ac solidiores sunt, quae percipiuntur ex meditatione legis Domini, de qua et sanctus Augustinus, affectiones habet tabula, theatrum, venatio, aucupium, piscatus, et non habeant opera Dei, et non habeant meditationes Dei interiores quasdam affectiones suas? ex hac delectatione, in meditatione percepta, sequitur alia utilitas, quod homo iam inciteiur ad ipsum bonum, quo delectatur, exequendum, unde propheta David (*Psal.* 83): *Dominus dabit suavitatem,* ita legit divus Augustinus (*in Psal.* 118): *Et terra nostra dabit fructum suum.* Et in illum Psalmum (*concion.* 8, *lib.* 2. *cap.* 9, *cont.* 2. *epist. Pelag.*): *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. Cordis dilatatio,* inquit divus Augustinus, *iustitiae est delectatio; sine qua non solum non perficitur, sed nec inchoatur bonum ex nobis.* Denique haec ruminatio, seu mentis consideratio hanc affert utilitatem, quod hominem, etiam exurgente tentatione, in opere bono confirmet, ac conservet: *Scriptum est,* inquit divus Augustinus, *cogitatio sancta conservabit te.* Cogitatio praesentiae Dei conservavit Susannam matronam pudicissimam, ne tentationi succumberet, qua ad impudicitiam solicitabatur, proposita etiam infamia, ac morte, ni consentiret: *Melius est mihi,* inquit, *absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini.* Cogitatio potentiae, ac iustitiae Dei conservavit Eleazarum nonagenarium senem, ne tormentis cederet, cum iuberetur carnes porcinas contra legem Dei manducare: vel saltem hoc simulare, ut mortem, et alias poenas gravissimas evaderet: *Etsi,* ait, *in praesenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manum omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugiam.* Quid Machabaeos fratres variis, acerrimisque poenis fecit superiores? cogitatio utique futurae remunerationis, ac gloriosae resurrectionis, quorum unus constanter ad tyrannum: *Tu quidem, sceleratissime, in praesenti vita nos perdis, sed rex mundi defunctos nos pro suis legibus, in aeternae vitae resurrectione suscitabit.* Et alter linguam, ac manus postulatus, ut amputarentur, cum fiducia aiebat: *E coelo ista possideo, sed propter Dei leges nunc haec ipsa despicio, quoniam ab ipso ea me recepturum spero.* Cogitatio novissimorum Davidem regem conservavit a gravi lapsu, ad quem propendebant pedes eius, cum videret afflictionem bonorum, et peccatorum pacem, ac prosperitatem: *Existimavi,* inquit, *ut cognoscerem hoc:* id est, conatus sum, hoc intelligere, cur boni affligantur, mali prosperentur? *labor est ante me,* id est, exorta est mihi difficilis quaestio, et solvi non potest; *donec intrem in sanctuarium Dei, et intelligam in novissimis eorum:* ibi enim, inquit divus Augustinus: *Cognoscebat, et considerabat totum genus humanum, omnem istam massam mortalitatis venturam esse ad examen, venturam ad librum, ubi appendentur opera hominum: cuncta modo nubes involvit, sed Deo cognita sunt merita singulorum. Ibi manifestabuntur, ut mali aeterna supplicia, boni vero aeterna recipiant praemia.* Quia tamen non sufficit mandere, ruminare, imo et digerere cibum, nisi postea in alimentum conversus, distribuatur per omnia corporis membra, ut vires singulis praestet ad propria munia exercenda, oculis ad videndum, manibus ad palpandum, pedibus ad deambulandum, et sic de reliquis.

Hoc etiam est discrimen inter praedestinatos, et reprobos, probos, et pravos divini verbi auscultatores, quod probis, et praedestinatis prodest cibus verbi divini ad petulantiam sensitivarum potentiarum compescendam, et ad effrenem earum concupiscentiam in officio continendam: oculis prodest ad modeste, et caute videndum, manibus, ut a prohibita tangendo arceantur, pedibus, ut ab iniquis gressibus abstineant, ac tandem omnibus potentiis vires suppeditat, ut animae noxia submoveant, et Creatori suo perseveranter inserviant. Atque hinc intelligenda veniunt verba illa d. Ioannis capite 10. suae Apocalyp. cui, cum datus esset liber in cibum, ut illum comederet, dixit (*Apoc.* 10): *Et erat in ore meo, tanquam mel dulce, et cum devorassem eum, amaricatus est venter meus:* etenim, licet multi interpretes existiment, librum hunc significare vaticinia rerum futurarum extremis mundi temporibus, quem in ore quidem dulcem, in ventre autem amarum sensit Ioannes; quia primum fuit ipsa rerum praenotione creatus, sed paulo post amplius in earum contemplatione versatus, cerneusque terribilia illa iudicia, quae adhuc manent mortales, incredibilem animo concepit dolorem. Angelicus tamen doctor (*in commentario huius loci*) interpretatur librum hunc, verbum Dei esse auditum, quod, quia rationi superiori animae suave est, tanquam mel dulce in ore suo esse dixit; quia tamen sensualitati et carni, quam coercet, displicet, et insulsum illi est, ideo subiunxit, amarum fuisse ventri eius. Certe, quod verbum Dei sit rationi, palam cecinit regius Vates (*Ps.* 118): *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo:* in quem locum divus Hieronymus (*in Ps.* 118) expendit, non sine mysterio dictum esse faucibus, quia nimirum traiecto per guttur melle, vel alio cibo palatum nullum ultra saporem habet; at vero divina eloquia sive in ore, sive in faucibus semper sunt dulcia meditantibus. Notavit quoque Remigius non solum dictum esse faucibus, sed etiam ori: quia divina verba praedicatores tunc sentiunt in faucibus dulcia, cum ex ipsis aedificationi propriae sudent; tunc vero in ore, cum eorum dulcedinem aliis etiam eructant, et communicant. Denique divus Ambrosius explicavit adhiberi mellis similitudinem: quia, *sicut,* inquit, *ori amara, quae febribus, vel aliis aegritudinibus acciderunt, mel mitigat, ita moesta, et tristia corda ob delictorum poenitentiam, divino sermone dulcescunt.* Quod vero sensualitati et carni verbum Dei videatur acerbum, inde proficiscitur, quod carnis rebellionem comprimat, depravataeque naturae licentiam compescat; qua quidem in re divinum verbum est pilluliae cuidam inauratae quam simillimum, quae dulciaris involuta in ore quidem dulcescit, sed postea ventrem, universumque corpus commovet, nec sine molestia, et nausea pravos humores pellit, et sanitatem affert: atque ad hoc ipsum significandum vir ille, qui Ezechieli (*cap.* 1) apparuit, cum in superiori parte esset ex electro, in inferiori tamen totus erat igneus: quia Deus superiori quidem mentis nostrae parti totus est dulcis, instar electri, amorem nostrum blande concilians; in inferiori autem igneus, hoc est, omnem inferioris partis corruptionem severe non sine sensu doloris adurens. Unde d. Augustin. (*homil.* 8. *in Apocal.*) explicans praedictum locum Ioannis, dixit: *Cum perceperis verbum Dei, delectaberis eloquii divini dulcedine; sed amaritudinem senties, cum praedicare, et operari coeperis, quod intellexeris, sicut scriptum est: Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.*

E contra vero reprobi, ac pravi verbi divini auditores, licet verbi divini esca cibentur, illam tamen non retinent, non decoquunt, sed facile evomunt; ut enim Ecclesiastes (*cap.* 21): *Cor stulti quasi vas confractum, et omnem sapientiam non tenebit.* Unde, sicut cibus, quem quis evomit, nullas corporis membris vires subministrat, ita cibus verbi divini nihil illis prorsus prodest ad infrenandos sensus, ac pro-

prias concupiscentias resecandas. Quare de illis David (*Psalm.* 100) dixit: *Omnem escam abominata est anima eorum, et appropinquaverunt usque ad portas mortis.* Per hoc verbum omnem escam Dei verbum significatur, quod esca est perfecta: phrasis enim est sacrae Scripturae, hoc verbum omne pro perfecto accipere: ita illud divi Pauli (1. *Tim.* 1) intelligitur: *Ut in me ostenderet Christus Iesus omnem patientiam*; id est, perfectam patientiam, et quoties in suis epistolis ait: in omni patientia, intelligi debet in perfecta patientia: et illud (*Sap.* 16): *Panem de coelo praestitisti illi, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem*, omne delectamentum, id est, perfectum: ita hic omnem escam, id est, perfectam escam. Et cum Dei verbum esca sit tam perfecta, et animis tantae utilitatis, certe eam abominari, est mortis, et aeternae condemnationis portis propinquum esse, non obscurum signum, atque adeo in numerum reproborum esse redactum, etc. Atque ad hoc mihi respexisse videtur d. Ioannes Chrysostomus (*homil.* 4. *in Gen.*) dum ait: *Videns alacrem, et quotidianum vestrum in hoc templo conventum, magnam percipio voluptatem, misericordemque Deum in profectu vestro glorificare non cesso. Nam, sicut esurire, sanitatis corporalis indicium est, ita et studio magno audire divina eloquia bonae animae valetudinis certissimum est argumentum. Is enim Domini nostri mos est, ut quoties videt animam aliquam multo desiderio, promptitudineque intenta spiritualibus inhiantem, liberaliter illam gratia, et opulentis donis suis locupletet.* His addo ex divo Bernardo discrimen aliud ex metaphora cibi depromptum inter praedestinatos et reprobos: ille enim docens, quod aliter reprobis, aliter electis verbum Dei sapit, sic exorditur: *Legimus in Evangelio, quod, praedicante Domino, dixerint, durus est hic sermo, et ex hoc iam non fuerint cum eo: interrogati vero discipuli, an et ipsi vellent abire? Domine, inquiunt, ad quem ibimus? verba vitae aeternae habes. Ita dico vobis, usque hodie quibusdam manifestum est, quoniam verba, quae loquitur Iesus, spiritus, et vita sunt, et propterea sequuntur illum: aliis dura videntur, et miseram alibi quaerunt consolationem. Sapientia siquidem in plateis clamitat, in lata videlicet, et spatiosa via, quae ducit ad mortem, ut revocet ambulantes per eam. Semel locutus est Deus, semel utique, quia semper: una enim, et non interpolata, sed continua, et perpetua locutio est. Revocat autem peccatores ad cor, de cordis errore, redarguit pro eo, quod ibi habitet ipse, ibique loquatur, faciens, nimirum, quod docuit per prophetam dicentem: Loquimini ad cor Hierusalem; nam Babylon, quoniam terra est, nec potest sustinere universos sermones eius, elongatur a corde, et in carne magis ambulat, tanquam mortua a corde, imo tanquam columba seducta, non habens cor, vult enim laetari, cum male fecerit, et exultare in rebus pessimis, audiensque vocem Domini, huiusmodi gaudia nullatenus approbantem, sed detestantem, sed arguentem, sed condemnantem, fugit, et abscondit se, sicut Adam, ne Dominum audiat. Audies vocem iudicii, quae vocem consilii contempsisti.* Salubriter modo admonet nos propheta, dicens: *Hodie, si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Utilius namque, et multo salubrius est, hodie audire consulentem, consolantem, admonentem, docentem, condemnantem bonum mihi propter verba labiorum eius, cum propheta custodire vias duras, quam pariter cum impio interfici spiritu labiorum eius;* haec divus Bernardus. Consonant his, quae d. Ioannes Chrysostomus scribit (*hom.* 38. *oper. imp. in cap.* 21. *Matth.*) dicens: *Sicut stomacho ministrante, unumquodque membrum suscipit nutrimentum, et convertit ipsum in se secundum suam naturam, ut puta, quod suscipit iecur, totum fit sanguis, quod autem suscipit fel, bilis efficitur totum, quod vero ascendit in pulmonem, phlegmata fiunt, quod autem in mammillas, totum efficitur lac; sic sacerdotibus in ecclesia loquentibus, verbum omnes suscipiunt; unusquisque autem convertit illud secundum proprium cor, ita ut unum, atque idem verbum in cordibus quidem rectis procedat ad vitam, in cordibus autem perversis suscitet iracundiam, quasi bilis; in aliis autem operatur dilectionem dulcissimam, quasi phlegma nocivum, et expuendum.* Non dissimilia sunt alia Origenis (*hom.* 5. *in cap.* 4. *Iudicum*), ubi explicans mortem Sisarae, quae facta est a Iahele, quae dedit ei lactis potum, dicit: *Verbum Dei, quod incipientibus datur, lac dicitur; sed iste cibus iis quidem, qui ad bonum proficiendi propositum gerunt, vitam tribuit, et salutem, iis vero quibus contraria placent, quibus luxuria, avaritia, et omnis impietas cordi est, huiusmodi doctrina necem, et interitum praestat. Sic ergo fit, ut ex iis, atque iisdem cibis, quibus aluntur boni, suffocentur mali, et in quo piis vita est, ibi sit impiis mors. Denique, ut exemplo res, quam dicimus, planior fiat, vinum sanos, et commode degentes iuvat, et cor hominis laetificat; febricitantibus vero, si sumpserint, perniciem continuo, et interitum parit; ita fit, ut eadem res eodem modo sumpta, uni quidem vitam, alii autem conferat mortem. Sic intelligendum est, et Sisaram istum, animalem hominem et vitiorum principem per doctrinam Ecclesiae, quam ex fide non suscepit, extinctum; sed et unaquaeque anima satis agat, lacte isto evangelico, atque Apostolico sopire in semetipso, et extinguere Sisaram: si enim per haec edoctus quis mortificaverit membra sua, quae sunt super terram, avaritiam, fornicationem, Sisaram in semetipso videbitur peremisse, ut haec non solum in persona Ecclesiae consummari, verum etiam unusquisque in sua anima ostendat impleri.*

Ad extremum. Quidam divini verbi auditores ita durae cervicis esse perhibentur, ut quotidie verbum Dei audiant: illi tamen obedire non curant, ut fructum ferant, sed potius voluptatibus dediti, animas suas diabolo venales faciunt. Hi sane, non beati, sed infelices sunt, cum animas suas diabolo perpetuo possidendas tradant. (*Levit. cap.*28) ait Dominus: *Qui vendiderit domum intra urbis muros, habebit licentiam redimendi, donec unus annus impleatur, si non redemerit, et anni circulus fuerit evolutus, emptor possidebit eam, et posteri eius in perpetuum.* Per urbem Ecclesiam significari docet Isaias (*cap.*26): *Urbis fortitudinis nostrae Sion salvator, ponetur in ea murus, et antemurale.* Muralis ergo, qui in Ecclesia catholica vitam degit, peccatis tamen deditus, audire non vult vocem in Canticum: *Venefici incantantis sapienter*, sed potius obturat aures suas: licentiam habet redimendi per veram poenitentiam domum suam, hoc est, animam suam, quam diabolo vendidit, intra annum illum, de quo Christus olim per Isaiam dixerat: *ut praedicarem annum placabilem Domino*: si enim in hoc tempore gratiae redimere illam noluerit, vae illi, nam peracta vita, emptor diabolus, atque possessores eius, hoc est, ceteri daemones in perpetuum possidebunt eam. Hi sunt, de quibus Dominus per Isaiam ait (*cap.*3): *Populus ad iracundiam provocans est, et filii mendaces, filii nolentes audire legem Dei, qui dicunt videntibus, nolite aspicere nobis quae recta sunt, loquimini nobis placentia.* Quasi dicant peccatores omnes: nolite nobis videre, quae recta sunt; ne gehennae flammas comminemini, sed promittite nobis regna coelorum, ut post luxuriam, et delicias pendatur nobis paradisus. Quid mihi ostendis viam Domini, per quam non libenter ingredior? quid replicas verba sancti Israelis, quod mei pectoris arcana non penetrat? vae hominibus istis. Nam eveniet illis, ni sapiant, quod statim Dominus minatur, dicens (*ibid.*): *Pro eo, quod reprobastis verbum hoc, et sperastis in calumnia, et tumultu, et innixi estis super eo, propterea erit vobis iniquitas haec, sicut interruptio cadens et requisita in muro excelso; quoniam subito, dum non speratur, veniet contritio eius, et comminuetur, sicut conteritur lagena figuli contritione pervalida, et non invenietur de fragmentis eius testa, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquae de fovea;* quasi dicat: ut pars muri, minans ruinam, repente cadit, et secum magnam muri partem trahit, sic iniquitas vestra, et fiducia haec vana, quam habetis in opibus, et in hominibus, erit in causa, ut vos brevi ruatis miserrime; et ita conteremini, sicut hydria figuli, quando in minuta frusta comminuitur. Aspice perditissimorum hominum corruptelam et caecitatem. Aspice eorum poenam, et infelicem exitum. Talis erat Achab, qui interroganti Iosaphat, utrum esset aliquis propheta Domini, qui virtutem praediceret? haec verba respondit (3. *Reg.* 22): *Remansit unus, per quem possumus interrogare Dominum; sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum:* et paulo post refert Scriptura, eumdem Regem iratum vaticinio prophetae, eum in carcerem coniecisse, ubi pane afflictionis, et aqua angustiae sustentaretur. Et Asa alium prophetam illi veritatem dicentem in carcerem relegavit. Sed Achab seductus per falsos prophetas, miserrime periit in bello. Asa vero dolore pedum vehementissimo affectus, infeliciter mortuus est, etc. Confugiamus igitur, si Dei vindictam fugere volumus, ad verbum Dei, inveniemus doctrinam, salutarem virtutis indagatricem, vitiorum expultricem, medicinam animis medentem, eosque in suam dignitatem revocantem. Hoc enim est fons uberrimus, cuius haustu, atque potu conceptam visceribus sitim sedamus, ardoremque extinguimus. Hoc est flamma illa, quam vidit Moyses ardentem, rubumque non comburentem, ub Deus est, animos nostros incendens, aeternaeque beatitudinis desiderio inflammans. Hoc est scala illa, quam vidit Iacob, quae summitate coelos tangebat, per quam a terra ad coelum patet ascensus. Hoc est cellarium Ioseph in Ægypto huius mundi constitutum, ad quod undique recurrere debemus, ut famem expellamus, hoc est, manna illud coeleste, minutum, sed candidum, et dulce, omnes ad veram promissionis patriam euntes, reficiens. Hoc est ros de coelo descendens: hoc pluvia animam foecundans: hoc mel in ore, et mellos in aure: hoc divinum semen mirificos fructus producens: hoc favus gratiae dulcedinem in animam distillans, hoc salutis scientia, hoc lampas in caliginoso loco lucens, hoc splendidum speculum, hoc spiritus, et veritatis doctrina, hoc liber signatus, quem qui addiscunt, sapientes fiunt. Hoc est turris David munitissima, quae, ut est Canticorum libris mandatum, aedificata est cum propugnaculis, ex qua pendent mille clypei, omnisque fortium armatura: hoc est, mentis speculum, hoc est, thesaurus sapientiae, hoc est, quod vitae tranquillitatem largitur, hoc est, lucerna pedibus nostris: hoc est, quo adversus daemonem, mundum et carnem contendimus; est enim verbum Dei gladius spiritus, ut ait Apostolus, quo inimicos percutimus, et prosternimus, et de quibus quotidie victoriam reportamus: est gladius ille, de quo Isaias aiebat (*cap.* 27): *In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro, et grandi, et forti super Leviathan serpentem vectem, et super Leviathan, serpentem tortuosum*, et quo Dominus in fine mundi percutiet, atque fugere faciet eum, qui nunquam fugere consueverat. Libenter igitur suscipiamus, et in animis custodiamus verbum Dei, cum eius custodia tot, tantorumque bonorum sit fons, et scaturigo.

At, proh dolor, ea est divini verbi audiendi negligentia, et pigritia, ut, si longe absit templum, ubi divini verbi concio habetur, moleste ferant multi eo convenire; et ne quidquam incommoditatis sentiant, facile verbi divini auditionem praetereunt; quos satis confundunt antiqui philosophi, qui non solum philosophiae addiscendae gratia, sed et illius solum magistros videndi desiderio inflammati, non dubitarunt, asperrima conficere itinera, quorum divus Hieronymus meminit (*epist. ad Paul.*): *Legimus in veteribus historiis, quosdam lustrasse provincias, novos adiisse populos, maria transisse, ut eos, quos ex libris noverant, coram quoque viderent. Sic Pithagoras Memphyticos vates, sic Plato Ægyptum, et Architas Tarentinum, eamque oram Italiae, quae quondam Magna Graecia dicebatur, laboriosissime peragravit; ut qui Athenis magister erat, et potens, cuiusque doctrinam Academiae gymnasia personabant, fieret peregrinus, atque discipulus, malens aliena verecunde discere, quam sua impudenter ingerere. Denique cum literas, quasi toto*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

fugientes orbe persequitur, captus a pyratis, atque denudatus, etiam tyranno crudelissimo paruit captivus, vinctus, et servus. Tamen quia philosophus maiore mente se fuit, ad Titum Livium lacteo eloquentiae fonte moventem de ultimis Hispaniae, Galliarumque finibus quosdam venisse nobiles legimus, et quos ad contemplationem sui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxit. Habuit illa aetas inauditum omnibus saeculis, celebrandumque miraculum, ut tantam urbem ingressi, aliud extra urbem quaererent. Appollonius philosophus intravit Persas, pertransivit Caucasum. Albanos, Scythas, Massagetas, opulentissima Indiae regna penetravit, et ad extremum latissimo Physon amne transmisso, pervenit ad Brachmanos, ut Hiarcam in throno sedentem, inter paucos discipulos, de natura, de motibus syderum, ac dierum cursu audiret dicentem. Inde per Elamitas, Babylonios, Chaldaeos, Medos, Assyrios, Parthos, Syros, Phoenices, Arabes, Palaestinos reversus Alexandriam, perrexit Æthiopiam, ut gymnosophistas, qui sic vocati sunt, quia nudi in sylvis agunt, et famosissimam solis mensam videret in sabulo, invenit ille vir ubique, quod disceret, et semper proficiens, semper se melior fieret. Quid loquor de saeculi hominibus, cum Apostolus Paulus vas electionis, et magister Gentium, qui de conscientia tanti in se hospitis loquebatur. An experimentum quaeritis eius, qui in me loquitur Christus? post Damascum, Arabiamque lustratam, ascenderit Hierosolymam, ut videret Petrum, et manserit apud eum diebus quindecim, a quo futurus gentium praedicator instruendus erat. Habet enim nescio quid latentis energiae viva vox, et in aures discipuli de auctoris ore transmissa fortius sonat. Unde et Æschines, cum Rhodi exularet, et legeretur illa Demosthenis oratio, quam adversus eum habuerat, mirantibus cunctis, atque laudantibus suspirans, ait: quid, si ipsam audissetis bestiam sua verba resonantem? hactenus d. Hieronymus. Antiquissimus autem Origenes hos desides, ac oscitantes verbi Dei auditores (*hom.* 10. *in cap.* 24. *Gen.*) in haec verba carpit: *Vereor, ne adhuc in tristitia, et gemitu Ecclesia filios pariat: an non est ei tristitia, et gemitus, cum vos non convenitis ad audiendum verbum? et vix festis diebus ad Ecclesiam proceditis? quid igitur ego faciam, cui dispensatio verbi credita est? qui licet inutilis servus sim, accepi tamen a Domino distribuendam familiae Dominicae tritici mensuram. Quid ergo faciam? ubi, vel quando vestrum tempus inveniam? plurimum ex hoc, imo pene totum tempus mundanis occupationibus teritis in foro, aliud in negotiatione consumitis: alius agro, alius litibus vacat, et ad audiendum Dei verbum nemo, aut pauci admodum vacant. Sed quid vos de occupationibus culpo? quid de absentibus conqueror? praesentes etiam, et in Ecclesia positi, non estis intenti, sed communes ex usu fabulas teritis, verbo Dei, vel lectionibus divinis terga convertitis: vereor, ne et vobis dicatur a Domino: Converterunt ad me dorsa, et non facies suas, quid igitur ego faciam? possum ne surdis, et aversis auribus ingerere margaritas verbi Dei?* ac deinde nonnullis interpositis subdit: *Rebecca veniebat cum filiabus civitatis haurire aquam de puteo. Rebecca quotidie veniebat ad puteos, quotidie hauriebat aquam, et quia quotidie vacabat ad puteos, idcirco inveniri potuit a puero Abraham, et in matrimonium sociari Isaac. Animarum est ista eruditio, et spiritualis doctrina, quae te instituit, et docet, quotidie venire ad fontes Scripturarum, ad aquas Spiritus sancti, et haurire semper, ac plenum vas domum referre, sicut et faciebat sancta Rebecca. Vult te Christus sibi desponsare, sed non fit hoc, nisi venias ad puteos, et haurias aquas, ne sitim verbi Dei patiaris, sed audias Dominum dicentem: Qui sitit, veniat ad me, et bibat;* cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XXII.

Agimus de religiosa translatione Iconis sanctae Mariae Maioris ad celeberrimum sacellum a Paulo Quinto Pontif. maximo in honorem Deiparentis sacrum.

Inter pleraque summi Pontificis Pauli Quinti heroica patrata facinora, pontificia ac regia eius maiestate digna, mihi hodierna die commendandum venit, ad coelumque usque efferendum, religiosi cultus studium, quod in erigendo a fundamentis celeberrimo sacello sanctae Mariae ad Nives, et imaginis illius honorifica translatione, universo populo Romano applaudente exhibuit. Potuissem equidem permulta alia, tanti Pontificis gloriosa gesta, nisi ea universo orbi nota fuissent, oratione persequi: potuissem recensere catholicae fidei illius zelum, cuius locuples testis est frequens admonitio, qua regem Angliae, universa eius regna, ac provincias ad veritatem fidei catholicae revocare impense conatus est: commemorare possem immunitatis Ecclesiasticae conservandae, ac sacrae libertatis iura inviolata custodiendae sedulam ac diligentem eius curam; in pace, et rerum abundantia, ad vitam humanam tranquille, ac prospere transigendam, singularem adeo providentiam, ut populus Romanus eam benedictionem nactus videatur (*Psal.* 121): *Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis:* incepti aedificii Basilicae principis Apostolorum, mirabilem structuram, usque adeo auctam, ut potiori iure, non promotor, sed eius auctor, ac fundator dicendus videatur: sollicitudinem omnium Ecclesiarum, praeter instantiam quotidianam, ut de Paulo quinto, Pauli more loquar, varia Apostolica diplomata expedita, ut bono reipublicae christianae regimini, tam in spiritualibus, quam temporalibus consulatur, et unicuique ius suum indemne servetur; beneficia innumera plusquam regia munificentia in rem publicam Romanam collata, adeo ut de illa, Pontificum nemo benemeritus magis censeri possit; ingentem aquae copiam, in agro Braccianensi, saluberrimis e fontibus collectam, veteribus aquae Alsietinae ductibus restitutis, novisque additis, ductam, eamque copiosam adeo, ut aliis fontibus deficientibus, ipsa prae nimia eius ubertate, ad totius Almae urbis usum, sola sufficere posset: Romam multifariam, multisque modis sumptuosis, ac pulcherrimis aedificiis illustratam, praecipue tamen illo in monte Quirinali ad summorum Pontificum usum erecto, publicas vias, obliquitate sua urbem deformantes, ad rectitudinem ita revocans, et asperas in planas conversas, ut mira inde iam in urbe viarum pulchritudo effulgeat; sapientiae academiam, non solum recens exornatam, sed magnifici aedificii mole amplificatam. Quid plura? praestantes viros absque numero virtute conspicuos, ac literarum peritia insignes, variis honoribus cumulatos, et ad purpuream usque dignitatem evectos; Vaticanam bibliothecam, magni momenti codicibus manuscriptis, et aliis, iam typis mandatis, copiose locupletatam: frequentes, ac quotidianas in pauperes religiosorum familias, et alios indigentes, liberalissimam ad eorum inopiam sublevandam largitionem, ut merito in eum conveniat: *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in saeculum saeculi.* Haec omnia consulto taciturnitati committo, solum ad Pauli Quinti cultum, et devotionem erga Deiparam Virginem in translatione Iconis sanctae Mariae ad Nives nuncupatae ad celeberrimum sacellum ab eo, nullis pecuniae sumptibus parcente, feliciter extructum sermonem converto.

Commemorant sacra eloquia (*lib.* 2. *Reg. cap.* 7), quod serenissimus rex David, alta mente perpendens arcam testamenti, quam alio nomine vocabant arcam foederis, in humili loco collocatam, se tamen domum cedrinam inhabitare, exquisita structura affabrefactam, dixit ad Nathan (2. *Reg.* 7): *Vides ne quod ego habitem in domo cedrina, et arca Dei posita sit in medio pellium?* non dissimiliter summus Pontifex Paulus V. divino afflatus spiritu, in similem hunc Davidis religiosam incidit cogitationem; nunquid ego in celeberrimo d. Petri palatio aureis lacunaribus insignito habitabo, et animata arca Dei, Deipara scilicet Virgo, per veterem illam arcam egregie adambrata, in humili loco collocata iacebit? Minime gentium; sed ex arcto, et angusto illo loco ad augustum, et amplissimum domicilium illam transferam. Cogitatione pares intueor Davidem, et Paulum Quintum, opere tamen dispares, quia quod cogitavit David, non perfecit, sed Salomon filius eius, iuxta divinum oraculum ad Nathan, dicens (2. *Reg.* 2): *Ipse aedificabit domum nomini meo, et stabiliam thronum eius;* summus autem Pontifex Paulus Quintus, non vir sanguinum, cuius causa David repudiatus fuit a Deo aedificare sibi templum, sed velut alter pacificus Salomon, id quod de aedificatione sacri sacelli, ad religiosam collocationem arcae animo praestituit, opere ipso complevit, ea sane magnificentia, et praeclara structura, ac exquisitis lapidibus, et pretiosis gemmis exornatum sacellum erigens, ut nulla quacunque facunda oratione aequari, aut pro dignitate extolli queat. Id tamen solum non temere dicam, quod cum alioquin in urbe Roma reliquarum

urbium Principe, tyrannorum Christianis persecutionibus extinctis, quadringenta templa Deiparae consecrata fuerint, ut auctor est Andreas Fulvius (*lib. de Antiqu. urb.*), et nunc etiam permulta illorum magnae vetustatis extent, et alia denuo extructa, aut restituta sint; ut sancta Maria trans Tyberim, in Thermis, in Portico, Ara coeli, Rotunda, in Via lata, Schola Graeca, a Palmis, Annunciata extra urbis moenia, in Dominica, de populo, super Minervam, in Via nova, libera nos a poenis Inferni, Crypta picta, a Trivio, in Aquiro, Scala Coeli, et alia plura, tam in urbe, quam extra urbem erecta, ut merito divus Antoninus (4. *p. tit.* 15. *cap.* 24. §. 3) dixerit: *Generatio electorum Ecclesiae beatissimam dicit Virginem ex multitudine Ecclesiarum dedicatarum sub titulo eius per totum orbem;* nullum tamen templum praeclara architectura, aedificii maiestate, gemmarum splendore, argenti, et auri copia, ac pretiosissimis aliis ornamentis cum Paulino sacello valet, me iudice, ulla ratione comparari. Grande opus est, sed non cuicumque, sed Dei Genitrici praeparatur habitaculum, in cuius obsequium quidquid ad ornatum templi eius impensum fuerit, pergratum sibi existere, vetusta antiquorum monumenta luculenter satis contestantur. Nam omisso illo insigni miraculo, cuius meminit Petrus Cluniacensis (*lib.* 2. *mirac. cap.* 3), cum Virgo cereis accensis, nec assumptis illustrari solita erat; sane Gregorius Turonensis (*lib. de glor. Martyr. cap.* 9) refert, imperatorem Constantinum Deiparae Basilicam admirabili opere erexisse, in qua cum columnae prae magnitudine levari non possent, habebant namque sexdecim pedum circuitum, beatissima Virgo per visum ostendit artifici, quasnam machinas adhiberet, quomodo trochleas suspenderet, atque funes, iussitque, ut tres pueros e scholis ad tantum opus adhiberet. Quae omnia, cum ille evigilans perfecisset, tres illi pueri columnas, quas multitudo virorum fortium movere nequiverat, summa facilitate, et velocitate sublevarunt. Deinde Procopius nobilis auctor (*lib.* 1. *de aedif. Iust. imper.*) rem mirabilem commemorat; affirmat enim, quod cum hic Imperator templum Dei Genitrici pulchrum, ac permagnificum extrueret, et ad tectum illi imponendum arboribus sublimibus artifices egerent, inventam fuisse sylvam quandam, cedris altissimis abundantem: ad columnas etiam, quae molem superimpositam substinere valerent, mirabili Dei providentia uberem lapidicinam detectam fuisse, his verbis idem auctor scribit: *Cum regio Hierosolymitana longe a mari sita, et undique praeruptis montibus vallata, columnas aliunde inferendi locum non praeberet, Deus in proximis montibus lapidis naturam indicavit, huic operi satis congruam, qui lapis, aut prius existens hic delituit, aut nunc primum conditus est. Hic igitur ingentium columnarum, et ignis flammam quodam colore imitantium, magna copia, quae suffulciebant templum, superne, et inferne, et ad porticus fere templum obeuntes;* hactenus Procopius.

Verum his omissis templis ad nostrum sanctae Mariae Maioris redeat oratio. Vultis nos-

se prudens, ac sapientissimum consilium Pauli Quinti in pulcherrimo illo extruendo sacello? benignas quaeso aures praebete ad memorabilem, ac inauditam historiam sancti Henrici imperatoris augustissimi, cujus memoria in Romano martyrologio die decima quarta Iunii recolitur. Nauclerus insignis Historiographus in haec verba illam narrat: *Fertur de Henrico hoc, quod semper primam noctem ingrediens urbem, solitus fuerit in Ecclesia sanctae Mariae Maioris manere. Contigit autem semel, quod, dum solitarius oraret, visus sit sibi Christus Pontificalibus indutus procedere. Missam celebraturus, quem sequebatur s. Laurentius, et loco Subdiaconi Vincentius, post hos Virgo Dei Genitrix cum multitudine virginum, et angelorum, dehinc Ioannes Baptista cum patriarchis, et prophetis, post hos Petrus, et Ioannes cum ceteris Apostolis, et Evangelistis, et s. Stephanus cum martyribus, s. Martinus cum confessoribus. Angeli inceperunt introitum: Suscepimus Deus misericordiam tuam, et dum cantarentur, Iustitia plena est dextera tua, omnes Christum, et b. Virginem imitantes, extenderunt digitos in Henricum; post Evangelium, indecibili iubilo angelus librum deosculatum a Christo praesentavit b. Mariae, et post eam omnibus per ordinem deosculandum. Demum innuit b. Virgo angelo, ut porrigeret librum etiam Henrico ad osculandum, dicens: Praebe ei pacis osculum, cujus mihi virginitas placet, et cum prae nimio gaudio raptus nesciret ad plenum intendere, angelus ipse in nervo tangens, dixit: Hoc tibi erit signum dilectionis Dei propter tuam castitatem, et iustitiam; et exinde usque ad mortem, ut alter Iacob, claudicabat; ex quo eventu vocatus est Henricus Claudus;* hactenus Nauclerus. Cuius historiam non parum nostro argumento deservire autumo. Nam cum Paulus Quintus Pontifex Maximus Christi Vicarius sit, et ad vicarium Patroni sui vestigiis insistere pertineat, ac regiminis eius exempla aemulari; certe ipse cum prae omnibus aliis urbis templis, illud percelebre s. Mariae Maioris, non solum nive coelitus delapsa, sed praesentia Christi in ea missam celebrantis, in conspectu Henrici imperatoris, mirifice honoratum, et illustratum, observaverit, vestigia Christi sequens, hoc idem Marianum templum honorare, illustrare, exornare, et locupletare prae omnibus aliis pie pariter, et sapienter elegit, persimilis et moribus factus ipsi Henrico imperatori, cujus castimoniam, coelesti dono sequatum, et iustitiam imitatum, non solum Romanorum, sed exterorum fama pervulgat, ac per omnium ora gloriose vobitat.

Porro, ut summi Pontificis Pauli Quinti in erigendo hoc sacro sacello Deiparae Virgini dicato, non solum mira religio, sed singularis prudentia, immo et sacrae cuiusdam architecturae peritia clarius, et rutilantius emiteat, attente quaeso perpendite, quod cum ad partem sinistram sacrosancti templi s. Mariae Maioris extructum esset permagnificum sacellum, Pontificia munificentia a Sixto Quinto erectum, ubi Praesepe Bethlehemiticum, in quo b. Virgo infantem recens natum deposuit, d. Luca dicente (*cap.* 2): *Pannis eum involuit, et reclinavit eum in praesepio;* opus erat ad debitam illius templi proportionem, et aequalitatem, aliud pulcherrimum ad dexteram partem extrui sacellum, e regione illi correspondens, quod divino consilio factum, nemo inficias ibit, qui locum illum (*Cant. cap.* 5): *Laeva eius sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me,* attente perpenderit: super quae verba d. Augustinus (*in Psal.* 120), Origenes (*homilia poster.*), D. Gregorius Nyssenus, Beda, Rupertus, et alii non pauci, per laevam intelligunt merita, et labores praesentis vitae; per dexteram vero mercedem, et gloriam futurae, iuxta illud Davidis (*Psalm.* 15): *Delectationes in dextera tua usque in finem.* Ut significaret ergo Deipara a dilectissimo Sponso suo cumulatam fuisse in hac vita laboriosis multis meritis, in futura vero gloriosis praemiis, idcirco dixit: *Laeva eius sub capite meo*, scilicet in Ecclesia militante, *et dextera illius amplexabitur me*, in Ecclesia triumphante. Quibus duobus, merito scilicet, et praemio, complexa est beata Virgo magna, quae fecit illi, qui potens est, et sanctum nomen eius. Cum igitur in sacro illo templo s. Mariae Maioris, ita Dei Genitricis proprio, ut cum nive de coelo demissa illud delinearit, merito dicere possit (*Deut.* 7): *Elegi, et sanctificavi mihi locum istum.* Sacellum unum ad sinistram extrucium, labores Virginis, et praecipue in Bethleem perpessos, iuxta praesepe, quod ibi adest, adamussim repraesentans, nec non etiam varia totius vitae illius merita praeclaris imaginibus ibidem depictis adumbrans, ratio ipsa postulabat, ut aliud gloriosius sacellum ad dexteram partem a fundamentis erigeretur, quod praemium illorum laborum, ac insignium meritorum, ante oculos fidelium proponeret, prout factum conspicimus, exaltatione Virginis in coelum per angeloram ministerium facta, artificiose ibi constructa, ut sicut in illo Virginis angustias, labores, ac merita religiose colebant, ita in hoc gloriae praemium, illis respondens, devote venerentur. Et sicut in illo Bethlehemitici porticus egestatem, quam Deipara sustinuit, in mentem revocabant, ita in hoc divitias, et maiestatem supernae civitatis, quam virgo nunc inhabitat, in memoriam reducant. Etenim cum Ioannes (*Apoc.* 11) de superna civitate dicat: *Structura muri ex lapide iaspide, et ex omni lapide pretioso ornata;* et sacellum Paulinum similiter marmoris, porphyri, iaspidis, et gemmarum pretiosis lapidibus compactum sit, facile coelestem Hierusalem, de qua beata Virgo: *Et in Hierusalem potestas mea*, in mentem revocabant. Romanarum rerum historiographi referunt, quondam in urbe duo fuisse praeclara templa aedificata, quorum unum dicatum erat virtuti, alterum vero honori; prius tamen illud fuit aedificatum, quam istud, imo nemini ingressus patebat ad hoc, nisi prius introisset in primum. Non secus divina providentia factum intueor, ut prius extructum fuerit sacellum virtuti, et sanctitati Deiparae ad sinistram partem illius templi dicatum, quod proinde totum per circuitum praeclaris imaginibus scatet, sanctissimam Virginis vitam exprimentibus, postea vero ad dex-

teram partem fuerit aliud honori, et gloriae eiusdem Virginis sacratum, ut gloriosa eius, quae ibi lego, epitaphia praeseferunt (*Apoc.* 12): *Signum magnum apparuit in coelo, mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim:* et illud: *Exaltata est sancta Dei genitrix super choros angelorum*, et similia alia, quae praemia Virginis mirifice decantant. Quod si attendamus, dexteram partem orbis esse meridionalem; laevam vero, seu sinistram septentrionalem, hoc ipsum non obscure demonstrant: nam cum pars septentrionalis sit obscura, quia sol non plene ad illam faciem suam convertit, facile intelligemus, aple constructum sacellum, ad sinistram aedificatum, in honorem Deiparae in hac vita degentis, ac Deum per obscuram fidem agnoscentis, Paulo dicente (1. *Cor.* 13): *Videmus nunc per speculum in aenigmate:* et cum aliunde pars dextera mundi sit meridionalis, atque adeo clara, et splendens, quia sol faciem suam in illam convertens, claritatem luminis sui in eam diffundit: decebat proculdubio ad dexteram partem splendidum sacellum Virgini sacrari, in coelo iam regnanti, ac claro lumine gloriae facie ad faciem Deum videnti.

Ad haec duplex in beata Virgine praefulget dignitas, in quibus similem nullam visa est, nec habere sequentem. Prima est, quod Dei Genitrix sit, quam adepta fuit in terra. Secunda, quod regina tam coelestium, quam terrestrium constituta fuerit (*Psal.* 44): *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato;* et hanc obtinuit in coelo. Congruebat ergo, ut sicut Virgini, quatenus Dei matri labores multos perferenti, ex ea maternitate ortos, sacellum ad sinistram partem sacratum erat, aliud eidem quatenus supremae Dominae, ac hominum, et angelorum augustissimae reginae, religiose sacraretur; quod non incongrue designari opinor per illas duas aquilas, unam Ezechielis, et alteram Iobi: de illa ait Ezechiel (*c.* 17), tulisse medullam cedri; de hac vero tradidit Iob (*c.* 39), in arduis posuisse nidum suum. Aquila medullam cedri ferens, beatam Virginem, qualenus Dei matrem, praeclare adumbrat: quae verba illa proferens (*Luc.* 1), *Fiat mihi secundum verbum tuum*, medullam cedri, hoc est, Filium Dei ex utero paterno ad nos tulit. Aquila vero Iobi b. Virginem in coelo regnantem, ubi super choros angelorum evecta, nidum domicilii sui, instar regiae aquilae, in sublimi loco aedificantis construxit, satis ad vivum exprimit. Duae etiam illae naves Salomonis, una quasi institoris de longe portans panem; alia, quae veniebat ex Tharsis, auro et argento plena, eandem Virginem designat: illa tanquam matrem coelestem panem in alimentum fidelium nobis portantem: sic enim Christus se vocavit (*Ioan.* 6): *Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi;* haec vero tanquam coeli regnum, non argenti, et auri corruptibilibus opibus, sed spiritualibus divitiis, non sibi solum, sed et nobis affluentem, delineat. Deinde duplicem hanc dignitatem matris Dei, et reginae coeli, non obscure mihi significari videtur in verbis eiusdem Virginis (*Cant.* 4): *Vadam ad montem myrrhae, et ad collem thuris.* Per montem myrrhae, utpote amarae, labores designari, nemo est, qui non videat; per montem vero thuris, cuius suaveolentia, et thurificatione, Deo, et Sanctis honorem deferimus, coelum tanquam sublimem honoris locum significare nemo refragatur. Virgini igitur matri, montem myrrhae ingredienti, hoc est, laboriosi itineris in civitatem Bethlehem, et longissimae profectionis in Ægyptum, amarissimam myrrham degustanti, merito templum dicatum fuit ad sinistram; eidem vero in montem thuris ascendenti, tanquam omnium Reginae ab omnibus honorandae, thuricandae, et hyperduliae adoratione colendae, sacellum aliud dicari, structurae ipsius templi pulchritudo, et ratio ipsa postulabat. Atque hinc arbitror factum, ut ad hanc duplicem Virginis dignitatem exprimendam, matris Dei, et Reginae coeli, duplicem praecipue appellationem Basilica Liberii sortita sit, nam et nomen habet s. Mariae ad praesepe, quod dignitatem matris indicat, in Bethleem filium suum parientis, et pariter etiam nuncupatur s. Maria Maior, quod dignitatem Reginae super omnes principantes non obscure ostentat. Quod autem ad aedificanda haec duo sacella duo se accinxerint Summi Pontifices, quorum quilibet quintus in suo ordine numeratur, Sixtus videlicet quintus, et Paulus similiter quintus, singulari observatione dignum iudico. Nam cum Deus Opt. Max. ut ait Sapiens (*c.* 11): *Omnia fecerit in pondere, in numero, et mensura*, non potest in praesentiarum numerus quintus peculiari aliquo mysterio carere. Ego illud latere arbitror, quod olim (*Levit.* 5), quinta pars arietis dabatur sacerdoti, ita Ecclesia catholica ex Pontificibus Sixtis, et Paulis, quintam partem obtulit Deo ad templum matris suae amplificandum, et exornandum, hoc est, Sixtum V. et Paulum V. utriusque illius sacelli felicissimos fundatores, divinitus ad id destinatos.

Ad extremum, in eo etiam summi Pontificis Pauli Quinti mira sapientia enituit, quod Marianum templum non solum auro et argento, pretiosisque lapidibus, sed antiquorum etiam Patrum eius praeclaris imaginibus illustravit, Sponsi verba illa complens (*Cantic.* 1): *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento;* ubi ex Hebraeo aliqui vertunt: *Imagines masculinas faciemus tibi.* Quo loco plane fit allusio ad id, quod in aulis regum videmus: etenim sicut in illis imagines avorum, et proavorum principis regnantis cernuntur, variaque stemmata, ac facinorum illorum insignia ostentantur, quae in laudem ipsius principis trahuntur; non dissimiliter in regia aula, ac augustissimo sacello reginae Mariae, Avorum eius imagines apponi fecit Summus Pontifex cum stemmatibus, et insignibus ad eius laudem, et dignitatem declarandam, Abraham, gladium tenentem, Isaac, lignorum sarcinam humeris portantem, Iacobum, coelestem scalam videntem, Davidem regem, cytharam pulsantem, aliosque inclyti nominis Virginis progenitores, quorum praeclara monumenta non possunt in magnam Dei parentis honorificentiam non cedere. Sed et nostro argumento accommodatius dici potest, satis ad rem condu-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

cere lectionem septuaginta Interpretum: sic enim legunt: *Imagines auri faciemus tibi cum varietatibus argenti, dum rex in accubitu suo est.* Priori enim sententiae principium subsequentis connectunt, sequuntur hanc lectionem Ambr. (*serm.* 3. *in Psal.* 118), Hieron. (*lib.* 1. *cont. Iovin.*), Augustin. (*lib.* 1. *de Trinit.*), Damian. (*epist.* 38. *alii*). Ergo conveniebat, Virgini parare locum, auro, et argento, lapidibus pretiosis, ac vario picturarum ornamento distinctum, dum rex Christus, in accubitu hostiae, ut loquitur Chisler. (*in cap.* 1. *Cant.*), e regione in Sacello Sixti V. requiescit.

Ceterum tanta est Virginis celsitudo, maiestas, et excellentia, ut nullum, non dicam terrestre, sed nec coeleste domicilium, nisi solum incomprehensibile ipsius Dei cor, dignum tantae Matris habitaculum esse mihi videatur. Rem magnam profero, inauditum praeconium prodo, praerogativam ineffabilem fari tento, sed non nisi sacro testimonio innixus: nam Ioan. (*lib. Apocal.*) duo secundum faciem contraria affirmat; etenim (*cap.* 21), post ad unguem descriptam coelestem civitatem Hierusalem, post relata fundamenta, post commemoratas portas, muros, ac plateas, subiungit: *Et templum non vidi in ea: Deus enim exercituum templum illius est:* (*c. autem* 11) dixerat: *Apertum est templum in coelo, et visa est arca testamenti eius in templo,* seu ut ex Graeco alii transferunt, *in medio eius;* quomodo, quaeso, templum apertum est in coelo, si templum non vidit? an ipse Deus, qui templum illius civitatis est, aperiri potest instar nostrarum domorum? utique suo modo aperitur: tanquam templum, cum pectus eius apertum, et cor patens exhibet. Arca autem, quam in medio illius templi vidit Ioannes, *et visa est arca*, b. Virgo est, quam regius Vates arcam vocavit (*Psalm.* 31): *Surge Domine in requiem tuam, tu, et arca sanctificationis tuae.* Igitur cor divinum factum est templum, et habitaculum Virginis. Nullum ergo illo inferius dignum censeri debet, Dei Genitricem se suscipere. Si quod tamen in terris reginam eius maiestatem decet, ac dignitati tantae Matris congruit, Paulinum esse sacellum, cui reliqua omnia merito cedere debent, non temere affirmabo.

Verum iam ad triumphalem, parilerque religiosam pompam, qua Imago Deiparae Virginis ex angusto illo ad augustum locum translata fuit, sermonem dirigamus. Imitatus est Summus Pontifex Paulus Quintus pium, ac religiosum regem Davidem: nam sicut de illo legimus, ipsum, et omnem populum Dei singulari pompa, et apparatu circumduxisse, ut eam in locum suum inducerent: *David*, ait sacer textus (2. *Reg.* 6), *et omnis domus Israel ducebant arcam testamenti Domini in iubilo, et in clangore buccinae;* sic ad praesentiam Summi Pontificis, Pauli Quinti, sacrorum hominum humeris, translata fuit sacra Virginis Imago, quae arca fuit, in qua non tabulae legis, non virga Aaronis, non vas manna plenum, sed plenitudo divinitatis corporaliter delituit: aderant praeter Summum Pontificem purpurati principes Ecclesiae, Archiepiscopi, Episcopi non pauci, praelati innumeri, omnium ordinum monachi, sacerdotum ingens multitudo, confraternitatum laudabilis numerus, suum quaeque insigne ferens in sublime erectum, modulantium canorum dulcisona harmonia, ingens populi christiani utriusque sexus frequentia, luminaria multa gestantis: sicut autem ibi contigit, quod Michol, videns regem Davidem arcam concomitantem, ac summa laetitia coram ea tripudiantem, illum irrisit, et obmurmuravit, erubescens tamen illa, a Davide audivit (*ibid.*): *Ante Dominum, qui elegit me potius, quam patrem tuum, et quam omnem domum eius, ludam;* ita haereticorum sathanica synagoga significata per imprudentem Michol, videns gregem Pauli Quinti, per pium Davidem adumbratum, celebri pompa, ac plusquam regio apparatu, arcam, non testamenti, sed ipsius testatoris, religioso, festivo, alacri, ac triumphali pompa in imagine Deiparae devote colentem, non solum illud in ore mussitat (*Psal.* 73): *Quiescere faciamus dies festos Dei a terra*, sed et dentibus suis fremit, et tabescit, irridet, et flocci pendit; in caput tamen suum, cum christianus populus, non inferiori iure quam David, eius verba sibi usurpare possit: *Ante Dominum, qui elegit me potius, quam patrem tuum, et omnem domum illius, ludam:* quasi dicat: Ego diem festum Deiparae virginis iubilans, et tripudians celebrabo, cuius filius me populum suum elegit, et repudiavit Calvinismum, Lutheranismum, et Atheismum, cum reliquis sectarum deliriis, inventis a mendacii parentibus, et catholicae veritatis oppugnatoribus. Quare cum d. Ioanne Damasceno (*orat.* 2. *de dormit.*) dicam: *Inhibemus in arca Domini Dei toto animo, et muri cadent Iericuntini, contrariarum potestatum infestae munitiones.*

Illustrem mihi, celebrem, ac triumphalem hanc pompam perpendenti, in mentem venit Comneni imperatoris Constantinop. apparatus, ac triumphalis cultus, quo beatissimae Virginis imaginem per publicas vias gestari praecepit. Narrat Nicetas Choniates, quod hic Imperator post insignes victorias, quas de Scythis, aliisque hostibus, auxilio et ope Dei parentis reportaverat, instituto festo, quod Pazzinicarum vocabant, in rei gestae monumentum, et grati animi testimonium, Deiparae, tanquam unicae victrici, acceptas victorias referens, eidem religiosum paravit triumphum, quem in haec verba ipse Nicetas (*in vita Comneni Imp.*) describit: *Currus gemmis pretiosissimis ornatus, a quatuor equis candidissimis trahebatur, habenas viris potentissimis moderandas, et cognatis suis curruum curandum dedit. In curru, Dei Genitricis imaginem collocavit, ipse crucem manu gestans, pedes antecessit, et s. Sophiae templum ingressus, atque in conspectu omnis populi, ob successum, gratias Deo actis, in Palatium abiit;* haec Nicetas. Celebris sane hic triumphus, non diffiteor, sed Paulino inferior, quia in illo imago Virginis ab equis ducebatur, trahentibus currum; hic vero sacrorum hominum humeris imposita gestabatur: imaginem illam viri potentes stipabant; hanc vero Ecclesiae catholicae purpurati primates, ac proceres circuibant: sequebatur illam imperator; sequitur hanc Summus Pontifex, cuius cruciferis pedibus imperatores procumbunt: ac tandem ille Comneni imperatoris triumphus, diurnus, fuit brevis, facile labens: at triumpus quem Paulus V. Deiparae paravit, ne fugaciter praeteriret, sed firmus, stabilis, et quodammodo perennis, ac immortalis semper perseveraret, praeter amplissimum sacellum, in quo imaginem Deiparae a d. Luca depictam, singulari honore, ac maiestate locavit; ante sacri illius templi ingressum, ingentis molis, ac magnitudinis, marmoream columnam erexit, in cuius vertice aeneam statuam Dei parentis, filium suum manibus ferentem, in perpetuam rei memoriam constituit. Unde b. Virgo in sublimi, ac eminenti loco stans, stellis coronata, et luna sub pedibus eius, perpetuum triumphum agit, non immemor, Pauli V. obsequia gratificandi, sed terrestrem potius, ac temporarium hunc triumphum, ab eo sibi paratum, coelesti, ac aeterno triumpho, ut de tantae reginae magnificentia, merito sperari potest, gloriose compensatura; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

DE SACRIS ARCANIS

DEIPARAE VIRGINIS

IN SACERRIMO EIUS

ROSARIO LATENTIBUS

LIBER DECIMUSSEXTUS

HOMILIA PRIMA

De excellentia, et utilitate Rosarii, sed prius de eius nomine, antiquitate, et auctore disserimus.

Utilissimum hoc Mariani Rosarii argumentum copiose pertractare satagentes, ut rem altius repetamus, a nomine eius inchoandum censuimus. Apud diversos diversa nomina lego, et singulorum opiniones referre debeo: quidam beatae Virginis epithalamium illud vocant, alii canticum Virginis, alii coronam rosaream, sive, quod in idem recidit, sertum rosarum, quia ex variis salutationibus angelicis, velut rosis, coronam conteximus ad B. Mariae caput cingendum. Nec novum est, hanc precandi rationem ex his laudum orationibus, quasi variis floribus conflatam, sertum, seu coronam dici, cum Graeci coronam laudum appellent, et d. Greg. Nazianz. (*tragoed. de Christo patiente*), de corona Deiparae, mysticis precationum flosculis conflata, cecinisse videatur, cum Deiparam sic alloquitur:

Eo fretus hisce tibi me audentius,
In verba supplex offeram, et suavissimo
Contextam ab horto, qua tuum exornem caput
Coronam, o Domina, proferam, ut quae gratia, etc.

Vel certe corona vocatur, quae totidem granis constat, quot fuerunt b. Virginis vitae anni, sexaginta, scilicet, tres, vel septuaginta duo, quibus constitit, velut corona, circulus vitae eius. Alii sacram quinquagenam illud appellant, cum Alexan. in Bulla, quae incipit: *Et si gloriosos*, quia quinquaginta salutationibus angelicis constat. Alii attendentes ad numerum centum, et quinquaginta salutationum angelicarum, quibus constat b. Virginis Psalterium illud vocitare consuevere, ad imitationem Psalterii Davidici, in quo illud praefiguratum volunt, quod similiter centum, et quinquaginta Psalmos continebat; vel certe ad modum instrumenti musici, quod Graece dicitur organum, Hebraice nahalum: tali enim instrumento, in quo erant centum, et quinquaginta fistulae, cantabantur Psalmi Davidici. Deinde Psalterium dicitur, quia hoc genus musici instrumenti egregie pissimam Dei Genitricem delineat; ut his verbis edixit b. Alanus (*lib. de excell. Rosar.*): *Diabolum expellit, ut David e Saule per cytharam Arcam Dei, hoc est, Verbi omnipotentis humanitatem ad nos deducit cum David in organis. Maria victoriam obtinet contra inimicos, cum Maria sorore Moysis canente in tympano prophetiam sanctis tradit, sicut Elisaeus per cantum Psalterii Spiritum s. prophetiae accepit; Spiritus s. per ipsam matrimonium inter Deum, et creaturam humanam in thalamo virginali effecit; Maria chorum coelestis iubilationis ad divinas laudes secum trahit, sicut filias Hierusalem quae cantabant: Saul percussit mille, et David decem millia. Pax facta est per Virginem; filius enim ipsius fecit utraque unum, tanquam lapis angularis. Orbi Maria immensam attulit festivitatem, ideo canitur eidem. Ipsa inviolata obtulit pro mundo immensa Deo Patri holocausta, hoc est, Verbum incarnatum, et seipsam: ipsa cantavit canticum eximium. Magnificat; haec autem fiebant dudum per Psalterium synagogae.* Ista Alanus, psalterii convenientias repetens ex parte almae Virginis Deiparae. Alii laudem formulam hanc orandi per calculos precatorios receptissimo apud fideles vocabulo, Rosarium unanimiter appellant; et merito: quia, sicut Rosarium locus est rosis consitus, quemadmodum Virgilius cecinit (4. *Georg.*)

Biffaeique Rosaria paesti;

ita metaphorica similitudine formulam hanc precandi mysticis, ac odoriferis contextam rosis salutationis angelicae ad certum numerum redactis, Rosarium nuncupamus. Vel certe Rosarium vocatur, quia quemadmodum Rosarium continet multitudinem fruticum gignentium suaveolentes rosas; ita hoc genus orandi continet multitudinem orationum dominicarum, et angelicarum, quae frequenter repetitae, miram fragrantiam, suavemque laetitiam illis pariunt, qui patrem misericordiarum, et Virginem matrem devota mente orant.

Porro explicato nomine Rosarii, ad antiquitatem eius venio; hanc, quoad substantiam, ab ipsius Evangelii primordiis arbitror repetendam: nihil enim catholica Ecclesia in suis supplicationibus habet vetustius: nam salutatio angelica vox fuit evangelica, angelico ore caelitus delata: oratio vero Dominica prima fuit ad ubique orandum in spiritu, et veritate instructio divina. Unde, cum primitiva Ecclesia tunc maxime devotione efferveret, dubium non est, quin utriusque huius orationis usus frequentissimus esset apud fideles; facilque ad illa theologorum communis regula, quam tradit Melchior Canus (*de loc. Theol.*), nimirum, quod in ecclesiasticis rebus ab Ecclesia universaliter receptis, quarum certum exordium non invenitur, ab Apostolis manasse creditur. Hinc sapientissimus Aquensis ad Imperatorem Augustum Maximilianum (*lib. quem conscripsit de rosacea Corona*), erudite dixit: *Salutandae Mariae ritus novitiis inventis haud quaquam adscribitur: siquidem, cum ipsa pene Ecclesia pullularit; nam, cum inter ipsa nascentis Ecclesiae primordia, perfectiores quoque fideles tribus illis Davidicorum psalmorum quinquagenis, divinas laudes assidue celebrarent: ad rudiores quoque, qui modo arctius divinis vacabant, pii moris aemulatio est derivata; ut tamen non psalmos ipsos canerent, quippe quos nec legere satis, nec intelligere possent, sed ad mysticum illum numerum angelici concentus carmine uterentur, rati id, quod erat, cuncta illorum psalmorum sacramenta coelesti hoc elogio delitescere; siquidem eum, quem psalmi venturum concinunt, hunc iam adesse, haec formula nunciavit; sicque trinas salutationum quinquagenas, quod iusti psalterii vicem et et, et numero compensarent, Mariae psalterium appellare coeperunt, oratione utique Dominica in singulas decades ubique praeposita, prout a Psalmidis observari ante adcerterent.* Alii cum Rebello (*tract. de Rosar. libr. 1. cap. 6. art. 1*) affirmant, hodie in partibus Asiae apud Indos, Japonenses et Chinenses moris esse Rosariis quibusdam uti, quibus certas orationes idolis offerunt, quod non obscure indicat, pervetustam esse hanc consuetudinem orandi, cum daemon multis retro annis invidus huius Mariani cultus, similem sibi adhiberi suis cultoribus suaserit. Alii ex Palladio in Lausiaca cap. 2. tradunt, Abbatem Paulum trecentum orationes, quas faciebat, calculis in sinu numerare solitum, ne quidquam de hoc numero detraheret. Quod etiam legimus in historia tripartita (*libr. 8. cap. 1*), quod et alios fecisse per chordulam nodis distinctam nonnulli referunt. Alii dicunt cum Polydoro Virgilio (*lib. 5. de incent. rerum c. 9*), Petrum Eremitam, qui anno Domini circiter 1093. de bello sacro indicendo cum Urbano secundo egit, et Christianos omnes ad illud suscipiendum vehementer exhortatus est, cum nondum inventa esset ars impressoria, et difficultas foret, libros precum manuscriptos habendi, ad faciliorem orandi rationem invenisse modum, Deum, beatissimamque Virginem per lapillos, seu globulos precandi, quod etiam testatur nostier Ioannes de Pineda (*lib. 20. Mon. Eccles. cap. 2. §. 4*), et Arnoldus Uvion. (*lib. 5. ligni vitae cap. 104*). beatus autem Alanus de Rupe Ordinis Praedicatorum (*tract. de Rosar.*) refert ex quorundam sententia, Venerabilem Bedam, qui floruit anno septingentesimo, inventorem fuisse Rosarii in Anglia, ab eoque tempore plures fabricatas imagines, beatae Virginis Rosarium manu tenentes.

Ceterum, indubitanter arbitror, formulam hanc Rosarii certo, ac statuto numero, quo oratio dominica quindecies, et salutatio angelica instar Davidici Psalterii, centies, et quinquagies repetitur, ortum, et primordium habuisse a sanctissimo Dominico inclyto Ordinis Praedicatorum patriarcha, qui illud distribuit in tres salutationum angelicarum quinquagenas, quibus quindecim Christi, et eius Genitricis sacra mysteria meditanda proposuit. Etenim ad exterminandam Albigensium haeresim, per varia loca grassantem, a beata Virgine monitus, et edoctus, tanta magistra duce, Rosarii recitandi antidotum invenit: hanc, quam fratres Praedicatores illud recitandi formulam evulgant, non absque ingenti Dei miraculo educeos; quod, ut radicitus innotescat, ex authentica valde revelatione ipsius Dei Genitricis facta b. Alano de Rupe, natione Thentonico Ordinis Praedicatorum, in divinis Scripturis viro versatissimo, in concionibus habendis ad populum ferventissimo, vitae sanctitate integerrimo, b. Virginis Mariae amatori ardentissimo, ac Rosarii diligentissimo evulgatori, ut tradit Tritemius in catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum palam faciam. Hic ergo insignis vir, quae ex ore beatae Virginis acceperat, his verbis scripto consignavit (*lib. de dign. Psal. b. Virg. cap. 10*): *Cum gloriosissimus Pater Praedicatorum Dominicus terras Hispaniarum per quindecim fere annos, causa praedicationis, ante mortem suam peragraret, fuit hoc sub anno Christi 1200, nondum tamen ordine fratrum Praedicatorum existente, die quadam prope s. Iacobum gratis supervenientibus, charissimum meum Dominicum cum socio suo nomine Bernardo rapuerant, et ad galleam, classemque nacium suarum in torturis durissimis remos tracturum, velut ovem, et Dei agnum pertraxerunt: tribus fere mensibus remos assidue marinos manibus delicatis, et iam pustulis repletis traxit cum doloribus non modicis: sed ego misericordiae Mater totis visceribus charitatis super eum mota contra iniquos homines, quam plurimum sum irata: idcirco, me volente, et mandante, coelum certitur in nubilum, fulmina coruscant cum tonitruis terribilibus, et immensa-*

ruit super eos pluvia: mare fervet, et tumet: tanta fuit tempestas, ut illi maris iam ac siderum ignari, penitus desperarent; sed in his beatus Dominicus nil motus, profanos videns desperationi datos, praedicatione solita revocat eos, dicens: Fratres poenitentiam agite, et dulcissimam Mariam invocate. Cumque eum praedicantem, ut fatuum subsannarent, desperando, imo tanquam reum instantis mali fustibus caederent, iunctis opprobriis, et quamplurimis blasphemiis, plerique enim fidem abnegaverant, advenit nox beatae Annunciationis, in qua ob reverentiam festi, iste animarum zelator, ut tunc vel maxime poeniterent singularissime, humiliter, et devote, ut valuit, et licuit, admonebat: quo audito, quasi in furiam versi, me, et filium meum horribiliter blasphemaverunt: illico tempestas crevit immensa, totaque nocte vagantur incerti maris, patrono fluctibus rapto prius, atque submerso. Cum ergo mane ad tanti diei festivitatem charissimus meus pro eorum salute devotius me precaretur, oranti apparui, luce sub immensa dicens, quod eius amore libens indulgerem inimicis, dummodo conditionem hanc prius admittere vellent, videlicet, omni die Psalterium meum dicerent, et confratriam novam, quae Iesu Christi, et Virginis Mariae nuncuparetur, inchoarent: quo acceptato, benedictione contra tempestatem facta per ipsum ea nox caderent universa: sin ipse solus per aquas, ut per terras ambulando salvaretur, aliis in interitum missis. Praedicante Dominico, mox eius precibus corda ferrea, et diabolica sunt emollita, poenitentiam profitentur futuram, et confratriam hanc sanctam per se celerius promittunt incipiendam; simul magnis vocibus, et lacrymis, eius provoluti genibus, veniam precabantur, et auxilium; at ille pius pater. Ecce, inquit, iam divinum vobis ostendam subsidium: moxque manu dextera contra ventum extensa, ait: In nomine Iesu Christi, et per Mariam matrem eius pissimam, tace, et velocius obmutesce. Mira res, ac si nunquam fuissent venti, vel undae maris, sic mox fuerunt omnia pacata; verum, cum gubernaculum, et prora dirupta essent ex raptu saxi, et navis impleretur fluctibus, adeo ut iam pene mergeretur, et omnes ad genua in aquis starent; amico tamen meo Dominico soli visibiliter apparebam: navim ex aquis elevans, sicut in terra feci stare, partesque eius compaginans in meliorem pristino statum restitui undis vacuas. Simul dixi eis: Filii, casa, mercimonia, resque omnes, quas de navi proiecistis, simul in mari Britannico reperietis, nec ad terram declinabunt, donec ad ea secure attigeritis, quibus gratias immensas referentibus, voces protinus horribiles in mari clamantium auditae sunt daemonum: vae, vae nobis, quia hic Dominicus nos enervat, praedam nostram rapit, maioraque intendit, ordinem fundare scilicet: non solum autem Beata Virgo, sed et Christus Dominus beatum Dominicum docuit, ac praecepit praedicare populo Rosarii recitationem: nam B. Alanus de Rupe (*libro de dign. Psalt. B. Virg. cap.* 17) haec scripsit: visibiliter ipsi Sancto Dominico apparuit Christus, et ait: *Dominice, gaudeo, quod non confidas in tua sapientia, sed cum humilitate potius affectas salvare animas, quam vanis hominibus placere, sed multi Praedicatores statim volunt contra gravissima peccata instare, ignorantes, quod ante gravem medicinam debet fieri praeparatio, ne medicina sit inanis, et vacua: quapropter prius homines debent induci ad orationis devotionem, et signanter ad Psalterium meum angelicum, quoniam si omnes coeperint hoc orare, non dubium est, quin perseverantibus aderit pietas divinae clementiae: praedica ergo psalterium meum.*

Atque hinc est, quod sacri Pontifices unanimi consensu in Bullis suis in favorem Rosarii expeditis, pleno ore magnum Patriarcham Dominicum eius institutorem vocant: fastidii tamen vitandi causa, solum novissima verba Pii V. et Gregorii XIII. referam. Ille in bulla, cuius initium est: *Consueverunt*, sic loquitur: *Sancto spiritu, ut pie creditur, afflatus beatus Dominicus Ordinis Fratrum Praedicatorum auctor, simili qua nunc temporis occasione, quo Albigensium haeresi partes Galliarum, et Italiae misere vexabantur, et tam multos excoecaverat saeculares, ut in Domini sacerdotes, et clericos saevissime fureret, levans in coelum oculos, et montem illum gloriosae Virginis Mariae almae Dei Genitricis respiciens, in modum facilem, et omnibus pervium, et admodum pium orandi, ac precandi Deum, Rosarium seu Psalterium eiusdem beatissimae Virginis Mariae nuncupatum, quo eodem beatissima Virgo salutatione Angelica centies, et quinquagies ad numerum Psalterii Davidici repetita, et Oratione Dominica ad quamlibet decimam cum ceteris meditationibus, totam eiusdem Domini nostri Iesu Christi vitam demonstrantibus, interposita veneratur, excogitavit, excogitatum per sanctae Romanae Ecclesiae partes propagavit.* Deinde Summus Pontifex Gregorius XIII. in Bulla, quae incipit: *Ad perpetuam rei memoriam: Monet Apostolus*, haec verba habet: *Quia vero preces ad Deum oblatae, eo gratiores ad illius conspectum ascendunt, quo dignioribus intercessoribus, et pio aliquo orandi modo offeruntur, memores, b. Dominicum Ordinis Praedicatorum Institutorem, cum et Gallia, et Italia a perniciosis premeretur haeresibus, ad iram Dei placandam, et beatissimae Virginis intercessionem implorandam, pissimum illum orandi modum instituisse, quod Rosarium, sive Psalterium beatissimae Virginis Mariae nuncupatur*; hactenus Gregorius XIII.

Porro, ut de excellentia, ac dignitate Rosarii nonnulla dicere exordiar, certe cum praestantia totius, ex partium nobilitate, quibus componitur, venanda sit, non aliunde convenientius excellentiam et dignitatem Rosarii petendam esse censui, quam ex dignitate et excellentia orationis dominicae, et salutationis angelicae, ex quibus Marianum Rosarium coalescit; in quo sane praeclare, ac sapienter mihi videtur beatus Dominicus has duas orationes copulasse, tum quia Dominicam precationem cum salutatione angelica coniungentes, admonemur, quod, quemadmodum in lapsu humani generis sexus uterque corruit, et communis mortalium perditio ex Adam et Eva profluxit, ita ad restituendam humanam salutem vir unus Christus Dominus, et mulier una Deipara Virgo convenere: tum quia coniungentes utramque

hanc orationem pro augustissimo Incarnationis sacramento, et Christo Domino carnem assumenti, et Genitrici eius ex proprio sanguine carnem illi conferenti, grates rependimus, si non pares, saltem quas imbecillitas nostra eis deferre potest: et quidem, quod attinet ad orationem dominicam, nemo est adeo mentis impos, qui miram eius excellentiam non percipiat, dum credit a Christo Domino Sapientia Patris institutam. Salomon (*Prov. cap.* 16) verba bene composita favum mellis appellat: *Favus mellis composita verba, dulcedo animae sanitas ossium.* In ore leonis (*lib. Iudic. cap.* 14) legimus Samsonem favum mellis invenisse. Divus Ioannes (*in sua Apoc. cap.* 15) vocavit Christum leonem: *Vicit leo de tribu Iuda.* In ore huius fortissimi leonis dulcissimus dominicae orationis favus fuit elaboratus, a quo illum christiani Samsones, sacri scilicet Apostoli, et Evangelistae prius suxerunt, et nobis degustandum tradiderunt. Sacra referunt eloquia singularem industriam, qua usus est Ioab ad reconciliandum Absalonem cum patre suo Davide: posuit in ore mulieris Thecuitis verba quaedam bene composita, quibus placaret regem David (2. *Reg.* 14): *Ingredieris ad regem, et loqueris ad eum sermones huiuscemodi: posuit autem Ioab verba in ore eius.* Quibus auditis, continuo rex David dixit ad Ioab: *Ecce placatus feci verbum tuum: vade ergo, et revoca puerum Absalon.* Non dissimiliter Christus Dominus ad reconciliandum peccatores cum Deo, ab eo aversos, verba orationis dominicae in ore eorum posuit, quibus veniam ab eo deprecaremur: sicut autem David agnovit verba, quibus loquuta est, subministrata fuisse ei a Ioab: *Numquid manus Ioab tecum est in omnibus istis?* ita aeternus Pater orationis dominicae verba a nobis prolata audiens, ac stylum eorum Christi esse agnoscens, petitionibus nostris annuit, et intuitu illorum veniam peccatoribus impertit. Unde merito, cuilibet nostrum, cum orationem dominicam recitans exauditus fuerit, usurpare licebit verba illa Iob: *Cum invocantem exaudierit me*, credo, quod non exaudierit vocem meam: quia revera non tam exaudit vocem deprecantis, quam ipsius Christi, a quo oratio dominica fuit composita, et ab eo in os nostrum immissa: ad quod respiciens divus Cyprianus (*de orat. Dom.*) inquit: *Qui fecit nos vivere, docuit et orare, et dum orationem, quam filius docuit, apud Patrem loquimur, facilius audiamur, et agnoscat Pater filii sui verba, cum preces fundimus.* Constat autem haec deprecatio non absque mysterio septem petitionibus, quia sicut universa haec inferior mundi machina septem coelis, qui sunt sub firmamentum stellarum, regitur, ac septem planetis in eam influentibus fovetur, et conservatur: et sicut homo tribus constat potentiis animae, et quatuor elementis, sive illa sint formaliter, seu virtualiter in eo: et sicut spiritualis hominis perfectio ex septem virtutibus dependet, tribus theologicis, et quatuor cardinalibus: et sicut Spiritus sancti dona, ac coelestia charismata, quibus anima exornatur, septem esse perhibentur: ac tandem beatifici dotes septeno numero gaudent: tres enim pertinent ad animam, visio, amor, et fruitio, quatuor ad corpus spectant, impassibilitas, agilitas, subtilitas, et claritas: ita Christus Dominus cuncta, quae voluit a nobis postulari, ad septem breviter revocavit, quibus nos quid petere debeamus, instruxit. Unde d. Augustinus (*epist.* 121. *cap.* 12) dixit: *Quisquis id dicit, quod ad istam evangelicam precem pertinere non possit, etiamsi non illicite orat, carnaliter orat, quod nescio, quemadmodum non dicatur illicite, quandoquidem spiritu renatos nonnisi spiritualiter decet orare: qui autem dicit in oratione, verbi gratia, Domine, multiplica divitias meas, aut honores meos auge, aut quid huiusmodi, non attendens, ut ex his secundum Deum prosit hominibus, puto eum non invenire in oratione dominica, quo possit haec vota coaptare, quamobrem pudeat saltem petere, quae non pudet cupere; aut si hoc pudet, sed cupiditas vincit, quanto melius hoc petitur, ut is etiam ab isto cupiditatis malo liberet, cui dicimus, sed libera nos a malo*; hactenus divus Augustinus: cui adnecto b. Cassianum (*collat.* 9. *cap.* 24) ubi ait: *Videtis ergo, qualis nobis ab ipso, qui per illam exorandus est, iudice, orationis sit modulus, et forma proposita? in qua nulla divitiarum petitio, nulla memoria dignitatum, nulla potentatus, ac fortitudinis postulatio, nulla corporeae sanitatis mentio continetur, nihil enim caducum vult a se, nihil vile, nihil temporale aeternitatum conditor implorari. Itaque magnificentiae eius, ac munificentiae maximam irrogabit iniuriam, quisquis his sempiternis petitionibus praetermissis transitorium aliquid, et caducum ab eo maluerit postulare: et offensam potius, quam propitiationem iudicis sui utilitate orationis incurrat*; ita Cassianus. Quare d. Ioannes Chrysostomus (*sup. Matth.* 7): *O quam fidelis*, inquit, *est beata haec oratio, cuius ordinem nobis doctor vitae, ac magister coelestis instituit: quia enim exaudiri non debemus, nisi in his, quae spectant ad honorem, et nostram utilitatem, nos autem ignoramus, quid petamus; ideo dulcissimus Dominus, ne vagemur incerti, petendorum nobis in hac oratione formam dedit, ut ipsam devote dicens, confidenter speret postulata impetrare*, iuxta illud Iacobi (*cap.* 1): *Postulet in fide*: et infra sic ait: *Qui non sic orat, ut docuit Christus, non est Christi discipulus, nec Pater libenter orationem exaudit, quam Filius non dictavit. Cognoscit enim Pater sensum Filii, et non recipit verba, quae humana cogitatio excogitavit, sed quae sapientia Christi exposuit.* Accedit divus Augustinus, qui (*homil.* 42. *ex quinquaginta*) in hunc modum loquitur: *Spem habentes obtinendae causae nostrae, quando talis Iurisperitus nobis preces dictavit, sicut confessi estis, qui sedet ad dexteram Patris, ipse est advocatus noster, qui venturus est Iudex noster.* Causam vero tantae illius efficaciae ad impetrandum, d. Cyprianus principem in ipso spiritu et orationis, et orantis ponit, dum sic ait: *Iam praedixerat, horam venire, quando veri adoratores adorarent Patrem in spiritu, et veritate; et implevit, quod ante promiserat, ut qui spiritum, et veritatem de eius sanctificatione percepimus, de ratione quoque eius vere, et spiritualiter adoremus: quae enim potest magis spi-*

ritualis esse oratio, quam quae a Christo nobis data est, a quo nobis Spiritus sanctus missus est? quae vera magis apud Patrem precatio, quam quae a Filio, qui est veritas, de eius ore prolata est? ut aliter orare, quam docuit, non ignorantia sola sit, sed et culpa, quando ipse docuerit, et dixerit: Relicitis mandatum Dei, ut traditionem vestram statuatis. Oremus igitur, fratres dilectissimi, sicut magister Deus docuit: et infra: *Nam cum dicat, quia quodcunque petieritis a Patre in nomine meo, dabit vobis; quanto efficacius impetramus, quod petimus in Christi nomine, si petamus ipsius oratione?* hactenus divus Cyprianus. Sed et illud singularem orationis dominicae sanctitatem, venerationemque declarat, quod sanctus Gregorius (*epist.* 63, *lib.* 7) commemorat, ubi ad Ioannem Syracusanum Episcopum ita scribit rationem de ordinatione Missae reddens: *Orationem dominicam idcirco mox post precem dicimus, quia mos Apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodo orationem oblationis hostiam consecrarent, et valde mihi inconveniens visum est, ut precem, quam scholasticus composuerat, super oblationem diceremus, et ipsam traditionem, quam Redemptor noster composuit, super eius corpus et sanguinem non diceremus:* sed et dominica oratio apud Graecos ab omni populo dicitur; apud nos autem a solo sacerdote.

Quod si maguam huius orationis utilitatem tibi persuadere velim, non aliter melius praestabo, quam ex his, quae Christus Dominus beatissimo patri Dominico revelavit: ut enim auctor est beatus Alanus de Rupe (*lib. de dign. Psalt. cap.* 17) Dominus ei dixit: *Iam volo te praedicare meam orationem dominicam, ut alicias peccatores ad me laudandum, et hoc eis suadebis per utilitates, quae habentur in ista oratione.* Quod obedientissimus Pater confestim executioni mandavit: nam illas omnes recitavit auditoribus Tholosanis in Ecclesia maiori, in solemni festo beatissimae Virginis, ut idem beatus Alanus scribit; concionis autem illius hoc compendium est.

Primo. Charissimi, in terra deserta parvulis filiis vix ambulare valentibus, numquid esset necessarium habere Patrem comitem, et eos dirigentem? nos sumus parvuli in deserto mundi, nec valemus ambulare, neque operari aliquid ex nostra sufficientia, quae tota ex Deo est: ergo convenienter oportet capere orationem dominicam, per quam habebimus Patrem nostrum praesentem, cum dicimus, *Pater noster.*

Secundo. Si qui pertransirent terram, ubi omnes a serpentibus, aut draconibus ieti morerentur, an non hic necessarius foret vir sanctissimus, qui ab istis laedi non posset, et ipsos valeret occidere, et viatores humeris sublatos per flumina a devia transportare? At nos vivimus in terra draconum, inferni, peccatorumque omnium: Christus est pater noster fortissimus, et ter maximus, qui non moritur, mors illi ultra non dominabitur: ergo confiteamur illi, et dicamus, *qui es.*

Tertio sumus, et ambulamus in terra tenebrosa caliginis, et umbra mortis, quare indigemus claritate coeli, solis, lunae, ac stellarum. Saepius igitur dicamus: *In coelis*, quia Christus est coelum coelorum, et claritas omnium coelorum secundum divum Bernardum et Augustinum. *Ipse est Sol iustitiae, et stella oriunda ex Iacob, etc.*

Quarto. Si quis iter ageret, ubi omnis in peccato mortali deprehensus, continuo morti addiceretur; ille, ne funditus perireť, necesse foret, vel, ut haberet sanctitatem, vel ut esset cum sanctis, qui eum a morte liberare posset. At nos sumus in tali terra: nam anima, quae peccaverit mortaliter, ipsa morietur quoad gratiam, et ad mortem obligatur aeternam. Ergo dicamus ad Psalterium, *Sanctificetur:* quatenus possimus sanctificari, et a sanctis Dei adiuvari.

Quinto. Iurus per regionem ignotae sibi linguae, hanc ab eo vel addisci oporteret, vel uti fido interprete. Nos peregrinamur in terra aliena, et futuram civitatem inquirimus, ubi linguis angelorum loqui necesse est. Hae igitur ante nobis discendae sunt. Sunt autem duae scholae, in quibus lingua coelestis addiscitur: oratio Dominica, et salutatio angelica. Dicamus ergo in illa saepius, *Nomen tuum:* hoc enim nomen est verbum Dei, et designat verbum, per quod omnia creata sunt.

Sexto. Iter per regnum tyranni habiturus, qui quoscunque abripit, in servitutem redigit, nonne is de regia potentia alicubi imploranda sibi circumspiceret, qua tutus ab tyranno foret? Mundus, is tyrannus: regia igitur Dei potestas quaerenda est, et sic oranda, *Adveniat regnum tuum:* quod est Filii Dei victoris omnium. Unde divus Ioannes Chrysostomus: *Regnum tuum, Iesu Christe, universa mundi regna devincit, et quoque fidel es secure facit transmeare ad regna superna, quoniam tu es Rex regum, et Dominus dominantium.*

Septimo. Tendenti per hostiles terras, aut salvum conductum, aut patentes habeat, aut captivitatem subeat, necesse est. Nobis igitur in huius orbis hostilitate, sumamus, et usurpemus hanc summi regis libertatem, quae est, *Fiat voluntas tua. Nam summa libertas est*, ait divus Augustinus, *divinam facere voluntatem. Servire Deo, regnare est.*

Octavo. Si cui peragranda foret aquis superfusa regio, is aut navi, aut alia opus habebit vectura: nos vero sumus ii, qui praesentis vitae miseriis circumfundimur; quoniam secundum Basilium iste mundus non est, nisi diluvium peccatorum. Quare in coelo sit refugium nostrum, dicamusque, *Sicut in coelo:* haec est illa maris stella, Mater Dei alma.

Nono. Quod si autem terra peregrinationis tuae aspera montibus, ac saltibus horrida foret, et invia, seu cavernosa, aut lutosa, aut terraemotibus quateretur, alterutrum necesse est, vel, ut ultima perpessus pereas, aut quae via se tibi ostendat, qua evadas: in tali terra corporis tui est anima tua; ea infirmitatibus est circumdata, tribulationibus est spinosa, timoribus, et mutabilitate varia, interque spem ac metum dubia: invade tramitem orationis dominicae, et dic, *Et in terra.* Ex hac in coelos via est per orationem.

Decimo. Fac ita esse: in terra degas sterili, ubi mira fames, et egestas rerum sit omnium, et plurima mortis imago contabescentium, an non de victu potuque tibi providendum esset? ita esset, aut moriendum. Atqui nos hic sumus in terra deserta, et in loco horroris, et vastae solitudinis, famis, ac mortis. Oratio vero, secundum Basilium, praestat panem, et potum vitae. Accipe ergo Psalterium, in quo oretis: *Panem nostrum quotidianum.*

Undecimo. Si qui se principi totos ita dedissent, ut aliunde, nisi ex ipsius manibus, nutriri non possent: is autem nulli quicquam elargiri vellet alimenti, nisi qui suum regale gestaret signum, tesseramque exhiberet; dementiae foret hanc velle negligere. Nos sub potenti manu Domini agimus, quam is aperit, et implet omne animal, sed si data ab ipso tessera exhibeatur. Cum ergo, secundum Chrysostomum, oratio evangelica sit signum verum divinae bonitatis, et potestatis; par est, dicamus in Psalterio, *Da nobis hodie.*

Duodecimo. Qui severo regi essent grandi debito obstricti, ut, cum aere non essent solvendo, capite luere oporteret, rex autem omnia dimittere paratus foret, tantum ut pro remissione rogetur; demens, et infelix esset, qui tantulum ipsi nollet deferre submissionis, et obsequii. Nos debitores Deo facti sumus, aeternis mancipandi carceribus, et tortoribus: parva utraque prece humili evadere possumus, sic enim rex ipse: *Cum clamaverint ad me, exaudiam eos, et ero illorum Deus.* Oremus ergo saepius: *Dimitte nobis debita nostra.*

Decimoterdio. Qui tenti a principe, et nexi, essent ultimo perdendi supplicio ob immania sua facinora, ni leviusculis offensis proximorum ipsi veniam libenter dederint; hoc vero praestare nollent, sane infelices essent, et maledicti censendi. Haec autem remissio ad proximos fit, cum dicimus: *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.*

Decimoquarto. Si tentationibus daemonis carnis et mundi moeroribus, ac miseriis agitati, ab his unius lapilli gestatione immunes esse possent, et nollent tantillum, aut negligerent; ii insani, ac vere miseri essent existimandi: talis gemma est oratio dominica: *praeservat*, ait sanctus Augustinus, *a cunctis illusionibus et nocumentis.* Quare merito in Psalterio saepe orandum: *Et ne nos inducas in tentationem.*

Decimoquinto. Si denique navigandum foret nobis, ac transmittendum mare infestum a balaenis, a rupibus submersis, a vorticibus, a charybdi, a syrenibus, a gryphibus, et tempestatibus, ac pyratis: starent vero in portu rex, et regina, offerentes duas gemmas, quae ex omnibus istis malis eripiendi vim haberent. Nos autem contemneremus; quis non vesanos diceret? at in hoc mundi freto sunt daemones, peccata occulta, luxuria, gula, avaritia, superbia, ira, invidia. Christus suam orationem, salutationem suam Maria offerunt. Acceptemus igitur, inque Psalterio semper dicamus: *Sed libera nos a malo. Amen.*

Huic parabolicae suasioni beati Dominici, utilissimam aliam beati Alani adiungere non gravabor, quae ad Dominicam orationem frequentandam factis potius, quam verbis studet inducere. Libet tamen illam ex sancto Gregorio Nysseno de eadem praemittere sententiam, quod quaedam velut synopsis esse mihi videatur eorum, quae hactenus sunt allata, eruntque deinceps de multiplici effectu ac fructu orationis commemoranda: sic enim sanctus Gregorius: *Oratio corporum robur est, abundantia domus, recta legum ac iuris in civitate constitutio, regni vires, belli trophaeum, pacis securitas, diffidentium coniunctio, coniunctorum conservatio: oratio virginitatis sigillum est, matrimonii fides, viatoribus scutum, dormientium custos, vigilantium fiducia, agricolarum fertilitas, navigantium salus, eiusdem cum angelis honoris conditio, praesentium fructus, futurorum repraesentatio:* sed

Primo, ista nunc per exempla declaret Alanus, qui suis verbis sic ait: *Agnovi in Waldenhusen, qui homagium diabolo fecerat baptismo abnegato; sed miro modo per Psalterium hoc acceptum, filationem recuperavit divinam: quia Pater noster orabat, inde etiam, ut pater esset multorum aliorum, Deo servire volentium postmodum promeruit.*

Secundo: *Vidi mortuos hoc suffragio esse resuscitatos, quinimo et morti condemnatos in pestilentia, hoc salutari antidoto a morte vidi esse ereptos: quia, qui es, orarunt.*

Tertio: *Perpendi propriis oculis, aliquos Religiosos omni vanitati dedितos, sed salubri hac medicina prorsus coelestiales effectos, quia, in coelis, orarunt.*

Quarto: *Meretrices, et usurarios per hoc castimoniae vinculum saepius perpendi de novo esse sanctificatos, quia, sanctificetur, orarunt.*

Quinto: *Blasphemos, et omni malignitate plenos, incorrigibilesque per hoc fidei oraculum scio perductos ad omnimodam nominis Dei reverentiam, quia, Nomen tuum, orarunt.*

Sexto: *Fuit etiam quidam rex, suo privatus regno tempore nostro, qui per hoc psalterium acceptum accepit regnum, quia, Adveniat Regnum tuum, orabat, etc.*

Septimo: *Gaudium habui aliquando summum, quia perpendi, quosdam apostatas a religione, et a sancta Dei Ecclesia apud infideles metu poenarum conversantes, se a gaudioso hoc suffragio sic ad divinam redierunt voluntatem, ut martyrium fortissime perferrent: inter quos quidam Antoninus fuit de ordine praedicatorum temporibus nostris: quia, Fiat voluntas tua, orarunt.*

Octavo: *Habui prodigium insigne per hoc oraculum, salutare in clara experientia, quod in quibusdam terris, ubi fuit aurae maxima intemperies nociva supra modum hominibus: sed praedicato hoc coelesti suffragio optata cunctis rediit serenitas, quia, sicut in coelo, orarunt, etc.*

Nono: *Experimento probavi sterilitatem in quibusdam terris, et pestiferam cladem horribiliter grassantem; sed stella Psalterii adveniente, terrigenis terrisque est benedictio collata; quia, et in terra, orarunt.*

Decimo: *Pretiosissimam Eucharistiam novi multos prae peccatorum suorum pondere habere in nausea, et irreverentia, sed accepto hoc remedio devotionis, singularem senserunt in tam mirabili Sacramento suavitatem, Christum Iesum*

ibidem saepius sensibiliter intuebantur, quia, panem nostrum quotidianum, orarunt etc.

Undecimo: *Lasta etiam mente aliquoties perpendi, quosdam immisericordes, et feroces,* ut in quodam milite, quem fama, non de nomine novi, *qui acceptis armis Psalterii, sic dabant, et abundanter erogabant, ut caeteros clementia superarent; quia, da nobis hodie, orabant, etc.*

Duodecimo: *Virum cognovi, qui in tantam corruit desperationis voraginem, ut nemo posset aliquid de eius salute sperare; sed accepto Psalterii brachio, in spe et opere, multos etiam devotissimos superabat: quia, et dimitte nobis debita nostra, orabat, etc.*

Decimotertio: *Novi etiam praepotentem baronem, et comitem, qui capitali odio guerram gerebat contra similem sibi in potentia principem: unde mala maxima contingebant; sed accepto pacis oraculo, pax tanta est firmata inter eos, ut putarentur tanquam osculus, et amicus; quia, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, orabant, etc.*

Decimoquarto: *Oculis propriis vidi a diabolo possessum, sed cum portaret omis Psalterii huius evangelicum, continuo liberabatur; cum autem illud dimittebat, statim ab inimico vexabatur. Et similia plura saepius vidi, et audivi; quia, et ne nos inducas in tentationem, orabant, etc.*

Decimoquinto: *Conspexi viros, et mulieres, qui mihi dixerunt, sibi defunctos apparuisse sub verissimis fidei indiciis, tanquam cruce signatos, qui dicebant, quod cito essent liberati a poenis, quia pro eis Psalteria dicebantur: orabantur enim, sed libera nos a malo. Amen.* Hucusque Alanus, quae sufficiant.

De dignitate, et excellentia tamen orationis Dominicae, cuius expositionem, qui desideraverit, consulat Nyssenum, et Tertullianum (*lib. de orat.*), Cyprianum (*serm.6. de orat. Domin.*), Cyrillum (*catech. 5. mystag.*), Chrysostomum (*homil. de orat. Dom. et in cap. 6. Matth.*). Hieronymum, Theophylactum, Euthymium (*in 6. c. Matth.*), Divum Ambrosium (*lib.5. de sacram. cap. 4*), Augustinum (*epist. 121. cap. 9. 10. 11. et lib. 2. de serm. Dom. in monte cap. 4. et hom. 42. et 50. et serm. de tempor. 126. 135. 182. et serm. 9. ex diver.*), Chrysologum (*serm. 67*), Innocentium 3. (*lib. 5. de myst. Missae cap. 7*), Petrum Laodicensem, et Germanum Patriarchum (*in expos. orat. Dom. Cassi. collat. 9. cap. 18.*), Maldonatum (*in 6. cap. Matth.*), Toletum (*in 2. Luc.*), Albertum Magnum (*utroque loc.*), Cornelium Sennekis (*quinque serm.*), Petrum Canisium (*in catech.*), et Durantium (*in ration.*), etc.

Ceterum iam de dignitate, et excellentia salutationis angelicae nonnulla subiiciamus. Tres illa habet auctores omni exceptione maiores, cum per os illorum locutus sit Deus. Primus est archangelus Gabriel, dum b. Virgini dixit (*Luc. 1*): *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus.* Secundus fuit Elisabetha ad beatam Virginem, dicens: *Et benedictus fructus ventris tui.* Tertius est Ecclesia catholica, quae illa subnectit verba: *Iesu, sancta Maria mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc et in hora mortis nostrae. Amen.* Hanc tanti fecerant Christus Dominus, Apostoli, et angeli, ut b. Alanus (*lib. 2. de ortu et prog. frat. cap. 17*), affirmet Dei Genitrice superstite, omnes illos ea usos fuisse, imo addit etiam beatam Virginem illam usurpasse, ut sibi revelavit in haec verba: *Ipse sciens virtutem annuncialionis Dominicae, devotius illam dicebam, ego, inquam, secundum esse naturale humanum, orabam ipsam Mariam secundum esse divinum gratiae, et gloriae;* additque ibidem: *Sancti in coelo angeli offerunt Mariae Virgini hoc salutare*, scilicet salutationem angelicam, *non voce, sed mente. Sciunt enim, quod tali auxilio est ruina angelorum reparata, Deus homo factus, et mundus renovatus.* Hinc salutationem angelicam tam Apostoli, quam alii sancti Patres in suis liturgiis recitandam praescripserunt: etenim divus Iacobus (*in sua liturg.*), post multam Deiparae invocationem per salutationem angelicam, beatam Mariam salutat: quod idem praestitit sanctus Ioannes Chrysostomus (*in sua liturg.*), totidem eam verbis in canone Missae, a se composito, usurpandam praescripsit; et ut tradit eruditus auctor Andreas Compesien. (*in sua clavi praed. Rosar. lib. 1. cap. 12*), Apostoli, ut ad orationem dominicam, sic et ad salutationem angelicam, sanctum sacrificium missae offerre consueverunt. Beatus etiam Basilius magnus (*in sua form. liturg.*), eandem inserit salutationem angelicam, qui cum divo Ioanne Chrysostomo (*prae. loc.*) arbitratur, proximum dignitatis, ac sanctitatis locum post ter sanctissima consecrationis verba, tenere salutationem angelicam oportere; simul docens, quem in modum eadem pie, recteque uti deceat in Ecclesia, cum grata videlicet memoria summi beneficii, atque supremi mysterii. Nam, ut beatus Petrus Damianus ait (*serm. de Nativ. beat. Virg.*): Incarnatio Dei, redemptio hominum, et renovatio mundi in ea continetur. At, si effectus eius miram utilitatem agnoscere desideras, recole, quae pie et erudite in haec verba beatus Alanus (*l. de Psal. beat. Virg. c. 70*) dixit: *Ausultet sancti tui nominis amator, Maria. Coelum gaudet, omnis terra stupet, cum dico, Ave Maria, satan fugit, infernus contremiscit: cum dico, Ave Maria, mundus vilescit, cor in amore liquescit: cum dico, Ave Maria, terror evanescit, caro marcescit: cum dico, Ave Maria, crescit devotio, oritur compunctio: cum dico, Ave Maria, spes proficit, augetur consolatio: cum dico, Ave Maria, reverentur animus, et in bono confortatur anger affectus: cum dico, Ave Maria, siquidem tanta est suavitas huius benedictae salutationis, ut humanis non possit explicari verbis, sed semper altior manet, et profundior, quam omnis creatura indagare sufficiat. Haec oratio parva verbis, alta mysteriis, brevis sermone, alta virtute, super mel dulcis, super aurum pretiosa, ore cordis est iugiter ruminanda, labiisque puris frequentissime legenda, ac devote repetenda: nam verbis paucissimis contexitur, et in latissimum torrentem coelestis suavitatis diffunditur;* sic Alanus, etc.

Atque hinc est, quod sancti Patres excellentiam pariter, et utilitatem salutationis angelicae probe agnoscentes, multifariam, multisque modis illam suadent. Sanctus Athanasius (*sup. Evang. de sanctis. Disp.*) in hunc modum

b. Virginem salutat: *Ad te clamamus, recordare nostri sanctissima Virgo: quae etiam a partu Virgo permansisti: Ave gratia plena, Dominus tecum. Beatam te praedicant omnium angelorum, et terrestrium Hierarchiae: benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui: intercede hera, et domina, et regina, et mater Dei pro nobis.* Divus Ioannes Damascenus (*in orat. de dormit. b. Virg.*), et idem sanctus doctor (*in Cant.*), ad sanctae Genitricis Dei annunciationem sic loquitur: *Piorum labia Dei Genitrici angeli vocem sine intermissione modulantes, cum exultatione clamant: Ave gratia plena, Dominus tecum.* S. Bernardus (*super Mis. est*) haec melliflua scripsit de salutatione angelica: *Dum eam devote dicimus, coelum videt, angeli laetantur, daemones fugiunt, infernus tremit, quoties cum reverentia dicimus, Ave:* ac rursus idem ait: *Est tibi o Virgo Maria, quasi osculum imprimere, hunc audire versiculum: Ave Maria: toties enim o beatissima oscularis, quoties per Ave salutaris:* et addit: *Ergo fratres charissimi, ad imaginem eius accedite, genua flectite, oscula imprimite, Ave Maria dicite;* haec ille. S. Cyrillus Alexandrinus (*hom. 6. contra Nest.*), coram Patribus Concilii Ephesini sic beatam Virginem honorat: *Salve sancta, et arcana Trinitas, quae nos omnes ad hanc Deiparae celebritatem convocasti; salve et tu quoque Dei Genitrix, tu lampas inextinguibilis, tu virginitatis corona, tu rectae fidei sceptrum, ac norma, tu templum inviolatum, tu virgo, et mater, per te benedicimus, qui venit in nomine Domini.* Antiquissimus Chrysippus presbyter Hierosolymitanus sic illam salutat, et salutare docet: *Ave fons lucis, omnem hominem illuminantis; ave solis ortus, qui nullum ferre potest occasum; ave armarium vitae; ave, quae es hortus Patris; ave, quae es pratum totius fragrantiae s. Spiritus; ave radix omnium bonorum; ave specimen gemmae, omne excedentis; ave vitis ureas pulchras producens; ave nubes pluvias potum animis sanctorum exhibens; ave, quae es puteus semper viventis aquae; ave, quae es rubus ardens igne spirituali, nusquam tamen adurens; ave porta clausa, soli regi aperta: ave mons, unde lapis angularis abscissus est sine manibus:* haec ille. Quae et similia pene infinita frequenter Patres edixere, quae brevitatis causa silentio praetereo, duo tamen minime praeteribo, quae b. Alanus (*lib. de Psal.*) refert valde memoranda, quod male affectum esse ad salutationem angelicam, seu eius recitationem negligere, signum est hominis reprobi: etenim (*cap. 11*) haec scribit: *Scias enim, et secure intelligas, quod, et inde late omnibus patefacias, quod videlicet signum probabile est, et propinquum aeternae damnationis, horrere, et attaediari, ac negligere salutationem angelicam, totius mundi reparatricem.* Alterum est, quod (*cap. 69*) de sacra quadam moniali beatae Virgini devotissima narrat. Haec post obitum suum cuidam sorori suae apparuit, cum qua de utilitate salutationis angelicae disserens, haec valde observanda ei dixit: *Si possem redire ad corpus, et unum dumtaxat Ave Maria orare, etsi sine magna devotione, ego propter meritum illius vellem tantum rursus sustinere cruciatum, quantum ante mortem perpessa fuit.*

Deinde salutationem hanc ex quinque inter alia commendabilem reperio. 1. ex parte mittentis, 2. missi, 3. personae, cui missa est, 4. causae, ob quam missa est, 5. ex insolito, ac singulari modo salutandi. Primum ex eo patet, quia missa est a tota Trinitate, et Gabrieli ad b. Virginem Mariam deferenda commissa est. Unde Pater ibi ostendit suam potentiam, dans Virgini vim, et potentiam concipiendi supra naturae ordinem, et capiendi quem coeli coelorum capere non possunt. Filius sapientiam ostentavit, dum ingrediens uterum virginalem, et egrediens salvo virginitatis sigillo, novit filiam matrem suam reddere. Spiritus sanctus gratiae suae thesauros manifestavit obumbrans Virginem, tantaque eam superadimplens gratia, ut de plenitudine eius accipiant universi. Innotescit etiam excellentia ex parte missi: nam nuncius fuit Gabriel, qui interpretatur fortitudo Dei, vel homo, et Deus, ut Christus homo, et Deus Iesus evangelizaretur: at licet principaliter esset missus Gabriel, tamen secundum Albertum Magnum (*super cap. 1. Luc.*), exercitus adfuit angelorum, qui non ingressi ad eam, foris reverenter expectarunt; ad eum certe modum, quo unicus angelus dicitur pastoribus nunciasse gaudium, et subito facta est cum angelo multitudo militiae coelestis exercitus: quod et praefiguratum cerno in Eleazaro, quem unum misit Abraham seniorem domus suae, multos tamen is viros habebat secum, ut (*Genes. 24*) legimus. Unde s. Bernardus (*sup. Missus est*) ait: *Non solum cum Gabriele descendit angelorum exercitus, sed etiam angelorum Dominus.* Excellentia deinde ex parte personae, ad quam missa est, satis liquet ex eo, quod fuit ad Mariam in matrem Dei electam, cui merito dicere nobis licet, quod Ægypii ad Ioseph (*Gen. 47. et 25*): *Salus nostra in manu tua est, respiciat nos tantum Domina nostra, et facti servimus regi.*

Rursus excellentia ex parte causae salutationis angelicae satis nota est, cum haec fuerit divini, aeternique decreti exequutio, et redemptionis nostrae annunciatio, ut eleganter prosequitur s. Bernardus (*serm. de annunc.*), etc.

Tandem eiusdem excellentia ex singulari, ac insolito salutandi modo deprehenditur. (*Daniel. cap. 2*) lego: *Rex in aeternum vive*: (*2. Reg. 16*): *Salve Rex:* (*Tob. cap. 5*): *Gaudium sit tibi:* (*1. Cor. 1*): *Gratia a vobis, et pax a Deo:* (*Iudic. 6*) Gedeoni dicitur: *Dominus tecum:* (*Iud. cap. 13*): *Benedixit te Dominus: benedicta es tu; benedictus Dominus.* Soli Mariae dictum est: *Ave gratia plena, Dominus tecum.* Tecum copiosissime in mente et tecum per novem menses erit incarnatus in ventre, etc.

Atque ex his facile id, quod intendebamus, colligitur, nimirum, quod cum tanta sit excellentia orationis dominicae, et salutationis angelicae, ex quibus, tanquam ex partibus Rosarii formula componitur, non potest non Rosarii, seu angelici Psalterii dignitas magna esse. Unde arbitror, quod si angelicum psalterium cum Davidico conferatur, hoc ab illo

nobilitate praecellatur, tum quia est causa finalis Davidici; finis autem est nobilior his, quae sunt ad finem secundum philosophum: tum nobilius est in perfectione, quia habuit effectum nobiliorem, puta (*Ioan.* 1): *Verbum caro factum;* tum quia est initium novi testamenti, quod nobilius est veteri; tum quia se excedunt, sicut figura, et figuratum, umbra, et corpus: *Omnia enim in figura contingebant illis*, ut ait Apostolus (1.*Cor.*10): tum quia compositum est a sanctissima Trinitate, ab angelo pronunciatum, et Mariae praesentatum; Davidicum autem a peccatore factum, et Synagogae collatum: tum quia angelicum est consummatio Davidici fructus, et perfectio, unde accedente testamento novo, evanuit antiquum: tum quia angelicum aperit coelum, Davidico clausum erat: tum quia per angelicum facta est universalis pax Dei Patris, et hominis; per Davidicum vero reconciliati non sumus: tum denique, quia Davidicum psalterium Christum, et Matrem eius a longe solum vaticinabatur futuram, angelicum autem, et Matrem Dei factam, et Deum ex ea incarnatum continet, et praedicat.

Ad extremum beatus Alanus (*lib. de dig. psal. cap.* 18) narrat haec sibi dixisse beatum Dominicum, cum sibi apparuit: *Tu praedicas fili; sed tibi caveas, ne potius laudem humanam quaeras, quam animarum fructum. Audi quid mihi Parisiis contigit? Debebam in maiori Ecclesia b. Mariae praedicare, et volebam curiose, non iactantiae causa, sed propter astantium facultatem, et dignitatem. Cum igitur more meo per horam fere ante sermonem in Psalterio meo,* Rosarium intelligit, *quadam in capella post altare maius orarem, subito factus sum in rapiu: cernebam amicam meam Dei Genitricem afferentem mihi libellum, et dicentem: Dominice etsi bonum est, quod praedicare disposuisti, sermonem tamen longe meliorem attuli: laetus librum capio, lego constanter, ut dixit, reperio, gratias ago, adest hora sermonis, adest Parisiensis Universitas tota, Dominorumque numerus magnus: quippe audiebant, et videbant signa magna, quae per me Dominus operabatur. Itaque ambonem ascendo, festum erat s. Ioannis Evangelistae, de eo aliud non dico, nisi quod custos singularis esse merui Reginae coeli; deinde auditores sic alloquor: Domini, et magistri praestantissimi, aures reverentiae vestrae solitae sunt curiosos audire sermones, et auscultare: at nunc ego non in doctis humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus, et virtutis loquar.*

Primo: Quaero, si hostilis esset terra vobis peragranda, num salvum conductum velletis, et circumspiceretis? at qui in mediis hostibus agimus, et salutatio angeli salutis est symbolum, iuxta hoc verbum, *Ave*, hoc salvo conductu liberabimur, quia orbis est liberatus a maledictione Evae per Ave.

Secundo: Cum est eundem per cavernas, et obscura loca, lucernam praeferimus: at omnes per humanae mortalitatis latebrosas tendimus cavernas: quare ad lucernam Mariam igne devotionis accedamus, et illuminabimur: ipsa enim est stella maris, et illuminatrix.

Tertio: Fac ita esse, regem Franciae diris facinoribus tuis habeas offensissimum; an non egeres reginae gratia, regis ad offensam placandam? nos sumus, qui in multis offendimus omnes Deum: hunc Regina coeli potest, et vult reconciliare, tantum illius a nobis recolatur gratia, et honoretur. Suadeo igitur, vel hodie arripiatis psalterium, cras forte non omnes vivetis: quod sic accidit, nam artium studiosi quatuor, improbis moribus, eum, ut peroravit despicatui habentes, aiebant: Magna quaedam expectabamus, et ecce puerorum lectionem audivimus: nocte proxima perpotant iidem, et scortantur, in amplexibus scorti, iram extimulante libidine, ad rixam, ad arma ruunt, duo internecione occiduntur, aliis duobus ad mortem vulneratis: hi ambo in carceres retrusi, paulo post, ibidem, inter blasphemias animam exhalant.

Pergit ita s. Dominicus summatim.

Quarto: Qui iter cogitat per loca sola, per terras incultas, et humani victus egentes, is aliunde sibi plene de commeatu provideat necesse est. Haec nostra peregrinationis terra inops est, bonorum coelestium inanis, et vacua. Quare de plenitudine illius accipiamus, quae est plena, etc.

Quinto: Turbatur terra bellis, aut infestam habent latrunculi, ut nulli sit unquam tuta salus, praeterquam in uno castro inexpugnabili; ad hoc, quis nisi contemptor vitae, non confugiat: talis est terra, in qua mortales agimus, et Dominus est refugium nostrum. Hunc requiramus in salutatione, persaepe dicentes, Dominus.

Sexto: *Omnes peccavimus, et egemus gratia;* peccatores in tenebris ambulant, idque in terra belluarum plena, vae soli, ductore egens et defensore: ora igitur Dominam, et assume eam tecum.

Septimo: Infames domos, et loca defugimus, aut soli non adimus: sin autem, periculum honoris incurrimus; quis tam infamis, ac mundus hic? et transcurrendus est nobis. Comitem ergo s. Mariam assumamus, dicentes illi saepius, benedicta.

Octavo: In schola, qui est, cuius linguam ignoral, hanc addiscit. Nos in ea sumus, ubi nescimus, odio, an amore digni simus: oremus ergo, ave, in quo hoc tu nobis id demonstrabis.

Nono: Si stipem ostiatim colligeretis in terra, ubi viri omnes duri forent, mulieres autem natura miliores; de harum misericordia vobis demerenda laboraretis. Maria est mater misericordiae, etsi omnes angeli, ac divi per nostra in Deum peccata aversi fuissent a nobis, non tamen illa Virgo. Quare merito eam benedicamus in mulieribus.

Decimo: Cum teste s. Gregorio, quotidie ambulemus vias mundi amaritudine plenas, gratissimus is Comes nobis fuerit, quia consolatione suavissimus. Hic, is est, et adesse vult nobis cui dicimus, Benedictus: quin igitur eum nobis, devincire studeamus in Psalterio?

Undecimo: Quid in itinere positis, labore fessis, fame, sitique exhaustis, destitutisque praesidio sui recreandi, quid his evenire posset gratius, quam, ut in arborem optimis plenam

fructibus, et manantem sub ea fontem incidant? nobis in vitae huius via inaquosa, beatissima Virgo occurrit arbor benedicti fructus, cum fonte vitae. Hanc igitur cum angelo salutemus.

Duodecimo: Fingamus e vobis aliquem illi regno dandum esse regem, in quo steriles omnes, nemo pater, mater nemo fieri posset: gemma tamen regi novo demonstraretur, cui vis inesset omnes foecundandi, hanc is, si sapit, minime reiiciet. In suo quisque corporis regno Rex est, sed id in terra est maledictionis, et spinarum; hanc tamen foecundabit, qui gemmam salutationis pie usurpabit ventris dictam: nam b. Virgo parieus, omnem orbi sterilitatem abstulit: tollit et suam.

Decimotertio: Dictum est nobis: Negotiamini donec veniam, sed mendicus, et pauper sum ego: quisque dicere potest: aurum, et argentum non est mihi. Unde igitur negotiabor? Sit ergo Regina, quae te copiose donare pecuniis velit: non illius amabis gratiam? Maria est, cui dicendum est, *Tui*, in quo intelligimus, omnia ipsam possidere: tibi possidet, ut subveniat tibi, illi tu famulare in psalterio.

Decimoquarto: Si quis vinculis nexus, et carcere clausus detineretur, oblatamque nollet clavim, qua apertis evadere foribus licite, et gloriose posset: cum is, demens, tum in sese foret iniquus. Nos vincti, sedemus in mendicitate, et ferro. Quin ergo clavim David accipimus, qui est, Iesus: hic, per quam fuit conceptus, et eandem salutationem accipitur.

Decimoquinto: Agenti super terram pestiferam, et fabificam, nil perinde opus est, ac certum antidotum, seu unguentum, quod adversus omnem luem valeret. Hoc autem est Christus, cuius sicut unguentum effusum nomen est; huius pigmentaria est Maria, quae Christum dedit orbi, dabit et tibi; tantum salutatione angelica ipsam rite venerare.

Cum igitur tot ac tam innumerae sint salutationis angelicae utilitates, frequenter sane salubri huius salutationis exercitio vacare deberemus: etenim, ut dixit d. Bernardus (*serm. de Pur.*), invitat ad nos salutandam Gabrielis exemplum, infantis tripudium, et resalutationis lucrum. Unde recte quidam Poetarum dixit:

Virginis intactae cum veneris ante figuram,
Praeterendo cave ne silentur Ave.

HOMILIA II.

In percelebri festo Rosarii beatam Virginem rosae comparamus: eius proprietates pulchre ei accommodantes in illa verba: Quasi plantatio rosae in Iericho.

Cum plurima, atque propemodum infinita epitheta de sacerrima Virgine divina eloquia proferant; nullum tamen, quantum capio, quantum sepio, prodiderunt, quod exacte magis vitam innocentem Deiparae exprimat, quam quod plantatio rosae dicta sit. Nam quod stella matutina, aurora consurgens, luna, cedrus, platanus, hortus conclusus, fons signatus, puteus aquarum viventium, porta orientalis, et alia eiusmodi de ipsa praedicentur, explicant illa quidem aut eius virginitatis decus, aut eius gratiae, ac pulchritudinis excellentiam. At vero plantatio rosae totum carsum vitae, dum hanc vitam nobiscum Virgo traduxit, indicat. Nam Ambrosius (*lib. de Virg.*) in rosa delicias virginitatis agnoscit. Plantatio rosae est integerrimae Deiparae vita. Rosa humilis est planta, cum parum fructus ex humo se attollat; beatissima Virgo speculum semper fuit humilitatis (*Luc.*1): *Quia respexit humilitatem Ancillae suae.* Plantatio rosae exiguas radices figit in terra; beata Virgo nihil unquam terrenum expetivit, ut ipsa testatur (*lib.* 10. *Revel. sanctae Birg. c.* 10). Rosa inter spinas nascitur, hispidisque aculeis rosae hastilia recrudescunt, et quo magis crescit plantula, eo densiores, eo duriores spinae concrescunt, multoque plures spinae, quam rosae cerountur; non secus accidit Virgini. Benedicta Maria sanctificatur per gratiam ab omni labe, etiam originali illam praeservante: en rosa. Benedicta Virgo patre orbatur: en spina. Beatissima Virgo in templo offertur: en rosa. Beatissima Virgo ieiuniis, ac vigiliis se affligit: en spinae. Ab angelo salutatur: en rosa. Sed turbari videt Ioseph: en spina. Christum Virgo parit: en rosa. Sed reclinat in praesepe, quia non erat ei locus in diversorio: en spina. Magos Christum adorantes cernit: en rosa. Sed fugit in Ægyptum: en spinae. Christum videt miracula facientem: en rosae. Sed eundem amarulentis odiis exceptum dolet: en spinae. Tandemque quo crescit rosa in Christi passione, ac morte, eo magis multiplicantur, ac recrudescunt spinae. Sed miror rosae constantiam: licet enim spinae durae, aculiores, et valentiores sint; rosa tamen, hoc est, Maria, consistit immobilis (*Ioan.*1): *Stabat iuxta crucem;* coeliquoe ac coelestis floris influxu nutriebatur, ac sustentabatur.

Ceterum, licet Deipara Virgo variis tribulationum spinis fuerit circumdata, ut Christo Filio suo, spinis coronato, similiorem se exhiberet, nullius tamen peccati spina illam unquam laceravit. Ut enim adnotarunt sanctus Basilius (*homilia* 3. *in Exam.*), et Ambrosius (*ib.*), nec non et Procopius, illud interfuit discrimen inter rosas ante paradisum consitum paratas, et eas, quae post praevaricationem Adae exortae fuere, quod cum istae spinosae nascantur, illas absque omni spina terra illa nondum maledicta germinaret; tunc enim, aiunt hi Patres, spinis carebat rosa; postea vero pulchritudini floris adiunctae sunt spinae: a principio sine spinis prodierant rosae, sed postea vepres accessere; non dissimiliter beatissima Virgo, instar rosae a principio creationis mundi, et ante primi parentis lapsum producta, omni peccati spina, virtute sanguinis Christi eam praeservantis, carnit. Quod et metaphora cedri, beatissima Virgo eleganter explicuit (*Eccl.* 27): *Quasi cedrus exaltata sum in Libano;* id est, quasi cedrus inter celera ligna, sic sum ego inter ceteras humanas creaturas: licet e

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nim cetera ligna a carie, et a tinea rodantur, cedrus tamen nunquam laedi potuit ab illis, quia incorruptibilis est, et impenetrabilis ab eis: atque ideo praeelecta fuit, ut ex ea arca foederis conficeretur, quae figuram gerit Virginis sanctissimae. Etaddit: *Et quasi cypressus in monte Sion.* Cypressus etiam nunquam a carie laeditur. Unde statua Iovis in Capitolio posita, post annos ducentos integra et sana inventa est; ac ideo cypressum eligebant Romani ad statuas suas conficiendas. Ideoque eam etiam praeelegit Plato (*lib. de leg.*), ut in ea leges conscriberentur, ne unquam corrumpi, aut consumi possent. Et prosequitur Virgo: *Et quasi platanus exaltata sum iuxta aquas.* Per aquas saepe in Scriptura pronitas, ac fragilitas ad peccandum exprimitur (1.*Regum* 7): *Conversi ad Deum filii Israel ex toto corde fuderunt aquam in conspectu Domini, et ieiunaverunt, atque dixerunt, peccavimus Domino.* Quid sibi vult haec caeremonia effundendi aquam coram Domino, gementes, et dicentes peccavimus? Aliqui dicunt id fecisse, ut innuerent radicitus se idololatriam deserere, nec vestigium eius in se retinere: quocunque enim liquore alio plenum sit vas, si effunditur, aliquid remanet inhaerens in vase; si tamen aqua plenum sit, faliter cum a se totam repellit, quod nec odor adhuc aquae remanet, nec vestigium aliud, vel indicium, quod ibi fuerit aliquando aqua. Unde per caeremoniam illam innuebant, quod radicitus omnem a se idololatriam expellebant. Alii vero credunt, quod per eam voluerit Samuel dicere Deo, ut eum ad misericordiam incitaret, respice ad debilitatem, ac fragilitatem nostram ad cadendum, et peccandum: *Omnes enim quasi aqua dilabimur.* Dicit ergo beata Virgo: Ego quidem plantata sum iuxta aquas, vel iuxta peccatores, qui maxima facilitate labuntur, sed denique plantata sum, quasi platanus. Platanus secus decursus aquarum plantatur, et in aqua nascitur, et ex aqua crescit, et sustentatur; sed sic levia habet folia, ut oleo diceres perunctа, nec guttam unam aquae in se retinere. Sic Virgo, licet ex parentibus orta peccatoribus, et iuxta peccatores enutrita, et commorata, nil tamen peccati ei adhaesit, sed ab omni macula libera extitit. Facit ad idem arbor illa (*Daniel.4*), de qua audivit rex: *Succidite arborem, verumtamen germen radicum eius in terra sinite.* Ex germinibus omnibus ab ea productis unum tantum integrum et illaesum servari praecipitur. Ista arbor magna Adam est. Germina sunt omnes homines ab illo producti. Arbor ergo, et omnia eius germina succidantur; unum tamen inter omnia servetur illaesum, Virgo scilicet sanctissima, quae pristinum ligni virorem retineat, nec labe aliqua foedetur, ut reliqui rami.

Ceterum ad rosam reversus, unde nonnihil oratio digressa est, beatissima Virgo gaudet, rosam in Iericho nominari triplici ratione, tum foecunditatis loci, tum singularis modi, tum ratione rei significatae: etenim in primis, Iericho foecundissima terra est, cum pretiosissimum balsamum producat, beatissimae Virginis praeclarum symbolum, Ecclesiastico in persona eius dicente (*c.* 24): *Sicut cinnamomum, et balsamum odorem dedi:* et ut id obiter dicam, id referente ex variis auctoribus, Ioanne Andrea (*in sua clave praedicandi, lib.* 1. *cap.* 26), Ægyptii balsamum ex Iericho transtulerunt, et in sua patria plantaverunt usque Babyloniam, sed ibi minime crescit, nisi terra manibus christianorum fuerit culta: quod mihi ob oculos ponit Virginis laudem non crescere, immo nec radices aliquas mittere, nisi inter catholicae Ecclesiae alumnos, qui tam prolem, quam matrem per sacras Rosarii preces religioso venerantur cultu. Singularem autem modum crescendi Ierichuntinae rosae tradit ex Alberto idem auctor in haec verba: *In Iericho crescunt rosae centum quinquaginta folia habentes;* quales Summus Pontifex, ut auctor est Cornelius (*serm.* 19. *de Ros.*) omni anno in die Laetare, solitus est Romae benedicere in Ecclesia beatissimae Virginis maioris. Ratione etiam significationis Deipara se rosam in Iericho nuncupavit: nam Iericho interpretatur *luna*, sive defectus; et ideo apte peccatores significat a Dei gratia deficientes. Sicut autem a solis illuminatione luna iterum quasi accensa rubescit, et crescit usque ad perfectum augmentum; sic peccator peccando deficit, et decrescit, donec Mariae auxilium invocans, divinae gratiae ardore accenditur, et de virtute in virtutem crescit, quousque evacuato, quod ex parte est, videt Deum deorum in Sion, aeternam felicitatem obtinens.

Finxere poetae olim rosam enatam fuisse e sudore feminae, nomine Ionae, cuius haec erat indoles, ut in diluculo candida, in meridie rubea, proxima iam nocte viridis appareret: sane quod in hac rosa commentum fuit poetarum, in beatissima Virgine veraciter impletum video, quia in suae conceptionis diluculo rosa fuit gratiae nitore candida, in annunciationis meridie divinitatis igni, in utero eius humanam carnem sibi incorporante, amoris flammis ignita, et rubicunda; in nocte tandem felicis eius mortis, viridis: hoc est, omnis putrefactionis immunis, incorruptionis virore decora permansit. Referunt etiam iidem poetae, rosam a primordiis suae creationis candidam fuisse, cum tamen Dea Venus molli suo vestigio illam calcaret, spinis illius puncta, sanguis effluxit, quo rosa conspersa, purpureum, et rubicundum mutavit colorem. Hac fabella, et mendacio eam veritatem docuere, nimirum eas virgines, quae a Veneris pede conculcari se patiuntur propter virginitatis iacturam, nimio verecundiae rubore suffundi, eas vero, quae a Venere non conculcantur, virginitatis candore nitere. Illud sane singulare est in beatissima Virgine, ut propter carentiam peccati originalis, vel ut aliis placet, propter fomitem peccati in ea a principio suae conceptionis penitus extinctum, Veneris pes, non dicam eam unquam calcaverit, sed nec attigerit, ut his verbis erudite dixit Richardus de sancto Victore (*lib.* 2. *de Eccm. cap.* 25): *In ceteris Sanctis magnificum fuit, quod a vitiis non sunt expugnati, in Virgine autem, quod nec in modico impugnata fuit.*

Fuit igitur beatissima Virgo rosa, omni pungenti spina carens, ad quod significandum Spiritus sanctus consulto rosae Ierichuntinae illam comparavit (*Ecclesiast.* 24): *Quasi plantatio rosae in Iericho.* Huiusmodi rosae Ierichuntinae reliquas omnes terrae promissionis longe antecellebant, in maiorique pretio capropter habebantur, quod non tam naturae cursu, quam Dei miraculo procreatae censerentur. Miraculum autem hoc fuit, quod propheta Elisaeus per Iericho pertransiens, audiens incolas dicentes (*Iosue* 6): *Civitas quidem optima est, sed aquae pessimae sunt, et terra sterilis,* ipse continuo pugillo salis in aquas immerso, miraculose eas fecit potabiles, et terras frugiferas. Inter varias autem plantas, quae planitiem terrae exornarunt, ita pulchritudine, et odoris fragrantia rosa superabat, ut Elisaei virtus, et miraculum magis in ea solum, quam reliquis omnibus effulgeret; et ideo apud omnes celebris erat plantatio rosae in Iericho. Non dissimiliter divinus Elisaeus Christus Dominus, non solum pugillo salis suae sapientiae, sed proprio sanguine suo sterilem hanc mundi terram, quae spinas, et vepres antea ferebat, irrigans, Ecclesiam frugiferam reddidit, adeo ut innumeram martyrum, virginum, confessorum, eremitarum, et anachoretarum multitudinem germinarit: inter omnes tamen has plantas rosa Iericho Maria tam longe reliquas alias praecellit, ut in ea sola virtus sanguinis Christi, et eius redemptionis incomparabiliter magis, quam reliquis omnibus praelucere merito videatur. Unde quemadmodum excellentia pulchritudinis rosae Ierichuntinae non tribuebatur virtuti terrae Iericho, cum ex se sterilis esset, sed virtuti Elisaei, miraculorum effectrici; ita immunitas ab omni labe, candor, et pulchritudo Deiparae Virginis non erat sibi connaturalis, nec ex se illam germinabat, sed virtute divini Elisaei Christi Domini, illam praeservantis, multisque coelestibus charismatibus eam locupletantis, tribui, et adscribi debet: vel certe aeterno Patri, qui in viscera eius sal sapientiae unigenili Filii sui immittere dignatus est. Ad haec Ecclesia catholica, cupiens beatissimam Virginem multis praeconiis efferre, rosae metaphoram usurpat: *Sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum.* Hebraismus est iste; etenim cum Hebraei careant adiectivis, loco illorum substantivis utuntur, filium iniquum dicere volentes, filium iniquitatis illum appellant; quare idem est flores rosarum, quod flores rosacei: fateor ita esse apud Hebraeos; sed altius mihi videtur tendere Ecclesia, cum ait, flores rosarum circumdare beatissimam Virginem, innuit sane, quod huc usque dicebamus, nimirum illud interesse discriminis inter beatissimam Virginem, et reliquorum omnium sanctorum coetum, quod illi sunt rosae, sed inter spinas variarum passionum, et tentationum animam perturbantium constitutae; beatissima autem Virgo fuit rosa inter flores coelestium donorum concepta, et enata.

Non inficior, quod inter flores quidam inveniuntur pulchri, sed non odoriferi, alii odore fragrantes, sed pulchritudine carentes, alii pulchri simul, et odoriferi, sed non medicinales; rosa tamen his omnibus simul virtutibus praedita esse perhibetur, et ideo consulto Ecclesia comparat Virginem, non cuicunque flori, sed flori rosaceo. Pulchritudo Virginis satis, superque apparet, in candore integerrimae eius virginitatis, praeclare quidem adumbratae in rosis illis Elisaei: etenim qui regiones illas accuratissime lustravit, et magna fide posteris quasi in tabula artificiose depicta spectandas proposuit, Bartholomaeus Saligniacus (*tom.* 9. *descript. terrae Sanctae cap.* 6) testatur, prope fontem Elisaei, huius generis nasci rosaria, quorum foetus istae rosae, qua Salvator noster nocte nasci dignatus, quamvis exsuccae sint, et siccae, paulatim sponte sua hiare, et tandem se prorsus pandere: post eam noctem ramos contrahunt, et in globum sese colligunt. Visae sunt nonnullae nostro tempore: id miraculi pia fidelium devotio Virginei partus honori communibus suffragiis adiudicavit. Dies miraculo consensit, et praerogativa incorruptionis Marianae miraculo respondet. Nam fatentur non catholici modo Patres sancti, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, et Damascenus, sed quod miremur magis, apud Galantium Rabbini Iudaeorum, ipsam esse portam principis, cuius nomen, teste Zacharia, est oriens, de qua praedixerat Ezechiel, quod *clausa erit, et non aperietur, et eir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, erit clausa principi.* Quid? Principem excludet? minime gentium: sponte, lubenterque admisit, concepit, peperit. Nonne hodie audivistis consensum promptissimum? *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum;* sed clausa principi, quia cunctis ad adventum usque principis clausa, quoniam virum non cognosco, quia novi virginitatem: quod vovit, reddidit: semper enim clausa mansit post egressum principis in ingressu, et egressu eius, quia virginitatis signaculum semper permansit illaesum, sic fuit clausa principi, hoc est in principis gratiam, et cum principe clausa. Subiungitur enim causa huius mysterii, *quia Princeps sedebit in ea,* sicut clausam ingrediens invenit, sic egrediens clausam reliquit.

Non solum autem b. Virgo fuit pulchra per virginitatem, sed et adeo odorifera per humilitatem, ut odoris sui fragrantia Verbum divinum in sinu Patris recubans, ad requiescendum intra virgineum eius claustrum alliceret, *Cum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Sane cum quispiam rex dignitatem regiam celans peregrinatur, nihil mirum, quod modica sibi placeant, et quae mediocra sunt, laudet, cum arva et campestria pretiosis non abundent. Cum autem rex alioquin sapiens, et opulentus sub aureis lacunaribus habitat, et in throno maiestatis suae summa rerum opulentia residet, tunc si quidpiam sibi placet, et illud mirifice laudat, manifestum id est perfectionis, et excellentiae rei argumentum. Certe, cum Christus Dominus Rex regum, et Dominus dominantium carnis velamine regia eius maiestate contecta in mundo hoc peregrinabatur, quorundam bonus odor sibi placuit, quos variis praeconiis commendavit.

UNIVERSIDAD DE NAVARRA

Chananeae fidem laudavit (*Matt.*15): *O mulier, magna est fides tua.* Ardentem Magdalenae amorem agnoscens, dixit (*Luc.* 7): *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Catholicam Petri confessionem audiens, in illa verba prorupit (*Matth.*16): *Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est.* At dum Christus coelica culmina tenebat, dum in sinu Patris aderat, *cum esset rex in accubitu suo*, odor Marianae humilitatis adeo sibi placuit, ut eius mira suavitate allectus, in uterum eius incarnandus descenderet.

Possumus etiam per odorem huius Marianae rosae celebrem Virginis famam intelligere, quae ad omnes etiam longinquas nationes pervenit, ipsa dicente (*Luc.* 1): *Beatam me dicent omnes generationes:* unde in eius figura de ea arbitror dictum illud Indili: *Erat haec in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum valde, nec erat, qui loqueretur de illa verbum malum.* Quod si quispiam mihi obliciat, nulla ratione haec verba in beatissimam Virginem convenire posse, cum tot haereticl, non unum verbum malum, sed permulta in illam detrectantes loquantur, imo potius id ipsum magis adstruit metaphoram rosae per omnia Deiparae Virgini quadrare, nam sicut ea est natura rosae, ut odoris eius suavitas scarabaeos a se longe arcere, imo et enecare soleat; ita eximia fragrantia sanctitatis Deiparae Mariae, adeo haereticis scarabaeis infesta, et invisa semper extitit, ut odoris eius fragrantiam ferre non valentes, nihil magis, quam illam fugiant, execrentur, et exhorreant. Ipsa tamen tanquam rosa mystica ubique omnes haereses intercmit.

Denique b. Virginem non solum pulchram, et odoriferam esse rosam, sed spiritualibus animorum morbis medendis mirifice praeducam, ex Heliano (*de varia hist.*) haud difficile erit comprobare. Narrat ille (*lib.*12), Aspasiae, Hermotimi Phocensis filiae pulchritudinem, et sanctitatem a rosaceo serto insperato obvenisse: haec enim, ut ille refert, postquam mater eius cum partu animam simul egisset in orbitate, atque in penuria, modeste tamen, ac liberaliter educata tali causa deformata est. Adhuc puellae enatus est tumor in ipso momento aspectu teterrimus, atque patri, tum ipsi puellae summum dolorem afferens: proinde pater eam ad medicum adduxit, qui se curaturum recepit, sed ea lege, si tres sibi stateres persolverentur. Cum autem pater tantum se non habere diceret, medicus puellam incuratam dimisit, quae ob id in acerbissimo luctu versata est. Verum posteaquam prae dolore non coenasset, plane opportunus eam somnus invasit: in somno autem visio oblata, haec verba protulit: Bonum animum geras, valeantque medici cum suis pharmacis, tu vero rosae serta Veneris, quae iam attriverint cape, eaque contrita puberi impone. Haec ubi audisset, et executa essel, tuber evanuit, et Aspasia inter omnes puellas adeo forma, vitae honestate, incorruptis moribus emicuit, ut primum Cyro Persarum regi, et eo interfecto, Artaxersi etiam nupta sit. Sane in hoc genere medicamenti nihil miraculi invenio: quid enim mirandum, si tumor a calore interno inardescente enatus, rosis detritis, quae refrigerandi miram vim habent, in cataplasmatis modum impositis depulsus fuerit? maxime quod id non subito, non momento, sed intervallo temporis, cum facile iam humor beneficio naturae digestus esse poterat. Impostor ille antiquus, qui sacraria sua instar Agyrtarum orbem ludificare usum habuit, occasionem nactus ex serto Veneris, quasi sanatio, et pulchritudo, opera illius idoli restitula esset, ad cultum daemonum vesanos pertrahere nitebatur: tantundem enim aliae, quantum ex serto decerptae, poterant sanare. Rosis enim vim medicam inesse quam maximam, veius medicorum decretum est: praeserlim ex calore obortis morbis fere omnibus salutares censentur. Unde Plinius asserit, rosas igni sacro mederi, et addit: *Rosa,* inquit, *per se medicas artes praebet, emplastris, atque collirii inseritur mordaci subtilitate. Susurrum ad aures, oris ulcera, tonsillas, capitis dolores, febres, et alia ingentia mala pellit, quibus corpus humanum solet ab interno calore conflictari.*

Istud inter magna, et admiranda operum Mariae repono, quod haec morbos, artem et vim medicam omnino despuentes, non contrario alio unguine, aut medicamine, non illo vel naturam iuvet, vel morbum leniat, digerat, aut consumere faciat, sed verbo, sed attactu rei, per se non medicae, quae nulla sive empiricorum, sive physicorum designatione curationi servit, sed et momento dispellat, et naturae ipsi invidiam faciat, ut perinde sit melior plantatio rosae in hoc nostro Ierichunte ad oblectandum sua pulchritudine, ad attrahendum suo odore, et sanandum vi sua medica. Quid plura? id omnibus satis experientia compertum est, nullam inter plantas ad extinguendas corporis infirmitates rosa utiliorem esse: etenim, ut Dioscorides (*cap.* 71. 12) affirmat, resolvit, et purgat improbos humores, cordis tremorem sedat, oculorum, et aurium dolorem vel expellit, vel mitigat. Galenus (*lib.* 3. *de qual. simpl. cap.* 8) ait, miram vim habere ad purificandum sanguinem. Plinius de rosa disserens (*lib.* 28. *de Nat. Histor.*) tradit, quod si serta rosacea, etiam sicca, capiti imponantur, capitis dolorem vel fugant, vel valde minuunt: sed et Mattiolus (*lib.* 1), refert, etiam sylvestrem rosam melle conditam singulari virtute ad venelicos canum morsus medendos praeditam esse. Unde sapienter Eusebius (*lib.* 8. *de praep. Evang. cap. ult.*) dixit, rosam non voluptatis tantum, sed utilitatis praecipue causa creatam a Deo.

Bone Deus, quot rosa mystica Mariae cordis tremores depulit, aeternae salutis fiduciam magnam, desperatis etiam peccatoribus conferens? quot improbos peccatorum humores ad nihilum reduxit, quot ambitionis tumores dissolvit? quot superbiae morbo laborantia capita ad pristinam sanitatem restituit, quot effraenatos potenter compescuit affectus, quot caninis peccati morsibus, ac diaboli imposturis laceratis, praesentissimum antidotum exhibuit? Testes huius veritatis non alios produco, quam Virginis alumnos, et alios eius auxilium

implorantes, miram eius potentiam et virtutem frequenter experientes, qui alioquin in peccatorum sordibus computrescerent, nisi mysticae huius Rosae Mariae coelitus indita virtus eos reficeret, et solidaret. Maxime autem universi medici commendant quadruplicem rosae virtutem, quod cor confortat, fluxum ventris refraenat, oculos clarificat, et dolorem capitis sanat; sane mystica Rosa Maria cor humanum, impetrans ei charitatem, confortat et roborat, quia fortis est ut mors dilectio (*Can.* 8): ipsa peccatorum fluxum, timorem praebens, potenter reprimit, ut enim dixit Sapiens (*Proverb.* 15): *In timore Domini declinat omnis homo a malo:* ipsa caligantem intellectum illuminat, divina arcana ei pandens, ut merito in eam conveniant verba Davidis (*Psalm.* 118): *Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis:* ipsa tandem caput mentis, quod est spes, iuxta illud Pauli (1. *Thess.* 5). *Galeam, et spem salutis assumite*, potenter sanat, quando tepidam nostram spem, et ad ima delectam, ad supernorum fiduciam sublevat. Perstrinxisse mihi videtur beatissima Virgo quadruplicem hanc virtutem, cum (*Eccl.* 24) dixit: *Ego mater pulchrae dilectionis, timoris, agnitionis, et sanctae spei: mater* ait *pulchrae dilectionis*, ecce cor languentes confortat per charitatem: *ego mater timoris*, ecce per timorem, quem incutit, vitiorum fluxum restringit: *ego mater agnitionis*, ecce spiritualem visum, Divinorum instructione, clarificat: *ego mater sanctae spei*, ecce caput mentis sanat per sublevationem. Sed et illud etiam de virtute rosae mirabile est, quod mortuis etiam, et sepultis fructuosam se exhibeat, cariei resistens, et putredinem, foetidumque arcens odorem, unde Homerus ad id alludens finxit, cadaver Hectoris a Venere, oleo rosaceo inunctum, a canibus et alitibus, quibus laniandum stomachosus ille Thetidis filius obiecerat, praeservatum esse; quanto verior haec laus Ierichuntinae nostrae Rosae Mariae convenit? cum non solum in vita, sed et in morte, et post mortem favoris sui suffragia, et subsidia nunquam deneget, petitionem illam exacte implens: *Maria Mater gratiae, Mater misericordiae, tu nos ab hoste protege, et hora mortis suscipe.* Etenim quemadmodum insignis illa foemina Respha (2. *Reg.* 21) pernoctavit in custodiam filiorum suorum ab initio messis, donec exillaret aquas super eorum cadavera, nec permisit aves eos lacerare per diem, nec bestias per noctem, sic et maiori longe cura, et affectu clemens Maria, tanquam vera Respha, hoc est, pruna, flammis charitatis ignita, filiolis suis, quos Christo peperit, assistit anxia, et a daemonibus meridianis, et nocturnis, quos volucres coeli Christus Dominus appellavit in parabola de semine, potentissima sua virtute liberat, a Purgatorii ardentibus flammis frequentissime eripit, ac tandem benedictum fructum ventris sui illis ostendit. Deinde in eo valde persimilis est beata Virgo rosae, quia sicut haec ceteris omnibus aliis floribus longe praestat Anacreonte poeta dicente:

Si floribus vellet
Iuppiter imponere regnum,
Excellit rosa flori.
Est Veri rosa curae.
Et gratae superis rosa.

Quocirca recte poetae censuerunt rosae regnum inter ceteros flores deferendum esse. Ita b. Virgo inter omnes virgines primatum tenet, solaque regina virginum nuncupari meretur.

Ad extremum restat iam tantisper scrutari, quid Ecclesia catholica sibi velit, dum flores rosarum, Virginem circumientes, diebus vernis comparat: *Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum:* potuisset enim illas odoriferas appellasse cum Tibullo:

Floret odoratus terra benigna rosis:

vel rubicundas cum Statio,

Rubentesque rosae primos moriuntur ad Austros:

vel aureas cum Pamphilio,

Floribus auricomam pinximus atque rosam.

vel tandem nitidas, aut mundas cum Propertio:

Et facilis spargi munda sine arte rosa.

At consulto arbitror comparasse rosas diebus vernis, ad manifestandum excellentiam Virginis super omnes creaturas: etenim dies verni in mullis reliquos alios totius anni praecellunt. Dies verni sunt pacatissimi, turbinum, et tempestatum ut in plurimum experies. Reliqui sancti variis tam internis, quam externis tentationum procellis concussi fuere, quia, ut ait (*Job* 7): *Militia est vita hominis super terram.* A beata autem Virgine, cum longe abesset bellum illud d. Pauli: *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem*, quia in ea impletum fuit illud Davidis (*Ps.*45): *Auferens bella usque ad finem terrae*, summa in ea viguit pax, et tranquillitas. Sed quomodo quaeso pace carere poterat illa, quae eius mater erat, qui est pax nostra, ut loquitur divus Paulus, et qui dixit: *Ego cogito cogitationem pacis.* Si Christus praecepit: *Dicite pax huic domui;* putas ne? ingrediens Marianam domum per novem menses inhabitare, non dixisse ei: *pax huic domui?* sane dixit; et quod dixit, factum est: habent et id speciale dies verni, quod prae omnibus aliis nitent, et a tenebrarum caligine longe absunt. Sane divus Bernardus (*serm. de natevit. Mar.*) tanta claritate censuit Mariam praeditam, ut non dubitaret solari corpori illam comparare: *Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum, ubi dies? tolle Mariam hanc maris stellam, marisque utique magni, et speciosi, quid nisi caligo involvens, et densissimae tenebrae relinquuntur?* Ac tandem illud praecipue observatione dignum est in diebus vernis, quod longiores sunt reliquis omnibus. In nobis dies vitae nostrae sunt instar hyemalium dierum. Nam sicut in his proximus est occa-

sus solis ortui, lux cito evanescit, et longa, ac prolixa nox succedit; ita in nobis rerum coelestium charitas perexigua viget, ignorantiae vero caligo densissima mentem occupat. In beata autem Virgine cupida divinorum arcanorum, cognitio illorum intellectum eius illustrabat propter speciale Christi ministerium, illam prae omnibus aliis edocentis, et illuminantis, ut his verbis dixit s. Bernardus (*serm. de b.Mar.*): *Licet in parabolis loqueretur ad turbas, et licet omnia Apostolis nota faceret, ut amicis, quaedam tamen credendum est prae ceteris matrem suam, quemadmodum dilexisse, ita etiam propensius erudiisse, quaedam eius secretius intimasse.* Unde idem s. Bernardus explicans illud (*Apocal.* 4): *Procedebant fulgura, et voces, et tonitrua*, dixit: *Maria parabolas, aenigmata, legalia, et mirifica gesta, dicta, et opera avidius ebibit, et sincerius, luculentiusque aliis edidit.*

Quidam antiquorum Patrum in condendis parabolis claruerunt, ut Salomon: alii in aenigmatum, et somniorum interpretatione, ut Ioseph, et Daniel: alii in arcanorum intelligentia, ut Moyses, Iosue, Esdras, et reliqui prophetae: alii in Christi gestis enarrandis, ut Apostoli, et Evangelistae; beata autem Virgo in heroico gradu haec omnia complexa est: *Parabolas, aenigmata, legalia, et mirifica gesta, dicta, et opera avidius ebibit.* Quia tamen non solum sibi illa didicerat, sed, ut tanquam archimagistra, ea alios doceret; ideo subdit sanctus Bernardus (*ubi supr.*): *Sincerius, luculentiusque aliis edidit*, alludens ad verba illa divi Pauli (2.*Cor.* 2), ubi, postquam dixerat praedicationem eius non adulterare verbum Dei, adiecit: *Sed esse ex sinceritate, sicut ex Deo coram Deo.*

At, ne a rosae metaphora discedamus, antiqui trito illo proverbio, quanti rosas facerent, indicarunt, qui gratissimum, ac utilem sermonem significaturi, *rosas loqui*, dicebant. Quare melius quidem in b.Virginem, quam in puellam illam Ovidii convenit id, quod ipse de illa cecinit:

> Dum loquitur vernas afflat ab ore rosas.

Memini Persianam nutriculam sic alumno suo bene precari solitam:

> Quidquid calcaverit, id rosa fiat.

Hoc b. Virgini proprium ante Christi Domini nativitatem, et cum filio iam nato matri commune fuit, si loqueretur, rosas loqui, si quid ageret, manibus rosas fundere, si quo pergeret gressibus, rosas nascentes premere. Unde et illud felicissimum obtinuit b. Virgo, quod, sicut instar rosacei fruticis humillimi in terras se depressit, ita tanquam celsissima arbor supra angelorum choros assurrexit, et quae rosa fuerat in Iericho, hoc est, in humili planitie sita, palma fuit in Cades; cui sit honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA III.

In eadem festivitate Rosarii, salutationes Angelicas, ex quibus illud componitur, rosis comparamus, varios eius fructus commemorantes, in eadem verba: Quasi plantatio rosae in Iericho.

Inter pleraque alia, quae miram Virginis excellentiam commendant, illud singulare observavi, quod propter eximiam similitudinem, quam habet mater cum filio, in divinis eloquiis non pauca reperiuntur, in quibus unanimi consensu Patres conveniunt, tam de Matre, quam de Filio intelligi posse, cuiusmodi sunt illa (*Eccl. cap.* 24): *Ab initio, et ante saecula creata sum, et usque ad futurum saeculum non desinam: spiritus meus super mel dulcis, et haereditas mea super mel, et favum; qui operantur in me, non peccabunt; qui elucidant me, vitam aeternam habebunt.* Haec et similia interdum a sanctis Patribus intelliguntur de aeterna Sapientia, interdum de beata Virgine; frequenter etiam iidem Patres propter magnam Matris cum prole similitudinem, inter se digladiantur; quibusdam asserentibus de matre, aliis e contra de prole esse intelligenda, cuiusmodi sunt verba illa: *Ipsa conteret caput tuum:* quidam enim putant contritionem illam tribui Matri, quia vulgata nostra legit, ipsa, alii vero non nisi filio, legentes, ipse conteret caput tuum. Eiusmodi etiam sunt verba illa (*Cant.*): *Ego flos campi.* Quidam enim arbitrantur, verba esse sponsi; hi sunt antiquissimus Origenes (*lib. duar. hom. in hom.* 2), Theodoretus (*Cant.* 2), Bernardus (*serm.*48.*in Cant.*), Hieronymus (*in cap.* 11. *Isai.*), d. Cyrillus (*lib. de Incar.* 9) mirificeque Christo Domino quadrant, tum quia, ubi vulgata nostra legit: *Ego sum flos campi*, alia translatio vertit: *Ego sum flos saturitatis;* saturare vero, et satiare humanum appetitum, nulli purae creaturae convenire potest, cum id proprium sit solius Dei, Davide dicente (*Psal.* 16. 15): *Satiabor, cum apparuerit gloria tua:* tum quia, sicut flos campi prodit ex terra aratri, et vomeris experte, utpote qui non alias agnoscat sui causas, quam solis calorem, rorem coeli, et virtutem terrae; unde cecinit Catullus:

> Ut flos in septis secretus nascitur hortis,
> Ignotus pecori, nullo contusus aratro (ber, etc.
> Quem mulcent aurae, firmat sol, educat im-

ita Christus Dominus, instar floris campi ex Matre Virgine prodiit, Spiritus sancti rore cum illa cooperante. Alii tamen Patres, ut divus Gregorius Nissenus, et refertur (*in comment. Cantic. trium patrum*), divus Ambrosius (*ser.* 5. *in Psal.* 118. *et in lib. de instit. Virg. cap.*15), nec non Rabbi Selom, Rabbi Kimi, et Rabbi Abnesdras, cum aliis non paucis, interpretantur verba illa, *ego flos campi*, sponsae esse, apteque conveniunt in beatam Virginem, tum quia, ubi Vulgata nostra legit, *ego flos campi*, Hebraei vertunt: *Ego sum rosa Saron.* Erat Saron campus inter Ioppem, et Caesaream, ut in commentario loci adnotavit Aquila, cuius rosae pulchritudinis decore, et odoris fragrantia reliquas omnes longe antecellebant: tum quia sicut in flore sita est spes fructus, et a flore pervenitur ad fructum, ita in Deipara Virgine velut in flore collocata est spes nostra obtinendi Iesum benedictum, eius fructum, iuxta illud, quod canit Ecclesia in percelebri illo Cantico, Salve Regina: *Et Iesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende.* Et quidem cum flos sit, velut promissio quaedam venturi fructus, certe tanquam bonorum operum intercessione Virginis a nobis obtinenda merces sperari potest. Ioannes Rossinus (*de antiqu. Roman. lib.* 2. *cap.* 20) refert: *Romanos solitos fuisse magnum cultum deferre Deae cuidam nomine Florae, cuius illud erat munus flores observare, et protegere;* unde dies, qui in honorem eius celebrabantur, *floralia festa vocitabant.* Ethnicorum hic mos erat; sed in meliorem usum Christiani illum commutamus, beatam Virginem Rosarii magistram, et inventricem religioso cultu venerantes, quae non flores, ut Dea Flora, sed animas omnium nostrum custodit, et protegit. Quod si festa illa Floralia dicebantur, haec merito rosarii, seu rosaceum festum nuncupatur: unde sicut olim Hybla mater florum, ut poetae commentantur, illac iter facientibus, amoenitatis suae delicias varias offerebat; ita Maria coelestium rosarum foecunda parens, omnigenae virtutis exempla, vestigia vitae suae legentibus, ostendit. Hybla flores caducos offerebat, quorum fragrantia aestivo temporis momento durabat, qui levi carpti digito vix halitu aliquo resectis odorem exhalabant, et marcescentes, omnem subito gratiam perdebant. Caduca est rosarum gloria; videas in eodem rosario, quam transiens florentem conspexeras, mox rediens, decus omne, divitiasque suas amisisse, et quae denso comarum igne micaverat, collapsis pallidam foliis, emarcuisse: heu quam praecipiti famae iactura vix nata consenuit, et tellurem nutricem exuviis suis operuit:

> Quam longa una dies, aetas tam longa rosarum,
> Quas pubescentes iuncta senecta premit.
> Quam modo nascentem Rutilus conspexit Eous,
> Hanc rediens sero vespere, vidit anum.

Maria autem vera florum mater, imo regina florum, haec enim est dignitas rosae, ut inter flores principatum teneat, non futiles delicias, et caducas voluptates clientulis suis distribuit, sed spirituales, sed solidas, sed aeternas, et coelestes quodam modo redolet, et ad eas obtinendas mentem fidelium disponit, et anhelare facit. Horum coelestium charismatum illi participes fiunt, qui salutationum angelicarum preces, reginae florum Mariae, velut odoriferas rosas, religioso cultu Rosarium recitantes, ei offerunt: de quibus sane apte mihi intelligi videntur verba illa (*Eccles. cap.*24): *Exaltata sum rosa in Iericho.* Mirabile sane est, quod cum planta rosae parum crescat in sublime; beata tamen Virgo dicat se in sublime elatam esse, velut rosa in Iericho: *Exaltata sum quasi plantatio rosae in Iericho.* Revera rosa, tametsi ramos, et folia sua non mittat in altum; odorem tamen suum longe, lateque extendit, et excelsius, et sublimius illum mittit, quam cedrus, et palma frondes, et fructus suos. Oratio salutationis angelicae plantata quidem fuit in humili loco Nazareth, tamen odor, et suavitas eius coelos penetravit. Id tamen ponderatione dignum est, quod si id attente perpendamus, beata Virgo non ait, exaltata sum sicut planta rosae, sed, *sicut plantatio rosae:* hoc enim aperte significat de spirituali plantatione mysticae illius rosae, Ave Maria, loqui, quam toties in sacro Virginis pectore plantamus, quoties eam devote recitamus; quam expositionem id non parum confirmat, quod, si sermo esset de rosa materiali, minime illa plantatur, sed truncus, et radix eius: cum ergo ait, se exaltatam esse sicut plantationem rosae, loquitur quidem de mystica, ac spirituali rosa salutationis angelicae, cuius odor suavissimus usque ad solium Deitatis exaltatur. Unde spirituale quoddam documentum eruere possumus, quod sicut qui plantat plantam rosae, quaerit locum commodum, non viam, quam omnes calcant; ita plantatio huius mysticae rosae, hoc est, salutationis angelicae recitatio, exerceri debet, quantum possibile sit, in loco a tumultu, et confabulatione hominum libero. Tandem non dixit beata Virgo, se exaltatam esse, velut plantationem rosarum, sed *rosae*, ut inde intelligamus, quam gratum obsequium, integrum Rosarium recitantes, ei impendamus, cum ex sola plantatione unius rosae, hoc est, ex unica dumtaxat recitatione salutationis angelicae dicat, se esse exaltatam.

Porro, ut mirificos fructus, quos Mariani Rosarii preces germinant, clarius vobis innotescant, ex ipsius rosae proprietatibus, quibus auctor naturae praeditam esse voluit, illos vobis patefaciam. Inter eos primum appono mirabilem vim impetrativam, qua gaudet Marianum Rosarium ad obtinendum a Christo quidquid petierimus in nomine Matris eius: memini me legisse apud Pierium (*lib.* 55. *Hieroglyph.*): *Idolorum Magos in arcanis sui prodidisse, si quis phialam rosaceo oleo nitido plenam dextra manu, conceptisque verbis Deo obtulit, et se postmodum hoc oleo inunxerit, tam gratiosum principi, quem appellavit, futurum, ut ille nequeat votis eius non benigne respondere.* Non dissimiliter, qui hodie Deo Patri qui crystallinam Rosarii phialam spiritualis olei rosacei, Mariani cultus liquore plenam offerunt, eoque oleo se inungunt, nihil est, quod ita delibutis ipse deneget: hoc quasi philtro rapitur Altissimus in amore, amat quidquid odorem filii dilectissimi spirat, quidquid sponsae gratissimae colorem refert, nec sustinet quidquam denegare iis, quorum in verbis salutationem angelicam de coelo elapsam recognoscit.

Secundus fructus est omni acceptione dignus, quod per Rosarii preces Deo saepe reconciliamur. Idem plenius Valerianus (*lib.* 55. *cap. de rosa*) refert: *Magos olim ad conciliandos sibi principum animos roris uti consuevisse.* Unde

sus solis ortui, lux cito evanescit, et longa, ac prolixa nox succedit; ita in nobis rerum coelestium charitas perexigua viget, ignorantiae vero caligo densissima mentem occupat. In beata autem Virgine cupida divinorum arcanorum, cognitio illorum intellectum eius illustrabat propter speciale Christi ministerium, illam prae omnibus aliis edocentis, et illuminantis, ut his verbis dixit s. Bernardus (*serm. de b.Mar.*): *Licet in parabolis loqueretur ad turbas, et licet omnia Apostolis nota faceret, ut amicis, quaedam tamen credendum est prae ceteris matrem suam, quemadmodum dilexisse, ita etiam propensius erudiisse, quaedam eius secretius intimasse.* Unde idem s. Bernardus explicans illud (*Apocal.* 4): *Procedebant fulgura, et voces, et tonitrua*, dixit: *Maria parabolas, aenigmata, legalia, et mirifica gesta, dicta, et opera avidius ebibit, et sincerius, luculentiusque aliis edidit.*

Quidam antiquorum Patrum in condendis parabolis claruerunt, ut Salomon: alii in aenigmatum, et somniorum interpretatione, ut Ioseph, et Daniel: alii in arcanorum intelligentia, ut Moyses, Iosue, Esdras, et reliqui prophetae: alii in Christi gestis enarrandis, ut Apostoli, et Evangelistae; beata autem Virgo in heroico gradu haec omnia complexa est: *Parabolas, aenigmata, legalia, et mirifica gesta, dicta, et opera avidius ebibit.* Quia tamen non solum sibi illa didicerat, sed, ut tanquam archimagistra, ea alios doceret; ideo subdit sanctus Bernardus (*ubi supr.*): *Sincerius, luculentiusque aliis edidit*, alludens ad verba illa divi Pauli (2.*Cor.* 2), ubi, postquam dixerat praedicationem eius non adulterare verbum Dei, adiecit: *Sed esse ex sinceritate, sicut ex Deo coram Deo.*

At, ne a rosae metaphora discedamus, antiqui trito illo proverbio, quanti rosas facerent, indicarunt, qui gratissimum, ac utilem sermonem significaturi, *rosas loqui*, dicebant. Quare melius quidem in b.Virginem, quam in puellam illam Ovidii convenit id, quod ipse de illa cecinit:

> Dum loquitur vernas afflat ab ore rosas.

Memini Persianam nutriculam sic alumno suo bene precari solitam:

> Quidquid calcaverit, id rosa fiat.

Hoc b. Virgini proprium ante Christi Domini nativitatem, et cum filio iam nato matri commune fuit, si loqueretur, rosas loqui, si quid ageret, manibus rosas fundere, si quo pergeret gressibus, rosas nascentes premere. Unde et illud felicissimum obtinuit b. Virgo, quod, sicut instar rosacei fruticis humillimi in terras se depressit, ita tanquam celsissima arbor supra angelorum choros assurrexit, et quae rosa fuerat in Iericho, hoc est, in humili planitie sita, palma fuit in Cades; cui sit honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA III.

In eadem festivitate Rosarii, salutationes Angelicas, ex quibus illud componitur, rosis comparamus, varios eius fructus commemorantes, in eadem verba: Quasi plantatio rosae in Iericho.

Inter pleraque alia, quae miram Virginis excellentiam commendant, illud singulare observavi, quod propter eximiam similitudinem, quam habet mater cum filio, in divinis eloquiis non pauca reperiuntur, in quibus unanimi consensu Patres conveniunt, tam de Matre, quam de Filio intelligi posse, cuiusmodi sunt illa (*Eccl. cap.* 24): *Ab initio, et ante saecula creata sum, et usque ad futurum saeculum non desinam: spiritus meus super mel dulcis, et haereditas mea super mel, et favum; qui operantur in me, non peccabunt; qui elucidant me, vitam aeternam habebunt.* Haec et similia interdum a sanctis Patribus intelliguntur de aeterna Sapientia, interdum de beata Virgine; frequenter etiam iidem Patres propter magnam Matris cum prole similitudinem, inter se digladiantur; quibusdam asserentibus de matre, aliis e contra de prole esse intelligenda, cuiusmodi sunt verba illa: *Ipsa conteret caput tuum:* quidam enim putant contritionem illam tribui Matri, quia vulgata nostra legit, ipsa, alii vero non nisi filio, legentes, ipse conteret caput tuum. Eiusmodi etiam sunt verba illa (*Cant.*): *Ego flos campi.* Quidam enim arbitrantur, verba esse sponsi; hi sunt antiquissimus Origenes (*lib. duar. hom. in hom.* 2), Theodoretus (*Cant.* 2), Bernardus (*serm.*48.*in Cant.*), Hieronymus (*in cap.* 11. *Isai.*), d. Cyrillus (*lib. de Incar.* 9) mirificeque Christo Domino quadrant, tum quia, ubi vulgata nostra legit: *Ego sum flos campi*, alia translatio vertit: *Ego sum flos saturitatis;* saturare vero, et satiare humanum appetitum, nulli purae creaturae convenire potest, cum id proprium sit solius Dei, Davide dicente (*Psal.* 16. 15): *Satiabor, cum apparuerit gloria tua:* tum quia, sicut flos campi prodit ex terra aratri, et vomeris experte, utpote qui non alias agnoscat sui causas, quam solis calorem, rorem coeli, et virtutem terrae; unde cecinit Catullus:

> Ut flos in septis secretus nascitur hortis,
> Ignotus pecori, nullo contusus aratro(ber,etc.
> Quem mulcent aurae, firmat sol, educat im_

ita Christus Dominus, instar floris campi ex Matre Virgine prodiit, Spiritus sancti rore cum illa cooperante. Alii tamen Patres, ut divus Gregorius Nissenus, et refertur (*in comment. Cantic. trium patrum*), divus Ambrosius (*ser.* 5. *in Psal.* 118. *et in lib. de instit. Virg.cap.*15), nec non Rabbi Selom, Rabbi Kimi, et Rabbi Abnesdras, cum aliis non paucis, interpretantur verba illa, *ego flos campi*, sponsae esse, apteque conveniunt in beatam Virginem, tum quia, ubi Vulgata nostra legit, *ego flos campi*, Hebraei vertunt: *Ego sum rosa Saron.* Erat Saron campus inter Ioppem, et Caesaream, ut in commentario loci adnotavit Aquila, cuius rosae pulchritudinis decore, et odoris fragrantia reliquas omnes longe antecellebant: tum quia sicut in flore sita est spes fructus, et a flore pervenitur ad fructum, ita in Deipara Virgine velut in flore collocata est spes nostra obtinendi Iesum benedictum, eius fructum, iuxta illud, quod canit Ecclesia in percelebri illo Cantico, Salve Regina: *Et Iesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende.* Et quidem cum flos sit, velut promissio quaedam venturi fructus, certe tanquam bonorum operum intercessione Virginis a nobis obtinenda merces sperari potest. Ioannes Rossinus (*de antiqu. Roman. lib.* 2. *cap.* 20) refert: *Romanos solitos fuisse magnum cultum deferre Deae cuidam nomine Florae, cuius illud erat munus flores observare, et protegere;* unde dies, qui in honorem eius celebrabantur, *floralia festa vocitabant.* Ethnicorum hic mos erat; sed in meliorem usum Christiani illum commutamus, beatam Virginem Rosarii magistram, et inventricem religioso cultu venerantes, quae non flores, ut Dea Flora, sed animas omnium nostrum custodit, et protegit. Quod si festa illa Floralia dicebantur, haec merito rosarii, seu rosaceum festum nuncupatur: unde sicut olim Hybla mater florum, ut poetae commentantur, illac iter facientibus, amoenitatis suae delicias varias offerebat; ita Maria coelestium rosarum foecunda parens, omnigenae virtutis exempla, vestigia vitae suae legentibus, ostendit. Hybla flores caducos offerebat, quorum fragrantia aestivo temporis momento durabat, qui levi carpti digito vix halitu aliquo resectis odorem exhalabant, et marcescentes, omnem subito gratiam perdebant. Caduca est rosarum gloria; videas in eodem rosario, quam transiens florentem conspexeras, mox rediens, decus omne, divitiasque suas amisisse, et quae denso comarum igne micaverat, collapsis pallidam foliis, emarcuisse: heu quam praecipiti famae iactura vix nata consenuit, et tellurem nutricem exuviis suis operuit:

> Quam longa una dies, aetas tam longa rosarum,
> Quas pubescentes iuncta senecta premit.
> Quam modo nascentem Rutilus conspexit Eous,
> Hanc rediens sero vespere, vidit anum.

Maria autem vera florum mater, imo regina florum, haec enim est dignitas rosae, ut inter flores principatum teneat, non futiles delicias, et caducas voluptates clientulis suis distribuit, sed spirituales, sed solidas, sed aeternas, et coelestes quodam modo redolet, et ad eas obtinendas mentem fidelium disponit, et anhelare facit. Horum coelestium charismatum illi participes fiunt, qui salutationum angelicarum preces, reginae florum Mariae, velut odoriferas rosas, religioso cultu Rosarium recitantes, ei offerunt: de quibus sane apte mihi intelligi videntur verba illa (*Eccles.cap.*24): *Exaltata sum rosa in Iericho.* Mirabile sane est, quod cum planta rosae parum crescat in sublime; beata tamen Virgo dicat se in sublime elatam esse, velut rosa in Iericho: *Exaltata sum quasi plantatio rosae in Iericho.* Revera rosa, tametsi ramos, et folia sua non mittat in altum; odorem tamen suum longe, lateque extendit, et excelsius, et sublimius illum mittit, quam cedrus, et palma frondes, et fructus suos. Oratio salutationis angelicae plantata quidem fuit in humili loco Nazareth, tamen odor, et suavitas eius coelos penetravit. Id tamen ponderatione dignum est, quod si id attente perpendamus, beata Virgo non ait, exaltata sum sicut planta rosae, sed, *sicut plantatio rosae:* hoc enim aperte significat de spirituali plantatione mysticae illius rosae, Ave Maria, loqui, quam toties in sacro Virginis pectore plantamus, quoties eam devote recitamus; quam expositionem id non parum confirmat, quod, si sermo esset de rosa materiali, minime illa plantatur, sed truncus, et radix eius: cum ergo ait, se exaltatam esse sicut plantationem rosae, loquitur quidem de mystica, ac spirituali rosa salutationis angelicae, cuius odor suavissimus usque ad solium Deitatis exaltatur. Unde spirituale quoddam documentum eruere possumus, quod sicut qui plantat plantam rosae, quaerit locum commodum, non viam, quam omnes calcant; ita plantatio huius mysticae rosae, hoc est, salutationis angelicae recitatio, exerceri debet, quantum possibile sit, in loco a tumultu, et confabulatione hominum libero. Tandem non dixit beata Virgo, se exaltatam esse, velut plantationem rosarum, sed *rosae*, ut inde intelligamus, quam gratum obsequium, integrum Rosarium recitantes, ei impendamus, cum ex sola plantatione unius rosae, hoc est, ex unica dumtaxat recitatione salutationis angelicae dicat, se esse exaltatam.

Porro, ut mirificos fructus, quos Mariani Rosarii preces germinant, clarius vobis innotescant, ex ipsius rosae proprietatibus, quibus auctor naturae praeditam esse voluit, illos vobis patefaciam. Inter eos primum appono mirabilem vim impetrativam, qua gaudet Marianum Rosarium ad obtinendum a Christo quidquid petierimus in nomine Matris eius: memini me legisse apud Pierium (*lib.* 55. *Hieroglyph.*): *Idolorum Magos in arcanis sui prodidisse, si quis phialam rosaceo oleo nitido plenam dextra manu, conceptisque verbis Deo obtulit, et se postmodum hoc oleo inunxerit, tam gratiosum principi, quem appellavit, futurum, ut ille nequeat votis eius non benigne respondere.* Non dissimiliter, qui hodie Deo Patri qui crystallinam Rosarii phialam spiritualis olei rosacei, Mariani cultus liquore plenam offerunt, eoque oleo se inungunt, nihil est, quod ita delibutis ipse deneget: hoc quasi philtro rapitur Altissimus in amore, amat quidquid odorem filii dilectissimi spirat, quidquid sponsae gratissimae colorem refert, nec sustinet quidquam denegare iis, quorum in verbis salutationem angelicam de coelo elapsam recognoscit.

Secundus fructus est omni acceptione dignus, quod per Rosarii preces Deo saepe reconciliamur. Idem plenius Valerianus (*lib.* 55. *cap. de rosa*) refert: *Magos olim ad conciliandos sibi principum animos roris uti consuevisse.* Unde

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

et poetae cum significare nituntur innatam, et latentem vim quarundam rerum ad pelliciendos animos ad se, rosaceas illas vocitant. Catullus Parcarum vittas rosaceas dixit:

At rosae niveo resident in vertice vittae.

Auroraе capillos Virgilius roseos nominavit:

Aurea fulgebat roseis aurora capillis.

Pontanus genas rosis comparavit:

Extinxit roseas purpura missa genas.

Ac tandem Virgilius rosei epithetum ori tribuit:

Contienit: roseo haec insuper addidit ore.

Sane virtutem illam conciliandi principum animos, minime gentium rosis inesse credam: illud tamen experientia non semel docuit eos, qui rosis Mariani Rosarii se exornant, saepe principi Christo benevolos fieri, et ei arctissimo amicitiae vinculo copulari. Narrat sacra Scriptura, Rebeccam felicitatis filii sui Iacob percupidam, valde illum docuisse, imo et verba in eius ore posuisse, quibus allogunturus esset patrem, ut ab eo benedictionem extorqueret: ad eundem modum beata Virgo, tanquam amantissima mater salutis, et felicitatis spiritualis suorum filiorum avidissima, ponit in ore eorum salutationem angelicam, cuius repetitione Rosarii corona contexitur, ut per illius verba reconciliationis benedictionem, et aeternam felicitatem a Patre misericordiarum obtineant. Homerus, id referente Pierio Valeriano loco praecitato, finxit Ulyssem, postquam adversa fortuna navigaverat, miserum, pauperem, et squalidum a maris fluctibus proiectum fuisse in Phoeniciam: tunc autem Dea Pallus illius miseria, rosaceo oleo illum inungens, in pristinam salutem, et decorem reddidit, et ut loquitur Pierius, omni abiecto squalore, quem ex maris salsugine, inediaque per quatriduum tolerata, contraxerat, dignior ac venerabilior effectus est. Non secus b. Virgo peccatis squalidum, pauperem, miserum, variisque passionum fluctibus oppressum, rosaceo oleo sui Rosarii illum liniens, non solum in pristinam felicitatem restaurat, sed ad cumulatiorem perducit, ut merito dici possit: *Dignior et venerabilior effectus est*. Memini, quod in idem argumentum facit, Apuleii fabulam finxisse, postquam fuerat in iumentum conversus, illum ad pristinam hominis figuram redeunti remedium adhibuisse, ut rosarum manipulos diligenter quaereret, quos, cum primum in stomachum transiecit, continuo speciem humanam, et antiquum decorem recuperavit. Sane omnis peccator conversus est in iumentum insipiens, iuxta illud (*Psalmi* 48): *Comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis*. Si tamen cupit dissolvere turpem metamorphosim, et antiquam, quam gerebat, Christi imaginem recuperare, salvationem angelicarum rosarum sibi adhibeat; et tunc experietur, quod olim Nabuchodonosor expertus est. Ut enim legimus, rex hic propter eximiam eius superbiam, iusto Dei iudicio ex consortio hominum segregatus, et in sylvam eiectus, ubi foenum instar bovis comedebat, manibus et pedibus super terram reptans: postea tamen Dei potentiam recognoscens, in pristinum decorem et honorem restitutus est (*Daniel.* 4): *In ipso tempore sensus meus reversus est ad me, et ad honorem regni mei, decoremque perveni, et figura mea reversa ad me*. Idipsum plane quotidie spiritualiter experiuntur peccatores, qui sacras Mariani Rosarii rosas mandentes, et comedentes, amissam Dei gratiam, per quam configurabantur Christo, cum ingenti gaudio restaurant. Claudianus (*lib.* 2. *de laud. Stilichonis*) narrat, foeminam quandam nomine Circen, adhibitis certis quibusdam herbis veneficis incantationibus suis, quos volebat, in bruta animantia convertere solitam:

Membraque Circeis effoeminat acrius herbis.

Ad quod alludens Horatius (*libr.* 1. *epist.*) dixit:

Syrenum voces, et Circes poenla nosti.

Eiusdemque fabulae meminerunt divus Augustinus (*lib.* 19. *de civit. Dei cap.* 16), et Diodorus Siculus (*lib.* 4). Non sic autem, non sic b. Virgo, quae non terrestribus herbis homines in bruta, sed coelestibus angelicarum salutationum adhibitis rosis, bruta ipsa, hoc est, peccatores, brutorum animantium more viventes, nedum in homines, sed in angelos mirabiliter convertit, et ad filii sui amicitiam reducit.

Tertius Mariani Rosarii fructus mira dulcedo est, quam Deiparae alumni ex salutationum angelicarum rosis, tanquam argumentosae apes delibant: istinsmodi enim rosae non solum Dei oculis pulchrae, ac divino olfactui suaves, et odoriferae, sed et animae ori, ac palato dulcissimae, alia virtutis opera, ut ieiunare, inimico parcere, a vindicta se abstinere, male parta restituere, et similia, quibus pravi animi affectus domantur, nescio quid amaritudinis, ac taedii, secum afferunt; at Mariani Rosarii recitatio, ac familiaris cum b. Virgine collocutio, ita dulcis, ac suavis est, ut Salomon dicat (*Sapient.* 8): *Conquiescet cum illa: non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec taedium concictus illius, sed laetitiam, et gaudium*. Hanc dulcedinis suavitatem expertus pius et eruditus auctor Beysselius (*lib. de Cor. Rosac. in proem.*) haec singulari pietate plena his verbis edixit: *Coronariorum spirituales thesauros, utinam dignus essem expandere: verum utcunque sit, me certe nunquam tentati huius muneris poenitebit; quippe ut verum fatear, multo mihi plus voluptatis, et commodi secum attulit, quam laboris: dum enim huic studiosius incumbo, et spirituales rosas attrectare praesumo, evenit, ut quamvis spinis earum altius ipse compungerer, coelesti frequentia suavius permulcerer. Quid igitur his rosis fructuosius, quid iucundius esse potest? quae non foliis modo suis, sed et spinis, beneficio nos afficiunt. Dum enim his peccatricem carnem divini timoris compunctione configunt, illis charitate nos vulnerant, ac succendunt; quorum altero inchoatur, altero perficitur sanctioris vitae propositum, quo nihil nobis est ad animarum salutem accommodatius;* haec ex sua experientia Beysselius.

Licet autem huius dulcedinis alii alias proferant causas, ego eam potissimum esse arbitror, quod b. Virgo, quoties salutationem Angelicam recitandam audit, toties singulari dulcedine perfruitur, ac novum gaudium accidentale suscipit, ut ipsa testata est: nam ut auctor est Gulielmus Pepinus (*in Rosar. aureo B. Virg. ser.* 47): *Cum quadam nocte foemina quaedam consoror sacrae Mariani Rosarii confraternitatis in lecto suo quiesceret, apparuit ei b. Virgo dicens: Ne timeas filia piam Matrem, cui devota reddis per singulos dies servitia, sed monco, ut perseveres, et scias me tale gaudium ex Angelica tua salutatione percipere, quale nullus homo explicare valet: nam cum dicis Dominus tecum, repraesentatur mihi, quod in me similiter sit filius meus, sicut pro peccatoribus ex me nasci voluit, et sicut tunc mihi ineffabile gaudium fuit, ita et nunc quoties eadem verba repetis.* Beata igitur Virgo par pari referens oranti sacrum eius Rosarium, sicut ab ea salutata, novi gaudii dulcedinem in se experitur, ita eundem suae dulcedinis, et laetitiae participem reddit: id, quod confirmat mirifice b. Birgitta (*lib.* 1. *suar. revel. cap.* 58) ubi refert b. Virginem haec verba filio suo dixisse: *Rogo te filii mi, ut quia tu fuisti mihi dulcissimus, alii participes fiant meae dulcedinis*: cui respondisse scribitur Christus in hunc modum: *Benedicta sis tu, charissima mater, verba tua sunt dulcia, et charitate plena; ideo quicunque de dulcedine tua in os suum receperit, et perfecte tenuerit, proficiet ei; qui autem receperit, et reiecerit, tanto maius supplicium habebit;* haec ibi. At haec (*Cant.* 4) de Deipara dicuntur: *Favus distillans labia tua sponsa, mel, et lac sub lingua tua:* eique accommodatur a Petro Damiano (*serm. de annunc.*) illud (*Ecclesiast.* 24): *Spiritus enim meus dulcis, et haereditas mea super mel, et favum. Haec est, inquit Damianus, quae vestris affectibus suaviter indulcescit, in qua dulcis Dominus cum omni sua dulcedine supervenit;* sic Damianus: *Ipsa enim*, ut dicebat Augustinus (*serm.* 100. *de temp.*), *est terra promissionis, cum toties per prophetas promissa fuerit*. De qua terra duo illi pendentem uvam detulerunt, in ligno suspensam: uva enim illa Christum Deum figuravit. Terra vero promissionis divino testimonio (*Exod.* 3), et alibi saepe in sacris litteris lacte, et melle manare dicitur: id quod manantem ex Virgine dulcedinem adumbrasse existimat d. Bernardus (*serm.* 3 *super Salve reg.*) dum ait: *Ipsa est terra promissionis lacte, et melle manans*: et ab Ecclesia in precatione, cuius initium est, Salve Regina, eidem dicitur: *Vita, dulcedo, et spes nostra salve*, et iterum: *O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria*. Sane experientia satis est exploratam illud Bernardi apud Bonaventuram (*in spec. cap.* 8): *O magna, o pia, o multum laudabilis virgo Maria, tu nec nominari potes, quin accendas, nec cogitari quidem, quin recrees affectus diligentium te: tu nunquam sine dulcedine divinitus tibi insita, piae memoriae portas ingrederis*. Quod longe ante Bernardum observavit d. Damascenus, qui ex sola Virginis memoria magnam concipi animo voluptatem testatur his verbis (*orat.* 1. *de dormit. Virg.*): *Iis qui tui memoriam pie usurpant, pretiosissimum memoriae tuae donum, quippe quae eiusmodi laetitiam pariat, quam nullus eripere possit: quanam enim voluptate, quibus bonis non impletur, qui mentem suam, sanctissimae tuae memoriae promptuarium efficeret.* Et (*oratio.* 2. *de dorm.*) hortatur omnes, ut mentem, memoriamque suam Dei Genitricis promptuarium efficiant. Quare Petrus Damianus (*serm.* 1. *de nativit. Virginis*) ex dulcedine, quae ex recordatione Virginis percipitur, dulcedinem ex eiusdem praesentia inferebat: *Felices*, inquit, *angelici spiritus, qui beatae Virginis habent praesentiam; nos interim memoriam abundantiae suavitatis eius eructamus: si sic dulcis est memoria, quid erit praesentia?* Ita Damianus. Congruit excellentius Virgini illud, quod (*Ecclesiast.* 49) de Iosia dicitur: *Memoria Iosiae in compositione odoris facta, opus pigmentarii in omni ore, quasi mel indulcabitur eius memoria, et ut musica in convivio vini.*

Quartus Mariani Rosarii fructus est, quod per eius preces anima disponitur ad ingressum divini Sponsi in eam. Propertius (*L.* 2) rosas vocavit teneras, propter mollitiem, quam habent:

Molitur, et tenera poneret ossa rosa.

Hinc Pierius Valerianus (*lib.* 55. *cap. de ros.*) commemorat, imperatorem Elium Verum solitum fuisse ex rosis sibi sternere lectum: et Sponsa (*Cant.* 1) gloriatur: *Lectulus noster floridus*. Qui Marianum Rosarium frequenter recitat, hic tot flores, quot salutationes angelicas spargit, quibus animam, velut lectum floridum, divino sponso parat, et, ut in eum veniat, et requiescat, illum invitat. Quare si vultis cum Davide dicere (*Psalm.* 4): *In pace in idipsum dormiam, et requiescam*, hoc salutare documentum a me accipite: cum dormitum pergitis, his rosis spargite lectulum vestrum: nam si somnus salutationem angelicam recitantes capiat, daemones fugient, prava somnia sopiantur, carnis illecebrae cessabunt, et felici nocte fruemini: si *Ave* dicentes supervenerit somnus, ab inquietudinibus vos liberabit; si *gratia plena* recitantes hoc, Mariae cognomine hostes prosternentur; si *Dominus tecum* proferentes, divinam custodiam experiemini: etenim si Deus pro nobis, quis contra nos? Cum igitur tot mirificos fructus rosaceae preces ferant, liceat mihi verba d. Pauli (*ad Rom.* 16. *ad* 6) usurpare: *Salutate Mariam, quae mihi multum laboravit in vobis*. Si enim illam salutari praecipit Apostolus, quia diligenter laboraverat ad promovendam communem pacem inter Iudaeos, et Gentiles, ad fidem denuo conversos, poliori iure Deipara Maria nobis salutanda est, quae multum laboravit pro communi omnium nostrum salute, utero suo Christum gestavit in Bethleem, recens natum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
CAPILLA ALFONSINA

ab Herodiana ira abscondit, in longissimam Ægypti plagam ingenti itineris labore baiulavit, ac pretium nostrae redemptionis diligenter custodivit, ac antiqui serpentis in nos desaevientis caput fortiter contrivit. Liceat etiam mihi verba illa usurpare, quae (*in Breviar. Praed. in fest. Rosar. lect.* 9) lego: *Nos Fratres charissimi stolis amicti, et afferentes rosas, et lilia ex convallibus Sion, diem festum agamus in Psalterio, et Cantico militiae christianae imperatrici Mariae, et triumphale Rosarium illius nomini benedicto in perenne trophaeum dicemus, et consecremus. Hoc signum b. Dominici asseclae levate in nationes, et in montibus Ecclesiae ipsius mysteria clangite buccina, narrantes mirabilia, quae in huiusce plantationis horto innovantur quotidie. Sumite Psalterium, quod est haereditas vestra, et omnis Ecclesiasticae melodiae modulantia perfectum. Huius namque canoris fidibus inter insignia Deiparae Virginis praeconia totius itinerarii unigeniti per vox exprimentur trophaea, simulque vivifica s. Spiritus enunciabuntur charismata, tum mirifica divinae virtutis depromentur arcana; adeo quod in hac una sacri Rosarii, et Psalterii celebritate totum superexcelsae Trinitatis, atque immensae unitatis beneplacitum ineffabili modo perficietur. Agite ergo,*

Iubilemus exultantes
Virginis encomiis.
Laudem laude cumulantes
Precibus Rosariis.
De dracone triumphantes
Eius patrociniis.
Rosa rubro defloratur
Antiquae propaginis.
Flos de rosa propagatur,
Radix novae originis.
Cuius spina vulneratur
Vulnerator germinis.
Laus tibi Regina, quae pios coronas,
Triumphalis, horti liliis, et rosis.
Amen.

HOMILIA IV.

Prosequimur idem argumentum a Rosario Virginis ad eius, quam vocant, coronam, sermonem convertentes, quam multiplici eruditione illustramus, in eadem verba: Ego quasi plantatio rosae in Iericho.

Beatissimus pater Dominicus, illustrissimae Praedicatorum familiae auctor et promotor, ut ad religiosum cultum, piamque meditationem mysteriorum Redemptionis nostrae, fideles facilius alliceret, Rosarium distribuit in triplex catholicae fidei mysteriorum genus; quorum quaedam gaudiosa, quaedam dolorosa, alia gloriosa nuncupavit. Ex quo sane magis innotescit, per omnia simile esse Marianum Rosarium rosaceae plantae: etenim sicut in illa tria praecipue reperiuntur, folia, flores, et spinae, ita hoc genus precationis rosaceae tria illa continet mysteriorum genera, gaudiosa, dolorosa, et gloriosa, quae foliis virentibus resplendent: sunt haec, Annunciatio, Visitatio, Nativitas Christi, Praesentatio in templo, et Inventio eius in eodem. Quinque mysteria dolorosa, quae correspondent pungentibus spinis, orationem Christi in horto, flagellationem, coronationem, crucis baiulationem, et crucifixionem complectuntur. Quinque tandem gloriosa mysteria per flores delineata, Resurrectio, et Ascensio sunt, nec non missio Spiritus sancti, Virginis assumptio, et eiusdem coronatio. Ex orationibus autem Dominicis quindecim, et salutationibus angelicis centum, et quinquaginta ad honorem, et memoriam praedictorum mysteriorum recitatis, conflatur ipsum Rosarium, quod propterea mihi videtur instar spiritualis cuiusdam zodiaci, distincti, sole, luna, et astris, ac motus suos opportune exhibentis, per quem anima spatiari potest, varios in meditatione divinorum mysteriorum circumducens circulos: persimile etiam mihi apparet Marianum hoc Rosarium memorandae illi Iacobi scalae: nam sicut illa quindecim gradibus constabat, ut quidam tradunt Rabini, totidem etiam decadibus, et mysteriis constat Rosarium; in eo tamen valde superat mystica haec scala rosarii, scalam Iacobaeam, quod illic in summitate scalae aderat Deus solus, absque Matre, quia tunc nondum carnem susceperat; in hac tamen adest Deus homo factus, pariter cum Matre sua: in illa etiam scala non inveniebatur Deus in singulis eius gradibus, sed solum in cacumine scalae; in huius tamen spiritualis scalae gradibus omnibus Christus, et Maria inveniuntur: *Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum.* Illud tamen singulare huius scalae artificium silentio non praeteribo, quod, quia multis gradibus constat, idcirco priores, utpote gaudiosa mysteria praeferentes, faciliorem habent ascensum, ac propterea tyronibus incipientibus apti, superiores vero quinque gradus, qui Christi dolores ob oculos ponunt, proficientibus congruunt, Christi crucem baiulantibus. Sublimiores tandem quinque gradus, qui gloriosa catholicae fidei arcana adumbrant, perfectos viros decent, contemplationi supernorum bonorum vacantes. Haec omnia mysteria praeclare quidem non solum per plantam ipsam rosaceam, sed et per ipsam rosam exprimi autumo, quia pulchritudo illius ad laetitiam excitans, gaudiosa mysteria; rubicundus color, colori sanguinis persimilis, mysteria cruenta passionis Christi; color tandem aureus in centro eius effulgens mysteria gloriosa adamussim repraesentat.

Ceterum praeter integrum Rosarium Marianum inter alias non paucas precandi formulas, quibus Deipara in Ecclesia filii sui colitur, corona praecipue annumeratur, quae iuxta diversitatem opinionum, quae de annis vitae illius circumferuntur, sexaginta tribus, vel septuaginta duabus salutationibus angelicis, interiecta per singulas decades oratione Dominica, constat. Consueverunt Catholici non pauci, devotionis gratia, secum rosaceam hanc coronam ferre: praecipue tamen in regionibus Transalpinis, quam ad pietatem, erga Deiparam contra Haereticos protestandam, palam gestant. Porro, si credimus Pelbarto (*in Stellar. coron. Virg.*), Sixto Quarto dicato (*lib.* 2. *part.* 2. *art.* 3), usus coronae rosaceae primordium sumpsit ex quodam singulari miraculo a beato nostro Capistrano viro gravissimo, et sanctissimo evulgato: etenim cum clericus quidam in saeculari habitu quotidie serto florum beatae Virginis imaginem coronare solitus, ordinem Minorum suscepisset, et post aliquod tempus ad saeculum redire vellet, quod in religione sertum illud ex floribus b. Virgini more suo offerre non posset, ei oranti Deipara apparuit, voluitque eum e religione discedere, simulque docuit sertum quoddam spirituale ex salutationibus angelicis, et oratione Dominica in hunc modum conflatum offerri, ut scilicet in memoriam septem gaudiorum, quibus ipsa perfusa fuit, ad unumquodque illorum semel orationem Dominicam, Deo gratias agendo pro illo beneficio Virgini collato, recitaret, cui salutationem angelicam decies subnecteret praeter ultimum, in quo ter solum adiicienda erat salutatio angelica. Septem autem Virginis gaudia in hoc serto recolenda haec sunt. Primum, quod habuit in conceptione filii sui: secundum, cum in utero Filium gestavit, et sanctam Elisabeth visitavit: tertium in Christi nativitate, Virgo manens: quartum, cum Christus a Magis agnitus, et adoratus est: quintum, cum Filium in templo invenit, et inde cum ea simul descendens, erat illi subditus, ac dulcissime cum ea est conversatus: sextum, in Christi resurrectione: septimum, cum assumpta est in coelum; et in hoc postremo post orationem Dominicam, ut nuper dicebam, ter subnectenda est salutatio angelica, ita ut in universum oratio Dominica septies, angelica vero salutatio ter et sexagies repetatur. Adiecitque beata Virgo, sertum hoc longe gratius sibi futurum, quam sertum illud, compactum ex floribus, quod singulis sibi diebus studiose ab eo antea offerebatur. Is vero post aliquod tempus cum iter ageret cum socio, in sylva quadam hanc coronam Virgini persolvebat: at, qui in eadem sylva delitescebant latrones, pulcherrimam oculis viderunt Virginem, oranti fratri adstantem, et ad singulas salutationes angelicas rosam colligentem, quod serti, et coronae speciem praeseferebat: absoluta oratione, latrones in fratres irruunt, importune sciscitantur de Virgine illa, quam fratres cum non vidissent, negabant secum fuisse, Deiparamque, ut ab iis liberarentur, enixe rogabant; sed ecce Virgo sanctissima coetu angelorum stipata, et serto illo, quasi corona redimita, apparens, graviter latrones illos increpavit, et ad angelos conversa: ecce, inquit, quali me corona frater ille ornavit; quae, cum dixisset, ad eorum sese oculis subduxit: mox latrones scelerum poenitentia ducti, religionem Minorum ingrediuntur; fratres vero ex eo tempore singulis diebus eo diligentius coronam Virgini offerre non cessarunt, qui eidem acceptam esse, experimento tam manifesto didicerant. Hoc ipsum refertur (*in chron. Minor.* 3. *part. libr.* 1. *cap.* 55), ubi additur, fratrem illum sancte obiisse, atque hoc miraculum sub initium, quo coepere Fratres Minores, quos vocant de observantia, contigisse; qui propterea in concionibus ad hanc precandi formam ita omnes adhortati sunt, ut in morem universi populi christiani iam sit inducta.

Sed videamus quam apte hoc precationis genus coronae nomenclaturam sortitum sit. Ego sane ex multiplici capite id deprehendo. Primo, quia cum numerus salutationum angelicarum sit in honorem totidem annorum, quibus superstes fuit in terris b. Virgo, et vita ipsius fuerit velut circulus, qui a primo suae aetatis anno incepit, et clausus est in die mortis eius, iure optimo corona appellatur, quae circularem figuram habet. Secundo, quia recitantibus hanc coronam b. Virgo ad hostes devincendos fortitudinem praebet, ut victoria parta coronam illam mereantur accipere, de qua d. Paulus dixit: *De reliquo reposita est mihi corona iustitiae.* Quod non mihi obscure indicari videtur (*Apoc. c.* 6) in illis verbis: *Data est ei corona, et exivit vincens, ut vinceret:* etenim cum corona, quae rationem praemii habet, non detur nisi post victoriam, et in praedictis verbis dicatur coronam dari ad vincendum; apte intelligi potest in sensu mystico, promissam illam coronam rosaceam esse ex salutationibus angelicis contextam, per quam eius laudes recitantes, ad victoriam ab hostibus reportandam muniuntur, et roborantur. Berchorius verbo corona, meminit cuiusdam fabulae, huic argumento aptissimae: refert de Pelonio, seu Esculapio, quem solis filium antiqui fingebant, quod die quadam videns pastorem certis herbis coronatum, cum basilisco dimicantem, et nec flatu, nec morsu ab eo quidquam noceri posse, suspicatus alicuius herbae illius coronae latente virtute praeservatum iri; ut certior tamen redderetur, extra lineam coronam pastori subtraxit, et continuo a basilisco superatus in terram concidit; mox tamen cum illam suo capiti restitueret, victor evasit. Haec profana et fabulosa, si ad sacra convertamus, Patrum vestigiis insistentes, corona haec rosaceam Virginis coronam mihi delineat, quam qui devote recitare consuevit, a flatu antiqui serpentis Mariae precibus praeservatus, et a lethalis peccati basilisco non utique superatur, quin potius illum vincit et profligat, Davide ei dicente (*Psal.* 9): *Super aspidem, et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem, et draconem.* E contra vero, qui rosaceam coronam deponit, eam recitare contemnens, ab hostibus cunctis visibilibus, et invisibilibus facile devincitur, et plangens dicere compellitur illud, quod diabolo Iob dixit (*cap.* 20): *Expoliavit me gloria mea, coronam abstulit de capite meo, destruxit me, undique pereo.* Tertio iure optimo coronae nomenclatura Rosario convenit, quia per illud spiritualibus, ac mysticis coronis, Christi et Mariae capita cingimus.

Quatuor coronis Christum Dominum coronari observavi. Prima fuit carnis, quam a Matre in Incarnatione accepit. Sic enim d. Ambrosius (*lib. de instit. Virg. c.* 17) interpretatur illud (*Cantic.* 3): *Egredimini filiae Sion, et vi-*

dele regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum Mater sua in die desponsationis illius, et in die laetitiae cordis sui. Ubi obiter adverte, summum Verbi erga hominis amorem siquidem dies incarnationis, cum primum factus est homo propter homines, diem desponsationis suae cum humana natura, diemque laetitiae cordis sui appellari voluit:atque haec corona fuit contexta ex variis, iisque pulcherrimis floribus donorum Spiritus sancti, quae in primo conceptionis instanti eius animae infusa fuerunt, quorum meminit Isaias (*c.* 11): *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiae, et intellectus, spiritus consilii, et fortitudinis, spiritus scientiae, et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini.* Secunda fuit corona spinea (*Ioan.* 19): *Plectentes coronam de spinis,* quae delictorum nostrorum spinas delineabant, iuxta illud (*Isai.*53): *Propter scelus populi mei percussi eum.* Quam rationem afferens Tertullianus (*lib. de cor.mil.*): *Quale,* inquit, *oro te, sertum pro utroque sexu subiit? ex spinis opinor, et tribulis in figuram delictorum, quae nobis protulit terra carnis: abstulit autem virtus crucis omnes aculeos mortis in Dominici capitis tolerantia obtundens.* Eandem etiam rationem adducit d. Athanasius (*in orat. de pas.et cruce Dom.*). Tertia corona fuit gloriae, celebritatisque, et exaltationis sui nominis, ex mysticis pretiosis margaritis compacta, qua a Patre in coelo, et in terra coronatur, Paulo dicente (*ad Hebr.* 2): *Videmus Iesum propter passionem mortis gloria, et honore coronatum.* Quarta denique corona est, qua frequenter coronatur ex triginta tribus orationibus Dominicis contexta in memoriam, et honorem totidem annorum, quibus Christus Dominus super terram vixit, in cuius figuram (*Zachar.* 6) lego, sacerdotem nomine Iesum, filium Iosedech iussum fuisse a Deo coronari variis coronis: *Venies tu in die illa, et intrabis in domum Iosiae, et sumes argentum, et aurum, et facies coronas, et pones in capite Iesu filii Iosedech sacerdotis magni.*

Sane fideles, quoties coronam Domini recitant, toties pretiosis coronis Christi Iesu sacerdotis magni caput exornant, similiter etiam Deiparam Virginem multis coronis decoratam intueor, candida virginum, viridi doctorum, purpurea martyrum, aurea gloriae, quibus accedit rosacea, e salutationibus angelicis contexta: hac frequenter coronari vehementer gaudet Deipara Virgo: in cuius testimonium Episcopus Crotonensis (*tom.* 3. *suae epit. in festo Ros.*) adnotat, saepe visam fuisse adstantem Deiparam Virginem colligentem albas, et rubras rosas, ab ore precantium egredientes, quibus corona contexta, sacroque suo capiti imposita, in coelum conscendebat, filioque suo praesentabat, et servabat, ut ea in morte coronarentur, qui sincera mente hoc genere cultus illam venerabantur. Ex quo aperte liquet, quam grata sit b. Virgini haec corona, cum postquam gloriae splendidissima corona, in cacumen supremi coeli conscendens, fuerit coronata, et postquam Ioannis (*Apoc.* 12) intuitus est caput eius, corona duodecim stellarum circumdatum, adhuc tanti faciat, rosaceis his salutationum angelicarum coronis exornari, ut ad eas capiendas de coelo descendens visa fuerit, easque tanquam sibi pretiosas super caput suum constituat; hac autem corona salutationum angelicarum Virginis tempora par esse a nobis prompto animo circumornari, vel illud unum luculenter satis probat, quod sicut olim capiti militis, qui de hoste triumphaverat, sertum imponebatur in signum victoriae, ex floribus conflatum; ita fas est, imo et debitum, ut fideles animadvertentes, quam strenue, ac potenter Deipara Virgo antiqui serpentis caput contriverit, rosacea hac corona caput eius quotidie cingamus. Ecce quam multum per omnia Rosarii preces cum floribus rosaceis similitudinem magnam habeant.

Quod vero ab hac similitudine dissidere videbatur, nimirum quod rosae facile marcescunt, ac brevi tempore earum pulchritudo evanescit; unde olim apud antiquos Veneri dicabantur, ad brevitatem voluptatum carnis significandam: illud enim eandem similitudinem magis me indice adstruit: nam cum beata Virgo sit totius castitatis, et munditiae speculum, et magistra, certe per rosas tanquam per symbolum caducitatem vitae, ac voluptatum, veneris fugacitatem, et brevitatem significans, alumnos suos docere nititur, ab omnibus carnis illecebris diligenter se abstinere debere. Cupit enim eos similes esse illis, de quibus (*Thren.*4) dicitur: *Candidiores Nazaraei eius nive.* Sane cum Nazaraei idem sit, quod floridi, recte per illos adumbrantur spirituales alumni Virginis, Angelicarum salutationum rosaceos flores quotidie contrectantes. Hos ergo floridos famulos suos cupit B. Virgo nive puriores esse (*ib.*): *Candidiores Nazaraei eius nive;* ut sic castitatem servantes, ac sertum rosaceum Virgini offerentes, reportare valeant sertum gloriae, de quo Isaias dixit (*c.*2): *Ipse erit ibi ferculum epulationis residuo populi suo.*

Ad extremum cum de Virginis corona sermonem instituerim, exacta huius argumenti ratio postulat, ut de corolla eiusdem nonnihil hoc loco subiiciam. Haec recitatur in memoriam duodecim Virginis privilegiorum, constatque duodecim salutationibus angelicis, ter repetita oratione Dominica in honorem trium divinarum personarum, a quibus Virgo sanctissima prae ceteris donata est duodecim illis privilegiis, quae per duodecim stellas, quibus redimitur caput mulieris amictae sole, (*Apoc.* 12) significantur; quae etiam intelligi possunt in duodecim panibus, qui reponebantur in mensa propositionis:sic enim divus Bernardus (*serm.*4.*sup. Salve Reg.*): *Et mensa,* inquit, *propositionis duodecim panum, qui duodecim sunt praerogativae gratiarum, in quibus gratia repleta es, et Dominus tecum. Panes certe admodum splendidi, et sapidi*; haec ille. Disponuntur autem in hunc modum, ut ante quemlibet quaternarium salutationum angelicarum praemittatur oratio dominica, quarum prima in honorem Patris aeterni, secunda in honorem Filii,et Spiritus sancti recitetur. Duodecim porro privilegia, quae in hac corolla recoli possunt, recensentur in appendice speculi exemplorum novissime editi, quorum aliqua ex

Bernardi sermone, signum magnum, deprompta haec sunt. Primum copiosissima gratia in sacratissima conceptione Virgini collata. Secundum, angelica. Tertium, Spiritus sancti supperventio. Quartum, Filii Dei conceptio. Quintum, immunitas ab omni macula, et quod virginitatis fuerit primiceria. Sextum, sine corruptione foecunda. Septimum, sive gravamine gravida. Octavum, sine dolore puerpera. Novum, magnanimitas fidei in credendo. Decimum, profunda humilitas in obediendo. Undecimo, maxima verbis discretio in loquendo. Duodecimo, summa perfectio, et perseverantia operis in agendo. De hac corolla pulchrum exemplum narratur ex revelatione cuiusdam Abbatis in appendice speculi exemplorum. Cum enim viri tres quandam peregrinationem instituissent, die quadam cupide iter ingressi, ex iis duo a via aberrantes, sylvam ingressi, in latrones inciderunt, a quibus spoliati, ac interfecti sunt: tertius coronam hanc quotidie magna animi pietate, et corporis reverentia recitare solitus, subsequebatur periculi ignarus; sed cum eosdem depraedatores offendisset, qui eum pariter necare cupiebant, impetrato tantillo temporis spatio, quo suam coronam devotus Virgini offerret, mira res, in templo inter recitandum ei nec videnti, nec scienti astitit ut sol, splendens in aureo throno Virgo gloriosa, et cum ea ss. Catharina et Lucia, quarum erat ille unice amans, ac studiosus; tunc ad singulas orationes Dominicas rubicunda, ad singulas salutationes angelicas candida rosa ex eius ore prodibat, easque rursum Virgo legens sanctae Catharinae, et s. Luciae tradebat, quae eas circulo aureo inserebant. Absoluta coronae recitatione, Deipara, corona illa rosis nimirum redolentibus distincta, hominem illum sui peramantem, ac devotum redimivit, ac statim abscessit. Latrones haec omnia aspicientes, rogant hominem, quaenam mulieres illae essent? respondet is, neminem se vidisse; sed Deiparae pensum coronae exsolvisse. Narrant illi, quod viderant coronam in eius capite poni, et adhuc illud cingere: intellexit ille Virginis beneficium, et corona ex capite manibus reverenter accepta, ingentes gratias egit Virgini. Ea re permoti latrones, sua scelera detestati, in viros optimos evaserunt. Ille vero saeculo relicto, religionem ingressus, sese Virgini sanctae impensius devovit; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA V.

Proponemus varias recitandi Rosarium formulas, ac perutiles modos omnibus statibus respective accomodatissimos.

Cum laudabilis consuetudo recitandi Rosarium adeo inter fideles invaluerit, ut maior pars populi christiani hoc genere precationis religiose utatur, multumque intersit, tum ad gloriam Dei et honorem Virginis, tum ad spiritualem nostram utilitatem, ut debitis circumstantiis hoc opus fiat, et quia plerosque novi, qui huic Mariani Rosarii sacro exercitio vacare renuant, ea difficultate perterriti, quod putent opus esse devote recitanti Rosarium, mysteria catholicae fidei meditari, in quorum honorem, et memoriam beatissimus sanctus Dominicus Rosarium distribuit in quindecim decades, iuxta numerum totidem catholicae fidei mysteriorum: idcirco varios, ac perfaciles modos recitandi Rosarium Deiparae Virginis hoc loco apponere perutile censui. Illud tamen ante omnia suppono, quod cum attentio orationis sit triplex, nimirum ad verba, ad significationem, seu sensum eorum, et ad Deum ipsum, cui fundimus preces; negari non potest, illum esse per se loquendo excellentiorem modum recitandi Rosarium, qui cum attentione ad verba, quae ore quis profert, et ad eorum significationem pariter, sacra mysteria singularum decadum contemplatur, ac profunda meditatione ruminat; tamen quia id paucissimorum est, propter summam quam experiuntur difficultatem in his coniungendis, manifestum est non omnibus indiscriminatim accommodatum esse hunc precationis modum: imo quia magnum periculum est, ut, si dum recitantur salutationes angelicae, pariter quis velit mysteria, quae illi respondent, meditari, attentionem debitam ad verba, et ad eorum significationem omnino omittat, idcirco sapientissimus Martinus Navarrus, vir sanctitate, et scientia conspicuus (*Miscel.* 23. *de Psal. et Rosar. Virg.*), merito indicavit consultius esse attendere ad verba, et eorum sensum, quam si, his omissis, inter dicendum mysteria meditemur. Etenim proposita quaestione, an esset necessarium, obligatum recitare Rosarium, meditari inter dicendum divina mysteria, in hunc modum quaestioni satisfacit: *Respondeo primo, quod non, nisi paucis eo modo, quo aliqui consulunt, nempe quod quinque gaudiosa meditetur inter dicendum primas quinque decades, et quinque dolorosa inter dicendum secundas quinque decades, et quinque gloriosa inter dicendum tertias quinque decades, tum quia id nimium videtur operosum, et onerosum, praesertim idiotis, rusticis, mulieribus, pueris, et puellis, quorum magna copia scribitur in praefata confratria, et huiusmodi operosa, et onerosa non videtur voluisse prudentissimus, idemque sanctissimus patriarcha Dominicus tantae multitudini imponere, iuxta illud Evangelii: Alligant onera importabilia: tum quia consulenda sunt meliora, et non minus bona: at Rosarium attentius recitatum ceteris paribus est melius quam recitatum minus attente, et quod cum tam varia distractione recitatur, semper, aut plurimum, minus attente recitatur, quia tam varia meditatio necessario diminuit attentionem ad verba, et significata, tam orationis Dominicae, quam salutationis angelicae: tum quia non iuvat dicere, quod maior bonitas meditatorum praestet, et praeeminet bonitati contentorum in orationibus recitatis, quoniam contenta in Pater noster, et Ave Maria, sunt cum primis optima, et praeterea Rosario intrinseca, quorum meditatio ceteris paribus est aptior, quam meditatio extrinsecorum, iuxta mentem Hermogenis libro secundo de statu*

hominum: tum quia nimium occupat mentem in cogitando de ordine, numero, et applicatione praefatorum mysteriorum ad numerum et ordinem praefatorum Pater noster, et Ave Maria, quae debitam attentionem attenuant, iuxta illud: Pluribus intentus, minor est ad singula sensus: tum quia nimium videtur parare mentes, praesertim fragiles, ad evagationem, et capitis vertiginem. Ob quae non fui ego ausus consulere hunc modum recitandi cuidam mente debili ad utendum eo parata, si cum ei consuluissem, sed alium faciliorem, et mea sententia gratiorem Deo, eius Matri, mentique recitantis amoeniorem. Dixi paucis, quia eruditis, et in contemplandis divinis valde exercitatis, et forti, et robusto animo donatis, id securius consuli posset: eiusmodi autem personae, collatione aliarum quae Rosariis utuntur, sunt paucae; haec ille.

Venio igitur iam ad varios, et perfaciles, valdeque utiles modos Mariannm recitandi Rosarium. Primus est, ut praemisso signo crucis, et humili genuflexione ad Virginem, factoque praeludio per verba illa: *Domine labia mea aperies*, quo Ecclesia horas canonicas incipit, labia namque nostra ad promendas Deiparae laudes solus Deus aperire potest; deinde sacram orationem Dominicam recitet, ac decem salutationes angelicas; quibus finitis, de mysterio correspondenti illi primae decadi, devotam aliquam cogitationem concipiat, et affectum aliquem in voluntate excitet amoris Dei, doloris de peccatis, gaudii, congratulationis, aut compassionis, iuxta qualitatem mysterii; ac tandem enixe postulet a b. Virgine virtutem aliquam, cuius magis indignum se agnoscit, aut extirpationem vitii, quod in eo amplius dominatur: quod idem proportionaliter adhibere debet in sequentibus, quibus peractis, cum humili genuflexione a beatae Virgine discedat.

Secundum modum accipe mihi satis perfacilem, quo comprehenditur mysteriorum consideratio cum attenta salutationum angelicarum recitatione. In primis praemisso illo versic. *Domine labia mea aperies*, et illo alio: *Dignare me, laudare te Virgo sacrata*, recitataque oratione Dominica, a qua, quia ab ore Dominico processit, Rosarium ordiri debet: simplici quodam intuitu in memoriam revocet mysterium primum correspondens illi decadi, a cuius simplici cogitatione minime recedens, decem preces angelicas effundat, in cuius fine in gratiarum actionem illius mysterii dicat: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto, sicut erat, etc.* Deinde similiter procedat in reliquis decadibus.

Tertium modum subiungo, Genubus flexis coram b. Virgine, recitet cum maiori, qua potuerit, contritione peccatorum, *Confiteor Deo*: est enim optima praeparatio ad orationem, ut labes peccatorum per dolorem prius abstergantur: gratiores enim sunt Deo, et Virgini preces, quae a puriori corde effunduntur. Deinde recitet orationem Dominicam, et decem salutationes angelicas, absque alia meditatione, sed solum cum debita attentione ad verba, et ad sensum, et in singulis orationibus tam dominicis, quam angelicis, devote dicat: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto*, et totidem genuflexiones faciat, vel capitis inclinationes, dirigens illas ad cultum beatissimae Trinitatis, et Deiparae Virginis, et sic similiter se gerat in reliquis decadibus.

Porro, praeter hos modos recitandi Rosarium Deiparae Virginis, alios, quos quidam non infimae notae auctores scriptis consignarunt, hic apponam. Insignis doctor Navarrus, cuius memoria in benedictione erit (*Miscellan.* 23. *de Psalt. Virg.*), alium modum, qui quartus erit recitandi Rosarium, in haec verba docuit: *Scribam unum modum, qui post septuagesimum meae peregrinationis annum prae aliis, quos antea fuerim expertus, placuit, et quo etiam nunc nonagesimum primum annum agens, cum per etium licet, utor, usurus eodem, ut puto, dum vita manebit, saltem inter dicendum unam de tribus tertiis Psalterii; quando omnes tres eodem die non recitavero: is autem consistit in faciendo tria, quae subiiciam, ut is, cui placuerit, possit ea uti. Primum praeconcipere breviter, et quasi in instanti, et momento temporis sine ullis verbis in principio, ante Pater noster, Deum uti Patrem, et Dominum omnium semper, et ubique praesentem, et se nihilum, et indignum audire dignantem, et cum continuo alloqui humiliter verbis illius, Pater Noster, tanquam Patrem Nostrum, formando, quoad eius fieri poterit, solos conceptus, quos vocant non ultimatos et ultimatos eorum, sine tamen reflexione, quod eos concipit vel non concipit, sicut vel et alium magnum principem, verbis a se compositis, vel occurrentibus, humiliter alloqui. In quod plurimum iuvabunt actualis amor, et reverentia in ipsum Deum, qui oratur, eo quod valde retinent mentem, ne in extrinseca vagetur. Dixi supra sine reflexione: quia illa fatigat mentem, et experientia docet, et nocet attentioni, secundum Parisiensis, imo non est attentio, sed obiectum attentionis, iuxta Caietanum: secundum vero faciendum est praeconcipere breviter, et quasi in instanti initio, Ave Maria, nullis verbis formatis Virginem Matrem, aliquem de praedictis actibus agentem, seque indignum videre dignantem, et continuo alloqui eam verbis, Ave Maria, servando circa illa, quae dixi servanda esse circa verba, Pater noster, ut alloqui solet aliam magnam principem verbis a se compositis, vel occurrentibus. Iuvabunt etiam in hoc valde actualis in eam amor, et reverentia, quae valde retinent mentem, ne in extrinseca vagetur, ut praedixi. Tertium in fine cuiuslibet decadis, quasi recreando animum dicere, fixis oculis mentis in ipsam Virginem Matrem, inscripta. In fine quidem primae Decadis dic: Decies millies benedicant te Virgo Mater gloriosa Maria omnes angeli, archangeli, et virtutes, principatus, potestates, et dominationes, throni, cherubin, et seraphin, cum quibus speramus te aliquando cernere, colereque in coelo. Amen.*

In fine secundae Decadis dic: Vicies millies benedicant te Virgo Mater gloriosa, Adam, Eva, Enoch, patriarchae, prophetae, Ioannes Baptista, et omnes alii sancti veteris testamenti, cum quibus speramus te aliquando cernere, colere que in coelo. Amen.

In fine vero tertiae Decadis haec: Tricies millies benedicant te, Virgo Mater gloriosa, Petrus et Paulus, et omnes Apostoli, Ioannes, et omnes Evangelistae, Stephanus, et omnes discipuli Domini, Sebastianus, et omnes martyres gloriosi, cum quibus speramus te aliquando cernere, colereque in coelo. Amen.

In fine quartae Decadis haec: Quadragies millies benedicant te omnes sancti confessores, Silvester, Gregorius, Ambrosius, et Augustinus, Hieronymus, Isidorus, Martinus, et Nicolaus, Benedictus, Bernardus, Dominicus, et Franciscus, et omnes episcopi, doctores, monachi, et eremitae, virgines, viduae, et coniugati, cum quibus speramus te aliquando cernere, colereque in coelo. Amen.

In fine Decadis quintae haec: Quinquagies millies benedicant te, Virgo Mater gloriosa, Anna mater tua, et ambae Mariae sorores tuae, Magdalena cum amicissimis tuis Martha, et Marcella, et Amira, serveaque tuae Agnes, Caecilia, Agatha, Lucia, Catharina, et omnes aliae sanctae martyres, virgines, viduae, atque coniugatae, cum quibus speramus te aliquando cernere, colereque in coelo. Amen.

Is tamen, cui nimirum videretur operosum tot nomina propria mente concipere, posset tacere illa, quod ego aliquando faciebam, et loco illorum ponere tantum appellativa generalia, quae omnia propria comprehendant; puta in fine primae Decadis potest pro omnibus nominibus propriis, novemque choris angelorum ponere appellativum illud generale, omnes sancti angeli Dei. Et in fine secundae pro omnibus nominibus propriis supra positis, ponere illud appellativum, omnes sancti, et sanctae veteris testamenti. Et in fine tertiae Decadis pro propriis supra positis illa appellativa, omnes Apostoli, Evangelistae, discipuli Domini, et martyres. Et in fine quartae pro propriis nominibus supra expressis illa appellativa, omnes sancti confessores, episcopi, doctores, monachi, eremitae, virgines, viduae, coniugati. Et in fine decadis quintae pro propriis supra expressis illa generalia, omnes sanctae martyres, virgines, viduae, et coniugatae. Is item, qui voluerit plures nominare, potest illorum nomina propria addere. Hic modus recitandi Rosarium placuit mihi prae aliis; haec Navarrus.

Piissimus Iacobus Alvarez Societatis Iesu (*in libel. de vit. relig. insti. cap.* 3), postquam praemittendum esse docuerat praeludium versiculo: *Domine labia mea aperies*, duo praeclara documenta tradit ad devote recitandum Rosarium, quibus modum alium, qui quintus erit, in ordine constituit primum; sic se habet:

Post primum denarium sic dices: Gaudeo, et congratulor tibi, o Virgo Maria, Domina, et Mater mea felicissima, quia a Patre in sponsam electa, a Filio in Matrem assumpta, quia a Spiritu sancto in totius Deitatis habitaculum praeparata, et ab angelo salutata, et laudata es. Oro te Domina mea, et Mater Filii Dei per mysterium ineffabilis incarnationis eius, quo ex te cornem nostram induit, et te suam Matrem effecit, ut impetres mihi remissionem peccatorum meorum, ut per gratiam ipsius filius efficiar. Amen.

Post secundum denarium sic precaberis: Gaudeo, et congratulor tibi, o Virgo Maria, Domina mea, et Mater mea benignissima, quia spiritu charitatis acta, ad domum cognatae properasti, praecursori sanctitatem attulisti, et domum illam coelestibus donis repleti. Oro te Domina mea, et mater Filii Dei per opus illud eximiae charitatis, quo cognatam tuam visitasti, et Ioannem ad tantum bonum provexisti, ut impetres mihi a Filio tuo mortificationis donum, quo conveniente paratus, eius afflatus, et inspirationem excipiam. Amen.

Post tertium denarium sic orabis: Gaudeo, et congratulor tibi, Virgo Maria, et Mater mea purissima, quia Verbum Patris carne tua tectum peperisti, pannis involeisti, in praesepio reclinasti, et post partum inviolata permansisti. Oro te Domina mea, et Mater Filii Dei per sanctissimum mysterium Nativitatis suae, ut impetres mihi ab eodem filio tuo quietam mentem, et fastum saeculi aspernantem, ut me parvulum factum suum sectatorem agnoscat. Amen.

Post quartum denarium sic petes: Gaudeo, et congratulor tibi, o Virgo Maria Domina mea, et Mater mea altissima, quia sedes Salvatoris effecta, eum sustentasti, ut a Regibus tribus adoraretur, et munera, aurum, thus, et myrrham in signum suae dignitatis, deitatis, et mortalitatis occiperet. Oro te per mysterium manifestationis eius, qua mundo et gentibus sui notitiam praebuit, ut impetres mihi ab eodem Filio tuo spiritum recte adorandi eum interius, et exterius, quo ei me totum in holocaustum offeram. Amen.

Post quintum denarium sic postulabis: Gaudeo, et congratulor tibi, o Virgo Maria, Domina mea, et Mater mea solicitissima, quia Filium tuum duodennem, in templo remanentem solicite quaesiisti, feliciter invenisti, et de mysterio disputationis eius cum Doctoribus exultasti. Oro te Domina mea, et Mater Filii Dei, per gaudium inventionis eius, ut impetres mihi ab eodem Filio donum fervoris, et solicitudinis, quo eum quotidie amplius, et amplius quaeram. Amen.

In secunda quinquagena eodem modo procedes, nisi quod sicut mysteria distincta sunt, ita etiam et titulos Virginis, et virtutes postulandas mutabis. In primo igitur huius secundae quinquagenae denario vocabis eam fidelissimam, quia vere fidelissima fuit erga Deum, quae filium ab eo dono susceptum, Patri repetenti ad passionem obtulit, et aequanimiter tali, ac tanto Filio orbata permansit, petesque ab ea spiritum resignationis, quo in omnibus tum prosperis, tum adversis divinae voluntati subiiciaris. In secundo denario vocabis eam misericordissimam: vere enim misericors fuit erga homines, quae, ut homines a miseria peccati, et mortis liberatos videret, commerita ab ipsis flagella dorsum filii sui dilacerare sustinuit, petesque ab ea spiritum paupertatis, quo omnia saeculi huius bona contemnas. In tertio denario vocabis eam prudentissimam: nam vere prudentissima fuit, quae in tantis afflictionibus filii sui absque dubio notis, silere didicit, et usque ad congruum tempus domi abscondita se continuit, postulabisque ab ea spiritum castitatis, quo mente, et corpore

mundus existas. In quarto denario vocabis eam ferventissimam : nam vere ferventissima fuit, quae praestituto a Deo tempore quietem deseruit, et filium ad crucem properantem comitatura quaesivit, petesque ab ea spiritum obedientiae, quo in omnibus non tuam, sed Dei voluntatem adimpleas. In quinto denario vocabis eam perseverantissimam: vere enim perseverantiae plena fuit, quae filium neque in passione, neque in ipsa morte reliquit, petesque ut impetret tibi spiritum humilitatis, quo te omni humanae creaturae submittas. Iam ipsas preculas excipe.

Post primum huius secundae quinquagenae denarium orabis sic: Laudo, et condoleo tibi, o Virgo Maria Domina mea, et Mater mea fidelissima, ob eximium dolorem a te conceptum ex angustiis in horto, et sudore sanguineo Unigeniti Filii tui: Oro te Domina mea, et Mater Filii Dei, ob promptissimam eius voluntatem, qua se ad mortem pro nobis obtulit, ut impetres mihi spiritum resignationis, et verissimam cum divina voluntate concordiam, ut in omnibus Creatori meo subiiciar. Amen.

Post secundum denarium sic: Laudo, et condoleo tibi, o Virgo Maria Domina mea, et Mater mea misericordissima, ob maximum dolorem a te conceptum in nuditate, et flagellis, et livoribus, et plagis unigeniti Filii tui: Oro te Domina mea, et Mater Filii Dei, ob nuditatem eius, qua nudus et ligatus ad columnam stetit, ut impetres mihi spiritum paupertatis, quo omnes mundi divitias, universaque commoda pro nihilo ducam. Amen.

Post tertium denarium sic: Laudo, et condoleo tibi o Virgo Maria Domina mea, et Mater mea prudentissima, ob maximum dolorem a te conceptum ex serto illo spinarum acerrimo, et alapis, et sputis, et aliis irrisionibus Unigeniti Filii tui: Oro te Domina mea, et Mater Filii Dei per opprobria, et ignominias ab ipso susceptas, ut impetres mihi spiritum castitatis, quo mundo corde, et corpore ab ignominia corporis mei liberer. Amen.

Post quartum denarium sic: Laudo, et condoleo tibi, Virgo Maria Domina mea, et Mater mea ferventissima, ob dolorem a te conceptum in baiulatione crucis, et lassitudine, et doloribus Unigeniti Filii tui: Oro te Domina mea, et Mater Filii Dei ob pondus crucis eius, et irriam innocentiam eius, ut impetres mihi spiritum obedientiae, quo crucem amabilem status mei libenter post ipsum portem. Amen.

Post quintum denarium sic: Laudo, et condoleo tibi, o Virgo Maria, Domina mea, et Mater mea perseverantissima, ob maximum dolorem a te conceptum in crucifixione, et tormento, et plagis manuum, et pedum, et laterum, et in septem verbis Unigeniti Filii tui: Oro te Domina mea, et Mater Filii Dei ob tam eximium ab ipso datum in cruce humilitatis exemplum, ut impetres mihi spiritum humilitatis, quo ex corde me deiiciens eius discipulus fiam. Amen.

Similiter in tertia quinquagena procedendum est, nisi quod mysteria vitae Domini, et tituli Virginis mutandi sunt. In primo denario vocabis eam laetissimam: vere enim laetissima fuit, quae resurrectione Filii supra omne, quod dici, aut cogitari potest, laeta fuit, petesque ut impetrando, in mente tua fidem adaugeat, quo firmius, et efficacius mysteria revelata cognoscas.

In secundo denario vocabis eam piissimam : vere namque pietate excelluit, quae abscedente per ascensionem filio, in Matrem Ecclesiae, et omnium fidelium protectricem data est: postulabisque ab ea virtutem spei, qua beatitudinem, et omnia media ad eam consequendam expectes.

In tertio denario vocabis eam ditissimam: nam vere divitiis abundavit, quae in immensum supra omnes Apostolos et discipulos gratiam, et Spiritus sancti dona suscepit; petesque ab ea virtutem charitatis, et septem Spiritus sancti dona, quibus pauper mundo, dives coelo, et coelestibus fias.

In quarto denario vocabis eam sublimissimam: nam vere supra omnem cogitationem nostram sublimis est, quae super omnes seraphicos spiritus, et super omnem creaturam exaltata est, postulabisque ab ea virtutem orationis, qua intellectu, et affectu corruptibilia transcendens, te coelestibus ingeras.

In quinto denario vocabis eam potentissimam: vere namque potentissima est, quae diademate Reginae coeli, et terrae cumulata, quidquid cupit, aut vult, a Deo statim obtinet, petesque ab ea sanctam, et felicem mortem, qua a mortalitatis vinculis absolutus, divino aspectu perfruaris. Ex his facile poteris tuas preculas efformare, quas laboris levandi gratia hoc loco subiicio.

Post primum denarium huius tertiae quinquagenae orabis sic: Laudibus effero, et congaudeo tibi, o Virgo Maria, Domina mea, et Mater mea laetissima, ob gloriosum gaudium a te susceptum in resurrectione, et impassibilitate, et charitate, et omni gloria Unigeniti Filii tui: Oro te o Domina mea, et Mater Filii Dei, ob immensam claritatem eiusdem Christi Domini, et Salvatoris mei, ut impetres mihi spiritum fidei, et perfectionem eius, ut intimius, et efficacius coelestia cognoscam. Amen.

Post secundum denarium sic: Laudibus effero, et congaudeo tibi, o Virgo Maria, Domina mea et Mater mea piissima, ob ineffabilem exultationem a te susceptam in admirabili ascensione, et solemni pompa, ac ineffabili maiestate unigeniti Filii tui: Oro te Domina mea, et Mater Filii Dei, ob gloriam eius, qua in coelum ascendit, dona hominibus daturus, ut impetres mihi spiritum spei, et augmentum eius, quo felicitatem et media ad eam consequendam sperare, et ad laborandum pro ea incitari valeam. Amen.

Post tertium denarium sic: Laudibus effero, et congaudeo tibi, o Virgo Maria, Domina mea, et mater mea ditissima, ob incredibilem laetitiam a te susceptam in adventu Spiritus sancti, quando in te, et Apostolos effusus est. Oro te, Domina mea, et Mater Filii Dei ob immensam charitatem eius, ut impetres mihi virtutem charitatis, et septem dona Spiritus sancti, quibus et ipsum super omnia diligam, et proximos sicut me ipsum diligam, et ab ipsius Dei mei ductu moveri me sinam. Amen.

Post quartum denarium sic: Laudibus effero, et congaudeo tibi, o Virgo Maria. Domina mea, et Mater mea sublimissima ob maximum gaudium a te susceptum in assumptione tua cum corpore, et anima supra omnes coelestes spiritus

evecta, et ad dexteram Filii collocata es. Oro te Domina mea, et Mater Filii Dei, ob celsitudinem habitationis tuae, ut impetres mihi a Filio tuo spiritum orationis, quo mente terrena deseram, et ad coelestia conscendam. Amen.

Post quintum denarium sic: Laudibus effero, et congaudeo tibi, o Virgo Domina mea, et Mater Filii, ob dignitatem tuam, qua miserias nostras scis, et eis subvenire vis, et potes, ut impetres mihi bonam, et sanctam mortem, qua ab hoc saeculo nequam discedens, conspectu Domini cum sanctis omnibus perfruar. Amen.

Ad extremum solum restat, ut pro devote recitanda corona Virginis nonnihil dicamus: licet enim, quae superius de Rosario diximus, ad coronam facile converti possint; nihilominus tamen, quia numerus decadum diversus est, secundum enim diversas sententias de aetate Virginis sex assignantur, vel septem decades, alios etiam faciles modos coronam recitandi breviter subiiciam; et quidem licet convenienter quispiam coronam septem decadum recitare possit in honorem septem gaudiorum, nimirum cum filium de utero suo concepit, beatam Elisabeth visitavit, unigenitum suum peperit, a regibus Magis adoratum vidit, in templo inter doctores docentem invenit, a mortuis suscitatum, et gloriosum conspexit, in coelum assumpta fuit. Aut certe eandem coronam posset recitare in memoriam, et cultum septem dolorum Deiparae Virginis, nempe, cum Christus sanguinem fudit circumcisione, exul ivit in Aegyptum, illum amisit per triduum, crucem baiulantem aspexit, in cruce pendentem vidit, a ligno depositum inter brachia suscepit, et Christo iam sepulto, charissimo suo pignore privata dolebat, quibus omnibus posset aliquam istarum piam meditationem finita decade subiungere.

Ceterum cum corona regium Mariae diadema designet, apte satis septem decades recitabimus ad septem Virginis praerogativas, seu coronas religiose colendas, ad quas investigandas Apocalypsis (*c.* 19) aditum nobis aperit. Nam si draco, cuius caput b. Virgo contrivit, septem diadematibus coronabatur, iuxta illud Ioannis (*Apoc.* 12): *Ecce draco magnus rufus, habens capita septem, et cornua decem, et in capitibus eius diademata septem*, sapienter quidem indicamus, septem coronis e diametro illi oppositis Marianum caput cingi, ad imitationem Christi, de quo idem Ioannes (*Apoc.* 19) dixit: *Et in capite eius diademata multa:* etenim Virgo pariter cum Christo septem opulentissimis regnis imperat, quibus septem diademata respondent. Primum est regnum angelorum clarissimum, cui semper suam faciem ostendit. Secundum regnum apostolorum, et patriarcharum, et prophetarum potentissimum, quo mundum sibi subiicit. Tertium regnum martyrum fortissimum, quo potestatibus adversariis resistit. Quartum regnum pontificum diligentissimum, quo militantem Ecclesiam regit. Quintum regnum doctorum sapientissimum, quo ignorantiae tenebras pellit. Sextum regnum confessorum, monachorum, et anachoretarum observantissimum, quo campos virtutum ad serendos vitae aeternae fructus exercet. Septimum regnum virginum, viduarum, et aliarum sanctarum mundissimum, quo in terra vitam coelestem instituit. Equidem si potentissimus rex Assuerus cum adamavit Esther reginam, ut legimus (*lib. Esther cap.* 2), posuit diadema regni in capite eius; quanto magis Christus Dominus credendus est posuisse in capite Genitricis suae regia haec diademata, quam prae omnibus adamavit, et super omnes creaturas principari decrevit.

Ad haec invenio etiam alium perfacilem modum recitandi coronam, seu Rosarium, persimilem ei, quem in Psalmodia observant cantantes in choro, alternatim versiculos dicentes: quem etiam morem laudationis in coelesti Hierusalem exerceri a beatis vidit raptus in spiritu inclytus martyr Ignatius, ut (*in Hist. Eccles.*) legimus, ad quod alludens Ecclesia canit:

Alternando, concrepando,
Melos damus vocibus.

Potest autem hic mos observari, non solum inter duos, sed inter plures, ut observasse se fatetur cum domesticis suis tempore itineris, nec non et stationum ad Ecclesias, piissimus Navarrus (*lib. de Psalt. beat. Virg.*).

Ad extremum, quia multos audio variis negotiis praepeditos, ac tot externis occupationibus immersos, ut dicant sibi non superasse exiguum aliquod temporis spatium, ut recitationi coronae vacare queant; hos in Christo Iesu moneo, ut saltem totam coronam Deiparae recitent, dividentes illam per septem dies hebdomadae iuxta totidem decades illius, ita ut unoquoque die unam compleant decadem salutationum angelicarum, recitata prius semel oratione Dominica: hac enim ratione fiet, ut intra spatium unius anni tot coronas recitent, quot sunt eius hebdomadae, ac totidem coronis caput Virginis exornent: quod non parum eis proderit ad protectionem, et amorem eius conciliandum, adeoque perfacile, ac breve est hoc spirituale exercitium, ut nemo quantumvis negotiorum pondere onustus, non possit illi vacare, vel quando e lecto surgit, vel dormitum se confert. Exhortor etiam eosdem, ut saltem coronam beatae Virginis recitent, dicentes, ut minimum loco totius salutationis Angelicae, verba illa: *Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum;* hac enim ratione facillime totam coronam brevissimo tempore explebunt, ac Deiparae Virgini, si non pro dignitate, saltem pro modulo suo, religiosum aliquem cultum exhibebunt; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA VI.

Sacrae Fraternitatis Rosarii excellentiam, ac miram utilitatem ex multiplici cap. palam facimus, pleraque eius praeconia devantantes.

Angelicus doctor sanctus Thomas (3. *part. quaest.* 28. *artic.*3. *ad* 5) quadripartitam fraternitatem in haec verba tradit: *Quatuor modis dicuntur in Scriptura fratres, natura, gente, cognatione, et affectu.* Fratres natura dicuntur, qui eodem paterno, maternove sanguine procreati sunt, ut instus Abel, et invidus Cain. Fratres gente vocantur illi, qui eiusdem sunt nationis, seu nativi soli, ut in Sicilia siculi, Neapoli neapolitani; ad quod genus fraternitatis respiciens Dominus dixit (*Deuteron.* 15): *Praecipio tibi, ut aperias manus fratri tuo egeno, et pauperi, qui tecum versatur in terra.* Fratres cognatione illos censet divus Hieronymus (*adversus Helvidium*), qui de una sunt familia, et ex una radice prodeunt; in quo sensu (*Genes.* 13) dixit Abraham ad Loth: *Non sit rixa inter me, et te, et inter pastores meos, et inter pastores tuos, quia omnes fratres nos sumus.* Fratres tandem affectu illi dicuntur, qui amoris vinculo inter se copulati sunt, quorum semper aliquos omnis tulit aetas, celebres tamen non ita multos, quin pene numerari queant. Tales Hercules, et Theseus memorantur: nam et hic illius virtutem, ac facta constanter imitabatur, et ille hunc apud hostes captivum eximere conatus est. Talis cum Pyrithoo Theseus exiliit, teste poeta:

Pyrithoum Theseus Stygias comitatur ad undas:

Statius vero similes Marium, et Caspium Romanos fuisse sic celebrat:

Sacro iuvenes Praeneste creati
Miscuerant studia, et iuncta tellure ferebant.
Velle ac nolle ambobus idem, sociataque toto
Mens evo, ac parvis dives concordia rebus,
Accubuere simul, volisque ex omnibus unum.
Id fortuna dedit, iunctam inter praelia mortem.

Tales Nysum, et Euryalum, musa non paulo maiore, canebat sic Maro:

His amor unus erat, pariterque in bella ruebant.

Talis et Aeneae fidus Achates semper amicus erat. Talis denique suasille Politiano vati, quem ipse prae cunctis isto effert elogio:

Ut tibi collatus iuvenes Phocaeus Orestem
Oderit, et spernat Thesea Pyrithous:
Sicanium Pyladem credatur fallere Damon.
Vixque bonum fraenis Castora frater amet.

Sed forsan haec vana, at sana illa, et vera de plano, Davidi, ac Ionathae esse fratres dedit non ulla cognati sanguinis necessitudo, sed animorum morumque similitudo. Haec aliior, et arctior coniunctio fecit Apostolos fratres: eadem Christi fideles omnes fratres fecit: quae enim mens alia Servatoris erat, ita percunctantis: *Qui sunt fratres mei?* et extendens manum in discipulos suos dixit: *Ecce mater mea, et fratres mei.* Ne vero soli Apostoli hac voce designati credantur; Marcus etiam oculorum gestum in Servatore notavit, quo omnes fideles complexus est Dominus: nam hic circumspiciens eos, qui in circuitu eius sedebant, ait: *Ecce, qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, et soror mea, et mater est.* At quae illa Dei voluntas? Lucas sic prodit: *Qui verbum Dei audiunt, et faciunt, fratres mei hi sunt*; quod quidem audire, et facere Dei verbum, non Apostolorum esse dumtaxat voluit legis ille lator, sed quorumcunque etiam christianorum: ea propter alibi inquiebat: *Vos omnes fratres estis; unus enim est Pater vester, qui in coelis est, et magister vester unus est Christus.* Cum igitur Christiani omnes inter Christi discipulos, auditoresque censeri debeant, eodem quoque fratres affectu christiano esse oportere necesse est. Hanc ex affectu pio fraternitatem s. Hieronymus dividit bipartito, *in spiritualem, et communem*; et quidem per spiritualem, inquit: *Omnes Christiani fratres vocamur, ut ibi: Ecce quam bonum, quam iucundum est fratres habitare in unum, et in alio Psalmo salvator: Narrabo, inquit, nomen tuum fratribus meis. Rursus alibi: Vade, dic fratribus meis. Porro communis est fraternitas, quia omnes homines ex uno patre nati, pari inter nos germanitate coniungimur. Dicite, ait, his, qui oderunt vos, fratres nostri estis; et Apostolus: Si quis frater nominatur fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum huiusmodi nec cibum sumere;* haec strictim Hieronymus: sed clarius distinguit utramque eam fraternitatem, dum ex Basilio in similem scribit sententiam Illustrissimus et Doctissimus Cardinalis Stanislaus Hosius: *Omnes*, inquit, *invicem cognati sumus, fratres omnes, ex eodem patre prognati omnes.* Si spiritualem quaeris, Pater noster ille est, quem uno ore invocantes dicimus: *Pater noster, qui es in coelis.* Sin autem terrenam quaeris originem, pater noster Adam, mater nostra est terra, ex eodem luto fabricati sumus omnes. Itaque natura fratres sumus secundum carnem, et secundum spiritum fratres nati sumus, vel potius regenerati. Eundem a primo homine sanguinem ducimus, eamdem a Christo gratiam accepimus. Quantum autem spiritualis fraternitas naturalem praecellat, duo inter alia praecipue manifestant, tum quod fundamentum fraternitatis naturalis caro est, et sanguis, quae constituunt instar amnis: facile enim aut per se diffluit, aut dispergitur, et evanescit, Isaia dicente (*cap.*40): *Omnis caro foenum, et omnis gloria eius quasi flos agri: exsiccatum est foenum, et cecidit flos.* Spiritualis autem fraternitatis fundamentum, et basis charitas est non ficta, ut loquitur Apostolus (2. *Corinth.* 6). Unde quantum superat naturam gratia, sanguinem animus, spiritus carnem, regeneratio generationem, secundus Adam primum, tantum fraternitas spi-

ritualis excedit fundamentum naturalis fraternitatis: tum quod omnis naturalis fraternitas nata est, ut occidat, et pereat, cum statutum sit hominibus semel mori, ut loquitur Apostolus; unde recte Sillus Italicus (*libr.* 3) cecinit:

Et pace, et bello cunctis extat terminus aevi:

cui consonat illud Ovidii (*Eleg.*8:)

Fata manent omnes, omnes expectat avarus
Portitor.

At fraternitas spiritualis per mortem non perit, ut Virgilius canit in obitum Moecenatis:

Et decet, et certe vivet tibi semper amicus,
Nec tibi qui moritur, desinit esse tuus.

Cui persimile est illud Cassiani (*in collationibus Patrum*): *Haec est vera fraternitas, quae nullis unquam casibus scinditur, quam non solum dissociare, vel delere locorum, vel temporum intervalla non praevalent, sed nec mors ipsa quidem dicellit.* Quare frater huius fraternitatis in Domino moriens, confratri suo merito dicere poterit illud Paulini ad Ausonium:

Te video corde, mente complector pia
Ubique praesentem mihi:
Et, si solutus corporali carcere,
Terraque praevolaverim,
Cum me locavit axe communis Pater,
Illic quoque te animo gero.

Quantum autem longo intervallo haec spiritualis fraternitas Mariani Rosarii reliquas alias praecellat, non meum testimonium, sed doctissimi Thritemii satis luculentum accipite: ille (*lib. de Fraternit. S. An. cap.* 15) haec scripsit: *Quanto Dei Mater cum genitrice sua, meritis, et sanctitate reliquos Sanctos in coelo antecellit, tanto Fraternitas nomini eius dicata locum tenet eminentiorem: unde ut fideles promptam apud Deum advocatam habere mereantur, sub nomine Rosarii ad honorem eius Fraternitatem instituerunt.*

Ceterum, ut eius excellentiam, ac praeclara encomia ab eius primordiis repetamus, dedit certe illa in signis patriarcha sanctus Dominicus: cuius rei, et traditionis auctoritas, et sacrorum Pontificum testimonia apertissime probant: et quidem quod ad traditionem attinet, verba d. Hieronymi (*contra Luciferianos de Eccl. tradit.*) loquentis, praesenti traditioni satis conveniunt: *Totus orbis in hanc partem consensus instar praecepti obtinet: nam et multa, quae per traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem legis usurparunt, et rationabilis observatio ea sibi vindicat, quoniam ita nostri tradidere maiores.* Cum ergo a multis retro annis omnium populorum consensu b. Dominicus huius fraternitatis institutor, et fundator habitus fuerit, plane fatendum est, id traditionis robore firmatum esse: unde cum Basilio Magno (*epist.* 37) nobis dicere licebit: *Nos confitemur, quod traditum accepimus:* quod si nondum acquiescis, audi divinum Ioannem Chrysostomum (*homil.* 4. *in* 2. *ad Thess.*), *traditio est, nihil quaerus amplius.* At te quaerere amplius video testem illius; sed frustra, cum traditio ipsa sibi testis sit. Verum praeter traditionem adsunt testes huius veritatis omni exceptione maiores, sacri pontifices, gravissimique auctores: nam Leo Papa Decimus in Bulla *Pastoris aeterna*, edita anno 1520. sic loquitur: *Olim pro historiis legitur. A s. Dominico quaedam confraternitas utriusque sexus fidelium de Rosario eiusdem b. Virginis Mariae nuncupata, ad honorem angelicae salutationis instituta, et in diversis mundi partibus praedicata fuit, etiam sequentibus signis:* id ipsum lego apud Pium Quintum in bulla, *Consuverunt*, et apud Clem. Septimum, Paulum Tertium, Paulum Quartum, et Pium Quartum, aliosque Pontifices, quos longum esset percensere. Accedit Alexander Foroliviens. episc. idemque Nuncius apostolicus, et legatus a latere pro Germania, qui in bulla, *Exit gloriosus*, anno 1476. dixit: *Beatissimae Virginis Mariae laudabilis fraternitas, de Rosario nuncupata, per beatissimum illius primum Patrem legitur praedicata.* Sed et alios antiquiores testes iam probo: hi sunt duo socii individui beati Dominici, qui ab eo in Generales Rosarii, et eius fraternitatis praedicatores creati fuere: hi sunt Ioannes de Monte, et magister Thomas de Templo (*in libro de mirac. beat. Virg.*), caius sanctitatis, et eruditionis meminit Antonius Senensis in bibliotheca patrum Ordinis Praedicatorum. Accedit etiam, quod universa Leodiensis Congregatio (*in man. sod. annunc. p.* 1. *cap.* 2) inquit: *Sodalitates sua dignitate fructuque superavit nobilissima Rosarii sodalitas, a b. Dominico Ordinis Praedicatorum fundatore circa partes Tholosanas primum instituta.* Confirmat omnia hucusque dicta, quod beatus Alanus (*lib. de dignit. psalt. B. Virg.*) refert, quod cum B. Dominicus navigans, captus esset a pyratis, et ad triremes destinaretur, ingens suborta est tempestas, ita ut navis patronus submergeretur, et alii in magno vitae discrimine versarentur: oranti b. Dominico pro illorum incolumitate apparuit b. Virgo multis fulgoribus coruscans, dicens, quod eius amore libens tranquillum, et placatum redderet mare, dummodo homines illi hanc prius admittere vellent conditionem, omni die psalterium dicere, et novam fraternitatem, quae Iesu Christi, ac Virginis nuncuparetur, inchoarent: qua impleta conditione continuo siluerunt venti, et frementes maris fluctus quieverunt, et facta est tranquillitas magna: neque quicquam officit, quod apud b. Alanum (*in apol. cap.* 22) haec verba leguntur: *Beatissimus Dominicus divino fretus auxilio pro animarum salute multarum, utpote qui fuit praedicator summus, re, nomine, et professione, in mundo ad hoc cum signis, et portentis mirabilibus missus, idcirco communitatem istam renovavit, quae dudum ante tempora sua valde inchoata fuit.* Hoc, inquam, asserlae veritati nihil obest, quia ante beatissimum Dominicum rudis, et informis erat illa communitas, ipse vero formam, et splendorem ei

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

exhibuit, et talis, qualis nunc est, ei ipse est auctor, talemque ipse regeneravit, qualem nunc habemus. Unde quemadmodum licet multorum sententia sit, alium ante Romulum Romae aedificationi primordia dedisse, quia tamen illa parvi momenti fuerant, absolute Romulus Romae fundator nuncupatur; ita licet fraternitatis initia quaedam beatum Dominicum praecesserint, ipse tamen ita illa promovit, ut non tam promotor, quam auctor dici mereatur. Atque hinc illud non leve, sed magni momenti pularim huius confraternitatis praeconium, quod illustrissimae familiae Praedicatorum Germana, et uterina soror sit ab eodem sanctissimo Dominico utriusque parente progenita, ad ubera eius pariter enutrita, et in universas fere mundi plagas diffusa.

Incredibile pene videri potest quod referam: verissimum tamen est, et Praedicatorum testantur chronica. Postquam anno 1217, b. Dominici institutum esset ab Honorio Pont. Maximo confirmatum, s. Dominicus emisit per orbem paucos, quos habuit fratres, praedicatum. Hi intra quadriennium ita totum fere orbem fermentaverunt, ita sese auxerunt, et numero fratrum, et aedibus conventuum, ut s. Dominicus hasce in provincias distribueret maximas. Una ipsi erat provincia tota Francia, alia omnis Hispania, Anglia tota erat tertia, una erat omnis Teutonum natio: Tolosanam, Narbonensem, Lombardicam, Romanam, provincias ipse descripserat, et distinxerat. Harum nulla pauciores, quam sexaginta conventus instructos numerabat: insuper ab eiusdem obdormitione anno allero, istae sunt amplissimae constitutae provinciae, a plurimis habitatae conventibus, Polonica, Dacica, Graeca, Ierosolymitana, Cyprensis. Nulla pars orbis christiani fuit, quam Ordo Praedicatorum non penetrarel, pervaderel, insisteret, habitaret, Ordinis germana compar fraternitas Rosarii, eademque patrimonium suum, haereditas nunquam ab illius fuit latere seiuncta. Ita continuo ubi seminare coepit Ordo, Rosarii quoque coepit ibidem stipatim germinare fraternitas. Quantum quamve late? hinc id aestima, quod Genebrardus prodit in chronicis, nimirum ferri, Praedicatorum id aetatis coenobia per orbem numerata fuisse quater millena centum, et quadraginta septem, atque haec singula fraternitatis propagandae studiosissima simul extitere, exemplo patris sui s. Dominici, recens inter divos adscripti.

Quapropter cum s. Dominicus vir tantus tantum sit adiumentum, ac ornamentum Ecclesiae, tanta gloria Praedicatorum Ordini; non potest non et fraternitati suae admirabilem splendorem, et excellentiae praerogativam afferre, velut idem utriusque auctor inclytus, et fundator; ut non vere minus, quam gloriose praedicare de eo nobis liceat, quod de Iosepho (*Ec.*49): *Homo princeps fratrum natus est firmamentum gentis rector fratrum, stabilimentum populi, et ossa ipsius visitata sunt, et post mortem prophetaverunt.* Circa illum corona fratrum, et *quasi plantatio cedri in monte Libano.* Par est igitur nos animis repetere, atque memoria dictum, factumque memorandum, iuxta illud, quo vel uno regis Itapherni bello quodam devicti, uxor a Persarum rege Dario cum ceteris capta nominis immortalitatem invenit Plutarcho teste, quae cum victor Dario sisteretur captiva, toto ore, ac corpore celsi animi praeseferens indolem regiam, sortem tantae rex miseratus foeminae, vitam ei condonavit, et libertatem simul eligendi unum ex omnibus captivis fecit copiam, quem liberum vellet. Illa nihil deliberans, germanum fratrem sibi donari poscebat. Quod factum admiratus Darius, cur regem suum coniugem Itaphernem praeteriisset, percunctatur: illa respondet, alius maritus, alii liberi, si Deus volet, possunt mihi contingere, alium fratrem, defunctis iam vita parentibus, non est, quod sperem. Non dissimiliter cum iam b. Dominicus Praedicatorum Ordinis, et huius Fraternitatis parens obierit, et ad superos evolaverit, iam non est, quod alteram isti simile sperare debeat, ut enim dixit Plutarchus (*de amic.fratr.*): *Fratris amici nulla est recuperatio, ut nec manus ablatae.* Merito ergo sacer Ordo Praedicatorum suam protegit fraternitatem, et a depraedatoribus, tamquam germanam suam sororem protegit, et defendit.

Tandem necessitudinis vinculo copulata est sacra haec fraternitas illustrissimae Praedicatorum familiae, ut ab ea inseparabilis sit; quod non pauca Pontificum decreta aperte contestantur, dum severe praecipiunt, ne cuiquam liceat, cuiuscumque sit status, ordinis, gradus, potestatis, vel auctoritatis, praeterquam Praedicatorum Ordini, aut quibus ipse permiserit, instituere, vel administrare Mariani Rosarii fraternitatem, et ut reliqua omittam, unicam, quae instar mille est Pii V. sanctionem recitabo, in bulla, quae incipit: *Inter desiderabilia*, anno 1569. die 29. Iunii haec scripsit: *Auctoritate Apostolica per praesentem statuimus, quod nulli licitum existat capellam sanctissimi Rosarii in quavis Ecclesia, sive loco, eligere praeter dictum Generalem, aut ab eo deputatos:* et infra subdit: *Nos enim omnes praemissis contravenientes, indulgentiisque, et peccatorum remissionibus eis concessis privamus, et privatos, et indignos effici decernimus.* Quod idem prohibet in Bulla *Consueverunt*, ann. 1569. die 17. Septembris. Impulit sacros Pontifices haec edere indulta, quod novissima hac demum aetate quidam extiterunt Marianae huius fraternitatis invasores, audaci pietatis promovendae praetextu, totis viribus conantes illam ad se trahere, et absque facultate Ordinis Praedicatorum eius administratores fieri, quibus sane a tentatoribus invadendae, ac sibi usurpandae fraternitatis alienae opinor causam fuisse persimilem illi Davidicae, de qua (*lib.* 2. *Reg.*6): *Nunciatum est Regi David, quod benedixisset Dominus Obededom, et omnia eius propter Arcam Dei: dixit David, ibo, et reducam arcam cum benedictione in domum meam.*

Certe propter mysticam arcam fraternitatis cumulavit Dominus uberrimis benedictionibus Praedicatorum Ordinem, ut aperte indicant verba Deiparae a b. Alano relata (*lib. de dign. Psalt. B. V. c.*16): *Quandiu duravit hoc Psalterium in tali Ordine sancto, tamdiu scientia, sapientia, observantia, miraculorum fama, et gloria apud Deum, et homines in immensum floruit.* Hanc multiplicem benedictionem Dei nonnulli observantes, quae per fraternitatem in Praedicatorum Ordinem coelitus dimanabat, in illud inciderunt consilium, in quod incidit David, ut secum adsportarent fraternitatem, alius alibi suo quisque in loco: *Ibo, et reducam arcam fraternitatis Rosarii cum benedictione in domum meam.* Verum hic illis conatus non ita fortunavit bene, sicut Davidi suus: quod cum hoc iustitia, cum illis quaedam staret iustitia ex praeiudicio, et damno tertii; est namque Ordini Praedicatorum divinitus haereditas data. Proinde sancta Sedes Apostolica hanc functionem fraternitatis omnibus aliis abiudicavit, et solis adiudicavit Praedicatoribus propriam. Evenit itaque attentatoribus istis, quod Iosepho, et Azariae principibus (1.*Machab.* 5): *Qui audientes res bene gestas, et proelia quae facta sunt a Iuda, et Ionatha, dixerunt: Faciamus et ipsi nobis nomen, et eamus pugnare adversus gentes. Abierunt Iamniam, exivit Gorgias in pugnam, fugati sunt illi, et ceciderunt de populo Israel duo millia viri, et facta est plaga magna in populo, quia non audierunt Iudam et fratres eius, existimantes fortiter se facturos. Ipsi autem non erant de semine virorum illorum, per quos salus facta est in Israel.* Ita isti gloriae cupidi appropriare, et usurpare sibi tentaverunt sacram hanc confraternitatem; sed frustra, quia omnibus notissimum est, S. Dominici semen, et Ordinem Praedicatorum esse, per quos iam 400. annis, et amplius salus copiosa facta est in Ecclesia Dei.

Sed ad alia iam me converto sacrae huius fraternitatis praeconia maiora decantanda: etenim quemadmodum divus Augustinus fatebatur (*lib.* 9. *epist.* 95) quod quatnor eum detinebant in Ecclesia, *consensio populorum; auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, et charitate aucta, et vetustate firmata: tertio successio pontificum a Petro usque ad Sixtum: quarto nomen catholicae, quod nomen nulla secta fuerit sortita:* ita similiter in Rosarii fraternitate, et devotione, consensus est populorum, qui hanc amplectuntur devotionem. In ea auctoritas miraculis confirmata, et inchoata, spe nutrita, et charitate aucta, non diviliis, non honoribus, non redditibus, sicut militiarum ordinum incrementa, sed amore erga Deiparam Virginem spe obtinendi eius patrocinium roborata, vetustate firmata, antiquitate stabilita ante quadringentos annos. Illud tamen singulare, et admirandum huius sacrae fraternitatis encomium inter pleraque alia esse perhibetur, quod Albigensium interemit haereticam pravitatem: enim sicut beata Virgo eius parens haeresum fuit interemptrix, ut loquitur d. Hierorym. vel ut alii volunt, Sophronius (*de assump. b. Virg.*), et sicut beatissimus Dominicus eius institutor acerrimus fuit haereticorum expugnator, ita haec sacra Fraternitas per varias mundi plagas haeresim diffusam, et instar cancri serpentem, Rosarii armis extirpavit, ac penitus extinxit: etenim in Occidente haeretici quidam extiterunt, sed qui orti simul occiderunt, primus fuit Berengarius sacramentarius sub annum 1600, deinde Basilius, Taudemus, Petrobrusiani, Henriciani, ac similis farinae obscuri homunculi. Quorum venenum haereticum auctores pene citius ipsos extinxit quam id sentiret Ecclesia; et ut refert b. Alanus (*in Apolog.*): *Coortis derepente multis Albigensium myriadibus, Ecclesiam in Francia, in Gallia, et Lombardia late pessumdantibus, Eucharistiam, orationem pro vivis, pro defunctis despicatui habentibus: hic vero intremuit Ecclesia Occidentis, talium adhuc inexperta malorum, multa movet, nulla pestem amovent, non arma, non doctrina deerant, deerat oratio. Huius immemorem monet orbem de coelo servator, monet Deipara, uterque per s. Dominicum, monent ambo praedicandi, ac orandi Rosarium: ut in usum venit, crevit oratio, decrevit haeresis.* Unde Summus Pontifex Gregorius Nonus in Bulla Canonizationis sancti Dominici, dixit: *Dominico sagittante delicias carnis, et fulgurante mentes lapideas impiorum, omnis haereticorum secta contremuit, omnis Ecclesia fidelium exultavit.* Ea propter in theatro Canonizationis contestatum fuit ab eo, vel in sola Lombardia ultra centies millenos haereticos conversos, Ecclesiaeque redditos fuisse. Haeresis Albigensium, qua vi, et via potissimum extincta est? Magnam partem armis cruce signatorum, maiorem praedicationibus Dominicanorum, maximam vero orationibus fraternitatis Rosarii. Nam ista priora diu profecere non multum sola, at Rosario fraternitatis accedente, inquit Pius Quintus in sua Bulla, *Coeperunt haeresum tenebrae remitti, et lux catholicae fidei aperiri.* Idem contestatur Pius IV. in Brev. *Cum praeclara: Nobis innuit, confraternitatem Rosarii, non sine magno fidei, et devotionis argumento iam dici erectam esse.* Quantum autem in dies numero capitum auxit fraternitas Rosarii, tantum imminuta est pravitas Albigensium; vicit fraternitas orationibus haeresim, et profligavit: sed auspicio reginae Mariae, testis est Ecclesia, quae sub eandem fere tempestatem eandem ob causam hanc adinvenit, et solemni ritu eandem introduxit Antiphonam: *Gaude, et laetare Virgo Maria, quae cunctas haereses sola interemisti in universo mundo.* Et quidem cum Deus, Deiparaque suam hanc fraternitatem, velut quoddam voluerint coeleste esse Apiarium, cuius apes in rosis Domini, ac Dominae divinis, et angelicis mellificare oportebat fratres, tanquam strenuos haereticarum vesparum, quae fraternitatis Apiarium devastare moliuntur, expugnatores esse, et vindices, tanquam sibi dictum illud divi Pauli (*ad Ephes.* 6): *Galeam salutis assumite, gladium spiritus per omnem orationem, et observationem.* Id quod satis perspicue a primordiis constitutionis mundi praedictum arbitror divino illo oraculo (*Genes.* 3): *Inimicitias ponam inter te, et mulierem, semen tuum, et semen illius.* Etenim sicut antiqui serpentis semen non est unum, sed multiplex, omnes illi, et filii Belial, omnia genimina viperarum, omnes acuentes linguas sicut serpentes; itaque benedictae huius mulieris semen non unum est, benedictus fructus ventris illius Christus, sed omnis, qui a Deo natus est: ex quo facile

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

mihi persuadeo, confratres Rosarii semen Deiparae Mariae merito censendos esse, cum ei sint peculiari ratione addicti. Unde summus Pontifex Paulus V. in Bulla, *Piorum nominum* edita anno 1608. die 15. Aprilis, non dubitavit eos, *dilectos filios, Mariae confratres, et consorores appellare*. Est quidem illa mater cunctorum viventium, sed audent quoque confratres Mariani Rosarii illam sic affari, *dic, obsecro te, quod soror mea sis, ut bene sit mihi propter te, et vivat anima mea ob gratiam tui*. Bene sane est fraternitati: propter eam enim vivit, ob gratiam sororis, ac matris suae interventione: continuo gratiam instillantem ei impetrantis, et eandem in ea conservantis.

Porro iam adiungo aliud sacrae huius confraternitatis praeconium. Etenim cum per totum fere orbem terrarum ubicumque Christi fides viget, sit iam fraternitas ista propagata, non potest eorum oratio ad impetrandum efficacissima non esse, d. Ambros. dicente (*super epist. ad Rom.*): *Impossibile est preces multorum non exaudiri*. Quicunque autem huic sacrae confraternitati nomen dedit, habet multos, et pene infinitos utriusque sexus confratres, per mundum universum dispersos, quorum bonorum, et suffragiorum est particeps. Inter quos absque dubio multi sunt, Deum timentes, et mandata eius custodientes: alii pueri innocentes, et sine macula saltem mortali, Rosarii pensum per singulos dies solventes: multi, qui austeram, ac sanctam ducunt vitam. Oratio autem quando a sanctiori, et digniori persona fit, tanto facilius a Deo exauditur, ut legitur (1.*q.c.ipsi, et* 14.*q.* 5. *c. scriptum*). Cui alludit illud (*Luc.*5): *Multum valet oratio iusti assidua*: et hoc idem probat ipse Iacobus, exemplo Heliae, dicens: *Helias homo erat similis nobis passibilis, et oratione oravit, ut non pluerel super terram, et non pluit annos tres, et menses sex; et rursum oravit, et coelum dedit pluviam, et terra dedit fructum suum* (3. *Reg.* 17). Si itaque tam efficax fuit oratio unius iusti, et exaudiri meruit a Domino, quanto magis proderit oratio multorum iustorum? (*lib.* 2. *Reg.* 14) legimus, quod cum Saul vellet occidere filium suum Ionatham, eo quod contra eius praeceptum gustasset modicum mellis ante solis occasum; populus impense institit apud patrem, ut tanti vita donata fuerit Ionathae, et placata est ira patris adversus eum. Ionathas peccatorem designat, Saul vero Deum Patrem. Tunc ergo Saul voluit occidere Ionatham, quando divina iustitia tentat damnare peccatorem. At si fuerit huic confraternitati adscriptus, instabunt pro eo confratres boni, et iusti apud Dominum, ut non moriatur in aeternum, sed vivat in praesenti vita gratiae, et futuro gloriae. Et quidem, si orationem duorum iustorum promisit Dominus exaudiendam de coelo, iuxta illud (*Matth.* 18): *Si duo ex vobis consenserint supra terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in coelis est*, quanto magis oratio innumerabilium iustorum exaudiri debet? Ad haec praeclarum illud huius fraternitatis encomium non praetermittam, utpote quod ad eam sectandam mirum in modum alliciat, arbitror sane, nec immerito inter argumenta, et signa moralia aeternae praedestinationis illud non infimum locum obtinere, quod quispiam nomen dederit huic sacrae fraternitati, sicut (2. *Reg.* 16) legimus, quod cum Ionathas, et Achimaas fugerent a facie Absalonis, quaerentis eos occidere, mulier quaedam illorum miserta, abscondit eos intra os putei sui, expandens velum super ipsum, ne a servis Absalonis transeuntibus viderentur, qua mulieris industria a morte praeliberati fuere; non dissimiliter cum Deus, ira percitus adversus peccatores, mittit daemones, iustitiae suae ministros, vindices, et executores, iuxta illud (*Ps.*77): *Misit in eos indignationem et iram, et tribulationem, immissionem per angelos malos*. Beatissima Virgo intra sinum misericordiae suae, quos agnoscit huius fraternitatis alumnos, eosdem protegit et abscondit, ut a divina ira eos eripiat. Quare singulis huius fraternitatis beatissimam Virginem dicentem audio illud (*Psalm.* 90); *Quoniam in me speravit, liberabo eum*, scilicet ab omni angustia in praesenti saeculo, et ab aeterna damnatione in futuro; idque propterea, *quoniam cognovit nomen meum*, illud repetens, et religiose invocans per Rosarii preces, *clamavit ad me*, scilicet inter adversa auxilium meum postulans, nec frustra quidem, *quia exaudiam eum in die tribulationis suae, nec derelinquam eum, cum ipso sum in tribulatione*, iuge auxilium liberaliter ei impertiens.

Quid plura? illa memorabilis huius fraternitatis laus est, ut nulla sit in Ecclesia catholica congregatio, in qua frequentius, et incessabilius orationis divinus cultus vigeat, quam in illa: etenim quam late patet Ecclesia Dei, in cuius omni loco incruentum Christi sacrificium offertur nomini Dei, tanquam oblatio munda, et immaculata, unde Zacharias vocat illud iuge sacrificium, tam late patet Praedicatorum religio, germanaque eius soror fraternitas: unde sicut iugis sacrificii in Ecclesia adest perpetua quaedam, diurna nocturnaque continuatio absque ulla intermissione, nam diu noctuque momentum non est, quo sol oriens, non aliam semper, atque aliam Ecclesiae aram perlustrans, aperiat, et Christi Domini ad aras operandum evocet, ita quoque, non esse particulam temporis existimo, quo non aliquae ad Rosarium preces effundantur. Hocque id amplius censeo, quo et plures sunt Rosarii oratores, quam sacerdotes, et quoad illud facilius est accedere, et repetere id saepius licet, quam sacrum missae officium.

Quid, quod nulla fraternitas mihi esse videatur, cuius solius tituli nomenclatura simul ipsa, et fidei orthodoxae tam certa sit professio eadem, quam certam solum facit signum Rosarii? Inter haereticos es? Rosarium gere, prome Rosarium, aut voce profitere te in Rosarii fraternitate cultorem gloriosissimae b. Virginis Mariae censeri, iam continuo Romanensis audis, iam Papicula cum cachinnis, et convitiis proclamaberis, iam verus verae confessor fidei coram hominibus factus, et agnitus mereberis, quem et auctor fidei Christus Iesus coram Patre suo confiteatur. Inter catholicos versaberis? idem exhibe Rosarium, id ora, id lauda, vel ad eius te cultores fratres iunge. Continuo qui

praesentes adfuerint aliam longe de te opinionem tacitis concipient animis, recte in fide sentientes, et humilibus consentientes, te illi pium, modestum, gravem, et comem, ac virum bonum esse sibi persuadebunt; certe talem minime, qualem mundi zizaniosus ager in maligno positus, efferre passim consuevit.

Quid, quod nulla fraternitas sit amplior illa, pluresque sinu suo complectatur? doctissimo Beyssello (*lib. de Ros.Cor.*), dicente: *Tanto existimanda est melior, et divinior, quanto cum pluribus potest haberi communior. Nam ceterae quidem inter christianos sodalitates, ita ferme sunt institutae, ut neque aetatum sint omnium, neque sexuum, neque conditionum; at vero haec infantiam mulcet, senectutem non offendit, otiosos exercet, non impedit occupatos, potentes et divites allicit, pauperes et debiles non excludit, tepidos ad fastidium non adducit, nec vicos tantum, sed et defunctos admittit: haec societas aliarum omnium videtur in se complexa esse divitias.*

Accedit his omnibus, quod hanc fraternitatem super reliquas omnes sacri Pontifices, Urbanus IV, Ioannes XXII, Sixtus IV, Innocentius VIII, Alexander VI, Iulius II, Leo X, Adrianus VI, Clemens VII, Paulus III, Iulius, III, Paulus IV, Pius IV, Pius V, Gregorius XIII, Sixtus V, Clemens VIII, et Paulus V, ex aerario Ecclesiae multis indulgentiarum divitiis locupletarunt, quod ut luculentius paleat, non gravabor in perpetuam rei memoriam eas omnes hic agglomerare.

§ I.

PRO INSCRIPTIONE IN FRATERNITATEM ROSARII.

Prima singulis de fraternitate plenariam indulgentiam semel in vita, semel in morte concessit vivae vocis oraculo Innocentius VIII. anno 1844. die 13. Octobris. Successores confirmarunt omnes. Secunda, qui qua prima vice inscripti fuerunt, sanctissimum Eucharistiae sacramentum in aliqua Ecclesia fraternitatis perceperint, et unam saltem quinquagenam recitaverint pro Ecclesiae tranquillitate, iis est plenaria indulgentia. Item, qui in mortis articulo constituti salutaris poenitentiae, et viatici sacramento muniti fuerint, utrique plenam omnium, et singulorum peccatorum indulgentiam, et remissionem misericorditer consequuntur. Ita Pius in bulla *consueverunt*, anno 1560 die 17. Septembris 3. Novissime de his nominatim Gregorius XIII. in duobus brevibus: utriusque initium est, cum sicut accepimus, etc. datum prius 25. Maii. alterum 1. Iunii anno utrumque 1579. Vi horum, ingressus in fraternitatem, si poenitens, confessusque communicarit, acquirit plenariam indulgentiam. Item semel in vita quando voluerit, confessusque communicarit, plenariam indulgentiam. Item, tertio in articulo mortis invocans corde, vel ore sanctissimum nomen Iesu, habet plenariam indulgentiam.

§ II.

PRO GERENTIBUS SECUM ROSARIUM.

Omni die, quo quis de fraternitate Rosarii secum tulerit palam Rosarium, meretur cc. annos, etc. quadragenas indulgentias Innocentius VIII, in brevi, splendor paternae gloriae, Romae 1488, et Alexander VI, in brevi illius, qui perfectae charitatis est, etc. Romae anno 1494.

§ III.

PRO DEVOTE ORANTIBUS ROSARIUM.

Prima non libet, nec opus est sigillatim referre, quantum, et quanto quisque Psalterium totum, aut Rosarium contulerit, verbo dico, vix fuit Pontifex a Sixto IV, qui datas non confirmavit, et auxerit aliis. Secunda solus Innocentius VIII, et Alexander VI, ubi supra confirmavit, contulit uterque dicenti Psalterium, id est, XV. decades coniunctim, vel divisim indulgentiam annorum trecentorum sexaginta millium, alii plures superaddiderunt. Tertia Adrianus VI, in brevi illius, qui Dominicum, etc. anno 1523. die 1. Aprilis dedit indulgentiam annorum quinquaginta dicenti Rosarium unum palam, ubi videri possit, dico in templo fraternitatis: at Clemens VII, in brevi ineffabilia, etc. anno 1592. 23. Maii extendit hoc ad omne templum, et duplicavit annos indulgentiarum, ut sint c. Demum Paulus III, anno 1537. 13. Augusti dedit plenam indulgentiam. Quarta quicunque e fraternitate orarit, et quandocunque, et quotiescunque Rosarium, seu quinquagenam pro defunctis, is liberat animam unam e purgatorio. Paulus III, ibidem. Quinta dicentibus Rosarium in certis festis certae, immensaeque sunt datae indulgentiae a pluribus.

§ IV.

PRO CONFESSIS, ET COMMUNICANTIBUS.

Primo. In festo Annunciationis, qui de fraternitate Rosarii confessus communicarit, et orarit Rosarium unum in templo Rosarii, meretur plenam indulgentiam, Pius V. in brevi, iniunctum nobis desuper Romae anno 1566. 14. Iunii. Secundo item, qui eo die etiam alibi confessus communicarit, visitarit tamen Ecclesam Rosarii, orarifque pro concordia principum Christianorum, pro extirpatione haeresum, pro pace Ecclesiae, is acquirit plenam indulgentiam Gregorius XIII, in brevi, cum sicut accepimus, anno 1579. die 1. Iunii. Tertio, Dominica prima cuiusque mensis, qui

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

praesens processioni confessus communicarit, plenam indulgentiam meretur. Gregorius XIII, in brevi, universis, et singulis, etc. anno 1577. die 24. Octobris, de hoc inferius. Quarto huc refert stationum indulgentias, plerisque festis fori, multis Choris, plenarias, aut maximas. Contulit eas Leo X, in bulla *Pastoris aeterni*. Confirmarunt successores. Quinto Dominica prima Octobris in festo Rosarii confessis, et communicantibus, orantibus in templo Rosarii, datur plenaria indulgentia. Gregorius in bulla, *Monet Apostolus* anno 1573. 30. Aprilis et in brevi, exponi nobis, anno 1577. 1. Octobris.

§ V.

PRO SALVE REGINA.

Quicunque de fraternitate interfuerit Salve Regina, dum in templo Praedicatorum canitur post completorium, is meretur quadraginta dies indulgentiarum. Alexander Legatus anno 1476. At Paulus V. vivae vocis oraculo addidit annos centum, anno 1608. ad petitionem reverendorum patrum capituli generalis eodem anno Romae congregatii quae de fraternitate Salve Regina dicta superius commemoravi libr. 1. capit. 12. inde lector memoria repetas licet.

§ VI.

PRO OPERE PIO QUOCUNQUE.

Qui de fraternitate Rosarii fecerit quodcunque opus pium, meretur centum dies indulgentiarum. Gregorius per tria brevia data anno 1579. primum die 3. Ianuarii, secundum 25. Maii, tertium 1. Iunii.

§ VII.

PRO AGONIZANTIBUS.

Primum, qui de fraternitate in agone versabantur, iis plenam indulgentiam concessit Innocentius VIII, ubi supra, confirmarunt reliqui. Secundum Adrianus VI, in brevi, illius, qui Dominicum, anno 1523. die prima Aprilis dedit plenariam indulgentiam iis de fraternitate, qui in morte tenuerint candelam benedictam, modo in vita soliti sint orare Rosarium. Tertium, qui confessus communicarit ante mortem, habet plenariam indulgentiam. Pius V. in bulla *consueverunt* anno 1569. 17. Septembris. Quartum, qui sanctissimum nomen Iesus, et Maria ore, aut corde invocavit, Gregorius XIII, impertit illi plenariam indulgentiam.

§ VIII.

PRO PROCESSIONIBUS.

Primum, quicunque Christi fideles in festis beatae Virginis Mariae adfuerint processioni Rosarii confessi, aut habentes votum confitendi, consequuntur plenariam indulgentiam. Pius VI, in brevi, dum praeclara meritorum anno 2. Pontificatus pridie Kalendas Martii. Secundum annos septem indulgentiarum, et totidem quadragenas praesenti apud menstruas processiones, et alias fraternitates quascunque, dedit. Pius V, brevi consueverunt anno 1569. Tertium, inscriptis in fraternitatem Rosarii, et praesentibus processionis illius menstruae confessis, et communicatis in templo Praedicatorum, et orantibus aliquid pro concordia principum, pro Ecclesia, pro haeresum extirpatione, concessit plenariam indulgentiam. Gregorius XIII, in brevi duplice, anno 1578. et anno 1578, et anno 1579. 29. Augusti, et in brevi Pastoris aeterni, anno 1581. 5. Maii. Idem in brevi cupientes, et cetero anno 1589. 24. Octobris, eandem concedit alibi confessis, et communicantibus, si non possunt adire Ecclesiam fraternitatis, modo orarint pro dictis punctis. Item eandem infirmis largitur, domi communicantibus, et aliquid ante imaginem orantibus. Ita in Brixiana patente.

§ IX.

PRO VISITANTIBUS TEMPLUM, AUT ARAM ROSARII.

Primum, qui inscriptus in fraternitatem Rosarii in septem festis Mariae Virginis, purificationis, visitationis, annunciationis, assumptionis, nativitatis, praesentationis, et sanctificationis, templum, aut aram Rosarii devote visitarit orando, consequitur plenariam indulgentiam, si tamen aut confessus fuerit, aut confitendi votum habuerit, Pius IV, in brevi dum praeclara, etc. anno 2. Pontificatus, 31. Martii, et in altero eiusdem anno pridie Kalendas Maii. Secundum, visitantibus capellam Rosarii Dominica 3. Aprilis, et 1. Octobris, plenariam indulgentiam dat Gregorius XIII, in brevi, cum sicut, anno 1579. 3. Maii dat plenariam indulgentiam orantibus quid in Ecclesia Rosarii, in festo Rosarii, annunciationis, purificationis, visitationis, assumptionis, nativitatis Mariae, et Dominica post Epiphaniam, inventionis, exaltationis sanctae crucis festo, coronae Domini, tribus diebus Paschalibus, triduo Pentecostes, et in die omnium sanctorum. Tertium, nota visitanda esse altaria quinque, et ante quodlibet orandum quinquies Pater, et Ave, aut ante unum quinquies quinque. Sic Leo X. anno 1518. ad infinitam capituli Generalis. At Pius V, in brevi, id limitat, quod orans quinque Pater, et Ave ante unum altare semel, sed in

Ecclesia Rosarii Praedicatorum satis faciat ad promerendas indulgentiam teste patente Brixiana.

§ X.

PRO NON VOLENTIBUS VISITARE ECCLESIAM ROSARII.

Qui de fraternitate in prima Dominica mensis, vel in dictis festis, vel in quacunque processione, aut festivitate nequiverint adesse praesentes, idque per morbum, aut carceres, aut itinera, aut servitia, aut navigationem, aut alia de causa iusta, ii si tali die oraverint Rosarium unum, commerentur plenariam indulgentiam, ac si personaliter praesentes fuissent. Pius V, inter desiderabilia anno 1569. 29. Iunii. Sixtus V, in brevi, dum ineffabilia meritorum, etc. Romae anno 1586. 30. Ianuarius. Item Gregorius XIII, in brevi cupientes, etc. anno 1583. 24. Octobris.

§ XI.

PRO LIBERANDA E PURGATORIO ANIMA.

Primum, quicunque de fraternitate curat legi missam de Rosario pro defuncto in fraternitate Rosarii, is liberat animam e Purgatorio. Alexander VI, in brevi, illius qui perfecta, anno 1494. et Paulus III, anno 1527. 13. Augusti. Secundum, quocunque die aliquis de fraternitate dixerit Rosarium pro defunctis, unam is animam liberat e Purgatorio in vigore indulgentiae plenariae, quam Paulus III, impertit orantibus Rosarium, ut supra dictum. Paulus III, in brevi, anno 1537. die 13. Augusti. Tertium, qui modo supradicto, feria quarta quacunque visitarit quinque altaria in Ecclesia Rosarii, aut unam aram Rosarii, is eo die liberat animam e Purgatorio. Item idem in quacunque Dominica die per annum. Et insuper subiectis diebus istis, primo in festo Purificationis Mariae, et s. Blasii. Secundum, Feria tertia post Dominicam quadragesimae. Tertium, sabbato ante secundam Dominicam quadragesimae. Quartum, feria sexta ante Dominicam passionis. Quintum, feria quarta, quinta, sexta maioris hebdomadae. Sextum, die sancti Ioannis ante portam latinam 6 Maii. Item, feria quarta Paschae, feria quinta, et sabbato post Pentecosten. Item sabbato quatuor temporum in Septemb. Item 27. Ian. et 27. Decemb. etc. Atque ista vigore dictae bullae Leonis X. stationum indulgentias concedentis, et successorum Pontificum concessas nominatim confirmantium; sic in patente Brixiana, quia Romae omni die visitari aliqua potest Ecclesia, ubi animam e Purgatorio liberare licet visitanti, et praescripta inibi oranti.

§ XII.

DE STATIONUM URBIS ROMAE INDULGENTIIS.

Nota stationum Romanarum indulgentias exceptas a me esse partim ex libello Romae impresso, et approbato per Sixtum V. anno 1588. 7. Ianuarii, partim ex Brixiana patente, et tabula Neapolitana. Verum ad eas consequendas has observare conditiones oportet. Primo sis in statu gratiae; secundo sis in fraternitatem Rosarii inscriptus; tertio visites ecclesiam Rosarii seu Praedicatoris Ordinis, aut si hanc non queas, aliam quamcunque: quarto, ores ut minimum quinquies Pater, et Ave pro universo nomine christiano. Pius V. Sed non ego singulas cuiusque diei, aut loci in urbe recensuero, longum enim nimis, ac taediosum foret; neque eas quisquam novisse magnopere desiderabit, ubi praeter iam dictas alias generales quasdam quotidianas, atque perpetuas cognorit. Cuiusmodi sunt, primo, quotidie in sancto Ioanne Lateranensi, si quis voluerit, sexies plenaria indulgentia. Secundo, omni die in quolibet de septem urbis ecclesiis semel plenaria indulgentia. Tertio omni die in aliis compluribus longe maximae indulgent. Quarto, omni feria quarta in s. Laurentio extra muros plen. indulgen. Quinto, quotidie remissio peccatorum partis tertiae ad s. Praxedem. Item tertiae ad s. Potentianam, item septimae ad s. Matthiam. Haec, omnesque Urbis indulgentias, alia concessit Leo X, anno 1518. ad instantiam patrum Ordinis Praedicatorum, in capitulo generali anno eodem Romae congregatorum; sic Brixiana charta. Confirmavit Clemens VIII. 8. Maii, anno 2. sui pontificatus in brevi, *Et si temporalium cura etc.* Confirmarunt et ceteri successores pontifices; tanta sunt ista, quibus maiora, tamque certa, et testata, quibus certiora nemo vel attulerit, vel expetierit.

§ XIII.

DE FACULTATE ABSOLVENDI INSCRIPTOS IN FRATERNITATEM.

Cum in Fraternitate Rosarii sit tanta a poenis absolutio, hoc enim est Indulgentia, par est, ut quanta sit in eadem a culpis absolutio, doceamus. De quo categorica esto, et certa assertio ista, omnis in Ordine Praedicatorum professus, et expositus confessarius est privilegiatus, in quantum ei Prior concesserit expresse, salvo Concilium Tridentinum, idque dupliciter. Primo, nomine Ordinis sui, respectu omnium Christi fidelium. Secundo nomine fraternitatis singulatim, quoad confratres, et sorores Rosarii. De primo dicere hoc loco nil attinet. De secundo huc proprie pertinet. Sic igitur de eo Papa Leo X. in Bulla, *Pastoris aeterni*, etc. data anno 1520. pridie nonas Octobris. Omnes praedicti fratres, ac sorores Rosarii, eorumque singuli in Pascha resurrectionis, in

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS

singulis festivitatibus praedictis, scilicet in nativitate beatae Virginis Mariae, annunciatione, visitatione, purificatione, assumptione, ac tribus diebus, singulas festivitates earundam immediate praecedentibus, cuicunque presbytero Ordinis, et domus Praedicatorum fratri professo, per eorum singulos pro tempore eligendo, peccata sua confiteri valeant. Ipseque Presbyter eorum confessionibus diligenter auditis, ipsos, et eorum singulos primum ab omnibus, et singulis excommunicationibus, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, et promulgatis; secundum, nec non sacrilegiis, incestibus, adulteriis, poenitentiarum iniunctarum, et divinorum officiorum, et ieiuniorum omissionibus, aliisque eorum peccatis, criminibus, excessibus, et delictis, quantumcunque gravibus, et enormibus in singulis, etiam Sedi Apostolicae reservatis casibus, Bullae coenae duntaxat exceptis, absolvere, et eis pro commissis poenitentiam salutarem iniungere. Tertium, ac iuramenta quaecunque, sine iuris alieni praeiudicio, relaxare. Quartum, et vota quaecunque, 1. ultramarino. 2. Visitationis liminum b. Petri, et Pauli. 3. ac s Iacobi in Compostella. 4. nec non religionis, et 5. castitatis votis duntaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare libere possit. Quinto, ordinarii, et archidiaconi loci, ac rectoris parochiani, et cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita. Haec ante Concilium Tridentinum Leo X. Eadem confirmarunt omnes pene successores Pontifices, etiam praesens sanctissimus Dominus noster Paulus V. At post Concilium Tridentinum primus iterum confirmavit Pius V. tum reliqui.

Verum quia omnia huius sacrae fraternitatis encomia prosequi non meas, sed angelicas vires longe superat, contentus ero, quorumdam doctorum testimonia, qui plura eorum compendio edixere, hic apponere. B.Alanus qui valde Virgini familiaris fuit (*in suo Psalterio cap.* 16) refert, beatam Virginem sequentes fructus huius Fraternitatis in haec verba commemorasse: *Hortatione b. Dominici, cuncti fratres, et sorores Ordinis sui Praedicatorum infallibiliter et incessabiliter summa cum devotione mihi famulabantur, et filio meo in hoc Trinitatis Psalterio, ut ad minus quilibet frater die omni diceret Psalterium integrum. Quamdiu duravit hoc Psalterium tali Ordine sancto, tandiu scientia, sapientia, observantia, miraculorum fama, et gloria apud Deum, et homines in immensum floruit. Quando vero defecit hoc Psalterium, Ordo Praedicatorum, inquam, plurimis defecit, ut iam parietes, et picturae, et libri, et epitaphia defunctorum produnt, etsi linguae hominum hoc dicere nollent. Quinimo diebus illis, si quis dimisisset hoc Psalterium die aliquo, totam diem ipsum aestimabant esse perditam. Per hoc quoque Psalterium in ipso Ordine sacro contigerunt prodigia, et signa mirabilia in tam immenso numero, ut maximus liber de his fieri potuisset, absque aliis innumeris, quae in regnis Hispaniarum, in Italia, et Francia contigerunt. Per hoc enim scelesti peccatores, et mulieres, in sanctam vitam mox convertebantur, gemitusque, et fletus dabantur in abundantia. Poenitentiae fiebant causa huius Psalterii etiam a puellis, et pueris incredibiles. Devotionis ardor in me, et erga filium meum per hoc sic florebat, ut angelos intervenisse fere putemus. Fides quoque sic roborabatur, ut plerique libentissime cuperent mori pro fide, et contra haereticos debellare. Quinimo Dominum Simonem Montis Fortis Comitem cum suo exercitu dicere hoc Psalterium b. Dominicus edocuit. Cuius virtute incredibiles, et inaestimabiles victoriae praefato Comiti coelitus sunt collatae, ut aliquando quingenti de suis fugarent decem millia haereticorum in terra Albigensium. Quinimo triginta de suis aliquando fugarunt tria millia aliorum. Et tria millia de suis magnum regem Aragoniae cum plusquam viginti haereticorum millibus debellarunt occisum. Erantque tunc fideles saepius inermes, et tamen innumerabiles, imo centum de parte Comitis visi sunt ab adversariis fere totam terram cooperire, ex angelorum assistentia, terrorque minimi ipsorum fidelium contra haereticos erat, ut terror immanissimi, et fortissimi gigantis. Sicque oratione s. Dominici, una cum virtute psalterii terrae haereticorum subiugatae sunt Ecclesiae. Huius Psalterii virtute multae fiebant eleemosynae, fundabantur ecclesiae, hospitalia aedificabantur casta, et honesta, fiebantque mirabiles revelationes, mirabiliaque alia plurima. Sanctitas etiam maxima, et contemptus mundi, honor Ecclesiae, iustitia principum, pax civium, honestas communitatum, et domorum sic vigebat, ut nullus posset dicere sufficienter. Quinimo laborantes manuales non prius opera attendebant, quam b. Virginem in Psalterio salutassent, nec dormiebant, nisi prius genibus flexis devoti in hoc ipsi fuissent; imo si casu dormientes se non dixisse Psalterium die illa deprehendissent, mox de latere coniugis prosiliebant, et devotius poenitendo me salutabant. Neque nunc de rerum mundanarum prospero eventu, qui Virginis famulis semper affuit, opus est dicere: verum tanta fuit istius Psalterii fama, ut si qui fuissent devoti, mox ab omnibus suspicabantur esse fratres Psalterii; si vero aliquis peccator, aut blasphemus videbatur, de illo in proverbio dicebatur, iste non est de fratribus Domini. Et quod magis tantu fuit in hoc Psalterio devotio, ut fratres Dominici citius reperirentur in ecclesia, aut in choro causa huius Psalterii dicendi, quam in dormitorio, vel in studio, tantaque huius Psalterii in hoc Ordine Praedicatorum volitabat fama, ut si quempiam quis vidisset in aliquo negligenter agere, confidenter tali negligenti aiebat: O fratres certissime Psalterium non dicitis Virginis Mariae, aut saltem dicitis indevote, etc.*

His adiicio celebre aliud Tritemii testimonium, mirificos quos parit haec sacra Fraternitas, fructus colligentis; hic (*lib. de Fratern. s. Annae c.* 14) in hunc modum loquitur: *Nemo intelligit, nemo credit, nemo capit, quanta Deus amatoribus s. Mariae quotidie beneficia conferat, nisi quem devota experientia informat. Scimus autem per invocationem s. Mariae multos viros potentes, eruditos, nobiles, et ignobiles, virgines, et mulieres, iuvenes, et senes a maximis tribulationibus saepe liberatos, a periculis*

ereptos, in necessitatibus mirabiliter adiutos: multos etiam utriusque sexus homines religiosos, et saeculares, a gravissimis tentationibus carnis, et spiritus meritis s. Mariae multoties comperimus liberatos: alios in egestate, et paupertate constitutos, per s. Mariae suffragia inopinate abunde provisos: alios de gravi infirmitate esse curatos. Quis enumeret, quanti a perniciosa mentis tristitia, et melancholia piissimae Matris adiutorio sanati sint? quanti quoque inter adversa securi? inter hostes, ac latrones impavidi? inter maris pericula tuti evaserint? Maria mater sanctissima multos sibi devotos a diversis tentationibus consuevit eripere, a pestilentiae contagione liberare, a variis quoque infirmitatibus curare. Quis enarret, quantos a piissima desperatione ad spem misericordiae duxerit? quantos a durissima peccati consuetudine ad poenitentiae semitas revocavit? quantos in religione, et extra, tepide conversantes, igne divini amoris inflammavit? eius meritis, et suffragiis in partu mulieres a periculis alioquin vicinae mortis liberatae sunt? Multi etiam a sententia perpetuae damnationis, sicut legimus, erepti. Denique nonnullos cultores suos ab infamiae opprobrio custodivisse dicitur, alios a desperata aegritudine, nonnullos a vinculis, et carceribus, quosdam et a mortis imminentis periculis liberasse memoratur. Legimus etiam meritis eius ad vitam nonnullos de morte revocatos, alios, in mortis articulo per eam clementissime visitatos, et antequam relinquerent mundum factos iam de coelo securos. Saepe etiam obtusa quorundam ingenia illuminasse dicitur, ut qui sine eruditione prius despecti fuerant, multis postea ferrent in admirationem. Oratores quoque saepe in dicendo lapsos in tantum invocata roborasse dicitur, ut non solum constantes, sed etiam invenirent, se factos in perorando promptiores. Amissa denique per eius invocationem legimus mirabiliter esse inventa.

Addo his doctoribus eruditum virum Michaelem ab Insulis, b. Alani discipulum, qui (*lib. de fratern. Ros.*) inter alia memoranda valde ill d singulare dixit: *Qui ex corde ad serviendum Virgini in hac fraternitate se obtulerit, cum toties salutaverit, finaliter non peribit, imo secundum Anselmum impossibile est eum perire; ita enim ipse Anselmus b. Virgini attestatur, sicut a te aversus, o Virgo Maria, necesse est ut pereat, sic ad te conversus, impossibile est ut pereat.* Atque ex omnibus supradictis duo infero apprime observanda, primum est execrandum illorum sacrilegium esse, qui huic sacrae fraternitati nomen dare desiderantes, ab hoc desiderio deterreant, aut eos, qui illam iam profitentur, ab ea deturbare moliuntur: illis enim increpatoria verba illa d. Bernardi (*sermon. de Epiph.*) apte satis conveniunt: *Herodiana malitia, et babylonica perversitas est, nascentem velle extinguere religionem: oritur, si quis resistit, si quis repugnat, parvulos Israelitici germinis necare conatur, et cum Herode Salvatorem persequitur;* haec ille, quibus valde consonant verba d.Pauli (1. *ad Thessal.*5): *Spiritum sanctum nolite extinguere.*

Secundum, quod infero, est, magis laudibus dignos esse praedicatores, et divulgatores huius sacrae fraternitatis: hi enim sunt divinorum mysteriorum praecones, divini Spiritus aurigae, quibus vasa doctrinae in mundum deferuntur sunt velut angeli superiores, illuminantes inferiores: velut Abel, et Seth, cultum Dei, et nomen Domini promoventes: sunt velut Noe, a diluvio animas liberantes; velut Abraham, et Isaac patres ingentis prolis, cui Dominus benedixit: velut Iacob pulchram Rachelem adamantes, et propter eius amorem multa adversa perferentes: velut Ioseph mundi Salvatoris Marianae devotionis selectissimum frumentum fidelibus distribuentes: velut Moyses hostes in mari submergentes, ac fideles de servitute diaboli eripientes, per desertum poenitentiae ducentes, ac de lapideo eorum corde fontem lacrymarum extorquentes: velut Iosue dirigentes populum Dei deviantem ad verum illius cultum: velud David cum psalterii funda Goliath, hoc est, diabolum interficientes: velut Elias zelantes zelum legis, ignem charitatis in multorum cordibus infundendo, infideliumque errores extirpando. Ac tandem hi sunt Gabrielis archangeli socii, annunciationem Deiparae iterum mundo divulgantes, et illustrantes, ut b. Dominico Virgo ipsa dixit; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA VII.

Encomia prosequimur sacrae confraternitatis Mariani Rosarii, visionem arboris Nabuchodonosoris accommodantes.

Propheta Daniel (*c.* 4) singularem quamdam visionem regis Nabuchodonosor in haec verba refert: *Ecce arbor in medio terrae, et altitudo eius nimia, magna arbor, et fortis, et proceritas eius contingens coelum, aspectus illius erat usque ad terminos universae terrae, folia eius pulcherrima, et fructus eius nimius, et esca universorum in ea: subter ea habitabant animalia, et bestiae, et in ramis eius conversabantur volucres coeli, et ex ea vescebatur omnis caro.* Interpretes huius visionis fere omnes intelligendam contestantur secundum litteralem sensum de ipso rege Nabuchodonosore, non de daemone, ut aliis placuit: et merito quidem id indicarunt, quia omnia illa a Daniele relata in regem Nabuchodonosor ad amussim conveniunt: quod enim ait: *Ecce arbor,* per illam Nabuchodonosor significatur, est enim homo velut arbor inversa, habens radices capillorum sursum: *in medio terrae,* quia Babylon, ubi regnabat Nabuchodonosor, erat in medio climate terrae habitabilis. *Et altitudo eius nimia,* propter eximiam illius elationem, et superbiam: *magna,* propter dilationem sui regni: *et fortis,* propter vim armorum, et multitudinem strenuorum militum: *et proceritas* eius contingit coelum propter celsissimae imperialis dignitatis cacumen, ad quod ex humili statu conscenderat. *Aspectus illius erat usque ad*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

terminos universae terrae, quia non solum a domesticis, sed a longe habitantibus timebatur ne in eos irraeret: *folia eius pulcherrima*, propter eximium ornatum, et domus, et familiae suae splendorem, pretiosissimaque supellectilia, quae ex variis regionibus ei adducebantur: *et fructus nimius*, propter ingentes divitias, quas illi comparaverat: *et esca universorum in ea*, propter mirabilem copiam fructuum terrae ad vescendum: *subter eam inhabitabant animalia, et bestiae*, quia multi eius subditi instar bruterum rationis expertum vivebant: bellularum mores imitantes. *Et in ramis eius conversabantur volucres coeli*, quia laterales eius, instar garrularum volucrum, loquacissimi erant. *Et ex ea vescebatur omnis caro*, quia pene innumeri erant, qui regis stipendiis allevabantur. Verum ad sensum tropologicum totam hanc visionem convertens, sacram hanc Mariani Rosarii confraternitatem in ea recte delineatam video. *Ecce*, inquiebat Daniel: vox haec cum admirantis sit, et demonstrantis rem aliquam magnam, ac portentosam, recte in hanc confraternitatem convenit, cuius miranda si describere vellem, certus sum, tempus potius, quam materia laudis mihi deficeret: est enim haec sacra societas paradisus quidam, in quo secundus Adam, et Eva, Christus, et Maria conveniunt ad spiritualem mundi regenerationem. Est syderum coelum gratiarum, ac coelestium charismatum, fluentis sterilem peccatorum terram foecundans: est omnium virtutum, maxime vero pudicitiae, propugnaculum: est fons vitae, in quo fideles animae ab omni lavantur scelere: est antidotum, quo ornantur et reficiuntur infirmi: est arbor vitae corroborans debiles, et aeternitatem vitae conferens: est arbor scientiae boni et mali, cuius gusta docemur declinare a malo, et facere bonum: est orius amaenitatis, ex quo flores omnis generis virtutum colliguntur: est suffragium vivorum et defunctorum: est vena, et minerale spiritualium omnium metallorum, quibus ditantur, et locupletantur Deiparae alumni: est turris, ex qua mille clypei pendent, quibus adversus hostes Virginis famuli armantur: est fodina uberrima lapidum pretiosorum, cunctarumque virtutum, quibus ornantur, et coronantur animae fidelium: est velut stella maris, per quam per inmescentes mundi fluctus, et peccatorum telram caliginem, dirigimur, illuminamur, atque ad portum salutis ducimur: est diadema gloriae ex pretiosis gemmis compositum, quo Deipara Virgo coronatur, sic Paulus (*Philip.* 4) dicebat quibusdam fidelibus: *Vos estis corona mea*; cur et Virginis famuli corona eius non sint. Quid plura? fraternitas haec est arca testamenti, in qua tabulae legis divinae sapientiae, virga Dei omnipotentiae, et manna coelestis consolationis delitescunt. Arca est Noe, per quam totus mundus a diluvio peccatorum liberatur, et ab inundatione tribulationis protegitur. Est Iris clementiae Dei, in qua designatur peccatorum venia, et reconciliatio divina. Organum est, cuius modulatione aetherea laetantur agmina. Cythara est, cuius melodia Ecclesia summa repletur laetitia. Est symphonia, cuius suavi harmonia peccatorum fugantur crimina, et Christi, ac Mariae aures demulcentur. Fumen est, quo terra militantis Ecclesiae foveitur, ambitur, et irrigatur, mirificosque fructus, eius foecundata virtute, producit. Sacra est theologiae bibliotheca, divina est, et humana, Dei, et hominis stupenda mysteria, et beneficia reserans; gazophylacium est divinorum thesaurorum, ex quo Deus pauperibus sua dona distribuit; horreum divinae misericordiae, ex quo nutriuntur fideles animae; thymiama est summae fragrantiae, eodoris, per quod cuncta opera nostra Christo, et Mariae offerimus in odorem suavitatis. Via compendiosa est coelorum, per quam fideles ad coelestem paradisum tendunt. Scutum est validissimum, in quo omnia hostium tela nequissima facillime confringuntur, et in illos retorquentur. Arcus est, cuius sagittis tartareae potestates vulnerantur, et confodiuntur. Compendium est mirabilium operum Dei. Mot nile est, quo Deipara exornatur. Signum ostensivum amoris erga Virginem, memorativum divinorum arcanorum, ac prognosticum futurae felicitatis aeternae. Mystica tandem scala est Iacob, per quam veri Virginis amatores usque ad conspectum Dei viventis conscendunt. Haec quis non admiretur? sed certe illud *ecce* Danielis non solum admirantis est, sed et demonstrantis: demonstravit fraternitatem Rosarii non semel s. Dominico Deipara Virgo Maria, ac praedicandum imperavit: demonstravit eam s. Dominicus auditoribus suis, qui concionanti illi aures, et operam dabant: demonstravit eam semper postera tanti patris proles Praedicatorum, partim concionibus publicis, partim scriptis monumentis: demonstravit eam sanctissima sedes apostolica per summos Pontifices complures, per purpuratos patres cardinales, per legatos apostolicos, per archiepiscopos, praesulesque varios Ecclesiae, qui omnes voce, ac stylo, eandem Christi fidelibus certatim proposuerunt: demonstravit denique eam Deus ter Optimus Maximus, miraculis et plurimis, et illustrissimis. Iam vero in eiusdem admiratione, quin et veneratione quis non defixus haesit, nisi qui ipsius crassa ignoratione iaceret, aut pium quidque negligeret?

Scribit porro Daniel: *Arbor in medio terrae*. Arboris adinstar fraternitas est Rosarii in medio Ecclesiae: *Sicut oliva fructifera in domo Dei, speranz in misericordia Dei in aeternum; eaque in charitate radicata, et fundata, ut possit comprehendere cum omnibus sanctis*, et secura dicere: *Radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei haereditas illius, et in plenitudine Sanctorum detentio mea*. Scio haec Mariae Dei parenti convenire, sed cur non etiam in fraternitatem, eius prolem, non convenient, haud video, cum etiam plantata sit in domo Domini, et in atriis domus Dei nostri floreat, et in aeternum floriturum speremus: ad quae ea tam divite copia fundit ex se haec mystica arbor omnia, quae in spiritualem christianae vitae usum seu necessaria sint, seu utilia, seu iucunda, seu pulchra, atque salutaria, ut praeter sese quicquam desiderari vix aliud reliquum faciat. Quo facilius patimur a Maximo,

novi orbis iudici urbs est primaria, suam iactari genus arboris, quam Mangueis appellant: quod omnium pene rerum una praestet officium: quod scapus seu caudex terebratus continuo succum fundat aqueum, nostrali vino persimilem; qui haustus largiuscule cerebrum ebrietate obturbet: cortex levis det lini, filique copiam ad omne genus vestium, ac testium: lignum arma ministret, quod durum tali se acie sinit attenuari, ut etiam ad acus inde conficiendas sit aptissimum: folia binos oblonga palmos, pugno crassiora morbis depellendis, contegendis tectis, aliisque usibus deserviant multis. At longe pluribus nostrae fraternitatis arbos, non corporis modo, quod minimum, sed animarum in primis commodis prodest. Etiamsi ipsa in medio huius mundi freto circumferatur, et simul humi, tamen quasi radicibus fixa stet, atque munita; quo sui miraculo nihil cedit istis arboribus, de quibus, ita Plin. Altissimae haud procul a Cauchis, aquilonaris coeli incolis, litora obtinent quercus, maxima aviditate nascendi, quae suffossae fluctibus, aut propulsae flatibus, vastas, complexa radicum, insulas secum auferunt, atque ita libratae, stantes navigant ingentium ramorum armamentis, saepe terribis classibus nostris. Sed incorruptibilem quoque fraternitatem Rosarii, immortalem, florentemque semper futuram, sua illa, qua hactenus perstitit, nobis spondet constantia, ut neque in hoc concedat illi terebyntho, quam Apostolicus auctor Ægesippus circiter quinque annorum millia in Memphi, inde ab orbe condito, ad sua usque tempora, semper viventem, virentemque superfuisse commemorat. Insuperabilis quoque igni tribulationum comburitur: sicut ligna Sethim, de quibus ita s. Hieron. *Ecce altaris ligna, quae de lignis Paradisi sunt, igne vicino non cremantur, sed puriora reduntur; nec mirum, cum etiam Amithon genus ligni, quando plus arserit, tanto mundius inveniatur*. An igitur fraternitas arbor est, quam istarum alla, magis admiranda? arbor est, ex qua, in qua, per quam tot in dies, tam absolute, religioseque elaborantur Rosaria, ut hisce tot tantum nihil ad imminutionem sui deficiat, sed in maius usque excessus proficiat.

Addit postmodum Daniel: *altitudo eius nimia*. Plinius altitudinem cuiusdam arboris in haec verba refert, amplissima arborum ad hoc aevi aestimatur Romae visa, quam propter miraculum Tiberius Caesar in ponte Naumachiario exposuerat, duravitque usque ad Neronis principis amphitheatrum. Fuit autem trabs e larice, longa pedes ccx, bipedali crassitudine aequalis, quo intelligebatur vix credibilis reliqua altitudo, fastigium ad cacumen aestimantibus. Legi apud eundem Plinium, in fortunalis insulis compertas arbores ascendisse in tantam altitudinem, ut centum et quadraginta quatuor pedes excederent. Mira haec, mirabilior ista; apud eundem, et Solinum arbores in India excrescere nonnullas eo altitudinis, ut nec sagittis transiici queant. Et vero licet dictae, aliaeque arbores caput inter nubila condant, multis tamen parasangis fuit illa Nabuchodonosorea praecelsior, cuius proceritas contigebat coelum. Coelos vero nostra etiam penetrat, superat. Deoque assurgit proxima. Nimirum haec est precum in fraternitate Rosarii altitudo: *Nam deprecatio pauperis ex ore usque ad aures Dei perveniet, et iudicium festinato adveniet illi*, inquit Ecclesiasticus. Ideoque iterum (*Eccl.* 35. 20): *Qui adorat Deum, in oblectatione suscipietur, et deprecatio illius usque ad nubes penetrabit*. Oratio humiliantis se nubes penetrabit; et, donec propinquet Deo, non consolabitur, et non discedet, donec altissimus aspiciat, et Dominus non elongabit. Ascendit igitur illa rosacea arbor ad coelos, et pertingit ad aures usque Altissimi. Quin etiam descendit ad inferos quoque purgatorius radix eiusdem orationis. Qua profunditate sua longe abit altius, quam Indiana illa novi orbis arbos, cassia dicta, cuius radices, teste Ovetano, semper rectae profundum petunt, nec penetrare desinunt, donec subterraneam aquam comperiant: tametsi plurima foret a superficie soli distantia, quod nulli plantae commune est. At istud solius est arboris nostrae fraternae orationis radici proprium: cuius vi iam inde ab anno MCC. quando huius fraternitatis primum semina iaci sunt coepta, usque ad MDCXIII. praesentem, quot animae ex profundo laci eductae sunt? quot hodieque educantur, quantumvis illae ferreo poenarum pondere iacerant altius demersae? quid igitur minus habet miraculi praecisum ab hac arbore precatoria, velut lignum quoddam suffragii pro vita functis? atque illud habebat, quod Elisaeus praecidit, et misit illuc, ubi cecidit ferrum securis in aquam, natavitque ferrum? Vis felicis ligni, Rosacei, inquam, suffragii animas e profundis evocat innumeras. Sed aliam quoque per illam assequor certis fidei oculis altitudinem fraternitatis Rosarii; quam quidem cum universa Ecclesia communem habet: *Caput enim Ecclesiae est Christus*, ipse Salvator corporis eius. At Christus primogenitus omnis creaturae, et ipse est primogenitus in multis fratribus. Quare multo quoque maxime caput esse dicendus est idem, principis in Ecclesia fraternitatis Rosarii. Cuius quidem tanto videri debet altior charitas, quanto ipsa est et altior, et amplior una ceteris fraternitatibus (*Eph.* 4. 15): *Quippe cum veritatem facientes, in charitate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum, et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram unicuiusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in charitate. Habemus igitur vegetantem fraternitatis Rosarium animam charitatem, caput vero Christum*. Quibus quid altius? et ambo sane exaltata ad sese trahere conniitutur omnia.

Subiungit postea Daniel: *Magna arbor*. Refert Petrus Martyr in palude quadam indica, ipsius ego totidem hic verba reddam, arbores frequentissimas, perinde ac in nemoroso solo frondere; tantae singulas amplitudinis, ut octo viri coniunctis ulnis unam complecti non queant. Hasce cavas populus habitet; ipseque unam regulus Abibeiba. Omnes eorum opes, gazae, supellex, thesaurus, escae in iis asservantur praeter vinum. Quia idem tradit in Castila novi

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

orbis populos adeo frequentes inhabitare plantis, ut dicere iure possis, oppida in arboribus esse: id quod et Ovetanus testatur. Quis autem arborem fraternitatis Rosarii domum orationis esse inficiabitur? et istis longe capaciorem arboribus, sed habitatam frequentius? Non enim iam urbes, sed orbis christiani partem pene maiorem, quia saniorem, in ea belle, et iucunde habitare in unum, ac omnia antiquae pietatis officia constanter obire, quis nescit? Si mihi septentrionalis Germaniae arborum vastitatem opponas, quarum singulae solidam cymbam praebeant, ut Plinius istis affirmat. Germaniae Praedones singulis arboribus cavatis navigant: quarum quaedam etiam triginta homines ferunt. An non, et nostra fraternitas solida cymba salutis est, et istis longe amplior? Si in novi orbis Brasilia arbores mihi loquaris, quae tam crasso, latoque sint stipite, ut earum quaelibet ex cavata solidam ratem efficiat, hominum facile xxxx. capacem: si et illas istarum similes in ditione Calecutiae Orientalis Indiae rates arboreas commemoras, longas insuper passuum tredecim; navis tamen multo maior est arborea fraternitas Rosarii: unaque est omnium, quicquid existit usquam, capax mortalium. Vere navis est ea mulieris fortis, quae ipsa facta est quasi navis institoris, de longe portans panem suum, dans praedam domesticis suis, et cibaria ancillis suis. Quare Deipara navis est ciboria, et navis est eiusdem fraternitas Rosarii. Testetur igitur Aloysius Cadamustus apud Nigritas populos arbores seipsum in ambitu crassas xi. pedes vidisse. Memorent alii, ac demirentur illas, in novi orbis insula Ceiba, tantas, quarum truncum ne vel tredecim viri protensis brachiis valeant circumambire: nihil haec ad fraternitatis Rosaceam sunt arborem; quae maxima numero fratrum fundit sese, qua patet Ecclesia, et Ordo Praedicatorum.

Porro de sua *sic* Daniel, *et fortis*. Multis palmae celebratur fortitudo, quod, quamvis onerata, ponderi nil cedat, quin magis adversum onus connexa insurgat, seipsa robustior. Unde priscis etiam victoriae signum esse placuit symbolicum. Celebretur aliis arboris genus, in Tava insula maiore, mirae fortitudinis, ut cuius medulla ferrea sit, virgae in modum ab imo in summum verticem ducta. Nostrae arboris fraternitatis, inquam, fortitudo est unus Christus, materque Christi Maria secunda, adde funiculum ipsius, qui triplex non rumpitur, estque fides, spes, charitas. Adde his illam plusquam octoginta fratrum filiorum Sciluri regis, monstrantem in telorum fasciculo concordiam. Adde animorum quoque fraternorum inter sese unionem, communionemque bonorum. Atque ut alia omittam, fortis est in fortitudine cibi illius, panisque de coelo descendentis, e medulla triticea confecti. Cui quidem die, medullaeque farinulae, quanto est inferior illa censenda quam in regno Indiae Tansur ex medulla quercae arboris exeri ad hominum alimentum, affirmat Marcus Polus? Affirmet idem in eiusdem querculus ligna, robore, ac duritie ferrea, praestare ad omnia penetranda. Robore tamen nostram fraternitatis arborem haudquaquam anterbunt, cum minima vis gratiae sit fortior vi quacunque naturae.

Sequitur in Daniele. *Aspectus illius erat usque ad terminos universae terrae.* Haec equidem scio, de nulla creatarum arborum dici posse. Potest autem, et vere de nostra sacra fraternitate: ac potius, quam de illa Nabuchodonosorea praedicari. Quae enim est gens, quae ora, quis locus, cui illa non sit etiam nunc, aut non fuerit aliquando conspicua? sic est, non spectaculum modo, sed et miraculum facta est Deo, angelis, hominibusque nostra fraternitas.

Post haec ait Daniel: *Folia eius pulcherrima*, adde, quod et saluberrima illa nostrae sint arboris fraternae folia. Ut alia sileam, foliorum similes sunt tot, tamque amplae Pontificiae concessiones indulgentiarum, facultatum, atque privilegiorum. Quibus ornamentis, ad fraternitatem Rosarii adiectis, praeter eam gloriam, quam ab intus habent, foris etiam velut auro convestita, et circumdata varietate splendet. Appetenda nobis haec, atque veneranda sunt folia, non metuenda, velut Indis illa coppei arboris in Hispaniola insula, ut Petrus Martyr, et Ovetanus prodiderunt. Nam cum ea papyri vicem praebere Hispanis, et per illa absentes loqui absentibus videret gens Indica, literarum ad eum diem prorsus ignara; credebat occultum iis spiritum inesse, quo animarentur. Itaque deinceps diu nec colloqui ad eas audebant arbores, velut secretorum intelligentes, ac indices. Nostrae autem arboris folia, Apostolicae, inquam gratiae, atque indulgentiae, suam quandam vitam vivunt, nobisque eam communicant, nisi, quae absit verbo blasphemia, Christi sanctorumque merita, et satisfactiones emortuae esse dicantur. Vivunt illa fraternitatis folia, et vivacius, atque istius arboris, quam se vidisse Pigefeta, tradit in India Orientali. Vidi, inquit, arborem, cuius folia etiam a trunco abrupta, animata essent, moverentur, ac viverent; sed non ultra diem octavum, deficiente proprii humoris alimonia, quam ex arbore traxerant. Nunquam autem deficit fraternitas, quia charitas non excedit: nunquam fraternitatis folium hoc defluet: et non timebit, cum venerit aestus, et erit viride, et in tempore siccitatis non erit solicitum. Quae enim indulgentiarum pars in hac arbore virere, ac florere coepit unquam, et aliquando defluxit eadem? Num igitur hac perpetui vigoris laude nostram arborem, aliis ab eadem celebratis, quibuscunque post habendam dabimus? Esto, ut testis gravissimi, d. Augustinus verbis totidem ait, Tilon, Indiae insulam praeferri ceteris terris, quod omnis arbor, quae in ea gignitur, nunquam nudatur tegmine foliorum, quodque iisdem ex arboribus naves fabre fiant, ut Aristoteles ex Magni Alexandri comitibus didicit, quas cc. annis durasse compertum fuerit, et aquis mersas perdurasse incorruptas, teste Plinio. Eandem laudis gratiam tribuit Ovetanus aliis quoque compluribus novi orbis arboribus: veniant in societatem communis praeconii quaedam nostrates quoque arbusculae semper virentes. Verumtamen ene omnes nec semper, nec diu virentes aetatem ferunt: tandem enim emoriuntur, ac pereunt. Emori, ac perire ista nesciunt fraternitatis, arboris, inquam, nostrae folia: ita annant illa, atque perennant.

Pergit s. Daniel: *Et fructus eius nimius, et esca universorum in ea.* Quid hic primum, quid posterius de nostrae dicam arboris fructu? an, quod hic sit operum in ea bonorum meritum immensum? an quod esca universorum sit communicatio mutua? Quis fructus uberior? quae esca communior, aeque ac salubrior? commemorentur a Plinio mali, ac pyri eodem anno biferae, ac triferae in ea insula Caprifici similes in Tacapensi Africae agro: in Consentino rure unam malum admiretur biferam M. Cato. At de nostrae arboris fructibus quicquid dixero, minus erit: semel dicam, innumeri sunt ii, inque manu Dei. Erit illa semper quasi lignum, quod transplantatur super aquas, quod humorem mittit in radices suas, et non timebit, num venerit aestus, etc. nec aliquando desinet facere fructum. Aliarum taceo fructus arborum multos, magnos, miros; quos aut arboris, aut loci conditio, aut coeli clima, aut simul haec omnia producunt. Qui tamen ad huius fraternitatis fructus similitudinem nec adspirare audent forte naturam ars superabit gemmiferis a se, auriferisque factis arboribus. Ut hoc demus; minime tamen hae nostram vincent arborem praestantia fructuum: nam, ut Horatius canit: *Vilius argentum est auro, virtutibus aurum.* Iusserit magnus Cham rex in Orientali India, per hortos pendere gemmas, ad usque miraculum multas, ac varias. Unam praecipue pinum proceram onerarit, ut e singulis ramusculis gemmarum penderent botri uvarum similes: credas in omni Europa tantum gemmarum non esse, quantum una illa ferebat arbos, spectavit, qui scripsit. Odericus: insanierit tamen, qui has affixas arte gemmas, pini fructus dixerit, quique omnes, vel unius boni operis merito anteposuerit. Quod quam multiplex sit in fraternitate, nemo est, qui non videat.

Post haec ait: *Subter eam habitabant animalia terrae.* Sic homines Scriptura iustos pariter, iniustosque appellari notius est, quam ut exemplis indigeat. Vel hoc ex Danielis loco satis constat, quod arbor regem, bestiae subditos designant. Iam animalia sub arbore fraternitatis habitantia quae sint, nemo non videt. Non inde sexus arcetur ullus; nulla hominum conditio, vel aetas; nullus status aut ordo: omnibus liber semper accessus patet: semper omne fidelium genus promiscuum, nullo discrimine. Summi Pontifices ad eam largissimis propositis beneficiis invitarunt, hodieque invitant. Mirificus quoque semper piissimorum quorumque fuit ad eam confluxus. Verum, ut et Ecclesiam ipsam alias alibi nunc floreniorem, nunc obscuriorem fuisse novimus: ita fraternitati quoque Rosarii evenit, ut non eodem semper omnibus in locis vigore efloresceret. Nulla tamen unquam tanta fuit temporum iniquitas, quae sub parthenica collectam arbore confratrum multitudinem sic dissiparet omnem, ac depopularetur, ut vastitatem toti, penitusque desertam inferret solitudinem fraternitati. Quantum oppressa forte iacebat isthic: alibi tantum eam Deus efferebat, ut non tempus esset aliquando, non momentum, quo non fuerit subter hanc arborem habitatio mundorum animalium Domini frequentata. Nunc mihi occullo quodam instinctu naturae certa animantia umbram certarum amant arborum, ac sequuntur. Admiratur Plinius, arborem de nomine incognitam, cuius vis arcano sensu, equum, cui Alexander Magnus insidebat, quamvis invitum ad sese attraheret. Alia in provincia Pudifetania homini fugam describit arbusculam Nicolaus de Comite, quae accedente homine, velut retrocedens, ramos in seipsam colligit; at eodem recedente, rursus iisdem exporrectis, se in pristinum locum expandit, ac reponit. Quin etiam arbores Mangli, ad oram in orbe novo maritimam Cubae, plurimas Ovetanus, et Petrus Martyr depraedicent ab hoc naturae miraculo, quod quamvis sint procerae, ac ramosae, rami tamen sese ipsos ex alto in terram lente deflectant, opusque efficiant concameratum, quale fortassis arte nulla potest apparari. Haud tamen hae unquam tam gratam praebent stationem. Non etiam illae tantum defugiunt homines, non istae trahunt bestias tantum, quantum fraternitatis arbor trahit, collectosque fovet piissimos, fidelium excludit neminem. Qua causa in responsorio quodam ita olim canebat Ecclesia de Deo, fraternitatisque Rosarii parente Maria: *Quasi terebinthus extendisti ramos tuos Virgo Maria super latitudine terrae: ecce confugimus ad te, ut sis nobis in umbraculum diei ab aestu, et in abscensionem a turbine, et pluvia. Congrega nos a nationibus, et laudemur in laude tua.* Sic etenim porro de arbore tua proditum legimus.

Ad extremum haec dicit Daniel: *Et in ramis eius conversabantur volucres coeli.* An haec fortassis arbor talis erat, qualem vidit, et obstupuit Luitprandus Ticinensis diaconus, quando Berengarii nomine ad Constantin. imperat. legatione perfunctus, anno salutis D. CCCC. L. in Regiam Constantinopoli introducebatur? sic scribit ipse: Erat illa ornata sumptuosissime, ibi aenea, sed inaurata arbor ante ipsius imperatoris solium assurgebat, expansis magnum in modum ramis aeneis, atque inauratis. In his frequentissimae variarum erant specierum aves arte confictae, quarum singulae, proprias voces, cantusque edebant incredibili arte: rugitum quendam emittebant leonum, solii velut custodum simulacra. Sed ficta haec, arteque facta omnia. In fraternitate fictum nihil, ex arte non multum, omnia Dei ex gratia. An igitur volucrum in ea talis conversatio, qualis Antonius Pigafera in regno Barnei se vidisse memorat, et superius nos recitavimus? nimirum folia in arbore vivere instar avium, abscissa ab ramo etiam pedunculis ambulare, vivereque in octavum diem. An vero talium erat ferax avium arbor ea, quales sunt, quae Bernecae dicuntur, anatum similes? Crescunt eae ad cortices, abiectum iuxta litus maris in Scotiae insulis Nibridibus stantium, unde maturitatis tempore in subiectum mare deciduat, simul abnatant. Captis Hiberni ieiu-

niorum tempore vescebantur. Sed Innocentius Tertius in Lateranensi Concilio interdixit. Ita Vincentius, Ortellius, et Olaus, ac alii. Verum sint istae tales arboreae volucres, nihil tamen ad nostras. In arbore nostra Rosarii conversantur volucres coeli, spiritus angelorum, beatorumque mentes. Hisce conversari volaptuosum est, inter fratres tanta conspirantium voluntatum unione coniunctos, tot in bonorum spiritualium communione mutua participes; nimirum quibus Christi nomine congregatis, cum medius intersit Rex coeli, coeli quoque abesse aula regia non debet; sed non coelum duntaxat suas habet volucres, quae in terra cum fratribus conversentur; habet suas quoque et terra, quarum conversatio in coelis est. Huius sunt generis piae, ac religiosae utriusque sexus, ac status animae, quae altioris studiosae perfectionis in sedula bonorum fraternitatis communicatione versantur, et tanta cum charitate fraterna, ut in ramis eius habitare, inque fratrum animis vivere videantur. Non ita belle vivunt, aut habitant ii, quos in nova Hispania inter ingentium arborum ramos palatia etiam aedificare scribit Petrus Martyr. Inhabitasse autem unam ex aedibus iis, plusquam ducentos familiares tradit Petrus Hispanus. Sunt aliae nostrae arboris commoda tanta, ut in eius comparationem arborum ceterarum nulla venire queat. Quod nemini videri mirum debet, quando, quae natura in se habet summa, ea vix ad infima gratiae possint attingere. Unum tamen istis adiiciam, esse arbores, quas laedere nemo illaesus possit. Ut earus in Arcadia, quae si aut vellatur, aut secetur foco instruendo, fumus adusti ligni continuo capitis infert cruciatus immanes. In Coiba, sinu Hispaniolae, quaedam ligna cum adurunturur, incensorem fumo etiam exanimant. In Ceo certum spinarum genus est, quas qui convellere, turbareque nititur, vel levi punctura ictus, morte extinguitur. Compertum est saepius, haud impune facile a quoquam fraternitatis arborem, aut odiis appetitam, aut maledictis laceratam, aut alia turbatam infestatione, seu laesam persecutione fuisse. Nunc igitur confratres, atque sorores quasi rosa plantata super rivos aquarum, fructificate, quasi Libanus odorem suavitatis habete, florete flores, quasi lilium, et date odorem, et frondete in gratiam, et collaudate Canticum Psalterii Mariae, et benedicite Dominum in operibus suis. Date nomini eius magnificentiam, et confitemini illi in voce labiorum vestrorum, et in Canticis labiorum, dicite, Ave Maria.

Addo his, quae de arboris metaphora dixi, mirandam quandam, et inauditam arborem, cuius meminit Rebellius (*lib.* 1. *de Rosario c.* 6.*art.* 1). Commemorat natam fuisse in Ibernia in dioecesi Corciclonensi in territorio Comitis Destron prodigiosam quandam arborem longitudinis septem, vel octo palmorum, quae reliquis omnibus arboribus valde dissimilis erat; in eo tamen longe dissimilior, quod ex ramis eius pendebant rosaria, quorum calculi orbiculares erant, suis funibus inserti. Affirmat autem hoc portentum visum fuisse anno 1575. nonnullaque ex rosariis allata fuisse in oppidum Britanniae nomine Sanctimalo, quo mirabili portento voluit Deus, etiam ut auctor naturae, Rosarium approbare, et consequenter fraternitatem, tantae Virginis devotioni addictam; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA VIII.

De percelebri victoria a Christianis contra Turcas, Virginis intercessione, ac Rosarii confraternitatis precibus parta.

Primordia huius festivitatis altius repetere compellor, tum propter insignem victoriam b. Virginis auspicio comparatam, tum ut qua ratione festum Virginis victorialis cum Rosario cohaereat, clarius omnibus innotescat. Anno a nativitate Christi Domini 1571. Dominica prima Octobris, christiani nominis milites, insignem, ac memorabilem de Turcis christianae religionis infestissimis hostibus, adiutorio Deiparae Virginis, continuisque precibus confratrum Mariani Rosarii, reportarunt. ut summi Pontifices Pius V. et Gregorius XIII. Apostolicis suis diplomatibus contestantur. Etenim, sicut olim tempore magni patriarchae Dominici visa est Deipara Virgo adiuvans Comitem montis Fortis contra Albigenses, quorum exercitum centum quinquaginta lapidibus iactis fugavit, ita et modo ipsius adiutorio Barbarorum classem Ioannes Austriacus Caroli Quinti imperatoris filius fugavit, ac perdidit. Itaque sicut fortissimus dux Barach, tametsi a Domino iussus fuisset, ut (*Iudic.* 4) legimus, Sisaram oppugnare, non arma sumpsit, donec famosissima Debbora illum ad bellum comitaretur: ita fortissimus dux Ioannes Austriacus cum hoste inire renuit certamen, nisi beata Virgo, ac potentissimum eius auxilium sibi adessent: adfuit propitia Virgo precibus confratrum Rosarii, adfuit eius praesidium, adfuit eius tutela, et protectio, ita ut turcica classis, quae numero, et potentia, christiani exercitus longe superabat vires, facile ab eo fuerit profligata. Imitatus est Ioannes Austriacus Britanniae regem, nomine Artum: nam sicut ille, ut refert Rupertus Olchad. (*super libr. Sapient. lectio.*35), solitus erat, dum bellaret, ferre in interiori parte clypei depictam imaginem beatissimae Virginis, quam quoties in mediis belli periculis religiose prospiciebat, toties auxilium Virginis confestim impetrabat; sic Ioannes Austriacus, in hostam Virginem oculos coniiciens, potentissimas Turcarum vires confregit, ac gloriosam de illis tulit victoriam. Quare, sicut tempore Ezechiae, cum Assyriorum potentissimus rex Ierosolymam circumdedisset, nec tantae potentiae resistere potuisset, misit Rex ad Isaiam sacerdotes, sacris coopertos, qui dicerent, *Dies tribulationis, et correptionis, et blasphemiae, dies haec:* et Propheta respondit in persona Domini: *Non intrabit civitatem hanc, et non iaciet sagittam, et non occupabit eam clypeus: protegam civitatem, ut salvem eam propter me, et propter David servum meum:* ita et novissimis nostris temporibus Deus Optimus Maximus propter semetipsum, et propter matrem suam, nos perditos homines ab hostibus tutatus est, cum Rosarii confratres ubique locorum, eius opem interpellarent Dominica prima Octobris. Cum igitur Christiani in hac die potiti fuerint illo singulari beneficio, ut Barbarorum funditus potentiam contererent, ad memoriam eius recolendam, statuerunt sacri Pontifices praesens festum Virginis victorialis religiose celebrari a confratribus Mariani Rosarii, qui eius sodalitio nomen dederunt: etenim, sicut olim (*Exod.*17), cum Iudaicus populus victoriam reportavit contra Amalech, pugnante quidem in campestribus populo, sed potissimum orante Moyse in monte, praecepit Dominus, ut ad perpetuam rei memoriam, victoria haec litteris commendaretur: ita etiam, quia pugnantibus in mari fidelibus, sed in throno regio sedente Virgine, et iuvante, immo vincente, brachia eius sustentantibus Rosarii confratribus, ut quondam fecerant Aaron, et Hur, ne hominum peccatis ab orando cohiberentur, levantes oculos in montes, inde adfuit paratum auxilium, quo fugati sunt hostes, erepti fideles: cuius rei memoriam agimus. Mos enim inter Catholicos inolevit, ut comparatis victoriis, precibus potius, quam armis a potentia inimicorum Dei misericordia liberatis in eius rei felicem recordationem, dies festi celebrarentur: sic Abraham, ut adnotavit Origenes (*hom.* 34. *in Gen.*), postquam tabernaculum fixit ante quercum Mambrae, statim ibi altare Domino extruxit, et addidit: *Audisti mentem gratam, qui mox ut tabernaculum fixit, facta sibi in promissione, gratiarum actiones obtulit Domino:* sic cum Esther solicitudine et precibus, impiam, quam tulerat Assuerus in Iudaeos mortis sententiam, revocavit, dies hic quartadecima mensis Adar solemnis fuit in lege veteri semper habita; sicut et ille, in quo admiranda Iudith virtute trucidatus est Holophernes, et fugati hostes, ab Hebraeis religiose colebatur: festis etiam variis Machabaeorum saeculo victorias celebrari solitas, nemo ignorat.

Quid plura? sicut quondam in eadem lege veteri singulis diebus, in quibus insigni aliquo beneficio fuerat potitus populus, Hebraeorum festa celebrabantur, ut festum Phase in memoriam acceptae libertatis, cum Dominus illum eduxit ex dura Pharaonis servitute; festum Pentecosies, in memoriam legis scriptae sibi datae; festum tabernaculorum, in recordationem beneficiorum, quae per desertum incedens susceperat: sed et cunctorum aggregatim singularem, ac festivam commemorationem fecit, cum ingressus est in terra promissionis: ita Ecclesia, et praesertim Hispania, quae per totum anni circulum singulis sacris Rosarii mysteriis dies festivos consecrat, hunc etiam praesentem cunctis simul dedicandum, recte instituit, ut in eo, ob insigne illud navalis victoriae beneficium, cum reliquis omnibus, quibus beatissima Virgo quotidie Ecclesiam cumulat, tam Christo Domino, quam eius parenti debitae gratiae agerentur. Merito ergo illis infelicissimis temporibus, cum sancta in praedam extraneorum data erant, ac Deus ita iratus esset, ut suum repulisse altare videretur, ac ita maledixisse sanctificationi suae, ut fidelium templa barbarorum essent fana, immo equorum, et iumentorum habitacula: merito, inquam, Deo iam propitio, ex Virginis intercessione, Filium, et Matrem multifariam, multisque modis laudare, ac diebus praesertim festivis colere opus est, prout et antiqui Patres factitarunt.

Unde, sicut in bellis pugnantibus militibus, victoria potissimum adscribitur duci: unde mos fuit Romanis, ut coronati Duces insigni potirentur triumpho, acclamaretque populus victori, qui triumphali vehebatur curru, cum provinciam aliquam imperio subiugasset Romano; ita licet milites christiani viriliter in mari contra hostes dimicassent, vilam contemnentes; quia tamen victoriam hanc, non tam armis, quam Virginis precibus partam credidit Pontifex, illi gratias referendas censuit; et, ut olim victor currui insidens regio laudabatur, et Urbem ingrediebatur, a cunctis acclamatus; ita et hac die sacra Virgo humeris delata, per claustra circumducitur, cui fideles grati hymnos concinimus clamantes, *Ave Maris stella, etc. Tu gloria Ierusalem, tu laetitia Israel, tu honorificentia populi nostri, quia fecisti viriliter: ideo eris benedicta in aeternum:* et sicut olim ea arma, quibus Iudaei victoriam ab hostibus fuerant consecuti, in templo reponi solebant: sic modo vexilla in Ecclesiis collocantur in Dei, matrisque suae gloriam, et victoris laudem, non secus ac gladius Goliae, quo interemptus potentissimus hostis fuerat, a David in tabernaculo collocatus fuit, et Iudith universa vasa bellica Holophernis obtulit in anathema oblivionis, ea in templo collocans: et sicut quondam quia mediis lubis hostes expugnati fuere a Iudaeis, voluit Deus, ut singulis annis festum ageretur tubarum; sic et modo, quia sancti Rosarii devotione hac, quam celebramus, habita est victoria. Virginem his calculis ornatam, solemniter processione congregata, in gratiarum actionem ducimus, ne aliquin, si ingrati essemus, ingratitudinis nostrae debitas poenas luceremus, sicut illas luit rex Ezechias; nam, ut tradunt Hebraei (*in cap.* 3. *Isaiae*), ideo Ezechias graviter aegrotavit, quoniam post singularem Iudaeorum victoriam, et Assyriorum regis interitum, non cecinit laudes Domino, quas tamen diligenter exhibuere Moyses, Pharaone submerso, Debbora, interfecto Sisara, et Anna, genito Samuele, et alii non pauci, quos pridie commemoravi.

Ceterum mihi attente perpendenti effrenatam adversus christianam gentem Turcarum rabiem, insignemque victoriam sub vexillis sacrosanctae Virginis Deiparae Mariae a Christianis obtentam egregie mihi illam delineasse videtur divus Ioannes (*cap.* 12. *suae Apocalyps.*). Aspexit ille signum magnum in coelo, mulierem sole amictam, stellis coronatam, quae nitebatur parere, quod in utero habebat; vidit etiam extemplo draconem magnum rufum, sep-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

niorum tempore vescebantur. Sed Innocentius Tertius in Lateranensi Concilio interdixit. Ita Vincentius, Ortellius, et Olaus, ac alii. Verum sint istae tales arboreae volucres, nihil tamen ad nostras. In arbore nostra Rosarii conversantur volucres coeli, spiritus angelorum, beatorumque mentes. Hisce conversari volaptuosum est, inter fratres tanta conspirantium voluntatum unione coniunctos, tot in bonorum spiritualium communione mutua participes; nimirum quibus Christi nomine congregatis, cum medius intersit Rex coeli, coeli quoque abesse aula regia non debet; sed non coelum duntaxat suas habet volucres, quae in terra cum fratribus conversentur; habet suas quoque et terra, quarum conversatio in coelis est. Huius sunt generis piae, ac religiosae utriusque sexus, ac status animae, quae altioris studiosae perfectionis in sedula bonorum fraternitatis communicatione versantur, et tanta cum charitate fraterna, ut in ramis eius habitare, inque fratrum animis vivere videantur. Non ita belle vivunt, aut habitant ii, quos in nova Hispania inter ingentium arborum ramos palatia etiam aedificare scribit Petrus Martyr. Inhabitasse autem unam ex aedibus iis, plusquam ducentos familiares tradit Petrus Hispanus. Sunt aliae nostrae arboris commoda tanta, ut in eius comparationem arborum ceterarum nulla venire queat. Quod nemini videri mirum debet, quando, quae natura in se habet summa, ea vix ad infima gratiae possint attingere. Unum tamen istis adiiciam, esse arbores, quas laedere nemo illaesus possit. Ut earus in Arcadia, quae si aut vellatur, aut secetur foco instruendo, fumus adusti ligni continuo capitis infert cruciatus immanes. In Coiba, sinu Hispaniolae, quaedam ligna cum adurunturur, incensorem fumo etiam exanimant. In Ceo certum spinarum genus est, quas qui convellere, turbareque nititur, vel levi punctura ictus, morte extinguitur. Compertum est saepius, haud impune facile a quoquam fraternitatis arborem, aut odiis appetitam, aut maledictis laceratam, aut alia turbatam infestatione, seu laesam persecutione fuisse. Nunc igitur confratres, atque sorores quasi rosa plantata super rivos aquarum, fructificate, quasi Libanus odorem suavitatis habete, florete flores, quasi lilium, et date odorem, et frondete in gratiam, et collaudate Canticum Psalterii Mariae, et benedicite Dominum in operibus suis. Date nomini eius magnificentiam, et confitemini illi in voce labiorum vestrorum, et in Canticis labiorum, dicite, Ave Maria.

Addo his, quae de arboris metaphora dixi, mirandam quandam, et inauditam arborem, cuius meminit Rebellius (*lib.* 1. *de Rosario c.* 6.*art.* 1). Commemorat natam fuisse in Ibernia in dioecesi Corciclonensi in territorio Comitis Destron prodigiosam quandam arborem longitudinis septem, vel octo palmorum, quae reliquis omnibus arboribus valde dissimilis erat; in eo tamen longe dissimilior, quod ex ramis eius pendebant rosaria, quorum calculi orbiculares erant, suis funibus inserti. Affirmat autem hoc portentum visum fuisse anno 1575. nonnullaque ex rosariis allata fuisse in oppidum Britanniae nomine Sanctimalo, quo mirabili portento voluit Deus, etiam ut auctor naturae, Rosarium approbare, et consequenter fraternitatem, tantae Virginis devotioni addictam; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA VIII.

De percelebri victoria a Christianis contra Turcas, Virginis intercessione, ac Rosarii confraternitatis precibus parta.

Primordia huius festivitatis altius repetere compellor, tum propter insignem victoriam b. Virginis auspicio comparatam, tum ut qua ratione festum Virginis victorialis cum Rosario cohaereat, clarius omnibus innotescat. Anno a nativitate Christi Domini 1571. Dominica prima Octobris, christiani nominis milites, insignem, ac memorabilem de Turcis christianae religionis infestissimis hostibus, adiutorio Deiparae Virginis, continuisque precibus confratrum Mariani Rosarii, reportarunt. ut summi Pontifices Pius V. et Gregorius XIII. Apostolicis suis diplomatibus contestantur. Etenim, sicut olim tempore magni patriarchae Dominici visa est Deipara Virgo adiuvans Comitem montis Fortis contra Albigenses, quorum exercitum centum quinquaginta lapidibus iactis fugavit, ita et modo ipsius adiutorio Barbarorum classem Ioannes Austriacus Caroli Quinti imperatoris filius fugavit, ac perdidit. Itaque sicut fortissimus dux Barach, tametsi a Domino iussus fuisset, ut (*Iudic.* 4) legimus, Sisaram oppugnare, non arma sumpsit, donec famosissima Debbora illum ad bellum comitaretur: ita fortissimus dux Ioannes Austriacus cum hoste inire renuit certamen, nisi beata Virgo, ac potentissimum eius auxilium sibi adessent: adfuit propitia Virgo precibus confratrum Rosarii, adfuit eius praesidium, adfuit eius tutela, et protectio, ita ut turcica classis, quae numero, et potentia, christiani exercitus longe superabat vires, facile ab eo fuerit profligata. Imitatus est Ioannes Austriacus Britanniae regem, nomine Artum: nam sicut ille, ut refert Rupertus Olchad. (*super libr. Sapient. lectio.*35), solitus erat, dum bellaret, ferre in interiori parte clypei depictam imaginem beatissimae Virginis, quam quoties in mediis belli periculis religiose prospiciebat, toties auxilium Virginis confestim impetrabat; sic Ioannes Austriacus, in hostam Virginem oculos coniiciens, potentissimas Turcarum vires confregit, ac gloriosam de illis tulit victoriam. Quare, sicut tempore Ezechiae, cum Assyriorum potentissimus rex Ierosolymam circumdedisset, nec tantae potentiae resistere potuisset, misit Rex ad Isaiam sacerdotes, sacris coopertos, qui dicerent, *Dies tribulationis, et correptionis, et blasphemiae, dies haec:* et Propheta respondit in persona Domini: *Non intrabit civitatem hanc, et non iaciet sagittam, et non occupabit eam clypeus: protegam civitatem, ut salvem eam propter me, et propter David servum meum:* ita et novissimis nostris temporibus Deus Optimus Maximus propter semetipsum, et propter matrem suam, nos perditos homines ab hostibus tutatus est, cum Rosarii confratres ubique locorum, eius opem interpellarent Dominica prima Octobris. Cum igitur Christiani in hac die potiti fuerint illo singulari beneficio, ut Barbarorum funditus potentiam contererent, ad memoriam eius recolendam, statuerunt sacri Pontifices praesens festum Virginis victorialis religiose celebrari a confratribus Mariani Rosarii, qui eius sodalitio nomen dederunt: etenim, sicut olim (*Exod.*17), cum Iudaicus populus victoriam reportavit contra Amalech, pugnante quidem in campestribus populo, sed potissimum orante Moyse in monte, praecepit Dominus, ut ad perpetuam rei memoriam, victoria haec litteris commendaretur: ita etiam, quia pugnantibus in mari fidelibus, sed in throno regio sedente Virgine, et iuvante, immo vincente, brachia eius sustentantibus Rosarii confratribus, ut quondam fecerant Aaron, et Hur, ne hominum peccatis ab orando cohiberentur, levantes oculos in montes, inde adfuit paratum auxilium, quo fugati sunt hostes, erepti fideles: cuius rei memoriam agimus. Mos enim inter Catholicos inolevit, ut comparatis victoriis, precibus potius, quam armis a potentia inimicorum Dei misericordia liberatis in eius rei felicem recordationem, dies festi celebrarentur: sic Abraham, ut adnotavit Origenes (*hom.* 34. *in Gen.*), postquam tabernaculum fixit ante quercum Mambrae, statim ibi altare Domino extruxit, et addidit: *Audisti mentem gratam, qui mox ut tabernaculum fixit, facta sibi in promissione, gratiarum actiones obtulit Domino:* sic cum Esther solicitudine et precibus, impiam, quam tulerat Assuerus in Iudaeos mortis sententiam, revocavit, dies hic quartadecima mensis Adar solemnis fuit in lege veteri semper habita; sicut et ille, in quo admiranda Iudith virtute trucidatus est Holophernes, et fugati hostes, ab Hebraeis religiose colebatur: festis etiam variis Machabaeorum saeculo victorias celebrari solitas, nemo ignorat.

Quid plura? sicut quondam in eadem lege veteri singulis diebus, in quibus insigni aliquo beneficio fuerat potitus populus, Hebraeorum festa celebrabantur, ut festum Phase in memoriam acceptae libertatis, cum Dominus illum eduxit ex dura Pharaonis servitute; festum Pentecosies, in memoriam legis scriptae sibi datae; festum tabernaculorum, in recordationem beneficiorum, quae per desertum incedens susceperat: sed et cunctorum aggregatim singularem, ac festivam commemorationem fecit, cum ingressus est in terra promissionis: ita Ecclesia, et praesertim Hispania, quae per totum anni circulum singulis sacris Rosarii mysteriis dies festivos consecrat, hunc etiam praesentem cunctis simul dedicandum, recte instituit, ut in eo, ob insigne illud navalis victoriae beneficium, cum reliquis omnibus, quibus beatissima Virgo quotidie Ecclesiam cumulat, tam Christo Domino, quam eius parenti debitae gratiae agerentur. Merito ergo illis infelicissimis temporibus, cum sancta in praedam extraneorum data erant, ac Deus ita iratus esset, ut suum repulisse altare videretur, ac ita maledixisse sanctificationi suae, ut fidelium templa barbarorum essent fana, immo equorum, et iumentorum habitacula: merito, inquam, Deo iam propitio, ex Virginis intercessione, Filium, et Matrem multifariam, multisque modis laudare, ac diebus praesertim festivis colere opus est, prout et antiqui Patres factitarunt.

Unde, sicut in bellis pugnantibus militibus, victoria potissimum adscribitur duci: unde mos fuit Romanis, ut coronati Duces insigni potirentur triumpho, acclamaretque populus victori, qui triumphali vehebatur curru, cum provinciam aliquam imperio subiugasset Romano; ita licet milites christiani viriliter in mari contra hostes dimicassent, vilam contemnentes; quia tamen victoriam hanc, non tam armis, quam Virginis precibus partam credidit Pontifex, illi gratias referendas censuit; et, ut olim victor currui insidens regio laudabatur, et Urbem ingrediebatur, a cunctis acclamatus; ita et hac die sacra Virgo humeris delata, per claustra circumducitur, cui fideles grati hymnos concinimus clamantes, *Ave Maris stella, etc. Tu gloria Ierusalem, tu laetitia Israel, tu honorificentia populi nostri, quia fecisti viriliter: ideo eris benedicta in aeternum:* et sicut olim ea arma, quibus Iudaei victoriam ab hostibus fuerant consecuti, in templo reponi solebant: sic modo vexilla in Ecclesiis collocantur in Dei, matrisque suae gloriam, et victoris laudem, non secus ac gladius Goliae, quo interemptus potentissimus hostis fuerat, a David in tabernaculo collocatus fuit, et Iudith universa vasa bellica Holophernis obtulit in anathema oblivionis, ea in templo collocans: et sicut quondam quia mediis lubis hostes expugnati fuere a Iudaeis, voluit Deus, ut singulis annis festum ageretur tubarum; sic et modo, quia sancti Rosarii devotione hac, quam celebramus, habita est victoria. Virginem his calculis ornatam, solemniter processione congregata, in gratiarum actionem ducimus, ne aliquin, si ingrati essemus, ingratitudinis nostrae debitas poenas luceremus, sicut illas luit rex Ezechias; nam, ut tradunt Hebraei (*in cap.* 3. *Isaiae*), ideo Ezechias graviter aegrotavit, quoniam post singularem Iudaeorum victoriam, et Assyriorum regis interitum, non cecinit laudes Domino, quas tamen diligenter exhibuere Moyses, Pharaone submerso, Debbora, interfecto Sisara, et Anna, genito Samuele, et alii non pauci, quos pridie commemoravi.

Ceterum mihi attente perpendenti effrenatam adversus christianam gentem Turcarum rabiem, insignemque victoriam sub vexillis sacrosanctae Virginis Deiparae Mariae a Christianis obtentam egregie mihi illam delineasse videtur divus Ioannes (*cap.* 12. *suae Apocalyps.*). Aspexit ille signum magnum in coelo, mulierem sole amictam, stellis coronatam, quae nitebatur parere, quod in utero habebat; vidit etiam extemplo draconem magnum rufum, sep-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

tem capita habentem, et cornua decem, septemque diademata super capita: scio haec apte referri posse ad crudelem draconem Herodem, qui conatus fuit trucidare infantem Virginis filium recens natum, stetit ante mulierem, quae erat paritura, ut, cum filium peperisset, devoraret; at beata Virgo caute fugit in solitudinem Ægyptiacam ad locum sibi a Deo paratum: verum est, quod postea in manus incidens saevissimi populi Iudaici, crucis mortem sustinuit: at ipse ingluviem daemonis, et mortis illusit, et e sepulcro gloriosus prodiens, spoliis suis onustus, raptus est ad Deum, et ad thronum eius: mater etiam solitaria, iam filio orbata, in solitudinem, in qua nonaginta novem electas oves bonus pastor reliquerat, duabus contemplationis et operationis pennis elata, post filium abeuntem abiit. Verum nostro argumento accommodatius est, nomine draconis daemonem ipsum intelligere, iuxta illud Davidis (*Psalm.* 103): *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei:* hic insidias paravit Virgini matri, iuxta divinum vaticinium (*Genes.* 3): *Tu insidiaberis calcaneo eius.* Insidias etiam paravit Filio in deserto, varia tentationum tela in eum coniiciens: nemo autem est, qui ignoret daemonem tam a Matre, quam a Filio fuisse superatum, ac ignominiose devictum. Virgo caput eius contrivit (*Genes.* 3): *Ipsa conteret caput tuum.*

Filius autem Virginis similiter eum profligavit, ac fugam arripere compulit: *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* Videns autem daemon nihil praevalere potuisse adversus Filium, neque Matrem, christianam prolem utriusque per barbaros Turcas, tanquam per satellites suos, radicitus perdere tentavit: cum nihil profecisset, iratus in mulierem: *Abiit facere praelium cum reliquis de semine eius, qui custodiunt mandata Dei, et habent testimonium Iesu Christi.* Planum est, nullam nationem, aut gentem, testimonium Iesu Christi habere, nisi rempublicam christianam. Contra hanc non semel decertavit veneficus hic dracos, sed saepe saepius, ut satis indicant septem capita eius: dum enim draconem septem capitum nominat, satis liquet non unum praelium movisse contra seminis Mariani reliquias, sed plura. Est enim ille hydra, cui uno capite amputato, continuo aliud ei subnascitur, uno, et altero praelio non desistit fractus, sed animos sumens, finem praecedentis facit gradum futuri: novis exercitibus paratis, novas machinas admovet: Synagoga prostrata, philosophos, magos, impostores submovit: his in ipse limine palestrae conculcatis, fidiculas, catastas, cruces, ignes, bestias Neronis, Domitiani, Decii, Maximiani, Vespasiani submisit: leonibus edentatis, et exungulatis serpentes ex Irici caverna emisit, qui virus in caput suum efflarent, nempe Ælium, Arium, Macedonium, Nestorium, Photinum, et quae non alia portenta? His Mariano calcaneo percalcatis, nunquam tamen destitit veterator, qua per falsos fratres, qua per fallaces amicos, qua per pseudo angelicos viros, portas inferorum, et phalanges cerbereas commovere prosternendis fidelibus: novissime diebus nostris Turcam ferocem spebus magnis inflatum permovit, Cyprum nobilem insulam Venetis eripuerat, et iam ipse devorarat universam Europam christiano cultu insignem, facile sibi pollicebatur victoriam, hoc antemurali fortissimo Christianis ereptio; quamobrem trierarchis congregatis iubent magnam quam possent, classem instruunt, annonam, vasa bellica, tormenta, navigiis imponunt, Italicamque florentissimam provinciam nunc vicarii Christi sede illustrem, contendunt, et vel navali praelio, si quisquam decertaturus occurrisset; vel milite in terram hostilem exposito, sive aperto Marte, sive dolis consuetis de tota christianitate decernunt: scripserat innumeras cohortes lectissimorum militum, ac viros usu rerum militarium peritissimos, sic milite, pecunia, annona, machinis instructam classem mari Achaico ad Naupactum commisit. Videres urbem amplissimam ponto innare, tanta copia navium, triremium, biremium, dromadum, liburnicarum, hyppagonum, et aliarum mare obumbrarat: diceres tunc draconem infernalem, non flumen, sed ipsum mare vomuisse, quo obrueret inclytum germen Mariae. Pius Quintus, immortalitate dignus Pontifex, praeerat tunc Ecclesiae catholicae, et ut erat vigilans custos mandrae Dominicae, ne oves, Christi sanguine partae, a crudeli leone dilaniarentur, ne venirent gentes in Dei haereditatem, polluerentque templa Dei sancta, et ponerent novam Ierusalem in pomorum custodiam; apro de sylva venienti, et singulari ferro sese opponere decrevit. Philippo itaque Secundo rege Hispaniarum, et republica Venela, in societatem sacri Belli unitis, quantas potest copias colligit, truculentoque hosti irruenti opponit; sed numero, viribus, et quod magis erat, discordia intestina foederatorum longe inferiores: ipse ad sacram Ecclesiae mediatricem Mariam se, et cunctos fideles excitat, velut sole amicta, lunatum, insigne Turcarum est lunae semicirculus, hostem pedibus deterrere, aut depellere. Gravis manibus novus hic Moyses in adiutorium orationis adiungit sibi comites, qui fessas iam sub onere palmas, iunctis precibus attollerent, iuvarent, et interprete Maria, a cervicibus suis tot regnorum helluonem deiicerent. Aderat dies, quo aut turpis servitus, aut dura mors subeunda fuerat, missis ad impetum reprimendum foederatis. Funus Italiae timebatur universae, victoriam quis sperasset? a tam paucis? a tam inter se diversarum voluntatum proceribus? at sperabat Pius pontifex, non desperabant pii cultores sacrosanctae Deiparae, illo die Dominico, sacris Marianis devoto, rem illi divinam in sodalitio Rosarii per universam Italiam, et Hispaniam facientes. Nec vanae spes fuerant Pii, et piorum. Qua hora praelium commissum est in sinu Naupacti, beatissima Virgo Maria Pii, et piorum preces exaudiens, Pio V. revelari obtinuit, certam de hostibus victoriam a Ioanne Austriaco, qui Classi praeerat, iam partam. Ventus, qui oriente sole, in nostros cum pernicie flare coeperat, quod non absque miraculo contigisse creditur, in numerosam Turcarum classem ita reflexerat flatus, ut pulveres tormentarii, et flammae in oculos

hostium redirent, nostrorum aspectum adimerent, immo et in terga iam inter se tumultuantium impulsus, victoriam hosti eriperent, nostris concederent, Mariae Deiparae ductrici, et victrici potius, quam alteri adscribendam:

Cui militat Æther,
Et conturati veniunt ad classica venti.

Ipsa pro populo pugnante,

Mutatis fumavit aquis, turbaque cadentum frigidus
Staret intrepidus iuvisset Maria sanguis. (amnis

Pulchrum erat videre, cum Turcae ad impetum flammarum, quae relabebantur territi, et confusi, desperata venia necem in vadis quaerebant, dantes se in mare praecipites, ut aliquod caedis compendium fessis caedentium dexteris eveniret. Sic mare, quod absorbendis Christianis Turcae paraverant, et armaverant, ipsius exitio fuit, ne tam deformia portenta vel hanc obitus sui relinquerent famam, quod virorum fortium gladio, telove cecidissent. Mare olim, cum Israelem videret, ad eius aspectum effugit; nunc violentum, et turbidum ad hostes Ecclesiae sorbendos, vento vehementiore commotum currit, quos postea, ne eius lateret obsequium, eructatis cadaveribus prodidit. Mare Erithreum profligatum ad perniciem Pharaonis rediit, ne ex illo relabente enataret, quod sicco vestigio ingressus fuerat. Achaium quoque ad Othomanicam internecionem sese colligens, refluxit, ut quam plures obrueret, qui sceleris participes extitissent. Dixerat inimicus: *Persequar, et comprehendam, dividam spolia, implebitur anima mea, evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea;* sed adiutor in tribulationibus motus prece Matris; haec autem oratione piorum descendit, adiuvit, ab internecione liberavit: *Dextera tua Domine magnificata est in fortitudine, dextera tua Domine percussit inimicum, et in multitudine gloriae tuae deposuisti adversarios tuos. Misisti iram tuam, quae devoravit eos, sicut stipulam, et in spiritu furoris tui congregatae sunt aquae. Stetit unda fluens, congregatae sunt abyssi in medio mari. Flavit spiritus tuus, et operuit eos mare, submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus. Electi principes submersi sunt in Mari Achaico. Abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis. Quis similis tui in fortibus Domine? quis similis tui? Magnificus in sanctitate, terribilis, atque laudabilis, et faciens mirabilia.*

Sed et quis similis tibi inter fortes mulieres, o Maria? Quis similis tui? Magnifica in sanctimonia, magnanimis in opere, perpetrans mirabilia, et fortitudinem, ac victoriam tribuens implorantibus auxilium tuum: quod antiqui prophetae non obscure mihi videntur vaticinari, quippe quum Balaam (*Numer.* 24) praedixerit: *Orietur stella ex Iacob, et consurget virga de Israel, et percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth.* Arca veteris testamenti Philistaeos percussit, et draconem trucidavit: Iael Sisarae tempora aculo clavo terebravit. A Salomone vocatur, *terribilis ut castrorum acies ordinata*, et alibi comparatur turri armis munitissimae: *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium:* alibi ab Ecclesiastico apte similatur platano: nam praeter quam quod folia eius figuram clypei prae se ferunt, Pierius Valerianus (*in suis Hieroglyp. lia.* 8) affirmat, observatum esse, inimiciliam magnam insitam esse inter vespertiliones, et nycticoraces, ut tamen isti a vespertilionum molestiis se tueantur, nidum suum platani foliis intus circumdant, quia vespertiliones ita platanum exhorrent, ut locum ubi adest, omnino fugiant. Platanus quidem Hispaniae, et totius Ecclesiae catholicae beata Virgo est, quam spurcissimi vespertiliones, per quos tam haereticos, quam Turcas, tenebrarum instar vespertilionum amatores, valde execrantur. Singularis autem virtus, ac innata antipathia huic sacrae platano, nempe Virgini Deiparae longe a se, et a nostra Hispania haereticos profligavit, haereses interemit, Turcas devicit, et expugnavit. Alibi non minus convenienter (c. 24) palmae b. Virginem comparat: *Quasi palma exaltata sum in Cades.* Egregium sane prognosticum. Maria instar palmae exaltata in Ecclesia. Certe Augusto Romanorum Imperatori in eius ara palma renata, Tarraconensium, qui primo viderant, interpretatione, victoriam portendebat. Iulio etiam Caesari in Hispania contra filios Pompei pugnanti, atque praeclaram victoriam reportanti, in eo ipso loco, quo eo tempore pugnatum est, ramus palmae erumpens recens natum Octavium sororis filium, clarum orbis triumphatorem futurum designavit. Maria sublimis in Ecclesia, palmae instar elevata est. Felix ostentum, faustum portentum. Victrix illa serpentis, triumphatrix geminum serpentis, barbariei Turcarum, et infidelitatis haereticorum perpetua debellatrix, statuit phalanges innumerabiles Maurorum, ut et felicibus votis Pii V. annuerel, et Christi fidelibus periclitantibus opitularetur; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA IX.

Impii haeretici tam in Mariamum Rosarium, quam in sacram eius confraternitatem turpiter debacchantur, sed ab eorum calumniis illa vindicamus.

Haeretici huius tempestatis tanquam legitimi antiqui serpentis partus, calcaneo Deiparae Virginis insidiantes, ut ex divino oraculo futurum praedixit Moyses, multifariam, multisque modis tam adversus religiosam recitandi Rosarii consuetudinem, quam numerum salutationum angelicarum, quibus illud constat, necnon contra sanctissimi Rosarii confraternitatem petulanter insultant; sed Deo auspice, Davidicis Rosariorum fundis instructi, et orationum scutis obarmati, Golithanam haereticorum molem, ac Babylonicae meretricis effrontem

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

frontem prosternemus, acriterque sauciabimus. Impius haeresiarcha Calvinus adversus salutationis angelicae usum, in hunc modum invehitur: *Temere sibi alienum officium usurpant papistae, quod Deus nonnisi angelo iniunxit.* Stulta tamen obiectio: quid enim consequentia habet, angelus salutavit Mariam, ergo nos salutare non debemus: nam si cum angelis canimus. *Gloria in excelsis Deo;* cur non cum angelo Mariam salutabimus? nonne stulta haec esset consecutio? Raphael dixit Tobiae (*cap.*4): *Gaudium tibi sit semper; pax tibi:* ergo nefas est nobis usurpare hanc salutationem? si ergo licet imitari Raphaelem officiose, cur non et Gabrielem religiose? Delirat ergo Calvinus, dum temere putat morem illum salutandi Virginem, sic soli angelo iniunctam fuisse, ut nemini salutationem illam repetere liceat. Sed nec minus mihi desipere videtur, cum adversus eiusdem salutationis angelicae usum, nobis fidelibus obiectat, frustra nos Virginem salutare, cum salutatio ad praesentem dirigatur, non ab absentem; Virgo autem absens est a nobis, cum illa in coelo habitet, nos in terra degamus. Sed errat toto coelo, quia b. Virgo nostris rebus interest, nostraque plene in Verbo agnoscit, non minus, quam angeli, immo excellentius, tanquam regina angelorum. De angelis autem d. Augustinus ait (*lib.*11. *de Civ.Dei cap.* 31): *Sancti angeli sicut habent permanendi aeternitatem, ita cognoscendi facilitatem, et requiescendi felicitatem, sine difficultate quippe nos adiuvant.* Hinc b.Germanus (*ser.*11.*de assump.b.Virginem*), nobis adesse considerans, sic eam alloquitur: *Spiritus tuus, o Maria, vivit in aeternum, et caro tua in sepulcro corruptionem non sustinuit, omnia observas, ac contueris, et inspectio tua ad omnes se porrigit*: quibus consonant illa divi Bernardi (*serm.* 1. *tractat. sup. Salve Reg.*): *Oportet, ut nobis praesentem esse dicamus, quam praesentem salutamus, et ut totam animae nostrae trinitatem in eam dirigamus, quantam devotis precibus exoramus, agnoscit certe, et diligit diligentes se, et prope est in veritate invocantibus se, praesertim his, quos videt sibi conformes factos in castitate, et humilitate.* Et quidem si Elisaeus, ut (*lib.* 4. *Reg.* 4) legimus, puerum suum absens corpore vidit accipientem munera; quanto magis beata Virgo cognoscet absens opera nostra? quare praeclare divus Maximus (*serm. de s. Nazario*) dixit: *Non clauditur locis, quod diffunditur meritis: invocasti ubique Mariam: ubique te exaudiet ille, qui honoratur, in Maria. Moderanteque igitur eo, qui pensat vota tua, et dispensat munera sua, in tantum vicina praesentia efficacis praebebitur advocatae, in quantum fuerit fides devota suscepta.*

Alii haeretici in precationem numerum, quibus constat Marianum Rosarium, acerrime invehuntur, ac sacrilegae superstitionis notam illi inurentes irrident, quod quinario Dominicarum orationum, et quinquagesimo angelicarum, et quindenario decadum ad integrum Virginis Psalterium explendum utamur; at imprudenter, et insipienter nos ab illis increpari, quod certo precationum numero utamur, non solum ex sanctis Patribus, sed ex sacris Scripturis apertissime comprobabo. Possem quidem ad id non paucos locupletissimos auctores in medium afferre, qui hoc ipsum sensere: sed mihi nunc sit, instar omnium, auctoritas sancti, et magni patris Augustini, qui (*in lib.* 11. *Civit. Dei*) haec scripsit: *Numeri ratio contemnenda nequaquam est, quae in multis sacrarum Scripturarum locis, quam magni sit aestimanda, elucet diligenter intuentibus, nec frustra in laudibus Dei dictum est: Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti:* et (*de doctr. Chri. lib.* 2) sic ait: *Numerorum imperitia multa facit, non intelligit translate, ac mystice posita in Scripturis. Ingenium quippe, ut ita dixerim, non potest non moveri, quid sibi velit, quod et Moyses, et Helias, et ipse Dominus noster quadraginta diebus ieiunaverunt, cuius actionis figuratus quidam modus, nisi huius numeri cognitione, et consideratione non solvitur:* et infra: *Multis, atque aliis numerorum formis quaedam similitudinum in libris sanctis secreta promuntur, quae propter numerorum imperitiam legentibus sunt clausa.* (*In libro deniq.quaestion. sup. Gen.*), dum loquitur de Israelitico populo ingrediente Ægyptum, haec in medium affert: *Videndum est, quid sibi velit, quod cum Ioseph, et filii eius non amplius, quam octo commemorentur, Beniamin vero, et eius filii simul undecim reperiantur, non decem, et novem omnes sicut sunt octo, et undecim, sed decem, et octo referantur in summam, et postea Ioseph cum filiis suis non animae octo, sed novem fuisse dicantur, cum novem inveniantur. Haec, quae indissolubilia videntur, magnam continent sine dubitatione rationem; sed nescio, utrum possint cuncta ad litteram convenire, praecipue in numeris, quos in Scripturis esse sacratissimos, et mysteriorum plenissimos ex quibusdam, quos inde nosse potuimus, dignissime, et firmissime credimus.*

Ex his etenim signantur mysteria, reconditamque continent doctrinam de Christo, et Ecclesia, de Evangelio, et rebus similibus alibi in Scriptura proditis, et comprobatis. Quod, ut clarius pateat, id ex lege naturali, et humana facile ostendam. Certe in lege naturae decimae initium sumpserunt, quae in ministrorum Ecclesiae sustentationem, et Dei cultum institutae sunt, ut patet (*Gen.cap.* 14). Abraham etiam tria sata similae commisceri fecit, et tamen unum tantum vitulum saginatum occidi fecit, ad offerendum tribus angelis, qui ei apparuerunt, ut patet (*Gen. cap.* 18), mysterium Trinitatis cum essentiae unitate designans. Unde etiam, licet tres viderat, tamen unum adoravit. Quis etiam ignorat in veteri lege oblationes, et sacrificia offerri sub certo numero praecipi? Item certi ministri, certi dies festi, et certi actus erant in ea ordinati ad Dei cultum, ut patet in libris Exodi, Levitici, Numerorum. Completo etiam Salomonis tabernaculo, principes populi sub certo numero munera obtulerunt, ut patet (*Numer. cap.* 7. *et* 1. *Paral. cap.*8). David etiam certum numerum cantorum et ianitorum, qui per vices suas Domino servirent, instituit, ut patet (1. *Paralip. cap.* 23. *et* 24). Et in veteri testamento propitiatorium longitudine duorum cubitorum, et semis

fieri demandatum, quo Christum hominem demonstraret. Quod et apud Apostolum (*epistola ad Romanos*) habetur: qui quidem licet verus esset homo, quem proponit Deus propitiatorem per fidem in sanguine eius, aliquid tamen habuit, quod humanam naturam excederet, tria tamen non exaequaret: nam pater eo maior est. Idem Paulus (*epistola ad Hebraeos*) interpretatur in eo, quod Pontifex semel tantum in anno ingreditur in Sancta Sanctorum, latuisse mysterium, quod Christus semel esset moriturus, seque ad expiandum peccatum humani generis oblaturum victimam. Ioannes (*cap.* 5) prioris epistolae, tria recenset, quae testimonium de Deo dant in terra, spiritum, dico, aquam, et sanguinem, subindicans in illis mysterium Triadis esse in divinitate repositum.

Deinde ipse Christus Dominus (*Matth. cap.* 11) tres dies, quibus Ionas fuit in ventre ceti, docet praesignasse mysterium mortis, ac sepulturae suae ad triduum, et gloriosae deinde resurrectionis. Quid plura? Christus certo tempore nasci, circumcidi, in templo offerri, baptizari, et praedicare voluit, similiter pati, resurgere, et in coelum ascendere; Apostolos, et discipulos in certo numero habuit; certos etiam homines ex quinque panibus, et duobus piscibus satiavit (*Matth. cap.* 14. *et* 17): pisces etiam in certo numero (*Ioann. cap.* 21) non sine singulari mysterio Petrus ad litus traxit.

In hac etiam nova lege certa sunt praecepta, sacramenta septem, et septem dona Spiritus sancti, duodecim articuli fidei, septem orationis Dominicae petitiones: certa sunt misericordiae opera corporalia, et spiritualia, quibus omnibus Deus et veneratur, et colitur.

Ceterum ut magis innotescat longe a superstitione abesse praefixus numerus orationum, quae ad solvendum integrum Rosarii pensum effunduntur, prius de quinario orationum dominicarum, deinde de numero quinquagenario angelicarum salutationum, et de centesimo, et quinquagesimo, ex quibus ternarium trium quinquagenarum integri Mariani psalterii constat, disseremus. Quinarius in primis orationum Dominicarum mysterio non caret, quia ad quinque praecipue vulnera corporis Christi, quod ex Maria Virgine sumpsit, refertur; et quidem nemo est tam sacrarum litterarum ignarus, qui in eis non agnoscat sacrum haberi numerum quinarium. (*Gen. cap.*43) in convivio apposita cuique fratrum parte sua, ad postremo genitum Beniamin maiorem partem apposuit ita, ut quinque partibus excederet. Iustus ille Ioseph Christus nobis Beniamitis dolorum suorum filiis, hora novissima genitis, de corpore suo quinque vulnera aperit ac praebet. Idem (*Gen. cap.* 45) cum fratribus singulis proferri iussit binas stolas; Beniamin vero dedit 300. argenteos cum quinque stolis optimis. Iustus Ioseph noster pretium corporis sui, quod apprietatum est triginta argenteis, nobis dedit cum quinque vulneribus, ubi stolas nostras abluamus. Quid ille tabernaculi columnae? de quibus ad Moysen Dominus (*Exod. cap.* 26): *Quinque columnas deaurabis lignorum Sethin, ante quas ducetur tentorium*, quarum erunt capita aurea, et bases aeneae; tam quinque cubitorum altitudo, seu latitudo, quam frequens inssa fuit a Deo in constructione seu altaris (*Exod.*27), seu tabernaculi, seu templi (*Reg.cap.*6), sive in numero hostiarum caedendarum (*Numer.* 7): quae singula magis plena sunt mysteriis. (*Levit.cap* 27) pretium redemptionis primogeniti mascuali siclorum erat quinque: nostra redemptio vulneribus constat quinque. Quinque civitates refugii (*Ios.* 21). Quinque (*Numer.* 31) principes Madian simul ab Israelitis occisi. Quinque (*Ios. cap.* 10) reges Amorrhaeorum extincti. Quinque (*Iudic.*3) satrapae Philistinorum cum suis Satrapis, cultuque idolorum, in medio Israelitarum relicti, ut haberent Iudaei, a quibus vexarentur. Quinque (*Iudic.*18) exploratores a tribu Dan emissi. Quinque (1. *Reg.* 6) anni, totidemque mures Philistinorum ex auro fieri iussa propitiando numini. Lapides (1. *Reg.* 17) quinque limpidissimi Davidis. Panes (1. *Reg.* 21) quinque propositionis ab eodem petiti. Viri quinque (2. *Machab.*10) de coelo Machabaeis in praelio albis equis apparentes. Quinque (*Matth.*14) panes, quibus pascebat Dominus hominum millia quinque. Talenta (*Matth.*15) quinque data superlucranti totidem. Quinque (*Ioann.*25) porticus Betsaidae: aliaque complura similia quinario divinitus celebrata numero, numerum ipsum singulari consecrant mysterio. Ad haec super numero quinario mirifica legimus facta in Scriptura sacra. Quinque namque verbis mysterium incarnationis Dominicae fuit celebratum: *Fiat mihi secundum verbum tuum* (*Luc. cap.* 1). Sub quinque verbis consecratur sacramentum Eucharistiae: *Hoc est enim corpus meum.* Christus quinque verbis latronem a dextris suscepit ad gloriam: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Quinque verbis facta est conversio Pauli: *Domine quid me vis facere?* (*Actor. cap.* 9). Et ipse inquit (1. *Corinth.* 14): *In Ecclesia volo quinque verba loqui in meo sensu, ut alios instruam.*

De numero autem decadis haec accipe. Numerus decas, sive denarius in Scriptura certus index mysterii est, nisi forte quis Dei ad Moysen mandatum istud aut vanum, et inane, aut superstitiosum, et male interpretandum putet, quo ita praecipiebat (*Exod. cap.* 26): *Tabernaculum vero ita facies: decem cortinas de bysso retorta, et hyacintho, etc. facies.* Ac rursus ibidem: *Facies et vectes de lignis Sethim, quinque in uno latere, et quinque in altero.* Credimus ne sapientissimum Salomonem nihil aut rationis, aut momenti, aut mysterii in denario numero posuisse, quando (3. *Reg.* 6) fecit in oraculo duos cherubin de lignis olivarum, decem cubitorum altitudinis, et alas decem cubitos habentes? Magna sancti Patres in hoc numero mysteria praeviderunt, sicut et in isto. Decem quoque cubitorum erat cherubin secundus; idem (2. *Paralip.* 4): *Fecit autem et candelabra aurea decem, necnon et mensas decem, aliaque talia numero eodem, quin et victimas sibi varias facere denas iubebat sacerdotes Deus.* Quid? si (*Gen.* 8) vel decem iusti in Sodoma reperti fuissent, numerus is iustorum ad numinis placationem valuisset. Non absque mysterio ser-

UNIVERSIDAD DE NAVARRA

vus Abrahae (*Genes.* 24) tulit decem camelos sponsam filio ipsius quaesiturus. David (1. *Reg.* 17) panes decem afferre fratribus iussus, tulit. Sol (4. *Reg.* 20) decem gradibus retrocessit. Talenta (*Luc.* 19) decem, et decem servi, civitatesque decem fideli servo condonatae. Leprosi decem (*Luc.* 17) a numero haec omnia mysterium acceperunt. Unde et hoc de numero Gregorius Magnus (*lib.* 35. *mor. cap.* 20): *Denarius numerus in Scriptura perfectus est: quia lex in decem praeceptis concluditur, omnisque culpa non amplius, quam per decem verba cohibetur, atque enarrante veritate operatores vineae remunerantur, etc. ut homo de remuneratione operis, quasi quodam denario, consummatus vivat.* Sileo, quae ibidem pluribus philosophatur.

Quasi de Rosarii decadibus bene Leodiense Manuale (*cap.* 2. *part.* 8) sic loquitur: *Salutationem angelicam cuique orationi Dominicae decies subiicimus, ut in mentem nobis veniat decem mandatorum Dei observatio.* Huc refert certe Alanus (*libr. de dignit. Psalt.*) illud Davidicum (*Psal.* 32): *Exultate iusti in Domino, rectos decet collaudatio, confitemini Domino in cythara, in psalterio decem chordarum psallite illi, cantate ei canticum novum, novi testamenti primum, quod est salutatio Angelica.* Quia (*Psal.* 91): *Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo altissime, in decachordo psalterio, cum cantico, et cythara.* Dic ergo his (*Psalm.* 143): *Deus canticum novum cantabo tibi: in psalterio decachordo psallam tibi.* Ubi s. Prosper (*in expos. Psal.* 143): *Canticum novum*, inquit, *est canticum gratiae, et novi hominis, ac novi testamenti, quod in decachordo, id est, in decem praeceptis legis canitur: quia perfecta est in charitate cantatio, illa praesertim angelicae salutationis, quae ad memoriam decalogi, per decades in parthenico psalterio rite solemniterque repetitur, ut, qui dum corde et ore Virginem in salutatione veneramur, eandem et in vitae conversatione opere ipso imitemur. Quaeque igitur decas in psalterio et repraesentat illud Davidicum decachordon, et eandem cum ipso significationem habet.* Quod autem post denarium angelicarum salutationum semel Pater noster dicatur, illud mihi ob oculos ponit, quod volentem attingere terminum, oportet transire per medium; medium autem perveniendi ad Christum, Deipara Virgo est.

Venio iam ad numerum quinquagenarium angelicarum salutationum: hic in sacris Scripturis sacer est, et multis mysteriis gravidus. In lege naturali annus iubileus, hoc est, quinquagesimus, orium habuit, cum Abraham post devictos quatuor reges, et reductum Loth, omnes captivos dimisit liberos: tunc enim Loth erat quinquaginta annorum; vel ut alii, tunc erant quinquaginta anni, quod loculus fuerat Abrahae Deus in via: vel ut alii, tunc erant quinquaginta anni, ex quo recesserat de Aram terra sua. Item Abraham erat astrorum peritissimus, ut refert Solinus (*lib. de mirab. mund.*); ideoque perpendit, quod intemperies aeris, quae est in elementis, semper in quinquagesimo anno ad temperiem redit, ut Hugo cardinalis adnotavit (*in cap.* 25. *Levit.*). Deinde in anno quinquagesimo, in quo iubileus erat, possessiones restituebantur gratis, debita relaxabantur, et servi dimittebantur liberi, ut sacra Levitici refert historia (*cap.* 25). Quae omnia pulchre in Mariam conveniunt, per cuius merita, et preces haec consequimur bona. Addo, quod Psalmus misericordiae, et remissionis est quinquagesimus, quem cum David recitaret, audire meruit: *Transtulit Dominus peccatum a te*, ut legimus (*in cap. tot. de poenit. distinct.* 3). Quid, quod in lege nova die quinquagesimo post resurrectionem misit Dominus Spiritum sanctum in Apostolos suos in unum congregatos, ut habetur (*Actor.* 1). Accedit his divus Augustinus (*in ill. Luc.* 16): *Sede rito, et scribe quinquaginta*, asserentem numerum quinquagenarium esse remissionis, iuxta illud (*Genes.* 16): *Si invenero in Sodoma quinquaginta, dimittam.* Erat etiam annus quinquagesimus, in quo Levitis dabatur requies: sic enim legimus (*Numerorum* 8): *Cum quinquagesimum annum compleverint, servire cessabunt, eruntque ministri fratrum suorum in tabernaculo foederis, ut custodiant, quae sibi fuerint commendata, opera autem ipsa non facient.* Tandem piissimus Cornelius Ordinis Praedicatorum (*lib. de Rosario*) haec de numero quinquagenario salutationum angelicarum adnotavit: *Est*, inquit, *conformitas quaedam Pater noster, et quinquaginta Ave Maria: nam sicut in Rosario quinquaginta Ave Maria continentur: sic in Pater noster habentur quinquaginta voces, addito Amen. Cum autem nulla Christi vocula mysterio vacet, eas in oratione Domini singulas singulis salutationibus Virgini offerendas commendamus. Non igitur numerus salutationum aut novus, aut superstitiosus censeri debet.*

Porro de numero quindenario decadum, quae conficiunt centum quinquaginta salutationes Angelicas, haec tibi offero, quae sacrum illum esse palam ostendunt: etenim tempore diluvii, postquam ira Dei in misericordiam commutata fuit, aquae diluvii coeperunt post centum, et quinquaginta dies diminui: Psalmorum liber centum, et quinquaginta continet: Saltus Lybani, quae b. Virginem praefiguravit, centum erat cubitorum longitudinis, et quinquaginta latitudinis, ut habetur (*libr.* 3. *Reg.* 7), per quam Marianae charitatis, et misericordiae latitudo exprimitur, divo Bernardo dicente (*serm.* 4. *de Assumptione*): *Latitudo eius replet orbem terrarum, ut sua quoque misericordia plena sit omnis creatura. Longitudo eius usque in diem longissimum invocantibus eam subcenit universis. Sublimitas eius civitatis supernae invenit restaurationem; et profundum eius sedentibus in tenebris, et umbra mortis obtinuit redemptionem.* Quibus omnibus addo celebrem locum (*Eccles. cap.* 11): *Da partem septem, nec non et octo, quia ignoras, quid futurum sit mali super terram.* Varias sustinet hic locus explicationes: eas, quae literales sunt, primum apponam, deinde tropologicas. Chaldaeus opinatur hoc loco contineri providum consilium pro patrefamilias, ut agrum serat tempestive, et non mense tantum Tyrsi, id est, Septembris, sed etiam Casleu, id est, Novembris, cum ignoret, quando futura sit copia, vel penuria

annonae. Quidam interpretantur hunc locum de eleemosyna facienda: in modo tamen explicandi variant: nam cardinalis Caietanus ait, da partem nominibus septem, hoc est, certo numero pauperum, qui numerus ab iis fortasse tunc apud Iudaeos eleemosynarios observabatur ob reverentiam divinarum actionum, quae septem diebus describuntur a Moyse (*Gen. c.* 1), supputato sabbato quietis, sicut modo consueverunt multi pascere pauperes duodecim in memoriam duodecim Apostolorum: do etiam pauperibus, octo videlicet, si quis ad illum decretum ordinariumve numerum accesserit. Nicolaus autem legens *partes*, docet, dandum nobis abundanter indigentibus de bonis nostris: septenarius enim numerus denotat universitatem, ut disserens de septem Diaconis docet Lorinus (*in caput* 6. *Act.*): vel certe septem, octo dixit ad expellendos omnes petentes, ita ut observemus illud Christi Domini (*Luc.* 6): *Omni petenti tribue*, hoc est, non diiudicando, aut curiose scrutando singulorum conditiones, et merita, ut docent Chrysostomus (*sermonibus ad populum*), et Nazianzenus (*oratione in laudem Patris*); nec enim refert, quod sint peccatores, dummodo egeant, ut monet divus Augustinus (*in Psal.* 22), et divus Gregorius (3. *part. past. admon.* 21), imo ad id exemplo suo Deus ipse nos hortatur, pluens, et solem suum oriri faciens super bonos, et super malos, iustos, et iniustos. Unde Christus Dominus ad id suadendum, parabolam induxit invitantis ad coenam debiles, claudos, coecos. Ad quae hunc existimo literalem sensum huius loci, cui consona sunt verba sequentia: *Quia ignoras, quid futurum sit mali super terram.* Quibus plane promittitur copiose elargienti eleemosynam, et indiscriminatim omnibus liberandum esse a malo in terram superventuro: vel certe explicandum est de malo imminente, quod ab indigente amoveri potest benigna largitione. Alii referunt quorundam versionem, qui legunt: *Quia ignoras, quid futurum sit mali subtus terram:* etenim secundum hanc lectionem invitamur ad dandam eleemosynam, ut mitiores sint poenae Purgatorii, quod subtus terram est.

Sed ad allegoricos sensus me converiens, omissis multis aliis, quos refert Lorinus (*in c.* 11. *in Eccles.*), quatuor solum hic apponam, qui mihi celebriores esse videntur. Primus est, quod per partem septem intelligitur sabbatum, qui est septimus dies, quem Hebraei valde observabant; per partem vero octo, designatur dies Dominicus resurrectionis Christi Domini, quem Christiani religiose colunt. Cum ergo dicitur da partem septem, et octo, monemur credere veritatem testamenti veteris, et novi, ne sinat Iudaei, qui sabbatum duntaxat observabant; neque ut haeretici Manichaeus, et Marcion, qui totam legem veterem repudiabant: atque hac facit, quod d. Ambrosius (*libr. de Iacob. cap.* 11) disputans de septem Machabaeis, ait: *Illo in utroque numero, sacramentum gratiae consecutos in lege nutritos per gratiam coronari septem, tanquam in sabbato; octo, tanquam in Evangelio.* Facit etiam, ad idemque adducit septem pastores, et octo morsus hominum, apud Michaeam (*c.* 5), id est, praecepta legis, et Evangelii mandata, in quo devorata est mors.

Secundus sensus tropologicus est, hoc, quod vivimus esse saeculum septimum, in quo bonis operibus vacandum; octavum vero, quod expectatur, ad praemia esse destinatum. Monemur ergo, vitam totam nostram septem partibus constantem, infantia, pueritia, adolescentia, iuventute, senectute, et tempore mortis Deo offerre, ut deinceps octava aeternae felicitatis fruamur, ad quod ut provocemur, ob oculos nobis proponitur malum, in finali iudicio superventurum, *quia ignoras, quid futurum sit mali super terram:* ut enim a malo illo liberemur, in memoriam nobis revocat Spiritus sanctus septiformem gratiam nunc in nobis perficiendam, et postea per gloriam remunerandam.

Tertius sensus est, septenarii fieri mentionem in praedicto loco propter septem opera misericordiae, et octonarii, qui symbolum est beatitudinis propter exercitia vitae contemplativae, in qua viatores beatis assimilantur. Unde d. Gregorius (*in* 6. *Psal. Poenit.*) introducit Salomonem dicentem Deo, *da partem septem, da et octo: Optabat*, inquit, *regiae dignitatis potentia praeditus ita sibi subditos populos regere, ut tamen contemplationi divina non defraudaretur perfectione.*

Verum nostro argumento inserviens ultimum adiungo tropologicum sensum. Monemur fideles septem, et octo partes Deo dare, recitatione quindecim decadum Rosarii, et meditatione quindecim mysteriorum, in quorum memoria iste precum numerus sacer est; ad idque praestandum stimulus ille nobis adiicitur, quod hac ratione, multa alioquin superventura in nos mala vitabimus, *quia ignoras, quid futurum sit mali super terram.* Sed quia hic stimulus timoris est, addo ego alium amoris singulariter adumbrati in quindecim argenteis, quibus Oseas (*cap.* 3) coniunxit sibi meretricem. Bone Deus, quoties Christus Dominus in Oseam significatus, perditissimas animas mediis quindecim Rosarii decadibus sibi arctissimo amoris vinculo copulavit? Qui id non crediderit, vacet huic exercitio, et continuo experietur, Christi amore inflammari, nihilque a veritate alienum nos effundere. Atque haec sufficiant de numero quindenario.

Nunc iam me convertam ad haereticorum tela infringenda, quibus impudenter lacessunt sacram Mariani Rosarii confraternitatem. Irrident in primis laudabilem consuetudinem, qua fraternitas haec utitur, dum omnes confratres in speciali libro, seu matricula conscribit: inscriptionem hanc tanquam omnino inutilem aspernantur; verum laudabilem, et utilem esse, non solum civilibus, et humanis legibus, sed ex sacris Scripturis aperte commonstrabo: etenim, sicut Deus Optimus Maximus praedestinatos in libro vitae, ut divus Ioannes (3. *Apocal.*) testatur, ita Deipara Virgo vult, in obsequium suum destinatos speciali libro conscribi, ut illorum inscriptio sit velut pignus quoddam scriptionis eorundem in libro vitae: et in eodem conveniunt verba illa, *non delebo nomina eorum de libro vitae:* sicut et in hostes

ejusdem Virginis illa alia conveniunt Davidis (*Psalmo* 60): *Delcantur de libro viventium, et cum justis non scribantur.* Unde doctissimus Cornelius (*serm.* 13) dixit: *Inscriptio haec recte significat inscriptionem aeternalem, quae est per praedestinationem electorum, quae dicitur liber vitae, a quo petimus non deleri meritis, et intercessione sanctissimae Virginis Mariae, in cujus signum, nato Salvatore, exiit edictum ut describeretur universus orbis.* Ad quod respiciens divus Gregorius (*hom.* 8. *in Evangel.*) dixit: *Quid est, quod, nascente Domino, universus orbis describitur, nisi quia hic aperte monstratur, quin ille veniebat in carne, qui electos suos adscriberet in aeternitatem.* Deinde, sicut in lege veteri (*Exod.* 2.) nomina filiorum Israel in veste Aaron inscripta erant, et Nehemias (*cap.* 7) ait: *Inveni librum in quo scripta erant nomina transmigrantium, et redeuntium ad civitatem suam:* et Daniel (*cap.* 12) inquit: *Salvabitur omnis, qui inventus fuerit scriptus in libro;* ita in libro sacro hujus fraternitatis inscripta sunt nomina famulorum Virginis, qui per eius merita, et intercessionem transmigraturi sunt in coelestem Ierusalem, et redituri ad supernam patriam, quia *non habemus hic civitatem permanentem, sed futuram inquirimus.* Unde, sicut olim, ut legimus (*Ezechiel.* 9), servi Dei signati fuerunt signo Tau, ne divina ultio in eos irruerel, et qui non erant signati, angeli gladio interiernt; sic qui fuerint scripti in libro hoc confraternitatis, signum Rosarii praeseferentes, et documenta eius implentes, divinam ultionem non sustinebunt, sed Deiparae Mariae intercessione Dei misericordiam experientur. Quare beatus Alanus (*in Apolog. cap.* 17) dixit: *Scribuntur et in signum divinae electionis, quia sicut Ioanne in sua Apocalypsi capite septimo id attestante, de omni tribu filiorum Israel centum quadraginta millia fuerunt praseveati a plagis quatuor angelorum; sic famuli b. Virginis, eius Psalterium veritantes, non minora beneficia recipient, cum nec sint Israelitis inferiores, nec Maria inferior Moyse, nec salutatio angelica peioris conditionis, quam fuerit illa vetus scriptura.*

Est insuper haec inscriptio pignus amicitiae singularis inter Virginem, et eius clientulos, non secus ac olim (1. *Machab.* 10) in signum benevolentiae, et amicitiae Alexander inscribi fecit Ionathan inter primos eius amicos. Ad haec, quis ignorat huius inscriptionis Fratrum praeclara in iure Canonico reperiri exempla: nam (2. *quaest.* 1. *cap. legum de consecratione*) recens baptizati in libro inscribuntur, nec non regularem professionem emittentes (27. *quaest.* 1. *cap. omnes foeminae in servorum ordinatione distinct.* 5. *cap. multi*); ac tandem Pontifices, et Episcopi scribi consuevere in suis Ecclesiis. Quid plura? in iure quoque civili scriptiones non desiderantur, quin potius admittantur, et requiruntur tum ob militiam: milites enim militiae nomina dantes, in militiae libro describuntur: tum propter honorem, et reverentiam, ut senatores, qui Patres conscripti dicebantur; consules, qui in fastis consulares referebantur; cives in Album civitatis, tribuum contribules in libris tribulibus recensebantur a censoribus, equites in equestris ordinis codicem mittebantur, candidatorum nomenclaturis, et nomenclatoribus nihil erat frequentius: tum propter amicitiam, sicut inter primos amicos: tum propter beneficentiam, instar regis Assueri, ut habetur (*Esther.cap.* 6): fecit enim sibi afferri historias, et annales primorum temporum, in quibus invenit, quod Mardochaeus beneficium sibi praestiterat, et nondum remuneratum honoribus multis cumulavit. Accedit his omnibus utilem valde esse hanc fratrum inscriptionem, ut facilior sit notitia eorum, qui ad hanc confraternitatem pertinent, nec non eorum, pro quibus vita functis preces sint effundendae. Dic ergo haereticis, inscriptionem hanc mordentibus, illud Pauli (1. *Corinth.* 2): *Animalis homo non percipit ea, quae sunt spiritus Dei, stultitia est illi, et non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur; spiritualis autem omnia iudicat.*

Ad extremum oblatrant haeretici, quorum sepulcrum patens est gultur eorum, venenum aspidum sub labiis ipsorum, quod fraternitas haec exlex sit: hoc est, immunis ab omni propriae legis obligatione, quod videtur prorsus a ratione alienum, eloquentiae parente (*lib.* 3. *de legibus*) dicente: *Nihil est tam ad ius, conditionemque naturae, quam lex, sine qua nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest.* Fatemur quidem, in hac confraternitate non esse leges, quae obligent sub culpa, vel poena transgredienti inferenda, non tamen caret legibus directivis, non coercitivis: hoc est, quibusdam legibus praescribentibus ea, quae facere debent confratres, ut bonis totius confraternitatis fruantur: viget lex de persolvendo integro Psalterii penso singulis hebdomadis per se, vel per alium: quod qui praestat, participem se reddit omnium Rosariorum, quae per illam hebdomadam ab omnibus in tota fraternitate per orbem universum orantur; si tamen contingat id una, vel pluribus septimanis omitti, toties, et ipsius pensi meritum, et specialem eam aliorum Rosariorum communitatem perdit, quae iactura poena potest dici illius omissionis. Manet hic quoque verissimum, quod d. Augustinus (*homil.* 5. *in Act. Apost.*) dixit: *Lex non invenitur sine poena.* Memini s.Gregorium (*in Registro lib.* 8) dixisse: *Liber homo si fraudem committit, in persona non debet puniri, sed in facultate:* cum ergo specialis communio orationum, et satisfactionum sint propriae facultates huius fraternitatis, merito confratres in ea liberi, negligentes tamen in solvendo Mariani Psalterii penso, in facultatibus poniuntur, non in persona. Quam autem cum ratione consentaneum fuerit nullum imponere praecepti onus, sub culpa etiam veniali aut levi poena, ex fine ipsius fraternitatis facile colligitur; quae facili via, modoque suavi omnes Christianos, cuiusque status, aetatis, conditionis, et sexus ad observantiam divinorum mandatorum Christi et obedientiam, et beatae Virginis devotionem inducere salagit. Ad hoc autem maxime conducebat ab omni praecepto immunitas: multis enim praecepti onere perterritis, iamque praecluderetur ad ingrediendam hanc fraternitatem. Quare ut illa omnibus apta esset, cunctis conveniens, singulis commoda, facilis, et a quocunque tolerabilis, ita ut magis sublevaret, quam gravaret, omnino opus fuit, nullam condi legem in hac confraternitate, quae sub culpa aliqua, vel poena obligaret. Unde arbitror, in fratres huius Confraternitatis egregiae convenire verba illa d. Pauli (*ad Rom.* 2): *Legem non habentes, ipsi sunt sibi lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum:* nec non et illa eiusdem divi Pauli (*ad Timoth.* 1): *Lex iusto non est posita, sed iniustis, et subditis impiis.* Hoc sane adamussim impletur in illis, qui christiana praecepta, non quia praeceptorum onere praegravati, custodiunt, sed quia iusta, sancta, et salutaria, et Deo grata esse credunt: illa amant, et tota mente complectuntur, quales sane non desideramur in hac fraternitate Deiparae Virgini consecrata; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA X.

Agimus de pio, ac laudabili processionum rita, quo Mariae Rosarii Confratres Deiparam Virginem religiose colunt.

Sanctus Theodoretus, ut refertur in Catena Lippomani, et cardinalis Caietanus (*sup. Exod.* 3) quaerunt, quare Deus Moysi, volenti accedere ad inluendum Rubum ardentem, et non combustum, Deus praecepit, ne accederel, nisi pedibus discalceatis; respondent, rationem fuisse, quia locus ille ex praesentia illius stupendi miraculi sanctus erat: plane tamen mihi videtur Spiritus sanctus adumbrare voluisse cultum, et revecentiam debitam beatae Virgini. Thalamus enim Virginalis locus sanctus fuit, in quo patratum fuit stupendum illud, ac portentosum miraculum unionis ignis cum rubo; hoc est, coniunctionis Dei, qui ignis consumens est, cum carne, qui rubus est, ex terra nascens. Huic ergo sacro loco, in quo tantum mysterium celebratum fuit, vult Deus non aliter accedere, quam discalceatis pedibus, hoc est, depositis carnalibus affectibus, ac singulari animi devotione, et reverentia illum venerari.

Ad hanc ergo reverentiam impense excitendam salubriter, ac religiose institutae sunt processiones, in quibus Deipara Virgo, velut ovans triumphali feretro circumducitur: quae pia consuetudo minime recens censenda est, sed perantiqua: nam omisso, quod Rupertus (*lib.* 7. *de div. off. c.* 25) processiones, quae Dominicis diebus fieri consueverant, ad Deiparae Oratorium primum omnium tendere affirmat: loquens enim de resurrectione Domini, ait: *Recte a maioribus nostri Ordinis traditum est, et quasi pro lege fixum conservatur, ut in processionibus, cunctis per annum Dominicis, beatae Dei Genitricis memoriam prima statione visitemus, decantando quodlibet, quod eius proprium sit; eique salutata, et oratione dicta, tunc demum processionem peraganus. Sicque fervente sacrae religionis studio provisum est, ut infra claustrum debeatur eiusdem beatae Virginis diversorium scilicet sacratum in ipsius honore, proprium nominis eius oratorium. Quid concenientius, quid pulchrius, quid venerabilius, quam congratulari Matri Virgini super resurrectione Unigeniti?* hactenus ille.

Verum, omisso etiam, quod in universali Ecclesia instituta est quotannis celebris processio cum accensis cereis in die purificationis: quae, ut ait s. Antoninus (4. *par. tit.* 15. *c.* 24. §.3), fit in honorem beatae Mariae per correspondentiam ad diem in ramis palmarum: nam sicut tunc portantur rami olivae cum palmis in signum victoriae Christi de morte per resurrectionem, osiendentes etiam nos victoriam de vitiis per poenitentiam ad vitam gratiae resurrexisse, ita in die purificationis candelas accensas gestamus in manibus, lumen ardentissimae charitatis Virginis designantes, et eam viam in nostris operibus habere protestantes. Haec sanctus Antoninus, qui et adiecit, quemadmodum in Ascensionis Dominicae die in honorem Christi fieri processio consuevit, ita in virgineae assumptionis die fieri solitam esse processionem in Deiparae honorem cum tota coelesti curia una cum Christo filio, obviam ei processit, ad eam in coelo recipiendam, ac in regio suo throno collocandam.

Altius tamen ut argumentum hoc repetamus, patienter quaeso ferat lector, si multa, quae antiquae historiae de gestatione Deiparae Virginis in processionibus nobis tradidere, hoc loco commemorem, ut haereticorum ora obstruam, mendaciter effutientium, novum inventum esse monachorum Processionum ritum. Non solum abicienda, sed defienda sane est istorum in maligno posita natio, quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi, quia in processionibus nostris pro conversione tua supplicamur: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis, et odio odisti nos gratis: a te maledicimur, et benedicimus, persecutionem patimur, et sustinemus, blasphemamur, et obsecramus, et obsecratimus non deficientes, usque dum in bono malum vincamus per illam, in cuius nomine, et ad cuius honorem congregamur fratres in unum, ut corde uno et anima una Mariam Dei Matrem veneremur.

Ad rem tamen nostram rediens, nemo ignorat per processiones ad beatam Virginem clamantes ingrediem pestem, quae Romam graviter opprimebat, penitus fuisse extinctam, ut late tradunt Baronius tom. 8. anno 601. et Sigonius (*lib.* 1. *de Regno Italiae*). In quadam autem illarum processionum, ipse summus Pontifex Gregorius Magnus circumtulit Deiparae imaginem, quae a s. Luca traditur depicta, et nunc extat in Basilica sanctae Mariae ad Praesepe in celeberrimo sacello, quod in eius honorem extruxit summus Pontifex Paulus V. Refert autem Carolus Sigonius (*praecit. loco*), auditos tunc tempore processionis angelos in ae-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

re suavissime concinentes, et addit Paulus Diaconus (*lib.3. de gestis Longobardorum c.* 23), auditum angelum ad virginem dicentem, *Regina coeli laetare, etc.* cui subiungit s. Gregorius: *Ora pro nobis alleluia:* huius vero angeli in forma pueri apparentis impressa vestigia in marmoreo lapide ab eo relicta, in nostro conventu Arae coeli religiose asservantur, et palam ab omnibus conspiciuntur. Deinde Anastasius bibliothecarius Pontificius Stephano III. haec narrat: *In una dierum, cum multa humilitate Stephanus procedens in litania, cum sanctissima imagine Domini Dei, et Salvatoris nostri Iesu Christi, quae Ageropaeta, non manufacta nuncupatur, simulque cum ea alia diversa sacra mysteria recipiens, proprio humero ipsam sanctam Imaginem cum reliquis sacerdotibus, idem s. Papa gestans, nudis pedibus tam ipse quam universa plebs incedentes, in Ecclesiam sanctae Dei genitricis, quae ad praesepe nuncupatur, posito in omnibus capitibus populorum cinere, cum maximo eiulatu per gentes misericordissimum Dominum nostrum deprecati sunt;* haec ille. Item nova Roma urbs urbium Orientis diu Imperatrix Byzantium, post, Constantinopolis dicta, Deiparae Virgini tota dicata, nihilo minora gestatae in processionibus Marianae Imaginis reliquit exempla. Unum accipe compendium ex cardinali Caesare Baronio tom. 8. anno 625. *Heraclio Orientis Imperatore Persiam cum victore exercitu funditus conquassante, Cosroas rex Persarum Sabarum cum quinquaginta lectissimorum militum millibus ad obsidendam et exscindendam Constantinopolim mittebat: retrahendo e Persia, Victore Heraclio. Sabarus dux, Hunnis in auxilium accersitis, terra marique Byzantium dies iam decem premebat: cum incolae per omnia templa supplicant, et post Deum Dei Matrem proximam in auxilium vocant; adest certa: hostis Barbarus aliquando mane primo coeli reginam ore habituque Virginis, cum maximis copiis ex urbe exire, et in suos ducere cernebat, Stratagema suspicabatur. At illa iam castris proxima aciem flectit, viamque revertit. Sabarus erumpit, insequitur. Virgo cum copiis disparet: illi in sese versi, mutuis ictibus strage maxima corruunt. Dux classe effugiens cum reliquis tempestate obrutus mari hauritur, ac disperiit.* Serarius (*de process. lib.* 1. *cap.* 5), et Gretserus (*lib.* 1. *cap.* 11) narrant, iterum paucis post annis obsessam a Chagano Scytha, per supplicationes cum imagines almae Virginis factas liberatam, nam patriarcha Sergius, acceptis Deiparae sacris imaginibus, cum omni multitudine, moenia superna circumibat, maximum ex ea re praesidium ipsis comparans. Idem factum sub eodem Heraclio anno 1126. in Persia refert cardinalis Baronius tom. 8. quando uno conflictu duos ingentes exercitus Razatis ducis internecione delebat, desideratis e suis non amplius quinquaginta. Razatis Heraclitus aurea arma beatae Virgini victrici suspendebat, neque unquam inibat praelium, antequam hanc supplicationibus sibi demereri studuisset. Saracenis quoque Constantinopolim obsidentibus, anno 717. Clerus cum civibus patronae ut soliti supplicant, imaginem ipsius per moenia circumportant: hostes fame, pesteque pereunt, pars naufragio, dum anno 718. solvunt, obsidione merguntur, reliqua pars cum navibus, ignea de coelo grandine perfusi, comburuntur: ut quinque tantum cladis nunciae ambustae vix evaderent. Cum liberationis diem Constantinopolitani exinde annum, festumque Virgini celebrarunt, anno 727. Dux quidam in eadem urbe lapidis ictu, beatae Virginis statuam percutiebat. Ea secundum noctis quietem illi apparens ait: *Fortis es, sed in caput tuum id fecisti.* Sarraceni rursus urbem cingunt, et is primus erat, cuius caput, coniecto forte saxo per hostes, conteritur sub Leone Isauro Iconomacho. Tunc sacer Urbis populus venerabili honorandae, et vivificae crucis ligno, simulque veneranda Dei Matris, quae Hodegedria est, seu viae Dux, et monstratrix, imagine assumpta, forasque adducta, circumibat Urbis moenia cum lacrymis propitians; sic Triodium Graecum. Quid, quod Virginis Mariae imagines, ut iidem referunt, in triumphos duci consueverint, atque adeo ipsas triumphare voluerint? Emmanuel devictam a se Pannoniam Constantinopoli triumphavit, ut Nicetas prodit. Currui autem, quem partim aureum, partim argenteum albi trahebant equi, imposita est Dei Matris Imago, quae Mater adiutrix fuerat opportuna. Fortunatas illas rotas, imperator ipse, imperatorisque propinqui, amici, duces, senatus universus, quique magistratu aliquo, seu honore praestabant, venerabundi sequebantur. Constantinus item Palaeologus, ut referunt Annales Byzantii, et Gregorius (*in sua histor.*), Ioannes Zonara (*tom.* 3. *ann.*), cum urbem imperii sedem, ac domicilium amisisset, amissamque felicissimo eventu recepisset, ut primum Constantinopolim, recuperatis constitutisque rebus, pervenit, coram divae Matris imagine illa, cuius pictura sancto Lucae tribuitur, gratias primum egit, et prae laetitia collacrymavit; mox illam eandem triumphali religiosaque pompa circumlatam pedes ipse prosequitur. Pius et Gratus imperator eam triumphare voluit, cui victoriam acceptam referebat: similiter Ioannes Ximista Orientis imperator: hoc contra Russos dimicante, cum anceps fluctuaret victoria, ea tandem penes coelitus aditos Imperatorios stabat. Nam hostium ora subito coorta tempestas subinde verberabat. In equo tunc visus est quidam Romanos defendens, Barbarosque profligans. Agebantur tunc feriae sancti Theodori martyris. Huic pridie victoriae, vidit religiosa quaedam a Deipara negotium dari, ut Ximistam adiuvet. Ergo Victor ei templum religiose ponit. Et cum victoria imperatoris Clerus, Senatus, populusque Byzanthius obviam effusus coronas offerunt, currumque triumphalem regie apparatum, quem albi equi quatuor impellebant. Coronas accipit imperator, unico triumphat equo, currui spoliis regum devictorum opimis onerato, almae Virginis simulacrum imponit, currum anteit vectus equo, triumphandique gloriam victrici Mariae Virgini, coelesti Bellonae, gratus, lubensque concedit. Pari gratitudine, et exemplo Ioannes Comnenus, imperator Constantinopolitanus, ut auctor est Nicetas Choniates in annalibus Persas

triumphans, Deiparae imaginem in currum triumphalem collocavit, equorum habenas nobilissimo cuique tractandas dedit, pedes ipse sequitur in templum. Idem quoque exemplum et nostra vidit aetas, id quod Franciscus Bencius in annalibus anno 1585. ita refert. Lusitani erant fere ducenti, foederatorum Æthyopum decem millia sub signis habebant: haec tantula manus tota sexcenta adversariorum millia fudit, fugavitque incruenta prorsus victoria. Praetor Lusitanus Virginis effigiem secum semper in expeditionibus habebat, et flexo venerabatur genu quotidie: haec in castra solemni pompa reducta est. Saxoniae Domitor Germanorum rex I, et imperator Carolus Magnus, itemque filius eius, et in imperio successor Ludovicus Pius, vix unquam visi in praelio, vel in publico sunt, quin aurei velleris loco, icunculam Deiparae ex collo circumferrent. Et ulla usquam Mariana viseretur processio, quam non Mariae simulacrum praeiret: processionis nulla ratio est, quae non ornatur imagine.

Ceterum, si ad istarum Deiparae Virginis processionum imaginem, et figuram, mentis aciem convertamus, facile comperiemus a saeculo veterum patriarcharum eam initium habuisse. Legimus (2. *Paralip.* 2), Arcam foederis, quae res inanimata erat, semper cum reverentia magna portatam, et collocatam; unde ad maiorem eius honorem (*Deuter.* 10) consulto separata fuit tribus Levi, ex qua solum eligerentur sacerdotes et levitae, qui singulari veneratione arcam veherent: atque Iosue (*cap.* 3) praescriptum fuit populo, ne, quando illi arcam gestabant, ei appropinquare auderent, ideoque percussus Ozia obiit (2. *Reg.* 6), cum tetigisset eam, quod ipse sacerdos non esset, ut auctor librorum de mirabilibus sacrae Scripturae apud Augustinum docet (*lib.*2. *cap.* 14); vel, ut existimat Lyranus in eum locum, quod eum in plaustro posuisset, cum humeris esset gestanda. Imo et (1. *Reg.*6) ex Bethsamitis plures occisi sunt, quia sine debita reverentia curiosius eam aspicere voluerunt. Quid plura? Quemadmodum, ut legimus (2. *Reg.* 6) sacerdotes magno cum musicorum apparatu, deferebant arcam Dei, ita nunc Mariani confraternitatis alumni mysticam arcam Mariam, in qua non virga Aaronis, non tabulae legis, non vas Maria, sed Creator ipse coeli, et terrae, carne indutus delituit, humeris suis publico et religioso apparatu circumgestant, opere et veritate implentes, quod in veteris illius arcae gestatione fuerat adumbratum. Verum sacram hanc processionem Deiparae virginis, caeremoniam, ac pium ritum attentius mihi consideranti plane videtur eandem Virginem exemplo suo praecipuam magistram, et doctricem habuisse, quae dulce pignus suum Filii Dei non sine mysterio vel circumferebat, vel secum ducebat, vel comitabatur: etenim postquam prolatis illis verbis, quibus incarnationi Verbi divini in utero eius assensit (*Luc.* 1): *Fiat mihi secundum verbum tuum*, facta fuit ferculum veri Salomonis Christi Domini, continuo cum sponso suo perrexit in domum Zachariae (*Luc.* 2): *Exurgens Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione in civitatem Iudaeae.* Mirabilis sane processio haec, in qua Regina coeli procedebat, regem angelorum uteri sui custodia gestabat, iustus Ioseph aderat, comitabantur angeli, Davide dicente (*Psal.* 91): *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Felix processio Virginis, namque

Ubertas sequitur, quacumque propinquat
Incessu, foecundat iter, comitataque gressum,
Laeta per impressas rorat vindemia plantas.

Ubi vero ventum erat in stationis locum, sacerdotis domum Zachariae; hic qui cantus auditi Deiferae Mariae, qui applausus Elisabethae, quae praecursoris exultatio? Sed nec illa Virginis cum sponso Iosepho in Bethlehem profectio processioni cuidam multum absimilis videri potest, qua stabulum vertit in templum, in qua Æternus genitus Deus in lucem editus. Primo gemit puer: ad quod concinunt angelorum chori, iussi conveniunt pastores ovium, evocati adsunt orientis reges, omnes obsequia deferunt, et debitam novellae praestant religionis christianae officia. Quid ergo de Christi in templo praesentatione dicam? Ex natali stabulo, sive ex Bethlehem progreditur, Virgo comitatur; iustus Ioseph effertur, filius hominis, et Dei infertur in templum, sistitur Domino, offertur Deo, occurritur illi ab Simeone, et Anna: ille canit: *Nunc dimittis, etc.* haec prophetat, uterque Deum benedicunt, obstupescunt omnes rei gestae miraculo, et spectaculo, de quo ita divus Bernardus (*ser.*2. *de Purific.*): *Offerunt Ioseph, et Maria sacrificium matutinum, Simeon, et Anna suscipiunt. Ab his quatuor celebrata processio est, quae per quatuor orbis climata solemnibus hodie laudibus ad memoriam revocatur. Ergo vere illa Theophoria fuit Virginis.* Nec forte minus ista eiusdem fuga in Ægyptum cum puero, et Iosepho, quibus, teste Sozomeno (*hist. lib.* 5. *cap.* 21), Hermopolim advenientibus, arbor, quamvis maxima se curvatam ad solum usque inflexit, magnis post clara consanationum miraculis. Ipsis toto Ægypto collapsa cesserunt simulacra, terra ipsa balsamum profudit, et odores: quanto igitur verius de illa processionali fuga istud Claudianum:

Qua properat veris sequitur color, omnis in herbas
Turget humus, medioque patent conversa sereno.
Sanguineo splendore rosas, vaccinia nigro
Imbuit, et dulci violas ferrugine pingit.
Prosequitur volucer late comitatus euntem.

An non etiam processio erat parentum Iesu cum puero duodenni, quando adoratum ibant secundum consuetudinem per omnes annos in Ierusalem, in die solemni Paschae? quam officii, devotionis, religionisque partem omisit Virgo, quando cum filio, Apostolorumque comitatu, Iudaeam omnem, et Galilaeam obibat? quae si minus videri processiones queant, nostrarum tamen exemplar esse processionum videri possunt. Denique quis neget illam Virginis tam piam, et sanctam, quam luctuosam

fuisse processionem, quando Mater, cruce praeeunte, filium suum istius baiulum sequebatur dolorosa? quando sub cruce stabat lacrymosa? quando sub cruce reflxum in sinu gerebat luctuosa? quando eum tumulo inferebat desolata? atque, ut paucis multa dicam, omnia Deiparae Virginis cum filio suo itinera, et peregrinationes, quas, dum in terra degeret, perfecit: sane si processiones non dixeris esse, processionum tamen nostrarum exemplar esse minime inficiaberis, cum ad illarum similitudinem, et ad memoriam nostrae referantur, et in illis, velut in fulgenti speculo intueamur, qua ratione in his modeste, ac religiose nos gerere debeamus: quod ut praestetur, praecipua capita indicabo, unde facile innotescat, qua ratione huius sacrae fraternitatis alumni in his processionibus se habere debeant: in primis opus est diligentiam adhibere comparendi in processionibus, de qua memorabilis est d. Augustini sententia (*ser.173. in rogation.*), ubi ait: *Nullus sibi de industria aliquas occupationes inquirat, per quas se de Ecclesiae conventu subducat: sine dubio peccatorum suorum vulnera diligit, qui in istis tribus diebus seiunando, orando, psallendo, medicamenta sibi spiritualia non requirit. Abundant, et nimium abundant negligentiae, quae per totum anni spatium congregamus; agere studeamus. Nolite vos de Ecclesiae conventu subtrahere: et infra: Qui per cupiditatem, aut pro alia qualibet minus necessaria occupatione adesse noluerint, inde sibi faciunt crudelia vulnera, unde habere poterant medicamenta salubria, et inde se gravant, unde sublevare poterant.* Similis est Gregorii (*lib.2. epist. 10*) admonitio: *Nullus vestrum ad terrena opera in agros exeat. Nullus quodlibet negotium agere praesumat, quatenus Sancte Genitricis Domini Ecclesiam conveniente, qui simul omnes peccavimus.* Eodem spectant et illa Caesarii Episcopi Arelatensis, cum de rogationibus perorat: *Scientes, fratres charissimi, qui terreno rege militat, sese de acie pugnatorum subtraxerit, non solum gloriam, vel praemia parata non accipiet, sed etiam praesentis vitae pericula non evadit. Sine dubio talis indicandus est et ille qui in istis tribus Christi Ecclesiam deseruerit. Quicunque ergo sine aliqua infirmitate, aut certa occupatione in istis diebus Dei populum deseruerit, in illo coelesti regno non praemium, sed opprobrium, non gloriam, sed ignominiam recepturum se esse noverit; quasi fugitivus, et desertor castrorum coelestium.*

Deinde prophanus vestium ornatus abiiciendus est, honestissimae enim Virginis processionem honestus amictus decet: nam et hoc ad aliquem Dei cultum facit. Ideoque et lineis vestibus induti fuerunt, qui foederis arcam gestabant; et David linea epomide, seu Ephod opertus fuit, ut legimus (2. *Reg.* 6), unde et Propertius:

Casta placent superis, pura cum veste venite.

Unde et cardinalis Iacobus Vitriacensis (*serm. de litan.*) dixit: *In hac processione non debemus uti ornatu saeculari, sed cum omni humilitate incedere: sane processiones habere non est tantum passim procedere pedibus, sed maxime virtutibus.* Nam, ut inquit s. Bernardus (*serm. 2. de Purific.*): *Si quis proficere dissimulat, et proficisci de virtute in virtutem, noverit, quisquis huiusmodi est, in statione, non in processione se esse, imo vero et in regressione, quoniam in via vitae non progredi est, cum nihil adhuc in eodem statu permaneat.* Ad haec de confabulationum abstinentia in processionibus, id quod monet Caesarius Arelatensis Episcopus, hic minime omittendum est, sic scribit: *Non sunt inter Christi examina prudentium apium reputandi, qui non bonis moribus spiritualia mella conficiunt, sed per superbiam, et contemptum et se impediunt, et alios exemplo malae conversationis evertunt. Et ideo fratres charissimi, quicunque Dominum in veritate diligunt, et ad Ecclesiam cito veniunt, et tarde discedunt, et perseverant in opere bono, et otiosas, vel saeculares fabulas, velut venenum mortiferum respuentes, magis psallere, et orare conentur, et contemnentes amaritudinem mundi, in Ecclesia requirant, unde accipiant dulcedinem Christi. Qui vero otiosis fabulis vacant, nec ipsi psallunt, nec alios psallere, vel orare permittunt; qui tales sunt, cito se corrigant, ne sibi in eo loco praeparent mortem, ubi invenire poterant vitam.* Itaque in his publicarum supplicationum actibus vigeat quaeso illud praeconium in sacris quondam gentilitiis solemne, cuius meminit Brisson (1. *formul.*): *Favete linguis, animis adsiste.* Et illud adstantis monitoris a tergo sacerdotis, aris operaturi, atque huic velut aurem vellicantis suggestione tali: *Hoc age, nunc ora, deinde labora.* Nam et est tempus loquendi, est tempus tacendi: est tacens, ut dixit (*Eccl.* 13), cui consonat illud eiusdem (*c.20*): *Est tacens, qui invenitur sapiens, et est odibilis, qui procax est ad loquendum. Est tacens, non habens sensum loquelae, et est tacens, sciens tempus aptum. Homo sapiens tacebit usque ad tempus; lascivus autem, et imprudens non servabunt tempus.* Praedicaturos ergo ita Dominus praedicandi intentos studio esse voluit, ut etiam praeciperet, *Neminem per viam salutaveritis*, quanto magis id supplicabundos docebit? Risum praeterea in processionibus cavendum, et multo magis a cachinnis abstinendum, hortatur divus Augustinus (*serm. 173*), ubi de rogationibus loquens, inquit: *Scire debemus, et intelligere fratres charissimi, quia dies compunctionis, et poenitentiae celebramus; et ideo non oportet nimio risu dissolvi, qui ministis illud: vae vobis, qui ridetis, quoniam flebitis.*

Ac tandem curiositatem circumspiciendi, et maxime foeminas, aut quoquo alio modo leviter eas observando, satis illud monet vitandam, quod universa illa totius generis calamitas e curioso oculorum intuitu initium habuit (*Gen.* 3): *Vidit mulier, quod bonum esset lignum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile, tulit de fructu eius, et comedit.* Ad quae verba respiciens d. Bernardus (*lib. de grad. humil.*) dixit: *O Eva, quid tam intente tuam mortem intueris? Quid spectare libet, quod manducare non licet? Oculos, inquit, tendo, non manum, non interdictum, ne videam, sed ne comedam. Et si culpa non est, culpae tamen indicium est. Nisi mens se minus curiose servaret, tua curiositas tempus vacuum non haberet: etenim intenta ad aliud, latenter interim in cor tuum illabitur serpens, blandiens alloquitur, blandiliis rationem, menduciis timorem compescit: nequaquam, inquiens, moriemini. Auget curam, dum incitat gulam, avit curiositatem, dum suggerit cupiditatem. Offert prohibitum, et aufert concessum; porrigit pomum, et subripit paradisum. Haurit virus peritura, et perituros paritura. Perit salus, non desistit partus, nascimur, morimur, ideoque nascimur, morituri; quia prius morimur, nasituri. Propterea grave iugum super omnes filios suos usque in hodiernum diem. Eva igitur, serva commissum, expecta promissum, cave prohibitum, ne perdas concessum. Quid illo tam crebro vagantia lumina iacis;* haec d. Bernardus. Quia tamen multi dicant, numquid Deus non dedit oculum ad videndum; ut quid ergo non videam? audiant isti d. Chrysostomum? qui explicans illud (*Gen.* 6): *Videntes filii Dei filias hominum*, ait: *Oculorum opus est videre, male autem videre a mente est quae intrinsecus gubernat. Non igitur oculus est ruinae causa, sed voluntatis negligentia, et irrefraenata concupiscentia. Mens in corpore respectu sensuum auriga est, qui equos currum trahentes gubernare nesciat, et equos, et seipsum in praeceps ire facit, sic plane et voluntas nostra, quando nescit sensibus, ut oportet, uti, indulgens inordinatis concupiscentiis, seipsum, et sensus ipsos submergi facit;* haec divus Chrysostomus: quibus non dissimilia sunt elegantissima illa verba divi Gregorii (*lib.* 21. *Moral. cap.* 7), ubi in hunc modum loquitur: *Sicut sarpe tentatio per oculos trahitur, sic nonnumquam concepta, intrinsecus compellit sibi extrinsecus oculos deservire. Nam plerumque res quaelibet innocenti mente respicitur, sed ipso conspectu animus concupiscentiae gladio confoditur. Non enim David Uriae coniugem ideo studiose respexit, quia concupierat; sed ideo potius concupivit, quia incaute respexit. Fit ergo retributionis examine, ut qui exteriori negligenter utitur oculo, interiori non iniuste caecetur. Saepe autem intrinsecus concupiscentia dominatur, et illecebratus animus ad usus suos, sensus corporeos famulari, more tyrannidis exigit, suisque voluptatibus oculos servire compellit, atque, ut ita dicam, fenestras luminis ad tenebras aperit caecitatis. Unde sancti viri cum sinistra pulsantur delectatione sensuum, ipsa per quae formae species ad mentem ingreditur, lumina disciplinae magisterio restringunt, ne pravae cogitationi visio lenocinata famuletur, quae si unquam subtiliter custodiri negligitur, cogitationis immunditia protinus ad operationem transit;* haec ille.

Qui igitur sacris Deiparae Virginis processionibus effraenatam sensuum libidinem coercentes, debita reverentia, et devotione intersunt, praeter gratissimum cultus obsequium, quod Dei Parenti impendunt, et praeter varias indulgentiarum divitias, quas lucrantur, vitam et iam aeternam acquirunt; nam si b. Virgo ait (*Eccl.* 24): *Qui me elucidant, vitam aeternam habebunt*; cur non etiam, qui illam religiose ac publice colunt? cum id non minus cedat in eius, et Christi gloriam; qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit, et regnat per infinita saecula saeculorum. Amen.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

DE SACRIS ARCANIS

DEIPARAE VIRGINIS

DE MONTE CARMELO

LIBER DECIMUSSEPTIMUS

HOMILIA PRIMA.

Agitur de percelebri festo sanctae Mariae de Monte Carmelo, cuius occasione Illustrissimae Familiae Carmelitanae nonnulla praeconia laconice perstringimus.

Merito in hac solemnitate verba illa insonant (*Luc.* 11): *Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae suxisti*: nam tametsi secundum literalem sensum dicta fuerint a Christo Domino, secundum sensum tamen accommodatitium, et moralem, a Patribus non parum usitatum, huic sacrae religioni pulchre mihi congruere videntur, cum b. Virgo visceribus suis illam spiritualiter genuerit, et ad sua ubera lactaverit, ut loquitur Gregor. XIII. in bulla, *Ut laudes*. Etenim venter, et ubera consulto nominantur, ut innotescat, Deiparam Virginem non modo hunc sacrum Ordinem genuisse, sed et tanquam prolem ab ea ortam, lacte suo aluisse, et nutrivisse. Certe quemadmodum in scientiis edocendis, prima earum principia non probantur, sed supponuntur, tanquam lumine naturae per se nota, ita prophetam Eliam primum sacrae huius Carmelitanae religionis institutorem fuisse, b. Virgine specialiter ad eius conservationem postea cooperante, primaque eius fundamenta instar peritissimi architecti iecisse, probatione non indigebat, cum tanquam rem notissimam sancti Patres testentur, sacri Pontifices et subscribant, ac diversarum traditionum monumenta confirmet; solum superciliosi negent, invidi inficientur, historiarum ignari discredant, et si qui viri perdocti, ac sapientes inficias ierunt, argumentum hoc non ex professo, sed per transennam, et obiter attigerunt: quorum excellenti doctrinae nihil detrahere nos arbitramur, si in hac parte eorum opinioni refragemur. Ut tamen deinceps in hoc genere argumenti nulla supersit ratio dubitandi, gravissimis testimoniis id nunc constabiliam, et latius in sequentibus. Polydor. pulat, Eliam non solum dedisse primordia Carmel. Relig., sed totius sanctitatis, et religiosae disciplinae, qua omnes Ecclesiae catholicae monastici Ordines claruerunt, indubitatum magistrum extitisse: verba Polydor. haec sunt. *Quicquid virtutis, et perfectionis est in quovis monastico Ordine, a castissimo propheta, et Patre Elia, tanquam a primordiali Eremitarum Monachorum, et etiam universorum religiosorum institutore, velut a fontali principio emanavit.* Etenim virtus, quam alii imitantur, iis, qui eius auctores fuerunt, proculdubio magna ex parte attribui debet; ad eum certe modum, quo Ierosolymitano templo accidit, quod quamvis varias iacturas perpessum fuerit, atque a diversis instauratum, nihilominus Salomonis templum, utpote primum fundatoris illius semper est appellatum. O quantum ss. Patribus religionum institutoribus qui virtutum in illis observandarum fundamenta posuere, Ecclesia Dei debet. Quantum beatissimo Dominico, a cuius filiis, praesertim d. Thoma, sincerae, et catholicae doctrinae lacte Ecclesia Dei alitur, et nutritur. Quantum seraphico d. Francisco, cuius nullum aliud noscitur esse institutum, quam Evangelium Christi ad unguem observare, et Christo crucifixo commori. Quantum d. Augustino haereticorum malleo, qui eam regulam modumque vivendi instituit, qui non uni, sed multis religionibus sub eius vexillo militantibus, religiosae disciplinae normam praebet. Quid glorioso monachorum patri b. Benedicto, cuius religione, velut ex perenni virtutum fonte, innumeri sancti, ac sacri pontifices emanaverunt, veluti lucidissimae Ecclesiae faces? Quid Basilio dignum retribuetur, quem iure optimo, Magni honorifico titulo cohonestamus, cuius pietas, ac doctrina tantae probitatis regula m condidit? Igitur si iis sanctis Patribus tantum debetur; quid sanctis viris huius sacrae religionis fundatoribus deberi iudicabimus? cum non solum bonorum operum fructus, quos sacra haec religio edidit, sed omnes etiam spi-

rituales foetus, quos universae religiones hucusque pepererunt, merito illis, tanquam fontalibus primordiis, adscribi debeant: quod ne meo Marte affirmare videar, Eliam, et Elisaeum religiosae vitae principia dedisse gravissimi auctores contestantur; nam sancti patres, Elias et Elisaeus non tantum huius Ordinis, verum, audeo dicere, etiam omnium fundatores fuerunt; certe iuxta iuris regulas *in cap. vere*, et refertur a d. Antonino (2. *parte suae summae titu.* 16. *cap.* 1. §. 4), duo fratrum ab Ecclesia approbata genera memorantur, quorum alterum coenobitarum appellatur, eo quod in coenobiis, seu monasteriis regulae, ac praelato subiecti viverent, de quibus d. Antoninus ait: *Ii sub Elisaeo sumpserunt initium;* alterum vero anachoretarum, seu contemplantium nuncupatur, qui vitam eremiticam ducunt, quos describens idem sanctus Antoninus ait: *Isti ab Elia exordium habent, cuius imitator et Ioannes Baptista erat.* Cum ergo omnes Ecclesiae Dei Ordines sint huiusmodi, velut rivuli sunt, ab Elia virtutum omnium fonte emanantes, cui, sicut et Abrahae illud sacrae Scripturae cognomen mirifice quadrat (*Gen.* 17): *Pater cunctarum gentium:* et illud ex d. Ioanne Apostolo: *Pater omnium credentium*; merito veteres doctores sanctum patrem Eliam appellarunt totius vitae monasticae patrem, universorum Ordinum exordium, omnis religionis vexillifermn, ac coenobiticae disciplinae antesignanum. Non inventa a me loquor, sed quae docuit me d. Hieronymus in vita, quam scripsit s. Pauli primi Eremitae, quae habetur (*in eod.* 1. *tom. fol.* 106. *in exord.*), sic ait: *Inter multos saepe dubitatum est, a quo potissimum Monachorum eremus habitari coepta sit: quidam enim hoc altius repetentes, a b. Elia, et Ioanne principium sumpsisse autumant.* D. Bernardus Abbas Cassinensis (*in expos. primi capitis reg. s. Bened.*) ait: *Attende bene, quod in veteri Testamento Elias, et Elisaeus, in novo vero testamento Ioan. Baptista, postea tandem tempore Apostolorum, Paulus, et Antonius, horum Monachorum inventores extiterunt.* Macharius vetustissimus (*in quodam sermone ad monachos*) haec habet: *Duos viros magnificos exordium monastici Ordinis praetulisse credimus, quorum unus igneis equis in coelos raptus legitur, alter vero prophetasse, antequam natus sit. Primus Elias pater noster extitit, in quo sicut honoris Dei ignitus zelus adeo ardebat, ut undequaque molestia afficeretur: ita ille idem ignis, Deo sic disponente, eundem corpore, et animo in Paradisum sustulit: nam illum, qui in terris positus angelicam vitam duxerat, inter nos remanere Deus non est passus. Alter Ioannes Baptista fuit, cui, ut d. Augustinus narrat, rationis usus accelleratus fuit, et cum sex menses a conceptione sua profluxissent, in ventre materno delitescens, prophetavit.* Auctor (*Hist. Trip. c.*11) ait: *Huius Monasticae antiquissimae professionis princeps in veteri fuit Elias, in novo autem testamento Ioannes Baptista.*

Nolo, quamvis facultas mihi suppetat, sermonem protrahere in antiquorum doctorum variis monumentis referendis, qui omnes uno ore testantur, sanctissimum patrem Eliam totius vitae religiosae ducem, ac celebrem auctorem esse; paucis tamen veritas haec patebit, si essentialia religionum vota, obedientiam, castitatem, et paupertatem esse, in mentem revocaverimus. De obedientia Eliae ait Ioannes Hierosolymorum Episcopus: *Abiit Elias, ubi eum ferebat voluntas Dei, et fecit iuxta verbum Domini. Ipse Elisaeum obedientiam docuit: nam cocem eius audiens, aratro, bobus, paternaque domo relictis, praeceptorem suum sequutus est.* Paupertatem eius praetereo, cum sacra eloquia testentur, a facie Iezabel peregrinatum fuisse, quousque obtinuit, ut coelitus cibus sibi ministraretur: unde d. Isidorus dixit (*de monach.*): *Unde ad monachos studium fluxerit paupertatis, vel qui huius conversationis extitit auctor, vel cuius isti habitum imitantur, quantum pertinet ad auctoritatem veterum Sanctorum, huius propositi princeps est Elias, et discipuli eius, qui habitabant in solitudine, et faciebant sibi domunculas iuxta fluenta Iordanis.* Elisaeus etiam ab eo edoctus, et in paupertatis doctrina bene instructus, ita virtutem hanc paupertatis coluit, ut famulum suum Giezi, divitiarum Naaman leprosi cupiditate possessum, propter proprietatis culpam, lepra miraculose punivit. Quid tandem dicam de castitate, et virginitate Eliae? Certe in eius praemium, ut habetur (3. *Reg.* 18), in montis Carmeli fastigio, magnus pater Elias septies orans, oratione septima absoluta, nubem quandam exiguam intuitus est, quasi vestigium hominis, in qua nube sibi a Domino ostensa fuit b. Virgo, quae septima aetate approximante nascitura erat in mundo, ac incorrupta, et inviolata perseverans Salvatorem mundi paritura erat. Accedit quadragesimus quartus Ierosolymorum Episcopus (*in lib. de Monachorum institutione*), quem b. Caprasio montis Carmeli priori scripsit, ubi in hunc modum loquitur: *Congregavit et nunc Elias filios prophetarum terrae sanctae diversorum Conventuum, et in voluntaria paupertate, obedientia, et castitate eos vivere instituit.* A cuius sententia non abhorrens doctor Hieronymus scribens ad Eustochium ait: *In veteri lege sola erat benedictio liberorum, quia vacuus erat mundus: paulatim vero crescente segete, messor metitus est et virgines: virgo namque Elias, virgo Elisaeus, virgines multi filii prophetarum.* Hinc collige, quanta sit Carmelitanae religionis celsitudo, cuius fundator omnes aliarum religionum institutores, vel ut novitios habuit, qui ab eo prima religiosae disciplinae elementa didicerunt, quae labentibus annis postea aliis tradiderunt. Denique in huius rei confirmationem produco Iosephum Antiochenum (*lib. de perfect. milit. prin. Eccles. cap.* 12) ita loquentem: *Prophetarum Christi militum, Apostolorum coadiutores succeverunt strenuissimi viri solitarii, contemplationi dediti, Eliae, et Elisaei sequaces, qui de monte Carmelo descendentes, per Galilaeam, Samariam, et Iudaeam fidem Christi constantissime sparserunt.* Ecce quomodo christianae militiae strenui iam milites effecti, ab iis montibus descenderunt, ut religiosae vitae magisteria praeberent.

Verum excellentiam Carmelitanae familiae hic sistere gradum minime putamus: etenim,

licet ex praeclaro parente originem ducat, clariorem multo nanciscitur matrem, Deiparam scilicet Virginem, quae multo illustriorem, ac celebriorem illam reddit. Unde Piliodorus (*lib. 1. cap.* 2) ait: *Tempore praedicationis Apostolorum sunt Carmelitae conversi ad Evangelicam perfectionem, atque humiles fidem Christi in primordiis nascentis Ecclesiae constantissime defenderunt, et praedicaverunt.* Ne autem quispiam in dubium revocet, huius sacrae Religionis alumnos, Eliae, et Elisaei successores, et descendentes esse, quamvis plures Sedis Apostolicae eius rei testes, mihi suffragantes, in medium producere possem, ut Sixtum Quintum, concedentem proprio motu huic religioni, officium de Elia, tanquam de vero eius patrono recitare, Iulium Secundum in bulla cuius initium est: *Ad sacrum Ordinem b. Mariae de monte Carmelo*, Gregorium XIII. in bulla, quae exorditur: *Ut laudes gloriosissimae Virginis Mariae:* nec non Ioannem XXII. qui omnes ab Elia, et Elisaeo, iure haereditario hanc sacram religionem originem ducere constanter affirmant, solius Sixti IV. tantum Pontificis Maximi felicis recordationis verba in bulla super hoc edita recitabo: *Dum attenta*, inquit, *meditatione pensamus, quod gloriosissima Dei Genitrix Virgo Maria produxit sacrum Ordinem b. Mariae de monte Carmelo, quem eiusdem Virginis Mariae speciali titulo voluit insigniri, ut ob eiusdem Virginis reverentiam Ordo ipse a Christi fidelibus peramplius veneraretur: at Ordinem ipsum, et eius singulares personas, uti ceteros regularium Ordinum professores in firmamento catholicae fidei militantes, tanquam religionis speculum, et exemplar speciali charitate fulgentes, sanctorumque prophetarum Eliae, Elisaei, Enoch, et aliorum sanctorum Patrum, qui montem sanctum Carmeli iuxta fontem Eliae habitarunt successionem haereditariam tenentes;* quam bullam totam referre cuperem ad praerogativam, ac sacri huius Ordinis excellentiam ostendendam; sed brevitatis causa, illa consulto praetereo, contentus dicere, Ordinem tanta matre, talique Domina cohonestatum, aequum esse appellare beatum: Beatus venter, qui te portavit, et ubera doctrinae, quae a Mariano ubere suxisti.

Postquam autem sacra haec religio a Summis Pontificibus confirmata, multisque privilegiis, ac Apostolicis praerogativis donata fuit, s. Pater Simon Stoch Anglus in Generalem istius Ordinis creatus, Christo Redemptori nostro, ac sacratissimae Virgini diligentissime inserviens, ut religio simul tota grata illi obsequia praestaret quoad poterat, satagebat: et quamvis non ignoraret, Ordinem hunc gratiis, et praerogativis Apostolicis, nec non perillustri titulo filiorum beatissimae Virginis ac Patris Eliae successorum, mirum in modum condecoratum esse; multis tamen lacrymis, et orationibus honorificum illum titulum ab ipsa Virgine religioni benigne concessum, peculiari aliquo stemmate confirmaret, quod velut sigillum pendens esset, literas patentes filiationis, quam eius fratribus dederat, constabiliens enixe ab ipsa Dei parente postulabat: oratio a Sancto solita recitari haec erat: *Flos Carmeli, vitis florigera, splendor coeli, Virgo puerpera, singularis mater, mitis, sed viri nescia, Carmelitis da privilegia, stella maris.* Haec quidem oratio sanctissimae Virgini adeo pergrata fuit, ut nocte quadam Sanctus intra suam cellam genuflexus orans, iubar quoddam coeleste, copiosumque angelorum coetum intueretur, in quorum medio sanctissima Virgo ei apparuit, quae scapulare quoddam manibus deferens, sic illum est alloquuta: *Dilectissime fili, hoc recipe tui Ordinis scapulare, meae confraternitatis signum, tibi, et cunctis Carmelitis privilegium, in quo quis moriens non aeternum patietur incendium: ecce signum salutis, salus in periculis, foedus pacis, et pacti sempiterni:* etenim ad eum modum, quo divinitus factum est, ut flavi, et albi colorum varietate Iacobi agni ab aliis discriminarentur; ita et filios huius religionis voluit beata Virgo ab aliis discerni flavo et albo indumento. Rei ergo illius mirandae fama, atque rumor totam illam regionem invasit, adeo ut iam videres neminem scapulari hoc, atque Virginis stemmate non insignitum, etiam et principes, inter quos recensentur Ludovicus Galliae, et Odoardus Angliae reges, Henricus Alcencastri dux, Henricus Notumbriae Comes, Angela Bohemiae regis filia, aliique permulti filii, et filiae regum, et principum qui die ac nocte scapulare gestabant: alii gravissimis aegritudinibus affecti, scapulare tangentes salvi evadebant.

Cupiens autem beatissima Virgo magis ac magis Ordinem hunc illustrare, praecipuisque gratiarum praerogativis sublimare, privilegium quoddam singulare a filio obtinuit: etenim, ut narratur in Bulla Ioan. XXII. quae incipit. *Sacratissimo uti culmine*, data Lugduni die 3. mensis Martii, eius Vicario in terris Ioanni XXII. Summo Pontifici b. Virgo apparuit, ei praecipiens, ut evulgaret Carmelitis fratribus, et omnibus cum illo scapulari sepulturae traditis, Purgatorii ergastulo detentis, meritis, et assiduis intercessionibus, piisque suffragiis, ac singulari eiusdem Virginis protectione, primo Sabbati, die ab ipsorum obitu adveniente, Purgatorii poenarum integram relaxationem dandam: eandem indulgentiam concesserunt Clemens VII. Gregorius XIII. (*in Bull. quae incip. ut laud.*), nec non Sixtus V. Gregorius XIV, et Clemens VIII. singularissima certe gratia, qua nulla alia religio potitur: quamvis enim seraphici nostri Patris s.Francisci habitum portantibus plenaria Indulgentia concedatur, eius tamen reliqui Mendicantium Ordines participes redduntur, eandemque Carmelitanae familiae concessit Clemens VII. felicis recordationis; gratia vero Sabbatinae Bullae propria est illius, et non aliis communis. Scapulare ergo hoc signum est futurae salutis, pignus vitae aeternae, ac symbolum foederis, seu pacti sempiterni argumentum: ut enim Deus (*Gen.* 17) pepigit olim cum Abraham foedus, signumque ei tribuens, inquit: *Hoc est pactum meum, quod servabitur inter me, et te, et semen tuum post te:* protestabatur ille Christum ex genere ab Abraham oriundum fore; modo autem Virgo signum praebet, quod se sacrae huius Religionis alumnos, matrem amantissimam protestatur Carmelitanos fratres in filios sibi adoptans.

Hodierna igitur die illustri adeo filiatione exornantur, adeoque percelebri titulo insigniuntur, ut ducum, marchionum, comitum, et principum omnium terrae honorificentissimos titulos longe praecellant. Quemadmodum autem, cum quis marchionatus titulo praefulgebat, si dux, vel princeps declaratur a rege, marchionis nomine suppresso, ducatus, seu principatus, honorificentiorem titulum assumit: non secus huius Ordinis fratribus licebat iam factitare, qui cum antea Fratres Carmelitae Eliae nominarentur, alium gloriosiorem a Virgine sibi donatum susceperunt, cum fratres Carmelitae Deiparae Virgini nuncupentur. Refert in idem argumentum Ioannes Trithemius, gravissimus auctor, Abbas ordinis s. Benedicti in libro quem conscripsit de laudibus Carmelitanae Religionis (*cap.* 7), paulo post Christi passionem, crescente per Iudaeam fide christiana, Fratres huius religionis, qui Carmelum Eliae, qui est in dioecesi Caesariensi, inter Iudaeam, et Phoeniciam aedificasse sacellum in illius montis latere, Mariae Virgini Dei Matri sacrum, quod a Palaestinis, Phoenicibus, Galilaeisque gentibus maxime fuit frequentatum, et in summa veneratione habitum, quod existimaretur primum in laudem Mariae Virginis erectum. Hanc capellam aedificavit Agabo, huius religionis alumnus, ut testatur Baptista Mantuanus in Parthenicis Mariae per varia carmina, quae et refert Thomas Carmelitanus (*lib. 1. antiqu. ord. Carm. cap.* 15):

Carmeli Patres adiit, tunc omnis eremi
Cura fuit penes hos, et coelibis otia vitae.
Moribus auxilium fractis habiturus ut altam
Se tulit in montis requiem, sylvasque silentes.
Per secreta tulit gressum spelaea, virumque
Vivendi coeleste genus miratus amorem
Imbibit immensum coeli, seque ipse perosus
Incola Carmeli vixit, tandemque volato
Tempore, cum magno fidei mysteria Paulo
Edidicit. Mariae primus cum Patribus aedem
Vertice Carmeli posuit, sociosque vocatos:
Ad Iordanis aquam lustralibus abluit undis
Cum Baptista novae iaceret primordia gentis;
Hispidus hirsutae villoso tegmine caprae.
Prothographus Lucas Agabum vocat, omnia multo
Ante videns animo fuit, etc.

Hoc autem sacellum, ut animadvertit Ioannes Patriarcha Hierosolymitanus (*in lib. de instit. Monach. cap.* 36), aedificatum fuit in loco, ubi antea erat sacellum sanctissimi et clarissimi Eliae, huius inclytae Religionis institutoris, et patroni: quae iniuriis temporum perierat. Fecerunt illius mentionem gravissimi auctores, praesertim Thomas Waldensis (*de sacram. tit. 9. cap.* 89), et doctissimus Navarrus (*in tract. de hor. Canon. cap.* 21. *numer.* 26. *et* 27), ubi adducit quosdam de hoc sacello eiusdem Mantuani versus, quos libuit huc transcribere:

In vidua deserta domo rerum indiga Virgo,
Coniuge defuncto, natoque in regna recepto,
Ducebat tristi vitam moerore iacentem.
Palladiae collum dederant cui nomina sylvae,
Et loca, quae curare magis quondam ille solebat
Assidue tanquam prolem visura petebat.

Et inferius:

Huc igitur, si quando quies, vacuumque negotii
Tempus erat, veniens, curas tenebat et ipsa
Maiestate loci large oblectata redibat.
Propterea montana viri spelaea colentes,
Audito illius fato, sublime sacellum
A priscis posuere iugis primi, atque quotannis
Sacra instaurantes, hymnos, et thura ferebant.

Deinde labentibus annis, ex multis huius religionis hostibus nonnulli hunc titulum invidentes, dicebant, hos religiosos nuncupandos non esse a Maria Virgine Christi matre, sed potius a Maria Ægyptiaca, quae post spurcissimam vitae obscoenitatem ad se tandem reversa, in monte Carmelo asperam duxit vitam, et maximam egit poenitentiam. Verum cum huius religionis Patres ad Honorium III. Summum Pontificem se contulissent, ab eo suppliciter postularunt, ut hunc honorificum titulum, quem malitiose nonnulli impugnabant, confirmaret: cum rem hanc discutiendam commisisset quibusdam curialibus, qui huius rei declarationem differebant, Maria Virgo sanctissima Summum Pontificem in somnis admonuit, ut negotium huius religionis absolveret, et ad exitum usque perduceret: *Nec est*, ait, *adversandum in his, dum iubeo, nec dissimulandum, dum promoveo.* Ut autem fidem adhiberet iis, quae dicebat, insinuavit duos ex curialibus huius religionis aemulos, Deo ultore, esse plexos dispari exitu, sed discessu pari. Unde a somno excitatus summus Pontifex, rem hanc cum Cardinalibus pertractans, regulam huius religionis confirmavit, et hunc honorificum titulum approbavit 3. Kalendas Februarii, anno 1216. ut refert Paleonydorus (*lib. 3. cap.* 5), in cuius victoriae de inimicis reportatae grati animi signum, institutum fuit hoc festum commemorationis beatae Mariae de monte Carmelo 16. Iulii; unde in oratione huius diei dicitur: *Deus, qui excellentissimae Virginis, et matris Mariae titulo humilem Ordinem tibi electum singulariter decorasti, et pro defensione eiusdem miracula suscitasti: concede propitius, ut cuius commemorationem devoti veneramur, etc.* quod in aliis aliarum horarum orationibus expresse etiam dicitur, ut patet ex breviario antiquissimo huius religionis. Hunc eundem titulum approbavit Urbanus Sextus, ea oblata occasione, quod progredientibus temporibus, quidam doctor, huius religionis aemulus, eandem iniuriam refricavit, publice dicens, huius religionis Patres a Maria Ægyptiaca, et non a Maria Virgine matre Dei appellandos esse; cumque in Universitate Cantabrigensi Claustro pleno decretum fuisset, hanc religionem habere in Advocatam matrem Christi Mariam, eique hunc honorificum titulum iure deberi, adhuc animus illius non quiescebat. Qua de causa huius religionis Patres adierunt Urbanum Sextum summum Pontificem, a quo hanc honorifici tituli confirmationem iterum impetrarunt.

Deinde cum divus Cyrillus Alexandrinus Carmelitanae religionis filius, Sedis Apostolicae Legatus a latere in Concilio Ephesino adversus

Nestorium haereticum, beatae Virginis Mariae sanctitatem, et maternitatem defenderit, eamque appellandam esse Theotocon, id est, Dei matrem, confirmarit, approbante Concilio, mirandum non est, si hac etiam ratione haec religio hunc sibi vindicarit titulum, id testante Paleonydoro (*lib.* 2. *cap.* 7). Imo si rem altius repetere liceat, inde crederem beatissimam Virginem Ordinem hunc speciali favore prosequutam fuisse, quod eum loco vicinum, tempore primum sibi, et filio in obsequium exortum recognosceret, et cum eius mater Anna, et avia eius Emerentiana maximo prosequerentur amore, ut gravissimi tradunt auctores, infra referendi, religiosos illos Carmeli, ab illis trahentem originem, qui montem Carmelum incolebant: imo de matre Emerentiana ferunt, in monte Carmelo fuisse illi revelatum, ex sua stirpe beatam Virginem nascituram, ut testatur Petrus Dorlanus Cartus. (*in vita sanctae Annae*), et Ascenius Vadius. Cum autem beatissima Virgo Nazareth inhabitaret, quae, teste Hieronymo, a Carmelo tribus tantum distat milliaribus, Carmelitas Carmelum incolentes, aliquando cum suis sodalibus visitabat, ob veterem loci sanctitatem, teste Armachano Hiberniae Primate, ut refert Ubaldensis (*de Sacrament. titul.* 9), cuius haec sunt verba: *Erat huius Ordinis soror, nomine Maria, quae dum de Nazareth in montana Carmeli conscendere statueret, pluries dixit filio suo, vadam, et narrabo nomen tuum fratribus meis, patris Eliae filius; et quid putas Ordo Carmeli responderit, utique illius sanctissimae Elisabeth verbum: Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? atque illud verbum institutoris Eliae: Mulier da mihi filium.* Eiusdem sententiae est Martinus Italus (*in suis Chronicis*): *Ad eos autem*, ait, *qui incunte tempore superioribus ex prophetis originem traxerunt, sanctam Dei Genitricem cum in humanis ageret, sicut matrem ad filios saepe numero venisse legimus; ad istiusmodi etiam viros, Christum cum discipulis quibusdam pervenisse didicimus;* cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA II.

Praeconia sacri Ordinis sanctae Mariae de Monte Carmelo prosequimur, a cavillis omnibus acerrime illam vindicantes, quibus quidam auctores iniuste eam lacerare ausi sunt.

Arbitror sane sacro Ordini Carmelitano persimile quidpiam, atque patriarchae Iosepho accidisse: etenim sicut Iacob patre eius tunicam polymitam ei soli prae ceteris aliis fratribus suis donante in pignus singularis amoris, quo illum prosequebatur, invidiae livore sancii eius fratres adversus eum excandescere coeperunt: sic enim ait sacer Textus (*Gen.* 37): *Videntes autem fratres eius, quod a patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidpiam pacifice loqui:* non dissimiliter, cum sanctissima Virgo in argumentum specialis dilectionis, qua erga Carmeliticum Ordinem aestuabat, tunicam polymitam scapularis dono dederit beato Simoni Stoch Anglo, carmelitici Ordinis priori generali, ut in eius officio legitur, et tradunt Paleonydorus (*lib.* 3. *cap.* 12), Ioan. Favent. et Philippus Macer. (*in vita s. Petri Thomae*): quidam huius favoris invidi, vel veritatis ignari, non possunt huic sacro Ordini, instar fratrum Ioseph, quidquam pacifice loqui. Celerum apertissime ipsos deceptos fuisse, quantum praesentis argumenti conditio patitur, luculenter commonstrabo: ut enim recte dixit Arist. (*lib.* 1. *Moral. cap.* 3): *Est enim eruditi catenus exactam in unoquoque genere explicationem requirere, quatenus pati rei ipsius natura potest: nam et mathematicum suasionibus utentem approbare, et ab oratore demonstrationes exigere simile vitium videtur.* Ut autem praesenti muneri satisfaciam, oppugnatorum tela debito ordine proponam pariter, et infringam: quia tamen inter omnes oppugnationes acrius Hieronymus Romanus (*in suo Defens.*) adversus hunc sacrum Ordinem invehitur, et quia prae intemperata cupidine illum expugnandi, nullum lapidem immotum reliquit, quo illum non impeteret, eius praecipue deliria manifeste aperiam, deinde aliorum obiecta diluam.

OBIECTIO I.

Primo ergo obiectat (*lib.* 2. *cap.* 8) sibi persuadere non posse, Eliam fuisse monachum, aut vitae monasticae institutorem, quia d. Hieronymus (*in vita s. Pauli Eremitae*), ubi de monachatu agit, nullam prorsus mentionem fecit monachorum Eliae: quod non alia ratione ait sibi videri ab eo omissum, nisi quia nullum talis monachatus vestigium repererat. Nec veretur addere nullum dari auctorem, praeter ipsos Carmelitas, qui affirment Eliam aliquem unquam religiosum Ordinem instituisse: oportuisset quidem illum legisse d. Hieronymum (*epist.* 13) dicentem: *Noster princeps Elias, noster Eliaeus, nostri Duces filii Prophetarum, qui habitabant in agris, et solitudinibus, et faciebant sibi tabernacula prope fluenta Iordanis.* Hos autem vere monachos fuisse sub Eliano instituto, testis est omni exceptione maior s. Isidor. (*l.* 8. *de offic. cap.* 9), ubi ait: *Unde ad monachos studium defluxit paupertatis, vel quis huius conversationis extitit auctor, cuius habitum imitentur? quantum attinet ad auctoritatem veterum Scripturarum, huius propositi princeps Elias, et discipuli eius Eliaeus fuerunt, sive filii prophetarum, qui habitabant in solitudine, urbibusque relictis, faciebant sibi casulas iuxta fluenta Iordanis.* Conspirant in idem Ioan. Cassian. (*libr.* 1. *de instit. renunc. cap.* 2) dum ait: *Itaque monachum, ut militem Christi accinctis lumbis, iugiter oportet incidere: hoc enim habitu etiam illos ambulasse, qui in veteri testamento professionis huius fundavere primordia, Eliam scilicet, et Elisaeum, divinarum Scripturarum auctoritate monstratur.* Deinde Ioannes XLIV. patriarcha Ierosolymitanus (*lib. de inst. Monach. cap.* 2) ita in hac parte clare loquitur, ut absque gravi protervia, negari non possit, Eliam monasticae vitae fuisse institutorem: verba eius sunt haec: *Hic propheta Dei Elias monachorum princeps primus extitit, a quo sancta eorum primaeva institutio sumpsit exordium: ipse enim obtentu contemplationis divinae, longe ab urbibus recedens, et seipsum cunctis terrenis exuens, religiosam, et prophetalem vitam eremiticam, primus hominum a proposito ducere coepit, quam, sancto dictante, et mandante Spiritu, inchoavit, et instituit.* Postea (*cap.* 19) ait: *Studuit Elias deinceps religionem, quam inchoaverat, in loco idoneo plantare: quare ad sui et suorum discipulorum iugem mansionem elegit prae aliis eremis Carmeli montem, tanquam commodiorem ad propheticam disciplinam, et vitam monasticam in eo docendam, et exercendam. Mons quippe praebet eremitae homini ex sua solitudine silentium, et quietem, ex suis antris congruam mansionem, ex suo saltu iucunditatem, ex eminenti situ aerem salubrem, ex suis herbis, et fructibus pastum uberem, et ex suo fonte aquae vivae haustum dulcem. Propter quae omnia Elias in monte isto non modo elegit habitare, verum etiam domum orationi consecratam, appellatam Seunion in eo aedificavit.* Ac tandem (*c.* 20) ait: *Ad continuam autem residentiam in Carmelo semper faciendam, Elias montem hunc devotiorem suis discipulis reddidit, non solum exemplo sui, qui ex tunc, quamdiu in hoc mundo mansit, scilicet per sexdecim annos, montem istum incoluit, sed quia prae ceteris eremis, in quibus habitavit, montem hunc quibusdam aliis miraculis specialiter insignivit.*

Trithemius Abbas de laudibus Carmelitarum, argumentum hoc latissime elucidans, apertissime ostendit, Eliam, et Elisaeum Carmelitanae religioni dedisse primordia, seriemque Ordinis contexit ab Elia, usque ad annum Domini 1220, quo tempore Carmelitani in Europam pervenerunt, omissis aliis, quae sparsim toto illo libro tradit, aliqua eius verba referam: ait enim (*cap.* 2): *Elias propheta Domini eximius recte, et catholice fundator Carmelitanae religionis dicitur, si eius facta ex voluminibus regum absque invidia discutiantur. Enim vero ipse montem Carmeli primus habitasse legitur, a quo fratres Carmelitae nominantur. Triplici autem ratione ostenditur, quod istius observantiae princeps Elias habeatur, a loco videlicet, ab habitu, et conversatione. Cum ergo nomen Ordinis a loco sumitur; merito Carmelitarum princeps Elias memoratur, quia mons Carmelus, cuius ille habitator extitit, huic Ordini vocabulum dedit. Non loquor vana, sed testimoniis Scripturarum comprobata profero, cum Eliam prophetam eundem locum longe ante Christi nativitatem habitasse dico, qui fratribus Carmelitis religionis suae nomen, et exordium dedit.*

Martyrologium Molani die 17. Iulii ita scribit: *In Arabia raptus s. Eliae prophetae Domini, et Carmelitanae religionis Patriarchae, qui tantam gratiam invenit coram Domino, ut verbis clauderet, et aperiret coelum.* Haec sane sufficiebant; sed maiora his apponam: nam d. Basilius (*in epist. ad Chil. Anachoret.*) ait: *Hic mons celeber Carmelus, in quo Elias demoratus, perplacuit Deo.* D. Gregor. Nazian. (*in orat. de pauper. amore*) sic loquitur: *Praeclara est solitudo, et vita ab hominum commercio semota; idque nunc docet Eliae Carmelus, et Ioannis desertum:* et infra subdit: *Ut ab omni negotio tranquille philosopharer, mecumque ipsum colloquium haberem, Eliae Carmelum cogitabam, Ioannisque desertum, ac coelestem eorum, qui hoc philosophiae genus profitentur, vitam.*

Denique id ipsum tradunt Volaterranus (*in Antropol. lib.* 21), dum ait: *Carmelitae a monte Carmelo, mora Eliae, et Elisaei nobilitata.* Gulielmus (*lib. contin. bell. sacr. cap.* 3): *Est Carmelus mons in Syria, mora tum aliorum prophetarum, quam Eliae, et Elisaei nobilis.* Polydorus Virgilius (*lib.* 3. *de invent. rer. cap.* 7), nec non Sabellicus (*lib.* 5. *Æneid.* 9), Theatrum Vitae humanae (*lib.* 3. *vol.* 21), eadem verba repetunt de mora Eliae in Carmelo. Nicephorus (*libr.* 8. *histor. cap.* 39), Sozomenus (*in tripart. lib.* 1. *cap.* 11), Galienus (*de orig. Monast. vit.*), Cardinalis Bellarminus (*lib.* 2. *Monach. cap.* 5), Canisius (*libr.* 1. *de corrupt. cap.* 2), Genebrardus (*lib.* 4. *Chron.*). Cum ergo tot antiqui, et sancti Patres, ac gravissimi auctores, unanimi consensu testentur, Eliam monasticae vitae institutorem fuisse, facile innotescit temeritas Hieronymi Romani, qui ausus est dicere, nullum auctorem praeter Carmelitas id unquam tradidisse.

Tandem illud singulare silentio non praetermittam, quod sapienter, et erudite Ioannes quadragesimus quartus patriarcha Ierosolymitanus (*lib. de Instit. Monach.*) Eliam monasticam vitam instituisse, colligit ex illis verbis (*Eccles.* 48): *Prophetas facis successores post te.* Etenim licet quidam interpretati sint haec verba ad Eliam dicta fuisse, eo quod ex mandato Dei (3. *Reg.* 19) Elisaeum unxit, et sui spiritus prophetici haeredem reliquit; germanus tamen sensus est, nomine Prophetarum non intelligi futura vaticinantes, sed Deum in hymnis, et canticis spiritualibus, ac musicis instrumentis laudantes, ut non obscure indicant verba illa (*Paralip.* 25): *David, et magistratus exercitus segregaverunt in ministerium filios Asaph, et Eman, et Idithum, qui prophetarent cum cytharis, psalteriis, et cymbalis secundum numerum suum, dedicato sibi officio servientes:* et post pauca: *Idithum in cythara prophetabat super omnes confitentes, et laudantes Deum.* Monachos ergo laudantes Deum vocat successores Eliae, cum ait: *Prophetas facis successores post te.*

OBIECTIO II.

Secundo, obiicit Hieronymus Romanus (*lib.* 2. *cap.* 11), quod varia itineraria legerit, ut Martini de Aumpies, Maguntiae Decani, et Arandae Franciscani, qui copiose terram sanctam describunt, dicentes: Hic sepultus fuit A-

UNIVERSIDAD DE NOMBRE DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Nestorium haereticum, beatae Virginis Mariae sanctitatem, et maternitatem defenderit, eamque appellandam esse Theotocon, id est, Dei matrem, confirmarit, approbante Concilio, mirandum non est, si hac etiam ratione haec religio hunc sibi vindicarit titulum, id testante Paleonydoro (*lib.* 2. *cap.* 7). Imo si rem altius repetere liceat, inde crederem beatissimam Virginem Ordinem hunc speciali favore prosequutam fuisse, quod eum loco vicinum, tempore primum sibi, et filio in obsequium exortum recognosceret, et cum eius mater Anna, et avia eius Emerentiana maximo prosequerentur amore, ut gravissimi tradunt auctores, infra referendi, religiosos illos Carmeli, ab illis trahentem originem, qui montem Carmelum incolebant: imo de matre Emerentiana ferunt, in monte Carmelo fuisse illi revelatum, ex sua stirpe beatam Virginem nascituram, ut testatur Petrus Dorlanus Cartus. (*in vita sanctae Annae*), et Ascenius Vadius. Cum autem beatissima Virgo Nazareth inhabitaret, quae, teste Hieronymo, a Carmelo tribus tantum distat milliaribus, Carmelitas Carmelum incolentes, aliquando cum suis sodalibus visitabat, ob veterem loci sanctitatem, teste Armachano Hiberniae Primate, ut refert Ubaldensis (*de Sacrament. titul.* 9), cuius haec sunt verba: *Erat huius Ordinis soror, nomine Maria, quae dum de Nazareth in montana Carmeli conscendere statueret, pluries dixit filio suo, vadam, et narrabo nomen tuum fratribus meis, patris Eliae filius; et quid putas Ordo Carmeli responderit, utique illius sanctissimae Elisabeth verbum: Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? atque illud verbum institutoris Eliae: Mulier da mihi filium.* Eiusdem sententiae est Martinus Italus (*in suis Chronicis*): *Ad eos autem*, ait, *qui incunte tempore superioribus ex prophetis originem traxerunt, sanctam Dei Genitricem cum in humanis ageret, sicut matrem ad filios saepe numero venisse legimus; ad istiusmodi etiam viros, Christum cum discipulis quibusdam pervenisse didicimus;* cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA II.

Praeconia sacri Ordinis sanctae Mariae de Monte Carmelo prosequimur, a cavillis omnibus acerrime illam vindicantes, quibus quidam auctores iniuste eam lacerare ausi sunt.

Arbitror sane sacro Ordini Carmelitano persimile quidpiam, atque patriarchae Iosepho accidisse: etenim sicut Iacob patre eius tunicam polymitam ei soli prae ceteris aliis fratribus suis donante in pignus singularis amoris, quo illum prosequebatur, invidiae livore sancii eius fratres adversus eum excandescere coeperunt: sic enim ait sacer Textus (*Gen.* 37): *Videntes autem fratres eius, quod a patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidpiam pacifice loqui:* non dissimiliter, cum sanctissima Virgo in argumentum specialis dilectionis, qua erga Carmeliticum Ordinem aestuabat, tunicam polymitam scapularis dono dederit beato Simoni Stoch Anglo, carmelitici Ordinis priori generali, ut in eius officio legitur, et tradunt Paleonydorus (*lib.* 3. *cap.* 12), Ioan. Favent. et Philippus Macer. (*in vita s. Petri Thomae*): quidam huius favoris invidi, vel veritatis ignari, non possunt huic sacro Ordini, instar fratrum Ioseph, quidquam pacifice loqui. Celerum apertissime ipsos deceptos fuisse, quantum praesentis argumenti conditio patitur, luculenter commonstrabo: ut enim recte dixit Arist. (*lib.* 1. *Moral. cap.* 3): *Est enim eruditi catenus exactam in unoquoque genere explicationem requirere, quatenus pati rei ipsius natura potest: nam et mathematicum suasionibus utentem approbare, et ab oratore demonstrationes exigere simile vitium videtur.* Ut autem praesenti muneri satisfaciam, oppugnatorum tela debito ordine proponam pariter, et infringam: quia tamen inter omnes oppugnationes acrius Hieronymus Romanus (*in suo Defens.*) adversus hunc sacrum Ordinem invehitur, et quia prae intemperata cupidine illum expugnandi, nullum lapidem immotum reliquit, quo illum non impeteret, eius praecipue deliria manifeste aperiam, deinde aliorum obiecta diluam.

OBIECTIO I.

Primo ergo obiectat (*lib.* 2. *cap.* 8) sibi persuadere non posse, Eliam fuisse monachum, aut vitae monasticae institutorem, quia d. Hieronymus (*in vita s. Pauli Eremitae*), ubi de monachatu agit, nullam prorsus mentionem fecit monachorum Eliae: quod non alia ratione ait sibi videri ab eo omissum, nisi quia nullum talis monachatus vestigium repererat. Nec veretur addere nullum dari auctorem, praeter ipsos Carmelitas, qui affirment Eliam aliquem unquam religiosum Ordinem instituisse: oportuisset quidem illum legisse d. Hieronymum (*epist.* 13) dicentem: *Noster princeps Elias, noster Eliaeus, nostri Duces filii Prophetarum, qui habitabant in agris, et solitudinibus, et faciebant sibi tabernacula prope fluenta Iordanis.* Hos autem vere monachos fuisse sub Eliano instituto, testis est omni exceptione maior s. Isidor. (*l.* 8. *de offic. cap.* 9), ubi ait: *Unde ad monachos studium defluxit paupertatis, vel quis huius conversationis extitit auctor, cuius habitum imitentur? quantum attinet ad auctoritatem veterum Scripturarum, huius propositi princeps Elias, et discipuli eius Eliaeus fuerunt, sive filii prophetarum, qui habitabant in solitudine, urbibusque relictis, faciebant sibi casulas iuxta fluenta Iordanis.* Conspirant in idem Ioan. Cassian. (*libr.* 1. *de instit. renunc. cap.* 2) dum ait: *Itaque monachum, ut militem Christi accinctis lumbis, iugiter oportet incidere: hoc enim habitu etiam illos ambulasse, qui in veteri testamento professionis huius fundavere primordia, Eliam scilicet, et Elisaeum, divinarum Scripturarum auctoritate monstratur.* Deinde Ioannes XLIV. patriarcha Ierosolymitanus (*lib. de inst. Monach. cap.* 2) ita in hac parte clare loquitur, ut absque gravi protervia, negari non possit, Eliam monasticae vitae fuisse institutorem: verba eius sunt haec: *Hic propheta Dei Elias monachorum princeps primus extitit, a quo sancta eorum primaeva institutio sumpsit exordium: ipse enim obtentu contemplationis divinae, longe ab urbibus recedens, et seipsum cunctis terrenis exuens, religiosam, et prophetalem vitam eremiticam, primus hominum a proposito ducere coepit, quam, sancto dictante, et mandante Spiritu, inchoavit, et instituit.* Postea (*cap.* 19) ait: *Studuit Elias deinceps religionem, quam inchoaverat, in loco idoneo plantare: quare ad sui et suorum discipulorum iugem mansionem elegit prae aliis eremis Carmeli montem, tanquam commodiorem ad propheticam disciplinam, et vitam monasticam in eo docendam, et exercendam. Mons quippe praebet eremitae homini ex sua solitudine silentium, et quietem, ex suis antris congruam mansionem, ex suo saltu iucunditatem, ex eminenti situ aerem salubrem, ex suis herbis, et fructibus pastum uberem, et ex suo fonte aquae vivae haustum dulcem. Propter quae omnia Elias in monte isto non modo elegit habitare, verum etiam domum orationi consecratam, appellatam Seunion in eo aedificavit.* Ac tandem (*c.* 20) ait: *Ad continuam autem residentiam in Carmelo semper faciendam, Elias montem hunc devotiorem suis discipulis reddidit, non solum exemplo sui, qui ex tunc, quamdiu in hoc mundo mansit, scilicet per sexdecim annos, montem istum incoluit, sed quia prae ceteris eremis, in quibus habitavit, montem hunc quibusdam aliis miraculis specialiter insignivit.*

Trithemius Abbas de laudibus Carmelitarum, argumentum hoc latissime elucidans, apertissime ostendit, Eliam, et Elisaeum Carmelitanae religioni dedisse primordia, seriemque Ordinis contexit ab Elia, usque ad annum Domini 1220, quo tempore Carmelitani in Europam pervenerunt, omissis aliis, quae sparsim toto illo libro tradit, aliqua eius verba referam: ait enim (*cap.* 2): *Elias propheta Domini eximius recte, et catholice fundator Carmelitanae religionis dicitur, si eius facta ex voluminibus regum absque invidia discutiantur. Enim vero ipse montem Carmeli primus habitasse legitur, a quo fratres Carmelitae nominantur. Triplici autem ratione ostenditur, quod istius observantiae princeps Elias habeatur, a loco videlicet, ab habitu, et conversatione. Cum ergo nomen Ordinis a loco sumitur; merito Carmelitarum princeps Elias memoratur, quia mons Carmelus, cuius ille habitator extitit, huic Ordini vocabulum dedit. Non loquor vana, sed testimoniis Scripturarum comprobata profero, cum Eliam prophetam eundem locum longe ante Christi nativitatem habitasse dico, qui fratribus Carmelitis religionis suae nomen, et exordium dedit.*

Martyrologium Molani die 17. Iulii ita scribit: *In Arabia raptus s. Eliae prophetae Domini, et Carmelitanae religionis Patriarchae, qui tantam gratiam invenit coram Domino, ut verbis clauderet, et aperiret coelum.* Haec sane sufficiebant; sed maiora his apponam: nam d. Basilius (*in epist. ad Chil. Anachoret.*) ait: *Hic mons celeber Carmelus, in quo Elias demoratus, perplacuit Deo.* D. Gregor. Nazian. (*in orat. de pauper. amore*) sic loquitur: *Praeclara est solitudo, et vita ab hominum commercio semota; idque nunc docet Eliae Carmelus, et Ioannis desertum:* et infra subdit: *Ut ab omni negotio tranquille philosopharer, mecumque ipsum colloquium haberem, Eliae Carmelum cogitabam, Ioannisque desertum, ac coelestem eorum, qui hoc philosophiae genus profitentur, vitam.*

Denique id ipsum tradunt Volaterranus (*in Antropol. lib.* 21), dum ait: *Carmelitae a monte Carmelo, mora Eliae, et Elisaei nobilitata.* Gulielmus (*lib. contin. bell. sacr. cap.* 3): *Est Carmelus mons in Syria, mora tum aliorum prophetarum, quam Eliae, et Elisaei nobilis.* Polydorus Virgilius (*lib.* 3. *de invent. rer. cap.* 7), nec non Sabellicus (*lib.* 5. *Æneid.* 9), Theatrum Vitae humanae (*lib.* 3. *vol.* 21), eadem verba repetunt de mora Eliae in Carmelo. Nicephorus (*libr.* 8. *histor. cap.* 39), Sozomenus (*in tripart. lib.* 1. *cap.* 11), Galienus (*de orig. Monast. vit.*), Cardinalis Bellarminus (*lib.* 2. *Monach. cap.* 5), Canisius (*libr.* 1. *de corrupt. cap.* 2), Genebrardus (*lib.* 4. *Chron.*). Cum ergo tot antiqui, et sancti Patres, ac gravissimi auctores, unanimi consensu testentur, Eliam monasticae vitae institutorem fuisse, facile innotescit temeritas Hieronymi Romani, qui ausus est dicere, nullum auctorem praeter Carmelitas id unquam tradidisse.

Tandem illud singulare silentio non praetermittam, quod sapienter, et erudite Ioannes quadragesimus quartus patriarcha Ierosolymitanus (*lib. de Instit. Monach.*) Eliam monasticam vitam instituisse, colligit ex illis verbis (*Eccles.* 48): *Prophetas facis successores post te.* Etenim licet quidam interpretati sint haec verba ad Eliam dicta fuisse, eo quod ex mandato Dei (3. *Reg.* 19) Elisaeum unxit, et sui spiritus prophetici haeredem reliquit; germanus tamen sensus est, nomine Prophetarum non intelligi futura vaticinantes, sed Deum in hymnis, et canticis spiritualibus, ac musicis instrumentis laudantes, ut non obscure indicant verba illa (*Paralip.* 25): *David, et magistratus exercitus segregaverunt in ministerium filios Asaph, et Eman, et Idithum, qui prophetarent cum cytharis, psalteriis, et cymbalis secundum numerum suum, dedicato sibi officio servientes:* et post pauca: *Idithum in cythara prophetabat super omnes confitentes, et laudantes Deum.* Monachos ergo laudantes Deum vocat successores Eliae, cum ait: *Prophetas facis successores post te.*

OBIECTIO II.

Secundo, obiicit Hieronymus Romanus (*lib.* 2. *cap.* 11), quod varia itineraria legerit, ut Martini de Aumpies, Maguntiae Decani, et Arandae Franciscani, qui copiose terram sanctam describunt, dicentes: Hic sepultus fuit A-

UNIVERSIDAD DE NOMBRE DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

braham, hic s. Anna, ibi situm erat monasterium sancti Hieronymi; nunquam tamen locum signant, in quo Elias moratus fuerat. Sed plane ad pauca illa respiciens, paralogizatus est: nam in primis Nicephorus Callistus (*libr. 8. hist. Eccles. cap.* 30), loqueus de Helena loca sancta visitante sic ait: *Deinde ad sacrum Iordanem conversa, circa speluncam, ubi olim domicilium Baptista habuit, perpulchram aedem illi erexit, aliamque ad summitatem montis Eliae Thesbytae.* Deinde Adricomius (*in Theatr. terr. Sanct. in trib. Issachar. numer.* 19) haec verba habet: *In hoc monte in pede montis Orientali, ait auctor itinerarii Gisthelae, spelunca est, et fons, ubi habitavit Elias, et Elisaeus, et filii prophetarum: postea habitaverunt ibi fratres Carmelitae, unde et originem, et nomen habent:* et infra paucis interiectis subdit: *Ex Coipha ad leucam unam, via, quae ducit ad Castrum peregrinorum, per ascensum montis Carmeli, fere dimidia leuca, est spelunca Eliae, in qua latuit fugiens a facie Iezabel, in cuius ostio visionem grandem vidit spiritus, et ignis, ut legimus* (3. *Reg.* 19): *Illic est fons, ubi prophetarum filii habitabant, nunc autem inhabitant fratres Ordinis Carmelitarum, fuitque cum eis ibidem.*

OBIECTIO III.

Tertio, obiicit Hieronymus Romanus (*lib.* 2. *cap.* 9) manifestum esse, Eliam non habuisse congregationem aliquorum discipulorum, cum nunquam habuerit, nisi solum duos, nimirum Elisaeum, et Ionam prophetam, filium viduae Sareptanae; imo inferius falsum affirmat, hunc Ionam discipulum eius fuisse. Sed pugnat cum s. Epiphanio, qui loquens de Abdia in vita eius, affirmat discipulum Eliae fuisse, dicens: *Hic est Vates, qui ter semicenturionem egit, cuique paruit Elias Thesbytes: post haec regiae ordinationis desertor adhaesit divinator Eliae, et factus est discipulus eius.* Pugnat etiam cum s. Dorotheo (*in Synops. Proph.*), ubi de Abdia sermonem instituens, ait: *Iste Abdias erat de terra Sichem: fuit discipulus Eliae.* Pugnat cum Ioanne quadragesimo quarto patriarcha Ierosolymitano (*de instit. Monachor. cap.* 23) haec scribente: *Prius quam Elias ab hoc mundo transferretur, fuit ei cura monachos discipulos suos filios prophetarum sigillatim visitare, et de patre idoneo eis providere: propter quod descendentes ipse, et Elisaeus de monte Carmelo, venerunt ambo in Calgola, deinde in Bethel, et deinde in Iericho. Nam sicut praediximus, in his locis habitabant viri religiosi, filii prophetarum, Eliae discipuli.*

OBIECTIO IV.

Quarto, obiicit (*cap.* 8) Hieronymus Romanus, in monte Carmelo non fuisse religiosos aliquos Ordinis Carmelitarum, sed solitarios quosdam, qui nulla ratione monachi erant, cum non viverent sub disciplina alicuius religionis approbatae. Hoc sane puerile cavillum est, cum constet, institutum monasticum ante Concilium Lateranense non indiguisse speciali summi Pontificis approbatione, sed sufficesse illam, qua ipsi Pontifices, atque s. Concilia monachismum approbarant. Hinc nemo facile ostenderit, ante Innocentium III, institutum s. Antonii, Basilii, Hieronymi, Benedicti, atque aliorum antiquorum ab ullo Pontifice speciale obtinuisse approbationem. At vero cum quidam amantes, quae sua sunt, et non quae Iesu Christi, hac indulgentia abuterentur, providentibus dicto Innocentio (*cap. fin. de relig. dom.*), et Gregorio X. (*cap. unic. de relig. dom. in* 6), coepit esse necessarium, quod antea erat liberum.

OBIECTIO V.

Quinto, deinde idem Hieronymus Romanus (*lib.* 6), quem vocat de republica (*cap.* 10) ait, religionem Carmelitarum non habuisse primordia ab Elia, et eius successoribus in monte Carmelo, sed anno 796. tempore Papae Leonis III. accepisse quandam regulam ex approbatis ab Ecclesia, Basilii scilicet, Augustini, aut Benedicti: (*cap. ver.* 8. *supracit.*) sui defensoris ad magis expugnandam antiquitatem huius sacrae religionis subiungit in nullo Concilio eorum, quae in Graecia celebrata fuere, mentionem aliquam fieri Carmelitarum, cum alioquin non semel mentio fiat monachorum Syriae, Hierosolymae, et Graeciae; sed et in hoc etiam, sicut in reliquis mendacissime loquitur; nam praeter quam quod argumentum ab auctoritate negativa nullius roboris est; certe in Concilio Constantinopolitano varii praelati huius Ordinis convenerunt, quorum in eadem Synodo fit mentio, et nominatim prioris montis Carmeli; unde in subscriptionibus illorum Patrum specialiter habentur hae duae: prima, *Theotistus Dei misericordia presbyter, et prior monasterii sanctae et gloriosae Dei genitricis semper Virginis Mariae.* Constat autem tunc in Palaestina nullum templum sacrum fuisse, nisi Virgini de monte Carmelo: unde in secunda subscriptione haec verba habentur: *Syllas Dei misericordia presbyter, et prior monasterii Eliae.*

Ceterum, ut clarius innotescat delirium huius hominis, et omnium, qui eius sententiae adhaerent, aperissime commonstrabo institutam ab Elia religionem usque ad nostra tempora perdurare sub tutela b. Mariae de monte Carmelo, quam Ordo Carmelitarum, qui nunc mirifice viget in Ecclesia, profitetur: id in primis probat testimonium divi Cyrilli Ordinis Carmelitarum viri sanctissimi, qui libro ad Eusebium Eremitam montis Naerei ex professo hanc partem docens, sic loquitur: *Illo itaque in tempore quamvis pauci, veruntamen probatissimi monachi nostrae religionis demissis mansionibus, quas habebant in urbibus, et villis, hunc Carmeli montem non deserentes, iugiter in eo, et quibusdam aliis eremis terrae sanctae permanserunt sub disciplina monasticae vitae eremiticae per Eliam prophetam institutae.*

Secundo adest testimonium abbatis Trithemii in hoc genere argumenti diligentissimi historiographi: hic enim de laudibus Carmelitarum (*cap.* 2) haec scribit: *Consentit ergo nomen loci, ut Elias sit fundator Ordinis Carmelitici. Unde non sunt vituperandi fratres huius sacratae religionis, quod Eliam, et filios prophetarum sui Ordinis fundatores, et principes asseverant.* Idem etiam Trithemius (*cap.* 3) inquit: *Isti sunt viri fortes, atque prudentes, qui monasticae conversationis fundamenta iecerunt, qui post Eliam montem Carmeli inhabitantem, se habitu, et conversatione Deo dignos exhibuerunt. Ab his Ordo Carmelitarum initium sumpsit, et vocabulum: ipsi enim Ordinis Carmelitici conversationem legis tempore servaverunt, a quibus nostri Carmelitae nomen acceperunt, et ordinem.* Idem similiter Trithemius de laudibus Carmelitarum (*cap.* 2) ait: *A tempore siquidem Eliae, et Elisaei prophetarum Dei usque ad Christi nativitatem, plures montem Carmeli amore solitudinis incoluerunt, sicut ex veterum historiis aperte demonstratur. Nam post passionem Domini, praedicantibus fidem Apostolis, inter multos, qui tunc convertebantur, etiam Carmeli montis eremitae conversi sunt, qui deinde crescente numero fidelium, in Carmeli montis latere, in honorem Dei genitricis, et Virginis Mariae, capellam extruxerunt. Unde et vocabulum loci, et religionis recipere meruerunt. Nec mireris, si Monachos etiam ante Christi nativitatem in Israel fuisse dixerim, qui montem Carmeli, et deserta solitudinis inhabitarunt.*

Tertio, extat testimonium Ioseph Antiocheni (*in spec. perf. milit. Eccles. primit. cap.* 12), ubi inquit: *Perfectorum militum Christi, id est, Apostolorum, coadiutores surrexerunt strenuissimi viri solitarii, contemplationique dediti, sanctorum prophetarum Eliae, et Elisaei imitatores, qui de monte Carmelo descendentes per Galilaeam, Samariam, et Palaestinam, fidem Christi constantissime sparserunt, quique in Virginis Mariae honorem in Carmeli montis declivio fabricantes oratorium Salvatoris Matri specialissime servierunt.*

Quarto, produco testimonium Eraldi Carthusiensis, qui in fasciculo temporum, in descriptione anni 1294, sic ait: *Nobilissima civitas Acconis a Sarracenis destruitur, ac demum Deiparae Mariae in Carmelo monasterium, ad quatuor milliaria civitati vicinum, ab eis igne crematur, fratribus in eo degentibus, perfidorum gladiis trucidatis. Et tunc, proh dolor, Ordo Carmelitarum melliflum locum ex toto perditum, in quo ab Eliae, et Elisaei prophetarum tempore duobus millibus ducentis, et viginti uno annis perstiterant.* Idem anno 300. a creatione mundi ante Christi ortum annis 923. sic ait: *Elias propheta, Auriga Israel, et origo religionis Carmelitanae Elisaeo vivente rapitur.* Idem circa annum Domini 450. ita loquutus est: *Elisaei prophetae, Carmelitanae religionis primi post Eliam patris, et Patre Sigiberto, Gemmoblatense teste, ossa transferuntur de Samaria in Palaestinam.*

Quinto, accedit Thomae Waldensis testimonium, cuius auctoritas, et doctrina apud catholicos vires laudatur, et ab haereticis valde timetur: hic scribens adversus suae aetatis fidei oppugnatores, praecipue adversus Wicleph, (*de sacramentalibus tit.* 9. *cap.* 89), late ostendit Carmelitas ab Elia, et Elisaeo institutos, a quibus monasticam professionem emanasse probat; atque adeo eandem esse hanc religionem Carmelitarum cum illa, quae incepit in monte Carmelo ab Elia.

Sexto, extant literae Episcoporum terrae sanctae, Illustrissimi Nichosiensis Archiepiscopi, Episcopi Ebronensis, venerabilis patris Domini patriarchae Hierosolymitani vicarii, Guilielmi Tyberiadensis Episcopi ad Papam Bonifacium Octavum ex Accone anno Domini 1282, die 23. Mensis Septembris datae: similiter patris Nicolai Longini magistri domus hospitalis s. Ioannis Hierosolymitani, et Guilielmi de bello, loco magistri militum templi ad eundem Pontificem anno Domini 1284, 12. Mensis Iulii, quibus ex certa scientia declarant, Ordinem Carmelitarum in terra sancta, sive Palaestina extitisse, a tempore cuius non extat memoria, ut latius videre est apud Thomam Waldensem (*tom.* 3. *tit.* 9. *cap.* 89. *de sacramental.*), ubi istius Ordinis fundatorem, et patriarcham esse sanctum prophetam Eliam, adversus obtrectatores Wicleph defendit. Praeter haec iam olim anno Domini 1374, indict. 13, Pontific. Gregorii XI. Ioanne de Donelhico celeberrimae olim universitatis Cantabricensis cancellario, et praesentibus aliorum Ordinum doctoribus, Rogero de Falesley Ordinis Eremitarum sancti Augustini, Ioanne Barnebach Ordinis fratrum Minorum, et aliis multis artium, iuris, et sacrae theologiae magistris, ac doctoribus, prout in literis eiusdem cancellarii, atque notarii, publico instrumento ea de re confecto, latius continetur, celebre decretum editum fuit in favorem huius veritatis: cum enim tempore Gregorii XI. Ordinis Adversarii eius antiquitati detraherent, irriderentque, Carmelitas vero Eliae successores appellari, visis, ac examinatis eorum adversariorum rationibus, academia universa decrevit, Carmelitas non solum Eliae, et Elisaei imitatores, sed potius veros, ac legitimos successores eius fore appellandos; et quamvis academiae decretum Gregorius XI. confirmaverit, impiissimus tamen haereticus Wicleph adversariorum factionem denuo excitavit, et contra Carmelitanum Ordinem, eiusque antiquitatem invehi coepit; sed contra illum eius verba referens insurrexit Waldensis (*in l. de sacram. tit.* 9. *cap.* 89), probans Carmelitici Ordinis antiquitatem, haereditariamque ab Elia successionem, cuius opera postea fuerunt approbata a Martino V. qui ex decreto Cardinalium in bulla, quae incipit: *Placuit nobis*, illa confirmavit.

Septimo, accedit Richardus Armach. Archiepiscopus Hibernus, qui in quodam sermone habito in festo conceptionis beatae Mariae, Avinione coram conclavi Cardinalium, cuius initium est: *Ave Maria*, praemissis aliis, sic inquit: *Quoniam, ut dicunt, fide dignae historiae, a tempore Eliae, et Elisaei prophetarum, qui*

saepius morabantur in Carmelo, iuxta civitatem Dominae nostrae Nazareth, ad tria milliaria, secretius solebant homines inhabitare devoti usque ad tempora Salvatoris, et tunc Eremitae, scilicet Carmelitae, praedicantibus Apostolis, in fide solidati, in latere uno montis ipsius Ecclesiam primo construxerunt in honorem b. Mariae Virginis illo in loco, in quo didicerant, ipsam cum aliis sodalibus in vitae sua saepius morum traxisse, et ob hoc nimirum inter alios religiosos Dominae nostrae sunt adscripti, ut vocarentur fratres beatae Mariae de monte Carmelo, qui insuper in principio nascentis Ecclesiae, in partibus illis praedicando Evangelium, solidissime laborarunt. Igitur gaudet prae ceteris Ordinibus, antiquitatibus, honore; hactenus ille. Hoc testimonium iisdem verbis refert magister Bervius Anglicus, et Paleonydorus (*cap. 1. pri. lib.*), Waldensis (*de sacram. tit. 9. cap. 8*), et Navarrus (*de horis Canonic. cap. 21. nu. 27*), illud vero in hoc Armachani testimonio notatione dignum est, illum non ex suo marte, ut de tanto viro credi debet, aut ex apocriphis, minus quam veris historiis, sed ex fide digni id sumpsisse.

Octavo, Clithoveus theologus insignis in sermone habito in comitiis provincialibus Carmelitarum, qui habetur inter conciones sanctorum, ab ipso edilas, paulo post initium ita ait: *Animadvertere non est indignum, Carmelitani Ordinis exordium ob tria praecipue excellentiam quandam habere. Primo, quia ante institutionem praecognitum est divino nutu, et revelatum: memoriae enim proditum est, ut scholastica refert historia, Eliam Thesbytem de tribu Aaron progenitum, primum religionis huius fuisse auctorem:* et infra: *At hi, qui primum Carmelitano Ordini praestiterunt originem, ut Elias, et Elisaeus, ex Iudaeis nati sunt, qui vero ceteris religionibus iecerunt fundamenta, ex gentibus progeniti sunt. Constat itaque antiquiorem Carmelitanae religionis, quam aliorum Ordinum esse originem, et ratione exordii ceteris praestare;* haec Clithoveus.

Nono, id confirmat Philippus Hieropolitanus Abbas apud Paleonydorum (*lib. 2. cap. 1*), ubi de antiquitate Ordinis Carmelitani his verbis meminit: *O Carmelitarum religio, quam magna facta es in domo Domini? Nunquid ne olim a modico fonte Eliae Dei prophetae principium habuisti? et ecce nunc in magnum fluvium crevisti: tu olim plantata in eremo, nunc facta es civitas plena populo; tu fundatorem habes adhuc in paradiso viventem, et gloriosam Virginem Mariam Reginam coeli, Dominam mundi in patronam singularem; sicut enim de te olim processerunt patriarchae, et prophetae, sic nunc de te procedunt sacerdotes et levitae, doctores et evangelistae, qui patres patroni omnium religiosorum facti sunt;* haec ille.

Decimo, testimonium affero Genebrardi nostri temporis diligentissimi Historiographi, qui, ut doceat Carmelitas ab Elia prophela initium sumpsisse, reiicit Polydori sententiam, qui Aymerici tempore censebat Ordinem hunc incepisse, verba Genebrardi referam: *Ordo Carmelitarum, qui tunc variegata clamyde induebatur, initium habuit in desertis Syriae, Aymerici Antiocheni Antistitis opera, ut refert Polydorus Virgilius (lib. 7. de invent. rer. cap. 3); sed eorum origo altius repetenda est: nempe a prophetis Elia, et Elisaeo, qui Carmelum montem terrae sanctae primi consecrarunt, et discipulos ibi reliquerunt, quos Scriptura filios prophetarum appellat: in Europam eum postea adduxit Albertus patriarcha Hierosolymitanus: primi sunt Mendicantium;* haec ille. Cuius vir quanta sit in conscribendis historiis auctoritas apud omnes praecipue viros doctos, ita notum est, ut eius testimonio secure possimus acquiescere.

Ne autem in recensendis doctorum testimoniis prolixior videar, quam par est, contentus ero doctorum nomina solum indicare. Hi sunt Petrus Thomasius, b. Ioannes Loretha, Michael, et Gerardus de Bononia, Ioannes de Baccone, Tho. Beauxamis, Richar. de Carmelitis agentes, Rodul. (*in ser. de concep. b. Virg.*), quem habuit in conventu Avenionensi coram venerabili coetu S. R. E. Cardinalium, Vincent. Rolevinck Carthus. in fasciculo temporum, qui extat inter antiquitates Germaniae, Carolus Fernandus, et Ioann. Trithem. uterque (*distincto lib. de laud. Carmelitarum*), Gulielmus Cysengreimensis (*centur. 1. tract. de coelibatu, et Monachis*), Antonius Abbas Vercellens. (*com. suo ad 7. Cant. Canticorum*), Philippus Abbas Hieropolit. (*ad illa verba Ioa. 1. Miserunt Iudaei*), Ferdinandus de Castillo (*hist. suae Dominicanae part. 1. lib. 2. cap. 65*), Iudocus Badius (*in Part. 1. lib. 2. Mantuani*), Clichtoveus (*in orat. ad Carmelitas adducens suffragatores*), Iosephum Antiochenum, Ioannem Hierosolymitanum, et historiam scholasticam, Gulielmus Postellus (*lib. de universitate tit. de Syria*), Ioannes Molanus in Martyrologio, partim ad diem 17. Iunii, vocans Eliam Carmelitanum Patriarcham, partim ad diem 17. Octobr. adscribens Eutichium, qui tertio Christi saeculo, aut, ut alii distinguunt, quarto, floruit magnae sanctitatis virum Ordini Carmelitano, similiter ad 12. Ianuar. Ioannem Hierosolymitanum iuniorem, Paulus Morigia Ordinis Iesuitorum (*de orig. religionum cap. 30*), Ioannes Bonifacius (*histor. virgin. lib. 2. cap. 1*), Baptista a Glano Ordinis s. Augustini in historia Pontificali in vita Deodati, huius nominis primi, ad annum 615, et in Honorio III. ad annum 1216. Ioannes Baptista, Confertius Florentinus in summario privilegiorum fratrum Mendicantium.

Undecimo, eandem veritatem constabiliunt sacrorum Pontificum oracula: etenim Sixtus IV. in bulla, quae incipit: *Dum attenta meditatione pensamus*, data Romae anno 1477, sic ait: *Ordinem ipsum, ac illius personas, sub Sedis Apostolicae, et Ecclesiae Romanae protectione immediate existentes, et inter ceteros regularium Ordinum professores in firmamento catholicae fidei militantes, tanquam religionis speculum, et exemplar, speciali charitate fulgentes, sanctorumque prophetarum Eliae, Elisaei, et aliorum patrum, qui montem sanctum Carmeli iuxta Eliae fontem habitarunt, successionem haereditariam tenentes, fructus quoque etc.* Hactenus Sixtus IV. Fere idem repetunt Ioannes XXII. Iulius III. Pius V. Gregorius XIII. Sixtus V. Pontifices Maximi, qui in bullis, Ordini Carmelitano concessis, eodem fere verborum tenore utuntur, imo et novissime Clemens Octavus in bulla novae Discalceatorum reformationis constitutiones confirmavit, successionem hanc haereditariam ab Elia prophela eos habere declaravit, ut videre est in initio illarum constitutionum. Quamvis autem praedictorum Pontificum testimonia non id tradant, tanquam rem fide divina credendam; infra limites tamen humani testimonii nullum maius, aut firmius proferri potest, quam tot Summorum Pontificum testificatio.

Duodecimo, insignis poetae Mantuani testimonium in eclogis appono: praeclara ille haec carmina cecinit, quibus singularia, ac varia Carmelitici Ordinis praeconia complexus est:

Bembo genus nostrum, generisque exordia dicam.
Venimus Assyriis, ut candidus inquit, ab oris
Est pater Elias nobis, qui sustulit armis
Pastorum genus omne malum, qui traxit Olympo
Flammigeros ignes, quia ascendit in aethera curru,
Pastores alii quotquot per rura vagantur,
Omnia sunt rivi nostris de fontibus orti.
Nos dedimus leges pascendi, ostendimus artem:
Nos radix, alii rami, sed nos quoque rami
A veteri radice patrum iam aetate caduci,
Tradidit Elias certam pastoribus artem.

Idem etiam auctor (*lib. 3. Parthen.*) haec subdit:

Mons patrum pietate sacer, lateque priorum
Inclytus hospitio vatum; nam dicitur illinc
Discipulo ambustam iaciens ex aere vestem,
Elias ardenti coelum petiisse volatu.
Illinc perpetuis, ceu missi a fontibus amnes
Religio, et sacri fluxit reverentia cultus.
Quicquid habent alii montes pietatis ab isto
Ducitur: hac una plures e vite racemi
Diffusi late terras, atque aequora complent.
Hinc Carthusiacis aeterna claustris,
Hinc varias Benedictus oves collegit; ab isto
Cannabe nodosa tunicas arcere fluentes,
Lignipedes didicere viri, quibus arva colebant,
Invia, et assidno terras ardore calentes:
Et quos Cyriacus de littore vexit Ibero,
Hinc orti sanctum, et summo genus ordine dignum,
Hinc nostri venere Patres.

Accedit quod Ioannes Iustinianus, Ordinis Praedicatorum ex chronicis Tolosanis, refert, cuidam Episcopo Carmelitano dubitanti, an liceret celebrare festum cuiusdam honestae foeminae, nomine Susanna, apparuit ei Daniel propheta, qui certum illum reddidit de Susannae sanctitate; postea vero interrogavit ipsum Danielem, qua ratione apparuisset illi monachali habitu indutus, et ille respondit haec verba: Omnes fere prophetae huius religionis filii fuimus a tempore Samuelis.

Ultimo idipsum ostendo ex variis rationibus, quas nemo absque temeritate inficiari poterit. Etenim, ut refert d. Hieron. (*in epist. ad Paulin.*): *Habet unumquodque propositum, sive institutum principes suos.* Id quod praeter exempla, quibus idem confirmat, satis utique omnibus exploratum est, nullam esse religionem, quae non recognoscat aliquem suum auctorem, a quo primordia sua acceperit, Carthusiensis s. Bruno, Benedictina s. Benedictum, Dominicana, et Franciscana, patriarchas suos Dominicum et Franciscum recognoscit. At universa religio Carmelitarum semper venerata est Eliam, tanquam primum suum institutorem, nec aliquem alium primum Patronum unquam coluit, quam Eliam, peneque innumeri auctores tam vetusti, quam recentiores, nec non sacri Pontifices in suis Apostolicis bullis id ingenue acceptant. Ergo nemo, nisi cum ratione ipsa pugnare velit, id negare poterit.

Rursum antiquus mos inolevit, saepe religiones appellationem desumere a loco, in quo ortum habuere, et in quo earum institutum primitus fuit observatum, et in reliquas mundi plagas derivatum: etenim Ordo Cluniacensis a Cluniaco, Cisterciensium a Cistercio, Carthusiensium a Carthusio, et ordo Hospitaliorum ab hospitali Hierosolymae fundato a s. Ioanne, nomenclaturam suam mutuarunt. Cum ergo sacra haec religio Carmelitica nuncupetur, manifestum est hanc appellationem non aliunde ei convenire, nisi quia in monte Carmelo habuit initium et ortum suum, et ab illo in reliquas partes fuit derivata. Deinde auctores, qui Albertum patriarcham Hierosolymit. primum Carmelitici Ordinis fundatorem esse volunt, ipsimet fatentur, Albertum tantum Ordinem iam prope labentem sua regula erexisse; qui vero ab Aymerico Ordinis primordium computant, ipsi etiam libere concedunt Aymericum tempore Alexandri Tertii Carmelitas per Carmeli saltus dispersos in unum congregasse, ad commodioremque vivendi formam redegisse; qui vero a Ioanne Hierosolymitano circa annum Domini 400. regulam accepisse docent, ipsi quoque admittunt, Ioannem Hierosolymitanum, antequam regulam Carmelitis traderet, eorum conversationem, institutumque fuisse amplexatum. Alii tandem, qui Carmelitici Ordinis initia ad Apostolorum tempora referunt, nullum certum auctorem designant, neque explicant, quando et quomodo id contigerit.

Ad haec b. Virgo revelavit s. Thomae Sloch, ut in eius vita legitur, Ordinem fratrum de monte Carmelo duraturum usque in diem iudicii; manifestum est, hoc non posse verificari de alia religione, quam de ea, quae nunc nuncupatur s. Mariae de monte Carmelo. Accedit, quod extat Apostolicae sedis decretum cum Cardinalium consilio a Sixto V. editum, in quo cautum est, ut Carmelitarum religio Eliam, et Elisaeum, sui instituti patronos colat, et in eorum memoriam dies festos faciat, et propria eorum officia recitet: inter alia autem, quae in Eliae officio, et festivitate per sedem Apostolicam approbato decantantur, ille insonat hymnus:

Hic sacri est ductor, columen decusque
Ordinis nostri superisque gratus;
O pater salve placidosque fnus
Excipe Alumnos.

Fit etiam de eodem Elia in toto ordine Carmelitarum commemoratio, quae soli patrono, ac Ordinis auctori debetur. De ipso praeterea missae sacrificium tanquam patrono celebra-

tur; quis autem nisi temere dicat, Pontificem errare in approbando pro patrono, et fundatore alicuius religionis eum, qui revera nec fundator, nec patronus unquam extitit. Certe universa nostra Hispania, non alio graviori innixa fundamento, profitetur Apostolum Iacobum terram eius calcasse, quam quod Romani Pontifices speciali officio, in quo adventus eius in Hispaniam mentio fit, illum colendi facultatem Hispanias praebet. Atque hinc est, quod Molanus in suo Martyrologio die 17. Iulii, quod ex variis aliis martyrologiis concinnavit, haec verba scripsit: *In Arabia raptus sancti Eliae prophetae Domini, et Carmelitanae religionis patriarchae, qui tantam gratiam invenit coram Domino, ut verbis clauderet, et aperiret coelum.* Nec quidquam refert dicere nonnulla ex his non in alia auctoritate fundari, quam in testimonio ipsorum Carmelitarum; nam certe (14. *quaest.* 2. *cap. super prudent.*) habetur, monachos posse testificari in causa sui monasterii, cuius rationem reddens textus, ait: *Quia illi potissimum in testes sunt assumendi, qui eadem negotia tractaverunt.* Maxime quod cum de hac antiquitate sit immemorabilis traditio in tota Carmelitarum religione, prudenter standum est tali traditioni, ut ratio ipsa praescribit: nam si cum quis possidet rem aliquam, bona duntaxat fide per triennium, perpetuo gaudet praesidio, ut habetur (16. *q.* 6. *cap. praescript.*); multo rationabilius religio habens traditionem a praedecessoribus suis per multos annos de antiquitate fundationis illius, praesidio talis antiquitatis debet gaudere. Consulto missa facio omnia, quae in probationem eiusdem veritatis adducere potuissem ex Ioanne 44. Patriarch. Hierosol. (*l. de instit. monach. c.*28). Sufficiat referre hunc eius titulum: *Monachi Carmelitae christiani eiusdem religionis sunt cum monachis in veteri lege ab Elia in Carmelo institutis.*

Atque ex his omnibus colligo falso nonnullos recentiores Carmelitici Ordinis antiquitatem oppugnantes asserusse Aymericum patriarcham Antiochenum fuisse primum eius fundatorem, et institutorem, cum tamen revera non fuerit, nisi quidam reformator, et restitutor, ut his verbis dixit Onuphrius Panvin. in Chronico Ecclesiastico circa annum 141. *Ordo Carmelitarum restitutus, et reformatus ab Aymerico Malofayda patriarch. Antioch. et sedis Apostolicae legato.* Non solum autem Onuphrius, sed et alii etiam graves doctores id ipsum tradidere: hi sunt Polydorus Viro (*de inuent. rerum l.* 7. *c.*3), Sabellicus (*lib.* 6. *Aeneidos*), Genebrardus (*l.* 4. *suae chron.*) circa annum 1180. Gulielmus Episcopus Tyri (*in continuatione belli sacri l.* 5. *c.*3), auctor Theatri vitae humanae (*col.*21. *t.*3. *fol.*4114), Paulus Morigia (*de origine religionum l.*1. *c.*30), Ferdinandus Castello (1. *par. lib.*2. *cap.* 64). Sed extat antiquius, et solidius huius veritatis fundamentum, a d. Cyrillo desumptum (*in epist. ad Abbatem Ioachim*), ubi ait: *Erat autem in diebus illis patriarcha Antiochenus, et in terra sancta Apostolicae sedis legatus, vir quidam amabilis Deo, et hominibus, nomine Aymericus Malofayda, natione Lemovicensis, de villa appellata Salarmiacum, qui praedictorum antecessorum nostrorum Eremitarum fratrum b. Mariae de monte Carmeli laudabilem conversationem attendens, eos multum specialiter suo tempore in Domino enutrivit: intelligens autem, quosdam eorum, qui ex Occidente supervenerunt, spretis seniorum monitis, non recte ambulare ad veritatem religiosae vitae eremiticae, in praedicto Ioannis libro descriptae, et perpendens, hoc ideo maxime contingere, quia Graecas literas ignorantes, nesciebant codicem illum legere, fecit librum illum de Graeco in Latinum transferri;* haec div. Cyrillus.

Audiant ergo, quibus Carmelitici Ordinis mira antiquitas exosa est: audiant, inquam, velint, nolint d. Bernard. (*in Epist. ad fratres de monte Dei*), ubi ait: *Quosdam esse, qui cum manifestum lumen veritatis obnubilare non queunt, de solo novitatis nomine cavillantur, veteres ipsi, et in veteri mente nescientes nova meditari, utri veteres, non sapientes vinum novum:* et paucis interiectis: *Sileant ergo, qui in tenebris lucem indicantes, eos arguunt novitatis ex abundantia male voluntatis potius arguendae vetustatis, et vanitatis.*

OBIECTIO VI.

Sexto non possum praetermittere, quae adversus Carmelitarum antiquitatem Illustrissimus cardinalis Baronius, insignis huius tempestatis historiographus tradit. Etenim ille in suis annalibus ad annum 318. primas monachatus tribuendus esse arbitratur magno Antonio, tanquam primo coenobiticae vitae institutori; quod sane si verum esset, neutiquam religio Carmelitana tantam sibi antiquitatem arrogare posset, ut ab Elia illam ducere praesumat: revera tamen antiquiorum doctorum sententia contrarium ferl, quos supra retuli, dum asserunt, Eliam non tantum monachum fuisse, sed et divino inspirante spiritu, adeo firma iecisse vitae istius monasticae fundamenta, ut nulla unquam temporis iniuria interciderit, sed in Carmelitis eius gratiae, et loci haeredibus Deo conservante, usque in praesentem diem sit continuata; praesertim tamen id docent Trithemius (*de laudibus Carmelit.*), Ubaldensis (*de sacrament. tom.*9), Ioannes 44. Hierosolym. (*libro de institut. Monac.*) per totum, Iosephus Antiochenus (*in spec. perf. milit. prim. Eccl. lib.* 12. *c.*72), Chronica Romana apud Paleonydorum (*lib.* 1. *cap.* 6) cum aliis pene innumeris, a me supra relatis. Deinde ante Antonium manifestum est plures fuisse monachos in Ecclesia: etenim Antonius floruit anno 300. et tamen quinquaginta retro annis d. Damasus in vita s. Dionysii affirmat illum esse monachum. Idem tradit Genebrardus 267. imo et ipse Baronius (*tom.* 2. *anno* 161). Fuit autem hic Dionysius primus, qui ex monachis fuit assumptus in Summum Pontificem: fuit autem eius electio anno 266. ut tradit Eusebius in Chronico, qui et affirmat, eiusdem temporibus non paucos coenobitas dispersis cavernis, et speluncis terrae, ob tyrannorum persecutionem latitasse. Inter opera praeterea de Dionysio Areopagita, qui floruit tempore Apostolorum, epistolam legimus ad Demophilum monachum, et (*in libro Eccles. Hierch.*) ipse ex professo explicat formam, et modum observari solitum in habitu religioso tradendo, et ad professionem acceptando in coenobiis. Cassianus item (*Collatio.* 18. *capite* 5), et in prologo ad Castbor. necnon Genebrard. (*libro* 3) circa annum Christi 139. affirmant, a tempore primitivae Ecclesiae fuisse varia monasteria coenobitarum, qui in communitate vivebant, quae et duraruut usque ad tempora Antonii, et Pauli: unde divus Athanasius in vita s. Antonii refert, ipsum Antonium postulasse a sene quodam ex illis monasteriis, ut eum sub eius disciplina docendum reciperet. Divum autem Athanasium vere esse auctorem huius libri, ambigendum non est, cum id expresse contestentur d. Hieronym. (*de viris illustribus in vita Antonii et Anastasii*), d. Gregor. Nazianzen. (*in Athanas.*), div. Augustinus (*libro* 8. *confess. cap.* 6), et Ruffinus (*libro* 1. *histor. cap.*8). Accedit his, quod div. Hieron. (*in vita S. Eugeniae prima par. in vitis Patrum*), et quotquot vitam illius narrant, affirmant, habitu virili indutam, monasterium coenobitarum ingressam fuisse prope Alexandriam: iuxta autem computationem ipsius Baronii (*tom.* 2) id accidit circa annum 188. imo ipse addit monachos illos successores Essenorum fuisse, quos constat multo antiquiores esse Antonio: ipse etiam cardinalis Baronius (*tom.* 3) circa annum Christi 328. asserit, Antonium instructum fuisse in disciplina monastica per quendam monachum, Essenorum successorem: quare ipse Baronius praecitato loco non audens Antonium indubitanter primum coenobitarum institutorem facere, addit, vel restitutorem; sed quae adduximus, perspicae improbant illam disiunctionem. Obiicit itidem illustrissimus cardinalis Baronius, quod cum apud s. Hieronymum, Palladium, Evagrium, Cassianum, et alios saeculi illius scriptores, frequens mentio fit de monachis in Palaestina degentibus, nusquam de monachis Carmelitis meminerint, manifestum indicium esse, falso sibi tantam antiquitatem arrogasse. Certe nemo est tam ignarus, qui non probe agnoscat argumentum ab auctoritate negata, sed non negante, a philosopho in Topicis reprobari, atque proiici tanquam inutile ad rei dubiae faciendam fidem; nec abs re: nemo enim omnia scivit, aut dixit, aut dicere debuit, aut voluit. Unde illustrissimus pariter, et doctissimus cardinalis Bellarminus (*lib.* 2. *de Rom. Pontif. cap.* 8) simili argumento in hunc modum occurrendum censuit: *Respondeo*, inquit, *nihil concludi ex argumentis ab auctoritate negative; non enim sequitur, Lucas, Paulus, et Seneca non dicunt Petrum fuisse Romae, igitur Petrus non fuit Romae. Non enim isti tres omnia dicere debuerunt, et plus creditur tribus testibus affirmantibus, quam mille nihil dicentibus.*

OBIECTIO VII.

Septimo non solum Hieronymus Romanus (*c.* 8. *sui defensorii*), sed et illustrissimus Baronius tom. 6. ad annum Christi 444. obiiciunt Ioannem 44. patriarcham Hierosol. non fuisse Ordinis Carmelitici, nec auctorem libri de institutione monachorum ad Caprasium, qui habetur to. 9. bibliothecae sanctorum Patrum: verba illustrissimi cardinalis haec sunt: *Facessat ergo eiusmodi de monachismo Cyrilli Fabella, sicut illa huic haud impar, qua traditur, et Ioannes Hierosolymorum Episcopus fuisse, et iam monachus Carmelita; sicut enim haec levier effinguntur, ita et facile refelluntur: flagrans quidem cupido nobilitatis aeitae cogit interdum homines delirare.* Verum in primis illum monachum fuisse disertis verbis tradit d. Hieronymus (*in epist. ad Theoph.*), ubi loquens de illo, occasione cuiusdam, quae inter eos erat disceptationis, haec scribit: *Monachus, proh dolor, monachis et minatur, et imperat exilium, et hic monachus Apostolicam cathedram habere se iactans.* Monachum autem fuisse Carmelitanum tradunt Armachanus apud Ubaldensem (*de sacramen. tit.* 9. *c.* 89), Moriga (*l.*1. *de orig. religionis c.*30), Platus (*de bono stat. l.* 1. *c.* 22), Paleonydorus (*l.* 2. *c.* 6), Molanus (*in suo Martyr.*) die 13. Ianuarii, nec non et Trithemius de laudibus Carmelitarum, et communis traditio huius sac. Ord. Illius autem libri Ioannem auctorem fuisse, ubi religiosum Carmelitam se profitetur, eiusque religionem eandem esse cum ea, quam Elias instituit, his verbis tradit d. Cyrillus Hierosolymitanus (*in epist. perlonga ad Eusebium*): *Volumen de institutione primorum monachorum in lege veteri exortorum, et in nova perseverantium ad Caprasium monachum, est Ioannis* 44. *Hierosolymorum Episcopi, eius videlicet, qui circa annum Domini* 400. *Arcadio, et Honorio imperatoribus, sanctis Epiphanio, et Hieronymo suspectus fuit de haeresi Origenis.* Latiusque idem narrat (*epist. ad Abb. Ioachim*), quae habetur in speculo ordinis Carmelitici (*l.*8), ubi haec d. Cyrilli verba legimus: *Fuit autem tempore Arcadii, et Honorii imperatorum quidam dictorum religiosorum Pater mirae virtutis, et perfectionis, Ioannes nomine, qui ceteros consortes suos eiusdem montis monachos, exemplo suo et magisterio solicite inducebat ad perfectionem acquirendam, secundum propheticam disciplinam vitae monasticae per Eliam prophetam institutae. Quam disciplinam Ioannes eis exponebat ex diversis literis, tam veteris, quam novae legis, et ex nonnullis tractatibus editis a praedecessoribus suis: qui tandem propter eius sanctitatem in Pontificem Hierosolymae Ecclesiae sublimatus, Apostolo Iacobo in Episcopatu eiusdem Ecclesiae quadragesimusquartus successit. Hunc Ioannem charissimus eius discipulus, Caprasius nomine, eiusdem montis et religionis monachus, suppliciter flagitavit, ut quae de institutione huius religionis, et primis eius fundatoribus, et de perfectione ad exemplum eorum acquirenda, frequenter disseruerat, dignaretur sibi, et suis consortibus breviter reddere in unum volu-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

men, in quo omnia per ordinem intuerentur, ne oporteret eos librorum universitatem evolvere: Ioannes ergo cernens, quod propter occupationem suscepti officii, non posset ulterius iugem in monte Carmeli residentiam trahere: quod Caprasius ab eo flagitaverat, opere complevit, scripsit enim eloquio, et literis Graecis, in quodam libro primariam nostrae religionis institutionem, et fundatorum eius dignitatem.

Cum ergo Cyrillus vir fuerit doctrina praecellentissimus, atque secundus in Carmelo prior, cum quo antea diu commoratus fuerat, atque eo familiarissime usus, quonam pacto latere eum potuit vere ne Ioann. XLIV volumen esset, procurante Aymerico e graeco latine redditum? aut si ipsum res haec latuit, quorsum vir ille sanctissimus, et fidelis amicus Dei, ut eum vocat Molanus, ad diem 6. Martii semota omni dubietate tanquam serio confratri suo Eusebio priori Eremitarum montis Nerei describit Ioannem Hierosolymitanum XLIV. Episc. temporibus Arcadii, et Honorii imperatorum instituti Carmelitarum antiquitatem, et primordia graeco idiomate conscripsisse, atque eadem scripta nuper iussu Aymerici, in gratiam Eremitarum latinorum latinitate donata? Deinde librum illum tanquam vero eius auctori tribuendum esse Ioanni XLIV, expresse fatentur Vincentius in suo speculo historiali. Philippus Ribotius (*in praefatione librorum de instit. Carmel.*), Thomas Ubaldensis (*de religiosorum statu contra Wicleph.*), Ioannes Paleonydorus (*in epist. ad patrem Rumoldum, et lib. 2. antiquitatis Carmelitanae cap. 6*), Hieronymus Platus (*lib. 2. de bono statu vel g. cap. 22*), Azotius (*institutionum moralium lib. 12. cap. 23*). Hi omnes disertis verbis fatentur auctorem istius libri fuisse Ioannem quadragesimum quartum Hierosolymorum Episcopum ex Carmelitis assumptum, qui floruit Arcadio, et Honorio imperatoribus; quibus accedit, quod in impressione secunda bibliothecae sanctorum Patrum tom. 9. facto prius diligenti examine per gravissimos viros historiarum peritissimos, an illius libri auctor esset Ioannes quadragesimus quartus, cum id verissimum esse reperirent, appositus est denuo ille sub nomine Ioannis Hierosolymitani 44. patriarchae. Quare minime crediderim, alumnos huius sacrae religionis inanis gloriae ambitione laborantes, ut putat cardinalis Baronius, arrogasse sibi, hunc patriarcham assumptum fuisse ex suo Carmelitano Ordine; nam si cupidine nobilitatis avitae mentiri libuit, cur hunc Ioannem quadragesimum quartum Hierosolymorum Episcopum Carmelitam esse voluerunt potius, quam Iustum, vel Zachaeum, Tobiam, vel Beniamin, Ioannem, vel Matthiam, vel Philippum, Senecam, vel Iustum, Levi, vel Ephrem, Iudam, vel Marchum, Cassianum, vel Publium, Maximum, vel Iulianum, Gainum, vel Capitonem, vel Antonium, Valentem, vel Dolichianum, Narcyssum, vel Hermonem, aliis Thermonem, Macharium, vel Maximum: nam isti omnes Episcopi Hierosolymitani fuerunt, et melior eorum pars, monachi; si, inquam, cupidine lucri, ambitionis, nobilitatis avitae, cur huic uni, si fingere libuit, et praesertim de erroribus Origenis gravissime notato potius, quam cuipiam ex supra dictis nullius erroris suspectis librum ad Caprasium appinxerunt?

Porro, cum ex praedictis omnibus non obscure liqueat Ioannem XLIV. patriarcham Hierosolymae vere fuisse monachum Carmelitam, oportet eum nunc vindicare ab haeresi sibi a nonnullis imposita: etenim idem illustrissimus cardinalis Baronius to. 4. ad annum Christi 392. vocat illum, Origenis errorum patronum, et Origenistarum fautorem, quod confirmat ex variis locis d. Ephiphanius, et Hieronymus in epistolis ad illum scriptis.

Verum ego, tam apud sanctos Patres, etiam Hieronymum et Epiphanium, quam apud gravissimos auctores reperio, virum fuisse, non solum ab omni haeresi alienum, sed haereticorum acerrimum expugnatorem, ac insigni sanctitate conspicuum; et quidem in primis Anastasius Papa in epistola ad ipsum Ioannem de Ruffino ei rescribens, ac ut Origenistam eum damnans, ipsum Ioannem, ut sanctissimum his verbis commendat: *Ut amori tuo gratias ago, ita splendorem tuae sanctitatis, et eas, quas in Domino habes virtutes, subinde quodammodo, parvitatis nostrae favorabilis sermo prosequitur. Tam eminenter, vir omnium praestantissime, laudum tuarum fulges nitore conspicuus, ut par esse meritis sermo non possit. Porro autem tanto titulorum tuorum rapior incitamento, ut etiam, quod impetrare nequeo, audere non desinam. Iam hoc de laudibus est tuis, quod me tantum de coelestis animi istius serenitate laudasti: tui enim Episcopatus ordo perspicuus, per diversum orbem velut radians etiam ad nos splendoris sui detulit claritatem;* haec Anastasius Papa, qui certe non ita serio Ioannem laudaret, si aliqua Origenis labe inureretur: divus Cyrillus in epistola ad Abbatem Ioachim, et epistola ad Eusebium Eremitam Montis Nerei, ita de eius sanctitate testatur: *Fuit autem tempore Arcadii, et Honorii imperatorum in monte Carmelo Pater dictorum religiosorum quidam vir mirae virtutis, et perfectionis, Ioannes nomine, qui ceteros consortes suos eiusdem montis, exemplo suo, et magisterio solicite inducebat ad perfectionem acquirendam secundum propheticam disciplinam vitae monasticae per Eliam prophetam institutae.* Sanctus Theodoretus (*lib. 5. cap. 25. et 37*) in hunc modum de Ioanne loquitur: *Hierosolymorum Ecclesiae praesidebat Ioannes, vir mirabilis, successor Cyrilli.* Trithemius deinde praecitato loco *sanctissimum* appellat: unde doctissimus Molanus inter divos, quos in suo martyrologio refert, adscribit Ioannem in haec verba: *Item s. Ioannis Episcopi Hierosolymitanae Ecclesiae Ordinis Carmeli professoris;* sed et ante illos eius sanctitatem commendavit Nicephorus Callistus (*libr. 14. capit. 30*), dum ait: *Hierosolymis Cyrillo divinus Ioann. successerat:* et (*libr. 16. cap. 34*) haec verba scribit: *Patriarcha Ioannes una cum sanctis illis viris, postquam non brevissimo tempore supervixit, Petrum Ecclesiae suae, et pietatis simul successorem reliquit.* Ibidem etiam tradit haereticorum oppugnatorem acerrimum fuisse, in cuius testimonium refert illum religioso quodam stratagemate illusisse

Severum Imperatorem, ut cum ille expectaret eius errores approbandos a Ioanne, ille publice eos damnavit: verba Nicephori sunt haec: *Ioannes suggestum conscendit ex utraque parte, Sabbae, et Theodosii propugnatorum fidei manibus utriusque suffultus: atque ubi paululum continuit, et multitudinem etiam mussitasse audivit minus sanam fidem, anathemate condemnari debere, fiducia plenus huiusmodi protulit verbum: Si quis Eutycheti, et Nestorio, et Severo, et Sotherico Caesareae Cappadocum Episcopo assentitur, anathema sit.*

Atque hinc est, quod doctissimus Possevinus ex Ordine Iesuitarum (*tomo 2. fol. 205*) ab omni haeresi alienum, imo sanctitate clarum illum praedicat in haec verba: *Ioannes Hierosolymitanus Episcopus, quem Gennadius in catalogo,* inquit, *scripsisse adversus obtrectatores studii sui librum in quo ostendit, Origenis se ingenium, non fidem sequutum, reprobatur a Baronio annalium tom. sexto, sub anno Domini 444. Leonis autem quinto sui Pontificatus, monstrante eum, haud fuisse Carmelitam, id quod Petrus Luccius asseruit, faciens eum patriarcham Hierosolymitanum ab Adriano Pontifice Maximo huius nominis primo e monasterio montis Carmeli cum ad dignitatem ob vitae sanctitatem, atque doctrinam evectum, et claruisse anno septuagesimo supra septigentesimo, scripsisse vero ad fratres quasdam hortatorias epistolas, atqui et vocasse Petrum Luccium conicitur, cum de Ioanne illo, de quo Gennadius scribit, aliunde constat eum vixisse anno quadringentesimo, et quod excurrit, ac scripsisse quidem hortatorias epistolas, sed et librum adversus obtrectatores nominis sui, quo in opere purgare se voluit Hieronymo, atque Epiphanio de crimine Origenis: quin et ad Caprasium composuit librum de institutione primorum Monachorum, quem Aymericus Antiochenus patriarcha e Graeco Latinum reddidit, quique Venetiis idem in lucem prodiit;* haec Possevinus.

Causa autem, ob quam d. Hieronymus, et Epiphanius adversus Ioannem scripserunt, monentes, ne Origenis erroribus adhaereret, ea certe fuit, quod crebro ipse Origenis ingenium summopere laudare solitus erat; unde multi et eius doctrinam se approbare coniectabant, et hinc patres illi ansam sumpserunt ad ipsum corripiendum: quod tandem non ignorans d. Epiphanius (*in epist. ad ips. Ioann.*) inquit: *Video quod propter hanc causam omnis vestra indignatio concitata sit, quod dixerim vobis Arrii patrem, Origenem scilicet aliarum haeresum radicem, et parentem laudare non debetis.* Ecce habitus est Ioannes Origenista, non quia eius errorum sectator, sed ingenii laudator esset, ut et ipse Ioannes fatetur in libro, quem scripsit adversus sui nominis obtrectatores. Unde d. Hieronymus, qui adversus Ioannem prae ardore sui zeli scripserat, putans illum erroribus Origenis adhaerere, postea veritate cognita id retractavit, et quem antea, tanquam Origenistam abiecerat, postea ut orthodoxae fidei verum cultorem amplecti non dubitavit: etenim (*in epist. ad Theoph.*) carpit illum, quod Ioannem reprehendisset: verba eius sunt haec: *Libere reverentiae vestrae loquor, dolebamus, te nimium esse patientem, et ignorantes magistri gubernacula, gestiebamus in interitum perditorum; sed ut video, exaltasti manum diu, et suspendisti plagam, ut ferires fortius super susceptione cuiusdam. Non debes contra urbis huius dolere Pontificem, quia nihil tuis literis praecepisti, et temerarium fuit de eo, quod nesciebas, ferre sententiam, tamen reor, illum nec audere, nec velle te aliquando laedere;* haec d. Hieronymus. Quibus recitatis, subdit Illustrissimus cardinalis Baronius (*tom. 5. ad ann.* 399) haec verba: *Hieronymus excusat Ioannem Hierosolymitanum Episcopum de communicatione ante cum Origenistis inita, deque eius animi consilio inhaerendi ipsi Theophilo.* Addo, quod et divus Augustinus disertis verbis eius sanctitatem attestatur: nam (*lib. 2. cap. 51*) dixit: *Cathedra quid fecit Romanae Ecclesiae, in qua Petrus sedit, et in qua hodie Anastasius sedet, vel Ecclesiae Hierosolymitanae, in qua Iacobus sedit, et in qua hodie Ioannes sedet, quibus nos in catholica fide uniti connectimur, et a quibus vos nefario furore separatis:* imo et Baronius (*praecit. loc.*) ait: *D. Augustinus Ioannis mores, sanctitatemque suo tempore mirifice coluit.* In centuria etiam 14. Catalog. scriptorum Britanniae haec memoranda lego: *Palladius Graecus primus Scotorum Apostolus, Ioannis quadragesimiquarti Hierosolymorum Episcopi discipulus olim fuit, ut auctor est Nicolaus Harlemius, dum adhuc Eremi cultor, solitaria Syriae loca, potissime Carmelum incoleret: eius inquam, Ioannis, qui ob Origenis allegoricum dogma Hieronymi, atque Epiphanii in se concitavit scripta; quibus tamen ipse sui studii rationem reddens, respondit, se non Origenis fidem, sed ingenium esse imitatum, edixitque librum contra sui studii obtrectatores, et de institutione primorum monachorum librum allegoriis plenum, quem e Graeco translatum vidi.*

Sed quid in his nimium moror? cum adhibita distinctione duplicis Ioannis a gravissimis doctoribus acceptata, innocentia Ioannis Hierosolymitani facile innotescat? Duo fuerunt antiquis temporibus Ecclesiae Hierosolymitanae Episcopi, Ioannis nomine insigniti, ambo Carmelitae disciplinae professores; quidam illorum vir fuit sanctissimus, qui librum scripsit ad Caprasium; alter haereseos auctor controvertitur; ille iunior, hic antiquior. Hanc, quam trado distinctionem, diserte prodiderunt collectores epitomes quae dicitur Conradi Gesneri, quam si impugnatores advertissent, minime forsan asseruissent, Ioannem XLIV. Episcopum monasticae disciplinae patrem, plenum sanctitate, insignem miraculis, haereticum fuisse Origenistam, sed potius falso habitum, ut talem. Eruantur hae tenebrae, et oriatur lux, ut cognoscantur, qui Domini sunt. Nec latuit haec distinctio doctissimum illum, et de Ecclesia catholica optime meritum Ioannem Molanum, qui in suis ad martyrologium Usuardi additionibus, eo die, quo natalis Ioannis adnotatur, videlicet pridie Idus Ianuarii, ipsum Ioannem iuniorem inscripsit, adiungens, eum Ordinis Carmeli professorem fuisse.

Porro, ut obiectioni Illustrissimi Baronii ex integro satisfaciam, restat ostendere verum, quod falsum ipse putat, scilicet d. Cyrillum

Alexandrinum Carmelitam fuisse. Sane hoc clarissime patet ex his, quae ipse scribit in epistola ad Eusebium, ubi frequenter disertis verbis se profitetur Carmeliticae religionis alumnum; unde vel ex uno hoc capite oportet, nostrae sententiae assentiri, vel certe negare illum librum esse d. Cyrilli: quod tamen apud omnes in confesso est, illum esse eius auctorem: deinde Trithemius (*de script. Eccles.*) ait: *Cyrillus Episcopus Alexandrinus natione Graecus, montis Carmeli quoddam decus, et cultor insignis.* Deinde in officio etiam a multis Pontificibus approbato, quo utitur sacer Ordo Carmelitarum in die sancti Cyrilli, expresse idipsum continetur. Iacobus etiam Philippus Bercomensis (*lib.13.Chron.sui*) dixit: *Habuit praeterea haec sancta religio Cyrillum Graecum, virum doctissimum, atque sapientissimum, qui praeter multos libros a se editos, etiam prophetiae spiritu claruit:* et (*lib.12*): *Cyrillus natione Graecus eiusdem Ordinis montis Carmeli generalis prior, et ipse hac tempestate anno Domini* 1199. *et doctrina, ac prophetico spiritu illustratus, insignis multum fuit, qui cum esset admodum doctus, scripsit quaedam ingenii sui opuscula ad Abbatem Ioachim: de oraculo angelico librum, qui incipit, tempore annorum Christi: item de processu sui Ordinis librum, et epistolas plures ad diversos.* Accedit his insignis poeta Mantuanus, qui de Cyrillo agens, haec carmina cecinit:

Producente diem Phoebo, gelidamque fugante
Ex agris hyemem, fert annua festa Cyrillus
Urbis Alexandri pastor defluxit ab alto
Vertice Carmeli, sanctae primordia vitae
Heliae de fonte tulit, crescentibus annis,
Relligio crevit; rerum prudentia crevit.
Et quia divinae legis sapientia et ore
Suaviloquo visus cunctos praecellere Patres,
Ad decoris tanti sacros pervenit honores.

Testantur tandem idem Gulielmus Eysenerineus (*centur.* 1. *Eccles. hist.* 3. *p. dist.* 1. *tit. de Monach. Carm.*), Paleonydorus (*lib.2.cap.* 7), Basilius sanctorum (*in prolog. discurs.*): immemorabilis etiam traditio totius Ordinis Carmelitani, qui illum tanquam sanctum suae disciplinae professorem, et ex Apostolica approbatione natalem illius celebrat, satis superque probat, non esse hunc tantum virum illi adimendum.

OBIECTIO VII.

Septimo contra antiquitatem Carmelitanae religionis obicit illustrissimus cardinalis Baronius (*tom.* 12) ad annum Domini 1181. ab Alexandro Pontifice exordium habuisse: verba eius sunt haec: *Antequam ab Alexandro ad eius successorem convertamus orationem, constantior illa videtur assertio, quod Ordo religiosorum Carmelitarum, qui in Palaestina, in ipso Carmelo monte fixere sedes, sub eodem Alexandro Romano Pontifice sumpsit originem; quoto anno autem eius Pontificatus, habetur incertum:* deinde addit, primordia huius religionis deberi Aymerico patriarchae Antiocheno. Ad hanc obiectionem evertendam eruditus auctor Petrus Wastellus in suo libro Apologetico pro Ioannis Hierosolymitani monachismo in Carmelo, postquam recitaverat relata verba Baronii, haec subiungit: *Sed hoc est derelinquere fontes, et quaerere sibi cisternas, quae non continent aquam: ad limpidum magis fontem accurre, si quidem puram aquam desideras. Etenim maior pars eorum, quorum tibi constantior apparet assertio, sunt aut haeretici, aut qui male de monastica antiquitate sentiunt; in his est indoctus Franciscus Modius libr. de vestit. et origine status Ecclesiastici, qui venena sua exsuxit ex Virgilio Polydoro a Simone Erinaco, quantum fas est suspicari, haereticorum commentis consperso; denique ut similibus enumerandis supersedeam, ea est sententia Michaelis Bunchingeri in historia Ecclesiastica ad annum* 1071. *sed qui et ipse putat ante Paulum Monasticen nullam fuisse, nec memini me alibi aut legisse, aut audivisse quempiam, qui esset in cardinalis Baronii sententia, et non simul antiquitati monasticae derogaret, ac proinde nihili putato, habendam esse eorum sententiam. Ceterum hic tantum animus est eam refutare ex testimonio sancti viri Cyrilli, cuius de ea re certa est scientia adseverantis illo ipso tempore, cui adversarii appingunt Ordinis primam institutionem, iussu ipsius Aymerici, antiquum Ioannis nostri de Carmelitana antiquitate volumen e Graeco latinitate fuisse donatum. Adferre quidem liceret plura antiquorum Carmelitarum Patrum nostrorum testimonia, ac falso leviter nimis a contumeliosis dicerentur effecta, quanquam nemo ipsis Carmelitis rem hanc domesticam certius, fideliusque queat testari? ergo ex his praetermissis multis, adducam, quem dixi sanctissimum antiquissimum patrem d. Cyrillum presbyterum Constantinopolitanum, tertium ab Aymerici reformatione priorem generalem, quem erroris, et mendacii arguere, valde temerarium, ac impium fuerit.* Testimonium autem, quod adducit Cyrilli, habetur in epistola illius ad Eusebium Eremitam, qua Ordinis Carmelitici, a Ioanne Hierosolymitano usque ad sua tempora, continuationem fidelissime enarrat: ibi post longum huius rei sermonem, et postquam retulerat librum a Ioanne Hierosolymitano compositum (*de inst. Monach. Carmel.*), haec verba subdit Aymerico, quem ibi nominat: *Intelligens autem quosdam eorum, qui in Occidentem supervenerant, spretis seniorum monitis, non recte ambulare ad veritatem religiosae vitae eremiticae in praedicto Ioannis libro descriptae, et perpendens, hoc ideo maxime contingere, quia Graecas literas ignorantes, nesciebant codicem illum legere, fecit librum illum de Graeco in Latinum transferri.*

Ceterum, ut quod in hac huius auctoris impugnatione censeo, luculenter indicem, immerito carpit Illustrissimum cardinalem Baronium, tum quia ille antiquitatis monasticae nunquam oppugnatorem, sed defensorem se exhibuit, nec lato ungue, in hac parte a communi theologorum sententia de vetustate monachatus discedens, tum nam loco illo citato tom. 12. ad ann. 1181. minime tradit Aymericum patriarcham Antiochenum fuisse primum institutorem Ordinis Carmelitici, sed promotorem, et propagatorem: verba eius sunt haec: *Horum autem promotor, propagator, et custos fuit ille, qui fungebatur in Oriente legatione Apostolicae sedis, Aymericus patriarcha Antiochenus:* tum etiam quia si d. Cyrillo (*praec. epist. ad Eusebium*) fides adhibenda est, ut revera adhiberi debet, ipse testatur Aymericum primitus statuisse et ordinasse, ut monachi omnes, qui tunc erant Ordinis Carmelitici, obedientiae votum emitterent in manus Prioris; cum tamen ante illum, licet subderentur suis Praelatis, non tamen ex voto: verba d. Cyrilli de Aymerico loquentis haec sunt: *Statuit enim quod ex ipsis unus, qui diceretur prior, deinceps eis ita praeesset, ut quilibet aliorum obedientiam ei deveret, sub cura cuius, et regimine omnes viverent, quibus antea licet semper unus ex eis praeesset, quem Abba, lingua Syra, et patrem Latina appellabant, sub regimine cuius manebant, et cui etiam tanquam patri secundum institutionem obediebant, non tamen se alicui voto speciali prius obligaverant, donec praedictus patriarcha Aymericus omnes primo ad hoc adstrinxit;* haec d. Cyrillus. Ex quibus verbis clare constat ipsam fateri Aymericum primordia dedisse voto obedientiae emittendo. Est autem certum nullam veram esse posse religionem absque voto obedientiae; ex quo videtur vera reddi assertio Baronii, scilicet Aymerici tempore primordia data religioni Carmeliticae, cum ab eo introducta tunc fuerit emissio voti obedientiae, sine quo essentialis ratio religionis consistere non potest. Fateor tamen ex hoc divi Cyrilli testimonio, non colligi ante Aymericum non fuisse solitum votum obedientiae emitti a monachis Carmelitis, solum enim illi, quos *improbos* vocat Aymericus in praedicto testimonio divi Cyrilli, ut liberius viverent, renuebant votum obedientiae emittere; reliqui tamen vere illud emittebant. Aymericus autem constrinxit omnes quotquot erant monachos, illud votum emittere, cum tamen antea permissi fuissent nonnulli illud non emittere, idque solum indicant verba divi Cyrilli, si sincere perpendantur. Nec mihi ulla ratione persuadere possum, antiquos illos Monachos ab Elia institutos, tria vota substantialia religionis non emisisse: nam praeterquam in lege veteri receptum, usque firmatum fuit vovere Deo, ut tradit Ubaldensis (*in doctrinali lib.* 3. *artic.* 2. *cap.* 21), et constat clare ex (*Gen.* 29. *Psalm.* 132. *Levit.* 27. *Deuter* 12. *et* 23): certe religionis vota in veteri lege observata fuisse testantur Orig. (*in cap.* 10. *Lev. homil.* 11), Isidorus (*lib.* 2. *de offic. c.* 4), et copiosius Canisius (*de corrup. verbi Divini cap.* 21): hi enim omnes affirmant Nazaraeos religionis voto fuisse adstrictos. Deinde quod attinet ad castitatis votum, Isaias in veteri lege id proposuit (*c.* 56) in haec verba: *Non dicat Eunuchus, ego lignum aridum, quia haec dicit Dominus Eunuchis: Qui custodierint Sabbata mea, et elegerint, quae ego volui, et tenuerint foedus meum, dabo eis in domo mea, et in muris eius locum, et nomen melius a filiis, et filiabus:* quae verba de virginitate voluntaria intelligenda esse tradunt divus Hieronymus et Cyrillus (*in comm. illius loci*), divus Augustinus (*de virg. cap.* 24), et Basilius etiam (*lib. de virg.*). Sane ex hoc loco non obscure colligitur consilium dari circa votum castitatis, ad eum certe modum, quo Christus Dominus similibus verbis illud dedit (*Mat.* 19), dicens: *Sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum coelorum:* ecce ipsa Eunuchorum appellatio perspicue indicat continentiae votum, ut sapienter observarunt divus Hieronymus (*Matth.* 9), divus Augustinus (*lib. de sancta virg. cap.* 30).

Nec quidquam refert, si quis obiiciat verisimile non esse in veteri lege datum fuisse consilium de voto castitatis, cum potius lex illa maledictionis speculum intorqueat in eos, qui semen post se non relinquunt, ut constat ex Deut. (*cap.* 25): nam locus ille iuxta sententiam d. Ioan. Damas. non loquitur de semine carnali, sed de spirituali. Etenim (*lib.*4. *fidei orth. cap.* 25), ubi virginitatem miris laudibus efferens, postquam eam multis veteris legis patrum exemplis observatam fuisse docuit, ut ostenderet in illa lege, non solum virginitatem servari, sed etiam votum continentiae emitti, et laudari, subiungit: *Nonne lex magnum votum, castitatem appellavit?* et ut obiectioni, quae sese offerre poterat ex verbis illis (*Deut.* 25): *Maledictus homo, qui non relinquit semen post se,* respondeat, statim adiecit: *Oportet igitur spiritualius accipere legis praeceptum: nam est semen spirituale per charitatem, et timorem Dei in mentis utero parturienti spiritum salutis; sic autem accipiendum est hoc: Beatus est, qui habet semen in Sion, et familiares in Hierusalem:* haec Damascenus. Quibus manifeste confirmat, in lege veteri fuisse castitatis votum, nec reprobatam fuisse continentiam. Et quamvis Damascenus non exprimat locum, in quo lex magnum votum castitatem appellet, tamen praeter illum Isai. (*cap.* 56) supra adductum, est etiam alius celebris Sapientiae (*c.* 3), id non obscure indicans, ubi haec verba legimus: *Felix spado, qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitavit contra Deum nequissima: dabitur enim illi fidei donum electum, et sors in templo Dei acceptissima,* qui locus eundem sensum cum illo priori Isaiae habet; haec autem tempore legis antiquae dicta sunt, ex quibus non obscure constat, in illa votum continentiae fuisse.

Ad haec apud monachos veteris legis receptum fuisse votum paupertatis aperte colligitur ex Iosepho (*lib.* 2. *de bello Iudaico cap.* 7), ubi de Essenis loquens affirmat solitos esse post transactum certum tempus vota quaedam, sive iuramenta emittere, per quae ad perfectionem anhelabant: verba Iosephi sunt haec: *Prius vero, quam incipiat communem habere vitam, magnis execrationibus adiurat, se primum colere Deum, deinde quoque erga homines servare iustitiam;* et deinde quibusdam interpositis subdit: *Illis quidem sacramentis, ac ritibus obligatus, nec corpore ab aliis oblatum cibum potest:* ac tandem Eliam, eiusque successores, tam paupertatis votum, quam reliqua substantialia religionis emisisse, vel illa una ratio nervose satis suadet, quod si Elias,

eiusque successores monachorum institutum amplectentes, Deo se consecrarunt, castitatem, paupertatem, et obedientiam colentes; certe cum praedicti Patres non ignari essent, fore Deo gratissimum, longeque magis meritorum propositum suum volo firmare: hoc enim, ut supra praemisimus, in veteri lege notum, compertumque fuit, et praeterea cum aperte scirent plurimum valere hanc votorum emissionem ad voluntatem nostram, quae lubrica, ac in malum propensa est, in bono firmandam, et in officio continendam: non est dubium quin hoc votorum adminiculo ad praedictos fines iuvarentur.

Accedit ad haec illius societatis viros, selectos ex grege Iudaico, sapientia, et acumine ingenii, ceteram plebem longe superasse, quibus ignorantia tantae rei contingere non poterat, et multo minus Eliae, et Elisaeo vitae monasticae ducibus, qui ex frequenti cum Deo colloquio, et lectione Scripturarum divitias, et uberrimos thesauros, qui in votis monasticis latebant, facile cognoscere potuerunt: quare existimo Scripturae, et rationi valde consentaneum esse viros illos divino lumine ductos, institutum monasticum tribus votis firmasse; maxime cum Elias speciali Dei revelatione monasticae professioni initium dederit, ut testantur s. Isidorus (*lib.* 2. *de dic. offic. cap.* 15), Sozomenus (*lib.* 1. *Eccl. hist. cap.* 12), et Nicephorus (*lib.* 8. *cap.* 39). Tandem Aymericum non dedisse primordia huic sacro Ordini illud aperte confirmat, quod ante Aymericum patriarcham Leo IV. Adrianus II. Stephanus V. Sergius III. Ioannes X. Ioannes XI. Sergius V. Clemens III, et Alexander II. varia privilegia concesserant monachis montis Carmeli. Etenim cum propter hostium incursus varia eorum monasteria fuissent eversa, sacri Pontifices concesserant varias indulgentias Christi fidelibus qui ad eorum restaurationem, et monachorum victum, alicuius eleemosynae subsidium impenderent. Ne autem quispiam hoc in dubium vertat, locupletissimus testis omni exceptione maior Gregorius est XIII. qui in bulla, Carmelitano Ordini concessa, cuius initium est, *Ut laudes sanctissimae*, compendiumque privilegiorum plura horum Pontificum privilegia refert, eorumque meminit Hieronymus Roman. (*in Reipubl.* 1. *part. lib.* 6. *cap.* 10).

OBIECTIO VIII.

Octavo cum sacer Ordo Carmelitarum certissime credat ex maiorum suorum traditione, et gravissimorum doctorum sententia, Essenos successores fuisse Eliae, et Elisaei, atque adeo ex illis miram illius antiquitatem commendari: oportet satisfacere alteri illustrissimi cardinalis Baronii obiectioni. Etenim Essenorum familiam, si Plinio (*lib.* 5. *nat. hist. cap.* 17), et Solino (*cap.* 36) credendum est, plane compertum erit antiquissimam esse: id enim Plinius praefato loco de Essenis tractans, his verbis scriptum reliquit: *Per saeculorum millia, incredibile dictu, gens aeterna est, in qua nemo nascitur.* Solinus quoque, fidelis Plinii imitator, fere eisdem verbis Essenorum antiquitatem commendans dicit: *Itaque per immensum spatium saeculorum, incredibile dictu, aeterna genus est cessantibus puerperis;* haec Solinus. Nihilo secius tamen doctissimus Baronius (*tom.* 1. *annal. anno Christi* 64. *cap.* 6. 7, *et* 8), Plinio et Solino dicentibus Essenorum sectam per multa saeculorum millia extitisse, minime credendum existimat, ea ratione ductus, quia qui res Iudaicas sunt prosequati, tam antiquam originem Essenis non tribuunt: quare ipse vel post Christum, vel paulo antea, tempore Herodis maioris, viros hos claruisse autumat: nulla enim, ut ipse ait, antiquior apud Iosephum de eis habetur memoria: ego tamen contrarium reperio, ipseque apud Iosephum, eadem fere verba, quae apud Plinium, et Solinum, potuit facile invenire: is enim (*lib.* 18. *antiq. Iudaic. cap.* 2), de sectis Iudaeorum agens, sic loquitur: *Iudaei patriae sapientiae studiosi, iam inde a multis retro saeculis in tres sectas erant diesi, Essenorum, Sadducaeorum, etc.* Idemque auctor (*lib.* 13. *cap.* 9) docet, tempore Ionathae Pontificis, et Antiochi regis, has etiam sectas floruisse: quod et tradit Genebrard. (*l.* 2. *an. mundi* 394), hoc est, 143. anni ante Christi adventum, imo neque ibi apud Iosephum eorum initia expresse recensentur, sed potius in confuso adnotantur, *multis retro saeculis* incepisse, quae verba tempora longissima denotant: quare id certum videtur, eos a sanctissimis prophetis Elia, et Elisaeo originem ducere, idque in primis probo ex Genebrardo viro gravissimo (*lib.* 1. *Chronolog. anno mundi* 3272): *Elisaeus*, ait, *construxit cellas prophetis in Hiericuntis solitudine: manavit institutum, et loci religio ad posteros, fuitque desertum hoc usque Engaddi ab Essenis habitatum, hominibus continentiae incredibilis.* Eodemque loco habitasse Essenos, nempe in desertis Hiericho, Plinius, et Solinus, ut supra, senserunt; et quamvis Genebrardus expresse non affirmet, Essenos ab Elisaeo propheta immediate in monastica disciplina fuisse institutos, clare tamen docet, ab ipso, sive a prophetica sua familia ortos fuisse: idque colligitur aperte ex Nicephoro (*lib.* 2. *Eccles. histo. cap.* 15), qui de Essenis disserens: *Eos*, ait, *vitam propheticam flagranti, atque ferventi fide meditari, atque aemulari.* Quae est igitur haec prophetica vita, nisi ea, quam Elias et Elisaeus, filiique prophetarum coluere. In huius vero rei confirmationem argumento utar in hac materia validissimo: nam Esseni, de quibus Philo, et Iosephus, ut infra dicemus, plura admiratione digna scripserunt: fuerunt a divo Marco in Ægypto legibus et institutionibus Evangelicis imbuti, aliisque canonibus, et observantiis monasticis instructi, ut post Nicephorum, et Eusebium (*lib.* 2. *cap.* 15. *et* 16), et Hieronymum (*de script. Ecclesiast. in Marc.*), communis tenet catholicorum sententia, qui etiam censent, ab his Marci discipulis christianorum monachorum postea in Ægypto, et Palaestina agmina descendisse, ut et Nicephorus (*cap.* 15), et expressius (*cap.* 16) illis verbis significavit: *Cum ad hodiernum usque diem, non*

apud alios, quam apud nostros homines, regulas tales, vivendique mores conservari compertum sit: et (*lib.* 8. *cap.* 39. *prope fin.*): *Equidem ab illis Ægyptiis tantopere hoc vivendi genus invaluisse conticio*, quae fere verba habentur apud Sozomenum (*lib.* 2. *capit.* 15. *et* 16): erudite etiam Cassianus (*lib.* 2. *cap.* 5) id demonstravit, dicens: *Nam cum in primordiis fidei pauci quidem, sed probatissimi Monachorum nomine censerentur, qui a beatae memoriae Evangelista Marco normam suscepere vivendi, etc.* et infra: *Ea igitur tempestate Ecclesiae illius primitivae perfectio penes successores suos adhuc recenti memoria inviolata duraret.* Quibus manifeste ostendit disciplinam a b. Marco, primis illis Evangelicis monachis traditam, usque ad sua tempora perdurasse, idque et forte expressius in praefatione ad Castorem prope finem indicavit, dicens: *Secundum eam, quam videmus monasteriorum regulam, per Aegyptum, et Palaestinam antiquitas fundatorum, vel adiiciam, vel recidam: nequaquam enim credas rationabilius quidquam, vel perfectius in occiduis Galliarum partibus reperiri potuisse, quam illa sunt instituta, quibus ab exordio praedicationis Apostolicae a sanctis, et spiritualibus Patribus fundata monasteria ad nos usque perdurant;* hactenus Cassianus. Placet igitur Cassiano, Eusebio, Nicephoro, et aliis, Ægypti Monachos in professione, Essenis, hoc est, discipulis beati Marci, successisse.

Porro argumentum, ut ad propositum redeamus, hac ratione formare licebit. Cassianus (*l.* 1. *de inst. renunc.*) fere per totum, Monachos Ægypti, et Palaestinae ab Elia, et Elisaeo, filiisque prophetarum originem ducere, saepe docet, ac repetit, cui subscribunt Nicephorus (*lib.* 8. *cap.* 39), et Sozomenus (*lib.* 1. *cap.* 11), et Hieronymus (*ad Rusticum, et Paulin.*): ergo si Ægyptii Ascetae, sive monachi ab Elia, et Elisaeo ortum habuerunt, et hi praeterea ab Essenis disciplinam suscepere vivendi, eorumque successores extiterunt, necessario fatendum erit, Essenos etiam ab Elia, et Elisaeo, sive filiis prophetarum, eorum successoribus, promanasse: quod praeterea demonstrat nominis etymologia; nam licet demus Essenos a vitae sanctitate esse nuncupatos, quod voluit Chrysostomus (*homil.* 44. *in Acta Apost.*), idque Philo (*in libro, cuius titulus est, quod liber sit probus*), aperte significat; tamen si nominis etymologia attente consideretur, Essenos, sive Esseos, ut alii volunt, ab Elisaeo potius dictos, quasi Elissenos, verius apparet, quae denominatio placuit etiam doctissimo Enrico Enriquez, nostri temporis auctori gravi, ac perdocto (*in* 2. *tom. lib.* 12. *cap.* 5. *in Glossa littera B.*)

OBIECTIO IX.

Nonam obiectionem ut convellam, praesupponere oportet, inter alia pleraque magni momenti privilegia, quibus beata Virgo sacrum Carmelitarum Ordinem cohonestavit, illud singulare esse, quod ex ipsius Deiparae coelesti oraculo Ordo hic in finem mundi duraturus esset: etenim Philippus Macerius, et Ioan. Fevardensius (*in vita sancti Petri Thomae*) huius religionis observantissimi Professoris, affirmant, quod, illo a beatissima Virgine postulante, ut suum conservaret Ordinem, Marianum oraculum respondit: *Usque in finem mundi, Petre, religio Carmelitarum permanebit. Nam Elias illius institutor, filio meo apparens, in transfigurationis id postulavit, et impetravit.*

Congruentem autem huius durationis eam crederem esse rationem, quod huius antiquissimae religionis auctor Elias adhuc vivat, ut multae sacrae Scripturae testimonia comprobant (*Malach.* 4. *Ecclesiast.* 44. *et* 48. *Apocal.* 11. *et Mat.* 17), venturasque sit in fine mundi, ut Christi Ecclesiam defendat, et publice contra Anti-Christum, a quo est interficiendus, praedicationis vocem exallet: rationi ergo consonum est, ut huius religionis alumni, tanquam legitimi Eliae filii, in adventum eius conserventur, ut pariter cum illo sub tanti ducis vexillo, contra Anti-Christum acriter dimicent, fideles doceant, debiles confirment, ac tandem Christi gloriam, et honorem tueantur. Deinde nonne rationi consonum est, ut religio alicuius tamdiu saliem duret, quamdiu durat patronus, et institutor illius? Si ergo huius religionis parens Elias adhuc vivit, vivetque usque in mundi finem, ut sacra testantur eloquia, congruit sane sacrum hunc Ordinem usque in mundi finem durare. Quare in alumnos huius sacrae religionis, qui et a Rechabitis originem trahunt, adaptassim mihi convenire videntur verba Hieremiae (*c.* 35): *Domui autem Rechabitarum dixit Hieremias, haec dicit Dominus exercituum Deus Israel: Pro eo, quod obedistis praecepto Ionadab patri, et custodistis omnia mandata eius, et fecistis universa, quae praecepi vobis, propterea haec dicit Dominus exercituum Deus Israel: Non deficiet vir de stirpe Ionadab, filii Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus:* certe non defecit hactenus de stirpe Eliae, neque in posterum deficiet multiplex successor: etenim ab Eliae raptu usque ad tempus primitivae Ecclesiae, continuata fuit per prophetarum filios, aut per eos religiosos, qui Esseni, vel Elisseni ab Elisaeo appellati sunt, a quo tempore usque ad annum 400. in quo fuit Ioan. patriarcha Hierosolymitanus, eadem via nunquam fuit interrupta; a tempore vero huius patriarchae usque ad Aymericum patriarcham Antiochenum, qui fuit anno 1120. perduravit: quo tempore multa in Ægypto, et Syria fuere Coenobia huius religionis, quae a summis Pontificibus Leone IV. Adriano II. Stephano V. Ioanne X. et XI. Gregorio V. Sergio VII. Alexandro II. et Gregorio VII. fuerunt maximis privilegiis exornata, et amplificata. Iam vero ab Aymerico, qui regulam, quam tradiderat Ioannes patriarcha, e graeco in latinum transferre curavit, usque ad sanctum Albertum patriarcham Hierosolymitanum, qui fuit anno 1171. etiam duravit. Is regulam religiosis tradidit breviorem quidem, sed perfectissimam, et arctissimam. Sic mansit religio usque ad Innocentium IV. anno 1248. a quo petierunt religiosi, ut in quibusdam mitigaret regulam: quod quidem

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

factum fuit in quibusdam rebus parvi momenti; mansit tamen in suo rigore.

Hac autem ratione perseveravit usque ad Eugenium IV. anno 1431. Cum autem animadverterent religiosi, regulam sancti Alberti esse asperrimam, et arctissimam, supplices rogarunt, ut et eam temperaret: annuit ille, duravitque haec mitigatio in tota religione usque ad annum 1561. quo tempore adveniente singulari illo, ac stupendo divinae gratiae prodigio, inclyta scilicet virgine, ac viragine beata Theresia ad pristinum illum, ac rigidum statum omni ex parte reduxit. Nec quidquam nocent huic sacrae religioni canini maledicentium latratus, qui quibusdam sacrae Scripturae locis perperam intellectis durationem huius Ordinis in finem mundi in hunc modum lacerare moliuntur; obiectant illud (*Hieremiae* 4): *Aspexi, et ecce Carmelus desertus, et omnes urbes eius destructae sunt.* At quis non videat hic sermonem esse non de religione Carmeli, sed de Iudaea, quae, ut ibi adnotat noster Lyranus, in Carmelo denominata est, eo quod erat locus fertilis, et amoenus. Deinde sagittam aliam adversus eandem mittunt, ex pharetra Amos depromptam, qui (*cap.* 1) ait: *Exsiccatus est vertex Carmeli:* quasi vaticinari voluerit per haec verba, exsiccandum, et extinguendum esse Ordinem Carmelitanum. Sed et hoc inepte dici, nemo tam mentis inops est, qui non agnoscat: nam ibi Propheta inter supplicia futura populo Dei, commemorat montem Carmelum, alioquin uberrimum, et multis fontibus, et rivulis affluentem, exsiccandum esse non in totum, sed secundum verticem, ut et verba praecedentia satis indicant *Et luxerunt speciosa pastorum, et exsiccatus est vertex Carmeli.* Ac tandem telum aliud ex Isai. coniiciunt (*cap.*37): *Succidam saltum Carmeli,* quod impletum fuit, quando Sarraceni in Carmelum invadentes, permultos habitatores eius extinxerunt. Sed nec haec obiectio quidquam prodest: primo, nam verba illa, non sunt Dei, nec ad religionem Carmeli diriguntur, sed sunt regis Sennacherib, qui minabatur depraedaturum montem Carmelum, in quo magna erat pecorum copia ibi pascentium; non obstante autem Sarracenorum cruenta persequutione, monachi Carmeli sine defensione defensi, sine munimine muniti, et in eremo inermes solius orationis, silentii, spei, pacis, et charitatis vallo constipati coelestem vitam agebant. Unde Isaias postquam (*cap.* 33) praedictae persequutionis populi Dei meminerat, subdit haec verba: *Et erit desertum in Carmelo, et Carmelus in saltum reputabitur, et habitabit in solitudine iudicium, et iustitia in Carmelo sedebit, et opus erit iustitiae pax, et cultus iustitiae silentium, et securitas usque in sempiternum.* Licet enim temporibus Iudaicarum captivitatum esset desertum in Carmelo, ita ut in saltum vere reputaretur; populus tamen monachorum illic commorantium faciebat in solitudine illa iudicium Dei, et servabat in Carmelo iustitiam, de qua dictum est: *Iustitia iusti salvavit illum.* Ecce opus eorum erat pax, qua unanimes ad invicem se diligentes, summa animi tranquillitate vivebant, et cultus iustitiae erat silentium, quo vitabant multiloquia; et securitas, qua a corde fugabant inimicorum tam visibilium, quam invisibilium pavorem omnem; ita erant in corde quieti, et securi, ut cor eorum non reprehenderet eos; et ideo confidentes in Deo eos protegente, cuius beneplacita faciebant semper, non timebant millia populi circumdantis eos, quia Dominus cum illis erat: teste enim Sapiente (*Proverbiorum* 16): *Cum placuerint Domino viae eius, inimicos quoque eius convertet ad pacem.* Deus enim licet armet universam creaturam ad ultionem inimicorum, amicorum autem suorum neque permittit capitis capillum perire, atque adeo cum transeunt per ignem, flamma non nocet illis.

Atque hinc est, quod cum de aliis dixisset Dominus (*Isaiae cap.* 32): *Plangite super regione desiderabili, super vinea fertili, etc.* de monachis tamen Carmeli ait: *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciae, et in requie opulenta.* Quod si quispiam dicat, qua ratione credi potest, ut grassante bello per totam illam Carmeli plagam, hostes immunes relinquerent monachos multos, audiat Michaeam (*c.* 7) dicentem: *Terra erit in desolationem propter habitatores suos, et propter fructum cogitationum eorum.* Mox tamen de ipsis monachis subdit: *Pasce Domine populum tuum in virga tua,* id est, aequitatis, *gregem haereditatis tuae habitantes solos in saltu in medio Carmeli, pascentur Basam, et Galaad iuxta dies antiquos.* Ubi ponderatione dignum est verbum illud: *Gregem tuum:* nam Gregorius Niss. de monachis illis explicat illud Cantic. *Greges tui sicut oves tonsorum, quae ascendunt de lavacro,* quia naturali ovium colore, quarum lanis induebantur, incidebant; et illud: *Habitantes solos in saltu in medio Carmeli;* per *solos* significat monachos, quia monachus idem est, quod solus, vel unus. Addo ulterius ad explicandum loca, in quibus docetur Carmelum fuisse desertum, et exsiccatum, de persecutionibus Sarracenorum intelligi posse. Etenim ut tradunt Trithemius (*de laudibus Carmelitarum cap.* 8), Paulus Morigia (*de orig. relig. lib.* 1. *cap.* 30), Carolus Tapia (*super authent. ingressi, verbo monasteria, cap.*17), duplici via fuerunt Carmelitae saepius vexati: primo a Chosroa rege Persarum circa annum Domini 534. qui cum caperet Syriam, etiam Hierusalem occupavit, et fere omnes monachos, quos in finibus illis invenit, gladio percussit; praecipue in deserto Carmeli, Iordanis, et montis Nerei, inter quos fuit specialiter insignis martyr sanctus Anastasius Persa, de quo agitur officium die 23. Ianuarii, et cum illo turba multa monachorum Carmeli, Iordanis, et montis Nerei. Licet autem Heraclius Imperator, postquam Chosroam devicit, quam plurima monasteria reparavit circa annum Domini 636. eodem tempore surrexit secunda Carmelitarum persecutio ab Humar rege Arabiae, et Mahumeti discipulo, qui totam terram Sanctam, Syriam, pheniciam, et Palaestinam suo Imperio subiugavit, quo tempore, ut refert s. Pater Cyrillus Graecus Tertius Latinorum generalis (*in epist. ad Abb. Ioach. cap.* 7. *et* 8), in Carmelo pauci monachi remanserunt superstites, quia rex Humar biliosa rabie in Carmelitas acerrime invehebatur. Haec oppressio duravit usque ad tempora Caroli magni Galliae imperatoris: tunc Sarraceni aegre ferentes, quod Carmelitae illi, sicut eorum sacerdotes, vestibus albis induerentur, vi compulerunt illos, ut vel album amictum deponerent, vel e finibus eorum exules recederent: qui ne antiquam Eliae, et Elisaei haereditatem, et successionem in illa amitterent, elegerunt vestes albas in variegatas mutare ad imitationem illius, quam Elias misit Elisaeo. Duravit haec habitus mutatio usque ad tempora Honorii Quarti, qui violenter habitum, eis a Sarracenis ablatum, continuo restituit. Illo calamitoso tempore maximos labores pertulit Carmelitana religio, adeo ut omnes Carmeliticae religionis historiographi referant ab anno 636. usque ad ann. 1290. gladio impiorum occubuisse monachos Carmeli centum quadraginta millia martyrum, de quibus non obscure loquitur Nicolaus de Lyra (*sup. Apocal cap.*19), ubi ait, Humar regem Arabiae obtinuisse sibi Syriam, Ciliciam, Africam, et Hispaniam, in quibus erant quam plurima monasteria monachorum, et virginum, et ex eis 140. millia martyrum occidisse. Omnes autem istos monachos et virgines, sub Eliae patriarchae disciplina degere, nullus potest ambigere, cum tunc non esset alius monachorum agnitus Pater cui possent hi filii adscribi, prout sancti Patres frequenter docent. Circa annum autem Dom. 1126. Calo Ioannes Graecorum Orientis impiissimus imperator, ut refert Otho Frisingensis (*lib.* 7. *cap.* 28), et Hieronymus Romanus Augustinianus (1. *par. libr.* 5. *cap.* 10) cepit Carmelitas, qui quasi semen Dei in Carmelo remanserant, ita affligere, ut cum contra Mauros inveheretur, nec voti compos evasisset, in religiosos Carmelitas omnem suam evomuit rabiem, quosdam flagellando, alios exulando, multos occidendo. Circa annum vero Domini 1200. tempore sancti Cyrilli Tertii Prioris Generalis Latinorum, iterum fuit a Sarracenis magna ex parte eversa Carmelitana religio in monte Carmelo. Dixi magna ex parte, et non funditus, quia circa annum Dom. 1500. Baptista Mantuanus, et alii itinerarii testantur, post annum 1500. in monte Carmelo perseverasse adhuc aliquos monachos Carmelitas, et tunc potest optime verificari illud (*Ieremiae* 4): *Et ecce Carmelus desertus.* Nihil ergo prophetae Dei adversus hanc sacram Religionem somniarunt, imo in omnes eius filios praeclare mihi convenire videntur verba illa (*Eccl.* 44): *Viri misericordiae sunt, quorum pietates non defuerunt, cum semine eorum permanent bona, haereditas sancta nepotes eorum, et in testamentis stetit semen eorum, et filii eorum propter illos usque in aeternum manent: semen eorum, et gloria eorum non derelinquetur.* Sane beata Virgo non dereliquit, sed speciali sua protectione mirifice fovit: nam ut legitur in officio, a Sede Apostolica approbato Virginis Mariae de monte Carmelo (*lectio.* 5): *Cum olim in Europa Ordo hic esset ignotus, et ob id apud Honorium Quartum non pauci pro illius extinctione instarent, astitit Honorio noctu purissima Virgo Maria, planeque iussit, ut institutum, et homines benigne complecteretur.* Ex quibus clare innotescit, quam sollicitam curam beatissima Virgo gesserit diuturnitatis, et conservationis huius sacrae religionis.

OBIECTIO X.

Decimo nonnullos audio irridere Carmelitanum Ordinem gloriari, quod divum Ioannem Baptistam inter professores Eliani instituti, et monasticae illius disciplinae connumeret. Putant enim Ioannem minime fuisse monachum. Sed hos irrisores, merito irrideo ego, cum ex sanctis Patribus aperte colligatur, divum Ioannem Baptistam fuisse monachum, et monachum Carmelitam: sane quod monachus fuerit, expresse testantur divus Hieronymus (*ad Eustoch. de serv. virgin.*), Chrysostomus (*homil.* 1. *in Marc.*), sanctus Bernardus (*in serm. de excel. Ioan. Bapt.*), sanctus Isidorus (*lib.* 2. *de offic. cap.* 11), Cassianus (*collat.* 18. *cap.* 7. *et lib.* 1. *de inst. renun. cap.* 2), Sozomenus (*lib.* 1. *histor.*), qui omnes Ioannem Baptistam vocant principem monachorum primitivae Ecclesiae: si autem monachus fuit, cum ratione ipsa valde cohaeret, fuisse professorem Eliani instituti, cum et incola fuerit montis Carmeli, et Eliam in omnibus adeo imitatus fuerit, ut divino Christi oraculo dictum sit venisse illum in spiritu Eliae, et in monte Carmelo, et iuxta Iordanem habitaverit. Unde sine dubio ipse vitam egit in desertis illis locis inter filios prophetarum, qui monasticam Eliae disciplinam profitebantur; nam illi, ut testantur divus Isidorus (*lib.* 2. *de offic. c.* 15), et Hieronymus (*ad Paul.*), habitabant iuxta Iordanem; unde Nicephorus Callistus (*lib.* 18. *Eccles. hist. ca.* 36) refert, reginam Helenam duo templa aedificasse, unum in honorem Eliae in planiori quadam parte montis Carmeli, alterum vero in inferiori parte eius, ad Iordanem respicientem, quia in illis locis Patres illi morati fuerant. Sed ut magis innotescat Ioannem Baptistam Eliae instituti professorem fuisse, audiamus d. Hieronymum (*in comm. sup. Matth*): *Ioannes,* inquit, *Elias dicitur, non secundum stultos Pharisaeos, et quosdam haereticos, qui reversionem animarum introducunt; sed quia iuxta aliud testimonium Evangelii venerit in spiritu, et virtute Eliae, et eandem Spiritus sancti vel gratiam habuerit, vel mensuram; sed et vitae austeritate, rigoreque vitae Elias, et Ioannes pares sunt.*

Unde divus Ambrosius (*in epist. ad Vercell. cap.* 14) in hunc modum loquitur: *Cum ergo venit sacra plenitudo temporis, fuit ad dictos Monachos in desertis missus homo illic a Deo, cui nomen erat Ioannes, scilicet Baptista monasticae vitae eremiticae, ab Elia institutae, cultor eximius. Ambo enim tam Elias, quam Ioannes fuerunt indumentis hispidis induti, luxu casti, victu frugi, conversatione solitarii, et deserta iugiter sequuti fuerunt, et electi per Deum praecursores Christi, Ioannes quidem adventus primi, Eliae vero ultimi, dicente Domino: Elias quidem venturus est, et restituet omnia. Dico autem vobis, quia Elias iam venit, et non co-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

gnoverant eum, sed fecerunt in eum quaecunque voluerunt. Tunc intellexerunt discipuli, quia de Ioanne Baptista dixisset eis, et propterea sacerdotes, et Levitae, ab Hierosolymis per Iudaeos ad Ioannem missi, intuentes, eum in omnibus conversationem monasticae vitae Eliae praecipue sequi: quaerebant ab eo, si ipse erat Elias, quoniam sicut angelus Gabriel de eo praedixerat, venit in spiritu, et virtute Eliae ad exemplum cuius, domo sui patris, et terrenis opibus derelictis, conversatus fuit iugiter in deserto: et ad instar illius vinum, et siceram non libens, habuit ad imitationem eius vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos suos, ut testatur Matthaeus Evangelista capite tertio. Accedit b. Ioannes XLIV. patriarcha Hierosolymitanus (*lib. 2. de instit. monac.*), ubi idipsum non semel testatur: sic enim ait: *Hinc illi processerunt viri Elias, Elisaeus, et Ioannes, qui pelliceis tunicis, et caprinis induti, inopes, atque egentes, angustiis, et doloribus afflicti, in solitudinibus errabant;* haec ille. Et ne quispiam dical, recte potuisse Ioannem in cavernis, et speluncis vitam egisse, absque eo quod monasticam vitam profiteretur, audiat quid ipse postea subiecerit: *Ideo Christus sciens Ioannem expressam monasticae vitae prophetae Eliae imaginem gerere, dixit turbis, ipsum esse Eliam.* Quid clarius?

OBIECTIO XI.

Undecimo, redeo ad importunum illum auctorem Hieronymum, qui tanta efferbuit libidine impugnandi sacram Carmelitarum religionem, ut in eodem defensorio contendat, habitu, quo utuntur, illos expoliare, dicens: falsum esse album colorem pertinere ad habitum eorum, eo quod Elias pallio albo usus fuerit: hoc enim affirmat, in nullo fide digno libro invenire potuisse. Sed id ego diligentior inveni, nam in primis Ioannes XLIV. patriarcha Hierosolymitanus (*libro de institut. Monach. cap.* 40) postquam dixerat: *Docuit Elias monachos, hanc religionem profitentes, debere pallio supervestiri albo;* postea subdit haec verba: *Qui Eliam, velut monastice vivendi exemplar, erant imitaturi, in ardore nedum mentali sincerae puritatis, sed etiam corporalis habitus albi eos desuper tegentis.* Trithemius Abbas (*de laud. Carmelit. cap.* 6) idipsum in haec verba contestatur: *Color autem ipsius habitus albus fuisse dicitur, per quem interior fratrum munditia, et puritas assignatur: tali Eliam amictum fuisse tradunt, tali habitu incessisse Elisaeum, et filios prophetarum.* Addit sanctus Epiphanius in vita Eliae, hoc genus albi habitus, quo religiosi eius uti debebant, in visione divinitus sibi fuisse monstratum: verba eius sunt haec: *Quem, id est, Eliam, cum enitteretur parens eius, eiusmodi Sabbacha patri suo visio apparuit, viri niveum quendam praeseferentes habitum, etc.* Refert idem sanctus Dorotheus (*in vita Eliae*), dum ait: *Cum nasciturus esset Elias, pater eius Sabbach vidit illum ab angelis albicantibus salutari.*

OBIECTIO XII.

Duodecimo, quidam scioli obiiciunt, quod si tanta esset antiquitas Ordinis Carmelitani, revera in actibus publicis deberent Carmelitae praecedere, et praeferri aliorum Ordinum religiosis: e contra tamen fit, quod Praedicatores, Minores, et Augustiniani, eis praeferuntur in capella Summi Pontificis, et in publicis processionibus. Huic obiectioni congrue facit satis speculum Ordinis Carmelitarum (*tract. sup. informat. b. Mar. de mont. Carm. artic.* 1), ubi haec verba lego: *Praedicatores, et Minores tempore Innocentii Papae Tertii in Cismarinis partibus, videlicet in Tholosa, et Assisio inceperunt, qui continuo per diversa regna Cismarina multiplicati, ac praedicationibus, et doctrinis in hominum frequentia laudabiliter insistentes, statim post suam fundationem habebantur venerabiles, et famosi; fratres vero praedicti b. Mariae de monte Carmelo, primo tempore Innocentii Quarti Papae propter persecutionem Sarracenorum in terra sancta, ubi ipsorum religio fundata fuerat ab antiquo: ad partes Cismarinas se transferentes potius tam extra civitates, et frequentiam hominum modo eremitico, quo fecerant in terra sancta, quam infra civitates hominibus habitare elegerunt per tempora longiora. In cuius evidentiam praedicti fratres conventus suos, quos primo fundaverant in partibus Cismarinis, remote a civitatibus, et frequentia hominum construxerunt. Qui postea per tempora longiora doctrinis, et praedicationibus, utilitati proximorum proficere cupientes, infra civitates, et hominum frequentiam habitare inceperunt, et multorum locorum suorum, quae fundaverant remote a civitatibus, translationem ad civitates a Summis Pontificibus impetraverunt. Et ideo Praedicatores, et Minores, tanquam prius in hominum frequentia conversantes, et magis, et prius noti praeponuntur dictis fratribus Ordinis beatae Mariae de monte Carmeli;* haec ibi. Non obstante autem praedicta praecedentia, Ordo Carmeli tanta fulget antiquitate, ut de ipsius vetustate in iure non extet memoria; cum tamen de illa mentionem faciat: etenim in decreto Lugdunensis Concilii, prohibente ne Ordines Mendicantes post Concilium Lateranense adinventi, ulterius procederent absque Sedis Apostolicae facultate; postea vero facit hanc exceptionem in haec verba: *Sane ad Praedicatorum, et Minorum Ordines propter eorum evidentem Ecclesiae utilitatem, praesentem non patimur constitutionem extendi: caeterorum Eremitarum s. Augustini, et Carmelitarum Ordines, quorum institutio dictum Generale Concilium praecessit, in solido statu columus permanere;* haec ibi. Ex quibus aperte constat, quod si tunc religio Carmelitana non censeretur a Concilio Lugdunensi approbata, revera per suum generale decretum illam extinxisset: et quamvis quidam dicant, non esse legendum *in solido*, sed *in solito*, nihil prorsus refert hoc, vel illo modo legi, quia si solitus eius status non fuisset approbatus, minime Concilium pateretur illum ultra progredi, cum et approbatas religiones post Concilium Lateranense omnino deleverit. Ecce fatetur Concilium Lugdunense praecessisse religionem Carmelitarum Concilium Lateranense, nec assignat certum tempus sui processus.

OBIECTIO XIII.

Ad extremum, ut ultimo quorundam obtrectatorum obiectioni satisfaciam, observandum est prius, quod sancta Dei Genitrix, ac perpetua Virgo Maria, post obitum fratrum, sororum, confratrum, et consororum Carmelitarum Ordinis, prima die Sabbati animas eorum, earumque in Purgatorio persistentes, suis intercessionibus a poenis illius liberat, ut ipsa beata Virgo pollicita fuit s. Simoni Stoch, Priori Generali Ordinis Carmelitarum. Hoc singulare privilegium multi lacerant; sed immerito, quia Summus Pontifex Ioannes XXII. in bulla, quae incipit: *Sacratissimo*, data Lugduni 3. die mensis Martii anno 6. sui Pontificatus, his verbis illud confirmavit: *Istam ergo sanctam Indulgentiam accepto robore in terris confirmo, sicut propter merita Virginis Christus concessit in coelis.* Meminit huius Bullae Paleonydorus (*l.3.sap.*11), ubi obiter observatione dignum arbitror, quod in eadem bulla fatetur ipse Pontifex, beatam Virginem sibi apparuisse, ac dixisse propter devotionem, quam erga me habes, ab adversario tuo te liberabo, et ad supremum dignitatis Ecclesiasticae culmen te promovebo: in cuius rei recompensationem volo te benevolum exhibere erga fratres meos filios Eliae, et inter alia praecipit, ut Indulgentiam hanc Sabbatinam per propriam bullam confirmaret. Eandem etiam postea acceptarunt, et confirmarunt Alexander V. in bulla, quae incipit: *Tenore cuiusdam privilegii felicis recordationis Ioannis vigesimi secundi*: Clemens VII. in bulla, cuius principium est: *Dilecti filii*, data in Urbe veteri, die 15. Maii, anno 1528. ubi haec verba habentur: *Die, quo a saeculo huiusmodi Purgatorium accesserint, ipsa Virgo gloriosa Dei Genitrix Maria, Sabbato sequenti post illorum confratrum, seu religiosorum, ac sororum obitus visitando, a poenis Purgatorii huiusmodi eorum animas liberabit.* Eandem etiam Indulgentiam confirmavit Gregorius XIII. in bulla, quae incipit, *ut laudes Gloriosissimae Mariae.* Ac tandem Academia Salmaticensis, exploratis Apostolicis his bullis, declaravit, validam esse hanc Sabbatinam Indulgentiam, et suo robore semper permanere, nisi per Summum Pontificem, aut Concilium aliquod derogetur, nosque testamur, insigniorum doctorum illius Academiae subscriptiones illam approbantes legisse, et vidisse. Quare cum non solum auctoritate tantorum doctorum, sed expressis Summorum Pontificum oraculis, Indulgentia haec Sabbatina sit corroborata, et stabilita, non video qua ratione quispiam absque ingenti temeritate illam inficiari queat.

HOMILIA III.

In eodem festo s. Mariae de monte Carmelo Deiparae laudes, nec non Carmelitici Ordinis encomia prosequimur.

Cum praesenti festivitate sanctae Mariae de monte Carmelo valde congruere mihi videatur divinum illud Sponsi elogium (*Cant.* 7): *Caput tuum, ut Carmelus;* varia, quae in eo delitescunt, arcana, in laudem Virginis placet primo reserare, deinde encomia Carmelitanae religionis prosequi. Scio, d. Gregorium per caput hoc loco intelligere Christum Dominum, ipsumque monti Carmelo assimilare, verba illius sunt haec: *Caput Ecclesiae, Christus, qui bene, ut Carmelus dicitur, quia ipse per passionem, quam sustinuit, ad gloriam Patris est exaltatus, de quo scriptum est: Et erit in nocissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium: in Carmelo quippe Elias orans, obtinuit pluviam, et nos in Carmelo orantes, pluviam impetramus, quando in Christum credentes, Christum desideramus, et a patre irrigationem gratiae suscipimus, quam rogamus.* Hanc interpretationem sequutus eruditus auctor Iustus (*in cap.* 7. *Cantic.*) ait: *In Carmelo monte s. Elias, et Elisaeus saepe receptaculum habuerunt, quapropter in capite Ecclesiae Domino nostro Iesu Christo, quo sublimius nihil est, tanquam in monte Carmelo, est iusti habitaculum, et multitudo populorum, tanquam diversitas animalium, sapientiae percipit alimentum. Comae capitis istius, sicut purpura regis iuncta canalibus, eminentiores sunt sancti, videlicet martyres Christo consimilati.* Ceterum alii doctores praesentem locum intelligunt de ipso monte Carmelo; in eo tamen sunt divisi, ac discordes, quod quidam illum applicant ad Ecclesiam, sicut applicuit noster Nicolaus de Lyra, qui affirmans Carmelum montem esse in Iudaea altissimum, et pulcherrimum, multisque herbis odoriferis refertum, ait. Isaiam (*cap.*35) ad explicandam Ecclesiae catholicae felicitatem adhibuisse similitudinem a monte petitam: *Laetabitur deserta, et invia, et exultabit solitudo, et florebit, quasi lilium germinans germinabit, et exultabit laetabunda, et laudans, gloria Libani data est ei, decor Carmeli, et Saron.* Etenim per fertilitatem, et amoenitatem horum, et praesertim Carmeli, qui foecundissimus erat, significare voluit Isaias, quicquid erat spiritualis amoenitatis in veteri lege transferendum fuisse in Ecclesiam Christi. Alii tamen doctores praedictum locum mystice intelligentes, in laudem Virginis illum convertunt. Doctissimi Gulielmi piam, ac praeclaram expositionem primo loco apponam, ab eius verbis nihil prorsus detrahens: sic enim illum interpretatur: *Mens in Virgine matre, monti comparatur propter excellentiam gratiae: Carmelus quippe in literis sacris mons est famosus. Cur autem non alii monti, sed Carmelo potissimum mens illa virginea comparetur, ratio est: Carmelus quippe*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

gnoverant eum, sed fecerunt in eum quaecunque voluerunt. Tunc intellexerunt discipuli, quia de Ioanne Baptista dixisset eis, et propterea sacerdotes, et Levitae, ab Hierosolymis per Iudaeos ad Ioannem missi, intuentes, eum in omnibus conversationem monasticae vitae Eliae praecipue sequi: quaerebant ab eo, si ipse erat Elias, quoniam sicut angelus Gabriel de eo praedixerat, venit in spiritu, et virtute Eliae ad exemplum cuius, domo sui patris, et terrenis opibus derelictis, conversatus fuit iugiter in deserto: et ad instar illius vinum, et siceram non libens, habuit ad imitationem eius vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos suos, ut testatur Matthaeus Evangelista capite tertio. Accedit b. Ioannes XLIV. patriarcha Hierosolymitanus (*lib. 2. de instit. monac.*), ubi idipsum non semel testatur: sic enim ait: *Hinc illi processerunt viri Elias, Elisaeus, et Ioannes, qui pelliceis tunicis, et caprinis induti, inopes, atque egentes, angustiis, et doloribus afflicti, in solitudinibus errabant;* haec ille. Et ne quispiam dical, recte potuisse Ioannem in cavernis, et speluncis vitam egisse, absque eo quod monasticam vitam profiteretur, audiat quid ipse postea subiecerit: *Ideo Christus sciens Ioannem expressam monasticae vitae prophetae Eliae imaginem gerere, dixit turbis, ipsum esse Eliam.* Quid clarius?

OBIECTIO XI.

Undecimo, redeo ad importunum illum auctorem Hieronymum, qui tanta efferbuit libidine impugnandi sacram Carmelitarum religionem, ut in eodem defensorio contendat, habitu, quo utuntur, illos expoliare, dicens: falsum esse album colorem pertinere ad habitum eorum, eo quod Elias pallio albo usus fuerit: hoc enim affirmat, in nullo fide digno libro invenire potuisse. Sed id ego diligentior inveni, nam in primis Ioannes XLIV. patriarcha Hierosolymitanus (*libro de institut. Monach. cap.* 40) postquam dixerat: *Docuit Elias monachos, hanc religionem profitentes, debere pallio supervestiri albo;* postea subdit haec verba: *Qui Eliam, velut monastice vivendi exemplar, erant imitaturi, in ardore nedum mentali sincerae puritatis, sed etiam corporalis habitus albi eos desuper tegentis.* Trithemius Abbas (*de laud. Carmelit. cap.* 6) idipsum in haec verba contestatur: *Color autem ipsius habitus albus fuisse dicitur, per quem interior fratrum munditia, et puritas assignatur: tali Eliam amictum fuisse tradunt, tali habitu incessisse Elisaeum, et filios prophetarum.* Addit sanctus Epiphanius in vita Eliae, hoc genus albi habitus, quo religiosi eius uti debebant, in visione divinitus sibi fuisse monstratum: verba eius sunt haec: *Quem, id est, Eliam, cum enitteretur parens eius, eiusmodi Sabbacha patri suo visio apparuit, viri niveum quendam praeseferentes habitum, etc.* Refert idem sanctus Dorotheus (*in vita Eliae*), dum ait: *Cum nasciturus esset Elias, pater eius Sabbach vidit illum ab angelis albicantibus salutari.*

OBIECTIO XII.

Duodecimo, quidam scioli obiiciunt, quod si tanta esset antiquitas Ordinis Carmelitani, revera in actibus publicis deberent Carmelitae praecedere, et praeferri aliorum Ordinum religiosis: e contra tamen fit, quod Praedicatores, Minores, et Augustiniani, eis praeferuntur in capella Summi Pontificis, et in publicis processionibus. Huic obiectioni congrue facit satis speculum Ordinis Carmelitarum (*tract. sup. informat. b. Mar. de mont. Carm. artic.* 1), ubi haec verba lego: *Praedicatores, et Minores tempore Innocentii Papae Tertii in Cismarinis partibus, videlicet in Tholosa, et Assisio inceperunt, qui continuo per diversa regna Cismarina multiplicati, ac praedicationibus, et doctrinis in hominum frequentia laudabiliter insistentes, statim post suam fundationem habebantur venerabiles, et famosi; fratres vero praedicti b. Mariae de monte Carmelo, primo tempore Innocentii Quarti Papae propter persecutionem Sarracenorum in terra sancta, ubi ipsorum religio fundata fuerat ab antiquo: ad partes Cismarinas se transferentes potius tam extra civitates, et frequentiam hominum modo eremitico, quo fecerant in terra sancta, quam infra civitates hominibus habitare elegerunt per tempora longiora. In cuius evidentiam praedicti fratres conventus suos, quos primo fundaverant in partibus Cismarinis, remote a civitatibus, et frequentia hominum construxerunt. Qui postea per tempora longiora doctrinis, et praedicationibus, utilitati proximorum proficere cupientes, infra civitates, et hominum frequentiam habitare inceperunt, et multorum locorum suorum, quae fundaverant remote a civitatibus, translationem ad civitates a Summis Pontificibus impetraverunt. Et ideo Praedicatores, et Minores, tanquam prius in hominum frequentia conversantes, et magis, et prius noti praeponuntur dictis fratribus Ordinis beatae Mariae de monte Carmeli;* haec ibi. Non obstante autem praedicta praecedentia, Ordo Carmeli tanta fulget antiquitate, ut de ipsius vetustate in iure non extet memoria; cum tamen de illa mentionem faciat: etenim in decreto Lugdunensis Concilii, prohibente ne Ordines Mendicantes post Concilium Lateranense adinventi, ulterius procederent absque Sedis Apostolicae facultate; postea vero facit hanc exceptionem in haec verba: *Sane ad Praedicatorum, et Minorum Ordines propter eorum evidentem Ecclesiae utilitatem, praesentem non patimur constitutionem extendi: caeterorum Eremitarum s. Augustini, et Carmelitarum Ordines, quorum institutio dictum Generale Concilium praecessit, in solido statu columus permanere;* haec ibi. Ex quibus aperte constat, quod si tunc religio Carmelitana non censeretur a Concilio Lugdunensi approbata, revera per suum generale decretum illam extinxisset: et quamvis quidam dicant, non esse legendum *in solido*, sed *in solito*, nihil prorsus refert hoc, vel illo modo legi, quia si solitus eius status non fuisset approbatus, minime Concilium pateretur illum ultra progredi, cum et approbatas religiones post Concilium Lateranense omnino deleverit. Ecce fatetur Concilium Lugdunense praecessisse religionem Carmelitarum Concilium Lateranense, nec assignat certum tempus sui processus.

OBIECTIO XIII.

Ad extremum, ut ultimo quorundam obtrectatorum obiectioni satisfaciam, observandum est prius, quod sancta Dei Genitrix, ac perpetua Virgo Maria, post obitum fratrum, sororum, confratrum, et consororum Carmelitarum Ordinis, prima die Sabbati animas eorum, earumque in Purgatorio persistentes, suis intercessionibus a poenis illius liberat, ut ipsa beata Virgo pollicita fuit s. Simoni Stoch, Priori Generali Ordinis Carmelitarum. Hoc singulare privilegium multi lacerant; sed immerito, quia Summus Pontifex Ioannes XXII. in bulla, quae incipit: *Sacratissimo*, data Lugduni 3. die mensis Martii anno 6. sui Pontificatus, his verbis illud confirmavit: *Istam ergo sanctam Indulgentiam accepto robore in terris confirmo, sicut propter merita Virginis Christus concessit in coelis.* Meminit huius Bullae Paleonydorus (*l.3.sap.*11), ubi obiter observatione dignum arbitror, quod in eadem bulla fatetur ipse Pontifex, beatam Virginem sibi apparuisse, ac dixisse propter devotionem, quam erga me habes, ab adversario tuo te liberabo, et ad supremum dignitatis Ecclesiasticae culmen te promovebo: in cuius rei recompensationem volo te benevolum exhibere erga fratres meos filios Eliae, et inter alia praecipit, ut Indulgentiam hanc Sabbatinam per propriam bullam confirmaret. Eandem etiam postea acceptarunt, et confirmarunt Alexander V. in bulla, quae incipit: *Tenore cuiusdam privilegii felicis recordationis Ioannis vigesimi secundi*: Clemens VII. in bulla, cuius principium est: *Dilecti filii*, data in Urbe veteri, die 15. Maii, anno 1528. ubi haec verba habentur: *Die, quo a saeculo huiusmodi Purgatorium accesserint, ipsa Virgo gloriosa Dei Genitrix Maria, Sabbato sequenti post illorum confratrum, seu religiosorum, ac sororum obitus visitando, a poenis Purgatorii huiusmodi eorum animas liberabit.* Eandem etiam Indulgentiam confirmavit Gregorius XIII. in bulla, quae incipit, *ut laudes Gloriosissimae Mariae.* Ac tandem Academia Salmaticensis, exploratis Apostolicis his bullis, declaravit, validam esse hanc Sabbatinam Indulgentiam, et suo robore semper permanere, nisi per Summum Pontificem, aut Concilium aliquod derogetur, nosque testamur, insigniorum doctorum illius Academiae subscriptiones illam approbantes legisse, et vidisse. Quare cum non solum auctoritate tantorum doctorum, sed expressis Summorum Pontificum oraculis, Indulgentia haec Sabbatina sit corroborata, et stabilita, non video qua ratione quispiam absque ingenti temeritate illam inficiari queat.

HOMILIA III.

In eodem festo s. Mariae de monte Carmelo Deiparae laudes, nec non Carmelitici Ordinis encomia prosequimur.

Cum praesenti festivitate sanctae Mariae de monte Carmelo valde congruere mihi videatur divinum illud Sponsi elogium (*Cant.* 7): *Caput tuum, ut Carmelus;* varia, quae in eo delitescunt, arcana, in laudem Virginis placet primo reserare, deinde encomia Carmelitanae religionis prosequi. Scio, d. Gregorium per caput hoc loco intelligere Christum Dominum, ipsumque monti Carmelo assimilare, verba illius sunt haec: *Caput Ecclesiae, Christus, qui bene, ut Carmelus dicitur, quia ipse per passionem, quam sustinuit, ad gloriam Patris est exaltatus, de quo scriptum est: Et erit in nocissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium: in Carmelo quippe Elias orans, obtinuit pluviam, et nos in Carmelo orantes, pluviam impetramus, quando in Christum credentes, Christum desideramus, et a patre irrigationem gratiae suscipimus, quam rogamus.* Hanc interpretationem sequutus eruditus auctor Iustus (*in cap.* 7. *Cantic.*) ait: *In Carmelo monte s. Elias, et Elisaeus saepe receptaculum habuerunt, quapropter in capite Ecclesiae Domino nostro Iesu Christo, quo sublimius nihil est, tanquam in monte Carmelo, est iusti habitaculum, et multitudo populorum, tanquam diversitas animalium, sapientiae percipit alimentum. Comae capitis istius, sicut purpura regis iuncta canalibus, eminentiores sunt sancti, videlicet martyres Christo consimilati.* Ceterum alii doctores praesentem locum intelligunt de ipso monte Carmelo; in eo tamen sunt divisi, ac discordes, quod quidam illum applicant ad Ecclesiam, sicut applicuit noster Nicolaus de Lyra, qui affirmans Carmelum montem esse in Iudaea altissimum, et pulcherrimum, multisque herbis odoriferis refertum, ait. Isaiam (*cap.*35) ad explicandam Ecclesiae catholicae felicitatem adhibuisse similitudinem a monte petitam: *Laetabitur deserta, et invia, et exultabit solitudo, et florebit, quasi lilium germinans germinabit, et exultabit laetabunda, et laudans, gloria Libani data est ei, decor Carmeli, et Saron.* Etenim per fertilitatem, et amoenitatem horum, et praesertim Carmeli, qui foecundissimus erat, significare voluit Isaias, quicquid erat spiritualis amoenitatis in veteri lege transferendum fuisse in Ecclesiam Christi. Alii tamen doctores praedictum locum mystice intelligentes, in laudem Virginis illum convertunt. Doctissimi Gulielmi piam, ac praeclaram expositionem primo loco apponam, ab eius verbis nihil prorsus detrahens: sic enim illum interpretatur: *Mens in Virgine matre, monti comparatur propter excellentiam gratiae: Carmelus quippe in literis sacris mons est famosus. Cur autem non alii monti, sed Carmelo potissimum mens illa virginea comparetur, ratio est: Carmelus quippe*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

interpretatur scientia circumcisionis, et ne pia mater videatur forte minus intellexisse mysterium circumcisionis, quod in illo veteri populo contra originalem reatum divinitus sancitum erat, ne, inquam, videatur minus nosse mysterium circumcisionis, eo quod filium duxit circumcidendum, quem privilegio sacrae Conceptionis, et Nativitatis sciebat esse ab omni originali, et labe immunem, et liberum: idcirco illi a filio specialiter dicitur: Caput tuum, ut Carmelus: ac si aperte diceretur: Bene sciebas, O pia Mater, cur populo Dei datum esset remedium circumcisionis, et tamen me, quem sine concupiscentia, ac per hoc non in peccatis singulariter concepisti, carnali circumcisioni, quasi ab originali labe purgandum, subdidisti: neque hoc insipienter faciebas, sed divinae inspirationi, per spiritum edoctae serviebas: quippe oportuit mediatorem legis factum ex muliere, fieri sub lege, et hoc dispensatorie, ut eos, qui sub lege erant, redimeret; haec Gulielmus.

Secunda expositio sit, bonum exemplum, quo beata Virgo intuentes se, docebat, intelligentiam huius loci convertit. Etenim sicut nulla humani corporis pars magis eminet, et patentior est omnibus, quam caput; ita in beata Virgine nihil magis omnibus patebit, quam optimum eius exemplum: hoc ergo comparat coelestis sponsus Carmelo, quod, ut nuper dicebam, interpretatur, *dans scientiam circumcisionis*, quia Deipara virgo exemplo suo docebat omnia animae nociva circumcidere: in illam enim aspicientes, et compositos eius mores observantes, facile nosse poterant, quid in vita moribusque eos circumcidere oporteret; nimirum, ex eius humilitate superbiam, ex patientia iram, ex charitate invidiam, ex temperantia ingluviem, ex regularissima tandem eius vivendi ratione, effraenatissimam propriae vitae consuetudinem sibi resecandam addiscere poterant.

Tertiam expositionem huic affinem tradit antiquissimus Ioannes XLIV. patriarcha Hierosolymitanus ex Ordine Carmelitarum assumptus (*in lib. de instit. Monach.cap.* 3), ubi haec praeclara habet verba: *Sponsus in epithalamio Virgini dicit gratulabundus: Caput tuum, ut Carmelus: ubi per caput intelligitur recte animae mens, quia sicut in corporis membris caput praeeminet, ita in viribus animae mens dignior est. Et sicut a capite membra, ita a mente ceterae vires animae reguntur. Carmelus vero, cognoscens circumcisionem interpretatur. Recte igitur sponsus huic Virgini congratulans, dicit: Caput tuum, id est, mens tua, o Dei genitrix, est, ut Carmelus, id est, vere cognoscens circumcisionem, quia prima foeminarum per spontaneam voluntatem et virginitatem, scivisti a te prorsus circumcidere omnem veneream voluptatem.*

Quartam expositionem tradit Dionysius Carthusianus (*art.* 24. *sup. Cant.*). Per caput Virginis sanctam eius voluntatem intelligit, quae instar Carmeli montis in Deum semper amoris altitudine ferebatur, et bonorum operum fructibus abundabat. Additque, posse etiam accipi eius intentionem in rebus omnibus altissimam.

Sed arbitror, et haec sit quinta expositio, rectius per caput Mariae utramque animae eius partem superiorem intelligi, quae Carmelo monti comparatur, tum quia sublimitate, et pulchritudine reliquos omnes montes, hoc est, reliquos omnes sanctos, longe superat; tum etiam quia abundat omnium florum odorumque suavitate, id est, omnium virtutum, et gratiarum fragrantia; tum tandem, quia sicut Carmelus mons propter altitudinem et viriditatem contemplationi erat aptissimus: ob quam causam Elias eo contemplandi gratia se recipere consueverat, ut (3. *Reg.c.* 18) legimus, ita nullus locus inter puras creaturas ad contemplandum aptior inveniri potest, quam Virginis caput: haec est suprema eius animae pars, in qua pene innumera Dei dona, praerogativae, ac coelestia charismata praefulgebant. In hunc ergo montem si quis per piam, ac frequentem contemplationem ascenderit, facile profecto in summam divinae bonitatis, sapientiae, potentiaeque admirationem rapietur.

Sextam iam adnecto expositionem, in lectione Hebraeorum fundatam, qui non legunt, *Caput tuum, sicut Carmelus*, sed *Caput tuum super te sic, ut Carmelus:* quibus verbis indicat divinus Sponsus, caput Virginis dilectissimae sponsae suae non fuisse super humeros depressum, sed eminens, quod multum facit ad pulchritudinem: qua metaphora significat Virginis charitatem, quae caput est reliquarum virtutum, eminentem in ea fuisse, non humeris ipsis cohaerentem, idest operibus tantum respondentem; sed altitudine, et eminentia omnia omnino opera transcendisse, ita ut non contenta fuerit Virgo operibus, ad quae lege tenebatur, hoc enim erat depressum super humeros habere caput, sed semper ad excellentiora supererogationis opera aspiraverit, quod est eminens habere caput super humeros. Apto etiam charitas Virginis monti Carmelo assimilatur, quia sicut ille uberrimus erant fontibus, ac rivulis amoenissimus, ita charitas Virginis uberrima fuit operibus, fontibusque et rivulis, qui in proximorum utilitate derivabantur amoenissima. Hinc interpretationi non parum mihi favere videtur Rabbi Abnesdra doctissimus inter Hebraeos: nam licet affirmet, per Carmelum hoc loco non intelligi montem illum, in sacris litteris celebratissimum; asserit tamen, significare colorem coccineum, sicut et (2.*Paralipomenon.*), ubi pro eo, quod vulgata nostra vertit, *coccino*, Hebraicum originale legit *Carmelus*. Quis autem non videat, per coccineum colorem, ardentem, ac flammigeram Virginis charitatem apte satis significari, quae cum sit princeps reliquarum virtutum, iuxta illud Pauli (1. *Cor.* 13): *Maior autem horum est charitas*, recte per caput Virginis denotatur, quod quanto eminentius est, et sublimius reliquis corporis membris, tantundem ferventissima Virginis reliquorum omnium Sanctorum charitatem transcendebat.

Exercuit beata Virgo ferventem hanc suam charitatem erga sacram Carmelitarum religionem, immo primitias illius ei obtulit sub protectionis suae pallio, illam suscipiens, et materna suae pietatis viscera primitus illi aperiens. Etenim, ut in magna domo, praeter

patrem familias, matrem etiam aliquam, esse necesse est, non solum ad gignendos liberos, sed ad eos deinde lactandos, et alendos: sic in hac sacra Carmelitanae religionis domo, etsi primos parentes Eliam, et Elisaeum haberet, oportebat tamen propriam ei esse matrem, quae ad spiritualem hanc religiosae prolis familiam nutriendam, et propagandam, continuis suis officiis, ac meritis cooperaretur, qualem descripsit Sapiens (*Prover.* 31), dantem praedam domesticis suis, et cibaria ancillis, omnesque ei famulantes duplicibus vestientem. Quomodo autem beatissima Virgo sacram hanc religionem praecipuo amore fuerit prosequuta, et ob quam rationem specialis patrona, et tutrix illius sit, et quo titulo fratres Carmelitae, Virginis Mariae, prae aliis, nomen assumpserint, nunc palam faciam ex Ioanne Patriarcha Hierosolymitano (*in lib. de instit. monach.*), in veteri lege exortorum, et in nova perseverantium, qui habetur (*tom.* 9.*Biblioth. SS. Patrum cap.* 36), et sequentibus: ubi eam potissimam assignat primariam, scilicet quod ordo Carmelitarum in laudem, et honorem Virginis Mariae fuerit institutus, nam Elias huius instituti Monarcha in Carmeli monte orationi incumbens, dum septima vice de mari nubecula conscenderet, ut (3. *Reg.* 18) narrat historia, septima aetate Virginem nascituram, et filium Dei parituram praecognovit; et ex tunc in virginitate perpetua ad honorem eiusdem Virginis in Carmelo religionem fundavit. *Curaveruntque*, ut verbis praedicti Ioannis utar, *ex tunc successores Eliae, cum devotione assidue huic Virgini deservire, dudum eorum antecessoribus revelatae, ac desideratae, et postea eis exhibitae, studueruntque hanc specialiter Virginem ideo sibi ipsis in patronam eligere, quia noverant, ipsam solam singulariter eis conformem in primitiis virginitatis spontaneae: quemadmodum enim virginitas spontanea fuit, primo per priscos professores huius religionis inchoata: ita eadem virginitas fuit postmodum per Dei Genitricem primo in foeminis introducta, et incepta. Propter dictam ergo conformitatem se ipsos fratres beatae Mariae Virginis appellarunt;* haec ille.

Accedit secunda ratio, quam gravissimi auctores tradunt: nempe quia fratres Carmelitae fuerunt primi, qui in Ecclesia Dei templum, sive sacellum in honorem beatae Mariae Virginis erexerunt. Ita id in primis testatur Ioannes Patriarcha (*de inst. monac. cap.* 36), qui in loco illius praeclarae regionis, ubi Elias nubeculam ascendentem vidit, in qua sibi ortus Virginis fuit praeostensus, asserit: *Monachos Carmelitas anno Incarnationis filii Dei 83, aedificasse Virgini capellam quandam in monte Carmelo iuxta fontem Eliae: ubi professores praefati seipsos huic Virgini commendantes, singulis diebus in septem horis canonicis ad effundendum dictae Virgini, et eius filio sedulas preces, ac laudes, etiam tunc semper conveniebant, et propter hanc causam ceteri, etiam eorum, qui a religione externi erant, eo deinceps fratres beatae Mariae Virginis de monte Carmelo appellarunt;* haec Ioannes Hierosolymitanus, cui auctorum turba magna subscribit, et in primis fama, et doctrina celebris Ubaldensis (*de sacramentalibus tit.* 9. *cont. Wicleph.*), et (*in doctrinali fidei artic.* 3.), ubi docet ex testimonio Ioannis praefato, et ex Armachano Ecclesiae Hiberniae Praesule, Carmelitas ob hanc rationem, quia sacellum Virgini primi dicarunt, fratres Virginis Mariae fuisse appellatos. Armachanus etiam apud Ubaldensem (*in serm. de concept. beatae Virg. Mar.*), quem praedicavit anno Domini 1342, in conventu Carmelitarum Avenione sic loquitur: *Quoniam, ut dicunt fide dignae historiae, a tempore Eliae, et Elisaei, qui saepius morabantur in monte Carmelo, iuxta Nazareth civitatem Dominae nostrae ad tria milliaria, solebant homines devoti secretius habitare, usque ad tempora Salvatoris. Et tunc illi Eremitae, praedicantibus Apostolis, inter ceteros sunt conversi, et in uno latere montis ipsius, primi ecclesiam in honorem beatae Virginis construxerunt, et ob hoc nimirum inter religiosos Dominae nostrae primitus sunt adscripti, ut vocarentur fratres beatae Mariae de monte Carmelo;* haec Armachanus.

Accedit etiam Ioannes Trithemius Abbas Sponhaymensis, scholaeque Haydelbergensis quondam clarissimum lumen, qui (*in lib. de laud. Carmel. cap.* 7) ita scripsit: *Sicut ex veterum lectione didicimus, titulum b.Mariae Virginis Carmelitis convenire maxime scimus. Nam ii ab exordio suae institutionis Dei Genitricem semper maximo honore, et reverentia sunt prosecuti. Enim vero non diu post Domini passionem fratres montis Carmeli capellam in eiusdem montis latere in Dei Genitricis honorem construxerunt, eamque in Ordinis sui Advocatam, ac Patronam elegerunt, et fratres eius deinceps appellati sunt. Sicut ergo a Carmelo Carmelitae: ita a capella, quam aedificaverunt usque in hodiernum diem, fratres beatissimae Dei Genitricis, et Virginis appellantur. Et digna quidem Carmelitis denominatio, ut qui Dei matrem speciali semper amore venerantur, etiam illo sint titulo clariores:* et infra: *Nec dubium mihi est, quin Deiparens Maria hunc Ordinem speciali favore prosequatur, quem et loco vicinum, et tempore primum sibi, et filio in obsequium exortum recognoscit. Digni profecto sunt fratres Carmelitae sacratissimae Virginis titulo insigniri;* haec Ioannes Trithemius.

Ante omnes vero auctores praedictos, docuit id historia quae Romana dicitur, in qua de templo a Carmelitis Virgini dicato, sic scriptum invenies: *A tempore Eliae, et Elisaei prophetarum, religiosi de numero eorum, qui morabantur in monte Carmelo, iuxta civitatem Dominae nostrae Nazareth, secretius solebant inhabitare usque ad tempora Salvatoris, qui tandem praedicantibus Apostolis, in fide confirmati, in uno latere ipsius montis, primo ecclesiam in honorem Virginis Mariae construxerunt.* Meminit autem huius oratorii in obsequium Virginis a Carmelitis primitus constructi Iosephus Antiochenus, Paleonydorus, Hieronymus Pintus (*de Bono status Relig. l.*2. *cap.* 22), ubi nomen ab eo fatetur Carmelitas accepisse, quia prima in terrarum orbe dicata Ecclesia ab eis fuerit erecta. Paulus Moriglia Ordinis Iesuitarum, qui (*in lib. de Orig. Relig. lib.* 1. *c.*

30), aperte fatetur, Carmelitas gloriosum Virginis nomen, et patrocinium prae ceteris, et meruisse, et accepisse, quia primi sacellum, sive Ecclesiam in Virginis Mariae honorem in Carmeli monte fundaverunt. Ecce illustrissimam hanc nomenclaturam Virginis de monte Carmelo nacti sunt religiosi Carmelitani, quia vere illi primi fuerunt, qui Virgini Mariae in primo Ecclesiae saeculo oratorium constituerunt: primi qui eius obsequio, et amori inter ceteros religiosos addicti sunt: primi, qui tantae Virginis conversationem, et familiare colloquium meruere. Nam, ut pie Mantuanus sensit, Maria non raro Carmeli incolas invisere solebat, eorumque colloquio, et familiaritate oblectari; quod ex eo, opinor, maxime credibile, quia cum Nazareth, ut auctores supra adducti affirmant, tribus milliaribus tantum distaret ab Eliae fonte, sive Carmeli vertice, quid mirum, si sanctissima Virgo Eremitas Carmeli, cuius sanctitas, et religio tolam Palaestinam, et Alexandriam illustraverat, non saepe adiret, eosque suis colloquiis, et necessitudine foveret? maxime cum post passionem Christi eos ad fidem et Evangelii praedicationem conversos videret.

Nec ignoro, quosdam, etiam hoc Ecclesiae nascentis tempore, alia Virgini Mariae templa constructa referre; imprimis enim Vincen. Beluacensis (*lib.* 8. *in Spec. hist. cap.* 92) testatur, Marthae Mariae sororis hortatu, postquam in Galliam ex Palaestina mirabiliter, Lazaro, et Maximino comitata, pervenit, post novam evangelicae doctrinae lucem Massiliensibus demonstratam; demum factum esse, ut duo templa, alterum Christo Domino, alterum vero eius Genitrici constructa fuerint. Nec me latet, memoriae esse proditum, Apostolorum saeculo, templum aliud Virgini fuisse dicatum, scribit enim Raphael Volaterranus (*lib.* 11. *Geograph. Antaradi*), quae et Antaradus dicitur, nunc autem Tortosa appellatur, antiqua, et egregia Phoeniciae urbs, in littore maris sita, ut ex beato Hieronymo (*in Ezech. cap.* 27), et ex Gulielmo Tyro (7. *belli sacri cap.* 15) colligitur, sacellum stare, quod primus omnium divae Genitrici Petrus Apostolorum princeps excitaverit, et in quo primum ipse quoque sacrificarit; immo qui Hispaniam, et res gestas illic a Iacobo Apostolo describunt, constanter affirmant, sanctissimam Virginem in civitate Caesaraugusta, eidem Apostolo apparuisse, et post apparitionem templum, vel sacellum, quod nunc etiam est celeberrimum, eodem Apostolo auctore erectum fuisse. Hanc vero primam in toto orbe Christianorum Ecclesiam, variis modis, tabulis, et testimoniis, perpetua gentis Aragoniae fama, simul et traditio clamant. Qua de re etiam post Beutherium, meminit Ioannes Basseus (*in Chronico rerum Hispan.*). Vetustius autem a Carmelitis fuisse constructum templum Virgini sacrum, gravissimorum virorum auctoritas, quos supra retulimus, luculenter confirmat, quicquid Vincentius Volaterranus, Beutherius et Basseus scribant. Nam cum historiae fides ex numero, et testium gravitate crescant, tot sunt pro hac sententia testimonia, simul cum antiquissima eiusdem religionis traditione, ut ab auctoritate paucorum, ac singularium testium minime superari queant. Sed verius crediderim primum templum, vivente beata Virgine, fuisse illud extructum a beato Iacobo; primum vero post mortem fuisse, quod in latere montis Carmeli fuit aedificatum, ex qua distinctione constat, relatos historiographos non pugnare secum.

Atque hinc est, quod attendentes Summi Pontifices, honorificam hanc nomenclaturam fratrum s. Mariae de monte Carmelo esse propriam huius sacrae religionis, ab antiquissimis illis temporibus monachorum habitantium in Carmelo, illam Apostolicis suis bullis confirmarunt, expressis verbis declarantes hunc sacrum Ordinem a b. Virgine Dei parente, editum fuisse. Etenim Sixtus IV. in quodam diplomate, Carmelitis concesso, id sequentibus verbis testatur: *Dum attenta meditatione pensamus, quod Virgo venustissima, quae florem speciosissimum Dominum nostrum Iesum Christum, ineffabili sancti Spiritus cooperante virtute, genuit, produxitque sacrum Ordinem beatae Mariae de monte Carmelo a Sede Apostolica, pluribusque Romanis Pontificibus approbatum, quem eiusdem gloriosissimae Dei Genitricis, temperque Virginis Mariae speciali titulo voluit insignire, etc.* Eodem ferme modo loquuntur Pontifices, Sixti IV. successores, et novissime Gregorius XIII. in bulla, quae incipit, *Ut laudes Gloriosissimae*, eisdem fere utitur verbis, ac ipse Sixtus IV. immo omnibus fidelibus Ordinem Carmelitarum sub titulo beatae Mariae Virginis nominantibus Innocentius IV. decem dies indulgentiarum contulit. Urbanus vero IV. tres annos, et totidem quadragenas indulsit. Et quidem si magni principes in pignus amoris, et in argumentum sui favoris, et gratiae, eis, quos ex sacro baptismatis fonte excipiunt, tanquam propriis filiis charissima suae familiae cognomina mutuant, quibus non parum illi splendoris nanciscuntur; sane beata Virgo non minora sui amoris pignora huic sacrae Carmelitanae religioni praestitisse censenda est, cum Mariani sui nominis celsissimam nomenclaturam ei conferre non dubitaverit, ut iam non aliter nominentur, quam fratres sanctae Mariae de monte Carmelo: et quod excellentius est, non solum sui nominis, sed et suarum virtutum alumnos huius sacrae religionis legitimos haeredes instituit, ut palam ostendunt sanctorum, ac sanctarum millia, quae ex hac sacra religione prodierunt: etenim praeter antiquissimos eius parentes sanctissimam Eliam, et Elisaeum, nec non filium Sareptanae viduae, quem Elias mortuum ad vitam revocavit, et sanctum Abdiam; certe in ea floruerunt omnes filii Rechab, omnes Esseni, ac denique omnes filii prophetarum, quos omnes monachos in veteri testamento fuisse, affirmant sancti Patres, praecipue s. Hieronymus (*in epistol. ad Rustic.*), quae in ordine est quarta, et (*in epistola ad Paulinum*), quae est in ordine decimatertia, et alii plures: tunc autem non erat alius monachatus, quam Carmelitanus; in novo autem testamento praeter s. Ioannem Baptistam, Eliae spiritus haeredem, quem sancti Patres passim appellant monasticae disciplinae Patrem,

et principem, floruere insigni vitae sanctitate praediti. Sanctus Cyrillus patriarcha Alexandrinus, qui loco Coelestini I. in Concilio Ephesino praefuit, ubi Deiparam non solum Christotochon, sed et Theodochon, hoc est, Matrem Dei appellandam esse, contra Nestorium haereticum publice defendit. Beatus Patriarcha Hierosolymitanus qui XLIV. post divum Iacobum annumeratur, et scripsit teste Genadio contra obtrectatores sui studii librum, in quo ostendit, sibi Origenis ingenium placuisse, non tamen doctrinam eius sequutum: alium etiam de institutione primorum monachorum, in veteri lege exortorum, et in nova perseverantium scripsit ad Caprasium, qui habetur tomo 9. Bibliothecae sanctorum Patrum, editione secunda, eiusque meminere sanctus Cyrillus Graecus (*in epist. ad Abbat. Ioach.*), Thomas Ubaldensis (*de sacram. tit.* 9. *cap.* 89), Molanus, et Genebrardus, et alii innumeri scriptores; eoque libro passim usi sunt theologi, praecipue ad confutandas haereses, et deliria Magdeburgensium, Melanchtonitarum, et aliorum asserentium, monachatum rem esse novam, aut nudiustertius ortum in Ecclesia post Christum, eiusque doctrinam, quos Ubaldensis contra Wicleph confundit (*praec. titul.* 9. *cap.* 89), manifeste probans, monachorum antiquissimam esse haereditatem Ecclesiae, adumbratam in Enos, qui speciali prae aliis cultu coepit invocare nomen Domini; expressam autem in Elia Carmelitarum patriarcha, continuatam vero in filiis prophetarum, Rechabitis, atque Essenis usque ad Ioannem Baptistam, simillimum, ac singularissimum Eliae successorem, et sequacem: ac denique Apostolorum tempore perfectam, et per Dionysium Pontificem, qui primus ex monachis assumptus est in Papam, per Antonium, Cyrillum, et Ioannem Hierosolymitanum usque ad quartum saeculum protractam: quo argumento, et doctrina Ubaldensis, quem etiam ibidem citat (*in doctr. fid. art.* 1. *cap.* 1), usus est Dominus cardinalis Bellarminus (*libr.* 2. *de monach. cap.* 5), de origine religionum contra huius temporis haereticos Magdeburgensium, Calvinum, et Melanchtonem, licet postea in libello de scriptoribus Ecclesiasticis ad annum 390 dubitet de hoc Ioannis libro ad Caprasium, quo tamen ipse frequenter, ut dixi, usus est. Equidem si dubitare licet, enervatur, et infirmatur doctrina Ubaldensis (*dict. titul.* 9), ubi illius praecipue libri auctoritate fulcitur, sui temporis haereticos ita expugnavit, ut Martini V. Pontificis Maximi meruerit non solum sui operis confirmationem obtinere, sed et summis etiam laudibus ab eo extolli, ut constat ex bulla dicti Martini V. Ubaldensis operibus inserta: consequenter et rueret magna ex parte veritas antiquitatis monachatus, quam theologi docent, permulta mutuantes ex doctrina Ubaldensis, qui copiosius in hoc genere argumenti scripsit, et auctoritate Ioannis XLIV. frequenter utitur: floruit etiam s. Bertoldus primus generalis Latinorum, sanctus Brochardus, sanctus Cyrillus Graecus, sanctus Simon Stoch Anglus, cui sanctissima Virgo insigne sui Ordinis scapulare dedit, sanctus Hilarion, sanctus Albertus de Trapano, a Sixto IV. canonizatus; floruit sanctus Henoch patriarcha Hierosolymitanus, qui vitam sancti Angeli scripsit, sanctus Ioannes itidem patriarcha Hierosolymitanus, qui fuit non solum professione, sed etiam sanguine frater sancti Angeli, sanctus Franciscus de Senis, sanctus Theodoticus Germanus, sanctus Petrus Thomas Bononiae Legatus, Episcopusque Pactensis, ac tandem patriarcha Constantinopolitanus, qui fundavit Bononiae facultatem theologicam in Universitate Bononiensi ex ordine summi Pontificis, cuius vices ibi gerebat, ut constat ex libris institutionis eiusdem facultatis, floruit b. Andreas de Corsinis Episcopus Fesulanus, beatus Averranus Gallus, et beatus Romeus, quorum duorum corpora honorifice coluntur Lucae in Ecclesia cathedrali, b. Petrus Luppus, Belga martyr insignis, trucidatus ab haereticis in Belgicis tumultibus, beatus Iacobinus de Crachovia, beatus Stanislaus Polonus martyr, beatus Ludovicus Ravida martyr Siculus.

Sed et his non contentus, alios non minus insignes sanctos nunc commemorabo, hi sunt, Sanctus Sthellesphorus, s. Dionysius Papa V. qui fuerunt primi, qui ex monachis assumpti sunt ad Pontificatum, ut scribit s. Damasus in vita sancti Dionysii, et adducit Illustrissimus cardinalis Bellarminus (*lib.* 2. *de monach. cap.* 5. *de orig. relig.*), ut probaret, ante annos quadringentos fuisse in Ecclesia monachos Eliae successores, sanctus Anastasius Persa martyr illius temporis, sanctus Benedictus Papa, et martyr, de quibus omnibus, tanquam de palmitibus vineae Carmeli, Apostolica auctoritate fit officium in Ordine Carmelitarum, et apposita sunt in calendario, et breviario sub nomine Carmelitarum. Nec refert, quod Trithemius dicat, hunc Benedictum fuisse Abbatem Ordinis sancti Benedicti: nam revera ex Ordine Carmelitarum fuit assumptus ad dignitatem abbatis Benedictini: quod non semel evenit, praecipue in Hispania, immo paucis retro annis accidit, quod reverendissimus Dominus Martinus Caperus Mechliniensis ex priori provinciali inferioris Germaniae Ordinis Carmelitarum, fuit assumptus, et creatus Abbas conventus sancti Crispini celeberrimi Benedictinorum monasterii, et ex Abbate Episcopus Chalcedonensis electus est. Ut autem evidens fiat hoc ita fuisse, id testatur epitaphium, quod erat in tecto Basilicae sancti Petri, quod propriis expensis restituit: sic enim habebat aureis litteris scriptum, e regione sui sepulcri: *Hic iacet Benedictus, quem Carmelus protulit, Passinus aluit, Vaticanus coronavit*: alludens ad tres montes Carmeli, Cassini, et Vaticani, in quibus ortum, progressum, et finem habuit: cuius epitaphii memoria ne temporum iniuria deperiret, illud ex dicta Basilica excerpsit Claudius de la Ville Gallus doctor celeberrimus, et in libro heroicorum epitaphiorum apposuit libro 2. epitaphium octavum, ubi hoc modo explicat veritatem epitaphii: *Carmelus protulit, Passinus aluit, quia pro victu, et vestitu, et necessariis ex abbatiali Cassiniensum dignitate annuos ingressus accepit.*

His accedunt sanctus Albertus Hierosolymo-

rum patriarcha, qui Carmelitis dedit regulam quandam, et patriarcha creatus Hierosolymorum suo iure, a se iam pridem confectam, confirmavit: beati martyres Franciscus, alias, depravale, Francus, et Blasius Episcopus Cremonenses, quorum corpora Cremonae requiescunt, beatus Ioannes Soret-Norimannus totius Ordinis Generalis prior, ac reformator, Brunius Albarus, Pererius Comes stabilis Portugalliae semifrater, ut vocant, cuius corpus gloriosum Ulyssipone requiescit in regio conventu Carmelitarum, quem sibi ipse aedificare fecerat, et postea professione semifratris emissa, in eodem monasterio humilitatis munera exercens, vivus, et mortuus miraculis coruscavit innumeris. Beatus Ioannes Sancius Valentinus, provincialis Valentiae, beatus Angelus Cernonichius principis Cernonichii filius, quorum corpora in augusto Valentinorum Carmelitarum monasterio in dies miraculis conspicue requiescunt. Consulto ultimo loco refero alium Sanctum Angelum Hierosolymitanum insignem martyrem, qui dono prophetiae futura solitus vaticinari stigmata Domini, patriarchae nostro divo Francisco imprimenda fore, praesente beato Dominico, praedixit Romae in Ecclesia s. Ioannis Laterani, ut tradunt Petrus de Natalibus (*in vit. Sanct. Angel. post lib.* 12. *de Sanct. mup. canon. cap.* 10), et Baptista Mantuanus (*in apolog. pro Carmel.*), et praecipue Thomas Bellorius (*in vit. s. Angel.*), quam Enoch patriarcha Hierosolymitanus Carmelita, coaetaneus ipsius Angeli scripsit, et postea ipse Thomas Protonotarius Apostolicus praelo mandavit in triginta capita distributam, ubi postquam (*cap.* 20) retulerat sanctum Angelum ex Hierusalem summo Pontifici Honorio III. et Federico de Claramonte ex parte patriarchae Hierosolymitani allulisse quasdam reliquias, tibiam, et brachium Ioannis Baptistae, caput Hieremiae prophetae, brachium s. Catharinae, tibiam s. Georgii, et imaginem beatae Mariae Virginis, sic ait (*cap.* 21): *Relictis Honorio, et Frederico in civitate veteri, Romam veniimus, ubi loca Sanctorum omnia devote lustrantes, mane proximo, maxima cum cleri, tum populi multitudine coacta, in basilica s. Ioannis Lateranensis, sanctus Dei Angelus magno spiritus fervore praedicare coepit: aderant ibi sancti Dei viri Franciscus et Dominicus, quos cum nusquam antea vidisset, supernae claritatis splendore mens illustrata, novas, sed sublimissimas Ecclesiae columnas adesse praedixit; sermone tandem finito, s. Dominicus spiritu elevatus, dixit s. Francisco, hic est angelus Hierosolymitanus, Christi, et fidei catholicae defensor, et declamator ardentissimus, qui doctrina et sanctitate vitae incredibiliter christianae fidei profuit, cui s. Franciscus respondit: hic est civis coelestis, qui in Sicilia martyrio coronabitur, et ambo simul animo hilari ad s. Angelum veniunt, et cum incredibili humilitate salutant, ac mutuo pacis osculo prosequuntur: tunc angelus, salvete, inquit, maximi christianae militiae doctores, Dominice impugnator haeresum strenuissime, et Francisce Christi praecipue imitator, qui virtute humilitatis vera portabis stigmata Christi: privilegio datum est tibi mortiferam haereticorum rabiem compescere, christianum nomen defendere, et Ecclesiam augere, et illustrare; et Franciscus subdit: Tibi Angeli, veritatis defensor, merito gestiendum est, brevi namque in Sicilia martyrio vitae militiam terminabis, et triplici laurea coronatus divinae fruitionis, et sempiterni gaudii praemia suscipies. Adhaec Angelus: Vobis sanctissimi viri, vobis magis gaudendum est, quibus christianam rempublicam felicibus coeptis, meritis, et doctrinis amplificare concessum est: iis, aliisque ultro, citroque inenarrabili charitatis ardore dictis, de multis, et magnis Scripturarum, et fidei mysteriis humiliter inter se locuti sunt, et cum prope ad s. Sabinam pervenissent, homo quidam genere nobilis, sed leprosus obviam eis veniens dixit: Orate sanctissimi viri, ut Deus foedo hoc morbo vestra intercessione me liberet, quem illi in pace abire iubent, et subito sanus effectus, dat gloriam, et honorem omnipotenti Deo; Angelus autem cum Dominico, et Francisco illum diem, et noctem divinis sermonibus, et oratione transegit;* haec ibi.

Huius colloquii meminere celeberrimi viri Franciscus Maurolicus (*in suo Martyr. die* 6. *Maii*), Petrus de Natalibus (*in vita S. Angeli Carmelitae*), nec non Baptista Mantuanus (*in Apologia pro Carmelitis in vita S. Angeli*), qui in huius rei testimonium haec praeclara carmina cecinit:

Cum mare transisses, cupiens invisere Romae
Reliquias sacras, cineres, monumentaque Patrum,
Et Lateranensia stares in limine templi,
Contigit aeternis res memoranda diebus.
Nam iuitor Etruscae veniens de monte laborum,
Ad tua Franciscus sese vestigia flexis,
Prostravit genibus, sacris dedit oscula plantis,
Insuper adiecit, salve Pater Angele montis
Incola Carmeli, te mors manet inclyta Christi.
Testis eris, tibi rex divum decus annuet istud,
Te quoque Francisco memorant responsa dedisse
Talia, solvendo tanto pro munere grates:
O Francisce Deo, sed erit tua gloria nusquam
Inferior tibi; Christus enim sua vulnera quinque
Imprimet, et fies Christi patientis imago.
Dominicus Hispanus, qui tunc veniebat ab oris
Forte aderat, tam mira notans praesagia Patrum,
Et tulerat casus mundi haec tria lumina in unum, etc.

Quid plura? Dion. Carth. quem secuti sunt Bergomensis (*libr. de illust. poem.*), et Gulielm. Einsingr. affirmat b. Virg. monasterium instituisse 150. monialium, eius curam ipsa habebat: constat autem tunc nullum aliud viguisse institutum nisi Elianum. Ob hanc ergo et iam rationem merito Carmelitani fratres sanctae Mariae de monte Carmelo nuncupantur, cum iuxta istorum sententiam Deipara Virgo monasticam Eliae institutum fuerit professa.

Tandem, ut uno verbo innumeros huius religionis commemorem, quotquot ab Elia in speluncis, cavernis, montibus, et desertis Ægypti, et Thebaidae, et aliarum regionum monasticam vitam professi sunt, Eliani instituti fuerunt cultores, ac huius sacrae religionis filii. Unde Trithemius (*de laudibus Carmelit.*) ait: *Tot sancti sub Ordine Carmelitano fuerunt, ut penitus numerari nequeant: etenim si quis stellas coeli dinumeret, et Sanctos huius Ordinis*

enumerare poterit. Ex monialibus autem huius Ordinis nonnullas insigni sanctitate praeditas referam, in Sanctorum, ac beatorum catalogum redactas: hae fuerunt sancta Eugenia virgo Alexandrina, sancta Eufrasia virgo, et imperatoris Theodosii consanguinea, sancta Cyrilla virgo, et martyr, sancta Pelagia, quae cum aliquando licentiose vixissel, religionem hanc ingrediens, singulari Dei motione, habitu foemineo in virilem mutato, rem sane mirandam, sed non imitandam, inter monachos sanctissimam vitam egit, ut Iacobus Diaconus (*in eius vita*) refert, sancta Sara virgo, cuius meminit Vincentius (*l.* 18. *c.* 9), nec non sancta Eufrosina virgo, ut idem tradit Vincentius (*lib.* 13. *cap.* 51), sancta Romana virgo, beata Maria Priorissa illius monasterii, quod sancta Helena in monte Calvario fundavit, ut refert sanctus Ambros. (*in orat. in laudem Theodosii ibidem*), sancta Sincletes virgo, sancta Matrona virgo, ut ex s. Hieronymo, et ex s. Vincentio adducunt Paleonydorus Baetavus (*l.* 2. *c.* 4), et Thom. de Sessu (*l.* 1. *antiq. Ord. Carmel. c.* 14) in monasterio Bethleem, s. Paula vidua, et Eustochium, eius filia, sancta Venerea, sancta Theodora, sancta Usia, sancta Adolia, sancta Bassanilla, sancta Photina, sancta Asella, sancta Avita, quarum vitas, et admirabiles virtutes refert Palladius (*in hist. sanct. Patrum in vita Opiani*); qui et referi, quod etiam in civitate Ancira reperiebantur plusquam decem millia monialium professionis Eliae, inter quas quaedam nomine Magna, heroica virtutis opera exercuerat in civitate Antini. His adnecto Beatam Theresiam, cuius excellentem doctrinam, ac religiosae vitae institutionem divinitus inspiratam, sequutae innumerae virgines magna sanctitate floruerunt, et hodie in Ecclesia, tanquam fulgentissima sydera praefulgent: ac tandem b. Maria Magdalena Florentina, a qua tot miranda sunt patrata, ut omnes audientes stupescere faciat. Consulto missos facio sanctos, et sanctas ex Ordine Tertiario, ut Eduardum regem Angliae, serenissimum Iofanem d. Alphonsum de la Cerda, qui Carmelitas in Hispaniam induxit, sanctam Angelam filiam regis Boemiae, s. Angelam de Arena, de qua Silvester Maurolicus Abbas sanctae Mariae Rochamatoris Ordinis Cisterciensis in historia sacra, mare Oceanum omnium Ordinum appellata (*l.* 4), ubi agens de Carmelitis Tertiariis ait, quod cum praedicta Angela vellet Tertiaria fieri alterius Ordinis, in antecedenti nocte in somnis apparuit illi scala coelos tangens summitate, et imo terram, iuxta quam erant duo sancti Ordinis Carmelitarum, qui dixerunt ei, si vis per hanc scalam ad coelum ascendere, sume habitum Tertiariorum beatae Mariae Virginis de monte Carmeli: sumpsit illa, et cum maxima sanctitatis opinione obiit in Sicilia die 21. Octobris, 1556.

Ad extremum, ut iam dicendi vela contraham, ad te mons Carmele, qui cognomen Dei parenti dedisti, ac tot innumerabiles martyres, confessores, ac virgines peperisti, sermonem converto. O mons Carmele monasticae disciplinae exordium, perfectionis magisterium, ac omnis virtutis fulgentissimum speculum; o mons Carmele, magni Patris Eliae domicilium, ubi austeritatis, et poenitentiae, ac coelestium arcanorum contemplationi assidue deditus, caenobitico statui primordia dedit; o celebris mons Carmele, in quo in novissimo tempore Ioannis Baptistae vox illa clamantis in deserto prodiit (*Matth.* 11): *Poenitentiam agite, appropinquavit regnum coelorum:* ex tunc enim armorum spiritualium fragor insonuit; ex tunc fortes in bello facti sunt ad expugnandam, non terram promissionis, sed coelestem patriam, Christo Domino dicente: *A diebus Ioannis Baptistae, regnum coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud;* o mons Carmele, vel eo solum nomine singulari veneratione dignum, quod sacello Deiparae Virgini dicato, sacer factus sis, et Marianis favoribus locupletatus; o tandem sacra Carmelitana familia, quae mihi videris alter mons Carmelus, celsitudine sanctitatis, et decore virtutum ei persimilis: si in illo auri, et argenti spiritualia mineralia delitescebant, haec in te non desiderantur, cum coelestibus divinorum charismatum divitiis, Apostolicis privilegiis, ac plenissimis indulgentiis affluas, quos Carmelitano habitu induti, vel basilicas eorum visitantes, vel certe fratres eius protegentes, aut favore quovis invantes, quotidie lucrantur. Quod si mons ille Carmelus arborum amoenitate, ac herbarum suaveolentia, degentium in eo animos oblectabat, sane Carmelitarum Ordo viridarium est amaenissimum, ager foecundissimus, cum tot sanctitate, et doctrina conspicuos viros, velut fructiferas arbores, ac tot foeminas mira virginitatis suaveolentia fragrantes germinarit: quare cum hi omnes Carmelitanae religionis alumni, Deiparae Virgini speciali ratione se devoverint, ac eius obsequio, et famulatui perpetuo se sacraverint, recte in hanc sacram religionem conveniunt verba illa (*Isai.* 35): *Gloria Libani data est ei, decor Carmeli, et Saron:* cum revera ipsa Virgo praecipuus sit Carmelitanae familiae splendor, honor, et pulchritudo. Unde merito vobis intonare licebit illud, quod olim ad Iudith, Virginem adumbrantem, dictum fuit (*Judith* 35): *Tu gloria Hierusalem, tu laetitia Israel, tu honorificentia populi nostri.* Licebit et dicere te, Mariam Matrem, et nutricem divinitus datam, habere gloriamur: maternam tuam pietatem in filios exerce, ad te confugimus, auxilium tuum imploramus, ut sicut regia munificentia, singulari filiationis tuae gratia, in terra nos exornasti, ita eiusdem filiationis haereditate in coelo gaudere facias; quam nobis largiri dignetur, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

HOMILIA IV.

Opportuna digressio in celebratione beatificationis sanctae Matris Theresiae Carmelitani Ordinis monialis, novae reformationis discalceatorum fundatricis.

Cum occasione tractationis de sacris arcanis sanctae Mariae de monte Carmelo, in laudes sacrae Carmelitanae religionis opportune incidentem, ac eodem tempore sanctae Matris Theresiae de Iesu, eiusdem Ordinis alumnae, desideratissima beatificatio recens admodum sit, nec possum, nec debeo eius praeconia omnino silentio praeterire.

Duo ego non diffiteor, quae in simili argumenti genere divus Hieron. de quibusdam virginibus sermonem faciens, ingenue fassus est: etenim (*in epistola ad Eustochium*) agens de Paula dixit, quod et de h. Theresia dicere mihi licet: *Si cuncta corporis mei membra verterentur in linguas, et omnes artus humana vece resonarent, nihil dignum de sanctae ac venerabilis Theresiae virtutibus dicerem: nobilis genere, sed multo nobilior sanctitate.* Verba etiam eiusdem sancti Hieronymi (*in epist. ad Demetriad.*) satis etique praesenti argumento mihi congruere videntur: *Scripturus ad Demetriadem virginem Christi, quae et nobilitate, et divitiis prima est in urbe Romana, si cuncta virtutibus eius congrua dixero, adulari putabor; si quaedam subtraxero, ne incredibilia videantur, domnum laudibus eius meu faciet verecundia. Quid igitur faciam? quod implere non possum, negare non audeo;* haec ille. Non dissimiliter si magnalia huius inclytae Virginis praedicavero, incredibilia proferre indicabor: si autem hoc timore concussus, portenta illius reticuero, laudibus eius iniuriam irrogabo: *Quid igitur faciam?* aiebat div. Hieronym. *quod implere non possum, negare non audeo:* attente ergo mecum perpendens, quaenam verba ex sacris eloquiis ad praeconia huius sacrae Virginis decantanda proderem, nulla mihi aptiora visa sunt, quam prophetica illa, quae Deipara Virgo de seipsa protulit (*Luc.* 1): *Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen eius.* Hoc vaticinium multis retro annis impletum novimus in Deipara Virgine, universo orbe eam beatam acclamante; hodierna vero die impletur pariter in dilectissima eius filia Theresia, quam iure specialis suae filiationis, Mariana virginitatis, et maternitatis legitimam haeredem fuisse in hunc modum demonstro.

Sane sicut communis est sanctorum Patrum sententia (*in caput.* 1. *Luc.*), virginitatem, et maternitatem esse illa magna, propter quae ait Virgo ab omnibus generationibus beatam se esse praedicandam; unde divus Thomas (*in catena*) ex mente d. Augustini ait: *Virgo non per suam virtutem dicit se beatam praedicandam, sed causam assignat dicens: quia fecit mihi magna, qui potens est: quae tibi magna fecit? credo, ut creatura ederes Creatorem, formula Dominum generares, ut per te mundum Deus redimeret, per te illuminaret, per te ad vitam revocaret;* haec illecita similiter, ob haec duo praecipue omnium fidelium generationes sanctam Theresiam perpetuo beatam praedicabunt, quod virgo simul et mater sit, virgo immaculata mente, et corpore, et multorum pariter filiorum foecundissima mater in Christo, ut loquitur divus Paulus: unde non immerito in eam conveniunt verba illa divi Bernardi de Deipara Virgine loquentis: *Nec similem visa est, nec habere sequentem, gaudia Matris habens cum virginitatis pudore:* in quo sane non solum Deiparam Virginem, sed et beatissimam Trinitatem mihi Theresia aemulari videtur: nam, ut dixit Nazianzenus (*Par. in laud. virgin.*): *Prima trias Virgo est.* Quis autem ignorat, Deum per Isaiam (*c.* 49) dixisse: *Ego, qui alios parere facio, ipse sterilis ero, et non pariens?* Ecce trias pariter virgo, et mater esse perhibetur, dum inviolata, et incorrupta manens, multos filios spiritualiter quotidie parturit: beata ergo Theresia, meliora semper charismata aemulata, ut monuit divus Paulus, non solum virgo inviolata, sed et faecunda multorum mater in Christo extitit.

Observavi non semel Adam, dum fuit in statu innocentiae, minime sollicitum de procreandis filiis, nec de successore post se relinquendo; at divinae legis praevaricator factus, ac propterea corruptionis, et mortalitatis poenae obnoxius, uxorem cognovit, et iam propagationis sollicitudo animum eius pulsabat, ut his verbis eleganter dixit divus Basilius (*de vera virgin.*): *Adam in eos conspicias vitam mortisque sententiam post paradisi amissionem: tunc iam uxorem cognovit suam, ut vitae postea mortalitatem prolis successione solaretur.* Angelos autem nulla unquam procreationis cura sollicitavit, quia ingenerabiles, et incorruptibiles erant; at licet physice multiplicari nequirent, moraliter tamen propagari posse non ignorabant per virginum multiplicationem, quae mortali carne indutae, angelicam puritatem imitantur, et ipsorum angelorum ruinas instaurant. Unde sanctus Basilius (*lib. de vera virgin.*) agens, dixit: *Bonum est coniugium, per quod humanae posteritatis inventa est propagatio; sed melior virginitas, per quam angelorum reperta est successio;* ad hoc ipsum respiciens divus Hieronymus (*lib.* 1. *adv. Iovin.*), versans illa Genesis verba (*cap.* 9): *Crescite, et multiplicamini, et replete terram,* acute, et sapienter dixit: *Consideranda est vis verbi, et replete terram, nuptiae quippe terram replent, virginitas paradisum:* atque hoc facit singularis, inaudita, ac ingeniosa expositio sancti Basilii (*in locum illum Ioan.*): *Levate oculos vestros, et videte regiones, quae albae sunt iam ad messem:* ubi per messes albas intelligit virgines, et continentes, quos tanquam selecta grana divinae messis, apta esse dicit ad vacuas angelorum sedes implendas: et postea inquit: *Virginitas vitam nostram de corruptione ad sanctitatis gloriam colligit, et grana intra coelorum horrea congregat.* Equidem beata Theresia non solum per seipsam, quae integerrima semper extitit virgo, sed quia pariter, et mater fuit, innumerabiles virgines spiritualiter parturiens, intus, et exterius amictu albo indata, quas tanquam spicas, quae albae sunt ad messem, nunc in Ecclesiae militantis, postmodum in triumphantis horrea incessanter indarit. Quare merito in beatam Theresiam conveniunt verba illa (*Sapient.* 7): *Felix sterilis, et coinquinata, quae nesciet thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum.* Tot sanctorum monachorum, et monialium agmina, per totum orbem terrarum longe lateque diffusa quis non videat fructus esse huius virginis, ac foecundae Matris?

Observavi quod (*Genes.* 12) de Abraham ait sacer Textus: *Egressus itaque Abraham, tulit Saraim uxorem suam, et animas, quas fecerat in Haram.* Certe fide catholica docemur, hominum animas non fieri ab hominibus, sed a solo Deo creari; nihilo secius tamen Abraham dicitur animas fecisse, quia eas converterat ad Dominum: unde Paraphrastes Chaldaeus ad significandum legit: *Abraham tulit animas, quas subiecerat legi.* Cum ergo beata Theresia, tot fidelium animas non solum divinae legis iugo, sed evangelicae perfectionis disciplinae subdiderit, merito illam, non solum virginem, sed foecundam pariter Matrem compellare fas erit: ut enim dixit divus Gregorius (*hom.* 3. *in Evang.*): *Quasi enim parit Dominum, quem cordi audientis infuderit, et mater eius praedicando efficitur, si per eius vocem amor Domini in proximi mente generatur;* haec divus Gregorius: quibus persimilia sunt illa divi Hieronymi (*in Evang.*): *Isti sunt mater, ait Dominus, qui me quotidie in credentium animis generant.* Verum audire mihi videor beatam Theresiam dicentem illud (*Isaiae cap.* 49): *Quis genuit mihi istos? ego sterilis, et non pariens?* Quasi dicat, cum ego virgo sim intacta, quis ex me genuit tam ingentem filiorum sobolem? Cui interrogationi ego hac ratione occurrendum arbitror, cum Spiritus sanctus ad imitationem Dei parentis voluerit beatam Theresiam virginis, et matris honore cohonestare: certe quemadmodum Mariam stupendo miraculo foecundavit, ut filium Dei naturalem conciperet, et pareret, iuxta illud (*Luc.* 1): *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi;* ita idem Spiritus sanctus beatam Theresiam alioquin integerrimam virginem, matris foecunditate donavit, ut innumeros filios Dei adoptivos spiritualiter conciperet, et pareret.

Ex qua singulari praerogativa illam eruo Carmelitanae religionis miram excellentiam super reliquos Ecclesiae catholicae monasticos Ordines, quod quemadmodum in Christo Domino duplex praefulget generatio, una aeterna, alia temporalis; illa in sinu Patris, haec in utero Matris; illa convenit ei, quatenus Deus, haec quatenus homo; illa fuit a Patre sine matre, haec a Matre Virgine sine patre; ita mirabili quadam proportione duplicem huius sacrae Carmelitanae religionis intueor generationem, primam a Patre sine matre, hoc est, a solo antiquissimo patre Elia, secundam vero, quam proprie regenerationem vocitare licet, a Virgine Matre, absque humano patre, a sola scilicet beata Theresia integerrima virgine. Opinantur tamen quidam, quod sicut in generatione temporali mundi, divina sapientia providit, ut vir, et foemina convenirent ad procreationem generis humani; ad quem scopum respiciens Dominus dixit (*Genes.* 2): *Non est bonum hominem esse solum, faciamus adiutorium simile sibi;* et continuo creavit Evam: et sicut in regeneratione spirituali voluit Deus, ut vir, et foemina simul concurrerent, Christus scilicet, et Maria, ille ut Redemptor, haec ut ministra redemptionis, ministrando ei sanguinem, quo solus ipse nos redemit; ita, inquam, quidam pie opinantur, quod in regeneratione, cum venerit filius hominis in illa ultima renovatione Ecclesiae, cum fiet unum ovile, et unus Pastor, non solum virum, sed et foeminam adhibebit, ut neutri regenerationi desit sexus uterque, Etiam, scilicet, ut testantur sacra eloquia in extremo illo tempore venturum, et beatam Theresiam tanquam Viraginem, ac fortissimam mulierem quae ardentissimo Divini honoris zelo instar ipsius Eliae exaestuans, in eius consortio, Antichristi rabiem compescet, arma diripiet, potentiam confringet, ac illustrem de illo victoriam reportabit, ut merito dici possit (*Iudith* 14): *Una mulier fecit confusionem in domo Nabuchodonosor.*

Porro, quia video nonnullos male deceptos, falso existimantes, beatam Theresiam, novam aliquam in Ecclesia Dei religionem induxisse, aut alicuius novi Ordinis fundatricem exitisse, compellor dicere beatae Theresiae eam mentem fuisse, ut eandem religionem Carmelitanam, quam profitebatur, ad pristinum rigorem primaevi sui instituti reduceret. Olim sacri Pontifices illud mitigaverant in nonnullis indulgentes, quae beati Alberti asperrima regula praeferebat. Beata autem Theresia non veniens solvere legem, sed adimplere, cupiens non iota, aut apicem illum illius regulae praetiriri, renovationem, et reformationem quandam instituit, sicut et in Ordine sancti Augustini illam fecit sanctus Gulielmus, et in Ordine sancti Patris nostri Francisci d. Bonaventura, et in monialibus Dominicanis sancta Catharina de Senis. Unde in bulla Beatificationis eius non vocat eam Paulus V. alicuius novae religionis inventricem, sed *novae reformationis Discalceatorum fundatricem.* Sane beata Theresia filia fuit Ordinis Carmelitani calceati, ab eo fuit instituta, in eo divinis fulgoribus illustrata, in eo caelestem spiritum concepit, ac charismatibus supernis divinitus fuit praeventa, et a Spiritu sancto edocta, ut intra Ordinem Carmelitanum manens, asperiorem, et pauperiorem viam ingrederetur. Atque hoc facit quod divus Chrysostomus (*hom.* 1. *in Acta Apost.*) quaerens, an charitas paupertatem, an vero paupertas charitatem pepererit, respondet haec verba: *Videtur mihi, quod charitas paupertatem:* ardentissima igitur charitas, quam beata Theresia concepit inter moniales calceatas Ordinis Carmelitani, peperit paupertatem discalceatorum eiusdem Ordinis, ac plane Apostolicam illam vivendi rationem: quare hodierna die antiquissima Carmelitarum religio merito cum sponsa in Salomonis epithalamio

UNIVERSIDAD DE NAVARRA

sibi usurpare potest verba illa (*Cant.* 7): *Omnia poma vetera, et nova servavi tibi, dilecte mi.* In veteri lege obtuli tibi Eliam, Elisaeum, et filios prophetarum: haec sunt poma vetera; in lege gratiae obtuli Cyrillos, Albertos, Angelos, haec sunt etiam poma vetera: obtuli centum, et quadraginta millia martyres, ut testantur chronicae Tholosanae, id referente Iustiniano Ordinis Praedicatorum, haec etiam sunt poma vetera: tandem nunc in novissimis temporibus offero tibi Theresiam Apostolico calculo beatificatam, ac filios, et filias eius insigni sanctitate praeditas: haec sunt poma nova, quae pariter cum veteribus servavi tibi, dilecte mi.

Filia igitur est legitima beata Theresia Ordinis Carmelitani calceati; mater tamen discalceatorum, et reformationis eorum auctrix, et fundatrix, adeo ut in eam recte conveniant verba (*Isa.* 58): *Aedificabuntur in te deserta saeculorum fundamenta generationis, et generationes suscitabis:* recte ait *suscitabis*, quia per mitigationem regulae sancti Alberti, quasi emortuus erat, non substantialis, sed accidentalis Eliani instituti rigor; beata autem Theresia, divino spiritu afflata, evangelicae suae reformationis mirabili virtute, illum in Ecclesia suscitavit. Quo autem tempore id praestitit, quia circumstantiam esse reor singulari observatione dignam ad commendationem beatae Theresiae, liceat mihi in ea parumper immorari.

Cum divinus Sponsus probe agnoscat, Sponsam suam Ecclesiam catholicam, nisi eius auxilio suffultam, ac mirabili virtute praemunitam, facile a tot undique illam infestantibus hostibus superandam fore, in eo singularem adhibuit curam, ut quoties Satanas per impiissimos homines Ecclesiam catholicam oppugnat, toties viros scientia, ac sanctitate conspicuos provideat, qui adversariorum tela acerrime infringentes, illa viriliter tuentur. In primordiis legis gratiae insurrexit Simon Magus, qui Spiritus sancti gratiam instar mercium venalem facere satagebat; sed restitit ei Petrus Apostolorum princeps. Blasphemat Corinthus, et Ebion, Christi divinitatem abnegantes; sed Ioannes Evangelista, vocem illam intonans (*Ioan.* 1): *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*, quasi vehementi fulmine graviter eos sauciavit. Insultant Sabellius, et Paulus Samosathenus, tres divinas personas inficiantes, ac inter se illas confundentes; sed confuderunt illos Dionysius Alexandrinus, et Gregorius Thaumaturgus. Insanit Arrius, Filium consubstantialem Patri negans; sed insaniam, ac petulantiam eius reluderunt Athanasius, Basilius, Gregorius Naziazenus, Gregorius Nyssenus, nec non trecenti decem et octo sapientissimi Praesules in Synodo Nicaena congregati. Macedonius, et Eunomius proclamant, Spiritum sanctum esse creaturam; sed silentium eis imposuere Nectharius Constantinopolitanus, Menas Antiochenus, Cyrillus Hierosolymitanus, necnon Damasus Pontifex Roman. natione Hispanus. Iovinianus, et Elvidius sacrilego ausu Dei parentis virginitatem insectantur; sed ab haereticis eorum cavillis Hieronymus, et Ildephonsus Mariam vindicarunt. Admanthus, Iulianus, Pelagius, et alii huius farinae haeretici, divinae gratiae necessitatem, et humanae voluntatis libertatem graviter laeserunt; sed Augustinus, Prosper, Chrysostomus, et Hilarius Arelatensis, antiqui Pictaviensis aemulator, illos validissime expugnarunt. Impius Nestorius dignitatem Matris Dei Virgini adimere impense conatus est; sed acriter sacrilegum illius dogma refutarunt sanctus Epiphanius, s. Leo Papa, sanctus Cyrillus, et innumeri alii patres Conc. Ephes. et Chalcedonensis. Refricant impudici Albigenses haeresim adversus immaculatam Dei Genitricis virginitatem, et instar hydrae multorum capitum nascitur Manichaeus; sed coercent omnes illos Dominicus, et Franciscus, ac percelebres eorum filii, angelicus doctor Thomas de Aquino, et seraphicus Bonaventura. Desipiunt Ioannes Hus, et Hieronymus de Praga procacissimi haeretici, errores Berengarii adversus Petri claves oblatrantis ab Orco suscitantes; sed illos interimunt s. Vincentius Ferrer, beatus Thomas Ubaldensis, ac sapientissimus Ioannes Capreolus. Deinde labentibus annis, feliciora tempora successere, haeresibus non invalescentibus, sed silentibus potius, ut haeretici obmutuisse viderentur. At, proh dolor, postmodum non valentes ora comprimere, audita illa Evangelica lectione (*Luc.* 11): *Erat Iesus eiiciens daemonium, et illud erat mutum:* infremuit Lutherus, dicens: *Non sum ego, non sum ego.* Quod rei eventus satis utique probavit, non esse daemonem mutum, sed loquacissimum: etenim extunc coepit auctoritati sedis Apostolicae detrahere, indulgentias vilipendere, obedientiam summo pontifici negare, monasticam vitam execrari, adversus religiosa vota sibilare, austeritatem vitae nihili pendere, ieiunia, et carnis macerationem iniuriosa copiosae Christi satisfactioni proclamare, sacramenta irridere, ac libidini, et carnis voluptatibus habenas laxare. At divino numine providente contra hoc portentosum monstrum, ac pestilentem eius doctrinam Ecclesiae bonam partem inficiantem, suscitavit Deus spiritum beatae Theresiae Carmelitici Ordinis calceati monialem, quae instar Evangelicae, ac Apostolicae illius mulieris, quae insultantibus pharisaeis adversus Christum, ac temere asserentibus (*Luc.* 11): *In Beelzebub principe daemoniorum eiicit daemonia*, vocem intonuit, qua Lutheranorum audaciam retudit, et omnes eius haereses expugnavit, non solum verbis, et doctrina, ut volumina ab ea divino Spiritu afflante scripta, Evangelicis instructionibus referta, Lutheri diabolicis documentis e diametro opposita perspicue conlestantur; sed, quod mirabilius est, et ad victoriam de hoste reportandam efficacius, et potentius, praeclaris suis gestis, ac heroicis operibus, tam propriis, quam filiorum suorum, acriter illum profligat, ut in animum sibi faciendum induxerat beata Theresia, prout in itinere profectionis ad moniales testatum reliquit: unde si Lutherus de medio tollere conatus est vitam monasticam; Theresia monasticae vitae reformationem in Ecclesia inducit: si Lutherus impudenter spernit ieiunia, vigilias, et carnis macerationem; Theresia e contra abstinentiam a carnibus per totum vitae curriculum praefigit, perpetuas orationis vigilias fratribus suis praescribit, asperrimis vestibus illos induit, nudis pedibus incedere decernit: si Lutherus virginum monasteria evertit; Theresia innumera virorum, et foeminarum erigit, quae per totum Orbem terrarum diffusa mirifice praefulgent, per Hispaniam primitus, per Italiam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Orientalem, et Occidentalem Indiam, Persiam, et alia permulta tam per christianas, quam barbaras regiones: si Lutherus imagines sacrilego ausu execratur, Theresia sola imagine crucis Christi manu apprehensa, velut evaginato ense, principes tenebrarum, ac daemonum legiones ad pugnam provocabat, et ad eos acrius irritandos, muscas vocitabat: si Lutherus, adversus Eucharistiae usum temere blasphemat, Theresia per viginti annos singulis diebus Corporis Christi pastu reficiebatur, et, ut id obiter dicam, quia quidam huius sacrae Virginis confessores indicarunt nimiam videri hanc frequentiam, ac propterea merito temperandam, Deus Optimus Maximus testimoniis duobus omni exceptione maioribus frequentiam illam approbavit: nam quoties deinde Christi corpus sumebat, eius facies miris fulgoribus in conspectu omnium coruscabat, et cum quadam die sumptioni Eucharistiae iam proxima, ad locum communionis accessisset, divino quodam extasi rapta, ita in sublime Spiritus sanctus non solum mentem, sed et corpus sustulit, ut cum sacerdos non potuisset ori eius Eucharistiam immittere, sacra illa hostia ultro ad os eius evolaret. Tandem si Lutherus adversus cantantium choros obmurmurabat, Theresia fratribus, et monialibus suis psalmodiae in choro septies, iuxta septem horas canonicas, et iuxta illud David (*Psal.* 118): *Septies in die laudem dixi tibi*, quotidie vacare iubet, quibus divinis laudibus, velut bellicis tormentis, adversarios suos male torquent. Ad quod significandum, ubi Vulgata nostra legit (*Cantic.* 7): *Quid videtis in Sunamitide, nisi choros castrorum?* alii legunt: *Quid videtis in Sunamitide, nisi multitudinem praeliantium?* Unde ingeniose Rupertus (*in comment. illi. loc.*) ait: *Laudando chori praeliantur, et praeliando castra laudant.* Verum et David haec duo mihi copulasse videtur, cum dixit (*Psal.* 149): *Exaltationes Dei in gutture eorum;* ecce canentium laudes: *et gladii ancipites in manibus eorum?* ecce arma tenentes, ut contra hostes acerrime dimicent.

Neminem igitur iam tam mentis inopem fore opinor, qui clare non videat illustrem victoriam, quam b. Theresia de impio haeresiarcha Luthero reportaverit, ut merito fortissimae Iudith verba sibi usurpare possit: *Erit enim hoc memoriale nominis tui Domine, cum manus foeminae deiecerit eum* (*Iudith* 9). Hanc etiam victoriam reportasse tanto gloriosius iudicor, quanto ipsi Luthero ignominiosius fuisse arbitror, quod a tenera foemina fuerit oppressus, ac superatus. Sane cum Abimelech, vir aliquin fortis, et bellicosus, graviter percussus fuisset a foemina, id adeo sibi turpe, ac ignominiosum indicavit, ut proximus morti ab armigero suo enixe postularet, ut interficeret se, ne diceretur mulier ipsum interemisse: *Ecce una mulier*, ait sacer Textus (*Iudic.* 9), *fragmen molae desuper iaciens, illisit caput Abimelech, et confregit cerebrum eius: qui vocavit cito armigerum suum, et ait ad eum: Evagina gladium tuum, et percute me, ne forte dicatur, quod a foemina interfectus sim.* Non evasit hoc ignominiae genus impius Lutherus, cum a foemina Theresia turpiter fuerit prostratus, ac devictus. Hanc victoriam per mulierem factam attente mihi perpendenti verba illa occurrunt propter Debboram dicta: *Nova bella elegit Dominus:* etenim si praeterita tempora inspiciamus, reperiemus duces virorum viros fuisse, mulierem vero, virorum ducem, neminem nisi beatam Theresiam: quare non aperte minus dicemus hac tempestate, quam in saeculo illo Debborae: *Nova bella elegit Dominus.*

Cum olim Rex Iabin Chananaeus per viginti annos vehementer oppresserat filios Israel, ut (*lib. Iudicum cap.* 4) legimus, decreverunt illi bellum ei indicere, et illum expugnare: quamvis autem inter eos esset Barach, rerum bellicarum peritissimus, Debboram tamen elegerunt in generalem exercitus ducem, continuoque illa, militaris regiminis munere fungens, vocavit Barach, et dixit: *Vade, et duc exercitum in montem Thabor, tollesque tecum decem millia pugnatorum, ego autem adducam ad te Sisaram, exercitus Iabin, et currus eius, et tradam eos in manu tua:* ipsa etiam cum exercitu comitata est illum: *Ascendit cum decem millibus pugnatorum, habens Debboram in comitatu suo:* dixerat enim ei Barach: *Si venaris mecum, vadam; si noluveris venire mecum, non pergam:* poetea vero ipsa Debbora instar prudentis, ac expertissimi ducis, monuit eum diem, quo hostem aggredi debebat, et in illum irruere: *Haec est*, ait, *dies, in qua tradidit Dominus Sisaram in manus tuas;* subiunxit tamen deinde: *In hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Sisara:* non dissimiliter huius Carmelitici exercitus discalceatorum ducem, creavit Deus alteram Debboram, beatam scilicet Theresiam: nam licet verum sit, virum illum sanctitate insignem fratrem Ioannem a Cruce Carmelitanum, certamen hoc incepisse, ac de daemonis faucibus multos eduxisse, qui novae huic militiae nomen dederunt, sapienter tamen, cum id praestare coepit, beatae Theresiae, eius duci, et magistrae dixit: *Si venis mecum, vadam; si noluveris venire, non pergam:* Theresia quidem instar Debborae gubernabat, et Ioannes velut Barach executioni mandabat; illa ad eum dixit: Vade, et duc exercitum in Thaborem montis Carmeli, ubi transfiguraberis, et in virum alterum mutaberis, reliquaque eum docuit, quae ad victoriam de hoste reportandam idonea esse iudicavit. Unde non Ioanni, sed Theresiae haec victoria scribi debet: *In hac die victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Sisara:* in manu Theresiae tradetur Lutherus, qui tunc in animis Lutheranorum vivebat: sicut autem tunc parta victoria Barach dixit:

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

Surge, surge Debbora, et loquere canticum; vel, ut alii legunt, *loquere inspectionem, loquere ornatum, loquere principatum, loquere ordinem:* his enim omnibus significationibus gravida esse perhibetur vox Hebraea, quam vulgatus interpres vocat *Canticum:* sic sane nobis b. Theresiae dicere nunc licet post gloriosam hanc partam victoriam: *Surge, surge, loquere canticum,* canticum scilicet illud novum, quod Ioannes dixit, cantare non posse, nisi virgines; *loquere inspectionem,* pande nobis revelationem, et coelestium visionum arcana; *loquere ornatum,* narra nobis divina charismata, quibus Sponsus te mirifice exornavit; *loquere principatum,* manifesta nobis specialem illum favorem, cum Rex regum, dum mortalem vitam ageres, te velut reginam pretiosissimo diademate mana sua coronavit; *loquere ordinem,* aperi nobis excellentiam huius tui Ordinis, in quo te ordinatrice, omnia bene ordinata sunt, ut nihil in ea absque ordine inspicere liceat: quod non obscure indicat, Deum principalem eius fuisse institutorem, quia, ut ait Paulus (*ad Rom.* 13): *Quae a Deo sunt, ordinata sunt.*

Porro, ut clare videamus, quam adamussim Debbora b. Theresiam obumbravit, in memoriam quaeso revocemus vocem Hebraeam, *Debbora*, idem significare, quod Latine *Apis.* Constat autem, apem simul virginem, et matrem esse, ut cecinit Virgilius (*lib.* 4. *Georg.*), et admittit d. Augustinus (*de bon. coniug. cap.* 2), dum ait: *Deus apibus prolem sine concubitu dare potuit: ergo carnem Christi in utero virgineo recte formare potuit:* et divus Ambrosius (*cap.* 4. *Exameron.*) commendans apes ab integritate virginali, fatetur pariter foecundissimas esse: *Geminae*, inquit, *erant foetus, et duplici caeteris avibus foecunditate praeponderant.* Deinde quia apes symbolum sunt cuiusdam religiosae communitatis, cum et clausuram servent, et uni tanquam reliquarum magistro, et superiori subiciantur: ut enim dixit divus Basilius (*hom.* 8. *sui Exam.*): *Apibus communis est habitatio, communis utraque omnium actio, et quod maxime esse constat sub praeside, ducoque, omnes sua officia attingunt, et aggrediuntur: caeteras omnes certare, et muniri, alias invigilare, quaerendo victualia, alias sollicitam castris adhibere custodiam, alias futuros explorare imbres, et speculari cursus nubium, alias de floribus serta fingere, alias rorem infusum floribus ore colligere; nullam tamen alienis insidiari laboribus.* Cum igitur beata Theresia virgo sit pariter, et mater, copiosum spiritualium filiorum examen procreans, et cum duplicem instituerit communitatem monachorum, et monialium, quae tanquam apes argumentosae singulae sui muneribus attendentes, Evangelicae perfectionis favum incessanter elaborant, congrue satis beatam Theresiam adumbrari constat per Debboram, *apem* significantem. Sed et illud, quod fertur de Alexandro, non alienum puto ab hoc argumento: desideravit ille vehementer oculis suis inspicere, qua ratione apes ex materia illa, quam ex variis floribus decerpebant, favos mellis elaborarent: quod ut obtineret, hac industria usus est, vitreum apiarium confici praecepit, et in eo copiosum apum examen introduci, putans hac ratione prospecturum, apes mellificare: sed falsa eum fefellit opinio: nam antequam illae opus suum inchoarent, primum omnium luto intrinsecus vitrum delinierunt, ut sic nulla ratione favi constructio extrinsecus videri posset. Sane licet iam fere omnes moniales ex salubri Concilii Tridentini decreto clausuram servare constringantur, beata autem Theresia strictissimam omnium clausuram instituit, ita ut extrinsecus spirituales eius apes nulla ratione prospici possint; et si quando, quod rarissime accidit, cum externis sermonem inire necesse sit, id non aliter fit quam brevissime, et velo vultum operiente, ut nec videre, nec videri liceat: unde etiam et Alexandri, nobiles inquam, et principes, impediuntur, ne sacras apes intra monasteriorum apiaria elaborantes, prospicere queant.

Ad haec de Debbora ait sacer Textus (*Iud.* 4): *Erat autem Debbora prophetissa uxor Lapidoth;* quae duo mirifice praefigurant, et quasi ob oculos nobis ponunt praeclara duo coelestia dona, quibus beata Theresia mirum in modum praefulsit. Pollicitus fuerat Deus olim, copiose effusurum spiritum prophetieum super Ecclesiam suam: *Effundam de spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri, et filiae vestrae.* Inter has filias princeps prophetissarum fuit Deipara Virgo, deinde Elisabeth mater Ioannis Baptistae, Anna vidua filia Samuelis, filiae quatuor Philippi diaconi, postmodum vero, ut observat d. Thomas (2. 2. *quaest.* 174), non defecit spiritus hic prophetieus in Ecclesia Christi, etiam in foeminis: etenim dono prophetiae floruerunt beata Angela monialis Carmelita, filia Regis Bohemiae, sancta Birgitta anno 518. cuius mirabiles prophetiae Apostolico calculo sunt probatae, s. Gertrudis ducis Brabantiae filia anno 664. s. Hildegardis anno 1130. cuius revelationes confirmatae fuerunt ab Eugenio III. sancta Catharina Senensis anno 1360. ac tandem hac nostra tempestate, ne spiritus antiquorum valum in Ecclesia catholica defecisse videretur, ita copiose Deus prophetiae spiritum, ac divinarum revelationum lumen, in beatam virginem, et matrem Theresiam effudit, ut inter illustriores Ecclesiae Dei vates, ac celebriores prophetissas merito connumerari debeat: cuius locupletissimi testes sunt eius scripta, quibus pene infinitas prophetias, et revelationes, ex obedientia sacrorum confessorum, testimonio proprio omni exceptione maiori consignavit. Vocat deinde Debboram sacer Textus *uxorem Lapidoth:* vox haec Hebraea est, quae interpretatur *foemina fulgurum,* vel *lampadum,* quod praeclare in b. Theresiam, et absque ullo dubio convenit.

Antiqui Rabbini (*sup.* 4. *cap. Iudic.*) affirmant, Debboram prae eximia sua pietate erga divinum cultum curam habuisse nutriendi oleo ardentes lampades, quae erant in templo: *Arte,* inquit, *lychnopae ad sacrum lucernarum usum lychnos conficiebat.* Beatam Theresiam nemo ignorat ob excellentem virtutis religionem, quae in illa singulariter emicuit, divini cultus sollicitam semper curam gessisse, et praecipue illius, qui ad augustissimum Eucharistiae sacramentum pertinebat: illa Ecclesiae munditiam praecipiebat, altaria quoad poterat, ornabat, lampades perpetuo ardere volebat, non immemor illius (*Levit.* 6): *Ignis in altari meo semper ardebit,* oleo diligenter illas nutriebat, ut non abs re prudenter existimare liceat, in praemium illius sedulae diligentiae in nutriendis oleo lampadibus, ad Dei cultum destinatis, divinum Sponsum, non solum oleo laetitiae animam prae multis aliis participibus unxisse, sed et miraculoso oleo, ex corpore eius perpetuo emanante, illam illustrare voluisse: secura sane erit, non passuram a Sponso repulsam, propterea quod veniente illo deficiat oleum in vase suo: tanta enim olei copia delibuta est, ut non solum anima, sed et corpus in olei fontem eruperit, et perpetuo, ac incessanter erumpat.

Ceterum cum a principio pollicitus fuero Mariana illa verba (*Luc.* 1): *Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen eius,* sacrae virgini Theresiae adaptare; restat explicare, quomodo sanctum nomen eius magnificet eam: sane id, quod de emanatione olei nuper dicebam, quod non obscure id indicat: nam si Sponsa dixit (*Cant.* 1): *Oleum effusum nomen tuum;* non video ubi copiosius hoc nostro saeculo illud effuderit, quam in beatam Theresiam, cum ex abundantia spiritualis olei, quo Spiritus sanctus illam inunxit, in corpus eius miraculose redundarit. Referunt historiographi, quod cum Alexander Magnus proximus esset ad bellum ineundum contra hostes, repente iuxta eius tentorium fons olei ex terra foras erupit; consultis autem auguribus, primus illorum, nomine Aristander, respondit: *Oleum laborem indicat, sed et victoriam repromittit: nam oleo athletae unguntur, et oleo victores coronantur:* certe perennis fons olei ex sacrosancto virginis corpore Theresiae erumpentis, unum indicat, et aliud portendit: indicat ingentem laborem, quem luctando adversus hostes pertulit; portendit vero lauream non solum praesentis Apostolicae beatificationis, sed et coelestis beatitudinis, qua in choro virginum a sponso, nunc, et postea resurgens gloriose coronabitur.

Ad haec legimus olim Deum, tanquam singularem favorem ex celebri suo nomine Tetragrammaton, seu Iehovah, Abrahae unam literam, Sarae alteram dono dedisse: ille enim cum antea Abram, illa vero Sara nuncuparentur, postmodum Abraham, et Sarai vocati sunt: at beatae Theresiae, tanquam sponsae suae dilectissimae, non unam, vel alteram sui nominis literam, sed totum ac integrum nomen suum Iesus ei donavit, ut iam non Theresia solum, sed Theresia de Iesu cognominaretur, et esset: quod si nomen etiam ipsum Theresiae speculemur, non pauca a nomine Iesu mutuasse reperiemus: nam si nomen Iesu propter prodigia, et miracula, quae in nomine eius patrantur, a Davide mirabile appellatur: *mirabile nomen eius:* sane Theresia graeco idiomate idem est, quod latino *miraculosa,* seu *prodigiosa,* quod nomen satis utique convenit ipsi rei: nam cuius mirabilis sanctitas, et immaculata vita gratiae miraculum, ac prodigium fuisse toti Ecclesiae constat, certe Theresiae nomen, quod *miraculosa* interpretatur, iure suo sibi vindicabat. Quid, quod et idem nomen Theresia, ut multis placet, idem significat, quod Latine *ter ipsa?* ut sicut olim vetusta illa ethnicorum saecula suum Mercurium, ut excellentiam magisterii eius commendarent, Trismegistum illum vocitabant; ita et felicior nostra aetas nacta sit hanc sacram virginem, quam propter insignem eius sapientiam, ac Apostolicum illius magisterium Theresiam nominat, hoc est, ter ipsam, seu Ecclesiae Trismegistam.

Ad extremum, ut iam finem dicendi faciam, ad vos omnes Carmeliticae disciplinae professores orationem converto, cum Isaia (*cap.* 51) proclamans: *Attendite ad petram, unde excisi estis, et ad cavernam laci, de qua praecisi estis: attendite ad Abraham patrem vestrum, et ad Saram, quae peperit vos.* Attendite quaeso ad Eliam vestri Ordinis patrem, ac primum institutorem: attendite ad matrem vestram b. Theresiam eiusdem reformatricem: quod si vos deterret rigor, ac aspera vivendi ratio Eliae, invitet vos, et alliciat vivum matris vestrae Theresiae exemplum, quae alioquin tenerrima virgo, ac variis infirmitatibus vexata, non sibi indulgebat, sed Eliani rigoris aemulatrix vera, ad culmen perfectionis totis viribus anhelabat. Audite illam vobis dicentem illud (*Hier.* 2): *Induxi vos in terram Carmeli, ut comederetis fructus eius.* Sane fructus huius sacri Carmeli virtutes sunt, dona Spiritus sancti, ac divina charismata: ad haec delibanda Carmelum ascendistis; quae cum in beata vestra matre Theresia, tanquam in vivo exemplari, ac limpidissimo speculo, mirifice praefulgeant, nemini licebit excusationem illam praeferre, quam d. Hieronymus adducit (*epistol.* 20. *ad Theres.*), dum ait: *Ex eo si quidem lex videtur obscura, quoniam raro, in quo conspiciatur existit.* Sane b. Theresia adeo perspicue religiosae vitae normam, ac animatum Apostolicae perfectionis speculum se exhibuit, ut in illa virtutes omnes in heroico gradu clare conspicere liceret. In eam ergo mentis lumina convertite, ut eam imitemini, et ut ab ea discatis quid corrigere, quid effugere, quid prosequi, quid ad Christo placendum tenere debeatis; qui cum Patre et Spiritu sancto vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.

DE SACRIS ARCANIS

CULTUS ET DEVOTIONIS

ERGA DEIPARAM VIRGINEM

AC D. IOSEPHUM EIUSDEM SPONSUM

LIBER DECIMUSOCTAVUS

HOMILIA PRIMA

Exhortatio ad devotionem Virginis, adductis praecipuis rationibus ad eam stimulantibus, partim a mire eius sanctitatis excellentia, partim ab utilitate, quae in nos redundat, petitis.

Liceat, antequam hoc genus argumenti exordiar, verba d. August. (*in opusc. de Assumpt. Virgin.*) mihi usurpare: *Te Deus omnipotens pater, voto supplici exoro, ut qui mandas nubibus, et pluunt imbres, qui tangis montes, et fumigant, qui aperis terram, et germinat, quid dicam, iubes, quid proferam, praebes, ad quid sermonem dirigam, aperis.* Cuperem enim coelitus ardentes prunas in me dimitti, quibus fidelium animos ad Virginis devotionem seclandam, inextinguibili ardore accenderem, et inflammarem; puto tamen hoc pio desiderio me alioquin Mariani honoris tepidum relatorem omnino frustrandum non fore, cum ex antiquorum Patrum doctrina ea in medium proferre duxerim, quae divina irrorante gratia, saxea etiam corda ad amorem, et devotionem tantae matris facile emollire possint: et quidem quam sollicitos se exhibuerint sancti Patres in suadenda cordiali erga Virginem devotione, pene innumera eorum elogia contestantur; ego ex his pauca quaedam nunc seligam, ut ad alia me converiam. D. Ioannes Damas. (*orat. 1. de dorm. Virg.*) loquens cum ea, honoris, qui conservis habetur, benevolentiam erga communem Dominam declarat: *Quo tamen modo studium te honorandi, quae Dominum peperisti, negligendum erit? An non illud vel non necessario spiritui praeferemus? hac enim ratione nostram erga Dominam benevolentiam luculentius ostendemus*; haec ille. D. Bonaventura (*in epist. quae inscribitur vigiliquinque memorialium*), ubi quaedam ad pie viventium monita tradit, in 13. memoriali haec habet: *Ut gloriosam reginam Domini nostri matrem benedictam, in summo habeas omni tempore venerationis affectu, et in cunctis ad eam necessitatibus, periculis, et pressuris tanquam ad refugium tutissimum te convertas, ipsius tutelae praesidium flagitando, eamque in tuam suscipiens advocatam, devotissime, ac secure tuam ei causam committas, quia Mater est misericordiae, quotidie studens ei specialem, et singularem reverentiam exhibere.* Ac tandem Greg. VII. Pontifex sanctissimus, cuius memoriam in Martyrologio die 25. Maii, inter pleraque alia documenta, quae tradidit Mathildi filiae Beatricis Tusciae Ducissae, foeminae integerrimae, et de Romana Ecclesia optime meritae, Deiparae Virginis devotionem his verbis commendavit: *De Matre vero Domini, cui te principaliter commisi, et committo, et nunquam committere, quousque illam videamus, ut cupimus, omittam: quid tibi dicam? quam coelum, et terram laudare, licet ut meretur nequeant, non cessant. Hoc tamen proculdubio teneas, quia quanto altior, et melior, et sanctior est omni matre, tanto clementior, et dulcior circa conversos peccatores, et peccatrices. Pone itaque finem in voluntate peccandi, et prostrata coram illa, ex corde contrito, et humiliato lacrymas effunde: invenies illam indubitanter, promitto promptiorem carnali matre, ac mitiorem in tui dilectione;* haec Gregorius VII.

Ceterum iam varias rationes proponamus, quae ad hanc Virginis devotionem excitant, has ad duo praesertim capita revocari arbitror, nimirum ad insignem Virginis excellentiam, sublimiaque eius merita, et ad nostram spiritualem, et temporalem utilitatem. Certe Virginis sanctitas ac matris Dei celsissima dignitas praeexcellens adeo esse perhibetur, ut hoc solo nomine etiam si pene innumerabilia, quae non desiderantur deficerent, iure suo sibi vindicat ab omnibus creaturis serviri, coli, ac ardenter amari. Hoc ut altius repetam a primordiis creationis Virginis illam petendam

sum arbitratus cum d. Bernardo his verbis eleganter eam describente (*in ser. de s. Mar. cui. init. est*), Ave: *Arca testamenti typum tenet sanctae Dei Genitricis: illam fecit Bezeleel, istam condidit Emmanuel; Bezeleel, Ooliab in opere socium habuit, et Virgo quoque Virginum condita, praelecta, praeservata, praeparata, et ornata per Spiritum sanctum, et eius omnipotentem filium fuit: Bezeleel interpretatur umbra Dei, Ooliab protectio mea; prior ille Spiritus sancti, iste vero typum tenet Filii; de illo dicitur ad Mariam: Virtus Altissimi obumbrabit tibi; et ad Ioseph, quod in ea natum est de Spiritu sancto. Filius vero ad Patrem clamat: protege me a facie impiorum, qui me afflixerunt. Item, de ventre matris meae tu es protector meus. Bezeleel ergo cum socia arcam testamenti fabricavit. Sancta quoque Trinitas Virginem sibi sanctificavit, hospitiumque mundissimum sibi praeparavit. Neque enim Pater abesse potuit, ubi eius Spiritum, et Filium cooperari voluit: quaecunque enim Pater facit, haec eadem similiter et Filius facit: nec enim Filius potest a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. De Spiritu quoque legitur: Verbo Domini coeli firmati sunt, et spiritu oris eius omnis virtus eorum. Pater ergo in consecratione Virginis exhibuit claritatem, Filius humilitatem, Spiritus sanctus charitatem. Pater lumen exhibuit rationis, Filius cinerem humilitatis, Spiritus sanctus oleum dilectionis. Pater exhibuit potentiam, Filius sapientiam, Spiritus sanctus omnium virtutum gratiam. Pater auctoritatem contra peccatum, Filius humilitatem contra mundum, Spiritus sanctus charitatem erga Deum, et proximum. Filius carnis mortificationem, Spiritus sanctus compunctionem, Pater coelestium contemplationem. Filius docuit eam divina operari, Spiritus sanctus amare, et amari, Pater coelestia contemplari. Filius eam erudit, Spiritus sanctus eam provehit, Pater eam perficit. Filius eam purificat, Spiritus sanctus eam pacificat, Pater eam honorificat. Haec dicens, opera, vel dona Trinitatis non dicido, sed fideliter inseparabilia assero: sicut enim in essentia unitas, ita in operatione identitas*; hactenus s. Bernardus.

Sed quod ipse praetermisit de arca testamenti, quae ex lignis erat Sethim, ut legimus (*Exod. cap. 35*), imputribilibus, minime silentio praetermittam, utpote ad excellentiam, ac eximiam Virginis puritatem exprimendam mirum in modum conducens: id enim umbra fuit gratiae, praeservationis maculae originalis, quam spiritualem animae putredinem esse, nemo Catholicus negat, cum iusta decretum sacrosancti Concilii Tridentini sit vere, et proprie peccatum, et mors animae. Eandem etiam praeservationem ab hac putredine delineatam intueor in arbore illa, ostensa Nabuchodonosori regi (*Dan. cap. 4*), ubi haec verba lego: *Succidite arborem, et praecidite ramos eius, et excutite folia eius; verumtamen germen radicum eius in terra sinite.*

Porro arbor illa, visa regi in somno procerrima, et amplissima, pulcherrimis frondibus, floribus, et fructibus ornata, secundum mysticum sensum, adumbravit miram status primi hominis ante peccatum felicitatem. Eadem mox bonis suis omnibus, atque ornamentis expoliata, et excisa, servata tamen radice, unde rursus crescere, florescere, ac fructificari posset, significavit eiusdem primi hominis miserrimum statum, postquam lapsus esset in peccatum, quo omnis eius posteritas vitiata, et perdita est: fuit tamen radix, et germen eius servatum; intelligo autem per radicem beatam Virginem Mariam, peccato Adami nullatenus infectam: sic enim eam appellavit Isaias (*c. 11*): *Egredietur Virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet.* Per germen autem radicis Christum Dominum interpretor, qui non solum omnis peccati expers fuit, sed et arborem humanae naturae, vitio Adami destructam, et corruptam, non tantum in priorem, qua conlita fuerat, dignitatem, sed multo etiam ampliorem, ac florentiorem reparavit, ut ubi abundavit delictum, superabundaret gratia. Verum et multo ante praefiguratam intueor Virginis praeservationem a peccato originali: nam, ut legimus (*Gen. cap. 2*), serpens Virginis calcaneo insidias moliturus, divino oraculo praedicitur, sed venenatum dentem huic calcaneo figere non potuit, quin potius caput ei conterendum praenunciavit: equidem calcaneum iuxta philosophos nemo ignorat, partem esse illam pedis, quam inter gradiendum, naturae ductu, primum in terra sistimus, cum sit velut basis, cui ad perpendiculum totum corporis pondus imititur: unde apte Virginis Conceptionem praefigurat, cum per illam primum in orbem terrarum gressum fecerit, seu primum in eo pedem posuerit, quem serpens antiquus, sicut et reliquos filius Adae, peccati originalis morsu laedere nitebatur, sed mordere nunquam potuit, siquidem calceamentis divinae gratiae ita egregie praemunita erat, ut divinus Sponsus, quae calceamenta ei contuleral, quasi admirans, dixerit (*Cantic. 7*): *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis?* quae verba de Virgine exponit Ambrosius (*de instit. Virg. cap. 14*). Haec autem Deiparae calceamenta coelestia fuere: nam (*Apoc. 12*) mulier illa amicta sole, quae illam significabat, sub pedibus habuisse dicitur lunam, quae calceamentorum vicem subibat, ac proinde calceamenta haec excelsiora fuere, quam ut in ea venenatis dentibus serpens posset assurgere: quippe qui in sua maledictione (*Gen. c. 3*) accepit, ut super pectus suum gradieretur, humi replans, et terram comederet cunctis diebus vitae suae, id est, homines terrenis rebus inhiantes. Et sicut in benedictione Aser (*Deuteron. cap. 33*) dicitur: *Ferrum et aes calceamentum eius*; et (*Ezechiel. c. 16*) ad Hierusalem: *Calceavi te in hyanthino*, seu ut alii vertunt, *hyacintho*, quod eiusdem sensum reddit: ita calceamenta Virginis non minus fortia calceamentis Aser fuere ad noxium serpentis caput conterendum, nec minus decora, et speciosa calceamentis illis Ierusalem ianthinis, seu hyacinthinis, coloris coelestis incorruptibilitatem significantis. Deinde (1. *Machab. 4*) legimus, Iudam Machabaeum cum aliis, altari holocaustorum, quia contaminatum fuerat a gentibus, ne forte esset illis in opprobrium, uti noluis-

se, sed acceperunt lapides integros, et aedificaverunt altare novum, secundum illud, quod fuit prius; quanto magis Dei Filius noluit in matrem accipere eam, quae per peccatum fuisset contaminata, ne in eius opprobrium cederet: nam, sicut adnotavit s. Thomas (3. *parte qu.* 27. *art.* 4), gloria filiorum patres eorum, (*Proverb. c.*17), etiam per oppositum ignominia matris ad filium redundasset, et ideo negat ipse Virginem peccasse venialiter; eadem prorsus ratione, imo fortiori infero, neque contraxisse originale, quod deterius est, sed omni novitate gratiae, novam sine ulla vetustate veteris Adae Christo filio fuisse praeparatam, tanquam altare sanctissimum, et animatum: sic enim eam vocat Methodius (*in Hypopantem*). Deinde si moris est, ut quando aliqua Ecclesia maxime cathedralis, aut metropolitana aedificanda venit, ut Episcopus pontificatibus vestibus indutus, clero, et populo fidelium devote procedentibus, primum fundamenti lapidem propriis manibus apponat, et cum eo pretiosissima aurea numismata in signum perpetuae stabilitatis, et aeternae memoriae; similis in hoc facto viro sapienti, ut dixit Christus Dominus (*Matth. cap.* 7): *Qui aedificavit domum suam supra petram*, ut, licet descendat pluvia, et veniant flumina, et venti irruant in domum illam, nunquam tamen decidat. Nunquid statuens sapientissimus architectus, et omnipotens Deus, templum matris suae, in qua velut in matrice domo habitaturus erat, et de qua in eius figura dictum est (3. *Reg. cap.* 10): *Non est factum tale opus in universis regnis*, fundaturus erat illam super arenam? fundaturus erat super stercus originalis maculae? fundaturus erat super immundissimas peccati faeces? absit longe a nobis haec cogitatio, sed pie credamus, quod, sicut olim (3. *Reg. cap.* 5): *Praecepit rex, ut tollerent lapides pretiosos in fundamenta templi;* ita in Conceptione beatissimae Virginis, quae aedificatio fuit Mariani templi pretiosissimi, divinorum charismatum lapides a summo, ac peritissimo architecto iacti fuere.

Ad quae omnia ista hac singulari ratione confirmo, quia Deipara habuit perfectissimam virginitatem non solum corporis, sed et animae; perfectissima autem mentis virginitas creaturae rationalis in eo certe posita est, nemine renuente, ut per peccatum, quod spiritualis quaedam fornicatio est, nunquam violata fuerit. Cum ergo b. Virgo corpore, et mente perfectissima virgo fuerit, consequens est, non fuisse nec per momentum per peccatum originale violatum, atque corruptum; etenim quantumcunque per gratiam subsequentem momentum conceptionis spiritualis illa violatio, et corruptio peccati originalis penitus deleretur; perfectio tamen perfectissimae virginitatis, prout importat immunitatem ab omni violatione peccati, minime repararetur, sicut quantumcunque diva Maria Ægyptiaca fuerit mundata ab omni labe peccati, et in resurrectione habitura sit corpus integerrimum; semper tamen verificabitur, violatam fuisse: nec id ulla ratione reparari poterit, cum ad praeteritum, ut loquuntur theologi, nulla sit potentia. Nec praeteribo in idem argumentum egregiam rationem nostri divi Bernardini Senensis (*tom.* 4. *serm.* 49. *post Pascha part.* 1), ubi sic ratiocinatur: *Certum est, quod Deus creavit Adam sine peccato originali ex limo terrae, deinde ex costa eius creavit Evam etiam sine peccato; et certum est, quod Christus incarnatus fuerit Deus, et homo, et fuit maior quam Adam, et Eva, et maioris dignitatis; et tantum interest inter eos, quantum inter creatorem et creaturam. Modo non est credendum, quod ipse Filius Dei voluerit nasci ex Virgine, et sumere eius carnem, quae esset maculata peccato originali, imo credendum est, quod voluit sumere carnem ex carne purissima, et quod eius mater fuerit plusquam Eva, et Adam, qui creati fuerunt sine peccato originali: quae ratio mihi valde applaudit;* haec d. Bernardinus Senensis.

Porro, ut stupendam hanc Virginis excellentiam amplius elucidemus, singulare illud epithetum, quo utitur Eusebius Caes. (*lib.* 7. *de Demonstratione Evangel.c.* 3), et Virginem cohonestavit, attenta mentis cogitatione perscrutemur: appellavit illam librum novum: verba eius sunt haec: *Novus liber de adventu Dei, qui continet natalia Christi, filii prophetidis Mariae.* Liber in sua prima significatione non significabat librum ex variis follis papyraceis compactum, sed arboris corticem, ut aperte indicant verba Ciceronis (*lib.* 1. *de Nat. Deorum*): *Trunci obducuntur libro, aut cortice, quo sint a caloribus, et frigoribus tutiores.* Indicant etiam idem verba Virgilii, ecloga ultima, qui ad exaggerandum Cornelii bellum haec carmina cecinit:

Non illum nostri poterunt mutare labores,
Nec si cum morieus alta liberaret in ulmo.
Æthiopum versemus oves sub sidere campi.

Atque ex hoc factum est, quod cum olim ob defectum papyri scripturae in corticibus exararentur, inde codex scriptus, vel scribendus, liber appellari coepit. Utraque libri acceptio, et significatio non pauca Virginis praeconia complectitur. Congruit mirifice illi vocari liber, prout idem pollet, quam arboris cortex, tum quia sicut cortex undique truncum circumdat, et fovet, ita b. Virgo Filium Dei utero suo, velut cortice circumdedit, et fovit, iuxta vaticinium (*Ierem.* 31): *Novum fecit Dominus super terram, foemina circumdedit virum:* quem locum interpretantes Septuaginta (*cap.* 38) transtulerunt; *Quoniam creavit Dominus salutem in plantatione nova.* Novitas autem inter alia plura in eo mirifice enitet, quod parvus cortex uteri virginei, infinitae magnitudinis, et immensitatis plantam, hoc est, incomprehensibilem Filium Dei comprehendere potuerit: tum quia sicut cortex ita a principio etiam suae generationis cum arbore coniunctus est, ut nihil inter ipsum, et arborem mediari patiatur: quod ita verum asseverant agricultores, ut affirment, si quidpiam aeris subintret inter corticem, et arborem, continue incipere corticem arborem demoliri; ita beata Virgo adeo cum Deo Optimo Maximo ab instanti

etiam suae Conceptionis, arctissimo charitatis vinculo copulata semper fuit, ut nullus unquam alicuius peccati originalis infectus aer inter Deum, et ipsam subintrans mediarit; cuius non leve indicium est, ipsam postea per totum circulum vitae, levem etiam peccati venialis putredinem nescisse: tum quia sicut cortex a principio, et postea non alio nutritur humore, quam eo qui sibi ab arbore, seu trunco, quem tegit, communicatur; ita beata Virgo, quae cortex fuit anima, et corpore continens, tegens, et fovens Filium Dei, nullo alio spirituali humore nutrita fuit, quam a Filio Dei sibi communicato; ex quo aperte efficitur, nihil coinquinatum in illam introire potuisse, cum non aliunde, quam ab arbore vitae, et totius puritatis fonte, succum, et humorem suxerit.

Secunda deinde acceptio libri, ut codicem scriptum iam significat, praeclare etiam in b. Virginem convenit, cum per illam, quam magna sit Virginis super reliquos omnes sanctos excellentia, facile innotescit: etenim illos Salomon (*Prov.c.*11) folia reputavit: *Iusti autem quasi virens folium.* Virgo autem non tantum est folium, sed liber integer esse dicitur, multa folia comprehendens, cum reliquorum coelestia omnia charismata in se una uberius complectatur: folia quidem soluta haud difficulter deformantur, et pereunt; cum vero sunt in librum conglutinata, facile custodiuntur, et characteres integri conservantur: non dissimiliter multi sanctorum, quia folia erant soluta, suborta peccandi occasione, facile perierunt: David in veteri testamento alienam usurpavit uxorem, Petrus in novo Christum abnegavit, Thomas discrediti, et Christi discipuli omnes scandalum passi sunt, ut praedixerat eis Dominus (*Matth. cap.* 26): *Omnes vos scandalum patiemini;* beata autem Virgo liber est egregie ligatus, et clausus, cuius folia non soluta, virtutes non divisae, sed ita ex singulari, ac praeexcellenti dono confirmationis in gratia inter se connexae, et conglutinatae, ut iacturam ullam pati non potuerint, aut quoiacturam ullam pati non potuerint, aut quo-quo modo coelestium donorum impressi in illa characteres deformari. Recte etiam quadrat Virgini librum nuncupari, cum in ea, velut in libro, Pater aeternus mentis suae conceptum expresserit, Verbum divinum in candidissima uteri sui charta scribens.

Unde beatus Andreas Cretensis (*orat.* 2. *de dormit.*) dixit cum Deipara loquens: *Tu es liber vivus eius, qui in te tacite fuit scriptus, verbi Paterni vivifico Spiritus sancti calamo:* praeclare quidem vocat Virginem librum vivum, quia licet alioquin auctor viva voce loquens, dicendi energia, et accurata actione, verbis, quae profert, vitam quodammodo eis dare videatur, liber tamen scriptos illos sermones continens, mortuus prorsus est, vilamque scripturae conferre non valet; at beata Virgo liber est vivificus, et animatus, conferens vitam auctori vitae, cum Verbum divinum, quod in ea Pater aeternus scripsit, vere ipsa genuerit, humana carne illum induens: ad quod significandum apte Ecclesia catholica in multis Deiparae Virginis festivitatibus utitur Evangelio, cuius initium est, *Liber generationis*, ut inde intelligamus beatam Virginem librum esse vivificum, et vitam conferentem, cum generatio ex propria ratione sit processio viventis a vivente in similitudinem naturae, ut philosophi omnes cum suo principe contestantur: quod si ulterius observes esse librum generationis Iesu Christi, qui *Salvator, et unctus* interpretatur, inde clare agnosces b. Virginem, communicante Christo Domino, non quamcunque vitam, sed vitam nobis valde salutiferam, dulcem, ac suavem: Filius Dei a Patre genitus talem vitam accepit, ut de ipso dicatur (*Ps.* 110): *Sanctum, et terribile nomen eius*, et alibi (*Psal.* 75): *Terribili et ei, qui auferi spiritum principum:* a matre vero genitus, ita suavem ac mellifluam vitam ab ea mutuavit, ut qui antea Deus ultionum diceretur, iam *Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis*, a divo Paulo (2. *ad Corinth. cap.* 1) proclametur; quo certe Patris nomine, etiam si non subinuxisset *misericordiarum*, non obscure indicaverat Filium Dei, postquam accepit vitam a matre, aperta habere erga nos suae misericordiae viscera, cum Pater a patefaciendo dicatur, ut auctor est Marcus Varro (*libr.* 4. *de ling. Lat.*). Atque ex his omnibus colligo, quod, si auctores librorum, qui communi reipublicae applausu probantur, immortalem sibi nominis gloriam comparant, adeo ut Ovidius (*lib.* 15. *Metamorph.*) propter editum a se librum, figmentis, et mendaciis plenum, parem putarit cum stellis adepturum laudis immortalitatem, dicens:

Iamque opus exegi, quod nec Iovis ira, nec ignis,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas.
Parte quidem meliore mei super alta perennis,
Astra ferar, nomenque erit indelebile nostrum.

Certe si libri, alioquin fabulosi, ac mendacia scaturientes, immortalis nominis gloriam suis auctoribus conciliarunt; plane cum Deus librum hunc beatae Virginis, communi omnium generationum applausu receptum, ut ipsa in suo Cantico cecinerat (*Luc.* 2): *Beatam me dicent omnes generationes*, in lucem ediderit, omni prorsus errore, et mendacio carentem, utpote in se continentem increatam Dei veritatem, iuxta illud Christi Domini (*Ioan.* 6): *Ego sum via, veritas, et vita*, non potest ex illo tanquam verus eius auctor, non magnam laudem, ac immortalem nominis gloriam sibi comparasse: si enim David dixit (*Psalm.* 67): *Mirabilis Deus in Sanctis suis*, quos constat servos eius esse; quanto quaeso mirabilior in matre sua fuisse credendus est, in qua tot prodigia patravit, ut eadem Virgo haud arroganter dicere non dubitarit (*Luc.* 11): *Fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen eius.*

Ceterum iam a rationibus, quae miram Virginis excellentiam ob oculos mentis nobis proposuere, ad alias nostram utilitatem concernentes, quae nos tanquam proprii commodi avidissimos impensius movere solent, sermonem convertamus: inter has primo loco iam appono, quod Christus Dominus morti proximus in testamento, quod in lecto crucis con-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

didit, hoc magni momenti legatum nobis reliquit, ut beatam Virginem in spiritualem nostram matrem haberemus: nam cum Virgini dixit Ioannes (c. 19): *Mulier, ecce filius tuus*, omnes nos in eo curae, et protectioni illius tradidit, ut ad illam, tanquam ad charissimam matrem, confugeremus: et quidem cum Christus Dominus sit pater Iustorum, iuxta vaticinium (*Isa. cap.* 63): *Tu enim Pater noster, et Abraham nescivit nos, et Israel ignoravit nos, tu Domine Pater noster, et redemptor noster;* et ex alio capite b. V. sit mater Christi; consequens est, ipsam spiritualem esse matrem iustorum, ut his verbis intulit divus Athanasius (*serm. de Deip.*): *Decet te Matrem, Regeneratricem, Dominam, ac Heroum cognominare, eo quod ex te prodiit rex Dominus.* Unde arbitror, beatam Virginem, tanquam amantissimam matrem, in corde suo, velut charissima pignora, filios suos custodire: nam si d. Paulus (*ad Philip. cap.* 1) testatur, cor suum domicilium esse filiorum, quos in Christo genuerat: *Eo quod vos habeam in corde:* imo (2. *Coria.* 7) adiecit: *In cordibus nostris estis ad commoriendum, et convivendum;* quanto magis de materna Virginis charitate existimare debemus, in eius corde omnes suos spirituales filios, velut in domicilio, sibi iucundissimos contineri? quod non ignorans Ecclesia catholica (*ex Psalm.* 86) eandem Virginem alloquens dixit: *Sicut laetantium omnium nostrum habitatio est in te, sancta Dei Genitrix.* Etenim Virgo videns filium suum non dedignari cor suum erga nos apponere, ut loquitur b. Iob (c. 7): *Quid est homo, quia apponis erga eum cor tuum?* nec ipsa dedignatur ad imitationem filii in corde suo nos habere. Quare sicut olim Abraham (*Gen.* 12) obsecravit Saram: *Dic obsecro te, quod soror mea sis, ut bene sit mihi propter te, et vivat anima mea ob gratiam tui;* ita et nos obsecrare possumus Deiparam: o Virgo Maria, o Sara nostra, quae princeps interpretatur, die, quod sis Mater nostra, ut propter te bene sit nobis a Deo, et ob gratiam tui vivat anima nostra in eo, ut propter talem matrem Ægyptii, daemones intelligo, indemnes nos praeleceant, et Pater, Filius, et Spiritus sanctus nostri misereantur.

Cum ergo b. Virgo sit constituta Mater nostra, ita maternum amorem in nos exercet, ut Dei Patris amorem imitetur, prout egregie observavit his verbis sanctus Antoninus (4. *par. tit.* 5. *cap.* 20. §. 11), et quod dicitur de Patre aeterno Christi, dici potest de beata Virgine: *Proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum, passum voluntate, et affectu, et quomodo non etiam cum illo nobis omnia donavit?* Certe amorem suum ipsa Virgo testatur (*Proverb.* 8): *Ego diligentes me diligo;* ex qua dilectione oritur in illa singularis cura, quam de nobis gerit, in via Domini nos dirigit, in tribulationibus consolatur, in perplexitatibus, et angustiis, poenas, quas Deus contra nos iratus infligere minatur, aut minuit, vel certe penitus avertit: petitiones nostras exaudit, et nostris necessitatibus materno affectu opitulatur, ut in illam apte conveniat illud (*Isaiae* 49): *Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui?* Certe b. Virgo Christum generans utero suo, nos omnes etiam spiritualiter genuit; indeque est, quod licet alioquin beata Virgo plusquam regia maiestate in sublimi loco sedeat apud filium, magna angelorum stipante caterva, et in summo honore super omnes puras creaturas constituta sit; nihilominus tamen cum Mater nostra sit, huius maternitatis minime oblita, non dedignatur nobis familiariter conversari, precibus nostris annuere, minima etiam nostra negotia pertractare, ac rerum omnium ad nos pertinentium solicitam curam gerere, ut ipsa his verbis revelavit s. Birgittae (*l.* 7. *suar. revel. cap.* 25): *Eadem humilitas est nunc in filio meo in potentia Deitatis suae, sicut tunc fuit, quando reclinabatur in praesepio, incens inter duo animalia, licet omnia sciret secundum Deitatem, nihil tamen loquebatur secundum humanitatem: sic etiam nunc sedens ad dexteram Patris, audit omnes loquentes ad eum cum charitate, et respondet per infusiones sancti Spiritus, quibusdam verbis, et cogitationibus quibusdam quasi ore ad os loquitur, sicut ei placet: similiter ego, quae sum Mater eius, ita humilis sum nunc in corpore meo, quod est super omnia quae creata sunt, exaltatum, sicut tunc fui, quando Ioseph desponsata:* et infra ad calcem capitis: *Sicut ergo humilis fui cognita soli Deo, et Ioseph; sic etiam nunc sum humilis, sedens in sublimissimo throno, parata praesentare Deo omnium orationes rationabiles; sed aliquibus respondeo per infusiones divinas, aliquibus autem loquor secretius, sicut bene placitum est Deo;* hactenus beata Virgo.

Atque hinc est, quod sicut pueri cum aliquid terriculi, vel adversi sibi oblicitur, collum Matris lacrymabundi arctius complectuntur, vel ad gremium eius confugiunt; ita, et nos hostium incursibus, ac variis tentationibus oppressi, ad Virginem per collum significatam, accurrere debemus, et cum lacrymis, et precibus maternum eius gremium amplecti; quin etiam non solum in hostium impugnatione, verum etiam sicut olim Ruben, ut legimus (*Genes.* 28), *inventas mandragoras Liae matris detulit:* ita et nos bona nostra, aliaque pietatis opera Virgini deferamus, et per ipsam Deo offerenda transmittamus, non secus ac ea, quae a corpore per collum ascendunt in obsequium capitis, prout id nos facere monet d. Bernardus (*serm.* 3. *de adv.*) dicens: *Studeamus et nos dilectissimi per ipsam ad Deum ascendere, qui per ipsam ad nos descendit; per eam venire in gratiam ipsius, qui per eam in nostram venit miseriam.* Addo in idem argumentum egregia ac pia verba d. Thomae (*opusc.* 8), ubi ait: *Magnum est in quolibet sancto, quando habet tantum de gratia, quod sufficit ad salutem multorum; sed quando haberet tantum, quod sufficeret ad salutem omnium hominum de mundo, hoc esset maximum: et hoc in Christo, et in b. Virgine fuit: nam in omni periculo potest obtinere salutem ab ipsa Virgine gloriosa:* unde (*Cant.* 4): *Mille clypei, id est, remedia contra pericula, pendent ex ea: item in omni opere virtutis potes eam habere in adiutorium: et ideo dicit ipsa* (*Ecclesiast.* 24), *in me omnis spes vitae, et virtutis.*

Secundam nostrae utilitatis rationem subiicio, quia b. Virgo advocatae munere fungitur apud filium, idque potentissime, atque ut omnia ad salutem nostram profectura facile ab eo impetret: id quod Ecclesia docet, s. Patres contestantur, sacrae litterae indicant, variae revelationes confirmant, ac portentosa exempla apertissime comprobant: sane Ecclesia praeterquam quod in percelebri cantico, Salve Regina, Virginem alloquens, ait: *Eia advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte:* (*in orat. etiam vigil. Assumpt.*) ita orat: *Munera nostra Domine apud tuam clementiam Dei Genitricis commendet oratio, quam idcirco de praesenti saeculo transtulisti, ut peccatis nostris apud te fiducialiter intercedat.* Id ipsum unanimi consensu frequenter referunt Patres; nam s. Ephrem (*orat. de laudib. Virg.*) vocat eam: *Vallum fidelium, et propitiatorium laborantium.* Andreas Cretensis (*in salut. Ang.*): *Christianae fidei propugnaculum, et eorum, qui spem in ea collocant, propugnatricem.* Nazianzenus (*in trag. de Christ.*): *Patronam acceptissimam.* Bernardus (*serm.* 1. *de Assumpt.*): *Advocatam salutis nostrae negotia pertractantem.* D. Bonav. (*in hymno Te Matrem Dei laudamus*) sic illam alloquitur: *Tu agonizatrix pugnantium, advocata pauperum, miseratrix, et refugium peccatorum, tu erogatrix munerum, post Deum sola spes nostra, tu solus te invocantium, tu promotrix iustorum, congregatrix errantium.* D. Anselmus (*de excel. Virg. cap.* 12): *Te Domina per ipsam gratiam, qua te Pater omnipotens Deus sic exaltavit, et omnia tibi secum possibilia donavit, quatenus id apud ipsum in nobis impetres, et obtineas. Benignissimus filius tuus Dominus noster Iesus Christus erit ad concedendum quidquid voles promptissimus, et exaudibilis: tantummodo itaque velis salutem nostram, et vere nequaquam salvi esse non poterimus;* haec ille. S. Antonin. (4. *part. tit.* 15. *cap.* 19. §. 2) in idem argumentum ait: *Sapientia advocati, et eloquentia manifestatur ex tribus, scilicet, quod obtineat apud iustum, et sapientem iudicem. Secundo, contra adversarium astutum, et sagacem protegat. Tertio quod in causa desperata vincat. Sed Virgo Maria advocata nostra obtinuit apud sapientissimum, et iustum iudicem Deum contra astutissimum adversarium diabolum, in causa desperatissima inter Deum et hominem, in qua nullus hominum qui eam praecesserant, loqui audebat:* et (4. *part. tit.* 15 *cap.* 44. §. 2) inquit: *Ipsa sola omnes inferiores reduxit, tanquam mediatrix reconciliationis, et adiutrix redemptionis, et Angelorum numerum restauravit, et subcecit ruinae ante conspectum Domini, ut dicitur in figura de v. Iudith* (*cap.* 13), *et hominem lapsum revocavit ad superos.*

Ut autem idem S. explicaret efficaciam advocationis, et intercessionis Deiparae Virginis, haec praeclara scripsit (4. *par. tit.* 15. *cap.* 17. §. 4): *Oratio sanctorum non innititur alicui rei ex parte sua, sed tantum misericordiae ex parte Dei; oratio autem Virginis innititur gratiae Dei iure naturali, et iustitiae Evangelii. Nam filius non tantum tenetur audire Matrem, sed et obedire, iuxta illud Apostoli: Filii obedite parentibus vestris, quod etiam est de iure naturae* et mox: *Oratio Deiparae erat nobilissimus modus orandi, tum quia habebat rationem iussionis, et imperii, tum quia impossibile erat eam non exaudiri, iuxta illud, quod in figura eius dixit Salomon matri suae Bersabeae* (3. *Reg.* 1), *cum aliquid petere vellet:* ait: *mater mea, neque enim fas est, ut avertam faciem meam;* haec s. Anton. Unde s. Birgitta in revelationibus (*c.* 84) referi, sanctos apparuisse, et dixisse Virgini: *O Domina benedicta, tu portasti Dominum in te, et tu Domina omnium es: quid est, quod non poteris? quod enim tu vis, hoc factum est.* Non potuit sane sublimius praedicari Mariana potentia, cum et divinam non aliter commendavit David, quam dicens (*Ps.* 144): *Ipse dixit, et facta sunt.* Et quidem si Apostolus Christi servus (*ad Philip.* 4) intrepide pronunciavit: *Omnia possum in eo, qui me confortat;* quanto magis Deiparens omnia poterit in eo, quem genuit: ad quod respiciens d. Petrus Damianus (*ser. S. de Nativ. Virg.*) dixit: *Quomodo illa potestas tuae potentiae poterit obviare, quae de carne tua carnis suscepit originem? accedis enim ante illud aureum humanae reconciliationis altare, non solum rogans, sed imperans.*

Deinde ex sacris literis haec eadem Patrum doctrina non obscure deducitur: etenim (*Abac.* 3) dum ait: *Deus ab austro venit, et sanctus de monte Pharan;* licet s. Gregorius Magnus (*lib.* 33. *moral. cap.* 1) per hunc montem veteris testamentum significari dicat, utpote umbrosum propter prophetiarum obscuritatem, et condensum ob multitudinem allegoriarum, et caeremoniarum, et mysteriorum, quae in eo continebantur; per illum tamen b. Virginem intelligendam esse docuerunt Theophylactus (*in eund. loc. Abac.*), Esichius (*serm. de b. Virgin.*): quae merito mons dicitur ob altitudinem dignitatis, gratiae, et sanctitatis suae, umbrosus, quia Spiritus sanctus obumbravit illi, et condensus ob multitudinem arborum. Mons vero sic condensus, refugium cervorum, et luporum, et aliorum animalium, imo et eorum, quos indices insequuntur, solet esse. Sic b. Virgo refugium omnium est, etiam peccatorum, quos divina iustitia punire satagit, et ad hunc confugientes montem liberantur. Quot enim millia fuerunt, sunt, et erunt, qui iam in gehennam damnati fuissent, vel damnandi forent, nisi Mater Dei pro illis intervenisset. Deinde verba illa Ioannis Apocalyps. (*cap.* 12): *Apertum est templum Dei in coelo,* b. Virginem significat habentem viscera misericordiae suae aperta ad subveniendum occurrentibus ad eam, ac fortiter ad eos defendendum a volentibus violenter extrahere illos ab ea: quod satis aperte figuratum fuit in templo illo (1. *Mach.* 10), ubi sic dicitur: *Quicunque confugerint in templum, obnoxii regi in omni negotio dimittantur.* Advertenter dixit in omni negotio, quia licet confugientes ad Ecclesiam, non possent violenter extrahi, ut (*in cap. inter alia de immunit. Eccl. et in tot. titul. Cod. de his, qui ad Eccles. confug.*), sunt tamen aliqui casus, in quibus delinquentes non debent Ecclesiae immunitate gaudere: non sic autem confugientes ad Virginem, sed in omni negotio confugientes ad illam, immunitate gaudent: unde Ludovicus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

Blosius vir sane spiritualis (*in spec. suo cap.* 12) in medio: *Dulcissima*, inquit, *Maria nullum a se repellit: peccatores ad se pie et humiliter confugientes blande suscipit, fovet, protegit, et filio suo materna fiducia reconciliat. Citius coelum cum terra perierit, quam ipsa aliquem serio se implorantem, sua ope destituat.*

Atque ad hoc ipsum significandam consulto divinitus inditum arbitror Deiparae nomen Mariae, quod *Maris stella* interpretatur: nam praetermissis aliis rationibus congruitatis illius, illa satis nota est, cuius meminit divus Epiphanius (*haeres.*78), ubi contra Antidicomarianitas sic loquitur: *Beata Maria non fortuito, aut solum placito, ut quidam putant, sed divina dispensatione nomen accepit, ita ut ipsa quoque vocabuli sui figura magnum quiddam inveniret: interpretatur enim maris stella, ut aspectu illius dirigere cursum possint, et destinatum portum apprehendere. Simili modo fratres, oportet, universos Christicolas inter fluctus huius saeculi confugere ad Mariam, quae superno rerum cardini Deo proxima est, et ex aspectu exempli eius cursum vitae dirigere: quod qui fecerit, non iactabitur vanae gloriae vento, nec frangetur scopulis adversorum, nec absorbebitur voragine voluptatum, sed prospere veniet ad quietis aeternae portum.*

Ad extremum d. Anselmus (*de excell. Virg. cap.* 6) tantam potentiam, et efficaciam precibus Virginis tribuit, ut dicere audeat, non semel contingere, velociorem esse salutem ad invocationem nominis Mariae, quam Iesu: verba eius sunt haec: *Haec velocior est nonnunquam salus, memorato nomine Mariae, quam invocato nomine Iesu unici filii sui; et id quidem non ideo fit, quod ipsa maior et potentior eo sit; nec enim ipse magnus et potens est per eam, sed illa per ipsum, quia filius eius Dominus est, et iudex omnium, discernens merita singulorum: dum igitur ipse a quovis suo nomine invocatus, non statim exaudit, profecto id iuste facit; invocato autem nomine Mariae, etsi merita invocantis non merentur, ut exaudiatur, merita tamen matris intercedunt, ut exaudiatur. Haec denique usus humanus quotidie probat, cum quis proposito Dominico nomine efficaciter ab alio aliquid impetrat, quod simpliciter sua prece nequaquam impetrare potest;* haec Anselmus. Id quod sane cedit in Christi gloriam, et in eius doctrinae adimplementum, qui (*Ioa.* 14) dixit: *Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera, quae ego facio, et ipse faciet, et maiora horum faciet.* Et hinc posset d. Augustinus a perplexitate quae ei tribuitur, *Positus in medio, quo me vertam nescio; hinc lactor ab ubere; hinc pascor a culmere;* pie, et reverentec cessare, vertens se prius ad Virginem, et ea pro advocata assumpta, ad Christum recurrere; quia, ut ex d. Anselmo, et d. Bernardo refert, et asserit Seraphinus Firmianus (*probl.* 54. *in Virgin.*), e filio derivatur divina pietas absque ullo iustitiae terrore; at in filio, licet attrahat pietas, terret tamen, quod scriptum est: Iudicem esse eum adeo severum, ut rationem sit exacturus de unoquoque verbo otioso. Quid autem mirum, si magis praefidat reus in sola pietate, quam in ea iustitiae coniuncta, quando eadem divina est pietas in utroque et filii, et eius matris tribunali?

Quae omnia satis superque efficacia mihi videntur ad excitandam in nobis fiduciam magnam in intercessione Deiparae Virginis, et magna ad ea, quae postulat ad impetrandum potentiam, iuxta illud (*Psalm.* 49): *Ponite corda vestra in virtute eius.* Ita sane posuit Seraphicus noster divus Franciscus, de quo sanctus Bonaventura (*in vit. eius cap.* 9) dixit, in Matre Domini post Christum praecipue fidens, eam sui, ac suorum advocatam constituit. Quod idem plerosque alios patres factitasse, et factitandum nos monuisse lego. Nam sanctus Damascenus (*orat.* 1. *de dorm.*) inquit: *Tibi nos quoque hodierna die assidemus, O Domina, Domina, atque iterum dicam Domina, Dei Genitrix Virgo: animas nostras ad spem tuam non secus, atque ad firmissimam quandam anchoram alligantes, mentem, animam, corpus, totos denique nos tibi dicantes, ac consecrantes, Psalmis, et hymnis spiritualibus, quantum possumus, honorantes;* haec Damascenus. Sed sanctus Ephrem (*in orat. de Virg.*) his verbis ad eam precatur: *Sub alis tuis custodi me, et protege, miserere mei, qui sum luto inquinatus, ne adversus me glorietur satanas exitiosissimus, ut in me exurgat execrandus inimicus meus. Non mihi alia fiducia, o Virgo sincera: tu enim meus portus, o Virgo inviolata, et praesens auxiliatrix. Denique sub tutela, et protectione tua totus sum: crebris lacrymis te o celeberrima Mater imploro, et adcolvor tibi;* haec sanctus Ephrem. Hanc fiduciam erga Virginem excitabat s. Germanus patriarcha Constantinopolitanus (*orat. de orat. Deip*), in memoriam revocans, Matrem Dei ad adiuvandum potentissimam esse: verba eius sunt haec: *Certe Domina Deiparens, certe meum refugium, vita, et defensio, arma et gloriatio, spes et robur meum, concede mihi, ut et ego quoque cum ea fruar inenarrabilibus, et quae comprehendi non possunt tuis bonis in coelesti perseverantia: habes enim, sat scio, cum tua voluntate concurrentem potentiam, ut quae sis Mater Altissimi, et propterea audeo. Ne ergo priver mea expectatione, o Domina intemerata, quae universorum expectationem supra rationem peperit Dominum nostrum Iesum Christum;* haec ille.

Verum, quia nihil efficacius in egentium animis fiduciam gignit, quam largitas ac liberalitas eius, cui preces fundere debent, placet eximiam Virginis largitatem, ac inauditam liberalitatem palam facere; non tamen aliis verbis, quam quibus eam adamussim expressam reperio in revelatione sanctae Gertrudis (*cap.* 12), ubi haec habentur: *Sub matutinis in festo Dominicae annunciationis, dum in monasterio monialium, in quo degebat Gertrudis, cantaretur Ave Maria, vidit ipsa tres rivulos efficacissimos procedentes a Patre, et Filio, et Spiritu sancto cor Virginis Matris suavissimo impetu penetrare, et de corde ipsius rursus efficaci impetuositate suam originem repetere, et ex illo influxu s. Trinitatis hoc b. Virgini donatum fore, quod ipsa est potentissima post Patrem, sapientissima post Filium, et benignissima post Spiritum sanctum. Cognovit etiam, quod quotiescunque illa salutatio angelica, Ave Maria, cum devotione a fidelibus recitatur in terris, praedicti rivuli efficaciori impetu superabundantes, circumfluunt b. Virginem, et ex altero latere reinfluunt cor ipsius sanctissimum, sicque eum mira delectatione repetunt fontem suum, et ex illa redundatione venae quaedam gaudii, delectationis, et aeternae salutis respergunturin omnes personas sanctorum, et angelorum, et insuper illorum, qui in terris commemorant eandem salutationem, per quas renovatur omne bonum in singulis, quod unquam per salutiferam incarnationem Filii Dei sunt adepti;* haec ibi.

Illud tamen apprime observandum est, oportere cum devotione, et affectu erga Virginem, et cum fiducia in illam operibus bonis vacare, et cum b. Virgine ad nostram salutem cooperari, in cuius figuram (3. *Reg.* 1) Nathan dixit reginae Bersabeae: *Et adhuc te loquente cum rege, ego veniam post te, et complebo sermones tuos.* Sane si vis, ut benedictiones tuae acceptae sint coram Deo, suppliciter ora reginam Mariam, ut in nobis non regnet Adonias, non dominetur in nos peccatum, non principetur libido; sed pacificus rex Salomon, id est, Christus: quia tamen non sufficit sola Virginis intercessio, pondera subsequentia verba Nathan: *Adhuc te loquente cum rege, ego veniam post te, et complebo sermones tuos:* in quem locum divus Chrysostomus ait: *Illi complent sermones sanctorum, qui operibus humilibus, et pis correspondent eorum intercessionibus.* Specialiter tamen de intercessione beatae Virginis d. Bernardus (*homil.* 2. *sup. Miss.*) inquit: *Ut impetres eius orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum.* Beatam Virginem contemplor dicentem illud eiusdam Matris, cuius meminit Esdras (*cap.* 2): *Educavi vos cum laetitia, et amisi vos cum luctu, et tristitia, quoniam peccastis coram Domino Deo vestro, et quod malum est, coram eo fecistis.* Ite filii, et petite a Domino misericordiam, ecce beata Virgo cooperationem nostram postulat; unde cum in nuptiis Canae Galilaeae intercessit ad supplendum defectum vini, minime a filio miraculum postulavit, ministris non cooperantibus: quin potius illis dixit: *Quaecunque dixerit vobis, facite.* Dominus dixit eis (*Ioan.* 2): *Implete hydrias aqua:* et nisi implerent, vino carerent. Cupis divinae charitatis vino per intercessionem Virginis inebriari? divinum auxilium ad superandos hostes efficaciter impetrare? adhibe ad id cooperationem tuam iuxta monitum Virginis: *Quaecunque dixerit vobis, facite.* Cui persimile est illud quod per Salomonem ipsa monet (*Prov.* 8): *Nunc ergo filii audite me, et estote sapientes.* Sapientiam autem famulorum, quis non videat in eo sitam esse, ut heris obediant, et directioni eorum cooperentur. Unde quod David dixit (*Psal.* 36): *Spera in Domino, et fac bonitatem, et pasceris in divitiis eius,* idem erga beatam Virginem famulis eius factitandum est, ut fiduciam suam in ea collocantes bonis operibus pariter inhient.

Secunda utilitas ad devotionem Virginis maxime impellens illa certe est, quam in tremendo articulo mortis, materno affectu, tanquam charissimis filiis efficacissime succurrit, adversus omnes tentationes potentissima divinae gratiae auxilia ad eas vincendas impetrans: etenim quoniam ipsa virili animo non minus religiose, quam officiose Christo adstitit in cruce morienti, non sine ingenti animae suae, quam doloris gladius pertransivit, cruciatu, ideo peculiariter illi datum est suis filiis spiritualibus singulari pietate sibi devotis, eamque invocantibus in extremo vitae constitutis, suam opem imperlire, daemones pellere, illisque ut sancto fine vilam hanc claudant impetrare: et sicut luna praeesse dicitur nocti (*Genes.* 1), quia noctem illuminat; ita Virgo in mortis articulo, quae noeti assimilatur, suis devotis illucescit, et depellit tenebras. Quare Pelbartus de Themesuar (*in stellario Virg. lib.* 12. *part.* 2. *cap.* 1) Virgini accommodat illud (*Sap.* 10): *In fraude circumvenientium illi affuit, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum, et dedit illi claritatem aeternam:* quia Deipara tempore mortis a fraude daemonum tentantium suos devotos custodit, atque tutatur. Unde Ecclesia catholica non semel nos monet auxilium in morte a Virgine enixe postulare: *Tu nos ab hoste protege, et in hora mortis suscipe,* et alibi, *Iter para tutum:* tunc enim in itinere adsunt pene innumeri depraedatores, a quorum infestissimis incursibus Virgo devotos suos protegit; et ideo Ecclesia hortatur, ut dicamus, *iter para tutum*, quibus verbis mihi annuere videtur ad iter, quod planum ac tutum paravit Deus filiis Israel mediante virga Moysis: etenim sicut mare rubrum Moysi virga percussum, ac divisum iter sicco vestigio, Dei populo ad terram promissionis lacte, et melle manantem contendenti praebuit; ita per Virginem, quam virga Moysi, ut supra diximus, adumbrabat, transitus per mare huius mundi ad coelestem patriam electis repromissam expeditus Dei servis redditur. Ecclesiasticus etiam non ignorans hanc miram Deiparae virtutem ad subveniendum in mortis articulo, his verbis nos monet ad Virginem confugere (*Eccl.* 6): *In omni animo tuo accede ad illam, et in omni virtute tua conserva vias eius: investiga illam, et manifestabitur tibi, et continens factus ne derelinquas eam: in novissimis enim invenies requiem.* Ecce in his ultimis verbis praemium famulatus Deiparae, requie scilicet perfrui in novissimo mortis tempore, cum gravior tentationum tempestas animam perturbans insurgere consuevit. (*Genes.* 3), divino oraculo serpenti dictum fuit, ipsum insidiaturum calcaneo mulieris: *Tu insidiaberis calcaneo eius:* quod ille incessanter implet in semine eius, hoc est, in spiritualibus Virginis filiis: insidiatur enim calcaneo illorum, nempe extremae parti, hoc est, fini, tum ipsius mundi, cum extremis temporibus (*ex Apocalyps.* 20): *Solvetur satanas modico tempore de carcere suo, et exibit, et seducet gentes, quae sunt super quatuor angulos terrae Gog, et Magog.* Atque per se, et per Antichristum, eiusque praecursores primum, deinde per eiusdem asseclas bellum contra Ecclesiam aerius et ferocius instaurabit, sciens (*Apocal.* 12), quod modicum tempus habet. Tum etiam insidiatur calcaneo uniuscuiusque nostrum, quia

in exitu vitae singulorum vehementius omnes suae versutiae nervos ad eos perdendos intendit, ut habet sacrum Concilium Tridentinum (*sess. 14. cap. 2. de extrema unctione*); quoquo modo tamen calcaneo serpens insidietur, a Virgine eius caput obterendum praedicatur, et idcirco Virginis praesidium omni quidem tempore reverenter, et devote, sed impendente praesertim morte, quando plus imminet periculi, enixius est implorandum, ut tortuosi draconis caput proterere dignetur. Quod s. Ephrem (*in orat. ad Virg.*) precatur his verbis: *Adesto mihi nunc, et semper, o Virgo Dei Genitrix, mater misericordiae, benigna, et clemens in praesenti quidem vitae cursu fervens protectrix, atque auxiliatrix, hostiles quoscunque impetus a me avertens, et in via salutis me constituens, ac in extremae vitae articulo miseram meam animam conservans, et tenebrosos, atque horrendos pessimorum daemonum aspectus ab ea procul repellens; in tremendo autem die iudicii ab aeterna me damnatione liberans, et postremo in numerum iustorum me referens, atque inaccessae tui filii Domini, et Dei gloriae me haeredem efficias.* In lamentatione Deiparae super passione Domini ad eandem sermonem dirigens, sic ait: *Eripe*, inquit, *nos o Virgo sancta, atque intemerata a quacunque necessitate ingruente, et a cunctis tentationibus diaboli; esto nostra conciliatrix, et advocata in hora mortis, atque iudicii, nosque a futuro inextinguibili igni, et tenebris exterioribus libera, et filii tui nos gloria dignare, o Virgo, et Mater dulcissima, et clementissima;* sic ille.

Porro ut praesentissimum iuvamen, et praesidium, quod beata Virgo in articulo mortis famulis suis praestat, clarius vobis innotescat, non gravabor illustrissimum huius rei exemplum hic apponere: (*lib. 7. revel. s. Birgittae*) revelavit, quomodo filio suo Carolo in articulo mortis singulari adiumento fuisset: *Ego*, inquit, *steti prope eundem filium tuum Carolum, paulo antequam emisit spiritum, ut carnalem amorem non sic memoria haberet, quod propter eum aliquid Deo contrarium cogitaret, vel loqueretur, nec aliqua Deo placentia vellet omittere; neque illa, quae possent esse quomodolibet divinae voluntati contraria, vellet perficere, ad animae suae nocumentum; ego etiam taliter iuvi eum in illo arcto spatio, id est, exitu animae suae a corpore, ut non tam duram poenam sustineret in morte, quod ex ea inconstans fieri posset, aliqualiter desperando, et ne Deum in morte oblivisceretur. Ego etiam custodivi taliter animam ab ipsis immortalibus inimicis, id est, daemonibus, quod nullus eorum tangere posset; sed statim cum egressa fuit a corpore, accepi eam in meam custodiam, ac defensionem. Quo facto turba daemonum festinanter fugit, et recessit, qui ex sua malitia ipsam cupiebat deglutire, et aeternaliter cruciare;* haec ex illa revelatione: et infra angelus testatus est, Virginem Dei Genitricem ex virtute sua eidem Carolo contulisse quicquid illi deerat in armis spiritualibus, et indumentis, quae pertinent ad milites, intraturos in regno coeli ad summum Imperatorem; haec ibi.

Tertia ratio, quae merito nos vehementer impellere debet ad Virginis devotionem diligenter investigandam, illa non ultimum locum tenet, quod cum Dei parens daemonibus terribilis sit, velut castorum acies ordinata, certe adversus eos partes nostras agens, eorum versutias, et stratagemata dissolvit, potentiam enervat, vires confringit, ac in fugam vertit, ne ab illis tandem superemur, et vincamur. Ad quod significandum frequenter sancti Patres beatam Virginem praefiguratam fuisse affirmant per Iudith, et per Iaelem, quoniam sicut illa, ut legimus (*lib. Iudith*), Holofernem devicit, ac proprio gladio interemit, ita et Virgo daemonem superavit, adeo ut melius, quam in illam in Virginem conveniant verba Iudith dicta (*cap. 16*): *Dominus omnipotens novit eum, et tradidit eum in manus foeminae, et confodit eum.* Nobisque potiori iure Virgini licebit, quod cives Bethuliae Iudith (*cap. 13*) ei cecinerunt: *Benedixit te Deus in virtute sua, quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros.* Sicut item virago illa Iael infestissimum hostem Sisaram delusit, et clavo tempora eius perfodit, ne contra populum Dei amplius insaevire posset, ita beata Virgo immanissimum humani generis hostem, qui velut leo rugiens circuit quaerens quem devoret, reprimit, et compescit, ne penitus nos demoliatur, et absumat. Quare beatae Virgini daemonem confodienti adamussim quadrant verba illa (*Iudicum 5*): *Manum misit ad clavum, et dexteram ad fabrorum malleos, percussitque Sisaram quaerens in capite vulneri locum, et tempus valide perforans. Inter pedes eius ruit; defecit, et mortuus est: volvebatur ante pedes eius, et iacebat exanimis, et miserabilis.*

Accedit his ex divo Bernardino figura veteris arcae, hostes Israel in fugam convertentis, quam his verbis explicat (*tom. 3. serm. 11. art. 1. cap. 3*): *Figurata est beata Virgo in figura arcae Mosaycae, de qua* (*Num. 10*) *scriptum est, cum elevaretur arca, dicebat Moyses: Surge Domine, et dissipentur inimici tui, et fugiant, qui oderunt te a facie tua;* ut mystice innuatur, quod quando elevata fuit Virgo gloriosa ad coelestia regna, daemonis potentia imminuta est, et dissipata; unde pro illa dici potest illud (*Eccl. 24*): *Superborum et sublimium colla propria virtute calcavi;* haec sanctus Bernardinus. Coelestis Sponsus ad significandam hanc miram potentiam Virginis, ad propulsandos a nobis inimicos nostros, et eosdem expugnandos, comparat illam equitatui populi Dei: *Equitatui meo in curribus Pharaonis, assimilavi te amica mea* (*Cant. 1*): etenim omissis aliis expositionibus, quibus eundem locum alibi enucleavi, per equitatum Dei apte intelligi coelestem angelorum militiam, auctor est divus Gregorius Nyssenus (*in comment. istius loc.*), quem ibidem sequutus est doctissimus Gulielmus: et habet fundamentum in illo (*Apocalyps. 1*): *Exercitus, qui sunt in coelo, sequebantur Verbum Dei in equis albis.* Beata igitur Virgo equitatui Dei in curribus Pharaonis assimilatur: sicut enim in liberandis Israeliticis ex servitute Ægyptiaca equitatus Dei, fortitudo nimirum sanctorum angelorum, enituit in subvertendo Pharaone, et curribus eius in mari rubro; ita Dei-

parae fortitudo in exitu servorum Dei ex mundo ad terram promissionis praecipue elucet in daemone, eiusque curribus, seu munitionibus evertendis, penitusque demergendis in mari rubro passionis Christi, cuius virtute daemones a sanctissima Virgine omnino expugnantur. In sanctae Birgittae revelatione (*in serm. angelico cap. 20*), angelus cum dixisset de promptitudine angelorum in obsequium sanctissimae Virginis, subiicit haec verba: *Super omnes etiam malignos spiritus ipsam sic Deus potentem effecit, quod quotiescunque ipsi aliquem hominem Virginis auxilium ex charitate implorantem impugnaverit, ad ipsius Virginis nutum illico pavidi procul diffugiunt, volentes potius poenas suas, et miserias sibi multiplicari, quam eiusdem Virginis potentiam super se taliter dominari;* haec ibi.

Atque ad hoc idem significandum singulariter inter omnes Interpretes putat divus Bernardus (*serm. sup. signum magn.*), lunam, quae stultum significat, iuxta illud (*Eccl. 27*): *Stultus sicut luna mutatur*, positam sub pedibus Virginis, ut vidit Ioannes Apocalyps. (*cap. 12*), significare daemonem a Virginis pedibus conculcatum, et superatum: verba eius sunt haec: *Unicus ille stultus totius stultitiae princeps, qui vere mutatus ut luna, sapientiam perdidit in decore suo, sub pedibus Mariae conculcatus, et contritus, miseram patitur servitutem.*

Ad extremum quoties quaeso satanas, ut Christus Dominus dixit (*Luc 24*), *expetiit vos, ut cribraret sicut triticum:* et nostris frequentissimis peccatis, ac demeritis exigentibus obtinuisset, nisi Deipara Virgo potentia sua illum coercuisset, ac vires eius enervasset: quoties vos peccatores laqueo irretitos, ac variis vitiis velut praedam suam iamiam deglutiendam, ab eius cruentis faucibus extorsit? ut merito in illam praeclare conveniat illud (*Psal. 44*): *Eripiens inopem de manu fortiorum eius, egenum, et pauperem a diripientibus eum.*

Porro, ut iam dicendi finem faciam, ac propositum argumentum absolvam, ultimam rationem appono, utilitatem nostram respicientem. Nemo sane est ita mentis inops, qui cum in curia regum officium, dignitatem, aut felicem aliquam negotii expeditionem ardenter cupiens, benevolentiam eius, qui haec bona dispensare potest, sibi conciliare contemnat: cum ergo nos omnes cupiamus peccata nostra remitti, coelestia charismata nobis infundi, donum perseverantiae nancisci, ut sic vitam consequamur aeternam, certe nisi dementati simus, Virginis benevolentiam ardentissimo affectu nobis conciliare oportet, quia ipsa constituta est a Deo dispensatrix omnium bonorum spiritualium, ut his verbis edixit d. Bernard. (*serm. super Missus*): *Intuere o homo consilium Dei, consilium sapientiae, consilium pietatis. Coelesti rore aream rigaturus, totum vellus prius infudit: redempturus humanum genus, pretium universum contulit in Mariam. Quare? forte ut excusetur Eva per filiam, ut querela viri adversus foeminam deinceps sopiretur? piissimum sane consilium, sed et aliud latet, nec totum hoc est. Intuemini igitur, quanto devotionis affectu eam a nobis voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria, ut si quid spei in nobis est, si quid gratiae, si quid salutis, ab ea noverimus redundare, quae ascendit deliciis affluens;* hactenus divus Bernardus. Huius muneris dispensandi bona coelestia, quo Deipara Virgo gaudet, praeclaram reperio figuram (*Genes. cap. 24*), ubi haec verba lego: *Prolatis vasis argenteis, et aureis, ac vestibus, dedit ea Rebeccae pro munere, fratribus quoque eius, ac matri dona obtulit.* Non obtulit quidquam Eliezer fratribus Rebeccae ex omnibus bonis Domini sui, quae secum portabat, quoadusque consensum assumens sponsalem, audivit (*ibid.*): *En Rebecca coram te est, tolle eam, et sit uxor domini tui, sicut locutus est Dominus:* tunc Domino gratiis pro exauditione actis, Rebeccae non solum ditissima dona, et vestes pretiosissimas dedit; verum et ipsa vasa aurea, et argentea, quibus asservabantur: similiter angelus Gabriel, missus a Deo ad beatissimam Virginem nuntius sponsalium inter Deum, et naturam humanam, audito consensu Virginis dicentis: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum,* cum non esset capax tantorum bonorum, quae et Virgini, et universae humanae naturae donanda erant, ad auctorem omnium primum Virginem iam plenam gratia remittens, ait: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi:* deinde interius eam instruit, propter consensum in Matrem Dei per eam exhibitum, factam fuisse ex speciali dono Dei dispensatricem omnium divinorum donorum, quae in humanam naturam conferenda deinceps erant; unde angelus, audito consensu Virginis, officio sibi commisso functus, continuo discessit ab ea, ut Evangelica narrat historia: non dona distribuens, ut Eliezer: hoc enim Virginis Dei matris munus erat; sed consensum et responsum Virginis relaturus: non Deo, qui prius noverat Virginis mentem, quam ventrem, sed universis angelorum ordinibus, ut introducto iam Dei Filio in orbem terrarum, velociter venirent, ut adorarent eum in templo sancto suo, virginis thalamo. Atque hinc fuit, quod sacrosancta Virgo ut muneris sibi commissi initium faceret, statim surgens, abiit in montana cum festinatione, et salutavit Elisabeth, qua salutatione audita, Ioannes in utero, et parentes eius repleti sunt Spiritu sancto. Ecce quomodo dispensatrix incipit munus implere. Idem prosequitur munus in praesepio Bethlehemitico, et pastoribus, et magis regibus resalutatis: nam cum eius, et Dei omnipotentis simul filius infans esset, recensque natus Mater nomine, et loco filii salutantes resalutabat, et ad vocem salutationis eius, mirum dictu, quae, et quanta Dominus dona utrisque spiritualia distribuit. In his initiis munus dispensatricis omnium bonorum, quae in Ecclesia Fidelibus communicantur, in Virgine consecratur. Laban cum esset rusticus, et agrestis, cum vidisset inaures, et armillas in manibus sororis suae festinus egressus, venit ad virum, qui stabat prope fontem aquae; sic nos, qui devotioni Virginis Mariae deditissimi sumus, videntes non solum in manibus eius thesauros divinorum charismatum, sed etiam in mani-

bus fratrum nostrorum, quae per eam quotidie universis communicantur, negligentiae, et stultitiae merito arguemur, si Virginem confestim non adeamus, stantem prope fontem aquae vivae, et vitae aeternae, Christum scilicet Iesum, ut coelestia nobis largiter dispenset; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA II.

Prosequimur idem argumentum, ex multiplici capite ostendentes devotionem, ac filialem affectum erga beat. Virginem, singulare nostrae praedestinationis signum esse; sed prius permultas alias praedestinatorum notas ex sacris Scripturis, et sanctis Patribus proponimus.

Quamvis sacrum Concilium Tridentinum (*sess.* 6. *capit.* 12) docuerit, neminem absque speciali Dei revelatione certitudine fidei agnoscere posse, se ad felicissimum praedestinatorum numerum pertinere: sic enim ait: *Nisi ex speciali revelatione sciri non potest, quos Deus sibi elegerit;* quod multo ante mihi praedixisse videtur Salomon (*Eccles.* 9): *Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta;* nihilominus ex sacris Scripturis, et sanctis Patribus permulta signa divinae praedestinationis colliguntur, quae maximam quandam moralem illius certitudinem in praedestinatorum animis generant. Unde divus Bernardus (*in serm. de septuag.*) ait: *Nescit homo, utrum amore, vel odio dignus sit, quia in ista vita certitudinem electionis non habet, sed spei fiducia consolatur nos, ne dubitationis huius anxietate cruciemur: propter hoc data sunt signa quaedam, et indicia salutis manifesta, ut quibus certitudinem regat Deus eam sollicitudinis, vel fiduciam praestet eam consolationis;* haec d. Bernardus. Primum et praecipuum est, cum nullius lethalis peccati labe conscientia gravatur, maxime si id per longum tempus contingat: quod non obscure indicant verba d. Pauli (2. *Cor.* 1): *Gloria nostra haec est testimonium conscientiae nostrae.* Cum enim quempiam non reprehendit conscientia peccatum aliquando commisisse lethale, tunc plane usurpare potest illud eiusdem Apostoli (*ad Rom.* 8): *Ipse spiritus testatur spiritui nostro, quod filii Dei sumus.* Secundum signum praedestinationis arbitror esse, cum quis post, vel multa peccata lethalia patrata, praemissa debita eorum confessione, per longum tempus ab omni lethali peccato se abstinet; vel si labitur, diligenter curam habet, ut iterum confestim resurgat, sacramento confessionis frequenter utens: his enim poenitentibus sic contritis, et emendatis d. Paulus (2. *Cor.* 13) ait: *An non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Iesus in nobis est?* Quibus persimilia sunt verba illa Christi Domini (*Ioan.* 14): *Vos autem cognoscetis eum, qui apud vos manebit, et in vobis erit.* Tertium signum est libenter verbum Dei audire: ut enim Christus Dominus (*Ioan.* 8) dixit: *Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis;* unde d. Marcus (*in Act. Apostol.*) ait, audierunt autem verbum Dei, *quotquot praeordinati erant ad vitam aeternam.* Certe sicut esurire, et avide comedere, signum vitae corporalis vulgus vocat; sic dixerim vitae spiritualis, et aeternae magnum esse indicium affectare suavissimum illum pastum animarum, libenterque audire verbum Dei, et discere, sustinere triduo docentem Iesum, nec habere, quod manduces, ut quondam turba illa; certe sedere ad pedes Christi, ibique cum Magdalena audire verbum Dei, nec ab ore loquentis pendentem posse avelli, non ob ministeria domestica, non ob murmur sororis, non pene ob fustuarium, uti nec sic Diogenes ab Antisthene abigi aliquando potuit, ego electionis indicium valde apparens esse sentio: quod si audire verbum Dei, signum est praedestinationis, multo magis eiusdem signum erit illud meminisse, et exequi: ut enim cum non regerit cibos datos, signum bene affecti corporis est; sic memoria verbi Dei firma bonae mentis signum praesefert: unde de beata Virgine, quae inter puras creaturas principem praedestinatorum locum tenet, divus Luc. ait: *Conservabat omnia verba haec in corde suo:* quod velut gazophylacium, et quaedam rationalis, et viva bibliotheca erat: hinc Christus Dominus, postquam dixit (*Luc.* 11): *Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud,* hoc est, in corde retinent, et opere complent: hos enim ipse etiam comparavit terrae bonae (*Luc. cap.* 8), quae semen retinet, et fructum affert: *Qui in corde bono, et optimo, audientes verbum, retinent, et fructum afferunt.* Unde sicut non retinere cibum, desperatissimam valetudinem corporis designat, ita non retinere in corde cibum verbi divini, signum est reprobationis, ut his verbis docuit divus Gregorius (*homil.* 15. *in Evangelia*): *Cibus mentis est sermo Dei, et quasi acceptus cibus, stomacho languente, reiicitur, quando auditus sermo in ventre memoriae non tenetur; sed quisquis alimenta non retinet, huius profecto vita desperatur.* Quartum signum est tribulationibus, et adversitatibus premi: etenim (*Apoc. cap.* 3) Dominus ait: *Ego quos amo, arguo, et castigo.* Unde divus Paulus (*ad Hebr. cap.* 12) inquit: *Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris, dum ab eo argueris: quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem filium, quem recipit: in disciplina perseverate, tanquam filiis vobis offert se Deus: quis enim filius, quem non corripit pater? quod si extra disciplinam facti est, cuius participes facti sunt omnes; ergo adulteri, et non filii estis.* (*Sup. quo*) divus Augustinus sic infert: *Si exceptus es a passione flagellorum, exceptus es a numero filiorum. Noli esse iniquo sensu, et pucrili, ut dicas, plus amat pater meus fratrem meum, cui permittit facere quidquid vult, quam me, quia si me movero contra eius iussionem, flagella invenio. Potius gaude sub flagellis, quia tibi servatur haereditas; illis ad tempus parcit, quos in aeternum damnabit.* Hinc divus Petrus Chrysologus (*in epist.* 4), sumpta metaphora ab aedificatione templi Hierosolymitani, sic ait: *In aedificatione enim temporali omnes lapides prius malleis tundebantur, ne in illorum positione sonus mallei audiretur: neque in horreo Domini reponitur granum, donec flagellis aut triturantium pedibus sit excussum; sic et vivi lapides, qui ponendi sunt in illa coelesti Hierusalem, quae aedificatur ut civitas, variis infortuniorum concussionibus poliuntur, priusquam in aedificio coelestis habitaculi collocentur.* Unde sancta Ecclesia canit:

Tunsionibus, pressuris
Expoliti lapides
Suis coaptantur locis
Per manus artificis;
Disponuntur permansuri
Sacris aedificiis.

Adverte tamen non esse signum praedestinationis, variis tribulationibus, et adversitatibus concuti, nisi patienter tolerentur: ut enim dixit divus Gregorius (*serm.* 3. *de bona pat.*): *Nec enim magis aliud iniustos, et iustos discernit, quam quod in adversis iniustus per impatientiam conqueritur, et blasphemat; patientia autem iustos probat.* Quintum signum praedestinationis est abstinere se a detractionibus: cum enim David interrogasset (*Psalm.* 14): *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* Respondet inter alia: *Qui opprobrium non accepit adversus proximos suos.* Sextum signum est inimicos diligere: ut enim dixit divus Ioannes (*epist.* 1. *et* 3): *In hoc manifesti sunt filii Dei a filiis diaboli, si diligimus fratres:* ad quod etiam facit illud (*Luc.* 6): *Dimitte, et dimittetur vobis.* Septimum signum ex divo Bernardo apponit sanctus Bonaventura (*libr.* 4. *Pharetrae cap.* 19. *ad finem*), dum ait: *Moriens vix unquam aliquis in cella in infernum descendit, quia vix unquam nisi coelo praedestinatus, in ea usque ad mortem persistit.* Octavum signum est misericordia in afflictos, ad pauperes, Christo Domino dicente (*Matth.* 5): *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Unde (3. *Reg.* 6) Salomon portas templi, in quo Dominus holocausta acceptabat, de lignis olivarum esse voluit, ut parabolice coelum patere operibus misericordiae ostenderet. Nonum munditia cordis est, iuxta illud (*Matth.* 5): *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Decimum paupertas spiritus: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum.* Et in universum octo beatitudines, de quibus divus Matthaeus (*cap.* 5) signa esse divinae praedestinationis, quibus electi a reprobis secernuntur, percensuit doctissimus noster Vega (*lib.* 2. *de iustif. impii in Concilium Tridentinum a cap.* 12. *usq. ad* 20).

Sed sancti Patres praeter omnia huc usque a me commemorata, alia multa signant, quorum brevitatis causa pauca, sed praecipua recensebo. D. Ambrosius (*in Apolog. de David. cap.* 19) ait: *Signum electorum esse male de se sentire, dolere de peccatis, vulnus suum agnoscere.* D. Gregorius (*lib.* 34. *moral.*) inquit: *Evidentissimum signum reproborum est superbia, electorum vero humilitas.* Idem etiam d. Gregorius (*lib.* 8 *moral. cap.* 41) signum praedestinatorum coelestia desiderare: verba eius sunt haec: *Electorum animae ad coelestia eriguntur, reproborum vero ad terrena; ut quod ferrum mox ad magnetem advolat, cognationem quandam alterius cum altero significat, et quod naphta bituminis quoddam genus, citissime ad visum ignem inflammatur, signum est igneae cuiusdam in ipso naturae; sic coelestis cuiusdam originis, et iuris in civitate Dei, et beatorum habendi quoddam indicium est, saepe coelum suspirare, et dicere illum Psalmum: Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam, et apparebo, etc. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Divus Thomas (*opusc.* 60) de humanitate Christi, inter electorum signa constituit, spirituali gustu praelibare coelestium bonorum dulcedinem: praedestinatis enim dicitur (*Psal.* 33): *Gustate, et videte, quam suavis est Dominus:* qui enim gustat, sitit iterum: et in illo semper id contendit, ubi pleno se provolvat ore: quia dulcius ex ipso fonte bibuntur aquae. Ac tandem divus Hieronymus ait (*in epistol. quae incip.*), vetus scripturae celebrata sententia docet: *Signum praedestinationis esse vivere, ut pauci, quia divinum est oraculum: multi sunt vocati, pauci vero electi.*

Ceterum nostro argumento inserviens, inter signa praedestinationis singularis devotio, ac filialis erga Deiparam Virginem affectus, non ultimum locum tenet: nam si divus Paulus ait (*ad Rom.* 8): *Quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imagini filii sui,* certe sicut praedestinati debent Christi Domini imaginem humilitate, patientia, et castitate in se exprimere; ita et in eo imaginem Christi gestare debent, ut sicut ille b. Virginem tanquam veram Matrem singulariter coluit, et adamavit; ita et ipsi eandem singulari cultus, et amoris affectu prosequantur. Hanc salubrem doctrinam contestantur sancti Patres, probant divinae revelationes, adumbrant variae figurae, confirmant sacrarum litterarum oracula, ac permultae tandem rationes constabiliunt: et quidem in primis ex sanctis Patribus, primum pronuncio divum Antoninum (4. *p. tit.* 15 *c.* 14. §.7), quandam Anselmi sententiam afferentem in haec verba: *In antiphona Salve Regina, dicimus, Eia ergo advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte: ut enim dicit Anselmus, impossibile est quod illi, a quibus Virgo Maria oculos misericordiae suae avertit, salventur, ita necessarium, quod hi, ad quos convertit oculos suos, pro eis advocans, iustificentur.* Ipse etiam divus Anselmus (*lib. orat.*) ait: *O Maria tu peccatorem toti mundo despectum materno affectu amplecteris, nec deseris, quousque Deus per te placatus, ipsum suae gratiae recuperabit.* D. Bonaventura (*in stim. div. amor. part.* 3. *cap.* 19): *Vere,* inquit, *Domina regina est misericordiae, quia non est in hac vita sic desperatus, sic miser, cui non impetres misericordiam Salvatoris, si ad tuum reclinabit regimen.* Divus Germanus Patriarcha (*in serm.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

bus fratrum nostrorum, quae per eam quotidie universis communicantur, negligentiae, et stultitiae merito arguemur, si Virginem confestim non adeamus, stantem prope fontem aquae vivae, et vitae aeternae, Christum scilicet Iesum, ut coelestia nobis largiter dispenset; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA II.

Prosequimur idem argumentum, ex multiplici capite ostendentes devotionem, ac filialem affectum erga beat. Virginem, singulare nostrae praedestinationis signum esse; sed prius permultas alias praedestinatorum notas ex sacris Scripturis, et sanctis Patribus proponimus.

Quamvis sacrum Concilium Tridentinum (*sess.* 6. *capit.* 12) docuerit, neminem absque speciali Dei revelatione certitudine fidei agnoscere posse, se ad felicissimum praedestinatorum numerum pertinere: sic enim ait: *Nisi ex speciali revelatione sciri non potest, quos Deus sibi elegerit;* quod multo ante mihi praedixisse videtur Salomon (*Eccles.* 9): *Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta;* nihilominus ex sacris Scripturis, et sanctis Patribus permulta signa divinae praedestinationis colliguntur, quae maximam quandam moralem illius certitudinem in praedestinatorum animis generant. Unde divus Bernardus (*in serm. de septuag.*) ait: *Nescit homo, utrum amore, vel odio dignus sit, quia in ista vita certitudinem electionis non habet, sed spei fiducia consolatur nos, ne dubitationis huius anxietate cruciemur: propter hoc data sunt signa quaedam, et indicia salutis manifesta, ut quibus certitudinem negat Deus eam sollicitudinis, vel fiduciam praestet eam consolationis;* haec d. Bernardus. Primum et praecipuum est, cum nullius lethalis peccati labe conscientia gravatur, maxime si id per longum tempus contingat: quod non obscure indicant verba d. Pauli (2. *Cor.* 1): *Gloria nostra haec est testimonium conscientiae nostrae.* Cum enim quempiam non reprehendit conscientia peccatum aliquando commisisse lethale, tunc plane usurpare potest illud eiusdem Apostoli (*ad Rom.* 8): *Ipse spiritus testatur spiritui nostro, quod filii Dei sumus.* Secundum signum praedestinationis arbitror esse, cum quis post, vel multa peccata lethalia patrata, praemissa debita eorum confessione, per longum tempus ab omni lethali peccato se abstinet; vel si labitur, diligenter curam habet, ut iterum confestim resurgat, sacramento confessionis frequenter utens: his enim poenitentibus sic contritis, et emendatis d. Paulus (2. *Cor.* 13) ait: *An non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Iesus in nobis est?* Quibus persimilia sunt verba illa Christi Domini (*Ioan.* 14): *Vos autem cognoscetis eum, qui apud vos manebit, et in vobis erit.* Tertium signum est libenter verbum Dei audire: ut enim Christus Dominus (*Ioan.* 8) dixit: *Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis;* unde d. Marcus (*in Act. Apostol.*) ait, audierunt autem verbum Dei, *quotquot praeordinati erant ad vitam aeternam.* Certe sicut esurire, et avide comedere, signum vitae corporalis vulgus vocat; sic dixerim vitae spiritualis, et aeternae magnum esse indicium affectare suavissimum illum pastum animarum, libenterque audire verbum Dei, et discere, sustinere triduo docentem Iesum, nec habere, quod manduces, ut quondam turba illa; certe sedere ad pedes Christi, ibique cum Magdalena audire verbum Dei, nec ab ore loquentis pendentem posse avelli, non ob ministeria domestica, non ob murmur sororis, non pene ob fustuarium, uti nec sic Diogenes ab Antisthene abigi aliquando potuit, ego electionis indicium valde apparens esse sentio: quod si audire verbum Dei, signum est praedestinationis, multo magis eiusdem signum erit illud meminisse, et exequi: ut enim cum non regerit cibos datos, signum bene affecti corporis est; sic memoria verbi Dei firma bonae mentis signum praesefert: unde de beata Virgine, quae inter puras creaturas principem praedestinatorum locum tenet, divus Luc. ait: *Conservabat omnia verba haec in corde suo:* quod velut gazophylacium, et quaedam rationalis, et viva bibliotheca erat: hinc Christus Dominus, postquam dixit (*Luc.* 11): *Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud,* hoc est, in corde retinent, et opere complent: hos enim ipse etiam comparavit terrae bonae (*Luc. cap.* 8), quae semen retinet, et fructum affert: *Qui in corde bono, et optimo, audientes verbum, retinent, et fructum afferunt.* Unde sicut non retinere cibum, desperatissimam valetudinem corporis designat, ita non retinere in corde cibum verbi divini, signum est reprobationis, ut his verbis docuit divus Gregorius (*homil.* 15. *in Evangelia*): *Cibus mentis est sermo Dei, et quasi acceptus cibus, stomacho languente, reiicitur, quando auditus sermo in ventre memoriae non tenetur; sed quisquis alimenta non retinet, huius profecto vita desperatur.* Quartum signum est tribulationibus, et adversitatibus premi: etenim (*Apoc. cap.* 3) Dominus ait: *Ego quos amo, arguo, et castigo.* Unde divus Paulus (*ad Hebr. cap.* 12) inquit: *Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris, dum ab eo argueris: quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem filium, quem recipit: in disciplina perseverate, tanquam filiis vobis offert se Deus: quis enim filius, quem non corripit pater? quod si extra disciplinam facti est, cuius participes facti sunt omnes; ergo adulteri, et non filii estis.* (*Sup. quo*) divus Augustinus sic infert: *Si exceptus es a passione flagellorum, exceptus es a numero filiorum. Noli esse iniquo sensu, et pucrili, ut dicas, plus amat pater meus fratrem meum, cui permittit facere quidquid vult, quam me, quia si me movero contra eius iussionem, flagella invenio. Potius gaude sub flagellis, quia tibi servatur hae-*

reditas; illis ad tempus parcit, quos in aeternum damnabit. Hinc divus Petrus Chrysologus (*in epist.* 4), sumpta metaphora ab aedificatione templi Hierosolymitani, sic ait: *In aedificatione enim temporali omnes lapides prius malleis tundebantur, ne in illorum positione sonus mallei audiretur: neque in horreo Domini reponitur granum, donec flagellis aut triturantium pedibus sit excussum; sic et vivi lapides, qui ponendi sunt in illa coelesti Hierusalem, quae aedificatur ut civitas, variis infortuniorum concussionibus poliuntur, priusquam in aedificio coelestis habitaculi collocentur.* Unde sancta Ecclesia canit:

> Tunsionibus, pressuris
> Expoliti lapides
> Suis coaptantur locis
> Per manus artificis;
> Disponuntur permansuri
> Sacris aedificiis.

Adverte tamen non esse signum praedestinationis, variis tribulationibus, et adversitatibus concuti, nisi patienter tolerentur: ut enim dixit divus Gregorius (*serm.* 3. *de bona pat.*): *Nec enim magis aliud iniustos, et iustos discernit, quam quod in adversis iniustus per impatientiam conqueritur, et blasphemat; patientia autem iustos probat.* Quintum signum praedestinationis est abstinere se a detractionibus: cum enim David interrogasset (*Psalm.* 14): *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* Respondet inter alia: *Qui opprobrium non accepit adversus proximos suos.* Sextum signum est inimicos diligere: ut enim dixit divus Ioannes (*epist.* 1. *et* 3): *In hoc manifesti sunt filii Dei a filiis diaboli, si diligimus fratres:* ad quod etiam facit illud (*Luc.* 6): *Dimitte, et dimittetur vobis.* Septimum signum ex divo Bernardo apponit sanctus Bonaventura (*libr.* 4. *Pharetrae cap.* 19. *ad finem*), dum ait: *Moriens vix unquam aliquis in cella in infernum descendit, quia vix unquam nisi coelo praedestinatus, in ea usque ad mortem persistit.* Octavum signum est misericordia in afflictos, ad pauperes, Christo Domino dicente (*Matth.* 5): *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Unde (3. *Reg.* 6) Salomon portas templi, in quo Dominus holocausta acceptabat, de lignis olivarum esse voluit, ut parabolice coelum patere operibus misericordiae ostenderet. Nonum munditia cordis est, iuxta illud (*Matth.* 5): *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Decimum paupertas spiritus: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum.* Et in universum octo beatitudines, de quibus divus Matthaeus (*cap.* 5) signa esse divinae praedestinationis, quibus electi a reprobis secernuntur, percensuit doctissimus noster Vega (*lib.* 2. *de iustif. impii in Concilium Tridentinum a cap.* 12. *usq. ad* 20).

Sed sancti Patres praeter omnia huc usque a me commemorata, alia multa signant, quorum brevitatis causa pauca, sed praecipua recensebo. D. Ambrosius (*in Apolog. de David. cap.* 19) ait: *Signum electorum esse male de se sentire, dolere de peccatis, vultum suum agnoscere.* D. Gregorius (*lib.* 34. *moral.*) inquit: *Evidentissimum signum reproborum est superbia, electorum vero humilitas.* Idem etiam d. Gregorius (*lib.* 8 *moral. cap.* 41) signum praedestinatorum coelestia desiderare: verba eius sunt haec: *Electorum animae ad coelestia eriguntur, reproborum vero ad terrena; ut quod ferrum mox ad magnetem advolat, cognationem quandam alterius cum altero significat, et quod naphta bituminis quoddam genus, citissime ad visum ignem inflammatur, signum est igneae cuiusdam in ipso naturae; sic coelestis cuiusdam originis, et iuris in civitate Dei, et beatorum habendi quoddam indicium est, saepe coelum suspirare, et dicere illum Psalmum: Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam, et apparebo, etc. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Divus Thomas (*opusc.* 60) de humanitate Christi, inter electorum signa constituit, spirituali gustu praelibare coelestium bonorum dulcedinem: praedestinatis enim dicitur (*Psal.* 33): *Gustate, et videte, quam suavis est Dominus:* qui enim gustat, sitit iterum: et in illo semper id contendit, ubi pleno se provolvat ore: quia dulcius ex ipso fonte bibuntur aquae. Ac tandem divus Hieronymus ait (*in epistol. quae incip.*), vetus scripturae celebrata sententia docet: *Signum praedestinationis esse vivere, ut pauci, quia divinum est oraculum: multi sunt vocati, pauci vero electi.*

Caeterum nostro argumento inserviens, inter signa praedestinationis singularis devotio, ac filialis erga Deiparam Virginem affectus, non ultimum locum tenet: nam si divus Paulus ait (*ad Rom.* 8): *Quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imagini filii sui,* certe sicut praedestinati debent Christi Domini imaginem humilitate, patientia, et castitate in se exprimere; ita et in eo imaginem Christi gestare debent, ut sicut ille b. Virginem tanquam veram Matrem singulariter coluit, et adamavit; ita et ipsi eandem singulari cultus, et amoris affectu prosequantur. Hanc salubrem doctrinam contestantur sancti Patres, probant divinae revelationes, adumbrant variae figurae, confirmant sacrarum litterarum oracula, ac permultae tandem rationes constabiliunt: et quidem in primis ex sanctis Patribus, primum pronuncio divum Antoninum (4. *p. tit.* 15 *c.* 14. §. 7), quandam Anselmi sententiam afferentem in haec verba: *In antiphona Salve Regina, dicimus, Eia ergo advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte: ut enim dicit Anselmus, impossibile est quod illi, a quibus Virgo Maria oculos misericordiae suae avertit, salventur, ita necessarium, quod hi, ad quos convertit oculos suos, pro eis advocans, iustificentur.* Ipse etiam divus Anselmus (*lib. orat.*) ait: *O Maria tu peccatorem toti mundo despectum materno affectu amplecteris, nec deseris, quousque Deus per te placatus, ipsum suae gratiae recuperabit.* D. Bonaventura (*in stim. div. amor. part.* 3. *cap.* 19): *Vere,* inquit, *Domina regina est misericordiae, quia non est in hac vita sic desperatus, sic miser, cui non impetres misericordiam Salvatoris, si ad tuum reclinabit regimen.* Divus Germanus Patriarcha (*in serm.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

de Zon. Virg.) sic loquitur : *Quo modo corpus nostrum vitalis signum operationis habet respirationem , ita et sanctissimum tuum nomen , Virgo beatissima, quod in ore servorum tuorum versatur , assidue , in omni tempore , loco , et modo, vitae, laetitiae, et auxilii non solum est signum , sed ea etiam procurat, et conciliat.* D. Catharina Senensis (*tractat.* 4. *dialog. cap.* 139) testatur se haec verba ab ore Deiparae Virginis accepisse: *Mariae unigeniti filii mei Genitrici gloriosae concessum est a bonitate mea propter incarnati Verbi reverentiam, quod quicunque iustus , vel peccator, qui recurrit ad eam cum devota reverentia , nullo modo diripietur , vel devorabitur ab infernali daemone: nam ipsa est a me velut esca dulcissima collocata, et electa pro capiendis hominibus, et animabus , praecipue peccatorum.* Beatus Alanus (*lib. de psalt. Virg. cap.* 11) ad finem scribit, beatam Virginem, cui ipsa valde familiaris erat, hoc ipsum sibi in haec verba docuisse: *Secretum iam pandam tibi divinae providentiae: scias enim, et secure intelligas, quod et indilate aliis patefacias, quod videlicet signum probabile est , et propinquum aeternae damnationi , horrere , et attoediari, et negligere salutationem angelicam, totius mundi reparativam; habentibus vero devotionem ad hanc , signum est ordinationis , et praedestinationis permagnum ad gloriam.* Doct. Bernardus (*sermon. sup. Salv. Regin.*) in hunc modum loquitur: *Convenienter vocatur regina misericordiae , quod divinae pietatis abyssum , cui vult, et quando vult, et quomodo vult, creditur aperire : et quivis enormis peccator non pereat, qui sancta sanctorum patrocinii sui suffragia praestat:* et (*serm. sup. Miss. et libr. de Concept. Virgin.*) haec in idem argumentum habet: *Sicut a te despectus, et aversus necesse est, quod pereat.* Ac tandem perdoctus auctor Pomerii (*in suo stellar. lib.* 12. *part.* 2. *art.* 1), postquam retulerat verba divi Bernardi (*super missus*), dicentis: *O homo, securum non habes accessum ad Deum, ubi Mater stat ante Filium, et Filius ante Patrem, Mater ostendit Filio pectus , et ubera, Filius ostendit Patri latus , et vulnera. Nulla ergo poterit esse repulsa, ubi tot concurrunt amoris insignia;* ipse continuo subdit: *Si ergo nulla potest esse repulsa, ergo sequitur, quod servire Mariae est certissimum signum salutis aeternae consequendae ;* haec ex antiquis Patribus, et divinis revelationibus.

Venio iam ad figuras, et imagines adamussim hoc ipsum adumbrantes. Sane peccator hoc indicium , ac irae divinae placationis signum habere poterit, cum ad b. Virginis devotionem cor suum pulsari , et moveri senserit : quod non obscure in rege Assuero delineatum invenimus: ille enim tactu virgae aureae, quam manu tenebat, delicti poenam remittebat , ut habetur (*Esther* 5) in regina Esther (*Numer.* 2): *Cumque vidisset reginam Esther stantem, placuit oculis eius, et extendens contra eam virgam auream quam tenebat manu:* et (*cap.* 4. *Numer.* 11): *Absque ulla cunctatione statim interficiatur, nisi forte rex auream virgam ad eum tetenderit pro signo clementiae , atque ita possit vivere.* Virga haec b. Virginem, virgam vigilantem, et virgam de radice Iesse regiae prolis David egressam designabat , de qua (*Isai.* 11): *Egredietur virga de radice Iesse, etc.* et (*Ierem.* 1); et sic de ea dicitur (*Prov.* 23): *Si percusseris eum virga, non morietur.* Idque Christus se facturum promittit (*Isai.* 11): *Percutiet terram virga oris sui;* id est, Virginis devotione. Praetores Romani in signum liberationis a servitute , virga caput servi tangebant, qui statim efficiebatur liber, ut habetur (*in lib.* 2. *cap.* 1) adversus libertatem , sic etiam media Virginis devotione a Christo Domino peccator *a daemonis servitute liberabitur.* Idem etiam praedestinationis signum praefiguratum in illis verbis invenio (*Levit. cap.* 26): *Ponam tabernaculum meum in medio vestri, et non abiiciet vos anima mea.* Quod spiritualiter impleatur in iis , in quibus quasi in medio cordis a Deo Optimo devotio erga Deiparam infunditur, quam per tabernaculum Dei figuratam, communis est Patrum consensus; unde recte de hoc mystico tabernaculo illud (*Isai.* 4) intelligi posse diximus: *Et tabernaculum erit in umbraculum diei ab aestu, et in securitatem, et absconsionem a turbine, et a pluvia.* Haec enim spiritualiter omnia a Deipara sanctissima suis devotis praestari cernimus , qui sciant , quod compluribus , qui in sceleribus suis computrescunt , Christus Dominus dicere posset id , quod Salomon (3. *Reg.* 2) dixit Abiathar sacerdoti, qui fuerat socius tyrannidis Adoniae, et consequenter obnoxius crimini proditionis contra regem: *Equidem vir mortis es, sed hodie te non interficiam, quia portasti arcam Domini Dei.* Equidem cum arca illa testamenti sanctissimae Virginis figuram gereret , ut late prosequitur divus Ambrosius (*serm.* 8), profecto arcam Domini portare nihil aliud erit, quam affectuosam b. Virginis devotionem semper in corde, et prae oculis habere. Bone Deus, quam multi in infernum fuissent detrusi, nisi hanc secum mysticam portassent arcam, et nisi ad illam, ut olim ad arcam Noe, confugerent, ut a divinae irae diluvio protegerentur ? Accedit , quod beata Virgo praefigurata fuit per arcum illum, de quo (*Gen.* 9) Dominus dixit : *Hoc est signum foederis inter me , et vos in generationes sempiternas, arcum meum ponam in nubibus, et erit signum foederis inter me , et inter terram*, scilicet, ut non amplius disperdam illam, sicut feceram in diluvio: ad quod videtur allusisse Ezechiel (*cap.* 1), cum dixit : *Quasi arcus cum fuerit in nube in die pluviae.* Profecto beata Virgo Arcus est foederis sempiterni inter Deum , et homines, dum genuit nobis Salvatorem, qui fecit utraque unum. Foedus autem inter eam , et Christum initum est, ut ad illam conversos ille non despiciat, sed protegat, et adiuvet, ut resipiscant; et in adepta gratia perseverent, iuxta illud Ecclesiastici (*Prov.* 8): *Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.* Ac tandem beatam Virginem per coelestem Hierusalem adumbrari nemo ignorat : de illa autem dictum est (*Ps.* 78): *Qui diligunt nomen eius, habitabunt in ea ;* certum autem est praedestinatorum habitaculum coelestem esse Ierusalem.

Haec ex figuris suboscuris sacrarum literarum, nunc ex clarioribus sacrae Scripturae testimoniis iuxta communem Ecclesiae intelligentiam, idem argumentum probare contendo: illa enim consuevit in omnibus Deiparae Virginis festivitatibus, quae secundum literalem sensum de divina sapientia intelliguntur , secundum moralem, Virgini apte satis accommodare, quo supposito, tam tritum, quam egregium est testimonium illud (*Eccles.* 24) in persona Virginis dicentis : *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, et dixit mihi, in Iacob inhabita, in Israel haereditare , et in electis meis mitte radices.* In Iacob quidem inhabita , idest in supplantatore vitiorum, Iacob vero supplantatorem sonat; in Iacob quoque electi, sicut in Esau reprobi, intelliguntur iuxta ea, quae Apostolus fuse disserit (*in epistola ad Rom. ubi cap.* 9), ex Malachia (*cap.* 1) citat illud: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui* , subdit : *In Israel haereditare* , id est, in contemplativo. Israel enim, idem est, quod Iacob, praedestinatorum typus , et ut multis placet , idem est , quod videns Deum; verum, quod magis est *in electis meis*, id est, in iis, quos elegi , *mitte radices:* quod inferius se adimplesse ipsa beata Virgo testatur dicens: *Radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei haereditas illius, et in plenitudine sanctorum detentio mea.* Certe per populum honorificatum praedestinatos intelligit, sicut Apostolus (*Rom.* 9) per vasa contumeliae reprobos intellexit; unde (1. *Reg.* 2) dicitur: *Domine, qui discedunt a te, erunt ignobiles.* Cum ergo b. Virgo ait, *in populo honorificato*, implevit certe, quod ei iussum fuerat a Domino : *In electis meis mitte radices ;* scilicet devotionis, et amoris tui. Addo his testimoniis illud (*Sapient.* 10): *In fraude circumvenientium illi affuit, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum , et dedit illi claritatem aeternam.* Quibus consonat illud (*Eccles. cap.* 6) : *In omni animo tuo accede ad illam, in novissimis invenies requiem in ea.*

Ad extremum rationibus idem intentum confirmare pergo. Prima sit, quia Deus Optimus Maximus voluit electis suis beatam Virginem in singularem Matrem dare, ut satis indicant verba illa (*Ge.c.*3): *Inimicitiam ponam inter te, et mulierem, et semen tuum, et semen illius.* Sicut enim reprobi semen serpentis sunt, ita praedestinati, qui Christum naturalem Virginis filium caput suum, et parentem agnoscunt, etiam huius benedictae mulieris spirituale semen censetur, ut late docet Rupertus (*l.* 2. *de vict. verbi Dei, cap.* 16), et sanctus Antoninus (4. *part. titul.* 15. *cap.* 14. §. 6). Unde respectu horum filiorum spiritualium beatae Virginis Christus Dominus dicitur primogenitus , ut loquitur divus Paulus (*ad Rom.* 8): *Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Ad quod respiciens divus Bonaventura (*in spec. beatae Virg. cap.* 8) dixit : *Benedictus frater, per quem Maria est nostra Mater, et benedicta mater, per quam etc.* Hinc ergo fit, quod sicut Deus, tanquam auctor naturae agniculo instinctum praebuit , quo ex balatu propriam matrem inter mille oves agnoscit , et ad eius ubera fidenter accurrit , ita ipse , quatenus auctor gratiae, praedestinatis gratiam infundens, hoc singulare tribuit, ut b. Virginem singulari amore diligant , et in eam affectu valde filiali propendeant , et misericordiae illius ubera appetant.

Secunda ratio in eo fundatur , quod omnes praedestinati , quotquot iam Deo fruuntur in Ecclesia militante, singulari devotione , et amore beatam Virginem prosequuti fuerunt, ut propterea Davidicum illud elogium (*Psal.* 44): *Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis*, de sanctis singulari devotione erga Virginem affectis, merito intellexerunt gravissimi Ecclesiae Patres, divus Athanasius (*se. de Deip.*), beatus Andreas Cretensis (*or.* 2. *de dorm. Virg.*), divus Damascenus (*orat.* 1. *de Nativ.*), et Gregorius Papa Secundus (*in epist. de Germ.*), quae habetur in 7. Synodo (*Actor. cap.* 4). Sicut ergo praedestinati Ecclesiae militantis beatam Virginem filiali amore tanquam Matrem prosequuti sunt , ita et praedestinati Ecclesiae militantis similiter prosequuntur; unde propterea (*Cant.* 7) dicitur Deiparae : *Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis:* quoniam, ut alibi dixi , ex divo Epiphanio (*serm. de laud. Virg.*) , Christus granum frumenti in Cruce mortuum multum fructum attulit, et sic praedestinati omnes velut acervus tritici ex Christi passione multiplicati in utero Virginis beatissimae , tanquam spirituales eius filii, continentur, eo modo, quo in utero Rebeccae in duobus geminis Iacob, et Esau, duos populos fuisse sacra Genesis commemorat historia.

Tertiam rationem subiicio , quia inter alia celeberrima Virginis epitheta insigne est *Stella maris* , unde illo utitur Ecclesia catholica in hymno *Ave maris stella:* quod propterea inter pleraque alia praeclare in eam convenit, quia sicut per mare navigantes , per stellam maris ad optatum portum cursum dirigunt, et perveniunt, ita per beatam Virginem quotquot ad illam se convertunt, diriguntur ad portum salutis aeternae.

Ac tandem illud in idem argumentum observatione dignum est, quod Christus Dominus, quos singulari amore prosequitur, eosdem Deiparae clientelae committit, ut Ioannem discipulum, quem diligebat, Virgini ex cruce pendens in filium tradidit, *Ecce filius tuus.* Legimus in vita S. Eleazari Comitis Ariani (*cap.* 14), Garsendam nobilem , et sanctam matronam , cum pro s. Eleazario , quem nutrierat ferventer oraret , corporeis auribus audivisse Christum, sibi dicentem: *Iuveni huic, pro quo tam multum oras , noveris me matrem meam dedisse magistram; nihil igitur de illo dubites.* Et in revelationibus b. Gertrudis (*lib.* 3. *c.* 1): *Ex spirituali* , inquit, *quadam revelatione, dum intellexisset sancta Virgo Gertrudis sibi in augmentum meriti aliquid adversitatis imminere, et inde ex humana fragilitate trepidaret, pius Dominus ipsius fragilitati condescendens , misericordem Matrem suam inclytam coelorum reginam, Imperatricem , illi dedit in matrem , benignamque dispensatricem , ut quantumcumque nimietate adversitatis supra vires gravaretur, semper ad ipsam Matrem misericordiae securum haberet recursum; cuius interventu se sciret alleviandam. Post haec brevi intervallo temporis elapso, cum valde gravaretur, recurrit ad desolatorum consolatricem , cupiens ab ea doceri* ,

quid tunc sibi magis expediret, et ab ipsa opportunum responsum accipere meruit : et (*l.* 4) earundem revelationum (*c.*49. *in Vig. Assump.*), cum cantanda esset missa, cum ex intimo cordis affectu beata Gertrudis, lecto decumbens, deprecaretur Dominum, ut sibi apud dulcissimam matrem suam dignaretur favorem, et gratiam obtinere, cui ipsa, ut sibi videbatur, nunquam debitum obsequium exhibuisset, Dominus se in amplexus matris amicissimos declinans exhibuit ipsi omnem filialem dilectionem, qua erga eam affectus fuerat, dicens: *Rogo Domina mater amantissima, quod peccatoribus ego propter te sim propitiatus, et respice hanc electam meam eo affectu, ac si omnibus diebus vitae suae tibi placita, summaque devotione servisset : ad quod Virginea mater, quasi tota liquefacta, et in melleam dulcedinem resoluta, se totam huic cum beatitudine sua ob amorem filii videbatur impendere;* haec ibi.

Ex quibus omnibus infero per argumentum a contrario, quod sicut pietas, et conversio in Virginem, signum est aeternae praedestinationis; ita aversio a Virgine, et defectus pietatis in eam, signum est aeternae reprobationis: ac quod Salomon in persona Virginis loquens, dixit (*Prover.* 8): *Qui in me peccaverit, laedet animam suam: omnes qui me oderunt, diligunt mortem.* Unde divus Bonaventura (*tom.* 2. *opus. de spos. b. Virg.*) inquit: *Qui digne coluerit illam, justificabitur; qui autem neglexerit illam, morietur in peccatis suis.* Hoc etiam idem mihi significasse videtur Ecclesiasticus, dum beatam Virginem cum rosa componit, dicens (*Eccl.*24): *Quasi plantatio rosae in Iericho.* Etenim sicut ad rosam frequenter apes conveniunt, et eius virtute fruuntur; atri vero scarabaei fragrantiam odoris illius ferre non valentes, longe ab ea discedant, ita praedestinati, velut argumentosae apes ad mysticam rosam Mariam conveniunt, ut mira eius virtute fruantur. Reprobi vero tanquam spurcissimi scarabaei, eximiae suae sanctitatis fragrantiam sustinere non potentes, ab ea longe se sequestrant; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA III.

Apponuntur obsequia varia, a Virginis cultoribus praestanda, per quae tanquam per efficacissima media affectum devotionis erga Dei parentem, divina irrorante gratia, comparare, et fovere facile poterunt.

Inter omnes filios, quos Deipara Virgo spiritualiter Christo peperit, sicut nullum Ioanne Evangelista chariorem, utpote ab ipso Iesu in pignus amoris sui a ligno pendente ei donatum, ita nullum illo obsequentiorem, et in famulando Virgini diligentiorem fuisse arbitror. Quare, ut debite Virgini inserviamus, merito illum in vivum exemplar ad imitandum nobis proponere deberemus, in eo tamen praesertim, ut absque ulla interposita mora, incunctanter incipiamus Virgini devote famulari: sicut enim sanctus Ioannes, ubi a Christo, e cruce suspenso, audivit: *Ecce mater tua*, affectu filiali erga tantam parentem accensus, *ex illa hora accepit eam in sua*; ita et nos filiali amore Virginem prosequentes, nulla interposita mora, Ioannis exemplo admoniti, eam in propria cordis penetralia, singulari pietate, amore, et devotione recipiamus. Certe probatio amoris exhibitio est operis, iuxta illud (1. *Ioan.* 3): *Filioli non diligamus verbo, et lingua, sed opere, et veritate:* quod et lumine naturae solum illustratus docuit Aristoteles (1.*Rhetor.* c. 46), ubi cum personas recensuisset, quibus amor, et honor esset impendendus, statim subiicit varia opera, quibus ille manifestari debet: *Partes*, inquit, *honoris sunt sacrificia, monumenta, et versibus, et sine versibus, praemia, luci, processiones, sepulcra, statuae, victus publici, adorationes, conspectus, exitationes, munera, quae apud singulas gentes pretiosa sunt;* haec ille. Ex quibus satis utique innotescit, etiam apud ethnicos homines amoris, et honoris testificationem obsequiosis operibus declarari solitam.

Est tamen apprimé observandum, quod praecipua conditio ad illa exhibenda est accurata mandatorum Dei observatio, cavendo ab omni peccato mortali, ipsa beata Virgine e coelo clamante famulis suis, quod olim ministris in nuptiis Canae Galilaeae, *quodcumque dixerit vobis, facite*; unde et quod per Davidem Dominus dixit, in Virginem convenit: *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.* Inter haec igitur obsequia Virgini praestanda, primo loco illud adscribendum censui, ut qui se Deiparae Virginis famulatui mancipare, ac devotionem eius ex corde profiteri cupit, hanc quam mox subiicio, huius professionis formulam, semel cordiali amore erga tantam matrem recitet, invocatis pro testibus, et intercessoribus, sanctis, quos ipse peculiares patronos habet, eamque in solemnioribus Virginis festivitatibus renovet: formula haec est: *Sanctissima Virgo Dei Genitrix Maria, ego N. licet undecunque indignissimus, qui in numerum servorum tuorum recipiar, fretus tamen pietate tua admirabili, et impulsus tibi serviendi desiderio, eligo et hodie coram beatis archangelis Michaele, Gabriele, et Raphaele, angelo item meo custode, et coram sanctis Ioachimo, Anna, Iosepho, Ioanne Baptista, Petro, Paulo, Ioanne Evangelista, et coram sanctis N. N. et curia coelesti universa in meam peculiarem Dominam, Patronam ac Matrem; firmiterque statuo, ac propono me tibi ex hoc tempore semper obtemperaturum, ac fideliter famulaturum, atque ut ab aliis quoque tibi serviatur, pro viribus meis effecturum. A te ergo Mater piissima per sacratissimum Filii tui Iesu Christi Domini nostri, qui pro me effudit sanguinem, peto suppliciter, ut me in numerum devotorum tuorum adscribere, et in servum tuum perpetuum admittere digneris. Adsis mihi in actionibus meis, gratiamque mihi a Filio tuo impetres, ut in cunctis meis cogitationibus, verbis et operibus, ita me geram, nihil, ut unquam tuos tuique filii oculos offendam: ac memor sis*

mei, nec me deseras in hora mortis meae; o clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria. Amen. Ut autem hanc oblationem, qua Virgini Deiparae nos devovemus, aliquo veterum exemplo confirmemus, altexam hoc loco id quod Caesarius (*lib.* 7. *miracul. cap.* 39) de Waltero de Birbach viro potenti, ac nobili, et ducis Lovanii consanguineo, qui in saeculari militia satis strenuus, celebre nomen erat consequutus, scribit his verbis: *Walterus*, inquit, *sanctam Dei Genitricem ab ipsa pueritia coepit invocare, et ex intimo cordis affectu diligere, atque ieiuniis, eleemosynis, et missarum celebrationibus honorare : licet enim corpore deditus esset torneamentis, corde tamen totus erat in obsequio b. Virginis.* Deinde cum nonnulla Deiparae in eum beneficia narrasset Caesarius, subiicit: *Considerans*, inquit, *Walterus, adhuc in saeculo positus, tanta circa se b. Dei Genitricis beneficia, in tantum in illius amore accensus est, ut in quadam paupere ecclesia, in eius honorem dedicata, consecio sacerdote, fune collo suo iniecto, servum globae se illi super altare offerret, solvens singulis annis censum de capite suo, qualem servi originarii solebant consueverant; et quia propter honorem Reginae coelestis se tam valde humiliavit, ipsa suum dilectum glorificavit;* haec Caesarius. Quae porro benevolentiae signa Deipara huic Waltero antea ostenderit, colligere licet ex quadam re plane admirabili, quam Caesarius eodem loco recenset: *Cum*, inquit, *quadam tempore inter multos Walterus stans, missam audiret, sacerdos, ut in canone calicem levavit, crucem auream sub eius pede conspexit, cui annexa fuit charitula, haec continens verba: Crucem hanc defer ex parte mea, Mariae, scilicet matri Christi, amico meo Waltero militi prope Birbach: quam cum sacerdos legisset, post completionem missae pulpitum ascendit, et clamavit: Estne aliquis hic miles, qui vocetur Walterus de Birbach? respondentibus quibusdam: ecce iste est: Sacerdos cum seorsum duxit, crucem porrexit, et ubi illam invenerit, vel quis miserit, intimavit, quam laetus suscipiens, in coenobio Hemmenrode, postea conversus, eam Abbati resignavit*: et infra subdit: *Cuius crucis aurum tanti est fulgoris, ut omne aurum in eius pallescat comparatione;* haec Caesarius. Hic porro Walterus, non solum Cisterciensem Ordinem in monasterio, quod Hemmenrode dicitur, ingressus est, ubi Caesarius eiusdem Coenobii monachus, qui haec literis mandavit, eum familiariter cognovit; sed etiam ibi vitam duxit sanctitate, et erga Virginem pietate conspicuam. Tandem Dei Genitrice eum vocante, transivit ad patriam, miraculorum signis, quae loco citato recensentur, post obitum clarus.

Secundum obsequium Virgini impendendum illud est, ut quotidie cum primus e lecto surgit, praemissa salutatione Dominica, et angelica, hanc assuescat sui recommendationem b. Virgini facere, quam in officio Ecclesiastico reperio: *O Domina mea sancta Maria, me in tuam benedictam fidem, et singularem custodiam, et in sinum misericordiae tuae, hodie et quotidie, et in hora exitus mei, animam meam, et corpus meum tibi commendo, omnem spem meam, et consolationem meam, omnes angustias, et miserias meas, vitam, et finem vitae meae tibi committo, ut per tuam sanctissimam intercessionem, et per tua merita omnia mea dirigantur, et disponantur opera, secundum tuam, tuique filii voluntatem.* Deinde hac recommendatione finita, haec praesertim beneficia postulet a Christo sibi impetrari, remissionem peccatorum, extinctionem illius vitii, quod in se magis dominatur, praeservationem ab omni peccato mortali, donum perseverantiae, ac ardentem amorem erga ipsam Deiparam. Vesperi autem ante cubitum, praemissa similiter oratione Dominica, et angelica, hac utatur recommendatione, quam officium parvum b. Virginis tradit: *O Maria Dei Genitrix, Virgo gratiosa, omnium desolatorum, ad te clamantium, consolatrix vera, per illud magnum gaudium, quo consolata es, quando cognovisti Dominum Iesum die 3. a mortuis impassibilem resurrexisse, sis consolatrix animae meae, et apud eundem tuum, ac Dei natum unigenitum, in die novissimo, quando cum anima et corpore ero resurrecturus, et de singulis meis factis rationem redditurus, me digneris iuvare, ut perpetuae damnationis sententiam, per te pia Mater, et Virgo, valeam evadere, et cum electis Dei omnibus ad aeterna gaudia feliciter pervenire.*

Tertium obsequium est, quod famulus Virginis assuescat, antequam domo egrediatur, ut Virgini beatissimae, veluti peculiari suae Dominae, in cubiculo, coram eius imagine, se, suaque negotia peragenda commendet, ac sub eius amplissimo pallio, hoc est, peculiari patrocinio, tantisper se cogitatione sistat, eoque munitus praesidio, contra varias hostium, tum visibilium, tum invisibilium insidias, quae plurimae passim occurrunt, foras exeat, salutationem angelicam recitet, et ab ea, eiusque filio, veluti exeundi veniam, benedictionemque petat illo versiculo:

Nos cum prole pia, benedicat Virgo Maria.

Idem quoque tibi praestandum erit, ubi domum reversus in cubiculum te receperis: et profecto ea ratione servabimus id, quod d. Hieronymus (*ep.* 22) inter alia monita virgini Eustochio, aliisque religiosam vitam instituere volentibus, tantopere commendat illis verbis: *Egredientes de hospitio armet oratio, regredientibus de platea oratio occurrat, antequam sessio, nec prius corpusculum requiescat, quam animus pascatur;* sic ille. Unde de Deipara per eam occasionem salutanda. Lanspergius in ordinario brevi manuscripto de ratione vivendi Carthusianorum egregie sic monet: *Persoluto sacro, et redditis debitis gratiis rediens ad cellam, ad imaginem b. Mariae pauliper subsiste, aut si festinato intrandum est, dum clavi reseras ostium, ora Matrem Dei, ut te adoptet, teneat, possideat in filium. Cellam ingressus, primum sit, quod ante omnia facias, ut in oratorio ad orationem procidas, b. Mariam cellae Patronam, ac Dominam salutaturus: dic ergo mente devota unum Ave Maria;* haec ille.

Quartum obsequium sit, ut speciali devotionis affectu, et quoad fieri possit, frequenter salutationem angelicam recitet; ad quem affec-

tum excitandum, commentarium hunc, Laconico, ut aiunt, stylo scriptum, in salutationem angelicam accipe, variam meditationis materiam tibi subministrantem. *Ave:* hoc est, gaude. Causa autem huius gaudii multiplex est: scilicet, quia in matrem Dei divinius electa, quia originalis maculae expers, quia gratia plena, quia Spiritus in te superveniens obumbravit, quia Dominus tecum, quia benedicta tu in mulieribus, quia Deum Virgo concepisti, quia permanens virgo eundem peperisti, quia benedictus fructus ventris tui, quia Filium variis modis exaltatum vidisti, quia antiquum serpentem superasti, et cunctas haereses interemisti, quia filio tuo, Deo et Domino feneris, et cum illo in aeternum conregnabis. *Maria*, dulcissimum, ac mellifluum nomen, quod interpretatur amarum mare, maris stella, illuminata, illuminatrix, Domina, dominans, guttula, spes imitatrix Dei, Deus ex genere meo, quae omnia meditanti miram praeconiorum Virginis materiam subministrabunt. *Gratia plena.* Certe a principio suae creationis, plenior seraphinis: Filium Dei concipiens, superplena, non solum gratia gratum faciente, sed gratiis gratis datis, in morte plenissima, in Assumptione superefluens, quippe quae instar pretiosi vasis, liquore pleni, precibus nostris mola varios favores in nos fundit. *Dominus tecum*, quia est pater tuus, filius tuus, sponsus tuus, tecum omnipotentia Patris, tecum sapientia Filii, tecum bonitas Spiritus sancti, tecum Dominus, qui pariter est tuus, qui ex te carnem assumere dignatus est. *Benedicta tu in mulieribus*, quae coelestibus benedictionibus cumulata super omnes puras creaturas, nullius etiam levis maledictionis particeps unquam fuisti. Benedicta tu inter conjugatas, quae pariter virgo et mater fuisti, et mater non cuiuscumque, sed Dei. Benedicta, quia absque dolore maledictionis filium peperisti. Benedicta, quia maledictionem communis conversionis in pulverem evasisti. Benedicta tandem tu ab angelo Gabriele, ab Elisabeth, a Simeone, ab Anna prophetissa, a Marcella exclamante: Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae suxisti. Benedicta ab omnibus generationibus terrestribus, et coelestibus. Benedicta tandem a Domino Deo tuo. *Benedictus fructus ventris tui*, Iesum, prolem uteri tui benedixerunt angeli in nativitate, Simeon et Anna in templo, pueri Hebraeorum in die Palmarum, acclamantes: Benedictus, qui venit in nomine Domini; ac tandem, ut loquitur divus Ioannes (*Apocalyps. cap.* 5): *Omnis creatura, quae in coelo est, et super terram, et sub terra, et quae sunt in mari, omnes pariter agnum benedicunt.* Fructus sane ita benedictus, ut maledictionem, quam immisit fructus ligni prohibiti, ipse ex ligno pendens deleat, et gustatus vitam reparet: talis est etiam fructus ventris tui, ut sit haereditas Domini, et merces beatorum in coelo; talis denique est fructus ventris tui, ut sit idem, quem generavit uterus Patris aeterni; in eoque excedit fructus ventris tui, quod ex eo carne indutus egrediens, utilior nobis, quam ex utero Patris prodiit: quo nihil excellentius dici potest. *Iesus* interpretatur Salvator, et medius, quod munus excellentius prae reliquis erga beatam Virginem ipse exercuit: aliis enim medicinam subleviatam post casum praestitit; Virgini matri vero suae praeservativam paravit. Nomen tandem Iesus sanctum est, et laudabile, magnum, et admirabile, tremendum, ac terribile, celebre, et gloriosum, ita ut ad illud omne genu flectatur, coelestium, terrestrium, et infernorum: nomen dura peccatorum corda emolliens, devotionis ignem nutriens, conscientiam exhilarans, imbecilles roborans; in laude et dulce canticum, mel suavissimum in ore, in corde nectar coeleste: quae omnia non ignorans divus Augustinus (*de contr. cord. cap.* 5. *tom.* 9) dicebat: *Iesu propter nomen tuum dulce, fac mihi secundum nomen tuum, Iesu oblivisere superbum, te provocantem, respice: pie miserum, te invocantem: Iesu nomen tuum dulce, nomen delectabile, nomen confortans peccatorem, et nomen beatae spei, quid est enim Iesus nisi Salvator? ergo propter temetipsum Iesu, esto mihi Iesu, esto mihi Salvator benignus: noli Domine, noli attendere sic malum meum, ut obliviscaris bonum tuum: o bone Domine Iesu, etsi ego admisi, unde me damnare possis, tu non amisisti unde salvare soles. Sancta Maria:* sancta anima, sancta intellectu, voluntate, appetitu sensitivo, et omnibus eiusdem animae potentiis; sancta corpore, sancta omnibus eius sensibus; sanctaque utero suo, filium Dei concepit; sancta, cuius virgineum claustrum, etiam parturiens, inviolatum permansit; sancta ubera, quae lactaverunt Christum Dominum; sancta omnia, et singula eius membra, quibus Christo Domino, et praesertim infanti, variis modis inservivit, ac ministravit: quod si sanctum idem est quod mundum, in his omnibus, et singulis, quae commemoravi, mira praefulget Virginis munditia. *Mater Dei;* quae cum sis Genitrix Dei, qui est omne bonum, cui uni quicquid boni habemus acceptum referimus, a quo bona cuncta speramus, cui tot nominibus tantum debemus. Ideo tu prae omnibus, secundum Deum, summa charitate, atque amore a nobis es diligenda, quae cum ex hac maternitate Dei dignitatem quandam infinitam sis assequuta, singulari propterea reverentia, et adoratione, quam vocant hyperduliam, prae ceteris sanctis es colenda; quae propter hanc infinam cum Filio coniunctionem, et apud ipsum vales auctoritate, ut magna fiducia sub tuum praesidium confugere possimus, quo apud eum pro nobis intercedere, et quae saluti nostrae sunt necessaria, ab eo impetrare digneris: quid enim negabit matri ostendenti pectus, et ubera? Tu es illa terra nostra a Domino benedicta, quae, dante Domino benignitatem, dedisti fructum tuum, et germinasti Salvatorem. Tu es mulier illa fortis a Salomone multis encomiis celebrata, quae facta es quasi navis institoris, de longe, hoc est, de coelo, portans panem tuum, Christum scilicet, qui est panis vitae; et hunc panem vivum, qui de coelo descendit, per tuum partum Virgineum enixa in Bethlehem, quae domum panis sonat, exposuisti. Tu es fons ille parvus a Mardochaeo per somnium visus, qui

erevit in fluvium maximum, et in lucem, solemque conversus est, et in aquas plurimas redundavit, ut propterea ab Epiphanio, Damasceno, et aliis fons lucis aeternae, quae illuminat omnem hominem, merito appelleris: ex te enim ortus est sol iustitiae Christus Deus noster, qui de se ipso dicebat: *Ego sum lux mundi. Ora pro nobis.* Divus Bernardus (*serm.* 2. *de adv.*) in hunc modum precatur beatam Virginem: *Domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra, tuo filio nos commenda, tuo filio nos reconcilia, tuo nos filio repraesenta, cum sis vera Dei Genitrix, ac proinde Regina coelorum, Domina item angelorum, atque hominum. Idcirco nos servos, ac famulos tuos opem tuam humiliter implorantes, precibus ac meritis tuis defendere, ac protegere dignare, cum mater nostra vocari non dedigneris. Idcirco pro nobis filiis tuis, licet indignis, sub tuum praesidium confugientibus, apud sacratissimum filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum quaesumus intercedere digneris, cum mater misericordiae, mediatrix item et advocata nostra merito coeris, ad nos gementes, et flentes in hac lacrymarum valle, illos tuos misericordes oculos converte, et clientum tuorum pie te invocantium, patrocinium apud iudicem filium tuum, ut suscipias, enixe rogamus. Nunc: hoc est, in hac praesenti vita, quae celeri nunc instans, indiviisibile, velox est, brevis, ac momentanea. Nunc, quia ex huius spatio nihil habemus, praeter hoc praesens nunc fugax, et indivisibile: praeteritum enim praeterit, et ignoramus, quantum nobis vitae in futurum superest. Nunc, dum in hoc exilio, et valle lacrymarum sumus, donec aspiret dies, et inclinentur umbrae, quando adhuc tempus est misericordiae, antequam veniat nox, quando nemo potest operari. Nunc igitur ad te clamamus, ad te suspiramus gementes, et flentes, ut Iesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostendere digneris.* Et in hora mortis nostrae. *Nos omnes tuum supplicitter imploramus auxilium, ut in extrema illa, et periculosa pugna, qua callidus serpens nostrae vitae calcaneo insidiatur, tu Dei Genitrix nos ab eodem hoste protegere, eiusque caput conterere digneris, ut iustificationis gratiam, et in accepta iustitia magnum illud usque in finem perseverantiae donum, quod sine speciali Dei auxilio haberi non potest, nobis efficaciter impetrare, et in hora mortis nos suscipere, filioque tuo praesentare digneris.*

Illud etiam in salutatione angelica observatione dignum censui, omnia scilicet contenta in ea ita inter se connexa, ut primum rationem reddat secundi, et secundi tertium, et sic de aliis usque ad ultimum. Quare Virgo salutatur per *Ave?* quia est *Maria*, amarum mare, maris stella, Domina, et illuminata; quare sic Maria? quia *gratia plena;* quare gratia plena? quia *Dominus tecum*, qui fons est gratiae, liberaliter eam tanquam futuram matrem suam effundens; quare Dominus tecum, aptam te reddens, ut sis mater Dei? quia *benedicta tu in mulieribus:* hoc est, sanctior prae omnibus foeminis; quare benedicta tu in mulieribus? quia *benedictus fructus ventris tui:* origo enim sanctitatis matris sanctitas filii fuit: nec enim fructus benedictus fuit, quia arbor benedicta erat; sed contra benedicta arbor, quia fructus eius benedictus erat: quare *benedictus fructus ventris tui?* sane quia Iesus, hoc est, *Salvator mundi*, cui quia Salvator, non solum competit sanctitas creatae gratiae habitualis, et unionis hypostaticae, sed sanctitas increata Dei, cum ipse sit Verbum Patris, ei consubstantiale. Propter haec ergo tam stupenda in te patrata mysteria, *mater Dei, ora pro nobis peccatoribus*, ut a morte perpetualiter liberati vitam aeternam consequamur.

Quintum obsequium valde singulare docuerunt me nonnulli insignes viri, nimirum, ut petenti quippiam propter amorem Virginis, aut in eius nomine pollicetur, vel saltem proponat, nunquam id negaturum: ita fecisse irrefragabilem nostrum doctorem Alexandrum Alensem, scribit sanctus Antoninus (3. *parte historiarum tit.* 24. *cap.* 8. *q.* 1): cum enim esset hic doctor Parisiis, et ex singulari ad Virginem devotione, nihil se negaturum eius amore quidquam postulanti vovisset, a quodam fratre ex Ordine Minorum, Virginis amore rogatus, ut illum Ordinem ingrederetur; quamvis tanta, et tam inopinata petitione territus, a Deo tamen intus permotus, se id illico factarum statim respondit, idque Virginis amore et opere praestitit; et Ordinem nostrum mirum in modum sua doctrina illustravit. Quare non sua tantum, verum et seipsum propter Deiparam tradidit, adeo ut verba illa Apostoli (2. *ad Cor. capit.* 11) sibi asurpare posset, Deiparam alloquens: *Ego pro te Virgo beatissima libenter impendam, et superimpendor ipse.* Surius etiam die 24. Septembris de sancto Gerardo martyre, et episcopo Canadiensi in Hungaria haec scribit: *Si quis reus ab ipso veniam peteret per nomen Matris Christi, mox eo audito, lacrymis perfundebatur, et reum in gratiam humanissime recipiebat.*

Sextum obsequium a sanctis viris satis usitatum, macceratio corporis est in honorem Deiparentis, praecipue tamen ieiunium in die sabbati, et in vigiliis festivitatum eiusdem Virginis: id enim pergratum esse Deiparae Virgini, miracula, et beneficia in illud praestantes ab eadem Virgine collata satis aperte indicant, quorum meminit Caesarius (*lib.* 7. *cap.* 39), Vincentius Beluacensis (*in Speculo Histor. libro* 7. *cap.* 102. *et* 103), et Chronica Priorum domus Carthusiae, nec non Petrus Abbas Cluniacensis (*lib.* 2. *Miraculor. cap.* 29), et nos etiam multa adducemus (*libro ult. de mirandis Deiparae Virginis*).

Septimum obsequium est, idque magni momenti ad acquirendam, augendam, et fovendam devotionem erga beatam Virginem, frequens exercitium est interiorum animae affectuum, quos erga eandem beatissimam Virginem excitare debet: ad quod melius praestandum, praemittere oportet varios actus fidei, firmissime credens excellentiam beatae Virginis super omnes puras creaturas, virginitatem et maternitatem eius, et alia permulta eius charismata, et praerogativas: deinde in memoriam revocare clementiam, et liberalitatem eius, ac in-

dicibilem potentiam ad impetrandum quaecunque opus habemus, ad vitam aeternam consequendam: hac enim vel simili alia cogitationis face praeeunte, continuo conari debet varios in voluntate excitare affectus tum adorationis, et reverentiae, tum ferventissimi amoris, tum fiduciae, tum tandem congratulationis; qua utens divus Hilarius (*hom. 2. de nativ. Christ.*) sic Virginem congratulatur: *Agnosce vere b. Virgo Maria gloriam tuam, illam,* inquam, *gloriam, quam tibi vel angelus nunciavit, vel Ioannes per os Elisabeth matrix adhuc de secreto uteri prophetavit. Benedicta itaque tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui; et unde hoc mihi ut veniat Mater Domini ad me? Exulta mater salutis humanae: ecce Domini mei universo mundo per tanta retro saecula promissum, prima suscipere mereris adventum: habitaculum immensae Maiestatis efficeris: spem terrarum, decus saecularum, commune omnium gaudium peculiari munere novem mensibus sola possides. Initiator omnium rerum ab te initiatur, et profundendum pro mundi vita sanguinem de corpore tuo accepit, ac de te sumpsit quod etiam per te solvit.* Refert etiam divus Bonaventura (*in spec. bonitae Virg. cap. 9*), quod divus Anselmus tanti hoc exercitium faciebat, ut diceret: *Assidue rogandam esse Mariam, ut congratulatio beatitudinis eius sit semper apud nos, et compassio miseriae nostrae sit semper apud eam.* Divus etiam Bernardus ad congratulandum Virgini de eius gloria in haec verba nos hortatur (*serm. 1. de Assumpt.*): *Ut interim sileam beneficia, quae pro illius glorificatione consequimur; si eam diligimus, gaudebimus utique, quia eadit ad filium: plene, inquam, congratulabimur ei, nisi forte, quod absit, inventrici gratiae omnibus modis inveniamur ingrati.* Recte ait divus Bernardus, si diligimus eam, congratulabimur, quia revera congratulatio ex amore oritur, ut docet divus Thomas (2.2.*quaest.* 28. *art.*1), ubi loquens de gaudio ait: *Gaudium propter hoc, quod ipsi bono amato proprium bonum inest, et conservatum ex amore causatur, et hoc maxime pertinet ad amorem benevolentiae, per quam aliquis gaudet de amico prospere habente.* Unde (*opusc.* 301) docet in patria beatos Deo congratulari in omnibus etiam operibus suis. Equidem si s. Agnes, id referente divo Ambrosio (*l.4. epist.*34 *editionis Romanae*) parentibus suis, ad eius sepulcrum vigilantibus, virginum choro comitata dixit: *Congaudete mecum, et congratulamini mihi, quia cum his omnibus lucidas soles accepi, et illi sum iuncta in coelis, quem in terris pavita, tota intentione dilexi:* quanto potiori iure beata Virgo, quae super omnes seraphinos exaltata, et a dextris filii sui sedens, iuxta illud Davidis: *Astitit Regina a dextris tuis; a nobis, ut par est, expostulat congratulationis affectum.* Huic congratulationis exercitio valde deditum lego Carolum b. Birgittae filium, qui propterea, ut habetur (*l. 7. revelat.c.*13), a morte aeterna fuit liberatus: etenim daemon conquestus fuit apud supremum iudicem, quod b. Virgo animam Caroli e corpore egredientem, e manibus suis eripuerit; b. autem Virgo in hace verba respondit, valde quidem notanda: *Dum haec anima in corpore erat, magnam charitatem habuit ad me, revolvens hoc saepius in corde suo, quod me Deus suam Matrem dignatus fuit facere, et quod super omnia creata me sublimiter voluit exaltare; et ex hoc tanta charitate coepit Deum diligere quod in corde suo dicebat sic: in tantum ego gaudeo, quod Deus Virginem Mariam matrem suam habet super omnia charissimam, quod nulla creatura, vel corporalis delectatio est in mundo, quam ego in permutationem illius gaudii reciperem: imo illud gaudium omnibus terrenis delectationibus praeferrem, etsi possibile esset, quod ipsa in uno puncto minimo a dignitate, in qua est, a Deo remotior fieri posset, ego magis mihi in permutationem eligerem, in profunda Inferni aeternaliter cruciari; et idcirco sit ipsi Deo pro benedicta gratia illa, et immensa gloria, quam dedit suae Matri dignissimae infinita gratiarum actio, et gloria sempiterna. Ergo o diabole, vide modo cum quali voluntate iste obiit; quid itaque tibi videtur? utrum magis iustum erat, quod anima eius in meam veniret defensionem ante iudicium Dei, an in tuas manus impie crucianda? respondit diabolus: non est mei iuris, quod illa anima in meas manus veniret, quae te diligit plusquam se, antequam iudicium factum sit;* haec ibi. Sed et illud, si tantae Matris filios observantes esse profitemur, valde nos impellere deberet ad gratulationis affectum erga beatissimam Virginem exercendum, quod ipsa enixe a nobis illum exposulat, dum in officio Ecclesiae Romanae in die sanctae Mariae ad Nives ait: *Congratulamini mihi omnes gentes, quia cum essem parvula placui Altissimo, et de meis visceribus genui Deum, et hominem.* Auditam autem fuisse ab omnibus hanc Virginis petitionem testatur d. Iacobus in sua liturgia, dum ait: *Tibi plena gratia, universa creatura gratulatur, angelorum coetus, et hominum genus testatur*, a quibus non dissident illa d. Bonav. (*in litan. b. Virg.*) dicentis: *Sancta Maria, cui Sancti et Sanctae gratulantur.*

Verum quia d. Paulum audio dicentem (*ad Roman.* 12): *Gaudete cum gaudentibus, et flete cum gentibus;* non solum cum Virgine de eius bonis et gaudiis congaudere, et congratulari nos oportet; sed et de eius doloribus acerbe condolere. Hi tot fuere, ut Rupertus (*in Cant. cap.* 2) dicat: *Maria fuit lilium inter spinas, quia quaecunque spinae filium, eadem matrem confixerunt, et lacerarunt vulneribus compassionis:* et ut lego (*in Revelat. s. Birgittae*) s. Agnes dixit: *Tot telis gladii Virginem sustinuisse per compassionem, quot in suo filio vulnera videbat.* Tantae ergo matri tam dira patienti, ac tam acerbis doloribus confectae aequum est condolere, et compati. Praecipue autem dolores, quos Virgo pertulit, ad septem, sicut et gaudia, revocantur: ad cruentam circumcisionem, fugam in Ægyptum, triduum quo puerum Iesum perdidit, aspectum, quo Christum humeris suis gravissimum crucis pondus gestantem vidit, ignominiosam eius crucifixionem, et mortem, dirae lanceae vulnus, ac tandem depositionem eius de cruce, cum inter brachia sua illum suscepit: qui dolor per totum triduum vehementissime animam Virginis sauciabat, iuxta vaticinium Simeonis (*Luc.* 2): *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*, scilicet mortis Christi.

Octavum obsequium est, ut examine conscientiae praemisso, cum dormitum quis se confert, nec non praemissis actibus contritionis, Deiparam Virginem salutet, et deprecetur, ut ea nocte diguetur illum ab omni labe peccati immunem custodire, et quietam faciat ducere noctem.

Ad extremum his obsequiis accedunt alia, quae prolixitatis causa vitandae compendio percurram: haec sunt, in festivitatibus Virginis sacrae confessionis, et Eucharistiae sacramenta frequentare; rosarium, aut officium Virginis quotidie, vel certis diebus, et maxime sabbatis recitare; quoties excitatur e somno, praemisso Gloria Patri, Virginem salutare per Ave; templa eius adire, altaria visitare, imo si facultas adsit, erigere; donaria ei offerre; imagines eius religiose exosculari; aliquam illarum secum ferre, ante illam genuflectere, aut caput aperire; quoties videtur, brevi aliqua antiphona aut oratione illam venerari; gratanter eius laudes scribere, proferre, legere, et audire: festa eius speciali religione custodire; audito Mariae nomine caput inclinare; immaculatam eius Conceptionem lueri; frequenter in prosperis et adversis ad illam, tanquam ad piissimam matrem confugere; litanias eius quotidie, vel statis diebus repetere; in eius honorem eleemosynam erogare, et maxime ad consecrandas Christo virgines, aut orphanas nuptui tradendas; quoties pulsus horologii sonat, toties illam resalutare; Deum orare, ut donum devotionis erga matrem suam ei conferat: ita orabat s. Bonaventura (*tom.* 2. *opusc.* 2. *libell. in defect. relig. cap.* 2): *Dulcissime Iesu dignare donare mihi misero peccatori, matri tuae digne servire.* Frequenter instare Virgini, ut extirpationem vitiorum, quae magis illum vexant, acquisitionem virtutum, quibus magis indiget, remissionem peccatorum, et donum perseverantiae, ac felicem in Domino mortem sibi impetrare dignetur.

Ceterum, quia contingit, nonnullos ferventiores se exhibere in obsequiis Virginis praestandis, quam Christo Domino, placet hoc loco apponere, quod ex d. Antonino refert auctor Pomerii (*lib.* 12. *p.* 1. *cap.* 2), ubi hanc quaestionem agitat in haec verba: *Numquid igitur peccant ii, qui videntur certe multo magis et devotius b. Virginem in veneratione habere, quam Christum? nam plerique devotiores sunt ad ieiunandum sabbatum in honorem Virginis, et vigilias festivitatum eius, ad dicendum Officium Virginis amptiori reverentia, quam faciant in ieiuniis, et officiis festivitatum Christi, et amplius fervent in devotione venerationis b. Virginis quam Christi.* Respondetur secundum s. Antoninum Florentinum (*in* 4. *part. summ.*), quod tales magis ex simplicitate moventur, quam scientia; unde licet non deberet fieri, quia tamen secundum Damascenum honor matris in filium redundat, patientiam habet Christus huius simplicitatis. Sane etiam credere possumus, quod vult Deus per Spiritum sanctum inflammare multos ad Virginis matris devotionem specialem, ut per eius merita salutem consequantur, et alii eorum exemplo ad devotionem Virginis inducantur. Bonus quippe filius Dominus Iesus scit, quod quidquid impenditur matri, non nisi propter Christum, ex ea natum, fit; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA IV.

Prosequimur principale argumentum, de interna, et externa adoratione Deiparae Virgini debita, agentes, ubi genuflexionum cultum valde illi gratum, et ab angelis, et a viris sanctis usitatum, multipliciter ostendimus.

Triplex esse adorationis genus, cuncti theologi unanimi consensu docent cum angelico Doctore (3. *p. q.* 27). Etenim omnes dividunt adorationem in latriam, duliam, et hyperduliam. Latria est cultus soli Deo debitus propter excellentiam increatam, quam habet, ac supremum dominium, quo super omnes creaturas principatur: ob hanc enim rationem d. Paulus dixit (1. *ad Timoth.* 2): *Soli Deo honor, et gloria:* etenim sicut, quia excellentia Dei, ut est in seipso singularissima, est nulli communicabilis, sic etiam singularissima adoratio ei soli debita est, ita ut sicut propter infinitam eius bonitatem debetur ei specialis dilectio super omnia, quae non potest alicui creaturae tribui quantumcunque sublimi; ita ratione infinitae eius excellentiae singularis adoratio, ac peculiaris infinitae perfectionis illius aestimatio, ei debita est: atque hoc genus adorationis fuit, quod deferri sibi prohibuit divus Petrus (*Actor.* 10), et Paulus, et Barnabas (*Actor.* 14). Unde divus Augustinus (*serm.* 7. *ad fratr. in Eremo.*) praeclare dixit: *Quando duliam damus Sanctis, Deo vero latriam reservamus, tunc damus nos, quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo;* haec ille. Et quidem cum adorationis latria sit actus quo Deo tanquam primae causae, et supremo omnium Domino nos subiicimus, consequens est, non posse hoc genere adorationis creaturam aliquam adorari: quod adeo verum esse reor, ut tametsi humanitas Christi, et eius crux latriae adoratione veneretur propter illius unionem cum Verbo, et huius contactum cum carne Verbi, nec non et illius significationem; alia tamen species latriae est distincta ab ea, qua Deus colitur: etenim haec respicit intrinsecam sanctitatem, et excellentiam ipsius Dei; illa vero extrinsecam rei adoratae. Dulia deinde est adoratio, quae exhibetur sanctis propter excellentiam participatam sanctitatis: quod si illa sanctitas sit singulari aliqua ratione praeexcellens, tunc adoratio illi respondens hyperdulia dicitur; et hac adoratur beata Virgo, ut docet divus Thomas (3. *part. quaest.*25. *artic.* 5. *dum in corp.*) ait: *Debetur ei non qualiscunque dulia, sed hy-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

perdulia. Haec autem maior excellentia attenditur, tum penes perfectiorem gradum gratiae habitualis, et gloriae illi respondentis, qua super omnes puras creaturas beata Virgo praedita est, nec non penes sublimiorem dignitatem, nempe matris Dei, qua super omnes etiam spiritus angelicos praefulget: cui enim angelorum Deus unquam dixit, mater mea es tu? Et licet nonnulli theologi censuerint hyperduliae cultum exhibitum Virgini non esse perfectiorem in specie duliae cultu, qui reliquis Sanctis exhibetur, quia uterque in perfectione gratiae habitualis fundatur, quae eadem est in specie in omnibus: tamen hyperduliae adorationem, quae defertur Virgini propter dignitatem condignae Matris Dei, sine dubio censeo perfectiorem dulia in specie esse, quia dignitas Matris Dei est dignitas specie distincta a dignitate gratiae habitualis; licet alioquin illam ut consentaneam dispositionem praesupponat, utpote ad elevatiorem ordinem spectans, scilicet unionis hypostaticae, cum implicet contradictionem, illam esse Matrem Dei non existente unione hypostatica personae divinae cum carne, ab ea genita. Unde d. Thomas (2. *p. qu.* 103. *art.* 4. *ad* 2) ait: *Hyperduliam debitam Virgini propter affinitatem ad Deum, esse potissimam speciem duliae, communiter sumptae*. Cum igitur dignitas haec, in qua fundatur praedicta adoratio, sit specie distincta a dignitate gratiae habitualis, et ad perfectiorem ordinem gratiae pertinens, consequens est, adorationem in illa fundatam esse specie perfectiorem omni dulia, utpote habentem obiectum formale diversum perfectius in specie, ut more scholasticorum theologorum loquar.

Quamvis autem quidam theologi putarint, b. Virginem propter contactum cum Christo, adorari posse cultu latriae, sicut propter eandem rationem adorantur vestes, et crux, ex qua ille pependit; oppositum tamen sapienter docuit divus Thomas (3. *part. quaest.* 25. *art.* 5), ubi postquam proposuerat hoc argumentum: *Coniunctior est Christo Mater eius, quam crux; sed crux adoratur adoratione latriae; ergo et mater Christi est adoratione latriae adoranda.* Respondet ad 3. in haec verba: *Dicendum, quod crux non est capax venerationis, ut in se consideratur; sed beata Virgo secundum seipsam est venerationis capax; et ideo non est similis ratio.* Quibus verbis vult divus Thomas, quod cum res inanimata, qualis est crux, non sit capax venerationis, nisi propter extrinsecam excellentiam Christi, ei applicatam, nullum est periculum, quod adoretur propter seipsam; at creatura rationalis, cum sit capax venerationis propter aliquam intrinsecam excellentiam, periculum est in praxi, ut si latria colatur, divinus honor ei deferatur; et ideo beata Virgo nec propter illam rationem adoranda est cultu latriae. Addo, quod dum isti exaltare volunt Virginem, dicentes, adoratione latriae coli posse, nullum certe maiorem honorem ei tribuunt, si rem attente perpendant; nam maior personae honor adoratae est propter intrinsecam, et propriam excellentiam coli, quam propter extrinsecam habitudinem contactus; cum huiusmodi honor potius sit testimonium excellentiae illius personae propter quam fit adoratio, quam eius, in qua actus adorandi materialiter terminatur: maiorem igitur honorem deferimus b. Virgini hyperduliae cultu eam propter intrinsecam suam perfectionem adorantes, quam si illo genere adorationis latriae propter alienam sanctitatem adoraremus.

Sed quid mirum, quod tantus hyperduliae honor Virgini deferatur, tantaque reverentia colatur, cum et ipse Christus in terris sic illam honoraverit, ut ei subditus esse voluerit, et nunc in coelis eo honore illam prosecutus fuerit, ut ad dexteram suam eam collocarit? quod longe ante figuratum videmus (3. *Reg.* 2) in Bethsabea matre Salomonis, cui Salomon ad se venienti omni honoris significatione occurrit, eamque dignissimo loco excepit: sic enim de Bethsabea legimus (3. *Reg.* 2): *Surrexit rex in occursum eius, adoravitque eam, et sedit super thronum suum, positusque est thronus matri regis, quae sedit ad dexteram eius*: quae omnia figuram fuisse honoris, quem Deiparae defert Christus, docet s. Bernardinus Senensis (*tom.* 3. *serm.* 11. *art.* 2), eaque singillatim expendit, et (*cap.* 2) particulariter animadvertit verbis illis, *adoravit eam*, significare reverentiam filialem, qua matrem dignissimam Christus honoret; scimus enim illud (*Eccles.* 3): *Sicut qui thesaurizat, ita et qui honorat matrem suam;* quod a Christo Domino minime est praetermissum in sanctissima matre sua: *Quam*, ut ait Damascenus (*orat.* 1. *de dorm.*), *Christus bonus legislator, etiam si legi minus subiectus sit, legem tamen, quam ipse de parentibus honorandis sanxit, explens honorat*: et Hippolytus (*orat. de sanct.*): *Qui dicit*, inquit, *honora patrem, et matrem, ut decretum a se promulgatum observaret, omnem gratiam matri, et honorem impendit.* Idem habet Augustinus (*lib. de Assumpt. tom.* 9): *Ad benignitatem*, inquit, *Domini pertinet, matris servare honorem, qui legem non solvere venerat, sed adimplere.* Bernardus (*serm.* 1. *de Assumpt.*): *Quis nos credat Dei Filium honorare matrem? ideoque potest Deipara merito appellari Mater honorificata.* Quare Georgius Nicomediensis (*orat. de oblat. Deip.*): *Quis honor*, inquit, *exhiberi poterit puritati Deiparae, ex aequo respondens? cuius amore captus opifex, ex ea solum construxit tabernaculum, in quo minime recusavit habitare, in quo paterna voluntas est impleta; quaenam gloria ei poterit tribui pro meritis, cuius superiorem gloriam praeter se ostendet creator? o donum, quod nullo potest honore, ut par est, affici*; haec Georgius.

Hanc reverentiam, quam Deiparae deberi diximus, declarasse videtur Iacob patriarcha (*Gen.* 28), cum evigilans de somno, in quo scalam illam a terra ad coelum usque protensam, angelos item ascendentes, et descendentes per eam, ipsumque Dominum scalae innixum viderat, pavens prae admiratione in haec verba prorupit: *Quam terribilis est locus iste?* cuius rationem subiicit: *Vere hic non est aliud, nisi domus Dei, et porta coeli*; quasi dicat iuxta interpretum sententiam, et praesertim Bernardi (*serm.* 6. *de Annivers. Eccles.*): *Locus iste est omni*

reverentia dignus, quem Deus ipse sua quoque praesentia dignatur, cum sit Domus Dei, et porta coeli. Quamvis autem locum hunc Rupert. (*lib.* 7. *comment. in Genes. cap.* 23) referat ad Ecclesiam Christi, quae futura erat; et Bernard. (*loc. citat.*) sacra Christianorum templa praesignata velit; tamen et ipsam Deiparam per locum illum terribilem, praecipue quoque intellectam, nemo inficiari poterit, qui attente perspexerit, eam esse Domum Dei, in qua Deus singulari modo prae aliis omnibus habitavit, eamque per hanc scalam Iacob, et portam coeli adumbratam, frequenter doceant Patres. Unde Andreas Cretensis (*orat.* 2): *Haec est*, inquit, *porta coeli, de qua Iacob dixit: Quam terribilis est locus iste? vere non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta coeli.* Cum ergo Deipara propter singularem Dei praesentiam in eius utero, atque in eius anima prae omnibus aliis sit locus ille a patriarcha Iacob terribilis vocatus; idcirco magna religione, omnique reverentia, ac tremore colenda erit: quod adeo verum putavit auctor Pomerii, ut (*lib.* 12. *part.* 1. *artic.* 2) dicat, si loquamur de cruce Christi, in quantum fuit illi coniuncta, et ad Christum pertinens, maior honor debetur Matri Christi, quam cruci; tali ratione, quia cum coniunctio ad Christum sit causa honoris: ubi est maior coniunctio ad Christum, ibi debet maior esse honor: sed coniunctior est Christo Mater Christi, quam crux Christi: ergo maior honor debetur Matri; secus si loquimur de cruce ratione Crucifixi, cui debetur latria, sed non Matri, quia latria Deo soli debetur, iuxta illud (*Deut.* 6), et (*Luc.* 4): *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies*, scilicet cultu latriae.

Verum ad id, unde nonnihil digressus sum, redeam, singulare illud adorationis genus erga Dei parentem, quam theologi hyperduliam vocant, hoc est, eminentiorem, et excellentiorem duliam, expresse tradunt Patres, dum asserunt, Virginem tamquam matrem Dei esse venerandam: sic Athanas. (*in Evang. de sanc. Virg.*), Damascenus (*lib.* 4. *de fide c.* 15), Germ. Patriarch. (*epist. ad Ioann. Synnadon, quae habetur action.* 4. 7. *Synodi*), August. (*ser.* 35. *de Sanctis*), Bernardus (*ser.* 1. *de Assum.*), Petrus Damianus (*serm.* 1. *de Nativit. Mariae*), Rupert. (*lib.* 2. *in Cant. in illud cap.* 4. *Veni coronaberis*), Anselmus (*opusc. de excellent. Virg. c.* 8), demum Greg. Papa (*in epist. ad Germanum circa fin.*), quae habetur (*in eadem* 7. *Synod. Actor.* 4): qui omnes cum Athan. Virginem etiam appellant Dominam, et Reginam, ideoque ipsi honorem deferendum affirmant. Idipsum clarissime testatur Nazianz. (*in trag. de Christo patien.*) his verbis: *Admitte, o Virgo inclyta, hic quando tibi verbi parenti, sed super morem tuum, legemque solum inter omnes contingit honor.* Et Ioan. Cantaz. (*in apol.* 3. *et* 9. *contra Mahumetanos*): *Credimus*, inquit, *et confitemur, quod Mariae similis homo nec natus sit, nec posthac ex viro, et muliere nasciturus usque ad consummationem saeculi, et secundum humanam naturam, cum angelis inferiorem esse iudicamus, tanquam hominem: honore autem et sanctimonia ipsa omnibus angelis, indubie praeferimus, eo quod Verbum, et Filium Dei secundum carnem peperit.* Accedit Epiphan. (*haeres.* 79), in medio, qui dicit Mariam Virginem ceteris esse honoratiorem, propter mysterium incarnationis, ubi nomine illo comparativo aperte indicavit genus illud adorationis excellentioris, quam hyperduliam vocamus.

Sed obiicit nobis Philippus Melanch. (*in respons. contra Clerum Coloniensem*) Epiphanium, qui (*haeres.* 77. *circa fin. et* 79) narrat, mulieres in Syria statuam Mariae circumtulisse, et ei liba, et alia munera obtulisse, easque acriter reprehendit: *Nunc vero*, inquit Melanchthon, *magna pietas ducitur invocare Mariam, et donaria liberaliter cumulare.* Sed haec haeretica obiectio nullius momenti est: etenim Epiphanius absque praeiudicio cultus debiti Deiparae Virginis supra reliquos omnes sanctos morem illarum muliercularum reprehendit; tum quod ipsae fungerentur munere sacerdotali, offerentes sacrificium beatae Virgini, cum nusquam mulieribus a Deo fuerit commissum sacrificare, sed ius sacrificandi penes viros semper fuerit; quin imo Paulus (1. *Corint.* 14): *Non permittat, ut mulier in Ecclesia loquatur, nec aliquod ministerium perficiat:* tum quod placentulam illam panis solemni ritu, per aliquos dies beatae Virgini, tanquam Deo offerrent; quare divus Epiphanius minime improbat cultum, qui beatae Virgini adhiberi solet, donaria aliqua ad eius honorem in templis suspendendo. Unde cum et (*eodem loco*) sanctus Epiphanius negat Virgini adorationem, de latriae cultu plane loquitur, ut verba eius manifeste commonstrant: sic enim loquitur: *Revera sanctum erat corpus Mariae, non tamen Deus revera Virgo erat ipsa honorata, sed non ad adorationem nobis: sed ipsa adorans eum, qui ex ipsa carne genitus est.* Ecce adorationem latriae soli Deo debitam, negat beatae Virgini, non vero hyperduliae.

Haec autem observandum est, bifariam posse nos exercere erga beatam Virginem tum internis actibus, ut sic non solum anima, sed et corpore illam veneremur: interna adoratio actus est elicitus a voluntate, ut plane docuit d. Thom. (2. 2. *quaest.* 84), ubi dicit adorationem consistere in interiori mentis devotione. Dixerat autem supra (*quaest.* 82. *artic.* 1. *ad* 1), devotionem esse actum voluntatis; quare licet adoratio supponat honorificam recognitionem excellentiae rei adoratae, non tamen consistit formaliter in ea, sed in submissione, qua excellentiam illius cognoscendo, ei nos subdimus, et tanquam superiori honorem, quo digna est, ei deferimus; externus autem adorationis cultus proprie fit per membra corporis, et sensus, cum ex vi, et imperio interni cultus in externa, et sensibilia illa reverentiae signa prorumpimus, quorum meminit Aristoteles (1. *Rhetor. cap.* 5) in haec verba: *Honoris partes sunt, sacra, memorationes, decantationes carminum, aut solutae orationis ad laudem recitatio, praemia, delubra, vel primi consessus, sepulcra, imagines, publici ritus, inclinari, loco cedere, munera quoque offerre.* Hunc autem externum, et sensibilem cultum docuerunt nos, non solum reges Magi, de quibus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

divus Matthaeus (c.2) ait: *Intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre eius, et procidentes adoraverunt eum*: necnon divus Paulus (*ad Ephes.* 3), dum inquit: *Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi;* sed et ipsemet Christus Dominus exemplo suo nos instruere volens circa modum aeternae adorationis exercendae, genuflexionis cultu utebatur in oratione, ut divus Lucas testatur (*cap.* 22) dicens: *Ipse avulsus est ab eis, quantum iactus est lapidis, et positis genibus, orabat.* Ac tandem de sancto Simone Anachoreta, de quo divus Damasus testatur, in eius vita per triginta annos habitasse supra eminentem quandam columnam, solis ardorem, et frigoris intemperiem patienter ferens. Beatus Theodoretus episcopus Cyrensis in eius vita scribit, ipso praesente pariter cum aliis suis familiaribus, adeo frequenter Simonem genuflexionis cultu Deum adorasse, ut quidam eorum, qui ibi aderant, mille ducentis, et quadraginta quatuor genuflexiones enumeraret, et defatigatum a numeratione destitisse; Simon autem ab eis non destitit, sed incessanter perseverans, ita humiliter se inclinabat, ut fere caput cum pedibus contingeret. Sed et de s. Bartholomaeo apostolo omnes vitae illius historiographi referunt, per diem centum genuflexiones praestare solitum, et totidem per noctem: ut ergo quispiam b. Virginem genuflexionum adoratione religiose colat singulis diebus, oportet, ut liberius huic exercitio vacet, secretiorem aliquem locum eligere, ubi aliqua pulchra adsit Deiparae Virginis imago: non enim sine causa Christus Dominus dixit (*Luc.* 6): *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et claude ostium, et ora Patrem tuum in abscondito;* quod, et multo ante adventum Christi observasse novimus s. prophetam Danielem, ut legimus (*Daniel*, 6), ubi haec verba habentur: *Fenestris apertis in coenaculo suo contra Hierusalem, tribus temporibus in die flectebat genua sua, et adorabat.*

Deinde in memoriam revocet tres praecipuas causas, ob quas b. Virgo meretur adorationis hyperduliae cultu super omnes sanctos, et coelestes spiritus a nobis honorari, nimirum propter excellentissimum gradum gratiae, et gloriae, in quo omnes beatos collective transcendit: propter celsissimam, ac suo modo infinitam Matris Dei dignitatem: ac tandem propter excellentissimum dominium, ac regale sceptrum, quo principatur, et dominatur, non solum super totam terrae faciem, sed super universam coelestem curiam.

Deinde incipiat primam genuflexionem, vel Virginem salutando, vel aliquo honorifico nomine eam compellando: quod si memoria non tenuerit varia Virginis epitheta, habeat ad manum Virginis litanias, et quot ibi fuerint Virginis appellationes, tot ipse exhibeat genuflexiones, nominibus illis eam invocando.

Potest etiam aliter illas in hunc modum exercere, ut recitans stando Rosarium, vel coronam b. Virginis, singulis orationibus dominicis, et angelicis singulas genuflexiones adiungat; cum hoc tamen discrimine, ut incipiens orationem dominicam ad Christum Dominum genuflexionem referat, recitans vero salutationem angelicam ad b. Virginem illam dirigat: perutile etiam ei erit, sequentem formulam exequutioni mandare. Constituat se ante imaginem Deiparae Virginis, et postquam postulaverit ab ea, quae sibi magis necessaria iudicat ad salutem aeternam animae suae, instet per has obsecrationes, impetra mihi hoc Deipara Virgo:

Per aeternam praedestinationem tuam.
Per immaculatam conceptionem tuam.
Per sanctam nativitatem tuam.
Per dulcissimum nomen tuum.
Per devotam praesentationem tuam.
Per coelestem in terris conversationem tuam.
Per purissimam desponsationem tuam.
Per supervenientis in te Spiritus sancti obumbrationem.
Per humilem visitationem tuam.
Per virgineum, et hilarem partum tuum.
Per intemeratam, ac perpetuam virginitatem tuam.
Per mundissimam purificationem tuam.
Per sincerissimam conversationem tuam cum dilecto Filio tuo.
Per gladium doloris, qui pertransiit animam tuam.
Per gaudia Resurrectionis Filii tui.
Per superfluentem in te in die Pentecostes gratiae plenitudinem.
Per admirabilem Assumptionem tuam.
Per gloriosam Coronationem tuam.
Per viscera misericordiae tuae.

Poterit etiam has genuflexiones exercere, antiphonas b. Virginis recitans: hymno illo praemisso, Memento salutis auctor, facta genuflexione ad Christum Dominum: deinceps quot antiphonas b. Virginis inceperit, totidem genuflexiones ei faciat: antiphonae vero sunt hae: *Quem terra, pontus. O gloriosa Domina. Ave Maris stella. Ave Regina coelorum. Alma Redemptoris Mater. Salve Regina*, et excepto tempore quadragesimali: *Regina coeli laetare;* ac tandem genibus flexis dicat: *Sub tuum praesidium, etc.*

Est autem advertendum in festis b. Virginis, et in sabbatis multiplicandas esse genuflexiones: quod si quispiam corporis debilitate laborat ad illas exercendas, poterit eas supplere per devotam corporis, et capitis inclinationem? Quia tamen quidam propter negotiorum multitudinem non possunt huic exercitio vacare, eos moneo, ut saltem in ingressu, et egressu e domo, vel e cubiculo, vel quoties imaginem Deiparae vident, toties genuflectant, aut caput ei reverenter inclinent, pariterque salutent, ne a cultu debito tantae Matris omnino extorres, et alieni fiant. Unde sanctus Gerardus Pannoniae Episcopus, et postea martyr, ut refertur in eius vita, in dioecesi sua statuit, ut audito nomine Deiparae Mariae, omnes genuflecterent, et caput inclinarent; sane ad hoc adorationis beatae Virginis laudabile exercitium non solum nos invitant angeli in coelo, sed et sancti in terra: et quidem quod ad angelos attinet, licet divus Bernardus (*homil.* 1. *super missus est serm.* 4. *et* 5. *de Assump.*) accommodet angelis verba illa: *Quae est ista quae progreditur?* Quasi inquirentibus de persona sibi ignota: quod etiam habet Laurentius Iustinianus (*serm. de Annunc.*); arbitror tamen angelos tam in via quam in patria a primordiis creationis mundi b. Virginem cognovisse, adorasse, et ante regiam eius maiestatem spiritualiter genuflexisse: etenim angeli a principio Christum fide cognoverunt, et ab initio suae beatitudinis eundem in Verbo intuiti sunt, tum quia fidei visio respondet, tum quia ad eorum statum maxime spectabat, suum caput ac regem agnoscere; unde d. Paulus (*ad Hebr.* 1) dixit: *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit et adorent eum omnes angeli eius:* quibus verbis non obscure indicat, semel Christum iussum fuisse adorari ab angelis, cum primum illis per fidem propositus fuit, et iterum cum re ipsa in utero Virginis incarnatus, ex ea in lucem prodit. Quod si angeli in via mysterium incarnationis cognoverunt; consequens est, cognovisse ab initio b. Virginem saltem conceptu communi, credendo Filium Dei ex foemina sumpturum carnem: videntes autem Deum, cum illa visio sit perfectissima, et clarissima, consequens est, ita terminatam fuisse ad mysterium incarnationis, ut clare etiam viderint futuram Matrem Dei, praesertim quod beatae Virginis cognitio multum ad eorum statum pertinebat, cum ipsa perpetuo futura esset eorum Domina, ac Regina: et quidem cum iuxta communem theologorum sententiam, angeli non solum extra Verbum, sed in Verbo clare videant b. Virginem, consequens fit, ab initio illam vidisse, cum visio beata non recipiat mutationem, et augmentum; unde d. Thomas (3. *part. quaest.* 30. *art.* 2. *ad* 3) plane concedit, Virginem agnitam fuisse ab angelis: nam licet dicat latuisse eis modum, qualiter Christus Dominus iaceret in virginea cellula; hoc ipso tamen praesupponit, vere agnovisse virgineam cellulam, licet ignorarent modum ineffabilem, quo ibi conceptus fuerat.

Cum igitur b. Virgo fuerit ab angelis cognita a primordiis creationis mundi, pariter etiam fuit ab eis tunc adorata, cum certo scirent Matrem esse sui Dei, et Dominam, et Reginam suam. Nunc autem angelos beatam Virginem adorare, et sicut ad nomen Iesu genuflectunt, iuxta illud Pauli (*Phil.* 1): *In nomine Iesu omne genuflectatur coelestium, etc.* ita et b. Virginem, et sanctissimum suum nomen spirituali genuflexione adorant, et colunt. Unde divus Damascenus (*orat.* 1. *de Nativ. b. Mar. et* 2. *de Assumpt.*) praeclare dixit: *Decet Dei Matrem ea, quae filii sunt possidere, et ab omnibus adorari.* Quare consuetudo illa depingendi genu flexo angelum Gabrielem, cum beatam Virginem salutavit, mihi valde arridet. Cum sancti Patres unanimi consensu doceant, angelicum illum paranymphum missum fuisse sub specie humana, facile mihi persuadeo, singulari non solum interna, sed externa reverentia b. Virginem fuisse alloquutum; ad hanc autem reverentiam pertinet genuflexio, ut consuevit fieri nunciis ad reginas destinatis.

Ad haec, nunc in coelo angeli speciali cultu beatam Virginem tanquam veram Dei sui parentem, adorant; unde d. Athanasius (*serm. de Deip.*) dixit: *Beatam te praedicant omnes angelorum, et terrestrium hierarchiae, quae et in coelis benedicteris, et in terra praedicaris.* Et divus Damascenus (*orat.* 2. *de dor. agens de Assumpt. Deip. in cael.*) inquit: *Hodierno die choreas agunt angeli, plaudunt archangeli, virtutes concelebrant, principatus exultant, potestates laetantur, dominationes gaudent, throni festum diem agunt, cherubin laudibus efferunt, seraphim gloria afficiunt; nec minus ipsi gloria afficiuntur, cum gloriae parenti gloriam tribuunt.* Unde noster s. Bernardinus (*tom.* 3. *ser.* 3. *art.* 3) dixit: *Merito habent de illa omnes coelestes spiritus confiteri, et dicere illud* (4. *Reg.* 10): *Servi tui sumus: quaecunque iusseris, faciemus.* Praesertim tamen septem principes angelorum Deiparam peculiariter venerari, et adorare, non obscure indicat visio illa d. Ioannis (*Apoc.*4), ubi ait, se vidisse *septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei:* quorum alter est s. Raphael, ut ipse testatur (*Tob.* 14): per illum enim thronum, ante quem reverenter adstant coelestes illi spiritus, b. Virginem intelligi, quam illi venerantur, constat ex b. nostro Amadeo, de cuius sanctitate agitur (*in* 3. *part. Chron. S. Patris nostri Francisci l.6. c.* 30), qui in suis revelationibus in primo raptu cum coelestem curiam vidisset, audivit Gabrielem, haec sibi dicentem: *Septem angeli sumus, qui Genitricem Dei nostri veneramur, alios omnes vestri generis praecedimus:* et loquebatur de septem angelis, qui throno Dei adstant, ut videre est ex eis, quae ibi subiiciuntur. Imago etiam septem horum angelorum virgas manu praeferentium, quae Venetiis musivo opere pervetustae in quadam ex parastatis s. Marci habetur, ita est constituta, ut stantes ipsi Virginem, in throno sedentem, circumstent. Idem quoque in celebri, et antiqua imagine Deiparae in monte Virginis cernitur, quae septem habet angelos sub throno. Idem etiam in imagine s. Mariae Angelorum Romae in thermis Diocletianis, quae in summo altari colitur. Quem depingendi morem veritati consonum esse, manifeste adstruit divus Ioannes Damascenus (*orat.* 1. *de dormit. Virg.*), ubi aperte tradit, angelos Deiparae, tanquam Dei throno adstare, dum ait: *Tu es solium illud regium, cui astiterunt angeli, Dominum, et effectorem insidentem cernentes.* Accedit ad id confirmandum, quod illuminatus noster doctor Mayro (*serm. de creat. an. b. Virg.*), postquam varia Virginis privilegia exposuisset, sub metaphora stellae maris, in hunc modum loquitur: *Decimum privilegium huius stellae maris est, quia habet septiformitatem in ambitu, quia septem stellae notabiles volvuntur circa eam. ideo eius regio dicitur septentrionalis. Ita et Mater Domini dicitur habere septem angelos notabiles, qui assistunt eius throno, de quorum numero dicitur b. Raphael, ut dicitur in Tobia, iuxta illud Apocalypsis: Gratia vobis, et pax etc. et sequitur: A septem spiritibus, qui in conspectu throni Matris, quae sedet a dextris eius;* haec Mayro.

At dicet quispiam, quanam ratione apud Mayronem stella maris circumdatur a septem

stellis, cum ipsa sit una ex septem, posita in extremitate caudae ursae minoris], quae dicitur Cynosura? Respondeo, Mayronem, ut expresse habet (*in illo serm. in 4. et 9. privilegio*), et (*in serm. de nomine b. Virginis*), stellam maris ponere in ipso vero polo mundi, et addit, illam non describere circulum circa polum, sed intra proprium ambitum volvi: et quia non videtur propter exiguitatem, quod humilitati Virginis accommodat, pro illa nos sumere aliam, quae ut ipse ait, dicitur tramontana, quae est in cauda ursae minoris, et facit modicum circulum, estque polo maxime propinqua. Atque ita clarum remanet in Mayronis sententia, polum, seu stellam, si quae sit in eo a septem stellis ursae minoris circumdari, a quibus distinguitur, atque ilo, quod docet Mayro, optime quadrat in Virginem, quae est in Ecclesia veluti polus, et vertex mundi, sublimis supra omnes, nosque in hoc mari navigantes, et naufragantes dirigit ad portum.

Porro sanctissimos etiam viros solitos fuisse b. Virginem adorationis cultu per genuflexiones religiose venerari, ex variis, hisque authenticis historiis facile commonstrabo. Legimus in libro, cuius titulus est, scala coeli, idque refert pius auctor Segala (*lib. de arte mirab. am. servic. et honor. b. Virg.*), monachum quendam Deiparentis famulatui addictissimum, solitum fuisse frequentissime genuflectere ante b. Virginem, et praecipue quando sacrum Mariae nomen auribus insonabat. Cum autem ob nimiam senectutem tanta corporis debilitate laborasset, ut Abbas duos fratres illi destinasset ad movendum, et conducendum eum, quo ipsi placuisset, accidit ut cum praedicti fratres a cella eius abessent, opusque esset moveri, et ad idipsum cum niterentur, nihil profecisset, tunc ad b. Virginem se convertens, dixit, adiuva Domina famulum tuum Fratrem: rem sane mirabilem, continuo beata Virgo cum magna virginum comitiva ei adfuit, quarum duae, una a dextris, alia a sinistris eum tenentes, sublevarunt; beataque Virgo videns, quam multum illi displiceret, quod ob nimiam corporis debilitatem non posset solitum genuflexionum tributum ipsi pendere, illum restituit ad pristinum illud robur, quo triginta retro annis in iuventute sua gaudebat: quo beneficio accepto, toto vitae suae tempore quoties poterat Virginem genuflectens adorabat. Chronica etiam Patrum Capuccinorum rem aliam huic argumento satis congruam commemorant. Quidam frater desiderans b. Virginem excellenti cultu adorare, centum genuflexiones singulis diebus Virgini magna exhibebat humilitate; quia tamen aliis suae religionis occupationibus praepediebatur, decrevit a numero illo centum genuflexionum quinquaginta subtrahere, et alia solum quinquaginta praestare; cum autem quadam die huic sacro exercitio vacaret, b. Virgo ei apparuit, pretioso cooperta pallio, cuius medietatem praefulgentes stellae ornabant, quae hunc in modum cum alloquuta est: Scito fili, quod genuflexionibus tuis coepisti pallium meum his splendentibus stellis decorare; at quia quinquaginta genuflexiones subtraxisti, medietas huius pallii rutilantibus stellis caret: quibus Marianis verbis admonitus frater agnovit, quantum placeret Deiparae Virgini genuflexionum cultus, et deinceps centum, quas solebat genuflexiones, singulis diebus integerrime praestare. Deinde in vita s. Elisabeth regis Ungariae filia, quam refert Surius, narrat ipse, quod prae eximia devotione, qua Virginem colebat, quandam ancillam suam monuerat, ut singulis noctibus illam a somno excitaret, cum in consortio principis esset in lecto, ita tamen silenter, ut clanculum posset surgere, bonamque noctis partem in genuflexionum cultu in Virginis honorem consumere: *Nocturno*, inquit, *tempore a latere viri surgens, orationibus, et genuflexionibus occupabatur.* Surius etiam (*tom.* 2) refert de sancta Catharina virgine filia d. Birgittae, huiusmodi genuflexionibus in cultum Deiparae ita deditam esse, ut singulis diebus quatuor horas in hoc sancto exercitio insumeret, copiosum lacrymarum imbrem prae eximia eius devotione effundens. Denique Pelbartus (*in suo stellario*) commemorat quendam ex nostris Fratribus ad tria signa campanae pro salutanda b. Virgine solitum fuisse ter genuflectere; cum autem quadam die accideret, ut audito signo, frater ille pigritia superatus, et corporis ignavia victus, e lecto, in quo iacebat, non surgeret ad salutandam Virginem, et ante illam ter, ut solebat, genuflectendum, sed tres salutationes angelicas iacens recitaret, tunc somno correptus, vidit sublimem, et excelsam ecclesiae turrim, ita profunde flecti, et inclinari, ut crux in cacumine eius sita terram tangeret: quod per tres vices fieri observavit. Qua mirabili visione monitus fuit, ne deinceps ignavia corporis torpens, solitas illas genuflexiones inter salutandam Virginem unquam omitteret: pariterque fuit tacite reprehensus, quod cum alioquin turris inanimis, et omni sensu carens, audito signo salutationis angelicae ter genuflexisset, ipse tamen rationis, et agnitionis excellentiae Deiparae particeps, nec semel genuflexisset, sed inurbane, et irreverenter in lecto quiescens, Virginem salutasset; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA V.

In idem argumentum, hyperduliae cultu, qui omnium aliorum Sanctorum cultum excedit, Ecclesia catholica imagines Deiparae Virginis religiose veneratur, cuius occasione imaginum usus multifariam constabilitur.

§. I.

RECENSENTUR PRIMI, ET NOVISSIMI HAERETICI, QUI IMAGINES CHRISTI, B. VIRGINIS, ET SANCTORUM DEMOLIRI TENTAVERUNT.

Permulti fuere, qui sacrum imaginum usum ab Ecclesia Dei penitus exterminare conati sunt. Doctissimus noster Alfonsus de Castro tanquam primis huius erroris auctoribus, illum tribuit cuidam nomine Felici, re tamen infelici, cum damnatus fuerit in Concilio Franconiae, si credimus Platinae in Adriano. Primo tribuit eandem Sereno Episcopo Massiliae, quem d. Gregorius (*lib.* 7. *epist.* 109. *lib.* 9. *epist.* 9) acriter reprehendit, et quod mirabilius est, eundem errorem tribuit d. Epiphanio; sed pace tanti viri dixerim, aliter se res habet: nam observavit Illustrissimus cardinalis Bellarminus (*de imag. Sanct. lib.* 2. *cap.* 6): Felix quidam natus fuit: in Synodo Francofordiensi est Felix Episcopus Urgelitanus: hic autem, ut tradit Ado (*in Chron.*), non incidit in eum errorem, sed in illum, quod Christus est Filius Dei adoptivus, et non naturalis. Serenus autem Episcopus longe ab eo errore alienus fuit: nam cum confregit imagines, id fecit, quia recens conversis pro diis illas adorabant: quare d. Gregorius (*praec. loc.*) potius laudat zelum eius, et fidem, solumque eius temeritatem increpat, quod eo medio usus fuerit ad extinguendum illum abusum, monetque eum, ut fideles illos instruat, qua ratione imaginibus religiose uti possint. Divus autem Epiphanius, quam longe ab hoc errore abfuit, testimonium omni exceptione maius tradit 7. Synodus (*act. 6. tom. 7*), ubi ab omni erroris suspicione circa imagines purgatur: his ergo omissis, Nicolaus Sanderus (*lib.* 1. *cap. ult.*) de imaginibus affirmat, primos imaginum hostes fuisse Manichaeos, cuius duplex fudamentum est, primum, quia Faustus apud Augustinum (*libr.* 20. *cap.* 3. *contr. Faust.*) gloriatur, quod suae sectae homines Deum sine imaginibus, et simulacris colerent, secundum, quia Thamasius satis id indicat (*in* 7. *Synod.*), Nicephorus vero (*lib.* 16. *cap.* 27), et Cedrenus (*in compend.*) arbitrantur principem huius erroris fuisse quendam nomine Xenaidias, imperante Cerone: fuit autem ille homo Persa, et Barbarus, imo et servus fugitivus; et quamvis baptizatus non esset, simulans tamen se christianum, in Episcopatum se intrusit: cardinalis tamen Bellarminus (*lib.* 2. *de imag. cap.* 6. *tom.* 1) primos imaginum exterminatores fuisse Iudaeos, qui in suo Thalmud, quod in lucem prodiit anno Christi CDLXXVI. ord. 2. diserte docent, Christianorum ecclesias esse domos idololatriae: quod propter imagines dixisse, clare constat ex 7. Synodo, ubi frequenter Iconomachi dicuntur Hebraei, tum ex dialogis Leontii, quorum quaedam pars habetur in eadem Synodo (*action.* 5), postmodum post annum Domini DC. exortus est Mahumetus, qui imaginum usum penitus interdixit, ut habetur (*in eius Alcor. cap.* 15. *et* 17). Unde videmus Turcas nullas prorsus admittere imagines, et propter earum cultum nos christianos idololatras existimare; postea vero annis fere centum elapsis, hoc est post annum Domini DCC. Hebraeus quidam maleficus Ezidi regi Arabum Mahumetano promisit triginta annos vitae, si in suo imperio iuberet imagines Christi, et Sanctorum ex Christianorum ecclesiis divelli, cuius historiae meminit 7. Synodus (*act.* 5), eandemque referunt Cedrenus, Zonaras, et Niethia in vita Leonis Isauri. Ceterum inter imperatores, primum qui imagines delevit, putant nonnulli fuisse Philippicum, quia illas ex parietibus s. Sophiae abradi iussit: Constantinus Papa restitit; sed fallunt, quia non ex errore contra imagines, sed ex odio illas tantum abrasit, quia sanctos illos Patres repraesentabant, qui sextae Synodo interfuerant, ut admonavit Paulus Diaconus (*lib.* 18. *in addit. Eutrop. et lib.* 21). Iam vero Leo Tertius dictus Isaurus, a quibusdam Iudaeis deceptus, hunc errorem vehementissime auxit: nam et imagines e templis deponi, ac deleri praecepit, et igni tradi, et fideles, qui ei contradicere ausi sunt, interfecit, ut referunt Paulus Diaconus, et Zonaras (*in vit. ips.*), et Cedrenus (*in comp. hist.*), et Sanderus (*lib.* 7. *de visib.*), Monarc. (*haer.* 130), et Plati. (*in Grace.*). Secundo refert illum Leoni restitisse, et Gregorius Tertius illum excommunicasse, et imperio privasse; et hanc fuisse primam occasionem, propter quam a Graecis imperatoribus latina Ecclesia defecit. In eodem errore pertitit Constantinus Quintus Copronymus Leonis filius, qui etiam Nesorianus fuit, ut ex eisdem historiis constat, qui conciliabulum Constantinopolitanum contra imagines congregavit. Retinuit postea eundem errorem Leo Quartus, quo mortuo Irene uxor eius, et Constantinus Sextus, eius filius, catholicam Ecclesiam defenderunt, et eorum tempore Adrianus Primus congregavit 7. Synodum, 2. Nycaenam pro imaginum defensione. Ille vero Constantinus grandior factus, repudiata Nicaena Synodo, errori Iconomachorum adhaesit. Ante quos omnes imperatores Iulianus apostata imaginem Christi confregit, et Christianis, quod imagines, ut idola, adorarent, obiecit, ut d. Cyrillus Alexandrinus (*libr.* 6. *contr. ill. circ. med.*), et Sozomenus (*lib.* 6. *hist. cap.* 20) testantur. Postea vero hanc errorem secutus est Felix, ut docent Concilium Senonense (*decr. fid. cap.* 14), et eius discipulus, Claudius Taurinensis Episcopus, ut refert Ioannes Aurelianensis (*lib. de cult. imag.*), quos contra illum scripsit. Postea Wicleff eundem errorem amplexus est, ut late Usaldensis (*tract. tom.* 3. *de sacram. cap.* 50), et sequentibus, qui in Con-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

stellis, cum ipsa sit una ex septem, posita in extremitate caudae ursae minoris], quae dicitur Cynosura? Respondeo, Mayronem, ut expresse habet (*in illo serm. in 4. et 9. privilegio*), et (*in serm. de nomine b. Virginis*), stellam maris ponere in ipso vero polo mundi, et addit, illam non describere circulum circa polum, sed intra proprium ambitum volvi: et quia non videtur propter exiguitatem, quod humilitati Virginis accommodat, pro illa nos sumere aliam, quae ut ipse ait, dicitur tramontana, quae est in cauda ursae minoris, et facit modicum circulum, estque polo maxime propinqua. Atque ita clarum remanet in Mayronis sententia, polum, seu stellam, si quae sit in eo a septem stellis ursae minoris circumdari, a quibus distinguitur, atque ilo, quod docet Mayro, optime quadrat in Virginem, quae est in Ecclesia veluti polus, et vertex mundi, sublimis supra omnes, nosque in hoc mari navigantes, et naufragantes dirigit ad portum.

Porro sanctissimos etiam viros solitos fuisse b. Virginem adorationis cultu per genuflexiones religiose venerari, ex variis, hisque authenticis historiis facile commonstrabo. Legimus in libro, cuius titulus est, scala coeli, idque refert pius auctor Segala (*lib. de arte mirab. am. servic. et honor. b. Virg.*), monachum quendam Deiparentis famulatui addictissimum, solitum fuisse frequentissime genuflectere ante b. Virginem, et praecipue quando sacrum Mariae nomen auribus insonabat. Cum autem ob nimiam senectutem tanta corporis debilitate laborasset, ut Abbas duos fratres illi destinasset ad movendum, et conducendum eum, quo ipsi placuisset, accidit ut cum praedicti fratres a cella eius abessent, opusque esset moveri, et ad idipsum cum niterentur, nihil profecisset, tunc ad b. Virginem se convertens, dixit, adiuva Domina famulum tuum Fratrem: rem sane mirabilem, continuo beata Virgo cum magna virginum comitiva ei adfuit, quarum duae, una a dextris, alia a sinistris eum tenentes, sublevarunt; beataque Virgo videns, quam multum illi displiceret, quod ob nimiam corporis debilitatem non posset solitum genuflexionum tributum ipsi pendere, illum restituit ad pristinum illud robur, quo triginta retro annis in iuventute sua gaudebat: quo beneficio accepto, toto vitae suae tempore quoties poterat Virginem genuflectens adorabat. Chronica etiam Patrum Capuccinorum rem aliam huic argumento satis congruam commemorant. Quidam frater desiderans b. Virginem excellenti cultu adorare, centum genuflexiones singulis diebus Virgini magna exhibebat humilitate; quia tamen aliis suae religionis occupationibus praepediebatur, decrevit a numero illo centum genuflexionum quinquaginta subtrahere, et alia solum quinquaginta praestare; cum autem quadam die huic sacro exercitio vacaret, b. Virgo ei apparuit, pretioso cooperta pallio, cuius medietatem praefulgentes stellae ornabant, quae hunc in modum cum alloquuta est: Scito fili, quod genuflexionibus tuis coepisti pallium meum his splendentibus stellis decorare; at quia quinquaginta genuflexiones subtraxisti, medietas huius pallii rutilantibus stellis caret: quibus Marianis verbis admonitus frater agnovit, quantum placeret Deiparae Virgini genuflexionum cultus, et deinceps centum, quas solebat genuflexiones, singulis diebus integerrime praestare. Deinde in vita s. Elisabeth regis Ungariae filia, quam refert Surius, narrat ipse, quod prae eximia devotione, qua Virginem colebat, quandam ancillam suam monuerat, ut singulis noctibus illam a somno excitaret, cum in consortio principis esset in lecto, ita tamen silenter, ut clanculum posset surgere, bonamque noctis partem in genuflexionum cultu in Virginis honorem consumere: *Nocturno*, inquit, *tempore a latere viri surgens, orationibus, et genuflexionibus occupabatur.* Surius etiam (*tom.* 2) refert de sancta Catharina virgine filia d. Birgittae, huiusmodi genuflexionibus in cultum Deiparae ita deditam esse, ut singulis diebus quatuor horas in hoc sancto exercitio insumeret, copiosum lacrymarum imbrem prae eximia eius devotione effundens. Denique Pelbartus (*in suo stellario*) commemorat quendam ex nostris Fratribus ad tria signa campanae pro salutanda b. Virgine solitum fuisse ter genuflectere; cum autem quadam die accideret, ut audito signo, frater ille pigritia superatus, et corporis ignavia victus, e lecto, in quo iacebat, non surgeret ad salutandam Virginem, et ante illam ter, ut solebat, genuflectendum, sed tres salutationes angelicas iacens recitaret, tunc somno correptus, vidit sublimem, et excelsam ecclesiae turrim, ita profunde flecti, et inclinari, ut crux in cacumine eius sita terram tangeret: quod per tres vices fieri observavit. Qua mirabili visione monitus fuit, ne deinceps ignavia corporis torpens, solitas illas genuflexiones inter salutandam Virginem unquam omitteret: pariterque fuit tacite reprehensus, quod cum alioquin turris inanimis, et omni sensu carens, audito signo salutationis angelicae ter genuflexisset, ipse tamen rationis, et agnitionis excellentiae Deiparae particeps, nec semel genuflexisset, sed inurbane, et irreverenter in lecto quiescens, Virginem salutasset; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA V.

In idem argumentum, hyperduliae cultu, qui omnium aliorum Sanctorum cultum excedit, Ecclesia catholica imagines Deiparae Virginis religiose veneratur, cuius occasione imaginum usus multifariam constabilitur.

§. I.

RECENSENTUR PRIMI, ET NOVISSIMI HAERETICI, QUI IMAGINES CHRISTI, B. VIRGINIS, ET SANCTORUM DEMOLIRI TENTAVERUNT.

Permulti fuere, qui sacrum imaginum usum ab Ecclesia Dei penitus exterminare conati sunt. Doctissimus noster Alfonsus de Castro tanquam primis huius erroris auctoribus, illum tribuit cuidam nomine Felici, re tamen infelici, cum damnatus fuerit in Concilio Franconiae, si credimus Platinae in Adriano. Primo tribuit eandem Sereno Episcopo Massiliae, quem d. Gregorius (*lib.* 7. *epist.* 109. *lib.* 9. *epist.* 9) acriter reprehendit, et quod mirabilius est, eundem errorem tribuit d. Epiphanio; sed pace tanti viri dixerim, aliter se res habet: nam observavit Illustrissimus cardinalis Bellarminus (*de imag. Sanct. lib.* 2. *cap.* 6): Felix quidam natus fuit: in Synodo Francofordiensi est Felix Episcopus Urgelitanus: hic autem, ut tradit Ado (*in Chron.*), non incidit in eum errorem, sed in illum, quod Christus est Filius Dei adoptivus, et non naturalis. Serenus autem Episcopus longe ab eo errore alienus fuit: nam cum confregit imagines, id fecit, quia recens conversis pro diis illas adorabant: quare d. Gregorius (*praec. loc.*) potius laudat zelum eius, et fidem, solumque eius temeritatem increpat, quod eo medio usus fuerit ad extinguendum illum abusum, monetque eum, ut fideles illos instruat, qua ratione imaginibus religiose uti possint. Divus autem Epiphanius, quam longe ab hoc errore abfuit, testimonium omni exceptione maius tradit 7. Synodus (*act. 6. tom. 7*), ubi ab omni erroris suspicione circa imagines purgatur: his ergo omissis, Nicolaus Sanderus (*lib.* 1. *cap. ult.*) de imaginibus affirmat, primos imaginum hostes fuisse Manichaeos, cuius duplex fudamentum est, primum, quia Faustus apud Augustinum (*libr.* 20. *cap.* 3. *contr. Faust.*) gloriatur, quod suae sectae homines Deum sine imaginibus, et simulacris colerent, secundum, quia Thamasius satis id indicat (*in* 7. *Synod.*), Nicephorus vero (*lib.* 16. *cap.* 27), et Cedrenus (*in compend.*) arbitrantur principem huius erroris fuisse quendam nomine Xenaidias, imperante Cerone: fuit autem ille homo Persa, et Barbarus, imo et servus fugitivus; et quamvis baptizatus non esset, simulans tamen se christianum, in Episcopatum se intrusit: cardinalis tamen Bellarminus (*lib.* 2. *de imag. cap.* 6. *tom.* 1) primos imaginum exterminatores fuisse Iudaeos, qui in suo Thalmud, quod in lucem prodiit anno Christi CDLXXVI. ord. 2. diserte docent, Christianorum ecclesias esse domos idololatriae: quod propter imagines dixisse, clare constat ex 7. Synodo, ubi frequenter Iconomachi dicuntur Hebraei, tum ex dialogis Leontii, quorum quaedam pars habetur in eadem Synodo (*action.* 5), postmodum post annum Domini DC. exortus est Mahumetus, qui imaginum usum penitus interdixit, ut habetur (*in eius Alcor. cap.* 15. *et* 17). Unde videmus Turcas nullas prorsus admittere imagines, et propter earum cultum nos christianos idololatras existimare; postea vero annis fere centum elapsis, hoc est post annum Domini DCC. Hebraeus quidam maleficus Ezidi regi Arabum Mahumetano promisit triginta annos vitae, si in suo imperio iuberet imagines Christi, et Sanctorum ex Christianorum ecclesiis divelli, cuius historiae meminit 7. Synodus (*act.* 5), eandemque referunt Cedrenus, Zonaras, et Niethia in vita Leonis Isauri. Ceterum inter imperatores, primum qui imagines delevit, putant nonnulli fuisse Philippicum, quia illas ex parietibus s. Sophiae abradi iussit: Constantinus Papa restitit; sed fallunt, quia non ex errore contra imagines, sed ex odio illas tantum abrasit, quia sanctos illos Patres repraesentabant, qui sextae Synodo interfuerant, ut admonavit Paulus Diaconus (*lib.* 18. *in addit. Eutrop. et lib.* 21). Iam vero Leo Tertius dictus Isaurus, a quibusdam Iudaeis deceptus, hunc errorem vehementissime auxit: nam et imagines e templis deponi, ac deleri praecepit, et igni tradi, et fideles, qui ei contradicere ausi sunt, interfecit, ut referunt Paulus Diaconus, et Zonaras (*in vit. ips.*), et Cedrenus (*in comp. hist.*), et Sanderus (*lib.* 7. *de visib.*), Monarc. (*haer.* 130), et Plati. (*in Grace.*). Secundo refert illum Leoni restitisse, et Gregorius Tertius illum excommunicasse, et imperio privasse; et hanc fuisse primam occasionem, propter quam a Graecis imperatoribus latina Ecclesia defecit. In eodem errore pertitit Constantinus Quintus Copronymus Leonis filius, qui etiam Nesorianus fuit, ut ex eisdem historiis constat, qui conciliabulum Constantinopolitanum contra imagines congregavit. Retinuit postea eundem errorem Leo Quartus, quo mortuo Irene uxor eius, et Constantinus Sextus, eius filius, catholicam Ecclesiam defenderunt, et eorum tempore Adrianus Primus congregavit 7. Synodum, 2. Nycaenam pro imaginum defensione. Ille vero Constantinus grandior factus, repudiata Nicaena Synodo, errori Iconomachorum adhaesit. Ante quos omnes imperatores Iulianus apostata imaginem Christi confregit, et Christianis, quod imagines, ut idola, adorarent, obiecit, ut d. Cyrillus Alexandrinus (*libr.* 6. *contr. ill. circ. med.*), et Sozomenus (*lib.* 6. *hist. cap.* 20) testantur. Postea vero hanc errorem secutus est Felix, ut docent Concilium Senonense (*decr. fid. cap.* 14), et eius discipulus, Claudius Taurinensis Episcopus, ut refert Ioannes Aurelianensis (*lib. de cult. imag.*), quos contra illum scripsit. Postea Wicleff eundem errorem amplexus est, ut late Usaldensis (*tract. tom.* 3. *de sacram. cap.* 50), et sequentibus, qui in Con-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cilio Constansiensi (*sess.*15) damnatus est. Denique Lutherus, Calvinus, Zuinglius, Carlostadius, et reliqui huius temporis haeretici, vehementer contra imagines invehuntur, ut referunt Prateolus sub eorum nominibus, Lindanus (*in suo Dubit. dial.* 2), Cochlaeus (*in act. Luther.*), et Sanderus (*lib. de typ. imag. ador.*).

§. II.

IMAGINUM, PRAECIPUE CHRISTI, ET B. VIRGINIS USUS, ET CULTUS EX SACRIS SCRIPTURIS COMPROBATUR.

Porro sanctum ac religiosum esse imaginum usum, quem semper Dei Ecclesia servavit, multifariam, multisque modis apertissime commonstrabo. Primo ex sacris Litteris, in quibus legimus, imagines factas Dei iussu: etenim (*Ex.* 25) Deus fieri praecepit duas imagines cherubin super Arcam; unde d. Hieronymus (*epist. ad Marcell.*) dicit, tabernaculum fuisse adoratum a Iudaeis, quia ibi erant Cherubin: (3. *eti. Reg. cap.* 6. *et* 7) ex divino praecepto sculpti fuerint cherubin, boves, et luna: (*Num.* 2) Deus imaginem serpentis aenei exaltari fecit; serpens autem ille aeneus, cum salutem miseris in se aspicientibus afferret, ab illis adorabatur; unde d. Augustinus (*l.*3. *de Trin. cap.* 10), inter signa religiosa veneratione digna, connumerat serpentem illum aeneum: ipse etiam Augustinus (*lib.* 3. *de doctrin. Christ. cap.*9) expresse docet, supradicta divinitus instituta veneranda esse, quia bonor eorum ad prototypum transit; est autem certum secundum fidem, imagines illas cherubin, et serpentes, tanquam utiles a Deo institutas fuisse, et (*Psalm.* 98) David ait: *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est*, ubi ad litteram sermo est de arca testamenti, ut omnes exponunt: nec solum arcam, sed etiam mensam, propitiatorium, totumque tabernaculum adorata esse a filiis Israel, testatur 7. Synodus (*act.*3), ut Damascenus (*lib.* 4. *de fid. cap.* 17) dicens, Mosaicum populum tabernaculum illud adorasse, quod coelestium rerum imaginem gerebat. Scio haereticos, et Iudaeos adversus haec loca alia ex eisdem sacris Scripturis afferre, quibus sibi probari videntur, omne imaginum genus abolendum esse: etenim (*Exod. cap.*20) prohibetur omnis Dei similitudo; nam postquam dixerat Scriptura: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem*, subiungit infra, explicans: *Deos aureos et argenteos non facietis mecum*; id est, non facietis imagines aureas, vel argenteas, quae Deum repraesentent: et (*Deuter. cap.* 40): *Memento quod Dominus locutus sit tibi in monte Horeb; vocem verborum audisti, imaginem nullam vidisti. Observa ergo te ipsum, ni forte deceptus, facias tibi ullam similitudinem*: et (*Isa. cap.* 40): *Cui similem fecistis Deum? aut quam imaginem ponetis ei?* et (*cap.* 46): *Cui assimilastis me, et adaequastis, et comparastis me, et similem fecistis? qui conferlis aurum de sacculo, et argentum statera ponderastis, conducentes aurificem, ut faciat Deum.* Denique (*Actor.*17) Paulus dicit: *Genus ergo cum simus Dei, non est existimandum auro, vel argento, aut lapidi, artis sculpturae, et cogitationis hominum divinum esse simile.* Accedit, quod (*Ierem. cap.* 10) imago lignea vocatur *doctrina vanitatis*, et (*Abac. cap.* 2) conflatile, appellatur doctor mendacii. Ad haec, et similia loca, quibus prohiberi videntur imagines, et praecipue ad illud (*Exod. cap.* 20): *Non facies tibi sculptile*, d. Damascenus (*orat.*1. *de imagin.*) respondet, verum esse illo praeceptio fuisse prohibitas Hebraeis omnes imagines Dei, ut omnino ab idololatriae pericolo, ad quam ex gentium consuetudine valde propensi erant, abstraherentur, ut indicavit etiam Eleazarus inter Hebraeos peritissimus. apud Eusebium (*lib.* 8. *de praep. Evang. cap.*3): unde ad vitandum hoc periculum (*Deuter. cap.* 4) dicitur: *Non videatis aliquam similitudinem, ne forte faciatis vobis sculptam similitudinem, etc.* et (4. *Reg. cap.* 18) Ezechias confregit serpentem aeneum, quia superstitiose illo utebantur filii Israel. Sed haec responsio merito non placet cardinali Bellarmino (*lib.* 2. *de imag. cap.*7): quia sanctus Irenaeus (*lib.* 4. *cap.* 31, *et* 32) diserte docet, decalogum esse legem naturalem, excepto praecepto de sabbato: et Tertullianus (*lib. de idol.*) contendit, nunc maxime observandum hoc praeceptum: idem docet divus Cyprianus (*lib.*3. *ad Quirin. cap.* 59. *et de exhortat. Mart. cap.* 1): beatus Augustinus passim affirmat totum decalogum, excepta lege de sabbato, a Christianis servandum, et nominatim illud: *Non facies tibi sculptile.* Vide librum (16. *cont. Faus. cap.* 4. *et* 7. *lib.* 19. *cap.*18. *lib.* 3. *cont.* 2. *epist. Pelagian. cap.* 4). Idem habet sanctus Thomas (2. 2. *quaest.* 122. *artic.* 1. *et* 4). Ergo si in decalogo prohiberentur omnes imagines, peccarent Christiani, habentes imagines. Quare eam veram, et legitimam responsionem esse arbitror, non prohiberi in illis locis absolute, sed idola, et Deos manibus fabricatos, quibus, vero Deo relicto, latriae cultus impenditur. Unde (*Levitic. cap.* 26) clarius dicitur: *Non facietis vobis idolum, et sculptile, nec titulos erigetis, neque in signum lapidem ponetis in terra vestra, ut adoretis eum: Ego enim sum Dominus Deus vester*: et ideo (*cap.* 18) dixerat Deus: *Ego Dominus Deus vester, iuxta consuetudinem terrae Ægypti, in qua habitastis, non facietis*: et subdit (*cap.* 19): *Nolite converti ad idola, nec deos conflatiles facietis vobis.* Et ad hunc modum ubicumque explicatur hoc praeceptum, significatur substantiam eius esse, ut nullus praeter veram Deum colatur, et adoretur, ut Deus. Ita exponit Augustinus supra, dicens, hic praeceptum esse, idola non colere. Indicat Cyprianus (*lib.* 3. *ad Quirinum cap.* 59. *et lib. de exhort. ad Martyr. cap.* 1), et Tertullianus (*lib.* 2. *cont. Marc. circ. finem*), Clarius Damascenus (*lib.* 4. *de fide cap.* 13), et divus Thomas (3. *part. artic.* 3. *ad* 1), omnia illa verba: *Non habebis deos alienos.* Quod ut magis intelligatur, observanda est distinctio inter imaginem, et idolum: illud enim inter haec discrimen interest, quod imago est vera rei similitudo, imago enim ab imitando dicta est; idolum autem est falsa similitudo, id est, repraesentans id, quod revera non est, ut cum Gentiles proponebant statuas Veneris, aut Minervae, illa signa idola erant, quia repraesentabant deos generis foeminini, quales dii nec sunt, nec esse possunt, atque ita nec vere repraesentabant, sed erant falsae imagines: id enim quod non est, repraesentari non potest: unde Abacuch (*cap.* 2) dixit: *Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud fictor suus conflatile, et imaginem falsam?* Ecce clarissime definit, idolum esse imaginem falsam; cui consonat illud divi Pauli (*ad Corinth. cop.* 8): *Scimus, quia idolum nihil est in mundo*, quod propterea dixit Apostolus, quia licet idolum sit aliquid materialiter, nihil tamen est formaliter, cum id repraesentet, quod nihil est, ac proinde falso. Cui loco alium similem adducit Hieronymus (*in cap.* 7. *Osee*), ad probandum, idolum nihil esse: nam (*Hester cap.* 14), secundum septuaginta dicitur: *Ne tradas sceptrum tuum his, qui non sunt*; id est, idolis. Atque hac ratione Eustachius (*in libr.* 11. *Odisseae*) idolum vocat imaginem inanem, qualis est quae cernitur in umbra hominis. Ex hoc igitur discrimine inter imaginem, et idolum, collige, quoties in Scripturis prohibentur fieri, aut coli sculptilia, sermonem esse de simulacris, quae homines, tanquam deos, venerabantur. Sed contra hanc solutionem insurgit Calvinus (*lib.* 1. *institut. cap.* 11. §. 9. *et* 10), ubi conatur ostendere, etiam Iudaeos, et Gentiles non habuisse simulacra pro diis, sed in simulacris Deum verum coluisse, et tamen reprehendi, quia Deus non patitur cultum suum ullo modo communicari cum imaginibus. Et certe si Deus non debet coli in imagine, eodem modo sancti, licet colendi essent, non essent tamen colendi in imaginibus. Quod Iudaei non habuerint simulacra pro diis, sed Deum verum in idolo coluerint, probat Calvinus, quia (*Exod. cap.* 32) populus dicebat de vitulo aureo: *Isti sunt dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti*: ubi fatentur, se in vitulo colere eum Deum, a quo fuerunt liberati de Ægypto, et ibidem Aaron indicturus diem festum in honorem vituli aurei, iussit praeconis voce dici: *Cras solemnitas Domini est*, et (*Iudic. cap.* 17) mulier quaedam ait: *Sanctificavi coram Domino mulie, et centum argenteos, ut faciam sculptile, atque conflatile.* Quod etiam Gentiles coluerunt Deum verum in idolis, probatur primo ex Augustino (*in Psal.*113), qui refert, Gentiles respondere solitos, cum accusabantur idololatriae, se non colere ipsa idola, sed numen, quod per idolum significabatur. Sed in hac solutione mentitur Calvinus multipliciter in caput suum: nam primo falsum est, quod Iudaei, et Gentiles non habuerunt simulacra pro diis, cum Iudaei (*Exod. cap.* 32) dixerint: *Fac nobis deos, qui nos praecedant, et isti sunt dii tui Israel*: et (*Iudic. cap.* 18): *Deos meos, quos mihi fecerant, abstulistis*: et (3. *Reg. cap.* 12) de duobus vitulis Ieroboam dicitur: *Ecce dii tui Israel.* Similiter Gentiles simulacra sua deos vocabant, ut satis clare indicant verba illa (*Daniel. cap.* 5): *Bibebant vinum, et laudabant deos, quos aureos, et argenteos, aereos, ligneosque, et lapideos.* Quibus persimilia sunt illa (*Sapient. cap* 13): *Appellaverunt deos opera manuum suarum.* Secundo falsum est, quod Iudaei, cum fecerunt vitulum aureum, non sint oblili Deum verum; nam plane e diametro pugnant verba Calvini cum verbis Scripturae: Calvinus enim (*lib.* 1. *cap.* 11. §. 9) sic ait: *Nec tamen incogitantes erant Iudaei, ut non meminissent, Deum esse, qui eos adduxerat de terra Ægypti.* At Scriptura (*Deuteron. cap.* 32): *Deum*, inquit, *qui te genuit, dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui*: et (*in Psal.* 105): *Fecerunt vitulum in Horeb, et adoraverunt sculptile, et obliti sunt Deum, qui salvavit eos, qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro*: et (*Ierem.* 2): *Ambulaverunt post vanitatem*, id est, post idola, *et non dixerunt, ubi est Dominus, qui ascendere nos fecit de terra Ægypti?* quid clarius? Tertio falsum est, quod Iudaei in omnibus suis idolis Deum unum, et verum colere voluerint; quia certe nulla causa reddi potest, cur potius vitulum fecerint, quam ovem, aut aliquid aliud, nisi quia assueti erant videre maximum Deum Ægyptiorum, qui est vitulus niger, albis maculis insignis, quem ipsi vocabant Apim, de quo Cicero (*lib.* 1. *de nat. deor.*), et Augustinus (*lib.* 18. *de civit. Dei cap.* 5), et scriptores omnes, Herodotus, Diodorus, Plutarchus, Plinius, Suidas, Eusebius. Iudaei ergo, quia viderant in Ægypto in summo honore vitulum, putaverunt ipsum Deum coeli esse vitulum illum, et ideo illi imaginem vituli statuerunt. Deinde, quia (*Iome cap. ultim.*) datur oplio Hebraeis, an velint servire diis alienis, quibus serviunt Thare, Hachor idololatrae, an idolis Amorrhaeorum, an Deo Israel: non ergo in idolis adorabant, vel putabant, se adorare Deum Israel. Nam aliqui potuissent respondere ineptam esse optionem illam, quandoquidem in ipsis idolis Amorrhaeorum, et Thare, et Hachor Deum verum colerent. Idem confirmatur (*ex* 3. *Reg. cap.* 18), ubi Elias dicit: *Usquequo claudicatis in duas partes: si Dominus est Deus, sequimini eum; si Baal est Deus, sequimini illum*: ubi clare opponitur Baal Deo vero. Quando ergo Iudaei colebant idolum Baal, certe non colebant Deum verum. Adde illud (*Deuteron. cap.* 32): *Immolaverunt daemoniis, et non Deo, diis, quos ignorabant.* Adde etiam, quod falso accusarentur Iudaei serviisse diis alienis, si in idolis semper coluissent Deum verum. Sed contra haec omnia obiectant Calvinistae, quia (*Exod. cap.* 32) dicitur: *Cras solemnitas Domini est*: et (*Iudic. cap.* 17): *Sanctificavi hoc argentum Domino, ut faciam idolum.* Ergo vere Iudaei in idolis suis Deum verum adorabant. Sed nihil obest hoc cavillum: nam Iudaei idololatriae nomen ipsum Domini idolo tribuebant, ut clare constat ex illo (*Sapient. c.* 14): *Incommunicabile nomen lapidibus, et lignis imposuerunt.* Nomine igitur Domini non intelligebant in illis locis verum, sed falsum. Sed urget adhuc Calvinus, Ethnicos, seu Gentiles idola deos esse putasse: sic enim ait (*lib.* 1. *cap.* 11. §. 9): *Nec ita stupidi fuisse Ethnici*

credendi sunt, ut non intelligerent, Deum alium esse, quam ligna, et lapides. Respondeo, quod licet aliqui non fuerint ita stupidi, ut putarent idola lignea, vel lapidea esse deos; tamen plurimi ita stupidi erant, ut vere crederent ipsa idola vivere, et sentire, et deos esse. Neque erat haec tanta stupiditas, quantam Calvinus videri vult, quia diaboli opera interdum idola movebantur, et loquebantur, et futura praedicebant, seu potius moveri, et loqui videbantur: nam revera diabolus ea movebat, et in eis loquebatur, sed populus credebat ipsa vere moveri, et loqui. Solita vero idola loqui patet ex capite 21. Ezech. et capite 10. Zachariae, et ex libr. 1. cap. ultim. Valerii Maximi; deinde omnes prophetae laborant, ut doceant, aurea et argentea non esse deos, ita Isaias (*cap.* 46), David (*Psalm.* 134), Habacuch (*cap.* 2), Baruch (*c.* 6), ubi habentur haec verba: *Unde notum sit vobis, quia non sunt dii;* stulti autem certe essent, si id refellere conarentur, quod nemo negaret. Accedit, quod (*Actor.* 19) de Paulo dicunt ethnici: *Paulus hic suadet dicens, quia non sunt dii, qui manibus fiunt.* Igitur illi putabant deos esse, quos industria manuum suarum fabricabant. Corruit ergo evasio Calvini.

§. III.

EX CHRISTI DOMINI EXEMPLO.

Secundo principaliter sacrarum imaginum usum mirifice obstruit, quod Christus Dominus illum approbaverit, imo et absque penicillo divina sua virtute effecerit, ac depinxerit: nam ut tradunt Borchardus (*1. part. cap.* 6. §. 8), et magister historiae Evangelicae cognomento Commestor, fugiens in Ægyptum ad Nili fluvium Christus infantulus, marmori a b. Virgine superpositus, ut madidae eius vestes exsiccarentur, marmori corpusculi sui figuram insculpsit, quae ad haec usque tempora ad Ægyptum peragrantibus cernitur. In Nazareth, dum pesthni Christi concives eum ducerent, ut e supercilio collis praecipitem deiicerent, ipse transiens per medium illorum ibat, et exiguo in loco delitescens, ibidem corporis sui figuram reliquit impressam: ut vero tradit Nicephor. Calist. (*lib.* 2. *hist. Eccles. cap.* 7), postquam Abagarus scripto suo persuaderet Christo, ut voluisset ad se venire, ipsumque, quo iam dudum affligebatur, inveterato morbo liberaret, non potuit desperato Iesu propter responsum acceptum adventu, quid caperet consilii incertus, eo tamen, quo in Christum tenebatur, desiderio perculsus, pictorem eximium ad eum misit, eique ut diligenter, et accurate faciem eius in pictura effingeret, imaginemque pro desiderato illo sibi adferret, imperavit: et ille quidem venit, atque in loco maiori stans, pingere Christi vultum, ut dicebat, conabatur. Quum vero coeptum opus non succederet, divinus quippe splendor, et gratia in vultu eius coruscans impedimento erat; re ea cognita, Salvator textum lineum petit, in eoque prius toto faciem suam exprimit, et ad Abagarum mittit. Hanc eandem historiam testantur Stephanus, et Adrianus Pontifices apud Ibonem (*4. part. sui decret. cap.* 83), et habetur etiam in libro Adriani de imaginibus non longe a principio (*in* 3. *tom. Conciliorum*): eandemque historiam refert Damascenus (*lib.* 4. *de fide cap.* 10. *et orat.* 1. *de imagin. circa finem*), et Evagrius (*lib.* 4. *histor. cap.* 26), deinde Adricomius (*in* 2. *part. descrip. Hierusalem num.* 44). Aliam imaginem vultus Christi ab ipso impressam in haec verba commemorat: *Veronica linteum capitis sui peplum dedit Christo, quo faciem suam tergeret, cui Dominus faciei suae imaginem perfecte impressit, eique in amoris sui pignus reddidit.* Quod in hodiernum usque diem Christi facie insignitum, Romae in sancti Petri Basilica in Vaticano, grandi honore asservatur, ac statis diebus populo ostenditur. Hanc autem historiam veram esse contestantur perplures graves auctores, Conradus Brunus (*libr.* 1. *de imagin. cap.* 13), Iulius Saliganus (*tom.* 8. *cap.*7), Rutilius Benzonius (*libr.* 1. *de fuga*), qui alio titulo dicitur speculum Episcoporum (*disputat.* 1. *quaest.* 2), Bredenbachius (*in descript. terrae sanctae*), Conradus Clingius (*libr. de locis commun. cap.* 70), Paschasius (*in description. terrae sanctae die* 20), Ioannes Echius (*de passione Christi articul.* 5. *consider.* 1), Paulus Grisaldus (*in decisionibus fid. catholicae verbo Imago*). Ad haec sacram suam effigiem, imo et totum corpus plagis laceratum Christus Dominus etiam mortuus impressit Syndone, quam mercatus fuit Ioseph ab Arimathea, ut habetur (*Marc. cap.*15), quae Syndon religiose asservatur a duce Sabaudiae, de cuius virtute, ac sacris arcanis, tam late, quam docte scripsere Alphonsus Paleottus Archiepiscopus Bononiensis (*libr. de stigmat. sacrae Syndoni impr.*), et eruditus eius commentator Daniel Malonius. Illud tamen obiter interrogarim, cur Christus corporis sui effigiem, in qua vulnera, cicatrices, flagellationes, ac praecipua passionis suae vestigia cernerentur, tam admirabili artificio in Syndone pinxit? Arbitror quidem, quia imperatores victoriarum suarum trophaea accurate pingi, et publice in foro exponi curarint: ita Messala princeps praelii sui summam, quo Carthaginienses, Hieronemque devicerat in Sicilia, proposuit in latere curiae Hostiliae: Lucius Scipio tabulam victoriae suae Asiaticae in Capitolio collocavit: ita Lucius Hostilius non solum victoriae suae labores pingit, sed etiam populo assistens declarat. Christus igitur tanquam strenuus Imperator, victoriae suae trophaea pingi, publiceque extolli, atque explicari voluit. Sed cur sanguine sui certaminis discrimina pingi placuit? puto, ni fallor, quia celebris picturarum accrescit fama, si optimis sint pictae coloribus: ideo pictores minio, cennabari, chrisocolla, sandice, sandoraca, indico purpureo, sexcentisque eiusdem generis coloribus utuntur; sed Christus sanguine suo pingit, quo celebriorem redderet suam imaginem. Accrevit Apelli hus, quod cum Alexandriam appulisset, ludibrioque ab eius urbis pictoribus ei diceretur, a rege invitatum esse ad prandium, ut cum ad convivium accederet, gravi cum temeritatis dedecore, quasi non invitatus repelleretur; exitum haud sperato similem res habuit: irruit ad regis mensam Apelles, hominis audaciam miratur rex, ut inde abscedat, imperat: temeritatis notam modeste purgat Apelles, se enim invitatum accessisse respondit. A quo sit invitatus, rex scisciitatur; tunc Apelles carbone ex igne arreplo, statim eius, a quo invitatus fuerat, imaginem tanto artificio expressit, ut miratus rex, maximo eum in honore deinceps haberet. Sed ecce plusquam Apelles, Christus Dominus, qui celeberrimam, nulloque saeculo interituram imaginem, non carbone, sed purpureo sanguinis sui atramento depinxit. Certe singulare pictoriae artis decus est, cum illi pictoris nomen non minorem, quam colorum nobilitas, linearum artificium, recessuum fucus conferat excellentiam. Imagini Rhodi muro effictae, Rhodum a Demetrii obsidione servanti, dignitatem contulit, non satyrus tibiis canens, non colorum valor, non pingendi artificium, sed Prothogenis pictoris fama. Quanta igitur erit sacrosanctae imaginis Syndone efficiae laus? quanta dignitas? quando eam non Apelles, non Talisus, non Zeuxis, non Prothogenes, sed qui Apelle melior, Taliso nobilior, Zeuxi famosior, Prothogene praestantior est Christus, splendor gloriae, et figura substantiae Patris, qui non satyrum, non canem, non equum, non aviculas, pictam uvam rostro invadentes, sed propriam sui corporis effigiem tanto mirabilius pinxit, quanto eam ad charitatis flammam in nobis accendendam, imo et ad animos nostros charitatis iaculis feriendos, fructuosius accommodavit? Sed et illud, quod valde miraculosum est in hac sacra Syndone, obiter etiam adnotandum, quod cum myrrha, tanquam pix, corpori linteamina agglutinet, ut Chrysostomus observavit (*homil.*8), necnon etiam aloe unguentum tetram iunrat maculam, et cum alioquin mixtura aromatum multa esset, quasi librarum centum, ut scribit Ioannes (*cap.* 19), nihilominus tamen haec omnia delere non potuerint effigiem vultus Christi Domini, et plagarum totius corporis. Ac tandem, ut ad id redeam unde nonnihil digressus sum, cum Christus ex Oliveti monte conscendit in coelum, lapidi, a quo divulsus ascendit, pedum suorum vestigia insculpta reliquit, ut testatur sanctus Paulinus Nolanus (*epist.* 11. *ad Severum*), et Borchardus (1. *part. capit.* 6.§.8); obvius deinde fugienti Petro Romae factus, in loco, qui dicitur Domine, quo vadis? extra portam Capenam, alias sancti Sebastiani, pedum suorum vestigia marmori reliquit impressa, quae hucusque Ecclesiam sancti Sebastiani extra urbis muros visitantibus, exponuntur. Cum ergo Christus Dominus has omnes, quas retulimus imagines, divina sua virtute confecerit, et Ecclesiae suae tanquam veneranda pignora reliquerit, impudens, et haereticus est, qui sacrarum usum imaginum detestatur: Catholici igitur Christo canamus:

Per tua corde meo Iesu pingatur imago,
Pinxisti hanc vivens, mortuus, et morieus:

Mortuus, involvunt munda quum Syndone corpus
Abagaro vivens, Veronicae morieus
Dulcis amor, Iesu, sunt haec clarissima signa,
Te velle in nostris cordibus imprimere.
Non lignum, aut marmor, non lanam, aut linfea quae-
Uniri quaeris viscera nostra tibi, (ris,
Una ergo nobis mens sit, sit spiritus unus,
Unum cor, unum pectus, et unus amor,

§. IV.

EX SACRIS CONCILIIS.

Pene innumera concilia tam Orientalia, quam Occidentalia eandem veritatem definierunt; praecipue tamen ad eam solum constabiliendam celebrata fuit 7. Synodus, ubi (*actione* 2), omissis multis aliis, haec habentur: *Ego sanctas imagines toto corde suscipio, non velut novum dogma, nuper inventum, sed clare cognoscens ex Apostolica traditione, sanctorumque doctorum in Ecclesia iussum per manum nobis traditum fuisse:* et (*ibidem*) dicitur: *Non est imaginum structura pictorum inventio, sed Ecclesiae catholicae probata legislatio, et traditio:* et (*action.* 7) assertio contraria damnatur, tanquam haeresis: et (*actio.* 2. *et* 3) habentur epistolae Synodicae, in quibus tota Ecclesia graeca, et latina in hac veritate conspirarunt: hanc 7. Synodum (*sess.*2) Nicaenam universalem, legitimamque fuisse constat, quia auctoritate Adriani I. 350. Patres ad illam convenerunt, et sub eius obedientia, ac praesidentibus eius legatis, processit, ac denique a Leone III. confirmata est, ut Photius, Proclus, et Platina contestantur, necnon, et Ivon. (4. *part. sui decreti capit.* 147): deinde habetur haec veritas in 6. Synodo (*Canon.* 73) Frolano, et (*Canon.* 82). Item in 8. Synodo (*canon.* 3) renovantur decreta 7. Synodi. In Occidente celebratum est Concilium Romanum sub Gregorio Tertio, quod quidem nationale fuit, sed concurrerunt ad id Concilium fere mille Episcopi, ut auctor est Sigibertus (*in Chronico*). In eo Concilio damnata est haeresis Iconomachorum, imagines e templis deturbantium, sub ipsis initiis huius contentionis. Celebratum est etiam Concilium tempore Stephani, et Caroli Magni pro eadem re, ut testatur Adrianus I. qui Stephano successit in libro pro imaginibus ad Carolum. Addo Concilium Florentinum (*sess.*5), ubi 7. Synodum confirmat, et Iconomachos impios appellat, et Synodum habitam in villa Gentiliacensi anno 1266. iuxta Sigiberium, vel 1267. iuxta Adonem: in ea de imaginibus actum, et admoniti Graeci, ut cum aliis piis sentire vellent, ut Paulus Æmilius testatur (*libro* 2). Quia tamen nimis onerosum esset, et legenti prolixum testimonia omnium Conciliorum ad verbum hoc loco transcribere, solum duo, quae iostar mille sunt, referam.

Primum est ex 2. Synodo Nicaena (*act.* 7) in definitione, quae in haec verba exclamavit: *Haec est fides Patrum, haec est fides orthodoxorum, haec fides orbem terrarum confirma-*

UNIVERSIDAD DE MONTERREY

vit. Credentes in unum Deum, in Trinitate laudatum, venerandas imagines amplexamur. Qui secus agunt, anathemate percelluntur. Qui sic non sentiunt, ab Ecclesia depelluntur. Nos antiquae Ecclesiae legislationi insistimus, nos decreta Patrum custodimus, nos adiirientes aliquid, aut auferentes Ecclesiae anathematizamus, nos venerandas imagines suscepimus. Nos qui secus fariunt, anathemate percellimus: quicunque sententias sacrae Scripturae de idolis contra venerandas imagines adducunt, anathema: qui dicunt, quod imagines Christiani, ut Deos, adorant, anathema: qui scientes communicant cum illis, qui contra venerandas imagines sentiunt, aut eas dehonestant, anathema: qui audent Ecclesiam catholicam dicere idola aliquando suscepisse, anathema; et in eadem Synodo 2. Nicaena (*act.* 3) approbantur litterae ab eadem Synodo Orientalium Episcoporum ad Tharasium patriarcham Constantinopolitanum, in quibus inter cetera haec habentur: *Sanctas imagines reveremur in principio adorantes Dei Verbi propter nos incarnati Domini nostri, et Servatoris Iesu Christi, qui formam servi adsumpsit imaginem. Veneramur etiam, et adoramus imaginem Deiparae, et Dominae nostrae irreprehensibilis, immaculatae et inexplicatae castitatis matris, quae divinum peperit. Quin etiam sanctorum Apostolorum, et victorum martyrum, sanctorumque, et beatorum, veluti amicorum Dei, imagines colimus, non in materia, aut coloribus honorem constituentes, sed per hoc officium nostrum, quod ipsis, quorum typum imagines gestant, debemus impartientes: cum sciamus iuxta Basilii Magni sententiam, quod imagini honor exhibitus, ad ipsum prototypum referatur*; haec ibi.

Secundum est ex Concilio Tridentino (*sess.* 25) in decreto de invocatione, veneratione, et reliquiis sanctorum, et sacris imaginibus; ubi haec verba habentur: *Docerant imagines Christi, Deiparae Virginis, et aliorum sanctorum in templis praesertim, et retinendas, eisque debitum honorem, et venerationem impertiendam: non quod credatur inesse aliqua in iis dicinitas, vel virtus, propter quam sint colendae, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentibus, quae in idolis spem suam collocabant: sed quoniam honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant: ita ut per imagines, quas osculamur, et coram quibus caput aperimus, et procumbimus, Christum adoremus, et sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, veneremur: id quod Conciliorum, praesertim vero secundae Nicaenae Synodi decretis contra imaginum oppugnatores est sanctum.*

Celerum ut haec firmiora sint, testimonia Conciliorum, quae in contrarium huius veritatis producunt haeretici, et referamus, ac diruamus. In primis nobis obiectant Concilium Francfordiense, quod licet imagines retinendas iudicaverit, eis tamen adorationem exhiberi prohibuit, et quoad hanc partem Synodum Nicaenam damnavit, quae praedictam adorationem approbaverat. Respondet illustrissimus cardinalis Bellarminus, concedens, Synodum Francfordiensem sese Nicaenae opposuisse, propter auctoritatem quorundam, quos ibi refert, qui eorum temporum historias scripserunt, idque dicit ex duplici errore, non iuris, sed facti processisse. Primo, quia putavit Synodum Nicaenam factam esse sine auctoritate Papae. Secundo, quia credidit, illam definiisse, imagines esse adorandas adoratione latriae, quod ipsa damnavit; in quo, inquit, non erravit in doctrina, sed solum in falsa existimatione, quam de Synodo Nicaena habuit. Sed, ut verum fatear, mihi difficile creditu est, Synodum Francfordiensem potuisse ex errore facti contra Nicaenam procedere, quia Nicaena Synodus paulo ante congregata fuerat confirmata. Legati autem eiusdem Adriani adfuerunt Concilio Francford., ut iidem auctores fatentur; qui ergo fit, ut tota illa Synodus Concilii Nicaeni auctoritatem, et doctrinam ignorare potuerit, cum a legatis Pontificis instrui posset? Multo autem incredibilius est, cognita per legatos auctoritate illius concilii, et Romani Pontificis approbatione, illud nihilominus damnasse, cum in eadem Synodo Francfordiensi, ut iidem auctores referunt, definitum sit, supremam definiendi auctoritatem, et approbandi Concilia, penes summum Pontificem residere. Quare quadrifariam respondendum duxi. Primo respondeo, nihil nobis obesse hanc haereticorum obiectionem, quia Centuriatores ipsi (*Cent.* 8. *cap.* 9) affirmant, illi Synodo Francford. non consensisse, sed potius repugnasse Adrianum Papam, et legatum eius; certum autem est, Synodum, cui repugnat Romanus Pontifex, nullius fuisse auctoritatis, ut patet, tum ex Gelasio in tomo de vinculis anathematis, tum experientia ipsa docente, nullam Synodum legitimam haberi, cui Romanus Pontifex repugnat. Secundo respondeo, quod licet permulti historiographi referant, illud Concilium Francfordiense fuisse coactum tempore Adriani, eiusque auctoritate contra errorem Elipandi de filiatione adoptiva; tamen, quod in eo Concilio aliquid actum sit de imaginibus, non constat; et (*in* 3. *tom. Concil.*) eam partem nunc habemus, quae filiationem Christi naturalem definit; de imaginibus vero nihil extat: et quod admiratione dignum est, Ionas Aurelianensis auctor fere illorum temporum (*l.* 11. *de imag.*), in principio huius Concilii, et erroris Elipandi mentionem faciens, de imaginibus prorsus tacet: et d. Antoninus (2. *part. tit.* 14. *cap.* 1. § 6) in eodem Concilio dicit, fuisse damnatum eumdem errorem Francfordiensem de filiatione adoptiva; nihil vero dicit ibi fuisse tractatum de imaginibus, quas ab Adriano 1. dicit fuisse defensas. Tertio respondeo, prout respondent Alanus Copus (*l. Dial.* 4. *cap.* 18, *et* 19, *et Dial.* 5. *cap.* 12, *et* 13), et brevius Surius (*tom.* 3. *Concil. in praef. ad Synod. Francf.*), hunc scilicet errorem falso fuisse impositum huic Synodo: nam illa potius defendit honorem imaginum, et non veram septimam esse Synodum, sed pseudosynodum Constantinopolitanam, quam Graeci interdum septimam vocabant, reprobavit. Quod primum probo ex Concilio Senensi, in decretis fidei (*cap.* 13) dicente, Carolum Magnum in Francfordiensi conventu erroris Iconomachorum suppressisse insaniam. Secundo, quia Paulus Æmilius (*lib.* 2. *de gest. Franc. prop. fin.*) dicit, Concilium illud fuisse congregatum contra Graecos, imagines damnantes, et imaginibus, inquit, suus honor servatus est; et idem dicit Blondus (*lib.* 1. *decad.* 2), et Sabellicus (*lib.* 8. *Ænead.* 8), et Platina (*in vit. Adrian.*), ubi sic ait: *Biennio post Theophilus, et Stephanus Episcopi insignes, Adriani Nomine Francorum, et Germanorum Synodum habuere, in qua et Synodus, quam Graeci appellabant, et haeresis de tollendis imaginibus damnata est.* Et Gallisarius Arelatanus (*in Chron. ann.* 816. *in Carol. Magn.*) dicit, in eo Concilio damnatos fuisse Graecos, et imagines restitutas. Non est igitur verisimile, quod huic Synodo imponitur. Quamquam si ipsa errasset, non posset eius auctoritas in hac parte cum auctoritate Concilii Nicaeni comparari, cum in eam Romana Sedes nunquam consenserit, quae alteram Synodum approbavit: de libris autem illis, Carolo Magno falso impositis, nihil curandum est, quia neque a Carolo scripti sunt, et prout nunc extant, non constat, an sint admodum antiqui; immo ab alio haeretico existimantur conficti, prout scripti fuerunt tempore Adriani I. ab eodem satis confutati sunt, ut (*in* 3. *tom. Concil.*) habetur. Quarto respondeo, quod licet Concilium Francfordiense fuerit legitimum, fuit tamen particulare, cum Papa Adrianus, et legati eius ei non subscripserint, ut et ipsi haeretici Centuriatores fatentur: Synodus vero Nicaena Generale, et plenarium Concilium fuit; est autem regula divi Augustini (*lib.* 2. *de bapt. cap.* 3), concilia particularia plenariis sine dubitatione cedere debere; qua etiam ratione respondetur ad aliud Concilium Constantinopolitanum, quod haeretici obiectant, in quo imagines abolentur: illud enim plane fuit particulare sub Constantino Coprouymo, cum ad illud non fuerint vocati, nec adfuerint, nec per se, nec per legatos Pontifex Romanus, nec etiam Alexandrinus Antiochenus, et Hierosolymitanus Patriarchae, sed solus Pseudo Episcopus, quem haeretici, deposito sancto Germano, indigne patriarcham fecerant, ut testantur Cedrenus, et Zonaras in vita Constantini Coproniymi, imo et ipsi etiam haeretici Magdeburgenses fatentur (*Centur.* 8. *cap.* 9), necnon et Paulus Diaconus, qui tunc vivebat (*lib.* 22. *rer. Roman.*). Ubi obiter adnotandum censui, Concilium istud Constantinopolitanum falso vocari Ephesinum tertium a multis recentioribus, ut ab eo, qui edidit concilia in quadam admonitione praemissa 7. Synodo, et ab auctore summae Conciliorum in principio 7. Synodi a Sixto Senensi (*l.* 5. *biblioth. sanct. ann.* 247), et ab aliis. Causa erroris fuit, quod Concilio isti praesedit Atheodosius Episcopus Ephesinus: nam quod vere non Ephesi, sed Constantinopoli habitum sit, patet ex omnibus antiquis historicis, et ex ipso Concilio, quod insertum habetur (*act.* 6. *Nic. Conc.*).

Ad extremum obiiciunt iidem haeretici, Concilium Ilibertinum, in quo apertissime prohibetur imaginum usus. Huic Concilio ut satisfaciant doctores, in varias sententias abierunt. Quidam enim dicunt prohibuisse, ne imagines ritu Gentilitio adorarentur; alii, quod solum prohibet imagines Dei, eo quod eum purus spiritus non sit figurabilis, ut est in seipso, sed ut plurimum per quandam analogiam ad alia. Magister autem Canus (*l.* 5. *de loc. c.* 4) non dubitavit dicere Concilium illud errasse, provinciale enim erat, non generale. Sed haec omnia plane mihi videntur absque fundamento dicta: verba enim illius canonis, quae (*in* 1. *tom. Conc.*), et de consecratione (*dist.* 4. *cap. placuit*), et in decreto Ivon (3. *part. cap.* 40) habentur, haec sunt: *Placuit, in Ecclesia picturas esse non debere, ne quod colitur et adoratur, in parietibus depingatur.* Ex quibus verbis non obscure colligitur, ibi non prohiberi imagines simpliciter, sed ne in parietibus Ecclesiarum depingerentur. Quae lex potuit eo tempore expedire, fuit enim illud Concilium circa tempora Concilii Nicaeni, quando idololatria adhuc vigebat, unde facile accidere poterat, ut imagines sanctorum in parietibus depictae ab infidelibus irreverenter tractarentur. Ita respondet Alanus (*dial.* 5. *cap.* 16), Sanderus (*lib.* 2. *cap.* 4), Ayla (*lib. de tradit.* 3. *part. de antiqu. imag.*), qui aliam rationem illius decreti subiungit, scilicet quia imagines in parietibus depictae facile deformantur. Quia vero hoc incommodum diligentia evitari potest, et antiqua illa necessitas iam cessavit; ideo decretum illud usu abrogatum est. Et in septima Synodo huiusmodi imagines in parietibus depictae admittuntur.

§. V.

EX ANTIQUISSIMAE ECCLESIAE TRADITIONE, ET CONSUETUDINE.

Angelicus Doctor (3. *part. quaest.* 25. *art.* 3) usum imaginum Christi censet haberi ex traditione Ecclesiae: verba eius sunt haec: *Dicendum, quod Apostoli familiari instinctu Spiritus sancti, quaedam Ecclesiis tradiderunt servanda, quae non reliquerunt in scriptis, sed in observatione Ecclesiae per successionem fidelium.* Unde ipse Apostolus dicit (2. *ad Thess.* 2): *State et tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, scilicet ore probatum, sive per epistolam, scilicet, scripto transmissum. Inter huiusmodi autem traditiones, est imaginum Christi adoratio. Unde et b. Lucas dicitur depinxisse Christi imaginem quae Romae habetur*; hactenus d. Thomas: idipsum fatetur (*in* 3. *dist.* 9. *art.* 2. *ad* 42) dicens: *Inter multa, quae Apostoli tradiderunt quae scripta non sunt in Canone, unum est de usu imaginum.* Imo non desunt, qui putent, adeo antiquum imaginum usum fuisse, ut a tempore Enos inceperit. Lipomanus enim super Genesim exponens verba illa (*cap.* 4) Enos coepit invocare nomen Domini, sic loquitur: *Primus invocare coepit nomen Domini Enos, quia secundum aliquos, primus invenit imagines quasdam, per quas orationis devotio excitaretur; vel quia eius tempore instauratus est Dei cultus, ritusque coepit ceraemoniis Deum colere.*

Deinde communis, et receptissima est tra-

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN

ditio imaginum Christi, quas Nicodemus fecit; praecipue tamen auctor Supplementi Chronicorum (*l.8*) affirmat, quod ille clavos, lanceam, ac linteamina, et passionis Christi instrumenta diligenter servavit, et ad exemplar imaginis Christi in linteaminibus sepulcralibus impressae, ipse Christi imaginem exsculpsit, quam imaginem quidam esse volunt eam, quae nunc in civitate Lucensi, maxima confluentium frequentia, colitur: etenim Mallovius (*de fratr. stigm. synd. Christ. cap 2. num.15*) refert, quod quidam Episcopus e Galilaea praedictam imaginem in navigio deportavit, multis cum luminaribus, sed sine ullo custode divinae providentiae illam commisit, quae navis ad Lucensem portum devenit; tuncque per angelum admonitus Lucensis Episcopus, imaginem currui magnifico imposuit, locumque sibi ipsa imago invenit Lucae, ubi magnifico templo extructo, singulari pietate, ut diximus, colitur. Habemus deinde ex antiquis historiis, Silvestrum Papam imagines Petri, et Pauli, quas apud se habebat, Constantino Imperatori ostendisse, quibus ille cognovit eosdem esse, qui sibi in visione apparuerant: ita refert Nicephorus (*l. 7. hist.cap. 33*), et in edicto Constantini, quod (*in 1. tom. Concil.*) habetur, ubi etiam dicitur eosdem Silvestrum, et Constantinum, variis aedificatis templis, in eis multas imagines posuisse, quas sequentes Pontifices imitati sunt, ut ex Damaso, Platina, et aliis, qui vitas Pontificum scripserunt, constat: meminit etiam Eusebius (*lib. 1. hist. cap. ult. et lib.7. cap.14*) imaginem Petri, et Pauli, quibus fere a principio Ecclesia Romana usa est.

Patet haec eadem traditio ex antiquorum Patrum scriptis, Dionysii, Athanasii, Basilii, Chrysostomi, et aliorum, quorum testimonia in 7. Synodo (*Actor. 3. 4. 5*) magna ex parte referuntur: plura etiam congessit Damascenus (*orat 1 et 3. de imag.*), qui etiam (*lib. 4. de fid. cap. 16*): *Statuas*, inquit, *Sanctorum erigimus, et visibiles imagines.* Et Augustinus (*libr. 10. confess. cap. 34*) reprehendit picturas, quando in eis non servatur usus necessarius, et pia significatio: et (*lib. 1. de cons. Evang. cap. 10*) satis significat, suo tempore fuisse in usu imagines Petri, et Pauli; et (*lib. 20. contr. Faust. cap. 73*) idem habet de imagine Abrahae, filium sacrificare volentis (*lib. 5. contr. Iulian.*). Similia docet de imaginibus Adae, et Evae Gregorius (*l.9.epist.9*). Hanc eandem traditionem, et consuetudinem Ecclesiae probat antiquissimus usus imaginum, qui semper viguit in Ecclesia: nam in secunda actione secundae Synodi Nicaenae epistola Synodica Adriani Pontifici Romano ad Constantinum Imperatorem, et Irenem eius matrem, inter cetera in hunc modum ait: *Hi Principes Apostolorum sunt*, Petrum, et Paulum intelligit, *qui catholicam orthodoxam fidem auspicati per scripta quidem, veluti legibus latis, fidem suam servandam praeceperunt, omnibus scilicet qui in sedes illorum successuri erant, et in fide eorum usque ad consummationem saeculi permansuri, atque ita nostra servat Ecclesia, et sanctas eorum figuras veneratur. Unde in hunc usque diem venerandis horum imaginibus ecclesiae nostrae ornatae ac conspicuae sunt, quemadmodum sanctissimus, et beatissimus Papa Silvester in principio Christianorum nostrorum orthodoxa fide testatur.* Callistus III in quodam diplomate, quod in Ecclesia Caesaraugustana asservatur, et Vasaeus in Annalibus rerum Hispan. et noster Pineda (*in Monarchia lib. 10. cap. 2. §. 4*) meminerunt camerae angelicae, quam fabricavit d. Iacobus, a quo tempore extat imago Dei Genitricis posita super basim petream, in qua Deipara apparuit b. Iacobo Apost. et cardinalis Iacobus de Vitriaco (*in sua Orientali hist. cap.44*), nec non Raphael Volaterranus (*lib. 11*) commemorant aliud sacellum a divo Petro extructum, in honorem Dei parentis, in quo locata erat eius imago. Nicephorus (*lib. 15. cap. 14*) tradit Pulcheriam Augustam templum condidisse Constantinopoli, in quo religiose locavit effigiem Deiparae, a s. Luca depictam, quam e Hierosolymis ad eam miserat Eudoxia. Tertullianus (*in l. de pudic. ante med.*) his testatur, in sacris calicibus Ecclesiae catholicae depictum fuisse Christum in forma pastoris oberrantem suis humeris ovem reportantis ad ovile. S. Damasus in vita Silvestri scribit, Constantinum in loco, ubi fuerat baptizatus, posuisse agnum ex auro purissimo, ad dexteram agni statuam argenteam Ioannis Baptistae. In Ecclesia autem ipsa Lateranensi posuisse imagines argenteas Salvatoris Apostolis duodecim, et angelis quatuor. In 7. Synodo (*Act. 6*) refertur, quemadmodum discipuli s. Epiphanii templum Epiphanio erexerunt, ac imaginem eiusdem in eo posuerunt: d. Athanasius in libello de passione imaginis Domini nostri Iesu Christi, qualiter crucifixa est in Syria, in urbe Beryto, ait: *Postquam curati sunt, per unctionem sanguinis qui ex imagine fluxerat, cuncti, qui aegritudine detinebantur, cucurrit omnis multitudo Iudaeorum ad domum s. Ecclesiae; quae in eadem urbe erat, ubi et Metropolitanum invenerunt, cuius provoluti vestigiis, se peccasse, et graviter deliquisse, magnis vocibus fatebantur: is eum ab eis perquireret omnem rei gestae veritatem, sanctam Iconem Domini Salvatoris eidem demonstrantes, annunciaverunt cuncta, quae in ea exercuerant, et qualiter ab ictu lanceae sanguis, et aqua emanarit ex latere ipsius, nec non et de mirabilibus ab ea ostensis, ipsi retulerunt per ordinem: ille vero interrogabat qualiter Icon ipsa ab eis fuisset reperta, et si ab aliquo eam accepisset; at illi retulerunt ei, quod quidam Christicola, per oblivionem, in cellula Synagogae proxima, dimisisset eandem Iconem, dum se ad alium locum transferret, hospitandi gratia, qui statim iubetur inquiri, et repertus, in praesentia Domini Metropolitani statuitur; cumque ab eo studiosissime fuisset interrogatus, quomodo Icon apud se devenisset, vel a quo tam mirabiliter posita esset, respondit dicens, quod Nicodemus qui ad Iesum nocte venerat, propriis manibus eam composuisset, et moriens Gamalieli tradidisset. Gamaliel autem doctoris Gentium Pauli magister cum diem sibi cerneret adesse extremum, Iacobo eam reliquit, et Iacob Simeoni, et Simeon Zachaeo, et sic per successiones temporum in Hierosolyma perduravit usquequo sub-*

versio illius urbis patrata est quadragesimo et tertio anno post Ascensionem Domini ad coelos; sed biennio antequam Titus, et Vespasianus eandem subverterent Urbem, admoniti sunt a Spiritu sancto fideles, atque discipuli Christi ut relicta urbe ad regnum se transferrent Agrippae regis, quia ipse tunc Agrippa Romanis foederatus erat. Qui egressi ab urbe, omnia, quae ad cultum nostrae religionis, vel fidei pertinere videbantur, secum auferentes in has regiones se transtulerunt; quo tempore etiam Icon cum ceteris rebus Ecclesiasticis deportata, usque hodie in Syria permansit, quam ego ipse a parentibus ex hac luce migrantibus mihi traditam iure haereditario usque nunc possedi. Haec certa et manifesta ratio est de Icone sancta Domini Salvatoris, qualiter de Iudaea in Syriae partes devenit. D. Basilius (*orat. in S. Barlaam, in fine*) in ipsa concione ostendit imaginem s. Barlaam alicubi in templo depictam, et ait gaudere se, quod melius pictores expresserint manum eius, pro Christo combustam, quam ipse oratione descripserit: *Ab eo*, inquit, *fortium martyris sanctorum pictura, a vobis superatus; gaudeo, tali vestrae fortitudinis victoria, hodie victus. Video manus ad ignem luctam exactius a vobis descriptam, video luctatorem in vestra imagine illustrius depictum.* Evodius (*lib. 2. de mirac. S. Stephani*) scribit, in Ecclesia, ubi reliquiae s. Stephani servabantur, fuisse quoque imaginem eiusdem Martyris depictam, ad quam visendam frequentes homines concurrere soliti erant. Et d. Damascenus (*li. 4. de fide ca. 17*) aperte docet, cultum crucis, et imaginum, esse Apostolicam traditionem: quae omnia cum ita sint, revocate quaeso in memoriam verba d. Pauli (*2.ad Thessal.2.*): *Ecce fratres state et tenete traditiones nostras, quas edocti estis, sive per epistolam, etc.* et (*1. ad Cor. 11*): *Laudo vos fratres, quia per omnia mei meministis, et sicut tradidi vobis, traditiones tenete.*

§. VI.

EX MIRACULIS VALDE AUTHENTICIS.

Illud sane mirifice adstruit et constabilit veritatem catholicam de cultu et veneratione imaginum, quod Deus propter earum cultum solitus est stupenda miracula patrare. Certum autem est, auctorem veritatis non posse miraculis approbare mendacium, et superstitionem; vera autem fuisse haec miracula nemo absque ingenti temeritate inficiari potest, cum illa referant sanctissimi Patres, Damascenus (*orat.1. et 3.de imagin.*), Athan. (*l.de Passion.*), imo et 7. Synodus (*Act. 4. et 5*), et alii permulti, quos molestum esset percensere: solum ad exemplificandum nonnulla illorum, quae illi commemorant, hic apponam. Ex antiqua traditione habetur, mulierem illam, quam Christus a fluxu sanguinis liberavit, in memoriam tanti beneficii, imaginem seu statuam Salvatoris Caesareae erexisse. Refert id Eusebius (*libr. 7. histor. capit. 14*), ubi addit iuxta illam imaginem nasci solitam herbam, quae cum primum fimbriam imaginis attingebat, similem morbum curabat. Quam historiam recipit etiam dicta 7. Synodus (*4. in epistol. Germani Patriarchae Constantinopol. circa finem*), eiusdem meminit Nicephorus (*lib. 6. hist. cap. 15*), et Damascenus (*orat. 3. de imaginibus circa medium*), et Theophylactus (*sup. Matth. 9*). Indicat autem Ambrosius (*libr. de Salomone ca. 5*), mulierem illam fuisse Martham, quod ex Eusebio colligi non potest: solum dicit ex illa civitate Caesareae fuisse oriundam, et prae foribus domus suae illam statuam aeneam posuisse. Addit Sozomenus (*lib. 5. hist. cap. 20*) de eadem imagine aliud miraculum, quod videlicet, cum Iulianus Apostata statuam Christi inde amovisset, et suam in eodem loco posuisset, mox ignis de coelo statuam Iuliani discerpsit, et caput a reliquo corpore divulsit, plane ad eum modum, quo olim accidit idolo Dagon (*1. Regum 5*): d. Athanasius (*de Pass. imag. Dom. capit. 2*) refert, effigiem Salvatoris a Nicodemo fabricatam, cum a Iudaeis sacrilego ausu fuerit percussa, sanguinem emisisse, cuius rei mentionem faciens 2. Synodus Nicaena (*act.4*) ait: *Ex imaginis latere exivit sanguis et aqua.* Deinde Evagrius scribit (*lib. 4. histor. ca. 26*), Procopius (*de bello Persico*), Zonaras (*tomo 3.annalium in Roma Lucapet.*), lege Covarr. (*libr. 4. var. resol. capit. 17. nu. 11*), et Nicephorum (*li. 2. hist. c. 17. et li. 17. c. 16*), quod Edessena civitas ab imagine Salvatoris, quam linteo impressam Abagaro miserat Christus, saepius ab incendio fuit liberata; imo et Romae Lateranensis tholus, tribunam appellant alii, in qua Salvatoris imago, quae Romano populo apparuit, adhaesit septies ab incendii exarsione, qua reliquum Ecclesiae corpus conflagravit, immunis servata fuit.

Per effigiem etiam Christi Domini in sacra Syndone impressa, quae Taurini asservatur, quot miracula fuerunt patrata, monumenta extant atque testimonia omni exceptione maiora; illud tamen singularissimum referam, quod mediis cincta flammis quodammodo ardens non comburebatur; cuius quidem miraculi magnitudinem, et praestantiam, quoties mecum ipse tacitus contemplor, totius mystici illius rubi memoria obrepit, qui Moysi non sine summa admiratione ardere videbatur, nec tamen absumi (*Exod. ca. 3*). Circa hoc miraculum haec declarabuntur, quo tempore, et quam grave acciderit incendium; tum cur sacra Syndon non exarserit, indicabitur. Ut igitur tanti incendii fideliter explicetur atrocitas, describantur hoc loco, quae memoriae prodidit de s. Cappellae exarsione Pingonius: ita enim scribit in sua Evangelica Syndone: *Sed dira bellorum praesagia ann. 1532. demonstrata sunt, cum 6. Nonas Decemb. Barbarae Virginis festo die, nocte media nox illabente illud sacellum, in quo Syndon reponebatur, flammis incognitis exarsit. Accurrebant omnes, sed omnium diligentissimus Filbertus Lambertus ducis a clavibus et consiliis, adscito secum ferrario fabro Gulielmo Pussodo nomine, et Franciscanis ducibus imperterrito animo, per medios ignes gradiuntur, can-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

ditio imaginum Christi, quas Nicodemus fecit; praecipue tamen auctor Supplementi Chronicorum (*l.*8) affirmat, quod ille clavos, lanceam, ac linteamina, et passionis Christi instrumenta diligenter servavit, et ad exemplar imaginis Christi in linteaminibus sepulcralibus impressae, ipse Christi imaginem exsculpsit, quam imaginem quidam esse volunt eam, quae nunc in civitate Lucensi, maxima confluentium frequentia, colitur: etenim Mallovius (*de festr. stigm. synd. Christ. cap* 2. *num.*15) refert, quod quidam Episcopus e Galilaea praedictam imaginem in navigio deportavit, multis cum luminaribus, sed sine ullo custode divinae providentiae illam commisit, quae navis ad Lucensem portum devenit; tuncque per angelum admonitus Lucensis Episcopus, imaginem curru magnifico imposuit, locumque sibi ipsa imago invenit Lucae, ubi magnifico templo extructo, singulari pietate, ut diximus, colitur. Habemus deinde ex antiquis historiis, Silvestrum Papam imagines Petri, et Pauli, quas apud se habebat, Constantino Imperatori ostendisse, quibus ille cognovit eosdem esse, qui sibi in visione apparuerant: ita refert Nicephorus (*l.* 7. *hist.cap.* 33), et in edicto Constantini, quod (*in* 1. *tom. Concil.*) habetur, ubi etiam dicitur eosdem Silvestrum, et Constantinum, variis aedificatis templis, in eis multas imagines posuisse, quas sequentes Pontifices imitati sunt, ut ex Damaso, Platina, et aliis, qui vitas Pontificum scripserunt, constat: meminit etiam Eusebius (*lib.* 1. *hist. cap. ult. et lib.*7. *cap.*14) imaginem Petri, et Pauli, quibus fere a principio Ecclesia Romana usa est.

Patet haec eadem traditio ex antiquorum Patrum scriptis, Dionysii, Athanasii, Basilii, Chrysostomi, et aliorum, quorum testimonia in 7. Synodo (*Actor.* 3. 4. 5) magna ex parte referuntur: plura etiam congessit Damascenus (*orat* 1 *et* 3. *de imag.*), qui etiam (*lib.* 4. *de fid. cap.* 16): *Statuas,* inquit, *Sanctorum erigimus, et visibiles imagines.* Et Augustinus (*libr.* 10. *confess. cap.* 34) reprehendit picturas, quando in eis non servatur usus necessarius, et pia significatio: et (*lib.* 1. *de cons. Evang. cap.* 10) satis significat, suo tempore fuisse in usu imagines Petri, et Pauli; et (*lib.* 20. *contr. Faust. cap.* 73) idem habet de imagine Abrahae, filium sacrificare volentis (*lib.* 5. *contr. Iulian.*). Similia docet de imaginibus Adae, et Evae Gregorius (*l.*9. *epist.*9). Hanc eandem traditionem, et consuetudinem Ecclesiae probat antiquissimus usus imaginum, qui semper viguit in Ecclesia: nam in secunda actione secundae Synodi Nicaenae epistola Synodica Adriani Pontifici Romano ad Constantinum Imperatorem, et Irenem eius matrem, inter cetera in hunc modum ait: *Hi Principes Apostolorum sunt*, Petrum, et Paulum intelligit, *qui catholicam orthodoxam fidem auspicati per scripta quidem, veluti legibus latis, fidem suam servandam praeceperunt, omnibus scilicet qui in sedes illorum successuri erant, et in fide eorum usque ad consummationem saeculi permansuri, atque ita nostra servat Ecclesia, et sanctas eorum figuras veneratur. Unde in hunc usque diem venerandis horum imaginibus ecclesiae nostrae ornatae ac conspicuae sunt, quemadmodum sanctissimus, et beatissimus Papa Silvester in principio Christianorum nostrorum orthodoxa fide testatur.* Callistus III in quodam diplomate, quod in Ecclesia Caesaraugustana asservatur, et Vasaeus in Annalibus rerum Hispan. et noster Pineda (*in Monarchia lib.* 10. *cap.* 2. §. 4) meminerunt camerae angelicae, quam fabricavit d. Iacobus, a quo tempore extat imago Dei Genitricis posita super basim petream, in qua Deipara apparuit b. Iacobo Apost. et cardinalis Iacobus de Vitriaco (*in sua Orientali hist. cap.*14), nec non Raphael Volaterranus (*lib.* 11) commemorant aliud sacellum a divo Petro extructum, in honorem Dei parentis, in quo locata erat eius imago. Nicephorus (*lib.* 15. *cap.* 14) tradit Pulcheriam Augustam templum condidisse Constantinopoli, in quo religiose locavit effigiem Deiparae, a s. Luca depictam, quam e Hierosolymis ad eam miserat Eudoxia. Tertullianus (*in l. de pudic. ante med.*) his testatur, in sacris calicibus Ecclesiae catholicae depictum fuisse Christum in forma pastoris oberrantem suis humeris ovem reportantis ad ovile. S. Damasus in vita Silvestri scribit, Constantinum in loco, ubi fuerat baptizatus, posuisse agnum ex auro purissimo, ad dexteram agni statuam argenteam Ioannis Baptistae. In Ecclesia autem ipsa Lateranensi posuisse imagines argenteas Salvatoris Apostolis duodecim, et angelis quatuor. In 7. Synodo (*Act.* 6) refertur, quemadmodum discipuli s. Epiphanii templum Epiphanio erexerunt, ac imaginem eiusdem in eo posuerunt: d. Athanasius in libello de passione imaginis Domini nostri Iesu Christi, qualiter crucifixa est in Syria, in urbe Beryto, ait: *Postquam curati sunt, per unctionem sanguinis qui ex imagine fluxerat, cuncti, qui aegritudine detinebantur, cucurrit omnis multitudo Iudaeorum ad domum s. Ecclesiae; quae in eadem urbe erat, ubi et Metropolitanum invenerunt, cuius provoluti vestigiis, se peccasse, et graviter deliquisse, magnis vocibus fatebantur: is eum ab eis perquireret omnem rei gestae veritatem, sanctam Iconem Domini Salvatoris eidem demonstrantes, annunciaverunt cuncta, quae in ea exercuerant, et qualiter ab ictu lanceae sanguis, et aqua emanarit ex latere ipsius, nec non et de mirabilibus ab ea ostensis, ipsi retulerunt per ordinem: ille vero interrogabat qualiter Icon ipsa ab eis fuisset reperta, et si ab aliquo eam accepisset; at illi retulerunt ei, quod quidam Christicola, per oblivionem, in cellula Synagogae proxima, dimisisset eandem Iconem, dum se ad alium locum transferret, hospitandi gratia, qui statim iubetur inquiri, et repertus, in praesentia Domini Metropolitani statuitur; cumque ab eo studiosissime fuisset interrogatus, quomodo Icon apud se devenisset, vel a quo tam mirabiliter posita esset, respondit dicens, quod Nicodemus qui ad Iesum nocte venerat, propriis manibus eam composuisset, et moriens Gamalieli tradidisset. Gamaliel autem doctoris Gentium Pauli magister cum diem sibi cerneret adesse extremum, Iacobo eam reliquit, et Iacob Simeoni, et Simeon Zachaeo, et sic per successiones temporum in Hierosolyma perduravit usquequo subversio illius urbis patrata est quadragesimo et tertio anno post Ascensionem Domini ad coelos; sed biennio antequam Titus, et Vespasianus eandem subverterent Urbem, admoniti sunt a Spiritu sancto fideles, atque discipuli Christi ut relicta urbe ad regnum se transferrent Agrippae regis, quia ipse tunc Agrippa Romanis foederatus erat. Qui egressi ab urbe, omnia, quae ad cultum nostrae religionis, vel fidei pertinere videbantur, secum auferentes in has regiones se transtulerunt; quo tempore etiam Icon cum ceteris rebus Ecclesiasticis deportata, usque hodie in Syria permansit, quam ego ipse a parentibus ex hac luce migrantibus mihi traditam iure haereditario usque nunc possedi. Haec certa et manifesta ratio est de Icone sancta Domini Salvatoris, qualiter de Iudaea in Syriae partes devenit.* D. Basilius (*orat. in S. Barlaam, in fine*) in ipsa concione ostendit imaginem s. Barlaam alicubi in templo depictam, et ait gaudere se, quod melius pictores expresserint manum eius, pro Christo combustam, quam ipse oratione descripserit: *Ab eo*, inquit, *fortium martyris sanctorum pictura, a vobis superatus; gaudeo, tali vestrae fortitudinis victoria, hodie victus. Video manus ad ignem luctam exactius a vobis descriptam, video luctatorem in vestra imagine illustrius depictum.* Evodius (*lib.* 2. *de mirac. S. Stephani*) scribit, in Ecclesia, ubi reliquiae s. Stephani servabantur, fuisse quoque imaginem eiusdem Martyris depictam, ad quam visendam frequentes homines concurrere soliti erant. Et d. Damascenus (*li.* 4. *de fide ca.* 17) aperte docet, cultum crucis, et imaginum, esse Apostolicam traditionem: quae omnia cum ita sint, revocate quaeso in memoriam verba d. Pauli (2. *ad Thessal.* 2.): *Ecce fratres state et tenete traditiones nostras, quas edocti estis, sive per epistolam*, etc. et (1. *ad Cor.* 11): *Laudo vos fratres, quia per omnia mei meministis, et sicut tradidi vobis, traditiones tenete.*

§. VI.

EX MIRACULIS VALDE AUTHENTICIS.

Illud sane mirifice adstruit et constabilit veritatem catholicam de cultu et veneratione imaginum, quod Deus propter earum cultum solitus est stupenda miracula patrare. Certum autem est, auctorem veritatis non posse miraculis approbare mendacium, et superstitionem; vera autem fuisse haec miracula nemo absque ingenti temeritate inficiari potest, cum illa referant sanctissimi Patres, Damascenus (*orat.*1. *et* 3. *de imagin.*), Athan. (*l. de Passion.*), imo et 7. Synodus (*Act.* 4. *et* 5), et alii permulti, quos molestum esset percensere: solum ad exemplificandum nonnulla illorum, quae illi commemorant, hic apponam. Ex antiqua traditione habetur, mulierem illam, quam Christus a fluxu sanguinis liberavit, in memoriam tanti beneficii, imaginem seu statuam Salvatoris Caesareae erexisse. Refert id Eusebius (*libr.* 7. *histor. capit.* 14), ubi addit iuxta illam imaginem nasci solitam herbam, quae cum primum fimbriam imaginis attingebat, similem morbum curabat. Quam historiam recipit etiam dicta 7. Synodus (4. *in epistol. Germani Patriarchae Constantinopol. circa finem*), eiusdem meminit Nicephorus (*lib.* 6. *hist. cap.* 15), et Damascenus (*orat.* 3. *de imaginibus circa medium*), et Theophylactus (*sup. Matth.* 9). Indicat autem Ambrosius (*libr. de Salomone ca.* 5), mulierem illam fuisse Martham, quod ex Eusebio colligi non potest: solum dicit ex illa civitate Caesareae fuisse oriundam, et prae foribus domus suae illam statuam aeneam posuisse. Addit Sozomenus (*lib.* 5. *hist. cap.* 20) de eadem imagine aliud miraculum, quod videlicet, cum Iulianus Apostata statuam Christi inde amovisset, et suam in eodem loco posuisset, mox ignis de coelo statuam Iuliani discerpsit, et caput a reliquo corpore divulsit, plane ad eum modum, quo olim accidit idolo Dagon (1. *Regum* 5); d. Athanasius (*de Pass. imag. Dom. capit.* 2) refert, effigiem Salvatoris a Nicodemo fabricatam, cum a Iudaeis sacrilego ausu fuerit percussa, sanguinem emisisse, cuius rei mentionem faciens 2. Synodus Nicaena (*act.*4) ait: *Ex imaginis latere exivit sanguis et aqua.* Deinde Evagrius scribit (*lib.* 4. *histor. ca.* 26), Procopius (*de bello Persico*), Zonaras (*tomo* 3. *annalium in Roma Lucapet.*), lege Covarr. (*libr.* 4. *var. resol. capit.* 17. *nu.* 11), et Nicephorum (*li.* 2. *hist. c.* 17. *et li.* 17. *c.* 16), quod Edessena civitas ab imagine Salvatoris, quam linteo impressam Abagaro miserat Christus, saepius ab incendio fuit liberata; imo et Romae Lateranensis tholus, tribunam appellant alii, in qua Salvatoris imago, quae Romano populo apparuit, adhaesit septies ab incendii exarsione, qua reliquum Ecclesiae corpus conflagravit, immunis servata fuit.

Per effigiem etiam Christi Domini in sacra Syndone impressa, quae Taurini asservatur, quot miracula fuerunt patrata, monumenta extant atque testimonia omni exceptione maiora; illud tamen singularissimum referam, quod mediis cincta flammis quodammodo ardens non comburebatur; cuius quidem miraculi magnitudinem, et praestantiam, quoties mecum ipse tacitus contemplor, totus mystici illius rubi memoria obrepit, qui Moysi non sine summa admiratione ardere videbatur, nec tamen absumi (*Exod. ca.* 3). Circa hoc miraculum haec declarabuntur, quo tempore, et quam grave acciderit incendium; tum cur sacra Syndon non exarserit, indicabitur. Ut igitur tanti incendii fideliter explicetur atrocitas, describantur hoc loco, quae memoriae prodidit de s. Cappellae exarsione Pingonius: ita enim scribit in sua Evangelica Syndone: *Sed dira bellorum praesagia ann.* 1532. *demonstrata sunt, cum* 6. *Nonas Decemb. Barbarae Virginis festo die, nocte media nix illabente illud sacellum, in quo Syndon reponebatur, flammis incognitis exarsit. Accurrebant omnes, sed omnium diligentissimus Hilbertus Lambertus ducis a clavibus et consiliis, adscito secum ferrario fabro Gulielmo Pussodo nomine, et Franciscanis duobus imperterrito animo, per medios ignes gradiuntur, can-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cellos ignitos arae maximae affixos, ferasque infringunt, Syndonem, iam liquefacta capsa argentea, extrahunt, et integram, cedente circum flamma, reportant. Effusis ignibus grassabatur incendium, absumebantur marmora, et columnae, sed potentiore piorum hominum fide, vique numinis superata est ignis natura: fugiebant flammae, et qui putabantur arsuri, veluti frigida rore perfundebantur, seque ipsos sunt admirati, velut illis quondam Hebraeis pueris contigisse credimus. Istud quidem palam omnes vidimus, tunc enim aderant, et obstupuimus; nec multo post Syndon repraesentata est integerrima, praeterquam, extra tamen iconis partes, in complicatura exiguae quaedam combustionis notae, veluti perpetuae miraculi testes remanserunt; haec ille.

Verum diligenter percunctanti, cur in tam gravi incendio Syndon non conflagrarit, video tres potissimum assignari posse causas: alteram quidem quod exarsionis eius ignis verus non fuerit, sed apparens tantum aut fictitius, qualem ignem fatuum vocat Aristoteles; vel qualem Servii Tullii, in incunabulis provoluti, caesariem leniter obcremasse, memoriae prodidit Tit. Livius (*decad.* 1. *lib.* 1); aut qualem Ascanii pueri comas lambentem, Virgilius (2. *Æneid.*) sic describit:

Oritur mirabile monstrum,
Namque manus inter, moestorumque ora parentum,
Ecce levis summo de vertice visus Iuli
Fundere lumen apex, tactuque innoxia molli
Lambere flamma comas, et circum tempora pasci.
Nos pavidi trepidare metu, crinemque flagrantem
Excutere, et sanctos restinguere fontibus ignis.

Eodem flammae genere maximam coenobii partem conflagrare opinabantur s. Benedicti eruditioni commissi Monachi, cum eos metu maximo trepidare, ac solicitos aquas exhaurire, aquisque flammas restinguere, conspexit Benedictus, diabolique versutia cognita, non tam fallaces flammas, aquis extinguendas, quam fallaciae auctorem diabolum crucis signo fugandum, cognovit: fugato enim daemone, statim fictae exarsionis metus evanuit. Verum in atroci hac conflagratione, non fictas, aut apparentes tantum flammas, sed solidas, realesque, ut ita dicam, exarsiones, et solutum argentum, marmoraque in cineres redacta, reliquaque etiam s. Cappellae monumenta combusta, testata sunt. Haec igitur vera causa non fuit, alia ergo quaerenda. Altera assignari posset, si quis diceret, quam peracute perspexit auctor, Syndonem ex re minime exarsioni apta, esse confectam, qualis est linum illud, quod, Plinio auctore, vinum, sive albesinum, et amiantum appellatur: eo enim lini genere contextas mappas ardentes in focis, illaesas tamen se prospexisse testatus est Plinius (*lib.* 19. *c.* 1), Ioan. Baptista Porta (*libro* 2. *Magiae natur. cap.* 10). Dicitur autem amiantum linum, ex amianto lapide, quo in fila resoluto, pannus texitur, cuius adminiculo, paucis quibusdam additis, docet idem Ioannes Baptista Porta, eo loci igne praeservari quaedam ne laedantur ab igne: hoc lini genere describit Damasus Papa (*in suo Pontificali de consuet. Eccles. Lateran.*), annexum aureum agnum pondo librarum 12. Lateranensi Ecclesiae a Constantino donatum, sic dicens: *Ex stipa, alii ex stupa, amianti, annexum ex auro purissimo fecit Constantinus pensantem libras duodecim.* Et Anastasius Bibliothecarius relatus in tom. 1. Conciliorum in Sylvestro, varia pretiosissima describens munera a Constantino Magno donata Ecclesiae Lateranensi, inter cetera sic scribit: *In medio fontis columna porphyretica, quae portat phialam ex auro purissimo pensantem libras quinquaginta, ubi ardent balsami libras ducentas, annexum ex stipa amianti habentes.* De quibus lege Panciamum, et Baronium cardinalem.

Neque vero omnino censuerim incredibile, si ea vera fuerint, quae igne non absumantur, qualia sunt adamas, aut aetytes lapis, alio nomine gagates dictus; quin potius tantum abest, ut calazias gemma grandineo colore, duritie tamen adamantina, igne absumatur, ut ne igne quidem calescat. Fateor, et me linteamina quaedam, ardenti illita aqua, ita exardescentia conspexisse, ut tamen non comburerentur, nec minima quaque in parte laederentur; imo hominis manus, ardenti aqua perfusas, absque ullo sensu, aut dolore conflagrare, vim ipsam flammarum ardentis aquae raritate enervante. Hac ergo ratione, sacram Syndonem tanquam exarsioni minime aptam, ab incendio fuisse servatam, quis dixerit? ac falsae responsionis commentum partes ipsae Syndonis flamma consumptae evincent. Vera ergo addatur causa, ac miraculum summum agnoscatur. Denique potestas, et magnificentia praedicetur: ea enim ratione Syndonem servavit innoxiam, qua rubum in flamma, tres pueros in fornace combustis funibus ac vinculis: si enim ingens Paganorum multitudo eximiam Dei providentiam, pietatemque cognovit, cum sanctae Agathae velum, flammis iniectum, intactum tandem innoxiumque receperunt; ita nos quoque in sacrosancta servanda Syndone Dei magnificentiam agnoscamus, ac pietatem commendemus, qui sacro suo cruore ad passionis suae in nobis memoriam conservandam, Syndonem obsignavit, atque ad suae in nobis charitatis ostensionem in mediis ignibus eandem servavit intactam. Quod si ad miraculi veritatem comprobandam, Syndonem aliqua in parte ignibus tangi, aut laedi etiam passus est, sacram tamen imaginem, quae eius eximia in nos clementia fuit, nec laedi, nec tangi passus est. Iam vero in magno hoc miraculo magnum agnoscamus mysterium, quod Deus sacrum hoc vestimentum, passionis suae sanguine signatum, aliqua in parte comburi passus est, ut Isaiae vaticinium impleretur, quo dicitur (*cap.* 9): *Vestimentum mistum sanguine, erit in combustionem, et cibus ignis: parvulus enim filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius.* Scribit etiam Beda (*lib. de locis sanctis cap.* 5), in sudarium, quod fuit super caput Iesu, ita enim sanctam Syndonem nominat, sua aetate a Mainvia Sarracenorum rege, aversum grandem pyram fuisse iniectam, nec tamen combustum, sed veluti

raptum, in sublime evolasse, et in summo aere diutissime, quasi lusitans, detentum, tandem cunctis inspicientibus, leviter in cuiusdam Christiani sinum penetrasse; et ideo totum populum christianum summa veneratione illud salutasse, et osculatum fuisse.

His omnibus adnecto miracula, ad imaginem Deiparae patrata; quia tamen, si omnia prosequi vellem, in immensum abiret oratio, solum tibi in memoriam revoco, quod Iulianus Apostata, mandato Dei Genitricis, ad preces sancti Basilii coram eiusdem imagine fusas, a sancto Mercurio hasta confossus fuit, et ut verbis utar Nazianzeni (*orat. in Julian.*): *Lethale certe orbique universo salutare vulnus accepit:* quam historiam divus Damascenus (*orat.* 5. *de imagin.*) refert in haec verba: *Quod autem imaginum institutio non nova, sed prisca sit, et apud sanctos, et eximios Patres nota, et usitata, disce ex his, quae in vita beati Basilii ab Helladio eius discipulo, in Pontificatuque successore conscripta sunt. Pius enim vir, ut ipse narrat, Dominae nostrae adstabat imagini, in qua Mercurii etiam celebris martyris figura descripta erat; adstabat autem supplicans, ut impius Iulianus tolleretur, ex qua quidem imagine didicit, quid esset eventurum: vidit enim martyrem ad ex guum tempus obscurum, id est, ut recte interpretatur Billius, ab oculis suis evanescentem, non multo autem post hastam cruentam tenentem;* haec apud Damascenum ex Helladio. Sancta Hedwigis ducissa Poloniae, ut in fine eius vitae apud Surium 15. Octobris habetur, crebro imaginem quandam Deiparae apud se ferre vivens solebat, et cum ea tumulata est: quae tribus digitis sinistrae manus moriens, ita eam strinxerat, ut commode ea avelli non posset, sed anno 1268, post 25 fere annos ab eius obitu, reserato sepulcro, cum ossa sacri corporis transferenda elevarentur, consumptis carnibus, et membrorum compage soluta, tres illi digiti inventi sunt prorsus integri et incorrupti, et intra illos imago Deiparae: cerebrum quoque inventum est recentissimum, et ex capite liquor instar olei suavissimi odoris erumpebat: quae amorem ac devotionem eius erga Virginem, Deo maxime gratam fuisse testabantur. Ad hoc profero singularem historiam ex narratione Abbatis Theodori Eliotae apud Sophronium (*in Prato Spir. cap.* 45), cuius illa sunt verba: *Dicebat Abbas Theodorus Eliotes, quod fuerit quidam inclusus in monte Olivarum certator maximus; impugnabat autem illum fornicationis spiritus: die vero quadam cum instaret illi vehementer, coepit eiulare senex, et dicere daemoni: quamdiu non dimittis me? recede iam a me, qui mecum consenuisti. Apparuit daemon visibiliter, dicens, iura mihi, quia nemini dices, quod tibi dicturus sum, et te non amplius oppugnabo; iuravitque illi senex, dicens, per inhabitantem in altissimis nulli dicam, quae mihi dixeris: tunc ait illi daemon: Noli adorare hanc imaginem, et ultra te non impugnabo. Habebat autem haec imago expressam figuram Dominae nostrae sanctae Dei Genitricis Mariae ferentem Dominum nostrum Iesum Christum. Ait incluso daemoni: Dimitte me, ut deliberem. In crastinum autem hoc significavit ipsi Abbati Theodoro Eliotae, tunc habitanti in Lauria Pharam, narravitque illi omnia: senex autem ait recluso, vere Domine Abbas illusus es qui iurasti daemoni; verumtamen bene fecisti haec revelans, minus malum tibi esset, nullum in illa urbe lupanar omittere, quod non ingredereris, quam ut neges, te adorare Deum, et Dominum nostrum Iesum Christum cum Matre sua. Confirmatum igitur, et corroboratum pluribus verbis illum reliquit in loco suo. Apparuit daemon incluso rursus dicens: Quid est hoc pessime senex? Dico tibi, quia ut periurus in die iudicii iudicaberis. Respondit incluso dicens: Scio quidem, quia iuravi, verumtamen Dominum, et creatorem meum adorabo, tibi autem non obediam;* haec in Prato spirituali. Hanc historiam, tamquam a Sophronio Archiepiscopo Hierosolymitano, in libro Prati spiritualis descriptam, totidem verbis legit Stephanus Monachus (*in Synodo* 2. *Nicaena act.* 4), et iterum (act. 5).

Quam porro pia sit, quantaque imitatione digna eorum consuetudo, qui coram Deiparae imagine lampadem domi accendunt, eorumque qui antequam domo pedem efferant, et iter aliquod ineant, Dei Genitrici, coram eius imagine, quam in cubiculo habent, commendare se solent, utrumque insigni Deipara ipsa miraculo, ex eodem Prato spirituali (*cap.* 180), comprobabo, cuius historiam totidem hic verbis referemus: *Narravit nobis sanctissimus Dionysius presbyter sanctae Ecclesiae Ascolitarum, et sacrorum vasorum custos, de abbate Ioanne Anachoreta, dicens: Quasi vere magnus in generatione ista fuit, atque ad commendationem summorum illius apud Deum meritorum: hoc de ipso miraculum narrabat: In spelunca, inquit, morabatur senex in partibus villae, quae dicitur Sochus, viginti fere milliaribus ab Hierusalem; habebat autem senex in spelunca imaginem immaculatae Dominae nostrae Dei Genitricis semper Virginis Mariae, in ulnis ferentem Christum Dominum, et Salvatorem nostrum: quoties igitur abire volebat ad locum aliquem, vel per vastam solitudinem, sive Hierosolymam ad adorandum sanctam crucem, et venerabilia loca, vel in Sinai montem, orationis gratia, sive ad martyres distantes ab Hierosolymis, multis, prolixaque intervallis: erat enim senex martyrum reverentiae mirabiliter deditus: et nunc quidem pergebat Ephesum ad sanctum Ioannem, nunc autem Euchaitam ad sanctum Theodorum, nunc vero ad sanctam Thecla in Seleuciam Isauriae, nunc ad sanctum Sergium in Saraphas, et modo ad istum, et modo ad illum sanctum reficiebat candelam, et accendebat, ut sibi consuetudo erat: et cum revertebatur, accensam inveniebat candelam, quae ex divina virtute nondum tota consumpta erat. Deinde Edessae in Syria imago Virginis iussit sanctum Alexium in templo retroduci, eius nomen divulgavit, ut Breviarium Romanum narrat die 17. Iulii, et nunc Romae in eiusdem sancti Alexii aede, in marmoreo, ac sublimi tabernaculo, columnis quatuor subnixo, religiose asservatur. Sane de idolorum simulacris David cecinit (Psalm. 113): Os habent, et non loquentur, oculos habent, et non videbunt, aures habent, et non audient, manus habent, et*

non palpabant. At loquuta est imago umbratilis divae Deiparae sancto Hyacintho Odrovantio, dicens: *Gaude tibi Hyacinthe, quia orationes tuae gratae sunt filio meo, et quicquid per me ab eo petieris, impetrabis.* Asgavit oculus imaginis Mariae illum scelestum Analholium, ut Nicephorus narrat, et se ab illo avertit. Audivit auris imaginis Mariannae melliflum Bernardum, illa verba orantem: *Monstra te esse matrem*, et se esse matrem illi liquido lacte demonstravit. Manum dextram Marianam persentit ille inter alios Gebha, qui imaginem ipsius in porta Constantinopolitanae urbis visa, ulterius procedere nequivit, sed retroactus invisa vi, retrocedere coactus fuit. Pedes vero tam celeres illius imaginis habent, ut imago eius Lauretana, in domo culta, et se, et domicilium Marianum non semel, neque in unum locum deportarit. Gutturis porro eius vox tam est sonora et efficax, quam non est sonora vox tubae, ut etiam a moribundis, imo, et a mortuis audiatur, et exaudiatur: dabo duos testes: *Adolescens quidam a Moravia in Polonia reduxi, habuit obvios subversores viarum, ab his spoliatus insuper, et vulneribus concisus, pro mortuo relictus est: in aliam viam cum recessissent, ille quoque ad se redit: reptans, ut potuit, appulit ad proximum pagum, in eo triginta totis diebus decubuit absque cibo, et potu; multus fuit, qui miseretur, et ipse erat sine ullo obello. Vulnera autem interim habuit; et putrescentia vehementiorem in modum, tabo diffluebant. Subiit tandem in mentem recordari dixit Virginis Claromontanae: illam ergo precibus interpellabat, vellet sibi esse propitia, sanitatemque vulneribus adhibere. Obrutus interim somno profundissimo, in quo vidit quandam supra humana specie sibi appropinquantem, vulnera abluentem, persanantem, cicatricem obducentem. Deinde anno Christi 1526. Ista a Lubitina illustri matrona a Moravia, unicum filium habebat, fulcimentum extremum familiae, et senectae: is in iuventutis flore magnas spes de se ostentans, concertit eas in moerorem: languet, agonizat, moritur: quid faciat mater? tota se in lamenta resolvit: et dum ploraat, ab angelo admonita custode, vitae melioris, originarium fontanum d. Virginem Claromontanam orat. deinde adolescentis cadaver capulo indilum currui imponit, cohendum ad templum Deiparae: postquam fuit ante eadem dicae Virginis Claromontanae, ille qui mortuus fuerat, quasi de gravi somno excitatus, oculos aperuit, verba formavit, surrexit, processit, divam Virginem ante quam videret, adoravit vicus, et vigens a tali ope.*

Nihilominus tamen, licet argumentum a miraculis a Deo patratis, per imagines firmissimum sit ad evertendam haereticam eorum pravitatem, qui imaginum cultum abnegant; illud tamen haeretici infirmare conienduut, dicentes, multa esse, per quae Deus miracula fecit, quae tamen non coluntur, et adorantur: nam Elisaeus per aquam Iordanis curavit lepram Naaman, Christus sputo curavit coecum, nec tamen adoramus aquam, vel sputum: quin etiam per homines malos aliquando facit Deus miracula, et tamen eos homines omni honore indignos iudicamus. Respondeo, speciandum esse finem miraculorum: id enim, quod miraculo confirmatur, Dei testimonium habet; nam Elisaeus, et Christus non adhibuerunt aquam, vel sputum in miraculis, ut aquam vel sputum honorarent, sed ut ostenderent, ille quidem esse prophetam Dei; iste, se verum Dei Filium. Similiter homines mali non faciunt miracula, ut se, et vitam commendent, sed fidem: quare non ipsi, sed fides, quam praedicant, veneranda est. Deinde falso supponitur sputum Christi non esse adorandum: ego Christi Domini salivam, ex divino illo ore emanantem, adorare non dubitarem, sicut ungues, et capillos, licet velut hominis excrementa habeantur. Miracula autem per imagines facta, ideo facta sunt, ut probarent, ac sancirent imaginum cultum. Nam, cur quaeso ignis coelestis discerpsit statuam Iuliani, nisi ut vindicaret iniariam factam statuae Christi? et cur ab imagine ab Iudaeis confossa sanguis prodiit, qui infirmos plurimos curavit, ut est apud Alhanasium (*lib. de pass. imag Dom.*), Gregorium Turonensem (*de gloria Martyr. cap.* 21), Rhegin. (*in Chron. ann.* 804), nisi ut ostenderet, se honorare id, quod Iudaei contumelia afficiebant.

§ VII.

EX SANCTIS PATRIBUS, AC VETUSTISSIMIS DOCTORIBUS.

Unanimis est in hac parte sanctorum Patrum consensus: quorum ut brevitati consulam, selectiora quaedam testimonia solum apponam. Divus Damascenus (*lib. 4, orthod. fid. cap.* 17) ait: *Quia nonnulli nobis exprobrant, quod adoramus, et veneramur Salvatoris nostri, et reginae nostrae Deiparae imaginem, insuper et reliquorum Sanctorum, et famulorum Christi, audiant, quod a principio Deus hominem ad suam imaginem fecerit. Cuius igitur gratia invicem adoramus, nisi quatenus ad imaginem Dei facti sumus? nam, ut inquit Dsifer, et Magnus in divinis Basilius, imaginis honor ad exemplaris transfertur honorem*; et infra: *Quia non omnes literas norunt, neque lectioni incumbunt, Patres nostri consenserunt, veluti quaedam trophaea, haec in imaginibus repraesentare ad promptam memoriam: siquidem ob negligentiam frequenter cogitatione non tenentes passionem Christi, imaginem transmutationis Christi videntes, in Salvatoris passionis memoriam redimus, et procidentes adoramus, non materiam, sed imagine repraesentatum, ut neque materiam, ex qua scriptum est Evangelium, sic neque crucis materiam adoramus, sed quod typo, figuraque exprimitur: nam quid refert crux a materia, si non habet Christi repraesentationem?* divus Alhanasius (*sermon.* 5. *contra Arr.*) *In imagine regia species regis, et forma apparet, et in rege imaginis species: sine enim omni discrepantia cultus regis in imagine expressus est, ut qui videt imaginem, videat in ea regem, et vicissim, qui regem inducatur, agnoscat illum ipsum eundem esse, qui in imagine repraesentatur. Ceterum, quia in ambobus nulla est dissimilitudo, qui post conspectam imaginem, velit regem videre, huic ad eum modum ita imago aere loqueretur: ego, et rex unum sumus: Ego enim in illo sum, ille et in me; et quod in me animadvertis, id quoque in eo animadvertas; et quod videris in illo, videris et in me. Qui igitur adorat imaginem, in illa adorat ipsum regem, quippe cum ipsa imago nihil aliud sit, quam regis forma, ac species.* Damasus Papa (*libr. Pontific. in vita Silvestri*): *Huius temporibus fecit Constantinus Augustus Basilicas istas, quas et ornavit. Basilicam Constantinianam, ubi posuit dona ista, fastigium argenteum, habens in fronte Salvatorem, sedentem in sella quinque pedum, pensantem libras centum viginti, et duodecim Apostolos habentes singuli quinos pedes, pensantes libras nonaginta, cum coronis ex argento purissimo. Item a tergo respicientem in absde, Salvatorem sedentem in Throno, in pedibus quinque ex argento purissimo, pensantem libras centum quadraginta, et angelos quatuor ex argento in quinis pedibus, qui pensant singuli libras centum quinque, cum gemmis Alabandenis.* Divus Gregorius (*libro* 7. *indictio.* 2. *epist.* 53. *ad Secundinum*): *Imagines, quas tibi dirigendas per Dulcidum diaconum rogasti, misimus. Unde valde nobis tua postulatio placuit, quia illam toto corde, tota intentione diligis, cuius imaginem prae oculis habere desideras*: et infra: *Dum nobis ipsa pictura, quasi scriptura, ad memoriam filium Dei reducit, animum nostrum aut de resurrectione laetificat, aut de passione demulcet. Ideoque direximus tibi sudarios duos, imaginem Dei Salvatoris, et sanctae Dei Genitricis Mariae, beatorumque Apostolorum Petri, et Pauli continentes per supradictum filium.* Nicetas de Imperio Ioann. Comneni: *Illud imaginem eius pietatem testatur, cum Romanae phalanges, urgentibus hostibus, et undique se inferentibus, laborarent imaginem Dei Genitricis cum gemitu, et miserabilibus gestibus intuens lacrymas, bellicis sudoribus calidiores fundebat, neque id frustra: statim enim coelesti robore armatus, Scythicam aciem profligat, quemadmodum olim Moyses extensione manuum Amalechiticas turmas disiperet:* Paulus Diaconus (*de gestis Longobardorum lib.* 7. *c.* 14): *Hac tempestate Leo Imperator, apud Constantinopolim, sanctorum imagines depositas incendit. Romano quoque Pontifici idem facere, si imperialem gratiam habere vellet, mandavit. Sed Pontifex id facere contempsit. Omnis quoque Ravennensis exercitus, et Venetiarum, talibus iussis uno animo resistere, et nisi eos Pontifex prohibuisset, imperatorem super se constituere aggressi fuissent. Per idem tempus Leo Imperator ad peiora progressus est, ita ut compelleret omnes Constantinopoli habitantes, tam ei, quam blandimentis, ut deponerentur, ubicunque haberentur, imagines tam Salvatoris nostri, quam eius sanctae Genitricis, et omnium Sanctorum, easque in medio urbis concremari fecit: et quia plerique ex populo tale scelus fieri praepedebant, aliquot ex eis capite truncati, alii alia parte corporis mulctati sunt. Cuius errori Germanus patriarcha non consentiens, a propria sede depulsus est, et eius loco Anastasius presbyter ordinatus est.* Ioannes Patriarcha Hierosolymitanus (*in vita S. Ioannis Damascen.*): *Ingruerant universo Orbi nox horrida, atque profundae tenebrae, ita ut obscurarentur venerabilium imaginum praeclarae figurae, illarum auctor fuit, non a tricio aliquis, ac plebeius, qui in exigua tantum parte orbis malitiam suam disseminaret: sed vir ille, ut sic dicam, manu fines orbis complectens, Romanorum videlicet princeps. Is potentia inflatus, vi summa nitebatur, ut ad unum venerandas imagines omnes et locis in omnibus demoliri posset. Et ceproper imaginum cultores partim dilaniari faciebat, sicut leo rapiens, et rugiens, vere tam animo, quam corpore leo, partim in diversa rugitu suo fugabat, atque adeo saeviebat, ut fidelium plerique in subterraneis speluncis sese occulerent, existimarentque tutius leonibus ac draconibus convenire, quam cum illo, illiusque familiaribus habitare. Nonnulli etiam metu perterriti, usque in extremos orbis terminos procurrerunt: leo enim rugiet, et quis non formidabit? ab ipso, inquam, quasi a conspectu colubri fugiebant. At Ioannes ille non a leonina feritate, sed gratia, nomen sortitus, spiritualique gratia plenus, adversus singularem hunc serpentem stomachari, et exacandescere coepit: ita autem stomachabatur, ut recte et virtutem, et zelum dixeris stomachationem, non ad Saturomatas cum Thracibus, neque ad columnas Herculis cum Constantinopolitanis profugit, neque ad dexteriora loca ex palatiis transiit propter rugitum leonis: sed et cum versaretur Damasci, et cum monasticam vitam solitario Palaestinae loco exerceret, strenuus et imparidus adversus Leonem pugnabat. Quamvis autem ille strenuissimus meus athleta, tanto locorum intervallo abesset a tyranno, libris tamen et sermonibus eorum illius dimicabat, veluti tricuspidibus hastis, quas igne Spiritus sancti fabricabat, vitali aqua solidans.* In eadem historia refert, quo modo ipsi Damasceno per beatam Virginem manus restituta sit, quam propter imaginum defensionem amiserat. Accedunt his sanctus Basilius (*orat. in sanctum Barlaam*), Gregorius Nyssenus (*orat. in Theodor.*), sanctus Augustinus (*libro* 1. *de cons. Evang. cap.* 10. *et libro* 22. *contra Faustum cap.* 73. *et lib.* 3. *de Trinitate capite* 10), divus Ambrosius (*libro de incarnationis Dominicae sacramento cap.* 7. *et orat. de obitu Theodosii*), et alii quam plurimi Patres, quorum testimonia refert septima Synodus (*actione* 3. 4. *et* 5). Plura etiam concessit Divus Damascenus (*oratione* 3. *de imaginibus*).

Verum quia haeretici referunt pro suo errore divum Epiphanium (*in epist. ad Ioan Hierac.*), ubi ipse refert, quod ingressus quandam Ecclesiam, cum imaginem velo depictam vidisset, statim illud scidisse, quod talis pictura contra divinum praeceptum existeret: opus est tantum doctorem ab hac calumnia vindicare: etenim divus Damascenus (*orat.* 1. *de imag.*) expresse tradit, partem illam extremam illius epist. non esse Epiphanii, sed ab aliquo haeretico suppositam, cuius rei varias coniecturas congerit Alanus (*supra cap.* 20). Tres vero aut quatuor sunt potissimae. Prima est, quod in 6. Synodo (*act.* 6) duo testimonia Epiphanii afferuntur, quibus abutebantur haeretici, qui

convicti sunt illa falso confinxisse, et Epiphanio imposuisse. Si autem in hac epistola Epiphanii haec pars eo tempore legeretur, certe haeretici illam maxime urgerent: signum est ergo, eam partem non fuisse ab Epiphanio scriptam, sed postea ab haereticis impositam: hanc enim esse haereticorum consuetudinem constat eadem septima Synodo (*actione* 38), ubi Macharius confessus est, se mutasse testimonia Sanctorum, et Adrianus in responsione ad Carolum, ostendit haereticos corrupisse epistol. Cyrilli ad Successum, et similia videri possunt in Eusebio (*lib.* 4. *histor. cap.* 25), Athanasio (*epist. ad Serapion.*), Nicolao etiam Papa (*epist. ad Leonem*). Secundo, ex contextu epistolae hoc non obscure colligitur: nam pars illa, in qua haec fabula continetur, extrema est totius epistolae, quae incipit ab illo §. *Praeterea audivi quosdam, etc.* ante quam particulam epistola est absoluta, et completa, ut patet ex ultima clausula: *Deus autem pacis det nobis iuxta suam clementiam, ut conteratur satanas, etc.* Tertio, Gregorius (*libro* 9. *epist.* 9) reprehendens Serenum, dicit nullum antiquorum Patrum ausum esse imagines confringere, neque de illo hoc esse scriptum. Quarto, constat ex Chrysostomo, Basilio, Athanasio, Gregorio Nazianzeno, et Nysseno, et aliis Patribus Epiphanio aequalibus, ea aetate usum imaginum in Ecclesia graeca, et universo Oriente frequentissimum fuisse. Qui ergo verisimile est novam et inusitatam Epiphanio visam esse? aut si haec contra Scripturam esse credidit, ut ibi dicitur, quomodo ceteros errores, atque haereses impugnans, nusquam hunc usum reprehendit? addo tandem in illa epistola non satis explicari, cuius fuerit figura in illo linteo depicta, nec dicitur fuisse alicuius sancti. Unde fortasse contingere potuit, ut fuerit alicuius hominis profani, ut notarunt cardinalis Bellarminus (*de imag.*), et ante illum Marianus Victor (*in schol. ad hanc epist.*), quae habetur tomo 2. opera divi Hieronymi (*epist.* 60).

§. VIII.

A MULTIPLICI UTILITATE.

Sacrarum imaginum, et praecipue Christi Domini, et beatae Virginis pium, ac religiosum usum multiplex utilitas mirifice commendat: illa in primis notissima est, et experientia satis comprobata, quod cum aspiciuntur, devotionis ignículos, ac pios in voluntate excitant affectus. Unde Gregorius Patriarcha Alexandrinus, et Metaphrastes referunt, divum Chrysostomum Pauli effigiem cum intueretur, vehementer commoveri solitum, imo ipsemet Chrysostomus (*in orat. quod veter. et nov Testament. idem sit auct.*) haec verba scripsit: *Ego et ex cera fusilem picturam plenam adamavi: vidi enim angelum in imagine barbarorum nubes propulsantem.* Beatus quoque Asterius Episcopus Amaseae, cum sanctae Euphemiae martyrium in imagine expressum descripsisset, quomodo lictor, arreplo virginis capite, et in tergum reflectens, dentes virginis malleo et terebro exculeret, subdidit: *Sed lacrymas fundo: nam haec mihi passio vocem aufert, ut amplius loqui nequeam: nam tam exacte sanguinis guttas, ex ore defluentes, pictor expressit, ut iuraveris a labiis profluere:* quod quidem testimonium cum in sancta Synodo actione quarta relatum esset, clarissimi duces dixerunt ad picturae emphasim exprimendam, quod sanctus vir haec videns, compunctus est. Et Basilius Ancyranus Episcopus subdit: *Iste sanctus vir eisdem affectibus obnoxius fuit, quibus etiam Gregorius: ambo enim per imagines ad lacrymas acti sunt.* Sanctus Gregorius Nissenus (*orat. de Dei. Fil. et Spir. sanct. et in Abr.*) dicit: *Vidi saepe in scriptionis imaginem, et sine lacrymis transire non potui, cum tam efficaciter pictura ob oculos poneret historiam. Procumbit enim ante aram Isaac genibus innixus circumductas ferens in tergo manus. Ille vero a tergo pueri innixum pedum curvamini, sinistram comam pueri apprehendit, ad se trahens. Declinat faciem ad puerum, miserabiliter infundens; dexteram autem gladio obarmatam gestat, quam etiam ad eumdem dirigit, iamque gladii acies propemodum ipsum corpus attingit, cum illum divina vox a facto deterret.* Hoc autem testimonium cum in Synodo 7. Nicaena esset recitatum, subdit Theodorus Episcopus Cathanes. *Beatus Gregorius vigilantissimus ad divina oracula, inspecta Abrahae historia flevit, quanto magis aspecta aeconomia Domini nostri Iesu Christi veri Dei ad lacrymas et utilitatem contemplantes, nos adhortabitur.* Basilius Ancyrae Episcopus: *Frequenter*, inquit, *beatus Pater historiam legit, sed obiter; postquam autem eam pictura expressam vidit, flevit.* Et patriarcha eidem concilio praesidens intulit: *Nonne et nos lacrymas funderemus, si Dominum et nos videremus cruci affixum?* Sed ut picturae vis melius appareat, habet enim plus ad commovendum virium, quam oratio, licebit nos ex Gentilium scripturis exemplum afferre? scribit enim Appianus (*in lib.* 2. *de civilib. bell.*), quod interfecto Caesare, quidam ex eius amicis crudelitatem interfectorum populo ostensurus, ex lecto Caesaris, qui tum in foro positus erat, imaginem eius ex cera fabrefactam protulit, quae tres et viginti plagas vultui, et universo corpori ferino ritu impressas, atque patentes repraesentabat: quo nimirum spectaculo maiorem in populo dolorem et iram concitavit, quam ulla vel oratione, vel actione potuisset. Huius vim exitus comprobavit: eo enim horrendo spectaculo viso, populus ita ira excanduit, ut contra Caesaris persecutores multa crudeliter tentarit inflixeritque supplicia.

Secunda utilitas est, quod imagines multum deserviunt ad instruendam rudem, atque indoctam plebem, ut eleganter Damasus (*loco suprac.*) dixit: solet enim, ut recte dixit Gregorius Nyssenus (*orat. de sanct. Theod.*), etiam figura lacens in pariete loqui, maximeque prodesse, et ut inquit divus Gregorius (*libr.* 7. *epist.* 109), pictura in Ecclesiis adhibetur, ut qui literas nesciunt, saltem in parietibus

videndo legant, quae legere in codicibus non valent: et divus Gregorius (*lib.* 9. *epist.* 9) inquit: *Quod legentibus scriptura, hoc et idiotis praestat pictura, quia in ipsis ignorantes vident, quid sequi debeat, in ipsa legunt, qui literae nesciunt.* Quibus consonant verba d. Damasceni (*l.* 4. *cap.* 17): *Quia non omnes literas norunt, neque lectioni incumbunt, Patres nostri consenserunt, haec imaginibus repraesentari.* Consona etiam sunt alia venerabilis Bedae (*l.* 19. *de templ. Salom.*): *Imaginum aspectus multum compunctionis solent praestare contuentibus, et eis, qui literas ignorant, quasi vivam Dominicae historiae pandere lectionem.* Quapropter sicut historia honesta est in Ecclesia necessaria, ita et sanctarum imaginum usus: omnes enim historiae utilitates ad imagines accommodari posse, facile constat: quod non ignorans Plutarchus (*de gloss. Athen.*) inquit: *Pictores idem coloribus, et figuris exprimunt, quod scriptores verbis, et dictionibus. Materia quidem, et modo imitationis differunt: utrisque non idem est finis propositus.* Itaque optimus historiae scriptor habetur, qui narrationem personis, animoque movendo aptatis figuris, ita conformat, ut picturam referat. Nec quicquam refert haereticorum responsio, dum aiunt, historias depictas instruere, secus tamen imagines solitarias: nam in primis imagines solitariae, ut a Christianis solitae sunt depingi, semper continent, quasi per compendium, aliquam historiam: nam cum pingitur Christus, semper pingitur, vel in forma pueri, vel in sinu matris, vel in forma viri alligati ad columnam, vel in cruce pendentis, vel resurgentis e tumulo, vel ascendentis in coelum, etc. sic etiam Sancti semper cum insigni virtutis, vel passionis, vel potestatis pinguntur, Petrus cum clavibus, Laurentius cum craticula, Andreas cum cruce, etc. martyres omnes cum palma, Sancti omnes cum diademate. Ex quibus signis, seu instrumentis docemur quasi per compendium, quid illi, quos veneramur, egerint, quidve passi sint. Deinde etiam si solitariae omnino depingantur huiusmodi imagines, valde utiles sunt ad confessionem catholicae fidei: dum enim honoramus imagines Sanctorum, testamur nobis placere eorum fidem, et doctrinam, et sanctos mores, et simul nos detestari omnem impietatem, et idololatriam, contra quam ipsi usque ad mortem pugnaverunt; et nunc praecipue testamur, nobis non placere novitates Lutheranorum, et Calvinistarum, dum id religiose veneramur, quod illi sacrilegi destruunt.

Tertia utilitas est, quod imagines conservant in nobis memoriam Christi Domini, beatae Virginis, et Sanctorum, quorum recordatio non potest non utilis esse vel ad fovendam devotionem, vel ad illam acquirendam: unde in secundo Concilio Nicaeno (*action.* 4) haec verba legimus: *Sicut olim fimbriae assuebantur vestibus ad memoriam mandatorum Dei, ita et multo magis e scripturis egressum, gloriosae catastrophes videre licet.* Etenim sicut (*Numer.* 15) recipiebantur fimbriae adhibere vestibus, quas, ut sacer Textus, ait: *Cum viderint, recordentur mandatorum Dei*, ita sane tam scripturae quam imagines in memoriam revocant exemplaria, quae referunt praeclara gesta. Quod si contingat exemplaria non esse de nobis nota, ad scisitandum de illis provocant: ut enim dixit divus Germanus Episcopus, ut refertur in Synodo 3. imagines saltem sunt causa inquirendi, et vestigandi ab aliis.

Quarta utilitas imaginum est, quod ad amorem erga Christum Dominum, beatam Virginem, et reliquos Sanctos animum accendunt: qui enim diligit, libenter inspicit imaginem absentis amici, et inspiciendo, magis inardescit. Hinc Severus Sulpitius, quia vehementissime s. Paulinum diligebat, nec tamen poterat apud eum semper esse, rogavit eum per litteras, ut imaginem suam ad vivum expressam ad se mitteret, cui modestissime se excusans respondit Paulinus (*epist.* 8. *ad Sever.*), se nondum habere perfectam imaginem secundi Adami, sed gerere adhuc primi Adami effigiem, et ideo nolle mittere. Et divus Gregorius (*lib.* 7. *epist.* 53), mittens Secundino imaginem Salvatoris, ait, se scire eum imaginem cupere, ut in amore ipsius Domini recalesceret: etenim Christus Dominus miro utitur artificio, ut amoris flammas in nos excitet: nam, ut recte dixit divus Dionysius Areopagita (*de div. nom.*), Christus amatorie nos prosequitur; hoc autem callidum est amantis artificium, ut varias induat formas, figurasque multiplices, ut facilius amatum ad sui amorem alliciat: acutus enim amor formas multiplices effingit, et ostendit:

> Varias nam fingere pergit
> Mille mihi formas ingeniosus amor.

Ita Christus, ut sponsam Ecclesiam ad se immensa vi sui amoris alliciat, multiplices sui illi exhibet formas; in Deitate magnificam, in Humanitate pauperrimam, in Nativitate lugentem, in Transfiguratione fulgentem, in Passione lugubrem, in Resurrectione iucundam: quod idem praestat ad amorem nostrum erga matrem suam in nobis conciliandum, nunc per imagines illam constituentes ante oculos nostros assensum praebentem angelo, nunc Christum pannis involventem, nunc lac ad ubera propinantem, nunc ad Ægyptum illum baiulantem, nunc cruci summo dolore adstantem, vel certe in coelum assumptam, pro nobis intercedentem.

Quinta utilitas, eaque magni momenti, imaginum est, quod ad imitationem animos provocant: ut enim dixit divus Basilius (*hom. in Barl.*), res in bello fortiter gestas, tum eloquentes homines saepe numero, tum pictores exprimunt: illi sermone orantes, hi in tabulis delineantes, et pulchre multos ad fortitudinem excitant. Huius utilitatis meminit 7. Synodus, quod citatur in eadem Synodo (*act.* 4): refert impudicam foeminam, cum ad quendam evocata veniret, in ipso limine conspexisse imaginem Polemonis pudicissimi hominis, et inde confusam erubuisse, et poenitentia ductam, rediisse domum suam: e contra vero, quod etiam in idem argumentum facit, Terentius (*in Eun.*) tradit, quod iuvenis quidam conspecta tabella, in qua pictus erat Iuppiter, stuprum in-

ferens Dianae, ad simile perpetrandum flagitium provocatus fuit. Sicut enim pravae et inhonestae imagines ad malum excitant, ita piae, et honestae ad bonum invitant, ut et his verbis eleganter prosequitur divus Gregorius Nyssenus (*orat. ad Theod*): *Pictor flores artis induxit: in imagine depictos fortia facta martyris, repugnantias, cruciatus, efferatas, et immanes tyrannorum formas, impetus violentos, flammeam illam fornacem, beatissimam consumationem Athletae, certaminum praeaidis, Christi, humanae formae effigies, omnia verbis tanquam in libro quodam, qui linguarum interpretationes continet, coloribus artificiose depingens, certamina, atque labores martyris nobis expressit, ac tanquam pratum amoenum, et floridum, templum ornavit: solet enim etiam pictura tacens in pictate loqui, maximeque prodesse,* iuxta illud Taciti (*pictura poema*), etc.

Ultima utilitas est, quod per imagines Christo Domino, beatae Virgini, et Sanctis debitum honorem, et cultum exhibemus: est enim indubitatum, moris fuisse apud omnes nationes, ad honorem magnorum virorum, et insignium foeminarum statuas eis erigere, et consecrare, ut tradit Plinius (*lib.* 33. *histor. cap.* 2), et habetur in Codice Iustiniani, ubi titulus extat de statuis, et imaginibus insignium personarum. Unde Nicolaus Lyra (*in capit.* 5. *lib.* 2. *Reg.*) explicans verba illa: *Non ingredieris huc, nisi abstuleris coecos, et claudos*, refert ex Rabbi Salomone, hos caecos, et claudos esse duas imagines, quarum una repraesentabat Isaac, qui paulo ante mortuus fuit coecus, ut habetur (*Gen.* 27), et alta Iacob, qui claudicabat ex lucta cum angelo, ut legitur (*Genes.* 32); et addit, quod Iebusaei, qui erant Ierusalem, descenderant de Abimelech, cum quo initi foedus, et iurantentum Abraham, ut habetur (*Genes.* 11); et ideo videntes posteri eius filios Abrahae crescentes, timuerunt, ne aliquando vellent eos invadere, et ideo opposuerant praedictas duas imagines in parte superiori sui fortalitii, et in ore cuiuslibet imaginis erat scriptum iuramentum Abrahae, quasi dicerent: posteri Abrahae non possunt hunc locum invadere: et secundum hoc dicuntur coeci, et claudi, odientes animam David, in quantum reputabant eum transgressorem iuramenti Abrahae, et per consequens edibilem Isaac, et Iacob, quorum erant imagines. Ecce homines etiam ethnici tantum honorem tribuebant Sanctorum imaginibus, ut civilatem suam sufficienter munitam putarent duplici illa Patriarcharum effigie Isaac, et Iacob. Deinde Talisii imaginem a Prothogene in Rhodiorum manibus depictam extitisse legimus, ob cuius honorem Demetrius rex ab illius urbis incendio se continuit, quemadmodum Plutarchus (*in Demetrio*) refert in haec verba: *Demetrius obsidens Rhodum, precibus Rhodiorum pepercit, imagine Talisii a Prothogene mira arte depicta.* Et Plinius (*lib.* 11. *cap.* 38. *eiusd. hist.*): *Non immemor*, inquit, *Rhodum non incendit rex Demetrius, expugnator cognominatus, ne tabulam Prothogenis cremaret, a parte ea muri locatam.* Ac tandem Semiramis Helenae, et aliarum inclytarum foeminarum statuas ad earum honorem erexit. Unde Eusebius (*libro* 6. *de histor. cap.* 14) hanc praecipuam fuisse causam indicat, ob quam Christiani coeperunt Sanctorum imagines desiderare, ut debiti honoris tributum penderent illis. Et licet ibidem dicat hunc usum ex Gentilium consuetudine natum, qui in testimonium excellentiae, et virtutis aliquorum praestantium virorum statuas, vel imagines eis erigebant; minime loquitur de aliqua Gentilium superstitione, ut scite adnotavit illustrissimus cardinalis Bellarminus (*lib.* 2. *de imag. cap.* 10), sed de naturali, ac proinde bona consuetudine, qua soliti erant, quos honore dignos iudicabant, statuarum erectione celebrare; quamvis in eo postea graviter erraverint, sceleratis etiam hominibus, et falsis diis eas erigendo, in quo adeo decepti fuerunt, ut divus Augustinus (*lib.* 6. *de civit. cap.* 9) dicat, singulis hominum actionibus singulos deos falsos praefecerunt, et nomina cuique propria tribuerunt; et Eusebius (*de praepar. Evang.*) narrat, tempore Hesiodi deorum multitudinem adeo crevisse, ut triginta millia connumerarentur: cuius tamen erroris in Ecclesia Christi nullum est periculum, cum, et unicum Deum profiteatur, et nullius imaginem adorandam proponat, nisi Apostolica Romani Pontificis trutina, tali veneratione digna habeatur.

Atque omnes imaginum utilitates a me commemoratas, compendio perstrinxit sacrum Concilium Tridentinum (*sess.* 25. *in decreto de invocat. vener. et reliq. Sanct. et sacris imagin.*), cuius verba haec sunt: *Illud diligenter doceant Episcopi per historias mysteriorum nostrae redemptionis picturis, vel aliis similitudinibus expressas erudiri, et confirmari populum in articulis fidei commemorandis, et assidue recolendis, tum vero ex omnibus sacris imaginibus magnum fructum percipi, non solum, quia admonetur populus beneficiorum, et munerum, quae a Christo sibi collata sunt, sed etiam, quia Dei per sanctos miracula, et salutaria exempla oculis fidelium subiiciuntur: ut pro iis Deo gratias agant, ad sanctorumque imitationem vitam moresque suos componant, excitenturque ad adorandum, ac diligendum Deum, et ad pietatem colendam: si quis autem his decretis contraria docuerit, aut senserit, anathema sit.*

Ex quibus omnibus satis mihi insanire videtur quisquis sacrarum imaginum usum relegandum putat: etenim sicut omnino demens esset, qui mentis imagines tolleret, sine quibus nec ipsa mens divina quidquam cogitat, aut facit, cum illae virtutem habeant praesentandi, movendi, et cur trepidem assentiens, et iuvandi, praestandi? nam et mens mentium suprema absque mentis simulacro nec quidquam comprehendit, movendi pariter, et agendi. Nam et Deus cum ex utero imaginem increatam efformasset, tunc primum inclinavit ab archetypo orbem, et orbis Principem collineare, iuvandi quoque potestatem ostendit. Nam ille, qui figura est Dei Patris, cum ipso erat cuncta componens. Non dissimiliter efficus quoque omnis esto, qui oculis obiectas imagines tollit, sine quibus nec ipse oculus sanctorum, quamdiu corpori concretus. Sunt illae rerum vicariae exhibentes, moventes, agentes,

et iuvantes: praesertim vero si baiulae virtutis divinae: ab his absentes, et nunquam visos cognoscimus: ex eis ad amorem, cultum, aemulationem, accendimur, ab iisdem ad res praeclare, vel secus gerendas excitamur. Haec naturali colorum temperie oculum recreantes, vi exorta, imaginativam, quam vocant, facultatem, concitant, qua mota, coloreque interius praesepulto, sed a visis reaccenso, qui inerant nocentes, digerunt humores, virtute quadam medica praestantes. Quid quod animantia bruta ad aspectum imaginum commoveantur? Quid Bothri, Zeuxis, ad quos aves? quid equa, ad quam coniugus? quid Sindon Parrhasii, quae ipsi imposuit Apelli?

Porro si ad divinioria assurgimus simulacra, in sacro tabernaculo cherubicae imagines ad cultum maiestatis exterrebant. In stipite serpens dependulus percussos ab ignitis persanabat. In templo Salomonis palmae caelatae ad virtutem allolebant. In lembis praetextarum Hebraicarum vittae circumcinctae, ad observationem decalogi praemonebant. In thyara Tetragrammaton praefulgens, ad reverentiam numinis praelucebat.

§. IX.

EX NERVOSIS RATIONIBUS.

Potuissem, hoc argumentum aliius repetens, ad sanctissimae Triadis solium meditatione conscendere, in qua fides docet, Patrem ita persimilem sibi genuisse Filium, ut divus Paulus (*ad Colosss.* 1. *et ad Hebraeos* 1), imaginem, et figuram Patris vocitaret: *Imago Dei invisibilis, et figura substantiae eius:* figura autem non mortua, ut a pictoribus fieri consuevit, sed viva. *In ipso vita erat*, ut ait Ioannes (*cap.* 1). Hanc autem sui imaginem proposuit Deus angelis adorandam, cum primum illos condidit, et cum postea carne illam induit, ut Apostolus testatur (*ad Hebr.* 1): *Et cum iterum introduxit primogenitum in orbem terrarum, dicit, et adorent eum omnes angeli eius.* Non solum autem Deus vivam, atque consubstantialem sui imaginem intra seipsum ab aeterno genuit, sed et in tempore ipsius Triadis similitudinem in homine impressit: *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram*, (*Genes.* 1). Unde cum Deus perfectissimus sit omnium pictorum, et sculptorum; non potest non ars ad pingendum, et exsculpendum bona esse, quod et illud satis confirmat (*Exod.* 31. *et* 35), quod Deus dedisse legitur duobus viris Beseleel, et Ooliab spiritum suum, sapientiam, et scientiam ad exsculpendum, et cogitandum multa pro fabrica tabernaculi. Tamen quia haeretici dicere potuissent, primam illam Verbi divini imaginem veneratione dignam, quia increatam, secundam vero naturalem imaginem hominis impressam, non mereri cultum religiosum, sed civilem tantum, et politicum. Tertiam tandem imaginum diversitatem, quam Beseleel, et Ooliab formavit ex exculpendi arte divinitus eis infusa, non fuisse ordinatam ad hoc, ut imagines adorandas fabrefacerent, sed ut templum exornarent, ad efficaciores alias rationes me converto.

Primam desumo ex doctrina d. Augustini (*Epist.* 203), et divi Cyrilli (*Cateches.* 12), dum aiunt, hominem dignum esse veneratione, quia imago Dei est, ex hoc enim aperte efficitur, imagines Christi, beatae Virginis, et Sanctorum dignas esse veneratione propter participatam excellentiam Dei: nec infirmat hanc rationem, quod Haeretici Magdenburgenses ex libro Carolino respondent, hominem non adorari, etiamsi sit imago Dei religiose, sed tantum civiliter: hoc enim nihil refert, nam eum ratio, et causa, propter quam aliquid colitur, est res sacra, tam religiose honoratur, et non civiliter tantum: ergo cum imagines Sanctorum honorantur propter excellentiam sanctitatis illorum, vere etiam coluntur religiose. Confirmat hanc rationem insignis fraus Iuliani Apostatae, quam describunt Gregor. Nazianzenus (*orat.* 1. *in Iulianum*), Paulus Diaconus (*in vita Iuliani*), et alii. Erat in more positum, ut imagines imperatorum ab omnibus adorarentur, id quod etiam Christiani faciebant, quippe qui sciebant, solum civilem adorationem illam fuisse, qualem etiam ipsi imperatori, licet ethnici, deferebant. Iulianus igitur ut cogeret Christianos saltem per errorem adorare idola, iubebat suam imaginem ita depingi, ut simul progeretur Iupiter de coelo coronam, et purpuram imperatori deferens, pingerentur etiam Mercurius, et Mars in imperatorem respicientes, ut eo modo iudicaret, se sapientem, et fortem esse. Itaque se ipse inter Deos depictum proponebat, ut Christiani de more venerantes imaginem imperatoris, simul venerarentur imagines falsorum deorum. Monet autem Nazianzenus, fuisse venia dignos Christianos simpliciores, qui non advertebant dolum, nec putabant se adorare aliud, quam regis imaginem.

Secunda ratio, nam Salomon ex divino praecepto in templo fecit cherubin, et palmas, et malogranata, et in mari aeneo posuit duodecim boves, et in casibus laterum leones cum bobus, et tamen non ob id reprehensus dicitur: si ergo tunc licuit duodecim boves sculpere, cum magis esset de idololatria timendum, cur non licebit nunc duodecim Apostolos pingere, quorum illae figuram gerebant? Si licuit serpentem exaltari coram populo ad idololatriam prono, cur non licebit nunc Christum in cruce exaltatum depingere, et insculpere, ut ex illius imaginis aspectu reducamus ad memoriam immensa beneficia, quae generi humano, in cruce moriens nobis exhibuit? Si umbras licuit pingere, cur non licebit pingere corpus? Est igitur licitus imaginum usus.

Tertia ratio a contrario desumpta lumine rationis est nota: nam quidquid iniuriae capax est, etiam et honoris; imago autem capax est iniuriae, etenim Eusebius (*lib.* 9. *hist. cap.* 10) scribit, in dedecus Maximini imagines eius fuisse vel deiectas, vel atris coloribus foedatas: legem de imaginibus Domitiani scribit Svetonius, Theodosius quoque optimus

UNIVERSIDAD DE JAÉN

alioqui, et pientissimus princeps, cum Antiocheni imaginem uxoris eius deiecissent, ita iratus est, ut parum abfuerit, quin totam Antiochiam everterit: extant de hac re duae orationes Chrys. id est, secunda, et tertia ad populum Antiochenum, quibus deplorat scelus illud in Theodosium commissum. Vide etiam Theodoretum (*lib. 5. cap. 19. histor.*). Denique Iulianus apostata Christi statuam non deiecisset, nisi eo modo Christo iniuriam fieri credidisset; neque Deus Iuliani statuam fulmine percassisset, nisi ab ea iniuriam accepisset, et nisi ad Iuliani contumeliam id pertinere visum esset. Addo, quod si idola gentium merito execramur, et confringimus, unde laudatus est valde Theodosius, quia teste Theodoreto (*lib. 5. cap. 2. histor.*), iusserit idola ubique destrui; at certe id non fit, nisi ratione significationis, quia sunt imagines falsorum deorum: igitur e contrario cum imagines sunt veri Dei Christi Domini, et Sanctorum, quae atque adeo res vere bonas, et sanctas significant, honorabiles sunt.

Quartam rationem desumo ex praemiis, quibus Deus cultores imaginum, et suppliciis, quibus earum impugnatores afficit. Praemia commemorant Eusebius (*lib. 7. cap. 14*), Zonaras (*in vita Michaelis*), inclytus martyr Thomas Morus (*lib. 2. dialog.*), Arnoldus Habentius (*in sua histor.*), Ioann. Mascus (*in suo prato*), Carolus Sigonius (*lib. 1. de Regno Italiae*), Sophronius (*lib. 17. cap. 5*), Tilmanus Bredeu. (*lib. 3. sac. collat. c.19*), divus Damascenus (*orat. de imag.*), Nicolaus Monachus Suessionensis (*in vita sancti Gotfredi*), Canisius (*lib. 5. de b. Virgine*), Nicetas Chomara (*in annal.*), Platina (*de vitis Pontificum*), in vita Benedicti Primi, ac tandem Synodus 2. Nicaena. Supplicia autem imaginum oppugnatoribus divinitus illata, referunt Palmerius (*in chron. ann.*), Canisius (*lib. 5. c. 22*), Sozomenus (*lib. 5. cap. 20*), Eutophius (*lib. 21. rerum Romanarum*), Lycosth. (*lib. 14. theatr.*), Surius (*in vita sancti Alberti 7. die Augusti c. 24*), Theodorus Gresemundus Iurisconsultus (*in hist. violatae Crucis*), Serarius (*Moguntiacarum rerum lib. 1. cap. 31*), Bozius (*de notis Ecclesiae lib. 13. cap. 12*), Lyndanus (*lib. 2. de fuga idolorum cap. 1*), cardinalis Bellarminus (*libr. 2. de imag.*), tandem Damascenus (*orat. 3. de veneratione sanct. imag.*), et Concil. 2. Nicaenum (*act. 4*), per plura etiam in utroque genere, tam praemii, quam supplicii copiose congessit eruditus auctor Tympius (*in suo theatro historico titulo poenae Iconomachorum, et titulo praemia liciti cultus imaginum*). Cum igitur Deus non puniat, nisi turpe, nec remuneret, nisi quod honestum est, evidentissime consequitur, ex eo quod punitat oppugnatores imaginum, et praemiet cultores earum, imaginum venerationem honestam esse, detestationem vero earum turpem.

Quintam iam adnecto rationem, quia daemon truculentus humani generis hostis, intestino odio prosequutus est imagines sanctorum, et praecipue b. Virginis, quod evidentissimum argumentum est, gratum esse Deo illarum cultum. Trifariam autem illas persecutus est: primo pervertendo illarum usum, in idololatriam illum convertens, ut Sapiens adnotavit (*lib. Sap. cap. 4*): *Haec fuit*, inquit vitae humanae, *deceptio, quoniam aut affectui, aut regibus deservientes homines incommunicabile nomen lapidibus, et lignis imposuerunt.* Quae deceptio adeo increbuit, ut ea etiam dementatus fuerit sapientissimus omnium Salomon, idolis cultum Dei reddens, ut adnotavit d. Augustinus (*libr. 6. de civ. Dei cap. 9*). Secundo persequitur fidelium animos ab eorum cultu avocando, ut patet ex Concilio 2. Nicaeno (*act. 5*), et ex Damasceno (*orat. 1. et 2. de imagin.*), ubi refertur historia illa supra tacta de daemone, qui promisit cuidam monacho non amplius illum tentaturum, si imaginem Deiparae, quam in cella habebat, a se abiiceret. Vincentius Belnacensis (*lib. 1. cap. 24*) commemorat historiam illam, quae in ore omnium versatur, de pictore, cui moris erat b. Virginem pulcherrimam, daemonem vero turpissime depingere: quod ille graviter ferens ex loco eminenti, in quo depingebat, fecit illum cadere; sed beata Virgo manum suam porrigens, illum sustinuit, et illaesum conservavit: idem etiam auctor (*lib. 2. cap. 16*) narrat de quodam monacho nomine Hieronymo, cui singularis erat cura depingendi b. Virginem maiori, qua poterat, pulchritudine: hunc daemon adeo persecutus est, ut speciem pulchrae foeminae assumens, ad libidinem eum provocans, a conventu fugere persuaderet, pretiosiori Ecclesiae supellectili arrepta. Postea vero ligavit eum ad columnam eiusdem conventus, a qua Deipara Virgo illum salvavit; et loco eius daemonem substituit, in eadem forma, qua monachum deceperat: ad quod spectaculum assurgentes Fratres a somno cum viderent, acerrime ab eis vapulavit. Tertio tandem diabolus imagines persequitur pictores instigans profane, et lascive illas depingere, ut sic non ad devotionem, sed ad libidinem potius provocent: itaque daemon verum, et propriam imaginum usum in obliquas vias trahit, et quasi cum pictore agit, ut dum Christum pingit, Apollinem pingat, et dum Virginem, aut Magdalenam efformat, Venerem ante oculos ponat, eos lasciviores fucos adhibens, quos turpioris foeminae vultus, aut histrionis os vix ferret; et quod valde execrandum est, simulatione alicuius sanctae virginis concubinae imaginem proponat. Quem execrandum abusum praecavere cupiens sacrum Concilium Trident. (*sess. 25*), dixit: *Omnis porro superstitio in Sanctorum invocatione, reliquiarum veneratione, et imaginum sacro usu tollatur, omnis turpis quaestus eliminetur, omnis denique lasciviа vitetur; ita ut procaci venustate imagines non pingantur, nec ornentur:* et subiungit: *Nihil profanum, nihil inhonestum appareat.* Nec mirum, sacrum Concilium divino Spiritu afflatum id monuisse, cum et Aristoteles solo rationis lumine illustratus (7. *Polit. cap. 17*) dixerit: *Magistratus publicus cavere debet, nec id imaginum sit in civitate, quod admoneat turpitudinis.*

Ad extremum sextam, eamque efficacissimam rationem indico ad imaginum cultum fovendum, quae ab improbitate illas oppugnantium, et pietate cultum earum tuentium desumitur;

nam oppugnatores fuerant omnes aut Iudaei, aut Samariani, aut Mahumetani, aut Necromantici, aut manifeste haeretici, ut constat ex relatis (*supra* §. 1), et tradit cardinalis Bellarminus (*lib. 2. de imagin.*); hos autem impios esse, nemo catholicus inficiari potest: defensores autem imaginum fuerunt sancti, ac perdocti viri, ut summi Pontifices Gregor. et Adrianus, Germanus, et Tharasius Episcopi Constantinopolitani, Damascenus, Methodius, Leontius, Paulus Diaconus, et Patres omnes 2. Concilii Nicaeni, et reliquorum omnium, quos in discursu huius homiliae non semel retulimus. Quis autem non videat incredibile penitus esse, voluisse Deum optimum maximum per hostes suos potius, quam per amicos Ecclesiam suam circa imaginum usum, vel abusum docere et instituere? Ad extremum, quae hucusque adduximus de religioso usu imaginum Christi Domini, Deiparae, et Sanctorum, locum etiam habere putamus de imaginibus Dei. Scio perplures haereticos, praecipue tamen Calvinum (*lib. 5. instit. cap. 11*), nefas esse arbitrari, imaginem Dei fabricare, tum quia id expresse ipse prohibet (*Isa. 40*) dicens: *Cui similem fecistis Deum, aut qualem imaginem ponetis ei?* tum quia in 7. Synodo (*act. 3*) dicitur: *Incisibilis esse, nec depingi, nec figurari se permittit;* tum ex d. Damasceno (*lib. 3. cap. 17*) asserente: *Extremae dementiae est velle depingere Deum;* cui consonant verba d. Augustini (*libr. 4. de civit. cap. 21*), ex sententia Varronis dicentis: *Naturali lumine cognosci Deum sine simulacro esse colendum;* tum tandem ratione, quia Deus in se unus spiritus est, omni figura, et corpore carens: ergo omnino impossibile est per corpoream imaginem figurari. Qua ratione ducti Durandus (*in 3. dist. 9. q. 2. ad 4*), Abulensis (*in cap. 4. Deuter. quaest. 5*), fatuum esse affirmant, imagines Trinitatis facere, aut venerari. Sed haec omnia facile evanescunt, si attendamus, bifariam posse imaginem Dei pingi; primo modo ad repraesentandum illum, prout in se est, vel secundum propriam, ac formalem similitudinem, et hoc nec possibile est depingi, ut unanimi consensu testantur sancti Patres, d. Damascenus (*lib. 3. cap. 16. et orat. 1. de imag.*), referentes ad id Dionysium, Gregorium Nazianzenum, d. Clementem Alexandrin. (*lib. 1. stromat. circa princ. et lib. 6. circa finem*), Gregorium Papam (*epist. ad German.*), d. Augustinum (*lib. 4. de civ. c. 1*), Hieron. (*epis. 1. ad Ioann.*), Theodorum patriarcham Hierosolymitanum (*in ep. Synod.*), quae habetur 7. Synodo (*act. 3*). Idque solum convincunt, quod nuper adduximus pro sententia Calvini. Secundo modo potest imago Dei depingi ad praesentandum illum secundum quandam metaphoram, aut proportionem, seu sub aliqua specie, aut figura, in qua interdum in Scriptura sacra apparuisse dicitur: et hac ratione licitum, et honestum esse usum imaginum Dei, sicut et angelorum, satis probat consuetudo Ecclesiae Romanae, quae illas admittit, imo in 7. Synodo (*act. 5*) circa medium, Spiritus sancti imago sub specie columbae approbatur, unde moris fuit olim, ut constat ex 5. Synodo (*act. 1*), aureas, et argenteas columbas ad repraesentandum Spiritum sanctum, qui sub hac forma apparere dignatus fuerat, super divina lavacra, et altaria appendi. Refert autem Amphilochius, Basilium Magnum solitum fuisse Eucharistiam in eiusmodi columbis asservare 6. etiam Synodo (*canon. 82*). Ratio tandem id ipsum manifeste confirmat, quia sacra Scriptura saepe loquitur de Deo per metaphoram nominibus rerum sensibilium, quia nos solum per analogiam ad res sensibiles illum concipimus: et ideo etiam Deus saepe apparuit sub forma sensibili; apparuit tanquam homo deambulans in paradiso ad auram post meridiem ea (*Gen. 3*) Iacob vidit Deum innixum summitati scalae, et proinde forma corporea, (*Genes. 28*): Moyses vidit posteriora Dei: id est, terga, et humeros, (*Exod. 33*), Isaias (*cap. 6*), Michaeas (*3. Reg. ult.*), viderunt Dominum sedentem in solio ad formam hominis regis: et Amos (*cap. 9*) vidit Dominum stantem super altare.

Quid plura? Verbum caro factum est. Et Spiritus sanctus apparuit sub specie columbae (*Ioa. 1*), et Pater sub specie Senis (*Dan. 7*), ut explicat Augustinus (*lib. 2. de Trinit. cap. ult.*), et ibi caput, et capillos eius canos et vestimenta eius alba describit, et (*Genes. 18*) Trinitas repraesentata fuit, quando Abraham *Tres vidit, et unum adoravit*, ut (*eod. l. 2*) August. exponit (*c. 11*). Ergo eadem ratione potest Deus metaphorice depingi: sicut depinguntur etiam quatuor Evangelistae sub speciebus quatuor animalium, sub quibus in Scriptura sacra repraesentantur, vel sicut virtutes etiam solent metaphorice depingi. Illud tamen circa omnes imagines adorandi Catholicis etiam rudibus, et ignorantibus tradamus, et haereticorum dementiam, qui arbitrantur, in imaginum adoratione idololatriam latere, evidenter convincamus: illud autem est, imagines adorandas esse, non ut in illis sistat adoratio, sed quod transeat ad prototypum; ita ut affectus non terminetur in ipsam figuram praecise, sed in eam, ut includentem exemplar, ad quod refertur. Itaque proponendum est populo christiano imaginem, non ut divisam ab exemplari, sed ut coniunctam adorari debere: ita expresse docent Concilia, Patres, et ratio ipsa. Ex singulis his aliquid attingam, copiosiorem huius tractationem scholasticis nostris disputationibus relinquens. In primis Concilium Tridentinum plane hanc doctrinam docet (*sess. 25*) decreto de sacris imaginibus: ubi postquam docuerat imaginibus honorem esse exhibendum, non quia in eis aliqua inesset virtus, subdit rationem: *Quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant, ut per imagines, quas osculamur, et coram quibus caput aperimus, et procumbimus, Christum adoremus, et sanctos, quorum illae similitudinem gerunt.* Quod idem expresse docet 7. Synodus (*act. 7. in defin fid.*), nec non Concilium Senonens. (*cap. 14*) huic doctrinae subscribens: D. Basilius (*lib. de Spir. sancto ad Amphil. c. 18*) ait: *Quia rex dicitur regis imago, et non duo reges, nec enim imperium scinditur, nec gloria discinditur; quemadmodum principatus, et potestas una est quae nobis dominatur, sic etiam et glorificatio a nobis una est,*

et non multae, propterea quod imaginis honor ad exemplar transit. Quae verba refert divus Damasc. (3. *de fide*). Ecce hi Patres ex divisione adorationis divisiones inferunt imperii, et excellentiae; e contra vero ex individua excellentia et imperio individuam adorationem colligunt: idque optima quidem ratione, quia excellentia est in eo, cui adoratio refertur; divisa autem ratio excellentiae ab exemplari, cum non maneat aliqua excellentia in eo, cum totam mutuet adaequate ab exemplari, adorari non poterit, absque vitio Idololatriae. Addo tandem fundamentalem rationem ex natura ipsiusmet adorationis petitam. Nulla res inanimata divisa, et separata a rationali capax est ex se adorationis; nam cum per adorationem submittat se adorans alicui excellenti, et sibi superiori, inanimatae vero rei nemo suae mentis se submittit, aut servitutem defert. At si imago dividatur ab exemplari, ita, ut non apprehendatur cum illo, est res quaedam inanimata irrationalis; ergo manifeste efficitur, necessarium esse ad hoc, ut illi adoratio deferatur, apprehendi simul cum exemplari: imo cum imago non alia ratione colatur, nisi propter habitudinem ad exemplar, qua sublata, necesse est rationem imaginis penitus auferri; implicatio contradictionis est, nisi quis idololatriae servat, adorare imaginem divisam ab exemplari; et hoc sane est, quod Aristoteles (*lib. de mem. et remin. cap.* 2) docuit cum dixit: *Idem est motus in imaginem, et in rem, cujus est imago.* Ex quo evidenter sequitur, ut colligit divus Thomas (3. *part. qu.* 25. *art.* 3. 4. *et* 5) eundem esse adorationis motum in imaginem Virginis depictam, et exemplar eius; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA VI.

Potissimum medium ad obtinendam devotionem Virginis, et conciliandum nobis eius amorem, virtutum illius imitationem esse ex doctrina sanctorum Patrum palam fit.

Neminem ignorare arbitror magni momenti igniculum esse ad amorem virtutis in nobis excitandum sanctorum hominum exempla. Etenim licet Deus Opt. Max. posset nos per seipsum erudire, tamen nostrae imbecillitati se sapienter accommodans non tantum verbis, et inspirationibus internis, sed etiam Sanctorum exemplis cupit nos ad perfectionem impellere: quare, qui illa, ut sequatur despicit, quasi aures mentis divinis sermonibus claudit: etenim Sanctorum vita sermo Dei est, vivus, et efficax sermo penetrabilior omni gladio ancipiti, sermo satis patens, apertus, quo veram virtutem pandunt, et perfectionis semitas ante oculos ponunt, ut non obscure mihi significari videtur per illud (*Apocalyp.* 20), ubi libri vocantur vitae iustorum: *Et libri aperti sunt*, quoniam in illis legimus non tantum, quod sciamus, sed quod opere complere et imitari debeamus; unde et ubera sponsae, quae populos designant (*Cant.* 4), comparantur duobus hynnulis capreae gemellis, qui pascuntur in liliis: id est, in viris sanctis, qui hoc in saeculo fuerunt velut lilia inter spinas. Quod si sanctorum exempla imitari par est, quanto maiori studio imitanda nobis erit Deipara Virgo? etenim alii sancti singuli in singulis virtutibus florucre, iuxta illud, quod canit Ecclesia: *Non est inventus similis illi, qui conservaret legem excelsi;* beata autem Virgo in omnibus virtutibus mirifice emicuit, in quibus heroica illarum exempla nobis reliquit, ut observavit angelicus doctor sanct. Thomas (*opusc.* 8) dicens: *Alii sancti specialia quaedam opera virtutum exercuerunt, quia alius fuit humilis, alius castus, ideo ipsi dantur in exemplum specialium virtutum; sed b. Virgo in exemplum omnium:* unde Sophronius (*serm. de assumpt.*) inquit: *B. Dei Genitricem si diligentius inspicias, nihil est virtutis, nihil speciositatis, nihil candoris, gloriaque quod ex ea resplendeat; et ideo bene circumdant eam flores rosarum, et lilia convallium, ut virtutes virtutibus fulciantur, et formositas decore castitatis augeatur.* Sed multo amica uberrimam virtutum copiam, quibus b. Virgo praefulsit, antiquissimus Ignatius (*in epist. ad S. Ioan. Apost.*) pie, et sapienter per haec verba descripsit: *Et quidem notificavere, eandem Matrem Dei omnium gratiarum esse abundantem, et omnium virtutum more Virginis foecundam, quae ut dicunt in persecutionibus et afflictionibus est hilaris, in penuriis, et indigentiis non querula, iniuriantibus grata, et modesta, in re laeta miseris, et afflictis condolet coafflicta, et subvenire non pigrescit: contra vitiorum autem pestiferos conflictus in pugna fidei disceptans enitescit: nostrae nocae religionis, et poenitentiae est magistra, et apud fideles omnium operum pietatis ministra: humilibus quidem est devota, et devotis devotius humiliatur; et mire ab omnibus magnificatur;* et infra: *Sicut nobis a fide digni narrantur, in Maria Matre Iesu humanae naturae, natura sanctitatis angelicae sociatur;* haec Ignatius.

Deinde in eo manifeste innotescit, quanto utilius nobis sit, b. Virginem, quam reliquos omnes divos in vivum exemplar ad imitandum nobis ante oculos proponere, quod alii Sancti, quantumvis insignes sanctitatis magistri, non potuerunt in hac vita omnem peccati contagionem, et labem evadere. Quare si vestigia omnia vitae illorum sequi volumus, nonnullis sordidari necesse erit, cum a sordibus ipsi non fuerint alieni; unde divus Paulus modestissime de se loquens, non dixit absolute (1. *Corinth.* 11): *Imitatores mei estote;* sed continuo subiungit: *Sicut et ego Christi;* ac si diceret, quia ego homo sum, et licet alioquin Apostolus, et primitias Spiritus habens, nonnullis imperfectionibus, et peccatis venialibus inficior: ut enim ipse dixit, quod odi malum, hoc facio; solum a vobis imitandus sum, quatenus ego Christum imitor: nam si quid est, in quo a Christo vel minimum deviem, in hoc nullatenus postulo ab hominibus imitari. Secus autem contigit in b. Virgine: nam cum ab instanti suae Conceptionis, et per totum vitae suae curriculum immaculata semper extiterit, et ab omni prorsus peccati, cum venialis labe, imo et ab omni cuiuslibet minimae imperfectionis pulvisculo omnino immunis, nulla certe in cuiuscumque Mariae actionis imitationem peccati labes irrepere poterit. Quod si re ipsa irrepserit illa, non ab ipso exemplari manabit, sed a nostra imbecillitate, aut malitia procedet.

Porro multifariam, multisque modis in sacris eloquiis, et sanctis Patribus reperio b. Virginem nobis propositam exemplar, ad cuius imitationem incompositos nostros mores componamus: etenim (*Esther c.* 15) Virginem in coelum ascendentem, in regina Esther egregie adumbratam video, cui duae famulae obsequebantur, super quarum unam innitebatur, altera vero sequebatur, defluentia in humum vestimenta colligens: illa significat angelicam naturam, super angelos enim innititur in coelo, familiarissime cum illis agendo; natura vero humana est famula, quae Dominam suam Mariam sequitur in mundo, eius vestimenta colligens, hoc est, virtutes, et exempla, quibus velut pretiosissimis vestibus induebatur: in figura etiam intuear Deiparam Virginem, nobis in exemplum propositam ab Isaia (*c.* 51), cum nobis dixit: *Attendite ad Abraham patrem vestrum, et ad Sarum, quae peperit vos,* hoc est, defigite oculos in velerum Patrum vestrorum fidem, obedientiam, ceterasque eximias eorum virtutes, atque etiam in remunerationem, quam a Deo receperunt, idque eo fine, ut et vos eorum insistatis vestigiis, et similem cum iis remunerationem obtineatis: quod tunc autem in figura dictum est, idem nobis Spiritus sanctus nunc clare, et aperte praedicat: attendite ad Christum Patrem vestrum, qui mortem occumbens in cruce, per gratiam vos in filios suos genuit: considerate diligenter eius exemplum, ut imitari possitis, quemadmodum monet Apost. Petrus (1. *Pet.* 2): *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius.* Attendite ad immaculatam Virginem Mariam mundi Dominam in Sara matre vestra praesignificatam: considerate sedulo eius exemplum, ut eam imitemini: *Mementote,* ait b. Paulus (*Hebr.* 13), *praepositorum vestrorum, qui vobis loquuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem.* Praepositi illi, quos imitandos proponit b. Paulus, fuere Apostoli, virique Apostolici, ad quorum imitationem si nos excitat, multo aequis nos invitat ad imitandam prudentissimam Virginem, ipsorum nimirum Apostolorum magistram, et perfectissimum apostolicae vitae exemplar. Ad quod respiciens s. Methodius (*in hypopant.*) b. Virginem vocavit, *fidelium facem:* nam sicut fax accensa, non tantum ardet in se, sed aliis lucem praebet; ita Deipara Virgo non tantum charitatis igne in se flagrabat, sed et exempli fulgore semper aliis praeluxit: unde d. Bonav. (*in specul. B. Virg. c.* 3) dixit: *Maria est illuminatrix plurimorum per exempla lucidissima vitae suae: ipsa est, cuius vita gloriosa lucem dedit saeculo: ipsa est, cuius vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias: ipsa enim est lucerna Ecclesiae, ad hoc illuminata a Deo, ut per ipsam contra tenebras mundi illuminaretur Ecclesia. Oret ergo Ecclesia, oret fidelis anima, et dicat: quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine Deus meus, illumina tenebras meas: haec vero lucernam Dominus illuminavit plenissime, et per hanc illuminationem tenebras animarum nostrarum fugat, et fugavit: hoc bene sentiens Bernardus, ait: O Maria, tu virtutum tibi indularum magnificis exemplis ad imitationem tui nos provocas, sicque noctem nostram illuminas. Qui enim vias tuas consectatus fuerit, non ambulat in tenebris, sed habet lucem vitae;* hactenus ille.

Ac tandem verba illa (*Ezech.* 14) mystice intellecta, non obscure mihi ob oculos ponunt, b. Virginem, tanquam exemplar, inspiciendam esse, tum ut confundamur, tum, ut omnem iniquitatem longe a nobis abiiciamus: *Filii hominis,* ait Dominus ad Ezechielem *ostende domui Israel templum, ut confundantur ab iniquitatibus suis, et metiantur fabricam, et erubescant ex omnibus quae fecerunt.* Equidem b. Virginem per templum apte adeo significari censuit d. Antoninus, ut postquam (3. *par. tit.* 31. *c.* 4. §. 2) copiose id ostendisset, pulchre ea, quae in templo erant, eius virtutibus in haec verba accommodat: *Abundantia gratiae, et virtutum Deiparae, in templo ipso figurata fuit: nam in medio eius, in loco, qui dicitur sancta, erat ex uno latere mensa aurea cum duodecim panibus propositionis, ex alio latere aureum thymiamatis, et thuribulum aureum, ac etiam candelabrum aureum cum septem lucernis, velum quoque quod dicebat sancta Sanctorum quadricolore, sic in templo mentis virginalis fuit mensa fidei perfectissimae duodecim articulorum designatorum per panes fuit, et altare aureum summae dilectionis cum thuribulo speciali, unde fumus aromatum, id est, devotissimarum orationum, et contemplationum ascendebat ad coelum: candelabrum quoque gratiae septem donorum Spiritus sancti, virtutes quoque cardinales designatae per velum quatuor colorum, secundum Magistrum (in 3. sent.) utique fuerunt prudentia, fortitudo, iustitia, et temperantia;* haec s. Antoninus. Cum ergo b. Virgo sit templum animatum, in quo Deus non solum spiritualiter per gratiae, et virtutum charismata, sed corporaliter homo factus delituit, certe cum Ezechiele praecipimur respicere ad templum, ut confundamur, et erubescamus: congrue satis intelligimus, et moneri ad Mariam respicere? cuius heroica virtutum exempla intuentes, necesse erit verecundiae rubore suffundi, et ad eam imitandam vehementer excitari.

Ceterum ut ad Patres me convertam, idipsum disertis verbis tradidisse comperio divum Hieronymum (*epist.* 22. *ad Eustoch.*) dicentem: *Nos meliorum exempla sectemur: propono ibi beatam Mariam, quae tanta extitit puritatis, ut Mater Domini esse mereretur.* Divus Bonaventura (*in stimul. divin. amor. cap.* 7) ita loquitur: *Ipsam Matrem Dei et peccatorum, tanquam bonus et devotus filius, in omnibus pro posse studeas imitari: tum enim proculdubio te sibi tanquam Matri veraciter exhibes, et ipsa te tan-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

et non multae, propterea quod imaginis honor ad exemplar transit. Quae verba refert divus Damasc. (3. *de fide*). Ecce hi Patres ex divisione adorationis divisiones inferunt imperii, et excellentiae; e contra vero ex individua excellentia et imperio individuam adorationem colligunt: idque optima quidem ratione, quia excellentia est in eo, cui adoratio refertur; divisa autem ratio excellentiae ab exemplari, cum non maneat aliqua excellentia in eo, cum totam mutuet adaequate ab exemplari, adorari non poterit, absque vitio Idololatriae. Addo tandem fundamentalem rationem ex natura ipsiusmet adorationis petitam. Nulla res inanimata divisa, et separata a rationali capax est ex se adorationis; nam cum per adorationem submittat se adorans alicui excellenti, et sibi superiori, inanimatae vero rei nemo suae mentis se submittit, aut servitutem defert. At si imago dividatur ab exemplari, ita, ut non apprehendatur cum illo, est res quaedam inanimata irrationalis; ergo manifeste efficitur, necessarium esse ad hoc, ut illi adoratio deferatur, apprehendi simul cum exemplari: imo cum imago non alia ratione colatur, nisi propter habitudinem ad exemplar, qua sublata, necesse est rationem imaginis penitus auferri; implicatio contradictionis est, nisi quis idololatriae servat, adorare imaginem divisam ab exemplari; et hoc sane est, quod Aristoteles (*lib. de mem. et remin. cap.* 2) docuit cum dixit: *Idem est motus in imaginem, et in rem, cujus est imago.* Ex quo evidenter sequitur, ut colligit divus Thomas (3. *part. qu.* 25. *art.* 3. 4. *et* 5) eundem esse adorationis motum in imaginem Virginis depictam, et exemplar eius; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA VI.

Potissimum medium ad obtinendam devotionem Virginis, et conciliandum nobis eius amorem, virtutum illius imitationem esse ex doctrina sanctorum Patrum palam fit.

Neminem ignorare arbitror magni momenti igniculum esse ad amorem virtutis in nobis excitandum sanctorum hominum exempla. Etenim licet Deus Opt. Max. posset nos per seipsum erudire, tamen nostrae imbecillitati se sapienter accommodans non tantum verbis, et inspirationibus internis, sed etiam Sanctorum exemplis cupit nos ad perfectionem impellere: quare, qui illa, ut sequatur despicit, quasi aures mentis divinis sermonibus claudit: etenim Sanctorum vita sermo Dei est, vivus, et efficax sermo penetrabilior omni gladio ancipiti, sermo satis patens, apertus, quo veram virtutem pandunt, et perfectionis semitas ante oculos ponunt, ut non obscure mihi significari videtur per illud (*Apocalyp.* 20), ubi libri vocantur vitae iustorum: *Et libri aperti sunt*, quoniam in illis legimus non tantum, quod sciamus, sed quod opere complere et imitari debeamus; unde et ubera sponsae, quae populos designant (*Cant.* 4), comparantur duobus hynnulis capreae gemellis, qui pascuntur in liliis: id est, in viris sanctis, qui hoc in saeculo fuerunt velut lilia inter spinas. Quod si sanctorum exempla imitari par est, quanto maiori studio imitanda nobis erit Deipara Virgo? etenim alii sancti singuli in singulis virtutibus florucre, iuxta illud, quod canit Ecclesia: *Non est inventus similis illi, qui conservaret legem excelsi;* beata autem Virgo in omnibus virtutibus mirifice emicuit, in quibus heroica illarum exempla nobis reliquit, ut observavit angelicus doctor sanct. Thomas (*opusc.* 8) dicens: *Alii sancti specialia quaedam opera virtutum exercuerunt, quia alius fuit humilis, alius castus, ideo ipsi dantur in exemplum specialium virtutum; sed b. Virgo in exemplum omnium:* unde Sophronius (*serm. de assumpt.*) inquit: *B. Dei Genitricem si diligentius inspicias, nihil est virtutis, nihil speciositatis, nihil candoris, gloriaque quod ex ea resplendeat; et ideo bene circumdant eam flores rosarum, et lilia convallium, ut virtutes virtutibus fulciantur, et formositas decore castitatis augeatur.* Sed multo amica uberrimam virtutum copiam, quibus b. Virgo praefulsit, antiquissimus Ignatius (*in epist. ad S. Ioan. Apost.*) pie, et sapienter per haec verba descripsit: *Et quidem notificavere, eandem Matrem Dei omnium gratiarum esse abundantem, et omnium virtutum more Virginis foecundam, quae ut dicunt in persecutionibus et afflictionibus est hilaris, in penuriis, et indigentiis non querula, iniuriantibus grata, et modesta, in re laeta miseris, et afflictis condolet coafflicta, et subvenire non pigrescit: contra vitiorum autem pestiferos conflictus in pugna fidei disceptans enitescit: nostrae nocae religionis, et poenitentiae est magistra, et apud fideles omnium operum pietatis ministra: humilibus quidem est devota, et devotis devotius humiliatur; et mire ab omnibus magnificatur;* et infra: *Sicut nobis a fide digni narrantur, in Maria Matre Iesu humanae naturae, natura sanctitatis angelicae sociatur;* haec Ignatius.

Deinde in eo manifeste innotescit, quanto utilius nobis sit, b. Virginem, quam reliquos omnes divos in vivum exemplar ad imitandum nobis ante oculos proponere, quod alii Sancti, quantumvis insignes sanctitatis magistri, non potuerunt in hac vita omnem peccati contagionem, et labem evadere. Quare si vestigia omnia vitae illorum sequi volumus, nonnullis sordidari necesse erit, cum a sordibus ipsi non fuerint alieni; unde divus Paulus modestissime de se loquens, non dixit absolute (1. *Corinth.* 11): *Imitatores mei estote;* sed continuo subiungit: *Sicut et ego Christi;* ac si diceret, quia ego homo sum, et licet alioquin Apostolus, et primitias Spiritus habens, nonnullis imperfectionibus, et peccatis venialibus inficior: ut enim ipse dixit, quod odi malum, hoc facio; solum a vobis imitandus sum, quatenus ego Christum imitor: nam si quid est, in quo a Christo vel minimum deviem, in hoc nullatenus postulo ab hominibus imitari. Secus autem contigit in b. Virgine: nam cum ab instanti suae Conceptionis, et per totum vitae suae curriculum immaculata semper extiterit, et ab omni prorsus peccati, cum venialis labe, imo et ab omni cuiuslibet minimae imperfectionis pulvisculo omnino immunis, nulla certe in cuiuscumque Mariae actionis imitationem peccati labes irrepere poterit. Quod si re ipsa irrepserit illa, non ab ipso exemplari manabit, sed a nostra imbecillitate, aut malitia procedet.

Porro multifariam, multisque modis in sacris eloquiis, et sanctis Patribus reperio b. Virginem nobis propositam exemplar, ad cuius imitationem incompositos nostros mores componamus: etenim (*Esther c.* 15) Virginem in coelum ascendentem, in regina Esther egregie adumbratam video, cui duae famulae obsequebantur, super quarum unam innitebatur, altera vero sequebatur, defluentia in humum vestimenta colligens: illa significat angelicam naturam, super angelos enim innititur in coelo, familiarissime cum illis agendo; natura vero humana est famula, quae Dominam suam Mariam sequitur in mundo, eius vestimenta colligens, hoc est, virtutes, et exempla, quibus velut pretiosissimis vestibus induebatur: in figura etiam intuear Deiparam Virginem, nobis in exemplum propositam ab Isaia (*c.* 51), cum nobis dixit: *Attendite ad Abraham patrem vestrum, et ad Sarum, quae peperit vos,* hoc est, defigite oculos in velerum Patrum vestrorum fidem, obedientiam, ceterasque eximias eorum virtutes, atque etiam in remunerationem, quam a Deo receperunt, idque eo fine, ut et vos eorum insistatis vestigiis, et similem cum iis remunerationem obtineatis: quod tunc autem in figura dictum est, idem nobis Spiritus sanctus nunc clare, et aperte praedicat: attendite ad Christum Patrem vestrum, qui mortem occumbens in cruce, per gratiam vos in filios suos genuit: considerate diligenter eius exemplum, ut imitari possitis, quemadmodum monet Apost. Petrus (1. *Pet.* 2): *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius.* Attendite ad immaculatam Virginem Mariam mundi Dominam in Sara matre vestra praesignificatam: considerate sedulo eius exemplum, ut eam imitemini: *Mementote,* ait b. Paulus (*Hebr.* 13), *praepositorum vestrorum, qui vobis loquuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem.* Praepositi illi, quos imitandos proponit b. Paulus, fuere Apostoli, virique Apostolici, ad quorum imitationem si nos excitat, multo aequis nos invitat ad imitandam prudentissimam Virginem, ipsorum nimirum Apostolorum magistram, et perfectissimum apostolicae vitae exemplar. Ad quod respiciens s. Methodius (*in hypopant.*) b. Virginem vocavit, *fidelium facem:* nam sicut fax accensa, non tantum ardet in se, sed aliis lucem praebet; ita Deipara Virgo non tantum charitatis igne in se flagrabat, sed et exempli fulgore semper aliis praeluxit: unde d. Bonav. (*in specul. B. Virg. c.* 3) dixit: *Maria est illuminatrix plurimorum per exempla lucidissima vitae suae: ipsa est, cuius vita gloriosa lucem dedit saeculo: ipsa est, cuius vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias: ipsa enim est lucerna Ecclesiae, ad hoc illuminata a Deo, ut per ipsam contra tenebras mundi illuminaretur Ecclesia. Oret ergo Ecclesia, oret fidelis anima, et dicat: quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine Deus meus, illumina tenebras meas: haec vero lucernam Dominus illuminavit plenissime, et per hanc illuminationem tenebras animarum nostrarum fugat, et fugavit: hoc bene sentiens Bernardus, ait: O Maria, tu virtutum tibi indularum magnificis exemplis ad imitationem tui nos provocas, sicque noctem nostram illuminas. Qui enim vias tuas consectatus fuerit, non ambulat in tenebris, sed habet lucem vitae;* hactenus ille.

Ac tandem verba illa (*Ezech.* 14) mystice intellecta, non obscure mihi ob oculos ponunt, b. Virginem, tanquam exemplar, inspiciendam esse, tum ut confundamur, tum, ut omnem iniquitatem longe a nobis abiiciamus: *Filii hominis,* ait Dominus ad Ezechielem *ostende domui Israel templum, ut confundantur ab iniquitatibus suis, et metiantur fabricam, et erubescant ex omnibus quae fecerunt.* Equidem b. Virginem per templum apte adeo significari censuit d. Antoninus, ut postquam (3. *par. tit.* 31. *c.* 4. §. 2) copiose id ostendisset, pulchre ea, quae in templo erant, eius virtutibus in haec verba accommodat: *Abundantia gratiae, et virtutum Deiparae, in templo ipso figurata fuit: nam in medio eius, in loco, qui dicitur sancta, erat ex uno latere mensa aurea cum duodecim panibus propositionis, ex alio latere aureum thymiamatis, et thuribulum aureum, ac etiam candelabrum aureum cum septem lucernis, velum quoque quod dicebat sancta Sanctorum quadricolore, sic in templo mentis virginalis fuit mensa fidei perfectissimae duodecim articulorum designatorum per panes fuit, et altare aureum summae dilectionis cum thuribulo speciali, unde fumus aromatum, id est, devotissimarum orationum, et contemplationum ascendebat ad coelum: candelabrum quoque gratiae septem donorum Spiritus sancti, virtutes quoque cardinales designatae per velum quatuor colorum, secundum Magistrum (in 3. sent.) utique fuerunt prudentia, fortitudo, iustitia, et temperantia;* haec s. Antoninus. Cum ergo b. Virgo sit templum animatum, in quo Deus non solum spiritualiter per gratiae, et virtutum charismata, sed corporaliter homo factus delituit, certe cum Ezechiele praecipimur respicere ad templum, ut confundamur, et erubescamus: congrue satis intelligimus, et moneri ad Mariam respicere? cuius heroica virtutum exempla intuentes, necesse erit verecundiae rubore suffundi, et ad eam imitandam vehementer excitari.

Ceterum ut ad Patres me convertam, idipsum disertis verbis tradidisse comperio divum Hieronymum (*epist.* 22. *ad Eustoch.*) dicentem: *Nos meliorum exempla sectemur: propono ibi beatam Mariam, quae tanta extitit puritatis, ut Mater Domini esse mereretur.* Divus Bonaventura (*in stimul. divin. amor. cap.* 7) ita loquitur: *Ipsam Matrem Dei et peccatorum, tanquam bonus et devotus filius, in omnibus pro posse studeas imitari: tum enim proculdubio te sibi tanquam Matri veraciter exhibes, et ipsa te tan-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

quam suum filium veraciter adiuvabit, et quae digne ab ea petieris, tibi dabit, et in omnibus tibi necessariis ad salutem suppliciter ministrabit, et tandem in coelesti gloria te apud se feliciter collocabit; hactenus d. Bonaventura. D. Ambrosius (*lib.* 2. *de virg.*) haec praeclara in idem argumentum scripsit: *Sit vobis tanquam in imagine descripta virginitas, vitaque beatae Mariae, de qua velut in speculo refulget species castitatis, et forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla vivendi, ubi tanquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid tenere debeatis ostendit.* Ecce divus Ambrosius vocat beatam Virginem speculum, ad quod aspicientes spiritualis animae maculas abstergere debemus; ut enim dixit divus Iacobus (*in sua canon. cap.* 1): *Qui auditor est verbi, et non factor, hic comparabitur viro considerenti vultum nativitatis suae in speculo: consideravit enim se, et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit.* Sane quemadmodum si quis in speculo suam faciem intueatur, et nec sordida abluat, nec turpia corrigat, nec incomposita diligenter componat, is abolitur speculo, nullam ex sui aspectu utilitatem decerpens; sic Marianum speculum contemplans, si mores suos non compoult, et maculas abluit, nihil ei proderit talis aspectus, nec vere Virginis devotus nuncupari poterit. Cum vero erga Deiparam devotio imitatio sit, idem sancti Patres frequentissime docent: etenim s. Ildephonsus (*serm.* 1. *de Assumpt.*): *Imitamini*, inquit, *Matrem Virginem, et sanctos omnes, quos laudatis, quoniam illis prodest nostra laudatio, quantum nobis eorum imitatio: unde sponso magis placet imitator devotus, quam laudator otiosus; tamen vera laudatio cordis imitatio est operis.* Divus Bonaventura (*in epist.* 25. *memor.*), plane docet, devotionem erga Virginem non esse et acceptam, deficiente eius imitatione: verba eius sunt haec: *Ut tua devotio sit ei accepta, et reverentia grata, ipsius puritatem, et munditiam omni virtute, mente, et corpore illibato in te ipso servanda toto conatu nitaris humilitate, et mansuetudine eius vestigia imitari.* Ut quemadmodum divus Augustinus (*serm.* 30. *de martyr.*) loquens, dixit: *Si ad consortium sanctorum Martyrum pervenire volumus, de imitatione Martyrum cogitemus: debent enim in nobis aliquid de suis virtutibus recognoscere, ut pro nobis dignentur Domino supplicare.* Non dissimiliter, ut devotio nostra erga Virginem sit ei accepta, oportet, ut aliquid de suis virtutibus in nobis recognoscat. Quod probe agnoscens d. Bernardus (*ser. sup. Salv. Regin.*) haec scripsit: *Agnoscit Virgo, et diligit diligentes se, et prope est in veritate invocantibus se, praesertim iis, quos videt conformes sibi factos in castitate, et humilitate, et totam spem suam post filium suum in ea posuerint, et toto corde quaesierint*; haec d. Bernardus.

Quorum omnium Patrum doctrinam confirmant solemnes antiquae, et probatae, quae adhuc durant in Ecclesia, Deum orandi formulae ita precari docentes: *Ut quorum natalia colimus, per eorum ad te exempla gradiamur: ut quorum gaudemus meritis, accendamur exemplis: praesta nobis ex eorum imitatione proficere, et oratione fulciri.* Quibus aperte docemur, summam religionem esse, imitari, quod colimus. Quid, quod ad impetrandam a Virgine coelestia charismata, et ut nostris postulationibus annuant, nullum medium efficacius assumi potest, quam virtutum eius imitatio: ut non obscure indicant verba eiusdem Virginis: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis adimplemini*, id est, a virtutum mearum exemplis, quae sunt spirituales mei partus, et generationes. Unde d. Bernardus (*hom.* 2. *sup. Miss. est*) dixit: *Ut impetres eius orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum. Accedit, quod, cum imitari beatam Virginem, sit imitari Christum, quid enim aliud est Virginis vita, nisi expressum quoddam vitae Christi exemplar? imitatio per mediam virginem facta peculiarem quandam conciliat suavitatem, quam non conciliat eadem imitatio Christi, facta per alios Sanctos; qua via, et modo, facilior quoque efficitur vitae Christi imitatio: dum enim servus Dei totus incumbit contemplationi virtutum, morumque purissimorum sanctissimae Virginis, suamque vitam eius vitae conformare nititur, memor pietatis, benignitatis, charitatis, ceterarumque virtutum, mollescit, et quasi liquescit eius animus, ac in amorem exardescit Dei, qui talem nobis matrem impertiit.*

Rursum illud singulari observatione dignum est in b. Virgine, quod ut experientia docuit, maiorem vim prae ceteris omnibus sanctis habet, ad extorquendum a nobis, si ita fas est loqui, eius imitationem: etenim instar magnetis, quem constat non verbis, sed abscondita naturae vi ferrum ad se trahere, et mirabili nexu sibi copulare, ita b. Virgo divinitus insita sibi virtute ferrea etiam peccatorum pectora ad se trahit: suavitas autem huius tractionis tanta est, ut ad eam explicandam b. Virgo balsami suavitati illam comparaverit, dicens (*Eccles.* 24): *Quasi balsamum aromatizans odorem dedi.* Cuius loci, ut abdita arcana referamus, in memoriam oportebit revocare, quae Plinius (*lib.* 12. *natur. histor. cap.* 25) de balsamo commemorat in haec verba: *Omnibus odoribus praefertur balsamum, uni terrarum Iudaeae concessum. Quondam in duobus tantum hortis, utroque regio; saeviere in eandem arbusculam Iudaei, sicut in vitam quoque suam, contra defendere Romani, et dimicatum pro frutice est, seriique nunc eam fiscus, nec unquam fuit numerosior, aut procerior. Inciditur vitro, lapide, osseisve cultellis, ferro laedi vitalia odit; emoritur protinus, succus e plaga manat, quem opobalsamum vocant, suavitatis eximiae, sed tenui gutta in musto candida rubescit, deinde simulque durescit e translucido. Vitiatur oleo rosae, cypri lentisci, et aliorum quorundam fruticum, et melle mutatum statim contrahit muscas: summa probatio sinceri est, ut lac coagulet, in veste maculas non faciat*; haec Plinius. Latent in his verbis multa quae Virginis praestantiam, ac virtutum eius excellentiam, exprimunt: imprimis illius arbor non culiro ferreo, sed osseo, ac lapideo, et vitro inciditur, et ut quidam dicunt, ea parte, quae respicit solem, inde vero fluit balsamum candidum, quod deinde rubescit. Hoc plane Deiparae satis

congruit, quae Christum solem iustitiae aspiciens, eumque penitus in se excipiens, non ferri materialis sectione, sed filii compassione, qui lapis est angularis, et speculum sine macula vitreum, verisque ossibus constabat, transfigebatur, emittebatque non sanguinem, sed lacrymas, et affectus candentes puritate, rubentes vero charitate: quorum meritum lucidissimum nullo unquam tempore mollitie evanescet, sed durum, ac firmum stabit. Deinde Pausanias (*in Bacoth. lib.* 9) scribit, in Arabia plurimas viperas sub balsami arboribus latitare, easque sub illis commorantes, balsami pastu venenum amittere, ipsarum item morsus ob id esse innoxios. At vero praesidio Deiparae, quae est mystica balsami arbor, daemonibus per serpentes significatis venenum adimitur, ne eorum morsus, et nefariae, quas immittunt, suggestiones, Deiparae devotis noceant. Sicut balsamum praeterea in maiori pretio habetur, quod nullius alterius liquoris mixtione vitiatum est; ita Deipara Virgo illud peculiare habet prae ceteris aliis sanctis, quod illi peccatis admixti fuere, iuxta illud Davidis: *In peccatis concepit me mater mea*; et illud Iacobi: *In multis offendimus omnes*; at balsamum sanctitatis Virginis nulla unquam admixtione peccati originalis, aut actualis vitiatum fuit; unde ipsa (*Eccles.* 24) dixit: *Et quasi balsamum mixtum odor meus.* Hoc autem Bonaventura (*in spec. beat. Virgin. cap.* 5) eleganter explicat: *Balsamum*, inquit, *misceri solet, et vitiari melle, vel oleo; sed certe balsamum Spiritus sancti in Maria non fuit mixtum, quia nec melle carnalitatis, nec mundanae consolationis, nec oleo vanae laudis, et adulationis fuit vitiatum, sed vera, et pura Mariae gratia fuit*; haec Bonaventura. Rursus balsamum olim uni Iudaeae, nulli praeterea regioni erat concessum, quod non tantum Plinius, sed etiam Iustinus (*libr.* 36), Strabo (*lib.* 16), Solinus (*cap.* 36), affirmant: nam ex Iosepho (*lib.* 8 *antiqu. cap.* 6) fertur reginam Saba balsami radicem Salomoni dono dedisse, et ideo in sola Iudaea reperiri, ut propterea ex Plinio (*loc. citat.*) Pompeius devicta Iudaea balsami arbusculam in triumpho duxerit, et Vespasiani imperatores iterum ipsam Romam Iudaea vastata attulerunt, quo tempore Iudaei, ne in potestatem Romanorum venirent, eam prorsus excindere sunt conati, ut diximus ex Plinio, nisi Romani armis eam servassent: quare Virgilius (*in* 2. *Georg.*), referens suas cuique regioni datas arbores, sic de balsamo cecinit:

Divisae arboribus patriae: sola India nigrum
Fert ebanum; solis est thurea virga Sabaeis
Quid tibi odorato referam sudantia ligno
Balsamaque, et baccas semper frondentis acanthi?

Circa Christi tamen adventum videtur balsami frutex multis in locis propagatus. Dioscorides, qui circa Christi tempora claruit, et Avicenna in Ægypto eam nasci testantur, quibus consentit Borchardus (*in description. terr. sanct. part.* 2. *cap.* 4), ubi inter Heliopolim, et Babyloniam medio fere loco a se visum refert hortum balsami, qui nisi irrigetur aqua ex fonte, in quo Deipara, dum in Ægypto maneret, filium lavit, fructum minime edit. Solinus vero ait: *Balsami lucos, devicta Iudaea, ita propagatos, ut iam latissime, inquit, colles nudent balsama.* Strabo in maritimis Sabaeorum sylvestre balsamum oriri tradit; et Pausanias (*in Bacoticis lib.* 9), in Arabia balsami arbores ponit; ex India vero Occidentali nostro saeculo magnam balsami copiam advehi nemo ignorat. Hoc autem in Deiparam optime quadrat, quae prius uni nota Iudaeae, coruscante per universum orbem Evangelio, magno fidelium proventu in universum orbem praedicata, cunctas pariter illustrat Ecclesias, suoque ardore omnes reficit.

Sed nostro praecipue argumento inserviens, quis non videat, balsami odorem suavissimum, virtutum Deiparae fragrantiam indicare, qua omnes recreans pariter suo exemplo ad currendum post Christum excitat, ut liceat nobis dicere illud (*Cant.* 1): *In odorem unguentorum tuorum curremus.* Illud tamen peculiare balsami oleo odorato inest, quod virtutem quandam masculam, et fortem, cuiusmodi erant Deiparae virtutes, non autem mollem, et effeminatam, significet; nam balsamum veluti nobile, ac generosum reliquis unguentis praestans, viris adhiberi solebat, foeminis vero magis congruebat Amomum Assyrium, aliaque id genus delicata unguenta, quibus reges Assyriorum, quorum nolissimus est luxus, utebantur; idque satis exprimit Martialis (*libro* 14. *epigr.* 54).

Balsama me capiunt, haec sunt unguenta virorum,
Delicias Nini vos redolete meus.

Discurre per totum vitae curriculum Deiparae Virginis, et nullam invenies exercuisse actionem, quae non masculae, ac fortis virtutis exemplar sit. In die suae praesentationis triennis, cum essent gradus quindecim scalae templi, ut se Deo sacraret, absque alicuius adminiculo, quasi grandioris aetatis esset, facile ascendit, interno devotionis impetu illam foras impellente. Cum ab angelo audivit filium concepturam, continuo virginitatis amantissima in illa verba prorupit (*Luc.* 1): *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Deinde angelus Dei voluntate, ut Mater Dei fieret, ita se humilem exhibuit, ut ancillam se vocaret (*Luc.* 1): *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Beneficentiae ita fuit solicita, ut, cum primum filium Dei concepit, ad invisendum Elisabeth properaret: *Abiit in montana cum festinatione.* Et cum in Cana Galilaeae nuptiis vinum defecit, a Christo petiit defectum suppleri: *Fili, vinum non habent.* Has quis non videat masculas, et fortes virtutes esse?

Ad extremum si quispiam nosse cupit, quaenam sint illa, in quibus Deiparam Virginem sollicite aemulari debet, compendiose illa tradidit divus Damascenus (*orat.* 2. *de dormit.*), ubi ea quae Virgo amat, quaeque aversatur, recenset: ex quibus, quae in ea sint imitanda, facile deprehendemus, verba eius sunt haec: *Curemus, ut mentem, memoriamque nostram Genitricis Dei promptuarium efficiamus; quo ac-*

tem modo id assequamur? Et Virgo ipsa est, et virginum amans. Pura est, et purorum amans. Quocirca si et corporis, et animi castitatem colamus, ipsius gratiam adipiscemur: siquidem lutum omne fugit, ac coenosas affectiones aversatur: ingluviem exsecratur, foedissimae fornicationis vitiis infesta est: huius impuras, et sceleslas cogitationes non secus ac viperarum foetus fugit: sermones foedos, ac scurriles propellit: contusque ad meretricia unguenta submovet: irae tumorem odio habet: inhumanitatem, et invidiam, ac simultates non admittit: inanem gloriam, vanis laboribus se frangentem, reiicit: superbiae, fastui animo hostili resistit: iniuriarum memoriam, tamquam salutis hostem, odio insectatur: vitium denique omne, tamquam lethale venenum exsecrationi habet. Horum autem contrariis delectatur: contraria enim contrariorum medicamenta sunt. Ieiunio, et parsimonia, psalmorumque cantibus gaudet: cum puritate, et virginitate, ac pudicitia pulchre illi convenit, sempiternamque cum illis pacem colit, easque humane, et comiter exosculatur: pacem animique lenitatem complectitur, charitatem, et misericordiam, atque humilitatem, tamquam alumnas suas, ulnis fovet. Atque, ut rem breviter perstringam, quolibet vitio offenditur, ac discruciatur; qualibet autem virtute, ut peculiari sua nota, laetatur, et exultat. Quamobrem si vitia prompto, atque alacri animo vitemus, virtutes autem omni studio, atque amore complectamur, easque socias adhibeamus, frequens ipsa ad famulos suos veniet, ac secum bonorum omnium agmen trahet, Christumque filium suum, omnium que regem, ac Dominum in cordibus nostris habitantem assumet; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA VII.

Commemorantur templa ab Ecclesia aedificata ad cultum Deiparae, non solum dum vitam ageret, sed antequam conciperetur.

Unigenitus aeterni Patris futurus in tempore filius Virginis matris, sollicitam curam gessit, ne solum fideles post Genitricis suae in coelum Assumptionem, sacrorum templorum in eius honorem erectione, sed et multo retro tempore, ante eius Conceptionem, nec non et illa superstite, hoc religiosi cultus genere venerarentur. Quam rem gravissimorum auctorum testimonio palam faciam: et quidem in primis, ut a Druidis Gallorum sacerdotibus sermonem auspicemur, qui inter illos sapientissimi sunt habiti; et, ut verbis utar Caesaris (*lib. 2. de bello Gallico*), non tantum magno erant apud reliquos in honore, sed etiam certo anni tempore in finibus Carnutum, quae regio totius Galliae habetur media, considebant in loco consecrato, ibique de aliorum controversiis constituebant. Hi, quemadmodum olim Athenienses, aram ignoto Deo dicarant: sic et ipsi multis, antequam Deipara nasceretur, annis, Carnuti urbe, Galliae Lugdunensis florentissima, in eodem agro, qui ipsorum comitiis erat destinatus, aram sub terram profunde excavatam, Deiparae dicarunt, cum hac inscriptione, *Virgini pariturae:* quem locum postea sub terra, et super terram egregie ampliatum, atque exornatum, Christiani in celeberrimam Ecclesiam cathedralem erexerunt, quemadmodum Carnutenses, ac eiusdem loci incolae constanter affirmant: idque referunt Cassaneus (*in Catalogo Gloriae mundi part. 12. consider. 20*), et Navarr. (*de orat. et horis Canon. libr. 21. num. 28*). Hanc postea Ecclesiam Carnutensem, Caroli Calvi regis liberalitate extructam, affirmat Belforestus (*in annalib. Franciae ad Carolum Calvum*). Postmodum a Fulberto Carnutensi Episcopo, Deiparae impense addicto, pietate, doctrinaque clarissimo, cui aegrotanti e sacro ubere lac Deipara praebere dignata est, renovatum, largitionibus Canuti Anglorum regis, tradit Wilelmus Mulmesburiensis (*l. 2. de gestis Anglorum* c. 11).

Nec illud silentio praetereundum, horum Druidum consilio, praeter aram, statuam quoque Deiparae cum puero esse positam, quemadmodum Nicolaus Naucelius professione Medicus (*in Parecbasi de mirab. Nativ. Christi cap. 11*) testatur his verbis: *Annalium Carnutensium hist. de Druidibus, ii fere olim Gallorum Magi, seu Sapientes eo potissimum tractu inter lucos versari soliti, certo memorat, et constanter affirmat, homines religionis atque omnium scientiarum peritos, Christi adventum praesensisse, et praevidisse; quorum imbutus doctrina Comes Carnutensis, nomine Priscus, statuam erexit Virginis matris puerum in sinu gestantis, eidemque Virgini pariturae templum consecravit, a Godefrido Montis Lorici Comite communibus impensis adiutus, Christi adventum longe ante, humano generi salutarem praestolatus, meritoque veneraturus;* hactenus ille.

Argonautae, qui ex Genebrardo, tempore Ahialonis iudicis ante Christi adventum annis mille ducentis circiter vixerunt, quemadmodum etiam colligitur ex Augustino (*lib. 18. de civit. cap. 20*), Cyzici in Hellesponto templum extruxerunt praeclarissimum, quod a Plinio (*lib. 36. cap. 15*) veluti maxime admirandum celebratur; consultoque ab eis Pythio oraculo, responsum retulerunt, Mariae Verbi aeterni Genitrici dicandum esse; et quamvis ipsi veritatis ignari, daemonis instinctu, Rheae, quam Deorum matrem stulta gentilitas fabulabatur, similitudine quadam prorsus dissimili, decepti, illud consecrarint: Zenone vero Imperatore ad verae Dei Matris cultum est traductum: rem gestam Cedrenus (*in compendio*) narrat his verbis: *Quo tempore iudices Israelitico populo praefuerunt, Argonautae cum Iasone Thessalo, Polluce, Hyla, Telamone, ac reliquis in Colchidem navigaverunt, qui cum per fauces in Ponticum mare transire vellent, Cyzicum Hellesponti dominum, navali praelio ipsos prohibere conantem, interfecerunt, ac Cyzicum urbem Hellesponti primariam ceperunt. Mox cognito Cyzicum sibi genere propinquum fuisse, venia postulata, templum condidere admodum mirabile, atque ad oraculum, quod est ante Pythias Thermas profecti Phoebum Apollinem rogaverunt, ut sibi diceret, cui aedes consecranda esset: responsum iis in hanc est sententiam:*

Assidua virtute decus sublime parate.
Atque unum, sic mando, Deum, qui cuncta gubernat,
Coelesti residens solio, colite, atque timete,
Illius aeternum natum ante saecula Verbum
Nescia Virgo viri, quondam partu tenera edet.
Quod velut igniferis impulsa sagitta procellis,
Edomitum reddet Patri pro munere mundum.
Huius, quam Mariae nomen, monet, alma Genitrix
Agnoscet templum proprium, sibi rite dicatum.

Hoc oraculum aeris literis in marmore impressis conscriptum, illi in supero portae limine posuerunt, atque ipsi quidem tunc aedem Rheae Matris Deum dixerunt; sed ea postea, Zenone imperante, templum sanctae Dei Genitricis denominata fuit; hactenus Cedrenus. At vero oraculum hoc, quod e graeco latinus Cedreni interpres versibus paraphrasticos vertit, nos, quo oraculi sententia planius percipiatur, sic ad verbum ex Cedreno vertimus: *Quaecunque quidem ad virtutem, et ornatum visa sunt, facite; ego vero iubeo colere unum solum apud superos regnantem Deum, cuius Verbum nulli corruptioni obnoxium, in intactae puellae utero conceptum erit. Hoc Verbum, tanquam sagitta ignifera, medium percurrens universum mundum, cum eum ceperit, Patri adducet Dominum: illius puellae erit domus haec; Maria vero nomen eius;* hucusque oraculum.

Huc etiam pertinet templum illud, a Iasone eorundem Argonautarum principe in arce Atheniensi positum, quod Deiparae consecrandum esse Apollo Delphicus divina virtute coactus, vaticinio praedixit, cuius vaticinii verba a sancto Procopio martyre ex antiquis Graecorum annalibus allata habentur in eius vita apud Metaphrastem, quam Surius ponit die 8. Iulii. Eius porro vitae tanta est auctoritas, ut inde pro cultu sanctarum imaginum in 2. Nicaena Synodo (*act.4*) testimonium sit allatum, ex eaque nos, quae huc spectant, afferemus. Sanctus igitur Procopius martyr, cui nomen antea Neanias, Christo Domino eum peculiariter vocante ad fidem conversus, in persecutione Diocletiani imperatoris dira supplicia est perpessus, primum sub Iusto praeside Palaestinae: mox eo extincto, sub illius successore Flaviano: demum inclyto martyrio est coronatus. Is ut Flaviano rationem christianae fidei magna animi constantia redderet, Deique unitatem ex Mercurio Trismegisto, Socrate, et Heraclyto confirmasset, Christi etiam Incarnationem, et crucem ex Sibylla ostendisset, tandem, et Ethnicorum historiis eadem verba, quae ex Cedreno nuper retulimus, quae subiicit, cum daemones omnino obliterare non possent, suis saltem mendaciis adulterare sunt conati: nam Verbum Dei, quod est Patris sapientia, ad capiendum mundi Imperium, instar igniferae sagittae, vel ipsius oraculi praedictione missam, eiusque Genitricem Virginem simul imperite miscentes, et mendaciis confundentes, unius fabulosae Minervae commento, in quo haec omnia congesserant, obscurare se posse sperarunt: ideoque eorundem daemonum instinctu, poetae Minervam ex Iovis capite progenitam, eamque sapientiae deam, ac virginem, militaribusque armis instructam, et Athenarum praesidem, in quarum arce templum a Iasone excitatum erat, confingentes, huic vaticinio tenebras offudere. Hinc etiam factum fortasse est, ut a stulta gentilitate, Minervae in arcibus templa fieri consueverint, quemadmodum docent Farnatus, et Vitruvius (*lib. 1*), ad quod respexisse videtur Virgilius (*eclog. 2*), cum sic cecinit:

Pallas, quas condidit arces,
Ipsa colat.

At dicet aliquis, idem videri templum illud Argonautarum apud Cedrenum, et hoc Iasonis a s. Procopio citatum: nam eadem prorsus sunt oraculi verba in utraque historia, et Iason ipse Argonautarum dux, et princeps fuit. Ceterum diversa esse haec suadere videntur: nam illud Cyzici, istud Athenis; illud ab Argonautis universis, hoc a solo Iasone; de illo consultus est Apollo ad Thermas Pythias, de hoc vero apud Delphos; illud postea Rheae, hoc Minervae ab Ethnicis est dicatum. Et fieri facile potuit, ut Dei nutu, ad huius vaticinii veritatem magis confirmandam, idem responsum, quod Argonautae cum Iasone apud Pythias Thermas acceperant, iisdem verbis referret Iason solus a Delphico Apolline. Quod si malimus idem esse templum, quod ab utroque auctore describitur, sed propter rei gestae vetustatem aliquantulum historicos inter se discrepare, illud certe probatum manet, templum Deiparae multis, antequam nasceretur, saeculis, a Iasone, et Argonautis erectum, ac daemonum malis artibus, quasi furto sublatum, et Rheae, vel Minervae iniquis possessoribus addictis, postmodum Christi fide in universum terrarum orbem illa, Cedreno auctore, ut diximus, Cyzici, Zenonis imperatoris tempore, ab iniqua possessione vindicatum, veraeque dominae restitutum, ad Dei Genitricis honorem certius, planiusque revocatum est. Ægyptii quoque ante Christi adventum Virginem in lecto, et infantem in praesepio passim collocare, et adorare consueverunt, teste Cuisio (*lib. 2. cap. 7*). Cuius rei causam rogati, dicebant, quoniam ipsorum maiores hoc a s. Propheta acceperant. Et certe s. Epiphanius (*in vitis Prophet.*) refert, Ieremiam Ægyptiis praedixisse idolorum suorum ruinam: *Ubi Aegyptum,* inquit, *ascendet cum suo infante Virgo enixa, Deo similis;* sic Epiphanius: quod factum est, Christo infante cum sua Genitrice in Ægyptum Herodianam rabiem fugiente, de quo late supra disserui.

Sed iam veniamus ad templa Virgini, illa superstite, dicata. Celebre quidem est illud Caesaraugustae in Hispania, quod divus Iacobus erexit Deiparae, dum illa in terris viveret. Cuius rei historiam narrat Petrus Antonius Beuterus (*in Chron. Hisp. cap. 23*) his verbis: *Benedictissima Virgo, gloriosa, et sancta Maria Domina nostra, et regina angelorum, in ripa fluminis Eberi, prope Caesaraugustam,*

Aragonum urbem, in columna marmorea, glorioso Iacobo Apostolo apparuit: qui eodem deinceps in loco, sacellum angelicum iussus exstruxit, et honori eius, ac nomini consecravit, quod divae Mariae Virginis a Columna Caesaraugustana cognominatur, ob pilam, sive columnam, in qua videndam ipsa se praebuit: quod quidem miraculum contigisse perhibetur circa annum Imperii Tiberii; haec ille, qui addit ex testimonio Callisti Papae, et aliorum, hoc ipsum templum multis ab hinc saeculis eximiis, ac infinitis fere miraculis nobilitari. Hanc etiam historiam habet Vasaeus (*in annalibus rerum Hispaniae*), et Ioannes de Pineda (*in Monarchia Eccl. lib.* 10. *cap.* 2. §. 4). Idem testatur Callistus 3. in quodam diplomate, quod in Ecclesia Caesaraugustana asservatur, dato anno Domini 1456, ubi: *Quam plurima,* inquit, *et infinita miracula divina provisione distim fiunt: et addit, capellam illam eius Ecclesiae de mandato Dei Genitricis depilari;* haec ex diplomate Callisti. S. Petrus Apostolorum princeps, cui eximia Dei Genitricis dignitas, atque praestantia probe perspecta, cum adhuc in Syria moraretur, eidem Deiparae sacellum erexit, ea adhuc in terris agente: nam post eius assumptionem in Occidentali duntaxat regione, et nominatim Romae degebat. Eius sacelli Iacobus de Vitriaco cardinalis, qui obiit in Syria anno 1244. meminit his verbis (*in sua histor. Orien. cap.* 44): *Anteradensis civitas, sic dicta quasi ante Aradum sita, vulgari autem appellatione hodie dicitur Tortosa, in qua b. Petrus Phoenicem circumiens, cum a partibus Hierosolymitanis transiret in Antiochiam, in honorem beatissimae Virginis Mariae modicam fundavit Ecclesiam, in qua etiam divina celebravit mysteria, quae usque hodie in magno habetur honore, et multorum populorum accessu frequentatur, eo quod beatissima Virgo in illa sibi ab infantia primitivae Ecclesiae consecrata, multa operatur miracula, et infirmis illuc venientibus grata confert subsidia sanitatum. Dicitur autem a multis, quod inter omnes beatissimae Mariae ecclesias, ista fuerit prima: non solum autem a Christianis, sed etiam a Sarracenis, in magna habetur reverentia;* haec Iacobus de Vitriaco. Eiusdem sacelli a d.Petro in honorem Dei Genitricis positi, Raphael Volaterranus (*l.* 11. *Geograph. in Syria*), cum agit de Tripolitana regione in Phoenicia meminit: *Ancaradum,* inquit, *civitas ante Aradum sita, hodie Tortosa dicitur, in qua sacellum Dei Genitricis primus omnium extruxit princeps Apostolorum, ex aere Christianorum collato, in quo primum sacrificasse dicitur;* haec ille. Ioannes Baptista Mantuan. inter christianos poeta insignis (*lib.* 3. *Parth.*), memoriae prodidit, in monte Carmelo, audita Virginis beatissimae in coelos Assumptione, statim excitatum fuisse in eiusdem honorem sacellum: quod eleganter sic cecinit:

Propterea montana viri spelaea colentes,
Audito illius fato, sublime sacellum
Apricis posuere iugis primi, atque quotannis
Sacra instaurantes, hymnos, et thura ferebant.

Sancta Martha, Christi hospitio clara, cum apud Massiliam degeret, maximam, teste Vincentio Belnacensi (*lib.* 9. *sui Specul. hist. c.* 100. *et* 101), condidit basilicam in honorem Domini nostri Iesu Christi, et beatissimae Mariae semper Virginis, quem sancti Maximinus, unus ex Septuaginta duobus discipulis Christi, Aquensis Episcopus, et Trephimes Arelatensis, et Eutropius Aurasicensis 16. Kal. Ianuarii consecrarunt. In Æthiopia a Francisco Alvarez, qui haec litteris mandavit, quemque Thom. Bozius (*lib. 9. de signis Eccl. cap.* 9) vocat scriptorem integerrimae fidei, visum est templum a Candace Æthiopum regina in Auxumo magnificentissime constructum, Deiparae consecratum, et miraculis olim nobilitatum: et tametsi omnes Æthiopum reginae, teste Strabone, Candaces nominarentur; asserunt tamen Æthiopes, eam, quae templum istud posuit, illam fuisse, cuius eunuchus baptismo illustratus est a Philippo Diacono (*Act.* 8), ex quo templum illud longe antiquissimum esse facile colligitur. S. Maternus Episcopus, b.Petri Apostoli discipulus, cuius memoria in Martyrologio die 14. Sept. adnotatur: *Postquam a morte mirabiliter ad vitam esset excitatus, in Germaniam missus, Tungrenses, Colonienses, Trevirenses, aliosque finitimos populos ad Christi fidem perduxit.* Is Tungris aedem Virginis Deiparae consecravit, quemadmodum veteres Colonienses, et Trevirenses Ecclesiae docent Annales, apud Canisium (*lib.* 5. *de b. Virg. cap.* 23).

Ad haec quid dicam de templis in India Orientali Deiparae, inter mortales versanti, erectis? Inter illa primum refero Cranganore ab uno ex tribus Magis qui, stella duce, ad Christum infantem adorandum venerunt, cuius instar alterum Calecutii in honorem Deiparae, non longe post excitatum, quod certissimis testimoniis est compertum: narrat enim Hieronymus Osorius Algabriensis Episcopus nobilis historicus (*lib.* 1. *de rebus gestis Emman. regis Lusitaniae*), Vascum Gammam, Lusitanicae classis praefectum anno 1498. mense Maio appulisse Calecutium, celebrem Indiae urbem: cumque ad regem visendum in terram descendisset, a quodam viro primario, qui ius genti illi dicebat, Catuelem appellant, nomine regis exceptum, et primum in templum apud illos sanctissimum, et munificentissimum esse deductum: *In medio autem templi erat,* inquit Osorius, *sacellum editum, forma rotundum, ad quod per multos gradus ascendebatur: ostium erat ex aere factum, et valde angustum, intra sacellum erat signum in adverso pariete locatum, cuius formam nostri propter loci obscuritatem aspicere nequiverunt: aditus in illud solis aedituis, atque sacerdotibus patebat, quatuor aeditui propius accedentes, digito in imaginem intento, bis Mariam inclamant. Catuelis cum reliquis, qui eum sequebantur, se repente in terram proni manibus extensis abiiciunt, deinde surgunt, et more suo precationem peragunt. Nostri suspicati, opem sanctissimae Virginis implorari, genibus flexis pacem a Deo exposcunt, Virginemque Dei matrem more nostris usitato venerantur;* haec Osorius. Qui deinde huius religionis, qua homines Pagani Mariae nomen venerantur, rationem prosequitur, quam nos

ex eodem brevius huc inserendam duximus, quod res cognita non iniucunda ad Virginis sanctissimae laudes spectare videatur: *Crange,* inquit, *in India urbs est perantiqua, quae Calecutio distat Austrum versus circiter quinque et quadraginta passuum millibus, et a multis christianis, a s. Thoma conversis, incolitur, cuius rex olim Brachmanorum literis in primis eruditus, cum sorori germanae vitium intulisset, illius flagitii conscientia graviter afflictus, poena de se multorum dierum inedia, aliisque laboribus, severe repetebat: nec tamen animi sollicitudine levabatur: quare religionis causa iter suscepit in Persidem, et Caramaniam, in qua antiquissima Magorum disciplina florebat, ex quibus duo, opibus, et sapientia principes regi Cranganoris per litteras noti, a stella, praeter naturae ordinem orta edocti, regem coeli, in Iudaea natum, ad eum adorandum se compararunt, quibus idem rex Cranganoris sub nigro colore, qualem pictores in hoc mysterio exprimendo effingere solent, se tertium comitem adiunxit. Quare in posterum, reliquis nominibus abiectis, nomen Cheriperimale, id eorum lingua sonat, unum ex tribus, ex hac tam illustri societate, qua maxime gloriabatur, assumpsit. Christum itaque adorant, eique munera offerunt. Rex laetissimus, tertio demum anno in patriam reversus, aedem extruxit, quam Mariae nomine consecravit, in qua sanctissimae Virginis imago cum filio in ulnis collocata fuit, sanxitque ut quoties in templo aeditui hoc nomen inclamarent, toties se omnes, qui adessent, in terram prosternerent. Postremo cum, ut se totum divinis rebus daret, et negotia reliquit, et regni opes distribuit, quos sapientia, et religione praestare cognoverat. Ex his unus fuit, qui Calecutii urbis fundamenta iecit, et templum illud, quo fuit Gamma deductus, extruxit, et in medio sacellum sanctissimae Virgini dedicavit, et exemplum patroni secutus, statuit, ut ad Mariae nomen omnes sese in terram proiicerent, et licet incolae sint Pagani.* Hanc tamen memoriam ab antiquis traditam, religione summa conservant. Haec sunt, quae in antiquissimis christianorum Indorum monumentis contineri, ab hominibus Indiae peritissimis accepisse se scribit Osorius.

Nec silentio praetermittendum est sacellum in monte Carmelo ad honorem Virginis extructum: meminit illius b. Ioannes XLIV. patriarcha Hierosolymitanus (*lib. de instit. prim. Monach. cap.*26), ubi haec verba habet: *In memoriam visionis de ortu huius Virginis, praeostensae sancto prophetae Eliae sub specie nubeculae, ascendentis de mari in Carmelum, Monachi praedicti anno incarnationis Filii Dei octogesimo tertio, diruentes eorum seunion antiquum, aedificaverunt huic primae Virgini Deo dicatae capellam quandam in monte Carmeli, iuxta fontem Eliae, in situ illo, in quo Elias orans, viderat nubeculam illam, quasi vestigium hominis de mari ascendere in Carmelum.*

Ad extremum inter ea templa Virgini dicata, dum in terris ageret, non immerito connumerare possumus sacrum sacellum Lauretanum, quod Apostoli Christi magno semper honore coluerunt, rem divinam certatim inibi factitantes, quemadmodum ex eiusdem Virginis revelatione late refert Horatius Tursellinus (*lib.* 1. *hist. Lauret. c.*3). Et quidem cum templum nihil aliud sit, quam domus divino cultui destinata, in qua Deus adoratur, et sacrificium ei offertur; merito illa domus templum censeri debet, cum in ea toties Ecclesiae principes oraverint, et sacrificaverint. Celebris theologus, et insignis poeta Baptista Mantuanus (*in hist. aedis Lauretanae*) tot praeconiis sacrum hoc templum effert, ut non modo terrestri paradiso, ubi Eva ex Adae latere est formata; monti Sinai, ubi est data lex; templo Salomonis, praecipua Dei praesentia, inclyto; speluncae Bethleemiticae, ubi Christus natus; monti Thabor, ubi transfiguratus; monti Olivarum, unde triumphans in coelum ascendit; verum etiam augustissimo eiusdem Christi sepulcro, quo nihil sanctius habetur in terra, reliquisque omnibus, quae sub coelo sunt locis, aequare non dubitarit. Ego autem ausim ei praeferre, tum quia si sepulcrum Hierosolymitanum continuit corpus Christi per tres dies, eadem domus continuit per triginta annos, tum quia ibi iacuit corpus Christi emortuum, in hac vivum; ibi exanime, hic animatum; tum quia si in sepulcro facta est unio animae cum corpore in eius resurrectione, in hac sacra aede facta est sublimior unio, per quam in ea *Verbum caro factum est.* Liceat ergo mihi cum patriarcha Iacob exclamare (*Gen.* 28): *Terribilis est locus iste, non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta coeli.* Unde sapienter Tursellinus (*in praef. hist. Laur.*) non minus vere, quam eleganter dixit: *Tantam Deus mortalium animis inspiravit huius aedis Lauretanae religionem, ut quicumque ad Lauretanam aedem accedunt, non tam ad aedem Virginis, quam ad ipsam Virginem sibi adire videantur: et sane huic Deus, Deique mater, miro quodam modo praesentiam suam declarant. Hinc divinus ille omnium pectoribus incutitur honor ad sacrosanctae domus ingressum, hinc illud abeuntibus iniicitur eius revisendae desiderium; hinc nobilis illa perditorum, profligatorumque mentium in diversa mutatio, quae quidem perpetuae aedis Lauretanae miracula ita evidentia sunt, ut etiam si deessent alia, quibus abundat, cunctis facerent divinae praesentiae fidem: est autem hoc praecipuum, ac proprium templi Lauretani, ut eius religio, ac sanctitas quotidie magis efflorescat, cum aliquarum etiam celeberrimarum aedium beatissimae Virginis, aliorumque Sanctorum celebritas, cum aliquamdiu viguerit, interdum deflorescere videatur.* Ac tandem, qui plura alia huius sacrae domus desideraverit, videat quae scripsimus libro 5. de Sacris Arcanis Angelicae Annunciationis Virginis, homilia 3.

HOMILIA VIII.

Divino consilio factum esse ad maiorem Virginis cultum, et gloriam, ac de antiquo serpente illustriorem victoriam, ut in templis, et locis, quibus daemonum simulacra Gentiles olim venerabantur, in eisdem Deiparae Virginis imago posita ab Ecclesia coleretur.

Cum omnia Deiparae Virginis templa, quae post gloriosam eius in coelum Assumptionem per totum orbem terrarum, singulari pietate et magnificentia in singulis regnis, et provinciis, imo et in singulis urbibus, oppidis, et pagis, in eius cultum, et honorem condita sunt, commemorare immensus labor esset, et parum proficuus, cum satis notum, et perspicuum omnibus sit, nullum esse ita humilem et despectum Christianorum pagum, in quo Virginis sanctissimae vel proprium templum, vel proprium certe sacellum, vel ara non fuerit ei sacrata; unde de solo Iacobo Aragonio rege Hieronymus Blanca (*in comm. rer. Arag.*) ad annum 1235. refert, bis mille in Deiparae Virginis honore construxisse templa in agro suo; illud solum hoc loco praestabo, ut ea tantum templa referam, quae Romae, ubi haec scribo, erecta sunt in eisdem locis, quibus, vel idolorum simulacra olim decepta Gentilitate colebantur, vel in profanos usus destinata erant. Romana enim civitas, ut verbis utar Leonis (*serm. 1. de Apost. Petro, et Paulo*), priusquam Christi fidem reciperet, cum pene omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus, et frequentissima habebat idolorum delubra; in quorum postea ruinis plerique Deiparae inaedificata sunt templa. In iis igitur percensendis, quaenam huiusmodi idolorum fana fuerint, ubi Deiparae templa sunt posita, indicabimus; ut planum omnibus fiat, Deiparam non modo, ut canit Ecclesia: *Cunctas haereses in universo mundo solam interemisse*, verum etiam de ethnicismo, et de universa gentium superstitione triumphum egisse, atque in eorum finis, veluti in infestissimorum hostium expugnatis arcibus sui filii, suaque trophaea erexisse. Quare in his videtur impletum illud Isaiae vaticinium (*c. 35*), in cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami, et iunci, et erit ibi semita, et via, et via sancta vocabitur. Quod nemini mirum videri debet, cum haec sit mulier illa, quae draconis venenati caput contritura praedicitur, quam Cyrillus (*hom. 6. in Nest.*) merito sic alloquitur: *Per te omnis creatura, idolorum errore detenta, conversa est ad cognitionem veritatis, et fideles homines ad sanctum baptisma pervenerunt, atque in toto orbe terrarum constructae sunt Ecclesiae;* sic ille. Et Euthymius (*orat. de Zona Deip.*): *Sanctissima*, inquit, *Virgo aras contrivit idolorum, et delubra gentilium perdidit et comminuit, et cessare fecit immoderatam sanguinis effusionem.* Quam autem haec vera sint, luculenter satis indicabunt, quae nunc commemorabo.

Extat insigne templum s. Mariae ad Martyres, quod vulgo a structura figurae *rotundum* dicitur: olim fuit ethnicorum celebre delubrum, a M. Agrippa, Augusti genero, anno ab urbe condita 727. excitatum, ac biennio post, auctore Dione, absolutum, idemque teste Plinio (*l. 36. cap. 15*) propter extinctum civile bellum, M. Antonio, et Cleopatra ad Asiaticum promontorium ab Augusto superatis, Iovi ultori dicatum; dictum est autem Pantheon: *Quod in simulacris Martis, et Veneris*, inquit Dio (*lib. 53. hist. Rom.*), *multas Deorum imagines acceperet: ut vero mihi videtur, quod forma concava fastigiatam coeli similitudinem ostenderet;* sic ille. Cum vero Titi tempore conflagrasset, a Domitiano, ut auctor est Cassiodorus, restitutum est. Nec multo post sub Traiano fulmine ictum, ab Adriano teste Spartiano, restauratur; postmodum a Septimio Severo, et Marco Aurelio Antonino, ut videre est in eiusdem templi inscriptione, cum omni cultu est restitutum. Anno vero salutis 607. Bonifacius Papa IV. ab idololatriae sordibus expurgatum, delatis in illud ex variis urbis coemeteriis octo et viginti carribus omnisis ossibus martyrum, iisque prope summum altare ad eius dexteram decenter collocatis, Dei Genitrici, et omnibus martyribus die 13. Maii consecravit, solemni, ac peculiari iostituta festivitate. Eius meminit Martyrologium, et adhuc Romae ea die recolitur in hoc templo, quod propterea s. Mariae ad martyres est appellatum, ut videre est in stationibus Missalis feria 6. post Pascha. Eam festivitatem postmodum Gregor. IV. qui anno 827. Pontificatum iniit, in honorem non tantum martyrum, sed omnium etiam Sanctorum die 1. Novemb. in universa Ecclesia celebrem esse decrevit, quemadmodum supra in hoc eodem capite diximus: ad idem templum solemnis statio habetur feria 6. intra octavam Paschae.

Extat s. Maria Ara coeli in Capitolio, ubi olim Iovis Feretrii fanum. Eiusmodi Deiparae templum, cui Fratrum Minorum de Observantia nobile coenobium nunc est adiunctum, in ea Capitolii parte situm est: ubi Octavianus Aug. provectiore iam aetate accepto Pythio Apolline responso de puero Hebraeo, eodemque Deo, ac omniam Domino, ipsum in tartara detrudente, Romam ex oriente reversus, aram maximam, auctore Nicephoro (*l. 1. c. 17*), exstruxit, cum eiusmodi Latina inscriptione: *Ara Primogeniti Dei.* In hoc templo Imago Deiparae a s. Luca depicta in summo altari magna pietate colitur: ibidem etiam lapis visitur insignis, pedum vestigiis ab angelo impressis, qui Romae humana specie aliquando apparuit. Cum autem in urbe, ex Onuphrio (*de 7. Eccl.*) in S. Ioanne, 20. ex Baronio vero in notis ad Martyrol. die 1. Decembr. 22. essent coenobia, seu Abbatiae, quarum Abbates in praecipuis quibusdam celebritatibus, summo Pontif. celebranti aderant, haec Ecclesia Ara caeli, auctore eodem Onuphrio, una erat ex illis Abbatiis, quam postea Leo X. anno 1516. cardin. titulum instituit.

Extat s. Maria Schola Graeca in delubro, ubi Ethnicorum tempore erat ara, quae vocabatur Maxima. Ad hanc fones ad veritatem iure iurando testandam adducebantur; cum vero eiusmodi ara prope os cuiusdam cloacae sita esset, factum est, ut lapis ille perforatus, atque ori cloacae superpositus, nostra aetate vulgo os veritatis appellaretur: nomen vero Scholae Graecae huic templo inditum videtur a proximo literarum Graecarum gymnasio. S. Dionysius Papa circa ann. Domini 260. domum suam, quae in eo loco erat, in ecclesiae formam redegit, quae a Deipara nomen accepit. Eam vero vetustate collapsam, Stephanus 3. restituendam curavit, cum in Galliis desperata iam valetudine, a s. Dionysio Areopagita incolumitatem an. 714. esset consecutus, ut videre licet apud Surium to. 5. ad calcem vitae eiusdem s. Dionysii. Tandem eam post Stephani obitum Paulus I. Pont. eiusdem Stephani frater, compluribus sanctorum corporibus ibi reconditis, in honorem ss. Dionysii Areopagitae, et sociorum perfecit, et consecravit. Mox Adrianus Ian. 772. illam mirifice exornavit, ita ut ab aedis ornatu dicta sit s. Maria in Cosmedin. In eiusdem templi sacellum iussu Pii V. translata est Deiparae imago, quae in quodam pariete depicta, mullis clarebat miraculis, denique inter antiquas Cardinalium Diaconias recensetur.

Extat s. Maria a Psalmis via Appia extra portam Capenam, nunc s. Sebast. sic dicta a palmarum multitudine, quae ibi olim erant cum templo Martis, ad quod duo Papae et martyres Stephanus I. et Sixtus II. ut illi simulacro sacrificarent, sunt pertracti, quemadmodum in eorundem actis legimus apud Surium (*tom. 4*), et Stephani quidem precibus, Martis statua terraemotu concidit, templumque contremuit. Sixto vero inde redeunti occurrit s. Laurentius, qui ab eo de thesauris Ecclesiae in pauperes distribuendis mandatum acceperat. Hoc in loco, quemadmodum pervetus pictura supra templi fores indicat, Christus s. Petro, Neronis rabiem fugienti, occurrit, eidemque roganti, Domine quo vadis: respondit, Romam iterum crucifigi, atque in lapide pedum suorum vestigia impressit. Unde factum est, ut Ecclesia haec sancta Maria a Plantis dicta etiam sit. Sanctus vero Petrus intellexit, Christum iterum crucifigendum esse in servulo: quare ad martyrium fortiter subeundum rediit. Lapis autem Christi Domini vestigiis nobilitatus, in proximo sancti Stephani templo pie asservatur. Hanc historiam Ambrosius (*in Auxent. de Basil. non tradend.*), Gregorius (*in Psalm. 4. poenit.*), et alii tradunt. Vide Baronium (*tom. 1. Annal.*), ad annum sexagesimum nonum. Cum autem hoc templum prae vetustate ruinam minari videretur, Reginaldus Polus cardinalis Anglus, ne tam insignis Christi appariitionis memoria cum templo pariter interiret, sacellum aliud, forma rotundum, paulo superius, eadem via Appia, exaedificavit, cui nomen inditum, *Domine quo vadis.* Cardinalis vero Toletus hoc ipsum Deiparae templum, pro sua in Virginis templa pietate, reficere coeperat; verum perficere, et splendori restituere per mortem non licuit.

Extat sancta Maria de Populo sub colle hortulorum religiosissimi Ordinis Eremitarum sancti Augustini, piissima eiusdem Deiparae imagine a sancto Luca depicta nobilitata, hoc in loco sabiet nucis arbore, cineres impiissimi Neronis, qui primus in Christianos persecutionem movit, condebantur, indeque daemones, tanquam ex proprio deposito, iis, qui illac praeteribant, mirum in modum erant infesti. Quare Paschalis II. anno millesimo nonagesimo nono, ubi haec divinitus cognovisset, indicta supplicatione, ad locum accessit, nucem praecidi, ac impios cineres in Tiberim proiici iussit, aramque extruxit, quam multis in ea reconditis reliquiis, consecravit. Gregorius Nonus circa annum Domini millesimum ducentesimum vigesimum septimum, imaginem Deiparae a sancto Luca depictam ex loco, qui dicitur sancta sanctorum, periatam, cum omni clero, ac populo, in hoc templo reposuit. Sixtus Quintus eidem templo titulum Cardinalium dedit, septem altaria instar templorum sanctorum Petri, et Pauli, designavit, easdemque indulgentias, quas habet sancti Sebastiani templum, est elargitus; utque eorum commoditati, qui septem urbis Ecclesias obeunt, consuleret, eis potestatem fecit, ut loco sancti Sebastiani hanc Ecclesiam visitarent.

Extat s. Maria Super Minervam, sic dicta a proximo Minervae Chalcidicae delubro, quod Pompeius Magnus, auctore Plinio (*lib. 7. cap. 26*) Mithridatico bello confecto, multisque regnis ac Gentibus in Romani imperii ditionem redactis, ex hostium manubiis dicavit, eius delubri vestigia in hortis coenobii sacri Ordinis Praedicatorum, quibus hoc Deiparae templum est demandatum, adhuc cernuntur. Paulus Quartus hoc templum Cardinalium titulo insignivit. In eodem Deiparae templo ad laevam summi altaris sacellum, pulchre extructum, cum religiosissima Deiparae Imagine extat: in quo florentissima, et numquam satis laudata Rosarii sodalitas in urbe est erecta, in eiusdemque sacelli ara corpus reconditur s. Catharinae Senensis, virginis praeclarissimae, ex tertio Ordine Praedicatorum, cuius opera in Gregorio XI. revocando ex Gallis, in urbem, magno reipublicae christianae bono, singulariter eluxit. Ibidem aliud quoque sacellum a Ioanne Turrecremata cardinali Ordinis Praedicatorum, viro doctissimo, b. Virgini annunciatae dicatum est, ubi ab eodem sodalitas est instituta, quae compluribus puellis nobilibus dotem assignat, quam summus Pontifex solemni pompa in illud templum veniens, die ipso Annunciationis b. Virginis suis manibus eisdem distribuit.

Extat s. Maria Nova in foro Romano, ubi olim solis et lunae fanum prope ruinas templi pacis, a Vespasiano magnificentissime exstructum. Ea Deiparae Ecclesia adiunctum habet coenobium religiosissimorum Patrum montis Oliveti, in cuius hortis, auctore Andrea Fulvio, extant vestigia aedicularum Isidis, et Serapidis; cumque ante diceretur s. Maria vetus, postmodum a Ioanne 7. Pontifice anno Domini circiter 705. restituta, et exornata, exinde Nova appellata est. In eius summo altari imago Dei-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

parae, a s. Luca coloribus expressa, a Troade huc delata, pie colitur, quae cum templum hoc Honorio 3. Pontifice conflagrasset, nihil ex incendio post passa Gregorio 5. Pontifice anno circiter 995. corpora ss. martyrum Nemesii diaconi, Lucillae virginis filiae, Symphronii, Olympii tribuni, Exuperiae eius uxoris, et Theodori filii, de quibus in Martyrologio die 31.Octobris, recondidit. Ante idem vero altare, sub ferrea crate, corpus s. Franciscae Romanae viduae, pietate, et miraculis clarissimae, asservantur; quam religiosissimarum sororum, a Turri speculorum vulgo dictarum, fundatricem, Paulus V. Pontifex Maximus anno 1608. in sanctorum catalogum retulit. In eodem quoque templo, quod est una ex antiquis Cardinalium Diaconiis, lapis visitur, in quo s.Petrus suae genuflexionis vestigia reliquit, cum, ut verbis utar s. Maximi (*hom. 5. de sanct.Petr. et Paul.*), fixis genibus Dominum est precatus, et Simonem Magum magicis artibus volantem, velut vinctum, de sublimi aere deposuit, et quodam praecipitio in saxo elidens, eius crura confregit. E regione s. Mariae Novae in monte ipso Palatino olim erat Ecclesia Deiparae, dicta in Pallara, nunc omnino diruta, et vitibus obsita, quae teste Onuphrio de septem Ecclesiis, una erat ex viginti illis urbis Abbatiis, ubi, inquit Onuphrius, fuit sagittatus s. Sebastianus. Dicebatur in Pallara a Palladio, quod Diomedes ex arce Troiana sublatum,superstitione postea adactus Æneae restituit, et in proximo Vestae delubro, Andrea Fulvio auctore, a virginibus Vestalibus custodiebatur.

Extat s. Maria, cognomento, libera nos a poenis infernl, in foro Romano, ubi olim erat fanum Iovis Statoris. In hoc loco aliquando cum vasto, ac repentino hiatu terra subsidisset, Marcus Curtius Eques Romanus, adductus superstitione cuiusdam responsi, quo vivens aliquis ad eam compiendam deposcebatur, equum, militaribus insignibus ornatus, conscendit, eumque vehementer admotis calcaribus, praecipitem in illud profundum egit, ut auctor est Titus Livius (*lib.* 7), Valerius Maximus (*lib.* 5. *cap.* 6), Orosius (*lib.* 3. *hist. cap.* 5). Ibidem etiam ex aquis proximi Tiberis stagnantibus lacus erat, cui nomen erat Curtius, de quo Ovidius (6 *de Fast.*):

Curtius Ille lacus siccas, qui sustinet aras,
Nunc solida est tellus, sed fuit ante lacus.

Eiusmodi Deiparae templum in hoc loco excitatum, tameisi non adeo magnum, nobilitatum tamen est propter draconem, suo afflatu Urbi pestilentissimum, ibi s. Silvestri Papae precibus mirabiliter extinctum: quod tanquam satis exploratum, multorumque testimonio comprobatum recipit Baronius (*tom.* 3. *Annal.*) ad annum Domini 324. cuius rei occasione s. Silvester hanc aedem multis in eius altari reliquiis repositis, Deiparae dicavit, quae ab eius conditore aliquando appellatur templum sancti Silvestri in lacu, quod Iulius III. anno 1550. Matribus venerabilibus Congregationis Turris speculorum attribuit, cum antea fuisset coenobium Monialium s. Benedicti, ab iisdem propter coeli insalubritatem desertum.

Extat s. Maria a Crypta picta in campo Florae ad theatrum Pompeii, prope hoc templum annum 1525. repertum est marmor cum hac inscriptione: Veneris Victricis, quod ibi eidem fanum aliquod, vel ara forte esset dicata. Ceterum templum hoc ante 300. propemodum annos Deiparae Conceptioni est consecratum, auctore Octavio Pancirola: cum altare cum templo pervetusto diruendum, ac restituendum esset, in charta pergamena ibidem reperta, verba haec legebantur: *Anno Domini* 340. *indict.* 2. *die vero Martis* 8. *Decembris tempore d. Bonifacii IX. anno suo* 6. *consecratum hoc altare cum Ecclesia in honorem Conceptionis beatae Mariae Virginis.*

Extat s. Maria in Aventino, ubi olim templum Bonae Deae. Haec Deiparae Ecclesia, auctore Onuphrio, quondam recensebatur inter 20. Urbis Abbatias: *In qua,* inquit idem Onuphrius, *est de corpore s. Sabini Episcopi,* nunc prioratus est militum Hierosolymitanorum.

Extat s. Maria ad Campum Martium, quia a Marte, cui olim dicatus erat, nomen duxit. Huic templo coenobium est adiunctum monialium Ordinis s. Benedicti, quae ante 600. annos ex Graecia cum multis Sanctorum reliquiis venientes, quod earum cameli reliquias deferentes ad hoc Deiparae templum constitissent, nec progredi possent, hoc in loco sedem posuerunt. Inter alia vero, quae secum attulerant, erat imago Deiparae a s. Luca depicta, quae aliquando post trabis proximae incendium inventa est ad quendam puteum, ab igne intacta, et in aere suspensa. Detulerunt etiam corpus s. Quirini Martyris, corpus item s. Gregorii Nazianzeni Doctoris praeclarissimi, quod in hoc templo, ut est in Martyrologio die 11. Iunii diu asservatum, Gregorius XII. Pontifex in capellam a se in basilica s. Petri magnificentissime exornatam, summa celebritate transtulit, ac postridie sub altari digno honore condidit,brachio eiusdem sanctimonialibus relicto.

Extat s. Maria Gratiarum, ubi olim Vestae erat fanum: haec tamen Deiparae Ecclesia proximo eiusdem Deiparae a Consolatione templo est unita.

Extat s. Maria in Aquiro prope circum Flaminium, ubi olim erat Isidis fanum, vel, ut alii maluit, in Equirio, sic dicta a ludis equiriis, qui equorum, et curruum cursu in campo Martio in honorem Martis a Romulo instituti die 13. Martii exercebantur, et illuc transibant, de quibus Ovid. (*l.* 3. *Faust.*):

Altera gramineo spectabis Equiria campo,
Quem Tiberis curvis in latus urget aquis.

Hoc templum in Equirio ab Anastasio Papa, teste Lucio Fanno (*lib.* 4. *cap.* 21) fundatum, inter antiquas Cardinalium Diaconias connumeratur; eidemque templo attributum est Collegium Orphanorum, quorum domus consilio, et industria b. Ignatii Societatis Iesu fundatoris in urbe erecta est, teste Petro Ribadeneyra (*l.* 3. *vit. b. Ignat. cap.* 9), ne videlicet parentum praesidio, omnique humana ope destituti, atque errabundi pueruli, in aliquod animae, corporisve discrimen adducantur.

De aliis vero templis, per totum orbem terrarum in Deiparae cultum erectis, praesertim in Hispania, in Germania, et aliis partibus septentrionalibus, in Gallia, et Belgio, Constantinopoli, et aliis Orientis, et Africae regionibus, necnon apud Barbaras nationes, sic late scripsit Antonius Spinellus (*de laud. b. Virgin. tract.de fest. et templ.*), ut huic labori supersedendum censuerimus, cum historico magis, quam concionatorio muneri ista deserviant.

HOMILIA IX.

Ecclesia catholcia permulta festa instituens in Deiparae Virginis cultum, eximiam suam pietatem, ac devotionem erga illam protestatur.

Inter alia pleraque obsequia, quibus Ecclesia Dei per totum orbem terrarum longe lateque diffusa, ad honorem, et cultum Deiparae exhibet, non minorem locum tenent in eius honorem religiosa instituta, quae adeo multiplicata sunt, ut merito s.Ildephons.(*serm.* 1. *de Assumpt.*) dixit: *Haec est, quae ut cedrus Libani, quotidie in terris multiplicabitur, dilatabiturque ramis, et in coelo radicibus, ut crescat amplius, solidatur.* Olim (*Num.*28) ex Dei praecepto Hebraei, novilunii recurrentibus Kalendarum, seu Neomeniae solemnitate, aucto sacrificiorum numero, celebrabant, ut cecinit regius Vates (*Psalm.* 8): *Buccinate in Neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestrae.* Ut autem tradit d. Augustinus (*l.* 19. *contra Faust. c.* 10), haec novae lunae celebratio novam creaturam, quod per Christum facta est, praenunciabat. Unde arbitror, festa illa adumbrasse festa, quae tempore legis gratiae celebranda erant in honorem Deiparae, quam pulchram, ut lunam, divinus Sponsus compellat, (*Cant.* 6). Et quidem si Ethnici, vano idolorum errore decepti, matris Deorum, quae tamen portenta multa genuisse ab iisdem credebatur, aequinoctium verni diem sacrabant, ut auctor est Ropiseus (*in Aureliano*), idque inque indicare videtur Dionysius Areopagita (*epist.*8); quanto aequius est, beatissimae Virginis festa celebrare, quae vera Dei parens est, nobisque auctorem vitae peperit, ac fontem perennem gratiae, et omnium, quae suscipimus, beneficiorum?

Verum ad festa ipsa accedens, celebrat in primis Ecclesia Rom. festum immaculatae Conceptionis, quod apud Graecos ante mille annos, teste Galatino (*l.* 7. *de Arc. cathol. verit. c.* 5), celebrari consuevit die 9.mensis Decemb. ut videre est in Menologio eorum, et in constitutione Emmanuelis Imp. apud Theodorum Balsamonem (*in Nomocan. Photii tit.* 7. *c.* 1), et apud Baronium (*in notis ad Martyr. die* 8. *Decembr.*), qui testatur extare in bibliotheca Sfortiana de Concepticne b. Virginis sermonem Leonis imperatoris, qui dictus est Philosophus ex eodem Baronio tomo 10. Annal. anno 886. Canisius quoque (*lib.* 1. *de b. Virg.*) affirmat, Damascenum, qui claruit circa annum 720. in suo martyrologio diem Conceptionis Mariae notasse, hoc expresse addito, quod illa ante Conceptionem pura dicatur, quod et Galatinus (*loc.cit.*) animadvertit. Apud Latinos vero die 8. Decembris ex nonnullis revelationibus, quas infra ponemus, celebrari consuevit. Verum a quo tempore id fieri caeperit, non satis est exploratum: nec enim desunt, qui ad tempora Caroli regis Franciae unam ex his revelationibus, circa annum Domini 880. cuidam regis Hungariae germano factam, asserant; quam infra referemus, eiusque meminit Franciscus Vanarez (*in comp. vir. illustr. Ord. Sancti Benedicti*), et Bernardinus de Busto (*in suo Mariali*). Alii vero ad tempora Gulielmi Northmannorum ducis, quia ea tempestate in Anglia imperabat: hoc referunt occasione cuiusdam Abbatis a naufragii discrimine divinitus servati, simulque de hac solemnitate celebranda admoniti, quod refert Petrus de Natalibus (*in catal. Sanctor. c.* 42), et Iacobus de Voragine (*in festo Concep. in vitis Sanct.*), et Arnoldus Uvyon (*lib.* 5. *vitae c.* 111) apud Cornelium Schultirgium in Bibliotheca Ecclesiastica (*to.* 2. *in festo Concept.*). Hi tamen Abbatem hunc fuisse d. Anselmum affirmant: Baronius vero (*loco citato*), Helsenio Abbati Anglo, paulo ante tempora Anselmi circa annum Domini 1070. totum hoc tribuit, idque ex historia ipsa confirmat. Idem sentit Buxius (*l.* 9. *de signis Ecclesiae c.* 8), quam tamen solemnitatem fovit postea s. Anselmus Cantuarien. Episcopus, qui obiit anno salutis 1109. eamque amplexa est Ecclesia Lugdunensis propter scriptum supernae cuiusdam revelationis, ut testatur Bernardus (*epistol.*174). Denique ab universali Ecclesia in morem inducta, longe ante tempora Sixti Quarti, qui tamen in extravaganti, cum prae excelsa, de reliquiis, et veneratione sanctorum, iis, qui Conceptionis missam, et officium, quae sua auctoritate emanarunt, celebrant, in die festivitatis Conceptionis, et per eius octavas, aut illis horis interfuerint, amplissimas est elargitus indulgentias: et sacrum Concilium Tridentinum (*ses.*5) constitutiones a Sixto Quarto de Conceptione b. Virginis invocat sub poenis in eis contentis.

Sed quid mirum conceptionis Deiparae festum a fidelibus solemne haberi in terris quod coelis, teste s. Vincentio ex sacra Praedicatorum familia (*ser.* 2. *de Nativ. b. Virginis*), ab angelis iam inde cum primum Virgo sanctissima materno in utero est concepta, celebrari caeptum est? Nativitas Deiparae post Ephesini concilii tempora anno nostrae salutis 436. celebrati, in quo execranda Nestorii haeresis, qui beatissimam Virginem impie negabat Deiparam appellandam, Patrum sententiis damnata est a Latinis, et Graecis, die 8.Septembris coli coepta est, quod erudite probat Baronius (*in notis Martyrol.*) ad eam diem: nam ait Baron. *Apud Graecos Procli, Germani, Andreae Cretensis, et Damasceni sermones de hac solemnitate extant, et apud Latinos non solum Bernardus, et Fulbertus, qui circa annum Domini* 1010. *claruit, et Petrus Damianus, atque*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

parae, a s. Luca coloribus expressa, a Troade huc delata, pie colitur, quae cum templum hoc Honorio 3. Pontifice conflagrasset, nihil ex incendio post passa Gregorio 5. Pontifice anno circiter 995. corpora ss. martyrum Nemesii diaconi, Lucillae virginis filiae, Symphronii, Olympii tribuni, Exuperiae eius uxoris, et Theodori filii, de quibus in Martyrologio die 31.Octobris, recondidit. Ante idem vero altare, sub ferrea crate, corpus s. Franciscae Romanae viduae, pietate, et miraculis clarissimae, asservantur; quam religiosissimarum sororum, a Turri speculorum vulgo dictarum, fundatricem, Paulus V. Pontifex Maximus anno 1608. in sanctorum catalogum retulit. In eodem quoque templo, quod est una ex antiquis Cardinalium Diaconiis, lapis visitur, in quo s.Petrus suae genuflexionis vestigia reliquit, cum, ut verbis utar s. Maximi (*hom. 5. de sanct.Petr. et Paul.*), fixis genibus Dominum est precatus, et Simonem Magum magicis artibus volantem, velut vinctum, de sublimi aere deposuit, et quodam praecipitio in saxo elidens, eius crura confregit. E regione s. Mariae Novae in monte ipso Palatino olim erat Ecclesia Deiparae, dicta in Pallara, nunc omnino diruta, et vitibus obsita, quae teste Onuphrio de septem Ecclesiis, una erat ex viginti illis urbis Abbatiis, ubi, inquit Onuphrius, fuit sagittatus s. Sebastianus. Dicebatur in Pallara a Palladio, quod Diomedes ex arce Troiana sublatum,superstitione postea adactus Æneae restituit, et in proximo Vestae delubro, Andrea Fulvio auctore, a virginibus Vestalibus custodiebatur.

Extat s. Maria, cognomento, libera nos a poenis infernl, in foro Romano, ubi olim erat fanum Iovis Statoris. In hoc loco aliquando cum vasto, ac repentino hiatu terra subsidisset, Marcus Curtius Eques Romanus, adductus superstitione cuiusdam responsi, quo vivens aliquis ad eam compiendam deposcebatur, equum, militaribus insignibus ornatus, conscendit, eumque vehementer admotis calcaribus, praecipitem in illud profundum egit, ut auctor est Titus Livius (*lib.* 7), Valerius Maximus (*lib.* 5. *cap.* 6), Orosius (*lib.* 3. *hist. cap.* 5). Ibidem etiam ex aquis proximi Tiberis stagnantibus lacus erat, cui nomen erat Curtius, de quo Ovidius (6 *de Fast.*):

Curtius Ille lacus siccas, qui sustinet aras,
Nunc solida est tellus, sed fuit ante lacus.

Eiusmodi Deiparae templum in hoc loco excitatum, tameisi non adeo magnum, nobilitatum tamen est propter draconem, suo afflatu Urbi pestilentissimum, ibi s. Silvestri Papae precibus mirabiliter extinctum: quod tanquam satis exploratum, multorumque testimonio comprobatum recipit Baronius (*tom.* 3. *Annal.*) ad annum Domini 324. cuius rei occasione s. Silvester hanc aedem multis in eius altari reliquiis repositis, Deiparae dicavit, quae ab eius conditore aliquando appellatur templum sancti Silvestri in lacu, quod Iulius III. anno 1550. Matribus venerabilibus Congregationis Turris speculorum attribuit, cum antea fuisset coenobium Monialium s. Benedicti, ab iisdem propter coeli insalubritatem desertum.

Extat s. Maria a Crypta picta in campo Florae ad theatrum Pompeii, prope hoc templum annum 1525. repertum est marmor cum hac inscriptione: Veneris Victricis, quod ibi eidem fanum aliquod, vel ara forte esset dicata. Ceterum templum hoc ante 300. propemodum annos Deiparae Conceptioni est consecratum, auctore Octavio Pancirola: cum altare cum templo pervetusto diruendum, ac restituendum esset, in charta pergamena ibidem reperta, verba haec legebantur: *Anno Domini* 340. *indict.* 2. *die vero Martis* 8. *Decembris tempore d. Bonifacii IX. anno suo* 6. *consecratum hoc altare cum Ecclesia in honorem Conceptionis beatae Mariae Virginis.*

Extat s. Maria in Aventino, ubi olim templum Bonae Deae. Haec Deiparae Ecclesia, auctore Onuphrio, quondam recensebatur inter 20. Urbis Abbatias: *In qua,* inquit idem Onuphrius, *est de corpore s. Sabini Episcopi,* nunc prioratus est militum Hierosolymitanorum.

Extat s. Maria ad Campum Martium, quia a Marte, cui olim dicatus erat, nomen duxit. Huic templo coenobium est adiunctum monialium Ordinis s. Benedicti, quae ante 600. annos ex Graecia cum multis Sanctorum reliquiis venientes, quod earum cameli reliquias deferentes ad hoc Deiparae templum constitissent, nec progredi possent, hoc in loco sedem posuerunt. Inter alia vero, quae secum attulerant, erat imago Deiparae a s. Luca depicta, quae aliquando post trabis proximae incendium inventa est ad quendam puteum, ab igne intacta, et in aere suspensa. Detulerunt etiam corpus s. Quirini Martyris, corpus item s. Gregorii Nazianzeni Doctoris praeclarissimi, quod in hoc templo, ut est in Martyrologio die 11. Iunii diu asservatum, Gregorius XII. Pontifex in capellam a se in basilica s. Petri magnificentissime exornatam, summa celebritate transtulit, ac postridie sub altari digno honore condidit,brachio eiusdem sanctimonialibus relicto.

Extat s. Maria Gratiarum, ubi olim Vestae erat fanum: haec tamen Deiparae Ecclesia proximo eiusdem Deiparae a Consolatione templo est unita.

Extat s. Maria in Aquiro prope circum Flaminium, ubi olim erat Isidis fanum, vel, ut alii maluit, in Equirio, sic dicta a ludis equiriis, qui equorum, et curruum cursu in campo Martio in honorem Martis a Romulo instituti die 13. Martii exercebantur, et illuc transibant, de quibus Ovid. (*l.* 3. *Faust.*):

Altera gramineo spectabis Equiria campo,
Quem Tiberis curvis in latus urget aquis.

Hoc templum in Equirio ab Anastasio Papa, teste Lucio Fanno (*lib.* 4. *cap.* 21) fundatum, inter antiquas Cardinalium Diaconias connumeratur; eidemque templo attributum est Collegium Orphanorum, quorum domus consilio, et industria b. Ignatii Societatis Iesu fundatoris in urbe erecta est, teste Petro Ribadeneyra (*l.* 3. *vit. b. Ignat. cap.* 9), ne videlicet parentum praesidio, omnique humana ope destituti, atque errabundi pueruli, in aliquod animae, corporisve discrimen adducantur.

De aliis vero templis, per totum orbem terrarum in Deiparae cultum erectis, praesertim in Hispania, in Germania, et aliis partibus septentrionalibus, in Gallia, et Belgio, Constantinopoli, et aliis Orientis, et Africae regionibus, necnon apud Barbaras nationes, sic late scripsit Antonius Spinellus (*de laud. b. Virgin. tract.de fest. et templ.*), ut huic labori supersedendum censuerimus, cum historico magis, quam concionatorio muneri ista deserviant.

HOMILIA IX.

Ecclesia catholcia permulta festa instituens in Deiparae Virginis cultum, eximiam suam pietatem, ac devotionem erga illam protestatur.

Inter alia pleraque obsequia, quibus Ecclesia Dei per totum orbem terrarum longe lateque diffusa, ad honorem, et cultum Deiparae exhibet, non minorem locum tenent in eius honorem religiosa instituta, quae adeo multiplicata sunt, ut merito s.Ildephons.(*serm.* 1. *de Assumpt.*) dixit: *Haec est, quae ut cedrus Libani, quotidie in terris multiplicabitur, dilatabiturque ramis, et in coelo radicibus, ut crescat amplius, solidatur.* Olim (*Num.*28) ex Dei praecepto Hebraei, novilunii recurrentibus Kalendarum, seu Neomeniae solemnitate, aucto sacrificiorum numero, celebrabant, ut cecinit regius Vates (*Psalm.* 8): *Buccinate in Neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestrae.* Ut autem tradit d. Augustinus (*l.* 19. *contra Faust. c.* 10), haec novae lunae celebratio novam creaturam, quod per Christum facta est, praenunciabat. Unde arbitror, festa illa adumbrasse festa, quae tempore legis gratiae celebranda erant in honorem Deiparae, quam pulchram, ut lunam, divinus Sponsus compellat, (*Cant.* 6). Et quidem si Ethnici, vano idolorum errore decepti, matris Deorum, quae tamen portenta multa genuisse ab iisdem credebatur, aequinoctium verni diem sacrabant, ut auctor est Ropiseus (*in Aureliano*), idque inque indicare videtur Dionysius Areopagita (*epist.*8); quanto aequius est, beatissimae Virginis festa celebrare, quae vera Dei parens est, nobisque auctorem vitae peperit, ac fontem perennem gratiae, et omnium, quae suscipimus, beneficiorum?

Verum ad festa ipsa accedens, celebrat in primis Ecclesia Rom. festum immaculatae Conceptionis, quod apud Graecos ante mille annos, teste Galatino (*l.* 7. *de Arc. cathol. verit. c.* 5), celebrari consuevit die 9.mensis Decemb. ut videre est in Menologio eorum, et in constitutione Emmanuelis Imp. apud Theodorum Balsamonem (*in Nomocan. Photii tit.* 7. *c.* 1), et apud Baronium (*in notis ad Martyr. die* 8. *Decembr.*), qui testatur extare in bibliotheca Sfortiana de Concepticne b. Virginis sermonem Leonis imperatoris, qui dictus est Philosophus ex eodem Baronio tomo 10. Annal. anno 886. Canisius quoque (*lib.* 1. *de b. Virg.*) affirmat, Damascenum, qui claruit circa annum 720. in suo martyrologio diem Conceptionis Mariae notasse, hoc expresse addito, quod illa ante Conceptionem pura dicatur, quod et Galatinus (*loc.cit.*) animadvertit. Apud Latinos vero die 8. Decembris ex nonnullis revelationibus, quas infra ponemus, celebrari consuevit. Verum a quo tempore id fieri caeperit, non satis est exploratum: nec enim desunt, qui ad tempora Caroli regis Franciae unam ex his revelationibus, circa annum Domini 880. cuidam regis Hungariae germano factam, asserant; quam infra referemus, eiusque meminit Franciscus Vanarez (*in comp. vir. illustr. Ord. Sancti Benedicti*), et Bernardinus de Busto (*in suo Mariali*). Alii vero ad tempora Gulielmi Northmannorum ducis, quia ea tempestate in Anglia imperabat: hoc referunt occasione cuiusdam Abbatis a naufragii discrimine divinitus servati, simulque de hac solemnitate celebranda admoniti, quod refert Petrus de Natalibus (*in catal. Sanctor. c.* 42), et Iacobus de Voragine (*in festo Concep. in vitis Sanct.*), et Arnoldus Uvyon (*lib.* 5. *vitae c.* 111) apud Cornelium Schultirgium in Bibliotheca Ecclesiastica (*to.* 2. *in festo Concept.*). Hi tamen Abbatem hunc fuisse d. Anselmum affirmant: Baronius vero (*loco citato*), Helsenio Abbati Anglo, paulo ante tempora Anselmi circa annum Domini 1070. totum hoc tribuit, idque ex historia ipsa confirmat. Idem sentit Buxius (*l.* 9. *de signis Ecclesiae c.* 8), quam tamen solemnitatem fovit postea s. Anselmus Cantuarien. Episcopus, qui obiit anno salutis 1109. eamque amplexa est Ecclesia Lugdunensis propter scriptum supernae cuiusdam revelationis, ut testatur Bernardus (*epistol.*174). Denique ab universali Ecclesia in morem inducta, longe ante tempora Sixti Quarti, qui tamen in extravaganti, cum prae excelsa, de reliquiis, et veneratione sanctorum, iis, qui Conceptionis missam, et officium, quae sua auctoritate emanarunt, celebrant, in die festivitatis Conceptionis, et per eius octavas, aut illis horis interfuerint, amplissimas est elargitus indulgentias: et sacrum Concilium Tridentinum (*ses.*5) constitutiones a Sixto Quarto de Conceptione b. Virginis invocat sub poenis in eis contentis.

Sed quid mirum conceptionis Deiparae festum a fidelibus solemne haberi in terris quod coelis, teste s. Vincentio ex sacra Praedicatorum familia (*ser.* 2. *de Nativ. b. Virginis*), ab angelis iam inde cum primum Virgo sanctissima materno in utero est concepta, celebrari caeptum est? Nativitas Deiparae post Ephesini concilii tempora anno nostrae salutis 436. celebrati, in quo execranda Nestorii haeresis, qui beatissimam Virginem impie negabat Deiparam appellandam, Patrum sententiis damnata est a Latinis, et Graecis, die 8.Septembris coli coepta est, quod erudite probat Baronius (*in notis Martyrol.*) ad eam diem: nam ait Baron. *Apud Graecos Procli, Germani, Andreae Cretensis, et Damasceni sermones de hac solemnitate extant, et apud Latinos non solum Bernardus, et Fulbertus, qui circa annum Domini* 1010. *claruit, et Petrus Damianus, atque*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

alii de hoc festo sermones habuerunt; verum etiam Beda in Martyrologio, et s. Ildephonsus ante 900. annos lib. de virginitate, et parturitione Deiparae: cuius verba cap. 7. retulit ex Vincentio Beluacensi (*7. specu. histor. c.* 12). Huius festi meminit et Sergius Papa, qui anno 687. Pont. Rom. est renunciatus: litanias ea die fieri praecepit, quemadmodum ordo Romanus, seu liber de divinis officiis testatur, et in sacramentario s. Gregorii antiquissimo manu scripto in bibliotheca Vaticana, de eadem celebritate peculiaris praefatio habetur ex Baronio (*loco citato*).

Ceterum teste Duran. (*l. 7. c.* 283), Virgo nata est non tantum 8. Septembris, sed etiam aurora illucescente, iuxta revelationem cuidam viro religioso factam: et sane decuit Virginem, quae tamquam mystica aurora Solem iustitiae anteibat in mundo, nasci apparente aurora. Innocentius vero IV. huic festo octavam adiecit, teste Platina (*in eius vita*), et Durando (*l. 7. c.* 28), et Ioanne Bileth, atque fratre Alphonso Ciaccono in vita Innocentii Quarti, cuius institutionis causam refert Arnoldus Uvyonius (*lib. 5. de ligno vitae c.* 22). Cum enim Caelestino IV. Pontifice vita functo, Cardinales ob multiplices Friderici II. Imperatoris insidias, ad eligendum Pontificem viginti, et unum mensibus minime processissent, votum Deiparae nuncuparunt, se eiusdem Nativitatis octavam instituturos, si in re tanti momenti eius precibus ipsi, omnibus sublatis impedimentis, Pontificem elegissent: quod cum ex animi sententia evenisset, Innocentius IV. summus Pontifex electus, primo sui Pontificatus anno eandem octavam servari iussit.

Illud tamen silentio minime praetereundum, quomodo divinitus cognitum fuerit, diem Nativitatis Deiparae in 8. Septembris diem incidisse: quod refert Vincentius Beluacensis (*in specul. histor. l. 6. c. 65. et l. 7. c.* 119): *Solitarius,* inquit, *quidam sanctae vitae fuit, qui singulis annis harmoniam in coelo nocte Nativitatis Deiparae audivit; hic cum miraretur, quod hoc alio tempore non audiret, rogavit Deum, ut sibi ostenderet, quid hoc significaret; cui angelus Domini apparens, talia retulit: Virgo perpetua, quae Deum genuit, hac nocte nata fuit: quod licet ab hominibus ignoretur, ab angelis tetebre habetur, qua revelatione divulgata eius Nativitas celebrari ab Ecclesia instituta est;* haec Beluacensis, qui historiam suam usque ad annum 1244 pertexuit, teste eodem in fin. spec. hist. Hanc eandem revelationem ex Ioanne Bileth refert Petrus de Natalibus (*lib.8. Catalogi sanct. cap.* 51). Carthusianus (*serm. 1. de Nativit. b. Virginis*), et alii. Hoc ob similem revelationem, post multos tamen annos, ad ostendendum Lauretanae aedis in Natali Deiparae esse celebrandam, narrat Tursellinus ex Baptista Mantuano, et Hieronymus Angelica (*in lib. 1. histor. Lauret. cap.* 7), quae facta est cuidam solitario, nomine Paulo, cui cognomentum erat a Silva; quam, ut Deo soli vacaret, inhabitabat: quae visio contigit post advertam ex Galilaea primum, deinde ex Dalmatia in Italiam angelorum manibus sacram aedem Lauretanam: quod in annum reparatae salutis 1294. incidit, ut intelligas diversam esse ab ea quam narrat Vincentius Beluacensis, qui diu ante illam aliam, litteris mandaverat. Paulus igitur e suo tugurio, unde sacram aedem Lauretanam conspiciebat, coelestium rerum meditationi de more insistens, notavit integro decennio coelestem longe, lateque diffusam, instar ingentis cometae, flammam, quae b. Virginis cellae incumberet, comperitque sexto Idus Septembris, hoc est, ipso nativitatis beatae Virginis die, quotannis quarta ferme vigilia plurimum de coelo labi ignem, et aequabili tectum aedis splendore operire: nec ita multo post sublimem, unde veneral, recipere sese, existimabat ille b. Virginem, et in suam domum, delabi coelo: quare impigre accurrit, coelestem Reginam, ut credebat, conspecturus, et impense salutaturus. Ceterum appropinquanti flamma primum extenuari videbatur, ad ultimum ex oculis evanescebat: apud coelestes, quid flamma portenderet, precibus a Deo cognoscere insistit: ad ultimum per quietem discit, Natali Deiparae die domum eius Natalem anniversaria insigniri flamma: propterea quod ei cordi esset, eam inibi diem insigni solemnitate coli. Paulus, cui eximia sanctitas fidem conciliabat, Recinetensi Episcopo, primariisque civitatis rem omnem enuncial, decretumque est eo die festum Lauretanae domus celebrari. Haec iisdem fere verbis ex Tursilliano, qui etiam addit, idoneis testibus cognitum nocturnos ignes de coelo super Lauretanam tectum labi visos ab aliis Recinetensibus, hocque anniversarium spectaculum ad Pauli Terfii Pont. Max. durasse tempora.

De Deiparae, cum trium esset annorum, Praesentatione, qua oblata est in templum die 21. Novembris, copiose disseruimus (*c.*8). Hoc autem festum Graeci ante multa annorum saecula celebrarunt, ut videre est in orationibus, quas de eo antiquissimi Patres Graeci Germanus patriarcha Constantinopolitanus, qui floruit circa annum 715. et Gregorius Episcopus Nicomediensis habuerunt, quae extant apud Surium tom. 6. et quidem hoc festum die 21. Novembris adnotatur in Menologio Graecorum, et in constitutione Emanuelis apud Theodorum Bassam (*in nomocan. Photii tit. 7. capit.* 1). In Galliis celebrabatur tempore Caroli Quinti Francorum regis anno 1375. quo tempore Philippus de Masseriis regni Cypri Cancellarius in huius festi honorem Metense coenobium construxit, illudque monachis Coelestini Ordinis tribuit. Deinde Paulus Secundus Pontifex Maximus cum mala innumera in orbe crevissent, anno 1464 festum hoc approbavit, et solemniter celebrari imperavit, indulgentiis etiam, quod et Pius Secundus eius praedecessor recens fecerat, id pie colentibus concessis, quod Nolanus in Martyrologio Usuardi a se aucto, testatur his verbis: *Hierosolymis praesentatio b. Dei Genitricis Mariae, quam Pius, et Paulus Pontifices Romani cum indulgentiis instituerunt;* sic ille. Patres vero Coelestini in conventu generali Parisiensi anno 156. Praesentationis Deiparae solemnitatem per cuncta sui Ordinis monasteria Gallicana perpetuo celebrandam sanxerat, sed cum Pius Quintus in recognitione breviarii Sanctorum festa contraxisset, et festum Praesentationis Calendario non adscripsisset, in Ecclesiis tamen Hispaniarum ex concessione Gregorii XIII. celebrabatur: denique Sixtus Quintus Pontifex Maximus in brevi dato 1. Septembris anni 1585. testatur, hanc celebritatem ab antiquissimis usque temporibus, summa ubique gentium cum veneratione observatam, voluit eam sicubi intermissa esset, restitui, praecepitque per omnes totius Orbis Ecclesias die 21. Novembris festum eiusdem duplici officio peragi. Arnoldus Wyon (*lib. 5. lign. vit. cap. ult.*) refert, Abbatem quendam in Normannia Ordinis sancti Benedicti, cuius nomen ignoratur, tempore Caroli Quinti Francorum regis, anno Domini 1375. instituisse festum Praesentationis b. Mariae eadem de causa, et eodem miraculorum genere, quo Conceptionis eiusdem festum ab Anselmo Priore est institutum; haec ex Arnoldo.

Annunciationis Deiparae festum Orbi Christiano celeberrimum 8. Kalendas Aprilis solemni pietate, ac religione in Dei Ecclesia recolitur, cum angelo nunciante ex sanctissima Virgine propter hominum salutem, Deus factus est homo, ipsaque Virgo vera Dei Genitrix, simul etiam angelorum, atque hominum regina est effecta, ut propterea, qui se Deiparae studiosos profitentur, de hoc mysterio ei potissimum gratulentur: plerique etiam cum hebdomadae diem, in quem singulis annis incidit Annunciatio, omnibus eius annis hebdomadis a carnibus et lacticinio abstinent, quorum pietatem beata Virgo peculiaribus in eos cumulatis beneficiis, sibi gratam esse declarat, quemadmodum (*cap.* 38) diximus: et quamvis ea die Verbi Incarnatio, ut diximus, peracta sit, festum tamen illud propter ea, quae (*cap.* 28) disseruimus, ab Annunciatione Virginis nomen accepit. Hac vero 25. die mensis Martii, ab Archangelo Gabriele optatissimum illud nuncium Dei nomine Virgini allatum esse docet Augustinus (*lib. 4. de Trinit. cap.* 5) de Christo loquens: *Sicut a maioribus,* inquit, *traditum, suscipiens Ecclesiae custodit auctoritas, octavo Kalendas Aprilis conceptus creditur, quo et passus.* De quo nos capite 11. ex quo festum hoc in Dei Ecclesia esse longe antiquissimum, utpote traditione susceptum, satis apparet: nam praeter Ambrosium, Augustinum, Chrysologum, aliosque Patres pervetustos, s. Gregorius Thaumaturgus, qui anno Domini circiter 230. florebat, orationem de eo habuit luculentissimam, a Willelmo Lindaro Ruremundensi Episcopo Latine redditam, quemadmodum testatur Baronius (*in not. ad Martyrol. ad hanc diem*). Octavam porro festi Annunciationis Ordo Carmelitarum pro sua in Deiparam pietate religiose celebrat. Et quamvis olim in multis Ecclesiis haec Annunciationis solemnitas ad 15. Calendarum Ianuarium translata fuerit, quod Quadragesimae tempus passionis Christi commemorandae tributum esset, ac moerori potius, luctuique deberetur, ut videre est in Concilio Laodicensi (*cap.* 51), et in Toletano decimo (*cap.* 1), quod celebratum est sub Eugenio s. Ildephonsi Avunculo, Toletano Archiepiscopo, anno Domini 656. teste Mariana (*lib. 7. de reb. Hispan. cap.* 9); Romana tamen Ecclesia diem ipsum 25. Martii, in quo *Verbum caro factum est,* retinendum censuit: quod ipsum servant Graeci ex ipsorum Menologio. Sanctus vero Ildefonsus Toletanus Archiepiscopus Eugenii successor eam Annunciationis solemnitatem, quae ut dixi, ex Concilio Toletano 18. Decembris agebatur in Hispania, in expectationem partus beatae Virginis commutavit, de qua plura infra. Ecclesia vero Ambrosiana, teste Galesino (*in not. ad Martyr.*), Annunciationem Domini in die Dominica, quae Natalem Domini proxime antecedit, celebrare consuevit, quoniam saepe in hebdomadam sanctam incidit, in qua ob passionem Domini solemni ritu celebrari non potest. Ceterum de praestantia, ac dignitate sacratissimi mysterii, in hac die Annunciationis peracti, plura egimus (*cap.* 8). Hic solum adiiciam id quod de hac solemnitate habetur (*in exord. orat. Athanasii de Annuncial.*): *Primum,* inquit, *hoc memorine subiiciendum, festum hoc unum esse ex Dominicis festis, atque adeo primarium, et prorsus venerandum, ut pote, quod pro ordine, et digestione rerum, quae in Evangeliis de Christo praedicantur, sacrosanctum habetur: quippe in quo de Filii Dei e coelis descensu agitur;* haec ibi.

Visitationis b. Dei Genitricis festum, cum ad s. Elisabeth praecursoris Matrem invisendam se contulit, institutum est ex sancto Antonino (*4. part. tit.* 15. *cap.* 24. §. 3) anno circiter 1385. ab Urbano Sexto, et a Bonifacio Nono confirmatum, vel potius promulgatum anno Domini 1389. ad Dei Genitricis opem, ea instituta celebritate, impensius implorandam, propter gravissimum illud schisma, quod Ecclesiam Dei ab obitu Gregorii XI. usque ad Martinum V. misere lacerabat, e medio iollendum. Cardinalis Baronius (*in notat. in Martyrol.*) ad diem 2. Iulii legisse se affirmat tractatum quendam manu scriptum Ioannis Pragensis contra quendam Albertum, eius solemnitatis impugnatorem, in quo cum plura erudite disserat, nonnulla miracula et certas revelationes affert, quibus Deus hanc solemnitatem manifestissime comprobavit. Sane Bonifacius IX. in suo de hoc festo diplomate, fructum, quem ex hac celebritate colligere debemus, gravissimis verbis in hunc modum indicat: *Hanc igitur Visitationem felicis recordationis Urbanus Papa Sextus praedecessor noster de fratrum suorum S. R. E. Cardinalium consilio, annis singulis ut Virginis Matris Dei humile obsequium cognatae exhibitum, iugiter cordibus fidelium sit infixum, in Ecclesia catholica sexto nonas Iulii in perpetuum celebrari instituit.* Et mox indulgentias, quas idem Urbanus III. concesserat, qui officio, vel missae eiusdem festi interessent, subiicit. Huius festi octavam ab Urbano VI. instar solemnitatis corporis Christi institutam complures religiosorum familiae pie servant, eiusmodi sunt Cluniacenses, Praemonstratenses, Cistercienses, Dominicani, Augustiniani, Carmelitae, et Caelestini.

Purificatio Dei Genitricis a Latinis, et Graecis 2. Februarii quadragesimo a Nativitate Domini die rite celebratur; hoc festum a Graecis,

Hypapante Domini, hoc est, *occursus, seu obviatio*, appellatur: quando videlicet Simeon occurrit Christo, qui in templo praesentabatur, cuius exemplo Ecclesia, in eius diei officio omnes, ut Christo occurramus, invitat illis verbis: *Ecce venit ad tempus sanctum suum dominator Deus, gaude, et laetare Sion, occurrens Deo tuo.* Et in Ecclesia quidem Orientali sub Iustiniano Imperatore celebrari coeptam, occasione eiusdem magnae mortalitatis, Deiparae ope depulsae, quemadmodum (*cap.* 20) diximus, complures docent. Nicephorus (*libr.* 17. *cap.* 28): *Iustinianus*, inquit, *peracta sancta Synodo universali servatoris exceptionem toto Orbe terrarum, festo die honorari instituit.* Paulus Diaconus (*in Miscell. histor. ann.* 15. *Iustiniani*), cui consentit sanctus Antoninus (2. *part. histor. tit.* 12. §. 5), Sigibertus (*in Chron. ann. Christ.* 542): *Constantinopoli*, inquit, *mortalitate magna insurgente, statuta est solemnitas beatae Mariae quae Graece* ὑπαπαντὴ, id est, *obvialio dicitur.* Idem habet Gulielmus Durandus (*libr.* 7. *in ration. divin. offic. cap.* 7), quamvis Cedrenus (*in compend. ann.* 9), Iustini senioris institutam velit: apud Latinos vero Gelasius Pontifex, qui triginta circiter annos ante Iustiniani tempora Ecclesiae praefuit anno 494. viam huic celebritati aperuisse videtur, abrogatis lupercalibus, mense Februario agi solitis, de quo Baronius in notis Martyrologii ad diem 2. Februarii, et tomo 7. annalium ad annum Domini 445. Sergius vero Papa, qui Pontificatum iniit anno salutis 688, huic solemnitati adiecit, quemadmodum habet Ordo Romanus, litanias, in quibus clerus cum populo ab Ecclesia sancti Adriani procedebat cum cereis in talem usum benedictis ad sanctam Mariam Maiorem, quod et in aliis Deiparae festis fieri docet Beda (*in lib. de tempor.*), de quo nos infra. Quod si roges, quare in hac solemnitate cereos gestemus accensos, respondet Innocentius (*ser. de Purif. beat. Mar.*): *Primum ut mos*, inquit, *ethnicus cum christiano ritu commutetur, et quod a solitis idolorum cultoribus ad honorem Cereris, ac Proserpinae agebatur, id prudenter a pius ad honorem, laudemque Mariae Virginis concertatur: deinde, ut qui per Christi gratiam sunt purificati, hac caeremonia moneantur, prudentes illas virgines imitari, quae, ut evangelica docet parabola, non sine lampadibus accensis ad Christi sponsi nuptias ingrediuntur*; haec ille. Et s. Antoninus (4. *part. tit.* 55. *cap.* 24): *In festo*, inquit, *Purificationis candelas accensas gestamus in manibus, lumen ardentissimae charitatis Virginis designantes, et eam vitam nostris operibus habere protestantes*: et haec de cereis satis sint. Qui plura de Virginis Purificatione, et de cereis hac die gestari solitis, requirit, adeat Canisium (*lib.* 4. *cap.* 11. *et* 12. *et lib.* 5. *cap.* 24). Nonnulla miracula, quae hac die propter responsorium postea in festo Purificationis in officio institutum est dici, habes (*cap.* 24). Illud tamen exemplum minime praetereundum videtur, quod ad processionis commendationem, quae in hoc festo Purificationis fieri solet, maximopere facere videtur, quod nos ex Caesario (*lib.* 7. *mirac. cap.* 20) suis plane verbis describemus: *In regno Franciae, in villa, quae dicitur, Quido, virgo quaedam nobilis, et religiosa, sed paralytica fuit, quae orationibus, ieiuniis, et divinae contemplationi adeo operam dabat, ut corporalis cibus ei in nauseam verteretur: nec aliquid ex eo sumere poterat, nisi modicum succum uvarum: hospitalis erat valde, ac propterea etiam spiritum meruit prophetiae, cui eius pater sacerdotem, qui ei divina celebraret, cum ministris instituit: haec cum in die purificationis Dominae nostrae sanctae Mariae Virginis, aliis clericis, aliisque ministris divino nutu absentibus sola iaceret, intra se tristis dicebat: Modo hic sola iaceo, nec aliquid obsequii more Ecclesiae universalis hodie beatae Dei Genitrici Mariae impendis. Dum talia in mente volveret, spiritus eius mirabili Dei virtute de corpore eductus, ab angelo in coelestem Ierusalem est deductus, in qua maximam videret processionem, ex diversis eiusdem beatae civitatis ordinibus, patriarchis videlicet, prophetis, apostolis, martyribus, confessoribus, virginibus, ceterisque fidelibus, ex quibus bini simul incedebant, et candelas ardentes in manibus gestabant, antiphonas, sive responsoria, ad diem pertinentia, more Ecclesiae militantis, omnes decantabant, et stationes debitas observabant. Angelus vero virginis ductor, alteri cuidam virgini, quam noverat esse consimilis meriti, illam sociavit, candelam porrigens ardentem: tantus erat decor omnium sanctorum, splendor gloriae, et sol iustitiae, indutus Pontificalibus, mitram gestans in capite suo, cum baculo, chirothecis, et annulo, et reliquis episcopalibus ornamentis, notissimum locum cum sanctissima Matre sua Maria tenebat. Cuius pulchritudinem omnis ille coelestis exercitus mirabatur; quae cum post tertiam stationem inchoasset antiphonam, Hodie beata Maria puerum suum Iesum praesentavit, etc. ingressi sunt templum ex auro gemmisque constructum, deinde inceptus est missae introitus, videlicet: Suscepimus Deus misericordiam tuam, et ab omnibus simul decantatus. Interim Christo introeunte ad altare, postquam expletum est Kyrie eleison a choris alternatim, post Gloria in excelsis Deo, etc. quod ipse Dominus noster Iesus Christus inchoavit, beatus protomartyr Stephanus epistolam legit de libro Malachiae prophetae, videlicet, ecce ego mitto angelum meum. Sanctus vero Ioannes Evangelista, dalmatica indutus, legit Evangelium secundum Lucam, scilicet: postquam impleti sunt dies purificationis Mariae, etc. quo perfecto Dominus secundum morem ordinis nostri, ad gradum rediit, et offerentibus candelas suscepit. Praedicta autem virgo per spiritum sentiens, se ad corpus recesuram, candelam suam offerre voluit, etiam angelo suo praecipiente, volens illam secum ad terras portare: quod angelus considerans, candelam in manu eius fregit, superiorem partem auferens, et inferiorem illi relinquens, sicque ad corpus reversa partim eadem manu conclusam se retinuisse invenit, de qua plurimae fiebant, et forte usque hodie fiunt virtutes. Nam aquam superfusam infirmi bibunt, et convalescunt. Tam manifesta, et sublimis erat visio, ut modum eius minime intelligeret, dicens illud Apostoli, cum de ea interrogaretur: sive in corpore, sive extra corpus nescio. Deus scit;* sic ibi.

Assumptio Dei Genitricis inter eius festa longe est augustissimum, quippe quod ei felicitatem attulit inenarrabilem, ut proptereа Navarrus (*in Miscellaneo* 13. *de poenit. b. Virg. num.* 1) diverit. Assumptionem festum b. Virginis esse simpliciter maximum, iuxta glossam memorabilem, et receptam alma Mater, verbo Assumptionis, de sententia excommunicationis in 6. et Suarez (*lib.* 2. *de diebus festis cap.* 8): *Festum*, inquit, *Assumptionis est maxime proprium ipsius Virginis, et inter festivitates eius habet quandam excellentiam, quia gloriam, praemium, et triumphum sanctissimae Virginis nobis repraesentat*; sic ille. Eiusmodi sane festum ingenti Christianorum laetitia, Deiparae in tanta felicitate gratulantium, celebratur 18. Kalendas Septembris, cum sol ex astrologorum sententia, in coelesti Virginis signo commoratur, eademque die a Graecis, ut videre est in eorum menologio, et in novella constitutione Emanuelis imperatoris, recolitur: hanc vero solemnitatem in Ecclesia antiquissimam esse satis apparet: nam, ut omittam antiquissimos Patres, Andream Cretensem, Damascenum, Metaphrasiem, Petrum Damianum, Anselmum, Bernardum, aliosque plurimos, qui de hac solemnitate sermones habuerunt, certe ante Iuvenalis Episcopi Ierosolymitani aetatem, qui anno salutis 445. florebat, celebrem fuisse constat ex verbis, quae apud Nicephorum leguntur (*lib.* 2. *cap.* 23), ubi eiusdem Iuvenalis de Deiparae sepulcro et assumptione ad imperatorem responsum scribitur. Deinde Sophronius, Hieronymo aequalis, sermonem, qui inter opera Hieronymi habetur, de hoc festo conscripsit Inculentissimum. Quod si quis pertinaciter contendat, sermonem illum non esse Sophronii, qua de re nos initio huius operis plura, at saltem alicubi ex viri gravissimi, qui ea fere tempestate claruit: nam ex eo sermone Petrus Chrysologus, qui quemadmodum ipse ait (*serm.* 145), anno salutis 500, vivebat, et Ildephonsus, qui natus est anno Domini 610, in suis sermonibus integras sententias sunt mutuati. Sed quidni mortales eam celebritatem solemniter agant, quae ipsi curiae caelesti incunditatem attulit maximam? nam Sophronius (*loc. cit.*), de ea agens: *Festivitas*, inquit, *haec, quae de nobis hodie revolvitur annua, angelis omnibus facta est continua*: et Ildephonsus eadem fere (*serm.* 2. *de Assumpt.*): *Haec*, inquit, *festivitas assumptionis Virginis praecipua, et venerabilis nobis, sed venerabilior in coelo est angelis, et sanctis omnibus, quorum laetitia et gaudium proculdubio ex huius adimpletur diei exultatione, quando beata Dei Genitrix clarior sole refulsit in throno claritatis*; sic ille. Quod vero Niceph. (*lib.* 17. *cap.* 18) scribat, festum hoc edicto Mauritii imperatoris institutum: *Sic accipias inquit Baron. in notis Martyrologii ad* 15. *Augusti, ut eam antea ab Ecclesia institutam ipse in Oriente sanctione edita promulgarit.* Ceterum festum hoc magna religione a fidelibus peragi solitum, illud argumentum est, quod eidem octava ab universali Ecclesia sit tributa ex institutione Leonis IV. Pontificis, teste Sigiberio (*in chronic.*) anno 846, cuius occasio, ex Anastasio bibliothecario, qui ea tempestate vixit, et ex Platina (*in vita eiusd. Pontificis*), ea fuit, quod basiliscus, cuius habitu, et veneno multi perierant, huius Pont. precibus, quemadmodum uberius (*cap.* 20) diximus, e fornice s. Luciae in Orphea fuerit expulsus in ipsa die Assumptionis iuxta Anastasium bibliothecarium, vel in octava eiusdem festi, iuxta Platinam; qui addit, hunc diem octavae postea ut festum celebratum esse. Ieiunium quoque vigiliae eidem festo, ex Ecclesiae praescripto, praemittitur, cuius meminit Nicolaus Pontifex, qui praefuit Ecclesiae anno Domini 858. ad consulta Bulgarorum cap. 4. ubi inter veteres S. R. E. ieiunia servari solita, recenset et hoc. Illud vero minime silentio praetereundum, quod Petrus Abbas Cluniacensis, dictus Venerabilis, qui s. Bernardi temporibus claruit, (*l.* 2. *de miror. cap.* 30) tradit, cereos in aede s. Mariae Maioris de Urbe a primis vesperis festi Assumptionis incendi solitos usque ad secundarum finem, totes 24 horis permanere continue ardentes, nihilque penitus imminutos: *Et hoc*, inquit, *tam nobile, et ante nusquam auditum miraculum, ad commendandam mortalibus gloriam Matris Domini, non in quolibet ignoto, vel in humili loco, non in qualibet vel quantalibet civitate, sed in ipsa Urbis Orbis capite, non semel tantum, sed assidue recursu annuo divina pietas, et potentia operatur.*

Celebre est festum Nivis, quae Liberio summo Pontifice circa annum Domini 368, partem collis Equilini 9. Augusti, quo tempore in Urbe maximi calores esse solent, nocta contexit, cuius rei memoria eadem die anniversaria celebritate ab universali Ecclesia colitur: in loco autem nive consperso Ecclesia aedificata est, quae nunc dicitur s. Mariae Maioris, cuius nos initia, progressum, atque praestantiam recensebimus infra, ubi de templis Deiparae dicemus.

Festum desponsationis b. Virginis in Galliis die 22. Ianuarii celebratur, Petri Aurali, ex sacro Ordine Praedicatorum votis, qui anno 1546, composito eius solemnitatis officio a Paulo III. Pont. suppliciter contendit, eius ut auctoritate illud liceret in Ecclesia decantari, ac sacrae Desponsationis celebritatem fieri 22. Ianuarii, quo tempore eam factam existimabat. Anno vero 1556. Gallicanam Ecclesiam secuta est diocecesis Atrabatensis, ubi 23. Ianuarii hoc festum recolitur. Dedicatio Ecclesiae s. Mariae ad Martyres Romae 13. Maii, quam Ecclesiam, inquit martyrologium Romanum, ad eam diem beatus Bonifacius Papa IV, expurgato deorum omnium veteri fano, quod Pantheon vocabatur, in honorem beatae semper Virginis Mariae, et omnium Martyrum dedicavit, tempore Phocae imperatoris; haec ibi. Quod ex Sigiberto apud Genebrardum ad annum Domini 613, refertur. Gregorius vero IV. qui sedit anno 828, eandem festivitatem sub honore Dei Genitricis, et omnium Sanctorum in universali Ecclesia die 1. Novembris, ut supra diximus, celebrandam decrevit. Romae tamen die etiam 13. Maii in eodem templo olim Pantheon dicto, eius dedicatio fidelium concursu celebris habetur.

Expectatio partus Deiparae die 18. Decem-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

bris solemnitas est celeberrima: in Hispania etenim, ut supra dicebamus, ex Mariana anno salutis 656 a Concilio Toletano (*c.* 1), sub Eugenio Archiepiscopo Toletano institutum est festum 15. Kalendarum Ianuariarum, hoc est 18. Decembris sub nomine Annunciationis Deiparae, quam Patres illius concilii, quod condigne in quadragesima, vel Paschate celebrari non posse videretur, in illum diem transferendum duxerant, his verbis: *Ut ante octavum diem, quo natus est Dominus Genitricis quoque eius dies habeatur celeberrimus, atque praeclarus: ex pari enim honore constat, ut sicut Nativitatem Filii sequentium dierum insequitur dignitas, ita festivitatem Matris tot dierum sequatur sacra solemnitas. Nam quid festum Matris, nisi Incarnatio Verbi: cuius festum ita debet esse solemne, sicut est et eiusdem Nativitatis Verbi;* haec ibi. Verum postea s. Ildephonsus Eugenii nepos, et in Toletano Episcopatu successor, eundem diem Deiparae sacrum sub nomine expectationis partus eiusdem esse decrevit, eamque magna pietate in hoc usque tempus celebrant Hispani, quam etiam a Gregorio XIII. confirmandam curarunt, cum Annunciatio Virginis ibi. 25. die Martii cum universali Ecclesia recolatur. Haec porro solemnitas vulgo sancta Maria de O. vocatur, quod in primis huius solemnitatis vesperis in Ecclesiastico officio ponantur celebres illae antiphonae ante Nativitatem Domini ab O. initium ducentes, quibus antiquiorum Patrum ardens desiderium, Christi Domini adventum cupide expectantium, exprimitur. Vide Ribadeneiram in vitis Sanctorum ad diem 18. Decembris, Arcoldum Uuyonium (*in Martyrologio Benedictino eadem die*), Marianam (*lib.* 6. *de rebus Hispan. cap.* 9). Azor. (*tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 28), et Vincentium (*in speculo histor. lib.* 7. *cap.* 120).

Festum beatae Virginis Odigitriae, quod in Sicilia mutilo, ac decurtato nomine *de Idria*, alii vulgo appellant a Constantinopoli feria 3. Pentecostes, ubi aliquod et templum, vel sacellum erectum est ac dicatum, magno populorum concursu celebrari consuevit, quemadmodum Romae, Neapoli, et alibi praesertim in Sicilia fieri videmus: eiusmodi vero festum duxisse videtur originem a Deiparae imagine, s. Lucae penicillo expressa, et a Pulcheria Augusta Theodosii Iunioris sorore, Constantinopoli in templo a se a fundamentis excitato, cui nomen τῶν ὁδηγῶν seu ὁδηγῶν hoc est, *viae ducum*, est inditum, collocata, una cum quibusdam Christi Domini fasciis, ac fuso eiusdem Virginis: de qua imagine Nicephorus (*lib.* 25. *cap.* 14): *Pulcheria*, inquit, *Augusta templum in urbe Constantinopolitana erexit* ὁδηγῶν *viae ducum appellatum, ubi Antiochia missum Verbi Matris imaginem dedicavit, quam divus Apostolus Lucas suis ipse manibus depinxit, illa adhuc vivente, gratiamque sedulo illi formae suae immittente. Haec imago in loco, quod tribunal dicitur, ubi ea, quae nunc quoque fiunt, miracula peracta sunt. Porro in templo illo, ut tertio quoque septimanae die pervigilium item et supplicatio peragretur, curavit, quod ad hunc usque diem servatur;* haec Nicephorus. Ex quo factum, ut Constantinopolitani cum vel hostium obsidione, vel aliis angustiis premerentur, ad Deiparam confugerint, atque admirabilem eius opem, quemadmodum in tractatu de miraculis allatis historiis ostendimus, experti saepissime fuerint. Verum reliquis omissis, id tantum afferam in praesentia, quod de eiusmodi imagine scribit Vincentius Beluacensis, qui ante 400 circiter annos floruit (*in speculo histor. lib.* 23. *cap.* 147), ubi cum ageret de Sarracenis tempore Leonis Secundi imperatoris, magna cum eorum caede profligatis: *Apud Constantinopolim*, inquit, *in monasterio sanctae Dei Genitricis, iuxta palatium in mare prope s. Sophiam, erat imago beatae Mariae, quae tenebat infantem in brachio, quam depinxit in tabula s. Lucas cum adhuc viveret, s. Maria vocatur Hodigitria, idest deductrix, quia duobus caecis apparuit sancta Maria, et deduxit eos ad suam Ecclesiam, et illuminavit eos. Cum ista imagine faciunt processionem omni die Martis per totam civitatem;* haec ille, additque cum eiusmodi imago per Urbem circumferretur, Sarracenus male periisse: eandem historiam ex Vincentio refert sanctus Antoninus (*tom.* 2. *histor. tit.* 14. *c.* 2. §. 3). Huius imaginis exemplum una cum peculiari in eam pietate in Occidentis partes est propagatum: quare et templa, et sacella ei dicata, passim conspiciuntur. Nec Deiparae benignitas mortalibus defuit: plurima enim beneficia ad se confugientibus praestat, quod tabellae in huiusmodi templis, vel sacellis appensae satis testantur: quo etiam factum est, ut complures feria tertia cuiuscumque hebdomadae propter institutionem Pulcheriae, teste Nicephoro (*loco citato*), et propterea, quae attulimus ex Vincentio Beluacensi, in honorem Deiparae Constantinopoli peracta, eius templum religionis ergo adeant, et iis tantum cibis vescantur, quibus in quadragesima uti licet.

Constantinopoli die 2. Iulii in Blachernis, quod est templum Deiparae a Pulcheria Augusta admirabili pulchritudine in suburbiis Constantinopolis exstructum, festum est depositionis vestimentorum Deiparae in eodem templo, quae erant fasciae sepulcrales a Iuvenali Hierosolymitano patriarcha ad eandem Pulcheriam missae: de hoc festo Molanus (*ad Usuardi Martyrologium*) in hunc modum: *Die* 2. *Iulii depositio stolae sanctissimae Dominae nostrae Deiparae in Blachernis.* In eadem Urbe Constantinopolitana in Chalcopratео etiam, quod latine *fabrorum emporium* sonat, erat alterum Deiparae templum ab eadem Pulcheria a fundamentis excitatum: de hoc festo Molanus (*ad Martyrologium Usuardi*) sic habet: *Die* 31. *Augusti depositio venerandae Zonae sanctissimae Deiparae in anniversario die dedicationis templi in Chalcopratеis.* De Zonae Deiparae depositione extant encomia Germani Episcopi Constantinopolitani, et Euthemii monachi apud Surium. In seraphico nostro Minorum Ordine sanctae Mariae angelorum, seu de Portiuncula die secunda Augusti festum solemne celebratur propter amplissimam indulgentiam, quam sanctus Franciscus, a Christo Domino Deipara deprecante cunctis peccata sua rite confessis, templumque sanctae Mariae angelorum Assisii ea die invisentibus, imperavit; quod (*in l. conform. s. Francisci conform. 2. et in chronicis Minorum p. 1. l. 2. c. 1. fusius describitur*).

Celebris est solemnitas b. Virginis a Carmelo, quae die 16. Iulii ingenti fidelium pietate celebratur, in eiusque honorem feriam quartam cuiuscunque hebdomadae peculiariter dicatam colunt complures, eaque die a carnibus sponte abstinent.

S. Mariae de Victoria commemorationem Pius V. Pont. Max. ob insignem de Turcis anno 1571 Deiparae auxilio ad Echinadas partam victoriam quotannis fieri instituit die 7. Octobris, ut videre est in martyrologio Romano ad eundem diem: verum quia eo anno septima dies Octobris in primam eiusdem mensis Dominicam incidit, quo tempore solemnis sodalitatis Rosarii supplicatio fiebat, Gregorius XIII. Pontif. Max. Pii V. successor, hanc sodalitatem sub nuncupatione Rosarii Dominica prima Octobris in Ecclesiis, ubi altare, vel cappella Rosarii fuerit, tanquam festum solemne, sub duplici maiori officio de eadem Virgine Deipara celebrari permisit, quemadmodum capit. 20. diximus.

Festum dolorum Deiparae, quos cum puerum Iesum sisteret in templo, Simeon ei vaticinatus est, a Cisterciensibus, quemadmodum ex eorum breviario colligitur, die 16. Aprilis, ab aliis vero in locis praesertim in Atrebatensi dioecesi, feria sexta ante Dominicam Palmarum solemni ritu celebratur. In eiusmodi Virginis dolorum memoriam apud Traiectensem dioecesim in d. Ægydii, ubi Canonicorum collegium erat, societas quaedam erecta est: quo in loco complura signa, aegrotis reddita valetudine, mortuis ad vitam revocatis, divinitus sunt exhibita, quemadmodum libellus quidam de ea societate Latine editus testatur.

Festum gaudiorum eiusdem Deiparae in Eccl. quidem Audomarensi sabbato, quod Ascensionem Domini proxime sequitur, celebratur, in Ecclesia vero Hoviomensi recolitur Dominica, quae incidit post diem 4. Iulii, translationi fuerint, ex piissimis Rythmis apud Canisium (*lib.* 4. *cap.* 13), quibus praeclarissimus Christi Martyr s. Thomas Cantuariensis etiam delectatus scribitur, ut ex lib. 1. revelationum s. Mechtildis (*cap.* 6) cognoscere licet.

Tandem extat solemnitas recollectionis festorum Deiparae Lovanii Dominica 1. Septembris: eius meminit Molanus (*ad Usuardi Martyrologium*) die 1. Septembris his verbis: *Dominica die mensis Septembris Lovanii in Basilica s. Petri solemnitas recollectionis festorum b. Virginis Dei Genitricis Mariae, quae cum totius urbis laetitia festive celebratur;* haec ibi. Huius festi institutionem vide apud Lovanium Lipsii (*lib.* 1. *cap.* 5). Idem festum alibi etiam in Belgio est solemne, Duaci enim Dominic. ult. Augusti Antuerpiae Dominica 2. de Assumptione Deiparae, Cameraci Dominica 4. Augusti recolitur. In Calendario Breviarii Cameracensis dioecesis, excusi Parisiis anno 1507. cum officio recollectionis festorum Deiparae mense Augusto die 21. versiculus hic legitur: *Lucas die 4. Mariae collige festa;* cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA X.

Perenni sabbati cultu singulis recurrentibus hebdomadis, Ecclesia catholica Deiparentem honorat, specialia obsequia in ea die ei deferens, officii, missae, ieiunii, aut similium.

Antequam propositum argumentum exordiar, praemittendum duxi ex angelico Doctore, quare sabbatum in Dominicam translatum sit: ad quod in haec verba respondet (2. 2. *quaest.* 122. *articul.* 4): *Hoc praeceptum litteraliter intellectum partim est morale, et partim caeremoniale: morale quidem ad hoc quod homo deputet aliquod tempus vitae suae ad vacandum divinis, etc. sed quantum in hoc praecepto determinatur speciale tempus in signum creationis mundi, sic est praeceptum caeremoniale. Similiter et caeremoniale est, prout fuit signum quietis Christi in sepulcro, quae fuit* 7. *die, et similiter prout significat cessationem ab omni actu peccati, et quietem mentis in Deo, similiter prout figurat quietem fruitionis Dei, quae erit in patria. Unde praeceptum de sanctificatione sabbati ponitur inter praecepta decalogi, in quantum est praeceptum morale, non in quantum est caeremoniale, etc. voluit Deus, ut custodiretur unus dies in memoriam, quod Deus omnia creaverat in sex diebus, et in septimo quievit a novis creaturis condendis. Sed quia Christus veniens fecit novam creationem, qua scilicet homo coelestis effectus est, sic ut per primam terrenus, iuxta illud Apostoli, in Christo Iesu, neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed nova creatura: et haec nova creatura est per gratiam, quae incepit in resurrectione, iuxta illud Rom. cap.* 6. *Quomodo Christus surrexit a mortuis, etc. ita et nos in novitate vitae ambulemus; et quia resurrectio facta est in Dominica, ideo celebramus illam diem, sicut Iudaei sabbatum, Observantia diei Dominicae in nova lege succedit observantiae sabbati, non ex vi praecepti legis, sed ex constitutione Ecclesiae, et consuetudine populi Christiani;* haec divus Thomas. Propter motiva autem multa diversa lego, antiquos fideles sabbati diem religiose coluisse in partibus Orientalibus, et Occidentalibus. Nam divus Augustinus (*epistol.* 86) affirmat, Orientales dies sabbati honoris gratia, et in signum laetitiae, quod tum caro Christi requiescebat in sepulcro, a doloribus immunis, ieiunium solvebant: verba eius sunt haec: *Populi Orientis propter requiem significandam, qua caro Christi in monumento requievit, malunt in sabbato ieiunium relaxare;* haec ille. E contra vero Occidentales consuevere die sabbati ieiunare in memoriam passionis Christi, ut idem sanctus Augustinus testatur, dicens: *Alii maluntpropter humilitatem mortis Domini ieiunare sicut Romani, et nonnulli Occidentis Ecclesiae.* Unde Breviarium Romanum (*in vita Innocentii Primi*) ait: *Probavit etiam ut sabbato ob memoriam Christi Domini sepulturae ieiunium servaretur.* Verum huius discriminis in-

ter Orientales, et Occidentales alii aliam longe diversam rationem reddunt: nam cum quidam haeretici, ut Menander, Cerdon, Marcion, Cerinthus, et Saturninus, quorum meminerunt divus Irenaeus (*capit.* 30), Epiphanius (*haeres.* 42), impie affirmassent, malum esse Deum Hebraeorum, et ad illum expugnandum venisse Christum: et quia Hebraei diem sabbati observabant in honorem sui Dei, idcirco illi in eius contumeliam in sabbato ieiunabant; ad hanc tamen haeresim extinguendam, quae in Oriente praecipue grassabatur, catholici fideles ieiunio sabbati omnino se abstinebant, adeo ut sanctus Ignatius (*epist. Philipp.*): *Si quis Dominicum diem, aut sabbatum, uno excepto, ieiunarit, hic Christi interfector est.* Quod idem prohibitum lego (*in canon.* 55. *Apostolor.*), ut latius prosequitur cardinalis Baronius tomo annalium anno Christi 57. Apud Occidentales vero, et polissimum Romae sabbati ieiunium viguit, ut divus Augustinus testatur (*epist.* 66), quod olim sabbato ante Dominicam, in qua divus Petrus expugnavit Simeonem Magum, fideles praemiserunt ieiunium: verba divi Augustini sunt ista: *Quoniam haec est opinio plurimorum, quamvis perhiberent esse falsum plerique Romani, quod Apostolus Petrus cum Simone mago die Dominico certaturus propter ipsum magnae tentationis periculum, pridie cum eiusdem urbis Ecclesia, ieiunarit, et consequuto tam prospero gloriosoque successu eundem morem tenuerit, eumque imitatae sint nonnullae Occidentales Ecclesiae.* Scio Innocentium Primum (*epistol. ad Decentium*), et habetur (*de consecrat. distinct.* 3. *cap.* 3. *sab.*) affirmare, fideles ieiunare solitos in die sabbati in memoriam moeroris, quo Apostoli propter necem Christi non solum sexta feria, sed et sabbato confecti fuere.

Porro quam vetus sit sabbatinus dies in Deiparae cultum, non est una omnium sententia: nam divus Antoninus (2. *part. histor. titul.* 16), Genebrard. (*lib.* 4. *chronolog. in Urbano* 2), et antiquior illis Vincentius Beluacensis (*libr.* 25. *sui specul. histor. capit.* 112), et alii non pauci affirmant, coepisse in Concil. Claromont. sub Urbano 2. anno 194. quoniam in eo et officium parvum beat. Virgin. et ut in sabbato, officium maius de Deipara, et missa de eadem celebratur; at longe prius sabbatum Deiparae consecratum reperimus: nam sanctus Genebrardus Episcopus, et Christi martyr, de quo Surius tomo 5. die 24. Septembris, et singulis sabbatis ante aram Virginis recitabat officium Assumptionis: in Ordine etiam Cluniacensi, qui coepit anno salutis nostrae 812 praecipitur, ut in eius breviario legitur, officium beatae Virginis celebrari singulis sabbatis extra quadragesimam, et nisi occurrat aliqua festivitas, quae duo non obscure indicant Concil. Claromont. id quod de sabbato ad Deiparae honorem in consuetudinem fuerat inductum, sua auctoritate sanxisse, ut observarunt Arnoldus (*lib.* 5. *ligni vitae*), Canisius (*l.* 5. *de b. Virg.*), quin etiam noster Pelbarus gravis Theologus (*l.* 1. *stell. B. Virg. part.* 4. *art.* 3. *cap.* 2): *Sabbatinum Deiparae officium a sancto Ildefonso, qui circa annum Domini* 660. *floruit, usurpatum affirmat: scribit enim haberi praecipue in libro, qui inscribitur scala coeli, cuius auctor fuit Ioannes Ægidius, seu Ioannes Minor Ordinis Praedicatorum. Haberi praeterea in miraculis b. Vir. s. Ildefonsum Toletanum Archiepiscopum post editum de perpetua Deiparae virginitate librum, novem lectiones in officio ad Deiparae honorem quolibet sabbato dicendas confecisse: cumque die quodam sabbati admirabilis in Ecclesia harmonia resonaret, arbitratus canonicos eo absente matutinum officium persolvere, ocyus cum suis ad ecclesiam perveniens, admirabilem vidit claritatem, et angelorum choros officium illud a se editum, decantantes; ac b. Virginem, quam angeli laudabant, in Episcopali cathedra residentem, absolutisque matutinis, s. Ildefonso ad se vocato, casulam ad celebrandum coelitus allatam, quemadmodum alibi diximus, esse largitam;* haec ex Pelbarto. Hoc ipsum de sabbato ante multa annorum saecula in Hispania in honorem Deiparae dicato, colligi potest ex historia celeberrimi Deiparae templi, in monte Serrato, ea occasione extructi, quod anno Domini circiter 890. pastores, qui cum suarum ovium gregem in illius montis iugo degebant, observarint, singulis diebus sabbati inclinante iam die, ingentia lumina in proximum antrum delabi, conventusque angelicos ibidem exaudiri, quo prodigio ad Barcinonensem Archiepiscopum delato, et suis oculis perspecto, invenitur in eo antro Deiparae simulacrum pulcherrimum, cui postea insigne illud templum est excitatum, de quo nos plenius in tractatu de festis, ac templis Deiparae: ubi et memorabile illud exemplum de comitis Barcinonensis filia a Ioanne Garino eremita iugulata, et post aliquot annos Deiparae ope viva inventa, referemus, quod per idem fere tempus contigit, et adstruendi ibi monasterii causam praebuit. Huc etiam spectat illud quod de precatione, cuius initium est, Salve Regina. Navarrus pietate, et doctrina clarissimus, Prior Abbas monasterii Roncae Vallis, pugna Caroli Magni cum Mauris celebrata in finibus Navarrae, refert (*in Manuali de orat. c.* 18): *Fama est,* inquit, *sapidam illam orandi formam, Salve Regina, olim in nostra Ronca valle sabbatis solitam ab angelis cantari apud quendam fontem, quem ab eo tempore in hoc praesens angelorum fontem appellant: quam,* ut alii aiunt, *s. Bernardus audivit ab iisdem alibi cantari;* haec ille. Quod ne cui mirum videatur, adiiciam id, quod hac de re scriptum reliquit Gulielmus Durandus (*in rati. div. offic. lib.* 4. *cap.* 1). Is enim agens de missis, quae peculiariter olim ex institutione Alcuini magistri Caroli Magni, rogatu tamen Bonifacii Archiepiscopi Moguntini singulis quaeque diebus hebdomadae assignatae erant, affirmat 5. feria dici missam de angelis, 6. feria de cruce, sabbata vero de b. Virgine. Clarult vero Alcuinus anno Domini circiter 770. Silentio praetereo, quod iam alibi illud dixerit Durandum in suo rationali referre, initium habuisse sabbati cultum in honorem Virginis ab eo miraculo veli imaginem Virginis Constantinopoli velantis, quod a vesperis feriae sextae recedebat, et poli vespere sabbati redibat: quae omnia plane indicant multo ante tempora Concilii Claromont. praedictum cultum sabbati in honorem viguisse, solumque Claromontanum Concilium sua auctoritate ad illum religiosum morem magis stabiliendum, idipsum sanxisse, et approbasse, quod antea in more positum erat.

Quare autem dies sabbati magis, quam alia Virgini sacrata fuerit, non est una omnium sententia in reddenda huius rei ratione: litterales ergo primum apponam, deinde mysticas. Prima litteralis est, hanc diem specialiter electam esse, quod experientia ipsa compertum sit, b. Virginem beneficia multa contulisse, mirandaque multa patrasse, huiusmodi est illud nuper a me relatum de velo quod sponte sua nemine movente recedebat, et redibat ad imaginem Deiparae velandam. Hanc autem Marianam liberalitatem in die praecipue sabbati solitam exerceri a beata Virgine delineatam intueor in historia, quam tradit Iosephus (*libr.* 7. *de bello Iud. cap.* 24), qui sic loquitur: *Conspicit Vespasianus in itinere fluvium, qui fluit medius inter arcas et Raphaneas Agrippae regni civitates. Habet autem quoddam peculiare miraculum: nam cum sit, quando fluit, plurimus, neque meatu segnis, tamen interpositis sex diebus a fontibus deficiens, siccum exhibet locum: deinde quasi nulla mutatione facta, septimo die similis exoritur: atque hunc ordinem, cum semper servare pro certo compertum est. Unde etiam sabbaticus appellatus est a sacro septimo Iudaeorum die sic appellatus;* haec Iosephus. Ac si eiusmodi miraculo, ut aliqui animadvertunt, demonstraretur, beneficia a Christo per Deiparam, cui sabbatum est dicatum, peculiari quadam ratione expectanda esse, cum Deipara in fonte illo paradisi, qui universam terram irrigat, praefigurata intelligatur, et a Damasceno (*orat.* 1. *de dorm.*) fons perennis curationum vocetur.

Ceterum hic obiter Iosephus redarguendus est, qui huius fluvii sabbatici miraculum in Iudaici sabbati honorem derivat, cum ex ipsius narratione contrarium potius colligi videatur. Existimo enim, Deum optimum huiusmodi miraculo non tantum ostendisse, ut diximus, ex Deipara, cui sabbatum ab Ecclesia erat consecrandum, gratiarum, ac miraculorum aquas perpetuo manare; verum etiam eodem fluvii miraculo in Iudaicae perfidiae detestatione innuere voluisse caeremoniam, qua Iudaei ab omni opere, quin etiam a longiori itinere feriabantur, iam tum aevo illo Vespasiani cessasse, quando Christi Servatoris nostri Evangelio longe, lateque per orbem coruscante, sabbati festivitas in Dominicum diem transierat: manare quippe fluvio idem est, quod operari, et quodammodo iter agere; siccari vero nihil aliud dixeris, quam a proprio opere quiescere: quare sicuti ante Christi Evangelium, dum lex Moysis vigebat, crediderim in veteris sabbati commendationem fluvium hunc sabbatis siccari, reliquis vero diebus fluere solitum, quod Plinius (*libr.* 31. *histor. natur. capit.* 2) testatur illis verbis: *In Iudaea rivus sabbatis omnibus siccatur;* ita extincta iam, et sepulta post Christi mortem Synagoga, e contrario sabbatis non solum fluxisse, verum etiam reliquis diebus a fluxu cessasse, ut hac memorabili commutatione antiquatam fuisse sabbati religionem nemo, nisi obstinatus, non adverteret; et hac ratione Plinius, et Iosephus, qui nonnullis contraria dicere visi sunt, conciliari possunt, si ea, quae de hoc fluvio litteris consignarunt, ad diversa tempora referantur; id quod rationi valde est consentaneum: nam etsi uterque iisdem imperatoribus claruerit; Plinius tamen, qui opus suum Vespasiano dicavit, cum ante Iosephum scripserit ea, quae antiquiori saeclo ex aliorum relatione, vel etiam libris acceperat, posteritati tradidit, eiusdem fluvii novissimam mutationem ipse absens ignorasse videtur. Iosephus vero ea, quae praesens ipse spectavit, memoriae prodidit; quod non sine divinae providentiae consilio factum videtur: ne quid enim Scriptoris gratiae, vel odio in tanti prodigii descriptione tribui posset, voluit Deus, ut quae in antiqui sabbati commendationem facierant, a Plinio gentili; quae vero ad eiusdem postea abolitionem spectabant, a Iosepho Iudaeo litteris mandarentur.

Sed iam subiicio divi Bernardi rationem: hic (*lib. de passione Domini cap.* 2) aliam longe diversam assignat, affirmans propterea sabbatum dicatum fuisse Virgini, quia illa sola in sabbato proximo Christi passioni fidem eius seravaverit: verba eius sunt haec: *Passionis tempore omnes, relicto eo, fugerunt, sola illa quae benedicta est in mulieribus, per illud triste sabbatum fuerit in fide, et salvata fuit Ecclesia in ipsa sola, propter quod gratissima sancta Ecclesia ad laudem, et gloriam eiusdem Virginis diem sabbati per totius anni circulum celebrare consuevit.* Quibus verbis favent alia divi Bonaventurae (*in* 3. *distinct. art. quaest.* 3. *ad secund.*), ubi ait: *Quoniam discipulis dubitantibus in Virgine remansit fides Ecclesiae solida, et inconcussa.* Unde divus Antoninus (4. *part. titul.* 15, *cap.* 41. §. 1) docuit hoc significari per lucernam, quae in matutino tridui, et hebdomadae sanctae accensa reservatur, cum tamen reliqua omnia extincta sint. Verum quia existimo, quod cum Ecclesia sit quaedam congregatio fidelium, nulla ratione possit persistere in una sola persona, ut recte adnotavit cardinalis Bellarminus (*controv. de concil. et Eccles. lib.* 3. *ca.* 97), et deinde ex Evangelio habemus, quod quamvis Petrus defecerit in confessione fidei ter Christum abnegans, interna tamen fides in eo perseveravit iuxta Christi Domini promissionem, *ego rogaci pro te Petre, ut non deficiat fides tua:* idcirco, ut allata ratio, quod die sabbati in sola Virgine remanserit fides, vera sit, oportet, ut intelligatur de fide explicita Resurrectionis Christi in particulari: haec enim in sola Virgine tunc fuit, non vero in Apostolis: nam licet Christus eis praedixisset explicite suam mortem, et Resurrectionem, divus tamen Lucas ait: *Non intelligebant, quae dicebantur:* et Ioannes (*cap.* 20): *Nondum sciebant Scripturas, quia oportebat eum a mortuis resurgere.* Scio praecitata verba divi Bernardi, sed non possum veritati refragari. Tertiam, eamque praeclaram, ac litteralem rationem assigno, quod quemadmodum dies il-

le, quo sancti martyres pro Christo necem sustinuerunt, singulis annis in eorum honorem religiose colitur, ita etiam, quia b. Virgo die sabbati, quo Christi corpus in sepulcro iacebat exanime, tam acerbi doloris gladio eius anima transfixa fuit, ut plus, quam martyr a sanctis Patribus vocitetur, idcirco in honorem huius Mariani martyrii Ecclesia catholica sabbatum ei sacravit.

Atque hae sunt litterales rationes; nunc mysticas subnectamus, inter quas principem locum tenet illa, quod quemadmodum Deus (*Genesis cap.* 2) sex diebus mundum creavit, complevitque die septimo opus suum quod fecerat, et requievit die septimo ab universo opere, quod patrarat, benedixitque diei septimo, ita etiam Deus perfectissimam, et omnibus numeris absolutam condidit Virginem; ac proinde si puras creaturas spectemus, cum nihil sit ea praestantius, dici potest in ea complevisse, seu perfecisse opus suum, in eaque item absque ulla contradictione perfectissime requievisse, tum in utero, ex quo carnem suscepit, in eoque novem resedit menses, tum etiam in anima, in qua per gratiam copiosissimam perpetuo mansionem fecit. Cui etiam instar sabbati multis modis benedixit; quod toto hoc opere manifeste ostenditur. In opere vero Redemptionis Christus, ut verbis utar Bernardi (*serm. primo Paschae*), in patibulo sexta feria redemit hominem, ipsa die, qua fecerat hominem in initio: sequenti die sabbatizavit in monumento, consummato opere, quod perfecerat; tertia vero die, quae prima dierum est, primitiae dormientium, apparuit mortis victor, novus homo; sic Bernardus. At Christus longe praestantius in nostrae redemptionis opere in Virginis utero, tanquam in sepulcro animato sabbatizavit, et quievit, ut et ipsa Virgo testatur dicens (*Eccl.* 24): *Qui creavit me, requierit in tabernaculo meo.* Virginis autem uterum cum sepulcro Christi non parvam similitudinem habere contestantur divus Ambrosius (*serm.* 2. *de Parasc.*), d. Augustinus (*lib.* 4 *de Trinit. c.* 5), et divus Hieronymus (*lib.* 1. *contr. Iovin.*); et merito quidem: nam in primis sepulcrum erat in horto: amoenissimus hortus fuit b. Virgo coelesti sponso, sanctarum cogitationum folia, odoriferos verborum flores, ac sacrorum operum dulcissimos fructus germinans, ad quos divinum sponsum invitabat, dicens (*Cant.* 5): *Veniat dilectus meus in hortum suum, et comedat fructus pomorum suorum.* Si sepulcrum illud fuit ex petra excisum, ut sacer Evang. testatur; sane Isaias (*c.* 16) b. Virginem petram compellavit: *Emitte agnum Domine dominatorem terrae de petra deserti. Petra* quidem propter invictam eius fortitudinem: *deserti* propter virgineam uteri sacratissimi ab omni viri consortio solitudinem. Si novum illud sepulcrum fuit, in quo nondum quispiam positus fuerat, audi d. Augustinum hanc novitatem Virgini applicantem: *Octava Kalendas Aprilis Dominus conceptus creditur, quo et passus, ita in monumento novo, quo sepultus est, ubi nullus mortuorum positus, nec antea, nec postea, congruit utero Virginis, quo conceptus est, ubi nullus seminatus est mortalium*; haec ille.

Sed et aliam novitatis rationem in Deipara invenio, propter quam nova merito dici potest, quod ex veteri Adamo nihil vetustatis originalis maculae, aut fomitis ex ea nascentis contraxit. Si sepulcrum illud sigillo signatum fuit, quis ignorat beatam Virginem a Sponso fontem signatum appellari, quia sigillo illibatae virginitatis fuit obsignata? Si sepulcrum illud fuit custodibus munitum, sane virgineus uterus praeterquam quod habuit Iosephi sui sponsi assistentem custodiam, etiam angelorum excubiae Domini sui matrem, velut fortissimi milites tanquam veri Salomonis throno adibant. Si sepulcrum erat prope locum Dominicae crucifixionis, ita beata Virgo etiam utero gestans filium suum, futurae mortis illius, quam ex vaticiniis prophetarum praecognoverat, frequenter memoriam refricabat. Si sepulcrum linteamina continebat, in quibus passionis vestigia impressa remanserunt, sane in praecordiis Virginis omnes filii sui cruciatus adeo impressi fuerunt, ut si cuipiam daretur illam intueri, facile velut in imagine, ad vivum prototypum referente eos omnes cernere posset. Si sepulcrum propter odorem aromatum, myrrhae, et aloes miram fragrantiam exhalabat, haec suaveolentia in Virgine non desiderabantur, angelis ipsis acclamantibus (*Cantic.* 3): *Quae est ista, quae ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae, et thuris, et universi pulveris pigmentarii?* Ac tandem si Isaias de sepulcro Christi dixit: *Sepulcrum eius erat gloriosum*, certe de b. Virgine Salomon dixit (*Prov.* 31) gloriosam esse decantandam: *Viderunt eam filiae Sion, et beatissimam praedicaverunt.* Quod b. Virgo alioquin humillissima irrefragabili suo testimonio confirmavit, cum in cantico suo cecinit (*Luc. cap.* 2): *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Quamvis autem divo Ambrosio (*serm.* 2. *de Parasc.*) visum fuerit non nihil tribuendum esse maioris gloriae sepulcro illi Christi quam utero virgineo, sic enim ait: *Sicut tunc de utero ad praedicandum natus est, ita et tunc ad Evangelizandum renatus est de sepulcro; nisi quod gloriosior est ista, quam illa natalitas: illa enim corpus mortale gemuit, haec edidit immortale: post illam natalitatem ad inferos descenditur, post hanc remeatur ad coelos; nihilominus tamen multis aliis nominibus gloriosior sepulcro mihi videtur virgineus Deiparentis uterus: nam sepulcrum illud lapideum erat, et inanime, uterus vero Mariae animatum sepulcrum, et rationis particeps. In sepulcro corpus Christi vere unitum sanctissima eius anima carebat*; unde divus Thomas (3. *part. quaest.* 50. *artic.* 4) merito dixit, Christum Dominum in triduo mortis non fuisse hominem, in utero Virginis perfectissime Deus pariter, et homo fuit: sepulcrum tres dies continuit Christum; uterus Virginis novem integros menses: Christus de materia sepulcri nihil sibi univit; at de materia uteri Virginei partem purissimi sanguinis per mysterium Incarnationis Verbum divinum sibi copulavit: de sepulcri substantia nihil Christus in suam substantiam convertit; de substantia autem Virginis, hoc est, de virgineo eius lacte, alimentum suscipiens, magnam eius partem in substantiam aliti convertebat: in sepulcro Christus iacens, iam amplius nec sibi, nec nobis merebatur, cum Angelicus Doctor (3. *part. quaest.* 19. *art.* 3. *ad prim.*) doceat, meritum Christi solum usque ad mortem perdurasse; in utero autem Virginis meritorio factus ea exercuit, quibus et sibi gloriam corporis, et nobis salutem animae merebatur: ad quod respiciens d. Thomas (*ser.* 2. *Pen.*) dixit, iam tunc operabatur salutem nostram in medio terrae, in utero videlicet Virginis Mariae. Cum ergo praeter gloriam Dei nihil Christus Dominus antiquius, et clarius habuerit, quam salutem nostram, consequens est, quod illam operando in utero Virginis, vere ibi sabbatizavit, ac proinde merito dies sabbati sacer Deiparae factus est; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XI.

Reliquiarum Deiparae veneratione, quas ipsa Virgo nobis reliquit, ostendit Ecclesia catholica devotionem, quam erga illam profitemur.

Sacrarum reliquiarum religiosum cultum, quem Ecclesia catholica Romana non solum Sanctorum ossibus, sed et vestibus, calceis, et aliis eorum supellectilibus semper exhibere consuevit, Haeretici caninis dentibus mordent. Eorum, qui hoc venerationis genus impudenter reprehendere ausi sunt, primus fuit Eunomius, et post illum impius Vigilantius, ut auctor est divus Hieronymus (*lib. contr. Vigilant.*): deinde eundem errorem amplexi sunt Lutherani, Calvinistae, et Centuriatores, qui (*centur.* 5. *cap.* 6) falsum testimonium divo Augustino imponere non erubuerunt, affirmantes illum (*lib.* 12. *de civit. cap.* 8) dixisse superstitiosum esse magnum concursum ad reliquias sancti Stephani in Africam visitandas. Quod eorum impudentem audaciam apertissime comprobat in toto illo capite, eo quod non solum non invenitur nomen superstitionis, sed nec verbum aliquod, quod eam redoleat. Sane mulier emorrhoissa solam fimbriam Christi fideliter tetigit, et sanata est, (*Matt. c.* 9). Quod evidenter ostendit cultum, quem illa vesti Christi exhibuit, non fuisse superstitiosum, cum per illum sanitatem a Christo Domino obtinuerit. Deinde (*Actor.* 5) minime sunt reprehensi populi, qui certatim ad umbram Petri eo modo, quo poterant, attingendam, occurrebant, sed potius fidei suae praemium retulisse dicuntur; et tamen quae reliquiae viliores ipsa umbra cogitari possunt? Neque habiti sunt (*Actor.* 19) superstitiosi, qui Pauli sudaria, et semicinctia deferebant ad aegrotos, ut etiam nos modo facimus, sed potius religionem illorum miraculis confirmabat Deus. Hinc Eusebius (*lib.* 7. *histor. cap.* 15) de sede lignea s. Iacobi Apostoli dixit: *Servatur cum ingenti studio, velutis a maioribus tradita memoria sanctitatis, et cum magna veneratione habetur*; haec ille. Non ergo rideant Lutherani, et alii haeretici, si quando audiunt, Romae cathedram sancti Petri ligneam honorari. Sanctus Athanasius in vita beati Antonii scribit, sibi ab Antonio relictum pallium tritum, cuius simile praecessit in pallio Eliae, quod ei in curru igneo ascendenti tradiderat, illudque Elisaeus, tametsi super illum requievisset spiritus Eliae, religiose servavit, et eo Iordanis aquas sicco vestigio transivit, et addit Legatarius Antonii benedicti, qui tritum pallium cum melote imperio eius meraerat accipere; Antonium in Antonii muneribus amplectatur, et tamquam magna haereditate ditatus laetatur, per vestimentum recordatur imaginem sanctitatis. De eodem magno Antonio Hieronymus refert (*in vit. Paul. prim. Eremit.*), cum Pauli tunicam ex foliis palmarum contextam Antonius adeptus esset, ob ipsius Pauli reverentiam illam induere solitum in diebus tantum solemnibus Paschae et Pentecostes. S. Gregorius (*in epist. ad Reg. Gothor.*), quae extat (*tom.* 1. *Conciliorum*), in praemium exhibitae diligentiae, in conversione multorum Arianorum, annulos quosdam catenae, qua in carcere vinctus fuit divus Petrus, ad illum misit, et Ecclesia catholica speciale festum instituit in eius honorem, quod sancti Petri ad Vincula nomen habet: quod si lignea sedes divi Iacobi, Cathedra divi Petri, catenae eius, sudaria divi Pauli, pallium Antonii, et alia similia aliorum Sanctorum veneratione digna sunt; nemo sanae mentis mihi inficiabitur, si Dei Genitricis supellectilia, et res familiares maiori cultu, et veneratione digniora censeam: et quidem nemo dubitare potest, cultum reliquiarum Virginis valde eius devotioni favere, divo Augustino dicente (*lib.* 1. *de civit. Dei cap.* 12): quemadmodum his, qui amore aliquid prosequuntur, est a natura insitum, ut non ex solo eius aspectu capiant voluptatem, sed donum, vestes, et calceos contemplentur cum magna laetitia, ita dicendum est de Sanctorum templis, et reliquiis.

Ceterum quaeuam sint reliquiae Dei Genitricis, quibus particulares Ecclesiae velati pretiosissimis pignoribus locupletatae sunt, tam subiiciemus, ut tamen a vetustioribus exordiamur, ea quae b. Virgo vel propriis manibus contrectavit, vel industria sua elaboravit, apponemus; huiusmodi est sacratissimum Praesepe, in quo ipsa puerpera filium natum reclinavit, quod Romae sub altari Praesepii in nobilissimo sacello a Sixto V. extructo apud s. Mariam Maiorem est reconditum, de qua Onuphrius (*lib. de sept. Eccles.*). Huiusmodi est Cunabulum, et aliquid ex fasciis, ac pannis infantiae Salvatoris, quae omnia rite conservantur in eodem templo s. Mariae Maioris, in ferculo marmoreo reliquiarum, auctore Onuphrio (*loc. citat.*). Fasciae vero Salvatoris, ex Nicephoro (*loc. citat.*), ab Eudoxia Augusta ex Hierosolyma Constantinopolim transmissa ad Pulcheriam Augustam, ab ea in templo magnificentissimo cum Deiparae zona collocatae sunt. Tunica quoque Christi inconsutilis, desuper contexta per totum, quae Ecclesiam significat, quam Dominus a militibus dividi neutiquam est passus, ex Gregorio Turonensi (*de*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

le, quo sancti martyres pro Christo necem sustinuerunt, singulis annis in eorum honorem religiose colitur, ita etiam, quia b. Virgo die sabbati, quo Christi corpus in sepulcro iacebat exanime, tam acerbi doloris gladio eius anima transfixa fuit, ut plus, quam martyr a sanctis Patribus vocitetur, idcirco in honorem huius Mariani martyrii Ecclesia catholica sabbatum ei sacravit.

Atque hae sunt litterales rationes; nunc mysticas subnectamus, inter quas principem locum tenet illa, quod quemadmodum Deus (*Genesis cap.* 2) sex diebus mundum creavit, complevitque die septimo opus suum quod fecerat, et requievit die septimo ab universo opere, quod patrarat, benedixitque diei septimo, ita etiam Deus perfectissimam, et omnibus numeris absolutam condidit Virginem; ac proinde si puras creaturas spectemus, cum nihil sit ea praestantius, dici potest in ea complevisse, seu perfecisse opus suum, in eaque item absque ulla contradictione perfectissime requievisse, tum in utero, ex quo carnem suscepit, in eoque novem resedit menses, tum etiam in anima, in qua per gratiam copiosissimam perpetuo mansionem fecit. Cui etiam instar sabbati multis modis benedixit; quod toto hoc opere manifeste ostenditur. In opere vero Redemptionis Christus, ut verbis utar Bernardi (*serm. primo Paschae*), in patibulo sexta feria redemit hominem, ipsa die, qua fecerat hominem in initio: sequenti die sabbatizavit in monumento, consummato opere, quod perfecerat; tertia vero die, quae prima dierum est, primitiae dormientium, apparuit mortis victor, novus homo; sic Bernardus. At Christus longe praestantius in nostrae redemptionis opere in Virginis utero, tanquam in sepulcro animato sabbatizavit, et quievit, ut et ipsa Virgo testatur dicens (*Eccl.* 24): *Qui creavit me, requierit in tabernaculo meo.* Virginis autem uterum cum sepulcro Christi non parvam similitudinem habere contestantur divus Ambrosius (*serm.* 2. *de Parasc.*), d. Augustinus (*lib.* 4 *de Trinit. c.* 5), et divus Hieronymus (*lib.* 1. *contr. Iovin.*); et merito quidem: nam in primis sepulcrum erat in horto: amoenissimus hortus fuit b. Virgo coelesti sponso, sanctarum cogitationum folia, odoriferos verborum flores, ac sacrorum operum dulcissimos fructus germinans, ad quos divinum sponsum invitabat, dicens (*Cant.* 5): *Veniat dilectus meus in hortum suum, et comedat fructus pomorum suorum.* Si sepulcrum illud fuit ex petra excisum, ut sacer Evang. testatur; sane Isaias (*c.* 16) b. Virginem petram compellavit: *Emitte agnum Domine dominatorem terrae de petra deserti. Petra* quidem propter invictam eius fortitudinem: *deserti* propter virgineam uteri sacratissimi ab omni viri consortio solitudinem. Si novum illud sepulcrum fuit, in quo nondum quispiam positus fuerat, audi d. Augustinum hanc novitatem Virgini applicantem: *Octava Kalendas Aprilis Dominus conceptus creditur, quo et passus, ita in monumento novo, quo sepultus est, ubi nullus mortuorum positus, nec antea, nec postea, congruit utero Virginis, quo conceptus est, ubi nullus seminatus est mortalium*; haec ille.

Sed et aliam novitatis rationem in Deipara invenio, propter quam nova merito dici potest, quod ex veteri Adamo nihil vetustatis originalis maculae, aut fomitis ex ea nascentis contraxit. Si sepulcrum illud sigillo signatum fuit, quis ignorat beatam Virginem a Sponso fontem signatum appellari, quia sigillo illibatae virginitatis fuit obsignata? Si sepulcrum illud fuit custodibus munitum, sane virgineus uterus praeterquam quod habuit Iosephi sui sponsi assistentem custodiam, etiam angelorum excubiae Domini sui matrem, velut fortissimi milites tanquam veri Salomonis throno adibant. Si sepulcrum erat prope locum Dominicae crucifixionis, ita beata Virgo etiam utero gestans filium suum, futurae mortis illius, quam ex vaticiniis prophetarum praecognoverat, frequenter memoriam refricabat. Si sepulcrum linteamina continebat, in quibus passionis vestigia impressa remanserunt, sane in praecordiis Virginis omnes filii sui cruciatus adeo impressi fuerunt, ut si cuipiam daretur illam intueri, facile velut in imagine, ad vivum prototypum referente eos omnes cernere posset. Si sepulcrum propter odorem aromatum, myrrhae, et aloes miram fragrantiam exhalabat, haec suaveolentia in Virgine non desiderabantur, angelis ipsis acclamantibus (*Cantic.* 3): *Quae est ista, quae ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae, et thuris, et universi pulveris pigmentarii?* Ac tandem si Isaias de sepulcro Christi dixit: *Sepulcrum eius erat gloriosum*, certe de b. Virgine Salomon dixit (*Prov.* 31) gloriosam esse decantandam: *Viderunt eam filiae Sion, et beatissimam praedicaverunt.* Quod b. Virgo alioquin humillissima irrefragabili suo testimonio confirmavit, cum in cantico suo cecinit (*Luc. cap.* 2): *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Quamvis autem divo Ambrosio (*serm.* 2. *de Parasc.*) visum fuerit non nihil tribuendum esse maioris gloriae sepulcro illi Christi quam utero virgineo, sic enim ait: *Sicut tunc de utero ad praedicandum natus est, ita et tunc ad Evangelizandum renatus est de sepulcro; nisi quod gloriosior est ista, quam illa natalitas: illa enim corpus mortale gemuit, haec edidit immortale: post illam natalitatem ad inferos descenditur, post hanc remeatur ad coelos; nihilominus tamen multis aliis nominibus gloriosior sepulcro mihi videtur virgineus Deiparentis uterus: nam sepulcrum illud lapideum erat, et inanime, uterus vero Mariae animatum sepulcrum, et rationis particeps. In sepulcro corpus Christi vere unitum sanctissima eius anima carebat*; unde divus Thomas (3. *part. quaest.* 50. *artic.* 4) merito dixit, Christum Dominum in triduo mortis non fuisse hominem, in utero Virginis perfectissime Deus pariter, et homo fuit: sepulcrum tres dies continuit Christum; uterus Virginis novem integros menses: Christus de materia sepulcri nihil sibi univit; at de materia uteri Virginei partem purissimi sanguinis per mysterium Incarnationis Verbum divinum sibi copulavit: de sepulcri substantia nihil Christus in suam substantiam convertit; de substantia autem Virginis, hoc est, de virgineo eius lacte, alimentum suscipiens, magnam eius partem in substantiam aliti convertebat: in sepulcro Christus iacens, iam amplius nec sibi, nec nobis merebatur, cum Angelicus Doctor (3. *part. quaest.* 19. *art.* 3. *ad prim.*) doceat, meritum Christi solum usque ad mortem perdurasse; in utero autem Virginis meritorio factus ea exercuit, quibus et sibi gloriam corporis, et nobis salutem animae merebatur: ad quod respiciens d. Thomas (*ser.* 2. *Pen.*) dixit, iam tunc operabatur salutem nostram in medio terrae, in utero videlicet Virginis Mariae. Cum ergo praeter gloriam Dei nihil Christus Dominus antiquius, et clarius habuerit, quam salutem nostram, consequens est, quod illam operando in utero Virginis, vere ibi sabbatizavit, ac proinde merito dies sabbati sacer Deiparae factus est; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XI.

Reliquiarum Deiparae veneratione, quas ipsa Virgo nobis reliquit, ostendit Ecclesia catholica devotionem, quam erga illam profitemur.

Sacrarum reliquiarum religiosum cultum, quem Ecclesia catholica Romana non solum Sanctorum ossibus, sed et vestibus, calceis, et aliis eorum supellectilibus semper exhibere consuevit, Haeretici caninis dentibus mordent. Eorum, qui hoc venerationis genus impudenter reprehendere ausi sunt, primus fuit Eunomius, et post illum impius Vigilantius, ut auctor est divus Hieronymus (*lib. contr. Vigilant.*): deinde eundem errorem amplexi sunt Lutherani, Calvinistae, et Centuriatores, qui (*centur.* 5. *cap.* 6) falsum testimonium divo Augustino imponere non erubuerunt, affirmantes illum (*lib.* 12. *de civit. cap.* 8) dixisse superstitiosum esse magnum concursum ad reliquias sancti Stephani in Africam visitandas. Quod eorum impudentem audaciam apertissime comprobat in toto illo capite, eo quod non solum non invenitur nomen superstitionis, sed nec verbum aliquod, quod eam redoleat. Sane mulier emorrhoissa solam fimbriam Christi fideliter tetigit, et sanata est, (*Matt. c.* 9). Quod evidenter ostendit cultum, quem illa vesti Christi exhibuit, non fuisse superstitiosum, cum per illum sanitatem a Christo Domino obtinuerit. Deinde (*Actor.* 5) minime sunt reprehensi populi, qui certatim ad umbram Petri eo modo, quo poterant, attingendam, occurrebant, sed potius fidei suae praemium retulisse dicuntur; et tamen quae reliquiae viliores ipsa umbra cogitari possunt? Neque habiti sunt (*Actor.* 19) superstitiosi, qui Pauli sudaria, et semicinctia deferebant ad aegrotos, ut etiam nos modo facimus, sed potius religionem illorum miraculis confirmabat Deus. Hinc Eusebius (*lib.* 7. *histor. cap.* 15) de sede lignea s. Iacobi Apostoli dixit: *Servatur cum ingenti studio, velutis a maioribus tradita memoria sanctitatis, et cum magna veneratione habetur*; haec ille. Non ergo rideant Lutherani, et alii haeretici, si quando audiunt, Romae cathedram sancti Petri ligneam honorari. Sanctus Athanasius in vita beati Antonii scribit, sibi ab Antonio relictum pallium tritum, cuius simile praecessit in pallio Eliae, quod ei in curru igneo ascendenti tradiderat, illudque Elisaeus, tametsi super illum requievisset spiritus Eliae, religiose servavit, et eo Iordanis aquas sicco vestigio transivit, et addit Legatarius Antonii benedicti, qui tritum pallium cum melote imperio eius meraerat accipere; Antonium in Antonii muneribus amplectatur, et tamquam magna haereditate ditatus laetatur, per vestimentum recordatur imaginem sanctitatis. De eodem magno Antonio Hieronymus refert (*in vit. Paul. prim. Eremit.*), cum Pauli tunicam ex foliis palmarum contextam Antonius adeptus esset, ob ipsius Pauli reverentiam illam induere solitum in diebus tantum solemnibus Paschae et Pentecostes. S. Gregorius (*in epist. ad Reg. Gothor.*), quae extat (*tom.* 1. *Conciliorum*), in praemium exhibitae diligentiae, in conversione multorum Arianorum, annulos quosdam catenae, qua in carcere vinctus fuit divus Petrus, ad illum misit, et Ecclesia catholica speciale festum instituit in eius honorem, quod sancti Petri ad Vincula nomen habet: quod si lignea sedes divi Iacobi, Cathedra divi Petri, catenae eius, sudaria divi Pauli, pallium Antonii, et alia similia aliorum Sanctorum veneratione digna sunt; nemo sanae mentis mihi inficiabitur, si Dei Genitricis supellectilia, et res familiares maiori cultu, et veneratione digniora censeam: et quidem nemo dubitare potest, cultum reliquiarum Virginis valde eius devotioni favere, divo Augustino dicente (*lib.* 1. *de civit. Dei cap.* 12): quemadmodum his, qui amore aliquid prosequuntur, est a natura insitum, ut non ex solo eius aspectu capiant voluptatem, sed donum, vestes, et calceos contemplentur cum magna laetitia, ita dicendum est de Sanctorum templis, et reliquiis.

Ceterum quaeuam sint reliquiae Dei Genitricis, quibus particulares Ecclesiae velati pretiosissimis pignoribus locupletatae sunt, tam subiiciemus, ut tamen a vetustioribus exordiamur, ea quae b. Virgo vel propriis manibus contrectavit, vel industria sua elaboravit, apponemus; huiusmodi est sacratissimum Praesepe, in quo ipsa puerpera filium natum reclinavit, quod Romae sub altari Praesepii in nobilissimo sacello a Sixto V. extructo apud s. Mariam Maiorem est reconditum, de qua Onuphrius (*lib. de sept. Eccles.*). Huiusmodi est Cunabulum, et aliquid ex fasciis, ac pannis infantiae Salvatoris, quae omnia rite conservantur in eodem templo s. Mariae Maioris, in ferculo marmoreo reliquiarum, auctore Onuphrio (*loc. citat.*). Fasciae vero Salvatoris, ex Nicephoro (*loc. citat.*), ab Eudoxia Augusta ex Hierosolyma Constantinopolim transmissa ad Pulcheriam Augustam, ab ea in templo magnificentissimo cum Deiparae zona collocatae sunt. Tunica quoque Christi inconsutilis, desuper contexta per totum, quae Ecclesiam significat, quam Dominus a militibus dividi neutiquam est passus, ex Gregorio Turonensi (*de*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

glor. martyr. cap. 8) suis quidem temporibus in Galatia erat reposita: nunc vero, quamvis Middendorpius asserat Treveri ex dono s. Helenae repositam; tamen ex Onuphrio (*lib. de septem Eccles.*), Romae in templo s. Ioannis Lateranensis continetur in ferculo marmoreo, super altare s. Mariae Magdalenae, quam Ioannes Diaconus antiquissimus (*in lib. de Basil. Later. loc. cit.*), cum reliquias huius Basilicae commemorat, ponit his verbis: *Tunica inconsutilis, quam fecit sancta Maria Virgo filio suo Iesu Christo.* Sane haec tunicam, inquit Baronius (*tom.* 1. *Annal. ad ann. Christ.* 34), contextam fuisse a beata Virgine par est credere, nam in Oriente hominum vestes a foeminis confici solitas, testatur Zorobabel (3. *Esdr.* 4), cum de mulierum fortitudine disserit: *Ipsae*, inquit, *faciunt stolas omnium hominum*; et (*Prov.* 31) de muliere illa forti dicitur: *Confidit in ea cor viri sui, et spoliis non indigebit*: et mox: *Omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus*: haec ex Baronio. Romae etiam in templo Lateranensi, auctore Onuphrio (*loc. cit.*), inter alias reliquias, quae in ferculo marmoreo super altare s. Mariae Magdalenae asservantur, recensetur et Christi Domini indusium, his verbis: *Interula linea Domini nostri Iesu Christi, quam ei b. Virgo fecit in capsula argentea*; sic ille; qui alibi in eodem libro ait, vocari in quadam tabula reliquiarum primam camisiam Salvatoris: ad haec velum, quo praetextum fuit Christi Salvatoris corpus in cruce pendentis, Sancti meditantur fuisse Deiparae, ab eaque Christo ante crucifixionem aptatum: nam sanctus Anselmus (*in dialog. de pass. Domin.*) inducit Deiparam sic loquentem: *Cum venissent ad locum Calvariae, nudaverunt Iesum tunicam filium meum totaliter vestibus: ego tamen velamen capitis mei circumligavi lumbis eius*: et s. Bonaventura (*in Meditat. vit. Christ. cap.* 78): *Mater*, inquit, *conspicit filium suum totaliter nudum, et tristatur: nam et ei nec foemoralia dimiserunt. Accelerat ergo, et approximat filio, amplexatur, et cingit eum capitis sui velo*; sic ille. Hoc porro velum Romae in sancto Ioanne Lateranensi reverenter asservatur in ferculo marmoreo super altare s. Mariae Magdalenae, auctore Onuphrio (*loc. citato*); cum enim plures reliquias commemoret, ait, ibi velum esse, quo velatum est corpus Salvatoris in cruce pendentis, et alibi istud vocat velum foemoralium Christi crucifixi. Neque praetereunda est silentio columna ex hyaspide, super quam d. Iacobo Apostolo adhuc superstite, Deipara Caesaraugustae in Hispania se videndam praebuit, eamque est alloquuta. Sepulcrum Deiparae, si Nicephorum (*loc. cit.*) consulamus, Constantinopolim translatum, et in templo Deiparae Blachernis a Pulcheria Augusta repositum est. Quod tamen Baronius (*tomo* 1. *annal. ad annum Christi* 48) merito demiratur, cum Brochardus (*in descriptione terrae sanctae part.* 1. *cap.* 70. §. 47), in valle Iosaphat illud esse affirmet; et qui nostris temporibus Ierosolymam adierunt, in petra excisum esse testentur, atque instar sepulcri Domini nativo lapidi cohaerens, loco immobiliter inhaerere. Accedit et Beda, qui 200. propemodum annis post Pulcheriam floruit, et in libro de locis sanctis monet, sepulcrum Dei Genitricis suis temporibus in dicto loco vacuum cerni. Nisi forte dicamus, partem aliquam lapidis eius tumuli Ierosolyma Constantinopolim transmissam, nam Romae etiam tum in templo sanctae crucis Hierusalem, tum etiam in templo sancti Laurentii extra muros de lapide sepulcri Dei Genitricis inter reliquias asservari testatur Onuphrius (*loco citat.*), ac Babylonium in descriptione terrae sanctae (*part.* 2. *capit.* 4), beatam Virginem Iesum parvulum saepe lavisse, panniculosque eiusdem, atque linteola; tum detersisse, cum esset in Ægypto, et metu Herodis exularet. Prope illum vero fontem lapis est, super quem Christi panniculos, et linteola, quae laverat beata Mater, exiccanda extendebat: ex eo fonte ab ipsis Saracenis irrigatur balsami hortus, ac maxime faecundatur. Eius quidem meminit Iacobus de Vitriaco (*in hist. Orient. cap.* 86). Huc referre possumus sedem ac lapidem illum, ex quo s. Ildefonsum Deipara post suam, disputatione, ac libro ab eo scripto, defensam virginitatem, Toleti est allocuta, simulque vestem ei ad sacrificandum dedit: eorum Mariana (*lib.* 6. *de rebus Hispaniae cap.* 10) meminit his verbis: *Cum Ildefonsus ad aram progressus, nixus de de more genibus, preces funderet in cathedra, unde is ad populum concionari erat solitus, adstantem beatam Virginem vidit, quae cum allocuta, vestem ad celebrandum suis manibus capiti inseruit: lapis ubi beata Virgo vestigio constitit, in ipso templi Toletani aditu monstratur claustris ferreis inclusus, tantae rei monumentum, vestis de coelo allata, in Murorum incursione, Oceti servatur in obserata area, ab oculis subducta mortalibus, eoque maiori religione culta*; haec ex Mariana. His altexenda est tum planeta, quam s. Bonito Alvernensi Episcopo eadem Deipara ad celebrandum missae sacrificium est elargita, ut narrat Vincentius Beluacensis (*lib.* 7. *specul. histor. cap.* 97), tum etiam alia clausula, purpurea illa quidem ac pulcherrima inclusa in parva, et eleganti pyxide, quam ad amoris significationem dedisse narratur sancto Thomae Cantuariensi, cum adhuc adolescens corporis sui castitatem eidem Deiparae vovisset: res gesta narratur (*in speculo exemplorum distin.* 9. *num.* 123). Huc revocari potest oleum, quod teste Thoma Valsigha (*in historia anglicana*), et in Ypodigmate Neustriae ad annum 1399, sancto Thomae Cantuariensi, dum esset in exilio, conservandum Deipara dedit, eique praedixit, reges Anglos, qui hoc ungaendo ungerentur, et pugiles Ecclesiae futuros: quod unguentum in Aquila aurea, et olla lapidea conservatum, diu latuit, nimirum usque ad annum 21. Richardi secundi regis praedecessoris Henrici Quarti, qui eo inunctus est ab Archiepiscopo Cantuariensi. His adde, quas scripsisse Deipara dicitur epistolas, unam quidem scripsit ad s. Ignatium, quam licet Baronius (*tom.* 1) ad annum Christi 48, minime recipiat, eam tamen agnoscit s. Bernardus (*serm.* 7. *in Psalm.* 90), Carthusianus in commentariis super Dionysium Areopagitam de divinis nominibus, Sixtus Senensis (*in biblict. Sanct. lib.* 2. *in Maria*), qui citat Marcum Michaelem presbyterum Cortonensem (*lib. de viris illustr.*), et Canisius (*lib.* 5. *de b. Virg. cap.* 1), et alii apud Canisium, qui etiam testantur Florentinos, et Messanenses gloriari, se a Deipara epistolas accepisse.

Sed iam venio ad reliquias alias Virginis, quae maiorem cum illa coniunctionem habuerunt. Domus Virginis, eius orto, et Christi Iesu conceptu, maxime nobilis e Nazareth Lauretum a Piceno ab angelis translata, miraculorum gloria, et omnium gentium peregrinatione celebratur, de qua fuse supra in hoc capite. Ex lecto Deiparae extat aliquid Romae in sancta Maria Maiore in marmoreo ferculo, quod reliquiarum dicitur, auctore Onuphrio (*de septem Ecclesiis*). Pecten Virginis, una cum eiusdem peplo, seu velo ex dono sanctae Helenae Constantini matris, Treveri conservatur, auctore Iacobo Meddendorpio (*lib.* 5 *Academiarum*). In Treveri fusus Deiparae a Pulcheria Augusta in secundo templo Constantinopoli a se excitato repositus est, auctore Nicephoro (*lib.* 11. *c.* 14); verum tamen est, quod eius interpres loco fusi apposuit pensum, forlasse propter affinitatem, quod pensum in fila deductum, fuso agglomeretur. Deinde annulus adest sponsalitii beatae Virginis, quo Semimurensis apud Mandubios in Burgundia prioratus nobilitatur, cuius meminit Genebrardus (*in Chronographia tibr.* 4), ad annum 868. Extat alius annulus Perusiae, qui propter multa miracula edita in magna veneratione habetur, ut refert Ferreolus (*lib.* 5. *de Maria Augusta cap.* 31). Celeberrima est Deiparae vestis, integra illa quidem, quam Leone primo imperatore, Constantinopolim delatam, et in nobilissimo templo in Blachernis collocatam, scribunt Metaphrastes (*in orat. de vita, et ob. Deip.*), apud Surium die 15. Augusti, et post Metaphrastem Nicephorus (*lib.* 2. *histor. c.* 21. *et l.* 15. *cap.* 14). Nos haec omnia ex antiquiore Metaphraste et qui plenius haec narrat, referamus: *Deipara*, inquit Metaphrastes, *post acceptum nuncium a filio per angelum de sua ex hoc mundo migratione, ad Ioannem aspiciens Virginem, cum pauca cum eo esset locuta, deinde duas, inquit, tunicas, quas toto vitae tempore habui, tegumentum mei corporis, eas dari iubeo hisce duabus mulieribus*; sic ille. Vestis etiam eiusdem Virginis pars aliqua habetur Romae, tum in sancta Maria Maiore, tum in sancto Ioanne Lateranensi, tum etiam in sancto Laurentio extra muros, teste Onuphrio (*loco citato*). Forolivii in Aemilia in collegio societatis, in simulacro Deiparae ex Germania allato bona pars vestis Deiparae asservatur. In Hispania quoque Ovetum, ex Marineo, in Gallia templum Lutetiae cathedrale ex Bonfinio earundem vestium thesauro ditantur, atque illustrantur. Zonam sanctissimae Virginis pluribus in locis in pretio haberi, multorum testimonio constat. Romae in sancta Maria Maiore in marmoreo ferculo, ubi reliquiae asservantur, indeque populo certis diebus solemniter commonstrantur, ex ea haberi testatur Onuphrius (*loc. cit.*). Brugenses eius partem ex urbe Constantinopoli anno 1230, dono sibi datam, solemni ea de re diplomate asseverant. Aquisgranum, et Atrebatum ex eadem zona habere se gloriantur, ac praedicant. Celerum Constantinopoli, Arcadio imperante, sacram zonam integram repositam, cui templum Pulcheria Augusti Arcadii filii magnificum extruxit, testatur Nicephorus (*l.* 14. *c.* 2. *et lib.* 15. *cap.* 14) his verbis: *Pulcheria tria quoque Dei matri ex ipsis fundamentis templa erexit. Quorum unum est in Chalcopatreio, seu fabrorum foro, sacri tumuli nomen habens, in hoc veluti thesaurum Dei Genitricis deposuit zonam. Hoc in templo, ut quarta quoque hebdomadae die privilegium, et supplicatio ad lucernas, et lampadas fieret, constituit, quam ea ipsa pedes frequentare solita erat*: ita Nicephorus. Hinc Patres etiam miris laudibus eiuscemodi Deiparae zonam celebrarunt: nominatim vero Germanus patriarcha Constantipolitanus de sacrosancta Deiparae zona, quae Constantinopoli in basilica Pulcheria in Chalcopratei extructa, asservabatur, insignem orationem habuit, quam ex Metaphraste refert Surius (*tom.* 4. *ad diem* 31. *Augusti*): eius praeclara verba ingenio, ac pietate tanti viri digna haec sunt: *Zona haec corpus illud constringebat, in cuius utero Deus celebatur, zona, quae Dei Arcam, id est, Deiparam pulchre, et honeste exornabat, quae saepe ex Virginei lactis guttis humectabatur, quae cum diu Deiparae corpus, veluti unguentum divinum involverit, odorem ex eo curationum in aeternum servat*: et mox: *O zona, quae iis qui ad te confugiunt, das lumborum mortificationem ad vitia, animi autem fortitudinem ad virtutum operationem! o zona, quae nostrae naturae imbecillitatem astringis, et roboras, et inimicos nostros visibiles, et invisibiles impedis! o zona veneranda, quae tuam civitatem circumdas, et contines, et conservas a barbarica illaesam excursione! o zona pretiosa, quae Deum Verbum, dum esset in utero, involvisti, et curationum benedictionem affatim illine hausisti! o zona, quae a corruptione alienae Dei matris corpori appropinquasti, et illinc induisti incorruptionem. O veneranda, zona accinge lumbos nostros virtute iustitiae, et mansuetudine, fac nos haeredes aeternae, ac beatae vitae, et hanc nostram vitam interitui obnoxiam conserva, ne eam laedant inimici. Habeamus in te vires, et auxilium, murum, et propugnaculum, portum, et salutare refugium. Quamobrem o Deipara, ad templum tuum studiose accurrimus, in quo cum stamus, in coelo ipso stare nos credimus, in quo te celebrantes, in angelorum choro versari nos existimamus. Equis ex fidelibus venerandam zonam intuens, non statim animi iucunditate repletur?* haetenus Germanus. Ad haec interulae Dei Genitricis, sive subuculae, duae extant, altera Aquisgrani, a Carolo Magno ibi reposita, anno D. circiter 810, auctore Philippo Bergomato (*lib.* 10. *supplem. Chron.*), his verbis: *Carolus Constantinopoli in Galliam rediens, coronae Domini nostri Iesu Christi partem, partemque Dominicae crucis, et clacum unum, sudariumque, necnon et beatissimae Virginis Mariae camisiam secum detulit, et ad Basilicam Aquisgrani transmisit*; haec ille. Qui porro Aquisgrani degunt, ii ex traditione acceperunt, eam ipsam esse, qua Virgo mater pariens e-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

rat amicta: coloris est candidi, longitudine ulnis duabus cum quadrante, latitudine unius ulnae cum quadrantibus duobus, et semis. Altera vero Carnuti in urbe Galliae, ex Caroli Calvi munere conservatur, quae eam urbem memorabili, ac testatissimo miraculo, cuius complures auctores meminerunt, a Barbarorum furore defendit, anno Dom. circiter 877. Rem gestam verbis Vincentii Belnacensis (*lib.* 24. *Speculi historialis cap.* 46) ad calcem referemus: *Porro multos magnis spebus sollicitatos, secum adduxit, pyraticam aggressus, Carnuti adhaesit: cuius cives, nec armis, nec muris confisi, beatae Mariae supparum, id est, camisiam adorant, quam Carolus Calvus a Constantinopoli cum aliis reliquiis adeshi fecerat. Hanc camisiam in modum vexilli super propugnacula custodum, trita pectoribus ventis exponunt. Hostes eisam coeperunt videre, et in eam sagittas dirigere; quorum oculis mox obtenebratis, nec antecedere, nec retrocedere valebant. Quod videntes oppidani multa eorum se caede satiarunt. Evasit tamen Bollo quem suae fidei Deus reservavit;* haec Vincentius. Is a Malmesburiensi, qui circa anno Domini 1140 floruit, (*lib.* 2. *de gestis Angelorum*), ad verbum ea est mutuatus, et ex Vincentio s. Antoninus (2. *par. tit.* 16. *c.* 2. §. 5).

Quid plura? ex sacratissimis Deiparae capillis, quos ex Epiphanio presbytero Constantinopolitano Nicephorus (*lib.* 2. *histor. c.* 24) flavos fuisse affirmat, pars aliqua multis reperitur in locis, Romae praesertim, tum in s. Maria Maiore, tum in s. Ioanne Lateranensi, tum etiam in subterraneo sanctae Helenae sacello, quod est in templo sanctae crucis in Hierusalem, auctore Onuphrio (*libro de septem Eccles.*), cum eorum templorum reliquias recenset. Ex iisdem porro capillis aliquid habet Ovetum Hispaniae, auctore Marineo Siculo (*lib.* 5. *de rebus Hispan.*), aliquid Aquisgranum Germaniae urbs; aliquid latidem amplissimum quondam beat. Virginis in Croyland insula monasterium, ut eius monasterii Abbas Ingulphus testatur in sua historia, in qua affirmat, Imperatorem Henricum contulisse ei monasterio de crinibus s. Dei Genitricis Mariae, quos Hugo rex Franciae ei inclusos in aurea pixide dederat. Sed quod mirabilius est, ex Virgineo Deiparae lacte, quod Christus Dominus sugebat, aliquid asservari in diversis locis, ut Assisii in coenobio s. Damiani, monialium s. Clarae, Toleti, et Oveti in Hispania, tradunt Marianus Siculus (*lib.* 5. *de rebus Hispaniae*). Parisiis etiam in summo templo, et in sacello regio, aliquid eiusdem Virginei lactis custodiri, auctor est Petrus Bonfinius (*l.* 2. *Fastorum Parisiensium*). Ad extremum Surius (*tom.* 1. *in Vita sancti Mauri*) a Fausto eius condiscipulo scripta affirmat s. Benedictum Abbatem dilectissimo suo discipulo s. Mauro in Gallias discedenti, in pignus paterni sui amoris ei dedisse reliquias aliias s. Dei Genitricis intra capsulam eburneam inclusas; et Gregorius Turonensis (*de gloria Martyrum c.* 19) earundem reliquiarum insigne miraculum his fere verbis describit: *Quidam Ioannes natione Gallus, a lepra in Iordane mundatus, reliquias beatissimae Mariae ab Hierosolymis accipiens, in patriam recerlebatur: cumque in Italia in latrones incidisset, capsa,* inquit, *in qua ille beata gestabat pignora, ab iisdem latronibus effringitur, nihilque in ea pecuniae reperitur: ideo latrones extracta pignora in ignem proiciunt, caecoque homine discesserunt. Tunc ille semivivus exurgens, ut vel cineres exustorum colligeret pignorum, invenit super carbones accensos illaesas iacere reliquias, ipsumque linteum, quo involutae erant, ita admiratur integrum, ut non putaretur prunis iniectum, sed aquis absorditum; colligique cuncta cum gaudio, et viam, quam pergebat, ingressus ad Gallias pervenit incolumis*; sic ille. Idem Gregorius Turonensis (*libr. cit. cap.* 10) aliud earundem Deiparae reliquiarum miraculum narrat, quod ipsemet expertus est: *Beatae Virginis*, inquit, *reliquias cum sanctorum Apostolorum, vel beati Martini quadam vice super me in cruce aurea positas, exhibebam, cumque per eiam graderemur, conspicio haud procul a eia hospitium cuiusdam pauperis incendio concremari: erat autem foliis, quae ignibus maxima praestant fomenta, contectum; currebat miser cum liberis, et uxore, aquam deportans, sed flammae non mitigabantur. Tunc extractam a pectore crucem, levo contra ignem, mox in aspectu sanctarum reliquiarum ita cunctus ignis, ac si non fuisset accensus, Dei omnipotentis victute obstupuit;* cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XII.

De multiplici alio religiosi cultus genere, praecipue orationis, quo Ecclesia catholica Deiparam Virginem singulariter veneratur.

In hoc genere argumenti, ut a notioribus exordiamur, Ecclesia catholica triplici campanae pulsu, ter singulis diebus, vespere, mane, et meridie, fideles ad salutandam Deiparam Virginem excitat; quod vel in locis Ecclesiastico interdicto obnoxiis, fieri posse, docent s. Antoninus (3. *p. tit.* 27. *c.* 4) sub finem, et ex Summistis Angel. Silvester, Tabiena vers. Interdictum, et Navarrus (*in manuali cap.* 27. *num.* 177). Ceterum hanc salutationis angelicae pulsum in Deiparae venerationem fieri, animadvertit s. Anton. (4. *part. tit.* 15. *c.* 24. §. 3): *Statuit,* inquit, *Ecclesia singulis diebus pulsari ter campanas Ecclesiarum, de sero, et iterum de mane, ad quid? nisi ut honoretur b. Maria, et laudetur ex salutatione angelica?* sic ille. Huiusmodi forlasse consuetudinem hausimus ex Psalmographo, qui exemplum posteritati tradidit, cum (*Ps.* 54) idem in Dei honorem se praestitisse sic cecinit: *Vespere, mane, et meridie narrabo, et annunciabo, et exaudiet vocem meam.*

Verum de institutionis eius initio non una omnium est sententia: etenim Polydorus Virgilius (*de invent. rerum lib.* 6. *cap.* 12) vespertinum quidem pulsum acceptum refert Ioanni 22. qui anno Domini circiter 1320. in memoriam Incarnationis illum instituit; matutinum vero Theodoricus Archiepiscopus Coloniensis praecepisse dicitur. At Octavianus in vita s. Bonaventurae apud Surium tom. 3. cum vespertinum, tum matutinum eidem s. Bonaventurae adscribit: vespertinum quidem, quia sub vesperum intendentibus se tenebris, sanctissimam Virginem angelus Gabriel salutasse; matutinum vero, quia sub idem tempus a Virgine recessisse existimabatur. Cur vero a Ioanne 22. pulsus salutationis angelicae serotinus fuerit institutus, vel saltem eius auctoritate propagatus, eius rationem reddit auctor Sermonum Discipuli (*in ser. de visitatione Deiparae, qui est* 25. *de Sanctis*), cuius verba tam de pulsu matutino, quam de vesperino, quod rem totam egregie ad utilem paxim explicent, in praesentia referre non gravabor: *Quare,* inquit, *pulsatur Ave Maria de sero, et de mane, tribus ictibus? Respondetur, de mane in aurora diei ex laudabili consuetudine pulsatur, ut illa hora honoremus, et salutemus salutatione angelica beatam Mariam Virginem, qua hora angelus Gabriel eam salutavit, quia, secundum b. Dionysium, Incarnatio Christi in ortu diei facta est, quia tunc ortus est sol iustitiae super terram nostrae miseriae: item ut recommendemus nos beatae Mariae Virgini, ut ipsa impetret nobis a filio suo, ut illo die custodiamur a peccatis, et confortemur a bonis operibus, et virtutibus. Sed de sero pulsatur, ut per intercessionem, et iuvamen sanctissimae Virginis dimittantur nobis peccata, quae commisimus illo die, et sic peccator statim debet conteri de peccatis suis: item, ut meritis eius custodiamur illa nocte, et si qua bona fecimus illo die, per eius manus Virgineas, filio suo Domino nostro Iesu Christo offeramus: etenim legitur, quod in vigilia Annunciationis Virginis Mariae in Avenione, duo propter iustitiam saecularem sunt ad stipites manibus et collis ligati, ut cremarentur. Accensio igitur igne, unus illorum crebro b. Mariam Virginem invocans, ut se iuvaret intuendo, si aliquando ieiuniis, vel orationibus, vel aliis obsequiis ipsi Virgini praestitisset: et cere eidem vestibus, et corpore inustis penitus sola colli, et manuum vincula ignis consumpsit, et ab igne solutus exilivit, socio suo totaliter consumpto: reiectus est autem solutus secundario in ignem, et iterum permansit inustus, et ab igne exilivit: sicque cum laude ad Ecclesiam maiorem beatissimae Virginis ductus est, et Papa Ioann. 22. statuit sero fieri pulsum campanae, ad quem quicunque homo genu flectendo, tria Ave Maria dixerit, viginti dies indulgentiarum habebit; et de de illo miraculo, et de illis indulgentiis habetur publicum instrumentum, et litterae authenticae;* haec in ser. Discipuli. Duobus hisce campanae pulsibus addidisse meridianum dicitur Ludovicus XI. Galliae Rex a Gaguino (*lib.* 10. *hist. Franc.*), et Genebrardi (*libr.* 4. *Chronol.*) ad annum 1227. Illum porro Callistus III. quemadmodum accepimus a Platina, et Fr. Alphonso Ciaccone (*in eius vita*) confirmavit, ut populum invitaret ad orandum contra Turcas pro Christianorum pace.

Ceterum Arnoldus Uvion, (*lib.* 5. *ligni vitae cap.* 20) cum aliis, quos citat. auctoribus, docet Urbanum IV. in Concilio Claromontano, bello ad recuperandam terram sanctam indicto, mandasse ut omnibus Ecclesiis, mane, ac vesperi, trino campanae signo populus ad orationem, atque divinam opem contra Barbaros impetrandam excitaretur, quod annis omnino 134. usque ad Gregorium IX. rite servatum est; Gregorium vero adiecto meridiano pulsu eiusmodi consuetudinem in Deiparae laudem commutasse, ob tria mysteriorum genera, quibus a suis studiosis, praesertim in Rosarii recitatione honorari, colique Deipara solet, ob mysteria, quae vocant Gaudiosa, quae a Christi Domini Incarnatione caeperunt, ac vespertino pulsu indicantur: Dolorosa, propter summos, maximeque intensos dolores, qui fuerunt in Christi Domini crucifixione, et morte, quae in horam diei nonam incidit, meridiano pulsu commemorantur; Gloriosa, quae initium duxerunt ab ea, quae super auroram facta est, Christi resurrectione; haec ex Uvionio.

Et sane iure optimo hoc triplici tempore ad orationem faciendam, ac Deiparae patrocinium imploraudum excitamur, ut mane diei nascentis initio, nosque futurasque nostras actiones ad Dei gloriam referamus: merito adulto iam die brevi precatione spiritum reficiamus: vespere cadente iam luce, factorum omnium rationem per conscientiae examen a nobis exigamus. Deinde adhibet Ecclesia officium beatae Virginis, quod vocant parvum, ad discrimen officii Dominici, quod recitare tenentur ii, qui sacris Ordinibus initiati sunt, et vulgo dicitur magnum; propterea quod pluribus Psalmis ac precibus constat. Huiusmodi vero Virginis officium studio beati Petri Damiani doctissimi iuxta, ac sanctissimi viri, ut ex Hieronymo Rubeo in eius vita admonemur, mirifice propagatum est; postea anno nostrae salutis 1094. decreto Urbani IV. in Concilio Claromontano, ut testatur Vincentius Beluacensis (*in speculo histor. lib.* 25. *c.* 1112), s. Antoninus (2. *part. histor. tit.* 16. *c.* 1. §. 23. *et* 4. *part. sum. tit.* 15. *cap.* 24. §. 3), et Genebrardus (*l.* 4. *Chronol.*) omnibus, qui divinum officium recitare tenentur, clericis indictum est, sub praecepto, extra chorum: pie tamen hortatur omnes ad aliud recitandum in choro eius consuetudine dicendi, praescriptis in Breviario diebus. Quin ex constitutione eiusdem, qui ex beneficio Ecclesiastico obtinent pensionem, tenentur ad recitandum saltem officium parvum beatae Virginis, quemadmodum observat idem Navarrus (*de oratione cap.* 21. *num.* 1).

Ceterum haec pia in laudem Virginis precandi forma ita usu recepta est, ut laici fere omnes, qui aliquo pietatis gustu afficiuntur, singulis diebus eius officii recitandi consuetudinem teneant. Praeterea in officio Dominico maiori singulis sabbatis ex decreto eiusdem Urbani IV. officium, et missae sacrum, nisi quid obstet, fiunt de b. Virgine: quod etiam nunc diligenter servatur, idque inter alia, quae in Deiparae honorem praestantur, recenset s. Antoninus (4. *part. tit.* 15. *cap.* 24. §. 3) his verbis: *Praeter officium parvum beatae Virgi-*

nis, quod est in praecepto singulis diebus quoad obligatos, addit quoque Ecclesia omnibus sabbatis, cum vacat, eam in missis, vel officio toto honorari solemniter, et cum sequentiis: ut sicut honoratur Dominus filius in Dominicali officio ob suam resurrectionem, ita et ipsa honoretur Domina mater in sabbato, quia illa die, scilicet sabbati, mortuo filio, et fide vacillante in multis Apostolis, et reliquis, in ea sola requievit resurrectionis explicita fides; sic Antoninus exceptis ultimis verbis. Ad haec in officio item maiori in laudibus ac vesperis, cum Sanctorum commemorationes praescribuntur, omnium prima post commemorationem de cruce, est beatae Virginis commemoratio. Ad haec ad singulas horas cum oratione Dominica praemittitur angelica salutatio; ad officii denique finem Antiphona ad Deiparam Salve Regina, vel alia tempori accommodata subnectitur. Concionatores, ut ex suis concionibus uberem animarum fructum referant, divinam gratiam per Deiparam implorare student; ideoque una cum Populo suas a salutatione angelica conciones auspicantur huius piae consuetudinis meminit s. Antoninus (*4. p. tit.* 15 *cap.* 21. §. 3): *Omnes,* inquit, *sermocinantes, et praedicantes Christicolis exordium pro gratia impetranda a salutatione angelica faciunt;* sic ille. Huius ratio peti potest ex quadam revelatione facta sancto Dominico. Is cum in regione Tolosana Galliae Narbonensis concionaretur, nec quicquam fructus spiritualis colligeret, cum sacratissima Virgine ea de re expostulavit; quae cum sancto viro aliquando apparuisset, ei dixit: *Dominice fili, nihil mireris, quod concionando minime proficias: enimvero aras solum a pluvia non irrigatas, scilicet, cum Deus renovare decrevit mundum. Salutationis angelicae pluviam praemisit, sicque orbis ipse in melius est reformatus. Hortare igitur homines in concionibus ad Rosarii mei recitationem, et magnus dehinc animarum fructus consequetur: quod s. Dominicus strenue executus uberes ex suis concionibus animarum fructus retulit;* haec ex miraculis Rosarii, quae in libro Rosarii Italice habentur: ita proportione quadam in sermonibus ad populum praemittitur salutatio angelica, ut hac coelesti pluvia, terra cordis nostri arida irrigetur, et fructum divino beneficio per Virginem impetratum, uberiorem ferat.

Porro quis ignorat varias Antiphonas, quibus Ecclesia catholica Deiparam Virginem colit? Inter illas apud me principem locum tenet illa celebratissima Salve Regina: huius Antiphonae auctor, quamvis a Durando (*lib.* 4. *ratio. cap.* 22), et a Claudio Rota (*in legendario Sanct. cap.* 77), dicatur Petrus Episcopus Compostellanus; communiter tamen existimatur Hermannus Contractus, Deiparae, a qua scientiam consecutus est, studiosissimus: id enim testatur Abbas Trilbemius (*lib.* 1. *de viris illustrib. Ordin. Sancti Benedicti capit.* 84), Genebrardus (*libr.* 4. *Chronic.*), Canisius (*lib.* 3. *cap.* 13), cardinalis Bellarminus (*libr.* 1. *de bonis operib. de particulari capit.* 15), cumque solemnis esset in Germania, teste Caesario (*libr.* 7. *exempl. cap.* 1. 30), et in Galliis Gregorius Nonus, auctore Abbate Urspergensi, in fine Horarum, eam per omnes Ecclesias decantari iussit. Inter opera quoque sancti Bernardi leguntur sermones de ea, et sanctus Bonaventura (*tom.* 2. *opusc.*), rhythmis eam celebravit. Eandem Antiphonam Navarrus (*in Manuali de orat. cap.* 19. *num.* 184) testatur, ut supra dixi, ab angelis in Ronca valle cantari solitam sabbatis apud quendam fontem, qui iam inde usque in praesentem diem fons angelorum appellatur: addit praeterea Navarrus, a quibusdam eam appellari nauticam, propterea quod nautae praesertim, imminens naufragium metuentes, magna cum intentione animi eam religiose usurpant: et Thomas Bozius (*lib.* 9. *de Signis Ecclesiae cap.* 8): *In mores,* inquit, *inductum est, ut omnis Christianus singulis eam diebus Deiparae dicat.*

Porro complura miracula in eorum beneficium, qui Salve Regina pie recitare solebant, narrat Caesarius (*libr.* 7. *exempl. cap.* 30), Thomas Cantipratensis (*in lib.* 3. *apum cap.* 29. *pa.* 22), sanctus Antoninus (3. *part. histor. tit.* 23. *cap.* 3. §. 2. *et spec. exempl. distinct.* 7. *num.* 42. 43. *et* 44). Utitur etiam Ecclesia illis antiphonis, *Alma Redemptoris Mater, quae pervia coeli, etc. Ave Regina coelorum, etc. Regina coeli laetare alleluia, quia quem meruisti, etc.* Quam antiphonam ab angelis decantatam, et a sancto Gregorio Papa, ultimo versiculo adiecto, completam, constans est omnium Historicorum sententia. Nec silentio praetermittam antiphonam illam: *Obsecro te Domina sancta Maria,* cum et illa alia: *O intemerata, et in aeternum benedicta:* quae in Deiparae, et s. Ioan. Evangelistae honorem dirigitur: cum s. Edmundus adolescens, postea Archiepiscopus Cantuariensis, recitare solitus, cum die quadam illam ex oblivione emisisset, in sequenti nocte a s. Ioann. Evangelista, qui eidem per quietem apparuit, et gravem ferulae ictum comminatus est, ne eam in posterum omitteret, familiariter est persuasus, ita in eius vita apud Surium (*tomo* 5), et Vincentius Beluacensis (*lib.* 31. *spec. histor. cap.* 73). Alius quoque hac eadem oratione daemonis insidias evasit ex Vincentio (*lib.* 7. *cap.* 101). Addo Antiphonas illas: *O Domina mea sancta Maria me in tuam etc. O Maria Dei Genitrix, Virgo Gratiosa: etc. Sub tuum praesidium, etc. Sancta Maria succurre miseris, etc.* desumpta ex Augustino (*serm.* 18. *de sanct.*): *Gaude Maria Virgo cunctas haereses, etc.* Atque haec cum pie decantaretur, aliquot contigere miracula, quae nos libro ultimo retulimus: *Felix namque es sacra Virgo Maria, etc.* quam laudem iuxta Suessionem urbem in Galliis concinentes angelos exauditos in Vigilia Assumptionis testatur Thomas Cantipratensis (*lib.* 2. *c.* 40. *p.* 7).

Hymnis etiam varis Ecclesia catholica Deiparam veneratur: *Quem terra, pontus, aethera,* et illud: *O Gloriosa Domina:* quo hymno sanctus Antonius Palavinus, daemonem cum praefocare conatum, effugavit, ut in vita eius legitur. Insignis est etiam hymnus: *Memento salutis auctor,* in cuius fine dicitur:

Maria mater gratiae,
Mater misericordiae,

Tu nos ab hoste protege,
Et hora mortis suscipe.

Quos tum valentes, tum moribundi magna pietate iterant, quo Virgini in eo articulo sese commendent: quin etiam quemadmodum narrat Pelbartus (*lib.* 10. *Stell. parte ult. cap.* 8), ex Ioanne Ægydio, seu Iuniore, Ordinis Praedicatorum, in libro, qui inscribitur Scala coeli: *Quidam paternis bonis dilapidatis, spe pecuniae adipiscendae, in nemus a praestigiatore quodam perductus, coepit a daemone ad Deiparam abnegandam urgeri; sed iuvenis terrore perculsus, hos versiculos, Maria Mater gratiae, etc. quos quotidie recitare consueverat, contenta voce pronunciat: hicque daemon iratus praestigiatore praefocato, statim evanuit.*

Ad eundem Virginis cultum spectat frequens in Ecclesia in omnibus vespertinis horis Canticum illud sanctissimum ab ipsa Deipara editum, nec non adoratio angelica novies in officio Divino maiori repetita, quibus et accedunt Litaniae Deiparae, ex variis eius honorificis titulis concinnatae, quae in variis Virginis templis, praesertim Lauterano, decantari consueverunt. In eundem etiam precationum numerum revoco precationem illam, quae inscribitur Planctus b. Mariae, quae incipit, *Stabat mater dolorosa,* cuius auctorem esse sanctum Gregorium docuit s. Antoninus (3. *hist. tit.* 22. *cap.* 3. §. 32), quem sequutus est Philippus Bergomat. in supplemento ad annum 1299.

Ad haec in consecrationibus, ac benedictionibus ab Ecclesia in Pontificali Romano institutis, Deiparae nomen saepe reverenter invocatur, sive cum in eius honorem ea, quae Pontifex consecrat, dicantur, sive cum eius auxilium imploratur, id quod advertere licet in solemni templi consecratione, in qua cum ad Altaris consecrationem venitur, Ecclesia secundum Deum in Deiparae honorem nominatim, et ante reliquos Sanctos, et ipsum etiam patronum, cui templum peculiariter dicatur, id a sese his conceptis verbis fieri profitetur: *Sanctificetur hoc altare in honorem Dei omnipotentis, et gloriosae Virginis Mariae, atque omnium Sanctorum, et ad nomen, et memoriam sancti N. Pax tibi.* Quae verba in consecratione Altaris Pontifex quinquies iterat, cum signum crucis cum aqua benedicta diversis in locis imprimit: et quoniam oleo Catechumenorum bis quinas cruces, oleo vero sacri Chrismatis semel totidem cruces in iisdem locis signat, ad earum singulas eandem fere formulam repetit. Quid plura? idem Pontifex in templi consecratione sacro Chrismate in templi parietibus duodecim cruces inungit, ad singulas eandem verborum formulam, cum Deiparae invocatione, repetit in hunc modum: *Sanctificetur, et consecretur hoc templum in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, in honorem Dei, et gloriosae Virginis Mariae, atque omnium Sanctorum, ad nomen et memoriam sancti N. Pax tibi.* Quod si altare absque templo consecretur, Pontifex eiusdem Deiparae nomen, eandemque dicendi formulam totidem vicibus pie usurpat, cum ex aqua benedicta, ex oleo Catechumenorum, et ex sacro Chrismate, totidem numero cruces in eo signat, quot diximus fieri, cum Altare una cum templo consecretur. In aliis praeterea precationibus, quae, sive in primarii lapidis benedictione pro ecclesia aedificanda, sive in ipsa templi, et altaris consecratione a Pontifice funduntur, Deiparae semper auxilium enixe invocatur, ut videre est in Pontificali Romano.

His accedit tabellarum usus, argenteque insculptae imagines, quae ante altaria Deiparae Virginis, variis miraculis coruscantis, quas fideles appendere consueverant, in cuius rei gratiam ab Henrico Sedulio eleganter descripta carmina offero:

Insignes pietate viros, virtutibus, arte,
Ingenio, meritis, doctrina, viribus, armis.
Moris erat quondam statuis ornare dicatis
Vivat ut aeternum per postem saecula nomen.
Olim sic fertur magnum decorasse Platonem
Rex Ponti meritis, sic Scaevola, Cloelia clari
In patriam dicto pariter celebrantur honore,
Effigiemque sui Demosthenis Attica tellus
Exhibet ingenti fabricatum in mole colossum.
En tibi, Virgo parens, vasti per climata mundi,
Christicolae statuas gratanti pectore passim
Constituunt titulos, altaria, templa, domosque.
Quod genus humanum tantis sit honoribus auctum,
Expertumque malis, per te veneranda supremis
Sponsa Dei, Regina poli, Genitrixque tonantis.

Hoc igitur usus appendendi pictas tabellas, aut imagines sculptas, aut conflatas argento vel aere ad memoriam receptorum beneficiorum, viguit quoque apud Gentiles, ut videre est apud Horatium (*l.* 1. *carminum ad Pyrrham*), ubi sit canit:

Me tabula sacer
Votiva paries indicat uvida
Suspendisse potenti
Vestimenta maris Deo.

Ibidem videre est apud Ciceronem (*de Natura Deorum lib.* 3), et in Verrem (*act.* 4), et apud Lucianum (*in Alexandr.*), et Caesarem (*de bello Civili lib.* 3) inter Christianos Paulinus deinde in natum s. Felicis ait:

Sanctaque praefixis obducant limina laminis.

Ubi ipsas laminas ante limina affigi solitas ipsas tabellas pictas, vel imagines argento incisas ad memoranda beneficia accepta a s. Martyribus, appellat. Huius rei non pauca exempla et testimonia Laureti vigent, ubi etiam extat tabella oblata, et missa a Mahometo pro beneficio recepto a beata Virgine Lauretana: ut sic omnis generatio etiam Turcarum, et infidelium commendet, et beatam praedicet Deiparam, iuxta eius vaticinium (*Luc.* 1): *Beatam me dicent omnes generationes:* extant etiam eiusdem rei exempla pene infinita praesertim Romae, et per totam Italiam.

Faciunt deinde ad eundem Virginis cultum peregrinationes, quae si ad aliquem locum omnium gentium, et nationum concursu, frequentiaque celebres sunt, fiunt certe Lauretum, Monserratum, Caesaraugustam, Guadalupen, sanctam

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

Mariam maiorem in Urbe, et sanctam Mariam de populo ibidem, et alias similes pene infinitas: ac tandem silentio praetereo processiones, in quibus Deipara humeris gestatur, varia festa, insignia templa, mirifica altaria, celebres imagines, ac sumptuosas earumdem imaginum vestes, variaque donaria, ad maiorem Virginis cultum oblata, quia de his omnibus longiorem supra habuimus sermonem.

HOMILIA XIII.

Referuntur alphabetico ordine celebriora epitheta, quae tam sacrae literae, quam omnes sancti Patres ad maiorem Deiparae cultum et devotionem in nobis excitandam, tradidere.

Ecclesia catholica Mariani cultus vigilantissima, inter pleraque alia, quibus b. Virginem Dei Genitricem veneratur, frequens est usus Litaniarum, quas ex variis epithetis contextas fidelibus tradit: ni tamen brevitas illas commendaret, et facilem earum redderet usum, paucissima epitheta concinnavit; et ideo operae pretium me facturum duxi, si laborem hunc susciperem, ut fere omnia honorifica nomina, et celebriora epitheta, quibus tam divina eloquia, quam sancti Ecclesiae magistri, Dei parentem cohonestarunt, hac una homilia perstringerem: id, Deo favente, nunc praestabo, fonte, unde illa hauserim, fere semper adnotato.

A

Aula coelestis, div. Ambr. (*ad Sir. l.* 10. *c.* 51).
Altare thymiamatis, div. Ambros. (*l.* 2. *de Virg.*).
Altare Dei, (*Psalm.* 42).
Altare animatum panis vitae, Methodius (*in orat. hypop.*).
Agna immaculata, Georgius Nicomed. (*epist. orat. de oblat. Deipar.*).
Aula Regis aeterni, divus August. (*init. ser.* 1. *de Assumpt.*).
Arca novi testamenti, Ildeph. (*ser.* 1. *de Ass.*).
Arca Noe, Esychius (*serm.* 2. *de sanct. Deip.*).
Alma mater, ex Hymno, Ave maris stella.
Arca vitae, Andreas Hierosolymitanus (*in sal. Angelic.*).
Auxilium Christianorum, Nicephorus Calvin. (*lib.* 18. *Eccl. histor. cap.* 33).
Ab aeterno ordinata, (*Proverb.* 8).
Aurora consurgens, Ecclesiasticus (*c.* 5), Canisius (*l.* 1. *cap.* 12).
Ab Angelo humiliter salutata, Luc. (*cap.* 1).
Arca testimonii, (*Exod.* 15).
Auctrix meriti, div. Augustinus (*ser. de Ass.*).
A pastoribus et Magis cum filio inventa, Luc. (*cap.* 2), et Matthaeus (*cap.* 1).
Advocata nostra, d. Gregorius Nazianzenus (*in trag. Christ. pat.*).
Aquaeductus coelestium gratiarum, Oratio, (*Obsecr. te Dom.*).
Arca Noe Salutaris, (*Cant.* 4).
Aula Spiritus sancti, Ildephonsus (*serm.* 2. *de Nativ. b. Mar.*).
Armarium vitae, Chrysippus Hierosolymitanus (*serm. de s. Deip.*).
A Philosophis sanctis praefata, Ildephonsus (*serm. de Assumpt.*).
Auxiliatrix praesens, div. Bern. (*ser.* 2. *de Adv.*).
Auctrix meriti benedicta, d. Augustinus (*ser.* 6. *in Nativ. Dom.*).
Ægrotantium exultatio, Ephrem (*in orat. de laudib. b. Mar.*).
Affectatrix Iesu perpetua, d. Epiphan. (*haer.* 78. *contr. Antidic.*).
Angelorum gloria, Giselbertus (*in altar. Synag. et Eccl. cap.* 7. *et* 19).
Abyssus gratiae, div. Damasc. (*de dorm. Deip.*).
Animatum altare, s. Methodius martyr.
Animatum Dei templum, s. Ignatius martyr.
Anchora, portusque tutissimus, idem.
Apotheca, d. Bernardus.
Armarium vitae, Chrysippus.
Arca latior, longior, et illustrior arca Noe, Esychius.
Æterna virginitas, Ildefons.
Advocata omnium iniquorum, ad ipsam confugientium, Dionys. Richel.

B

Balsamum aromatizans, (*Eccl. cap.* 24).
Botrus Cypri, (*Cant.* 1).
Benedicta inter mulieres, Luc. (*cap.* 1), et d. Bernardus (*serm.* 4. *in natal. Dom.*).
Bethlehemitica cisterna Davidem refocillans, Methodius martyr.
Benedicti seminis augusta pareos, divus Bernardus.

C

Captivorum redemptrix, et omnium salus, s. Ephrem Diaconus (*ser. de laud. Virg Mar.*).
Complementum Trinitatis, Eucherius (*orat. de b. Virg. quae refer. tom.* 5. *Bibl. sanct. Patr.*).
Cinamomum, (*Eccle. c.* 24).
Cunctis desiderabilis, Ignatius (*ep. ad Io. Ev.*).
Christianorum perfugium, Damascenus (*serm. de dormit.*).
Castimoniae praesidium, Petrus Canisius (*lib.* 2. *cap.* 13).
Captivorum redemptrix, et omnium salus, s. Ephrem.
Castrorum acies ordinata, Andreas Cretensis non vulgaris auctor.
Confortatrix Martyrum, d. Bonaventura.
Creatoris mater, s. Methodius martyr.
Coelestis thesaurus Deitatis, vel, ut alii leguntur, veritatis, Origenes.
Coeli, et terrae summa, Domina, et unica Dominatrix, super choros angelorum exaltata, divus Anselmus.

Clibanus intellectualis, qui ignem, et panem vitae calidum mundo in esum attulit, d. Epiphanius.
Complementum Trinitatis, Esychius.
Castellum, in quod intravit Iesus, divus Bernardus (*serm.* 2. *de Assumpt. b. Mar.*), et Ephrem (*or. b. Mar. ser. de Ass. Deip.*).
Causa nostrae laetitiae, Lucas (*c.* 1, *et* 2).
Cathedra Cherubina, Esych. (*ser.* 2. *de s. Deip.*).
Candelabrum aureum, Georgius Nicomed. (*orat. de obit. b. Virg.*).
Castellum Iesu, d. Bernardus (*ser.* 2. *de Ass.*), et Lucas (*cap.* 2).
Consolatrix peccatorum, d. Bernardus (*hom.* 2. *sup. Miss. est sub fin.*).
Cedrus exaltata in Libano, (*Eccl.* 24), et Ildefonsus (*serm.* 1. *de Assumpt.*).
Cypressus in monte Sion, (*Eccles. cap.* 24).
Cisterna Bethlehemitica (2. *Reg.* 26), et Methodius (*orat. de hypop. Dom.*).
Civitas Dei, (*Psalm.* 68), d. Augustinus (*de civ. Dei lib.* 17. *cap.* 16), et Brun. (*ser. de laud. beat. Mar.*).
Columba formosa, (*Cant.* 2), div. Bernar. (*ser.* 2. *de Assumpt.*).
Columba pura, et omni angelico exercitu formosior, d. Epiph. (*serm. de laud. b. Mar.*).
Cum filio dulciter conversata, Luc. (*cap.* 2).
Cuius pulchritudinem sol et luna mirantur, ex Offic. Ecclesiast.
Cuius vultum deprecantur omnes divites plebis, (*Psalm.* 44).
Cunctis generationibus beatissima praedicata, Lucas (*cap.* 1), et (*Cant.* 6).
Cuius spiritus super mel dulcis, (*Eccl.* 24).
Civitas refugii, (*Gen.* 6).
Cunctas haereses sola interimens, (*Cant.* 6).
Columba in medio accipitrum, d. Chrysostomus (*hom.* 2. *de patient. Iob*).
Cathedra non inferior, Esych. (*ser.* 2. *de Deip.*).
Comprehensio omnia comprehendentis, s. Methodius martyr (*in or. habit. ob hyp. Dom.*).
Coelum, in quo sol splendet, Andreas Hierosolymitanus (*in exptic. salut. Angel.*).
Christianorum propugnatrix, Andreas Cretensis (*in encom. de dorm. b. Virg.*).
Cartha divinissima, s. Ephrem Diaconus Ecclesiae Edessen. (*orat. de laud. Mar.*).
Coelum, et sedes Dei, sanctus Germanus patriarcha Constantinopolitanus (*in Psal.* 44).
Corruptionis interitus, s. Serg. (*de Mar. nat.*).
Causa salutis humani generis, Irenaeus (*lib.* 3. *cap.* 33. *contr. haeres.*).
Consolatio infirmorum, Giselbertus (*in alterc. cap.* 7. 14. *et* 19).
Contritio pravitatis haereticae, Sophron. vel, ut alii volunt, Hieron. (*in ser. de Ass. Virg.*).
Claustrum pudoris integrum, Ildephonsus (*in fin. ser. de partur. b. Mar.*).
Circumscriptio incircumscripti Dei, Method. (*orat. de hypop. Dom.*).
Coelum, in quo Dei gloria splendet, Andreas Hierosolymitanus (*in salut. Angel.*).
Cubiculum ortus Christi purum, Chrysostomus (*in orat. de Annunc. Virg.*).

D

Dominatrix, unica super choros exaltata, d. Anselmus (*lib.* 1. *excell. b. Mar. cap. ult.*).
Domus sapientiae, d. Hieronymus (*libr.* 20. *in Isai. cap.* 7).
Domina regum, Ildeph. (*ser.* 4. *de Ass.*).
Domina gloriosa, Georgius Nicomed. (*or. de oblat. Deip.*).
Domina rerum omnium, d. Ioan. Damascen. (*lib.* 4. *cap.* 15. *de fid. orthod.*).
Desiderata gentibus, Bernardus (*Epist.* 174. *ad Canon. Lugdun.*).
Dulcedo animarum credentium, Bernardus (*in exptic. hymn. Salv. Regin.*).
Decus omnium honorificentissimum, Damascenus (*de dorm. b. Virg.*).
Disciplina omnium, d. Ambr. (*lib.* 2. *de Virg.*).
Dei sponsa, Rupertus (*lib.* 7. *de glor. Trinit. et process. Spir. s. c.* 13. *et Cant.* 4).
Decus Patriarcharum, Andreas Hierosolymitanus (*in salut. Angel.*).
Deliciis spiritualibus affluens, d. Bern. (*serm.* 4. *de Assumpt. et Nativ. Mariae, et Cant.* 8).
Doctrix doctorum, Idiota (*in lib. contemplat. de Virg. c.* 30).
Decora sicut Hierusalem, (*Cantic.* 6), et Brun. Carthus.
Domicilium Verbi Deum decens, Damasc. (*lib.* 4. *de fide cap.* 15).
Desiderium collium aeternorum, (*Gen.* 43).
Deficiente in nuptiis vino fidelium deprecata, Ioannes (*cap.* 2).
Doloris gladio transfixa, Lucas (*cap.* 2).
Duodecim stellis coronata, Apoc. (*cap.* 12).
Dea subintellige per participationem, b. Damian. (*serm.* 2. *de nativit. b. Virg.*), et Greg. Naz. (*orat. de Christo patiente*).
Dei et hominum mediatrix, Epiph. (*ser. de Deip.*).
Domina Angelorum, ex Ecclesiae off.
Declaratio occultorum, et profundorum, Andr. Cret. (*de laud. Virg.*).
Deipara benedicta, Damas. (*in hymn. de Assumpt. beatae Mariae*).
Domina benignissima, Pet. Damia. (*serm.* 1. *de nativ. b. Mariae*).
Domina piissima, d. Anselmus (*lib. de excell. beatae Virg. cap.* 12).
Domina immaculata, Chrysost. (*in liturgia*).
Domina, et magistra Prophetarum, Galat. (*lib.* 7. *de arcanis cathol. verit. c.* 4. *et* 12).
Domus aurea.
Dei indumentum, s. Method. martyr.
Dilectionis thesaurus, idem.
Divinae charitatis promptuarium, idem.
Domina mundi, d. Bern.
Dulcissimum Annae pignus, d. Ioan. Damasc.
Domicilium coelo praestantius, b. Andr. Hieros.
Divinorum oraculorum divini archetypi imago, idem.
Dulcedo nostra.
Divinae incomprehensibilitatis summa, b. Andr. Hierosolymitanus.
Delinquentium spes, beatus Laurentius Iustin.
Decus, et ornamentum, Procl. Episc. Cyzicenus.
Domus super omnes benedicta.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Mariam maiorem in Urbe, et sanctam Mariam de populo ibidem, et alias similes pene infinitas: ac tandem silentio praetereo processiones, in quibus Deipara humeris gestatur, varia festa, insignia templa, mirifica altaria, celebres imagines, ac sumptuosas earumdem imaginum vestes, variaque donaria, ad maiorem Virginis cultum oblata, quia de his omnibus longiorem supra habuimus sermonem.

HOMILIA XIII.

Referuntur alphabetico ordine celebriora epitheta, quae tam sacrae literae, quam omnes sancti Patres ad maiorem Deiparae cultum et devotionem in nobis excitandam, tradidere.

Ecclesia catholica Mariani cultus vigilantissima, inter pleraque alia, quibus b. Virginem Dei Genitricem veneratur, frequens est usus Litaniarum, quas ex variis epithetis contextas fidelibus tradit: ni tamen brevitas illas commendaret, et facilem earum redderet usum, paucissima epitheta concinnavit; et ideo operae pretium me facturum duxi, si laborem hunc susciperem, ut fere omnia honorifica nomina, et celebriora epitheta, quibus tam divina eloquia, quam sancti Ecclesiae magistri, Dei parentem cohonestarunt, hac una homilia perstringerem: id, Deo favente, nunc praestabo, fonte, unde illa hauserim, fere semper adnotato.

A

Aula coelestis, div. Ambr. (*ad Sir. l.* 10. *c.* 51).
Altare thymiamatis, div. Ambros. (*l.* 2. *de Virg.*).
Altare Dei, (*Psalm.* 42).
Altare animatum panis vitae, Methodius (*in orat. hypop.*).
Agna immaculata, Georgius Nicomed. (*epist. orat. de oblat. Deipar.*).
Aula Regis aeterni, divus August. (*init. ser.* 1. *de Assumpt.*).
Arca novi testamenti, Ildeph. (*ser.* 1. *de Ass.*).
Arca Noe, Esychius (*serm.* 2. *de sanct. Deip.*).
Alma mater, ex Hymno, Ave maris stella.
Arca vitae, Andreas Hierosolymitanus (*in sal. Angelic.*).
Auxilium Christianorum, Nicephorus Calvin. (*lib.* 18. *Eccl. histor. cap.* 33).
Ab aeterno ordinata, (*Proverb.* 8).
Aurora consurgens, Ecclesiasticus (*c.* 5), Canisius (*l.* 1. *cap.* 12).
Ab Angelo humiliter salutata, Luc. (*cap.* 1).
Arca testimonii, (*Exod.* 15).
Auctrix meriti, div. Augustinus (*ser. de Ass.*).
A pastoribus et Magis cum filio inventa, Luc. (*cap.* 2), et Matthaeus (*cap.* 1).
Advocata nostra, d. Gregorius Nazianzenus (*in trag. Christ. pat.*).
Aquaeductus coelestium gratiarum, Oratio, (*Obsecr. te Dom.*).
Arca Noe Salutaris, (*Cant.* 4).
Aula Spiritus sancti, Ildephonsus (*serm.* 2. *de Nativ. b. Mar.*).
Armarium vitae, Chrysippus Hierosolymitanus (*serm. de s. Deip.*).
A Philosophis sanctis praefata, Ildephonsus (*serm. de Assumpt.*).
Auxiliatrix praesens, div. Bern. (*ser.* 2. *de Adv.*).
Auctrix meriti benedicta, d. Augustinus (*ser.* 6. *in Nativ. Dom.*).
Ægrotantium exultatio, Ephrem (*in orat. de laudib. b. Mar.*).
Affectatrix Iesu perpetua, d. Epiphan. (*haer.* 78. *contr. Antidic.*).
Angelorum gloria, Giselbertus (*in altar. Synag. et Eccl. cap.* 7. *et* 19).
Abyssus gratiae, div. Damasc. (*de dorm. Deip.*).
Animatum altare, s. Methodius martyr.
Animatum Dei templum, s. Ignatius martyr.
Anchora, portusque tutissimus, idem.
Apotheca, d. Bernardus.
Armarium vitae, Chrysippus.
Arca latior, longior, et illustrior arca Noe, Esychius.
Æterna virginitas, Ildefons.
Advocata omnium iniquorum, ad ipsam confugientium, Dionys. Richel.

B

Balsamum aromatizans, (*Eccl. cap.* 24).
Botrus Cypri, (*Cant.* 1).
Benedicta inter mulieres, Luc. (*cap.* 1), et d. Bernardus (*serm.* 4. *in natal. Dom.*).
Bethlehemitica cisterna Davidem refocillans, Methodius martyr.
Benedicti seminis augusta pareos, divus Bernardus.

C

Captivorum redemptrix, et omnium salus, s. Ephrem Diaconus (*ser. de laud. Virg Mar.*).
Complementum Trinitatis, Eucherius (*orat. de b. Virg. quae refer. tom.* 5. *Bibl. sanct. Patr.*).
Cinamomum, (*Eccle. c.* 24).
Cunctis desiderabilis, Ignatius (*ep. ad Io. Ev.*).
Christianorum perfugium, Damascenus (*serm. de dormit.*).
Castimoniae praesidium, Petrus Canisius (*lib.* 2. *cap.* 13).
Captivorum redemptrix, et omnium salus, s. Ephrem.
Castrorum acies ordinata, Andreas Cretensis non vulgaris auctor.
Confortatrix Martyrum, d. Bonaventura.
Creatoris mater, s. Methodius martyr.
Coelestis thesaurus Deitatis, vel, ut alii leguntur, veritatis, Origenes.
Coeli, et terrae summa, Domina, et unica Dominatrix, super choros angelorum exaltata, divus Anselmus.

Clibanus intellectualis, qui ignem, et panem vitae calidum mundo in esum attulit, d. Epiphanius.
Complementum Trinitatis, Esychius.
Castellum, in quod intravit Iesus, divus Bernardus (*serm.* 2. *de Assumpt. b. Mar.*), et Ephrem (*or. b. Mar. ser. de Ass. Deip.*).
Causa nostrae laetitiae, Lucas (*c.* 1, *et* 2).
Cathedra Cherubina, Esych. (*ser.* 2. *de s. Deip.*).
Candelabrum aureum, Georgius Nicomed. (*orat. de obit. b. Virg.*).
Castellum Iesu, d. Bernardus (*ser.* 2. *de Ass.*), et Lucas (*cap.* 2).
Consolatrix peccatorum, d. Bernardus (*hom.* 2. *sup. Miss. est sub fin.*).
Cedrus exaltata in Libano, (*Eccl.* 24), et Ildefonsus (*serm.* 1. *de Assumpt.*).
Cypressus in monte Sion, (*Eccles. cap.* 24).
Cisterna Bethlehemitica (2. *Reg.* 26), et Methodius (*orat. de hypop. Dom.*).
Civitas Dei, (*Psalm.* 68), d. Augustinus (*de civ. Dei lib.* 17. *cap.* 16), et Brun. (*ser. de laud. beat. Mar.*).
Columba formosa, (*Cant.* 2), div. Bernar. (*ser.* 2. *de Assumpt.*).
Columba pura, et omni angelico exercitu formosior, d. Epiph. (*serm. de laud. b. Mar.*).
Cum filio dulciter conversata, Luc. (*cap.* 2).
Cuius pulchritudinem sol et luna mirantur, ex Offic. Ecclesiast.
Cuius vultum deprecantur omnes divites plebis, (*Psalm.* 44).
Cunctis generationibus beatissima praedicata, Lucas (*cap.* 1), et (*Cant.* 6).
Cuius spiritus super mel dulcis, (*Eccl.* 24).
Civitas refugii, (*Gen.* 6).
Cunctas haereses sola interimens, (*Cant.* 6).
Columba in medio accipitrum, d. Chrysostomus (*hom.* 2. *de patient. Iob*).
Cathedra non inferior, Esych. (*ser.* 2. *de Deip.*).
Comprehensio omnia comprehendentis, s. Methodius martyr (*in or. habit. ob hyp. Dom.*).
Coelum, in quo sol splendet, Andreas Hierosolymitanus (*in exptic. salut. Angel.*).
Christianorum propugnatrix, Andreas Cretensis (*in encom. de dorm. b. Virg.*).
Cartha divinissima, s. Ephrem Diaconus Ecclesiae Edessen. (*orat. de laud. Mar.*).
Coelum, et sedes Dei, sanctus Germanus patriarcha Constantinopolitanus (*in Psal.* 44).
Corruptionis interitus, s. Serg. (*de Mar. nat.*).
Causa salutis humani generis, Irenaeus (*lib.* 3. *cap.* 33. *contr. haeres.*).
Consolatio infirmorum, Giselbertus (*in alterc. cap.* 7. 14. *et* 19).
Contritio pravitatis haereticae, Sophron. vel, ut alii volunt, Hieron. (*in ser. de Ass. Virg.*).
Claustrum pudoris integrum, Ildephonsus (*in fin. ser. de partur. b. Mar.*).
Circumscriptio incircumscripti Dei, Method. (*orat. de hypop. Dom.*).
Coelum, in quo Dei gloria splendet, Andreas Hierosolymitanus (*in salut. Angel.*).
Cubiculum ortus Christi purum, Chrysostomus (*in orat. de Annunc. Virg.*).

D

Dominatrix, unica super choros exaltata, d. Anselmus (*lib.* 1. *excell. b. Mar. cap. ult.*).
Domus sapientiae, d. Hieronymus (*libr.* 20. *in Isai. cap.* 7).
Domina regum, Ildeph. (*ser.* 4. *de Ass.*).
Domina gloriosa, Georgius Nicomed. (*or. de oblat. Deip.*).
Domina rerum omnium, d. Ioan. Damascen. (*lib.* 4. *cap.* 15. *de fid. orthod.*).
Desiderata gentibus, Bernardus (*Epist.* 174. *ad Canon. Lugdun.*).
Dulcedo animarum credentium, Bernardus (*in exptic. hymn. Salv. Regin.*).
Decus omnium honorificentissimum, Damascenus (*de dorm. b. Virg.*).
Disciplina omnium, d. Ambr. (*lib.* 2. *de Virg.*).
Dei sponsa, Rupertus (*lib.* 7. *de glor. Trinit. et process. Spir. s. c.* 13. *et Cant.* 4).
Decus Patriarcharum, Andreas Hierosolymitanus (*in salut. Angel.*).
Deliciis spiritualibus affluens, d. Bern. (*serm.* 4. *de Assumpt. et Nativ. Mariae, et Cant.* 8).
Doctrix doctorum, Idiota (*in lib. contemplat. de Virg. c.* 30).
Decora sicut Hierusalem, (*Cantic.* 6), et Brun. Carthus.
Domicilium Verbi Deum decens, Damasc. (*lib.* 4. *de fide cap.* 15).
Desiderium collium aeternorum, (*Gen.* 43).
Deficiente in nuptiis vino fidelium deprecata, Ioannes (*cap.* 2).
Doloris gladio transfixa, Lucas (*cap.* 2).
Duodecim stellis coronata, Apoc. (*cap.* 12).
Dea subintellige per participationem, b. Damian. (*serm.* 2. *de nativit. b. Virg.*), et Greg. Naz. (*orat. de Christo patiente*).
Dei et hominum mediatrix, Epiph. (*ser. de Deip.*).
Domina Angelorum, ex Ecclesiae off.
Declaratio occultorum, et profundorum, Andr. Cret. (*de laud. Virg.*).
Deipara benedicta, Damas. (*in hymn. de Assumpt. beatae Mariae*).
Domina benignissima, Pet. Damia. (*serm.* 1. *de nativ. b. Mariae*).
Domina piissima, d. Anselmus (*lib. de excell. beatae Virg. cap.* 12).
Domina immaculata, Chrysost. (*in liturgia*).
Domina, et magistra Prophetarum, Galat. (*lib.* 7. *de arcanis cathol. verit. c.* 4. *et* 12).
Domus aurea.
Dei indumentum, s. Method. martyr.
Dilectionis thesaurus, idem.
Divinae charitatis promptuarium, idem.
Domina mundi, d. Bern.
Dulcissimum Annae pignus, d. Ioan. Damasc.
Domicilium coelo praestantius, b. Andr. Hieros.
Divinorum oraculorum divini archetypi imago, idem.
Dulcedo nostra.
Divinae incomprehensibilitatis summa, b. Andr. Hierosolymitanus.
Delinquentium spes, beatus Laurentius Iustin.
Decus, et ornamentum, Procl. Episc. Cyzicenus.
Domus super omnes benedicta.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

E

Eximium universi terrarum orbis decus, et ornamentum, d.Cyrill. Alex. (*hom. 6.in Nest.*).
Ex Ægypto in Nazareth reversa, Matt. (*cap.2*).
Electa ut sol, (*Cant. 6*).
Evae advocata, d. Epiphanius.
Eva, (*Gen. 2*).
Esther, (3. *Reg.* 19).
Expectatio praemiorum nostrorum , d. Augustinus (*serm. 2. de Annunc.*).
Exemplum perfectionis , d. Hieronymus (*sub init. serm. de Assumpt.*).
Electa ex omnibus, d. Bernardus (*epist. ad Canonicos Lugdunenses*).
Exaltata super choros angelorum, idem (*serm. 4. de Assumpt.*).
Exemplum virginitatis , et humilitatis , Lucas (*cap.* 1), et d. Bern. (*ser. 4. sup. Missus est*).
Exemplar Confessorum, d. Bonaventura.
Ecclesiae fundatrix, d. Cyrillus Alexandrinus.

F

Fax fidelium, Method. (*orat.de hypopant. Dom.*),
Foederis arca, d. Ambrosius (*serm.*81), et Laurentius Iust. Patriarcha Venetus (*serm. de Nativ. b. Mariae*), et Damas. (*serm. dorm.Deip.*).
Fons humanitatis filii Dei , Method. (*in Threnis, et orat. in hypopant. Dom.*).
Favus distillans, Rupert. (*comment. in Matth.*).
Fons uberrimus totius sanctitatis, Method (*ora. in hypopant.*).
Fons signatus, Esychius (*ubi sup.*), Ildef. (*serm. 4. de Assumpt. et serm. 1.de nativ. b. Mariae*), d. Hier. (*adversus Iovinianum ex Apologia ad Pammachium*).
Forma Dei, d. Augustinus (*serm.2. de Assump.*), Ildeph. (*serm. 1. de nativ. b. Mariae*).
Forceps carbonis ardentis seraphica , Meth. martyr (*orat.de hypop.Domini*), et Andr. Hieros. (*orat. in salutat. Ang.*).
Flos campi, d.Aug. (*serm.18. de sanct.in init.*), et (*Cant. 2*).
Fons lucis omnem hominem illuminantis, Ioan. (*cap. 2*), d. Augustinus.
Fide perspicua, Luc. (*cap. 1*).
Fons Lucis, Esther (*cap. 10*).
Fons perennis curationum, Ecclesiast. (*cap.24*).
Fons, universam terram irrigans, Damascenus (*orat. 2. dormit. Deiparae*).
Festivitatis nostrae principium, medium, et finis, Method. (*orat.ad hypopant. Dom. habita*).
Fons perenniter fluens , Damascenus (*orat. de dormit. Virginis*).
Fenestra coeli, divus Fulgentius (*serm.de laudibus Mariae*).
Fidei magisterium , b. Laurentius Iustinianus (*serm. de Nat. Mariae*).
Fortitudo Martyrum, d.Bernardus (*serm. ult. de Assumpt. beatae Mariae sub finem*).
Filia superni regis nobilissima , Brun. (*serm. de Nativit Mariae*).
Filia coelestis, et intus gloriosa , Nazianzenus (*in Christo patiente*).
Foemina supra omnes admirabilis , d. Bern. (*hom.2. super Missus de laud. Mariae*).
Foemina super omnes benedicta, divus Augustinus (*serm. 18. de Sanctis*).
Foeminarum omnium sanctissima, et beatissima, Ildephon. (*serm. 1. et 4. de Assumpt.*).
Forma disciplinae Christi, d. Hieron. (*non longe a princip. serm. 1. de Assumpt. tom. 4*).
Filii resurrectione exhilarata, Nyssenus.
Festivitas, et honor virginum.
Fidelium fax, Method. mart.
Filia Dei Patris.
Fidelium turris, d. Ioannes Damascenus.
Flos de spinis sine spina.
Foeminarum restauratio, divus Fulgentius.

G

Gloriosa Dei Genitrix , Ildef. (*serm. 2. de Ass.*).
Gratia plena, Lucas (*cap. 17*).
Gaudium omnium Beatorum , divus Bernardus (*serm.1.de Assumpt. beatae Mariae in princ.*).
Gloria Hierusalem, Iudith (*cap. 13*).
Gloria Prophetarum , s. Ephrem diaconus Ecclesiae Edessenae (*orat. de laudib. Mariae*).
Genitrix Christi piissima, Ildefons. (*serm. 7 de Assumpt.*).
Genitrix factoris mundi , Ildefons. (*initio cap. 1. de virgin. beatae Mariae*).
Genitrix genitoris sui, Chrysolaus (*serm. 143. in evang. de Annunc.*).
Gaudium nostrum ineffabile, Methodius (*orat. in hypopante Domini*).
Genitrix Dei.
Gestatrix, verbo suo omnia portantis , Methodius mart.
Gloria regni coelestis.
Glorificata, Deoque digna sedes, divus Methodius mart.
Germen iustitiae in oppido iniquitatis , divus Ioannes Chrysostomus.

H

Honor martyrum, Ephrem (*in orat. de laud. b. Mar.*).
Habitaculum illius, qui nusquam capitur, amplissimum, Andr. Hierosol. (*in salut.Angel.*).
Habitaculum incomprehensibilis naturae, Chrysostomus (*orat. de Annunc. Virg.*).
Hortus conclusus, Esychius presbyter Hierosolym. (*hom.2. de laud. Virg.*), Chrysipp. presb. Hierosol. (*ser.de sancta Deip.*), Georg. Nicomed. Episcopus (*orat. de oblat. Deiparae*) , Hieron. (*in apol. ad Pammachium*).
Honorificentia populi nostri, Iudith (*cap. 13*).
Humani generis reparatrix , d. Augustinus (*de fide ad Petrum*).
Hortus deliciarum, d. Bernardus (*serm. de nat. beatae Mariae Cant. 7*).
Haereticorum interemptrix , d. Bern. (*serm. de beata Maria ex Apocal.*) , qui habetur post reliquos in festo Assumpt. eiusdem Deiparae.
Humanitatis filii Dei fons, s.Methodius mart.

Humanae festivitatis principium, medium, et finis, idem auctor.

I

Immortalis fons, Sergius Hierosolymitanus (*de natiait. Virg. Mariae*).
Ianua Coeli, Ildefons. (*serm. 1 et 4. de Assump. Psal.* 74), Rupertus (*in Matth. lib. 1. de glor. et honore Filii Dei*).
Ianua clausa, Ioan. (*cap.* 20), Ildefonsus (*serm. de partur. beatae Mariae*), Hieronymus (*cont. Iovinian. in apolog. ad Pammachium*).
Inter omnes praeelecta, (*Cant.*5).
In templo praesentata, Nyssenus (*de hum. Christi generat.*).
Iusto Iosepho desponsata, Matth. (*cap. 1*).
Inter mulieres benedicta, Lucas (*cap.* 13).
In Ægyptum cum filio ingressa, Matth. (*c. 2*).
In die Pentecostes sancto Spiritu repleta, (*Act.2*).
In vestitu deaurato circumdata varietate, (*Ps.*44).
Inventrix gratiae , divus Bernardus (*serm. 2. de adcent. et epist.* 174. *et serm. de Assump.*).
Immortalis fons, sanctus Sergius (*de Mar. nat.*).
Impollutus, et purus illibatae virginitatis thesaurus, Proclus Episcopus Cizicenus (1. *tom. Conc. Ephes.*).
Iudith, Iudith (*cap. 8*).
Ianua Filii Dei, divus Augustinus (*serm.14. de natal. Deiparae, qui est* 18. *de temp.*).
Introitus vitae, Ildefons. (*serm.4. de Assump.*).
Incircumscripti circumscriptio, Metho. mart.
In bello versantibus munitissimum propugnaculum, s. Ignatius mart.
Imperatrix Angelorum.

L

Libanus non incisus, (*Eccles.* 24).
Lignum vitae, d. Bernardus (*sub finem serm. de adcenta.*).
Lilium inter spinas, Ildefonsus (*serm.1. de Assumpt. et Cant.* 2).
Lapis abscissus sine manibus, Irenaeus (*lib. 1. adverr. haer. cap.* 28), Damascenus (*sub finem carm. de Annunc.*), Ildefonsus (*cap. 6. de virginit. beatae Mariae*).
Lectulus Salomonis, Georgius Nicomed. (*in orat. de oblat. Deiparae*).
Lilium convallium, (*Cant.* 2).
Liber obsignatus, Apoc. (*cap.* 5), Georgius Nicomed. (*ubi supra*).
Lampas inextinguibilis , d. Bernardus (*in fine serm.2. de Assump. b.Mariae*), et Damascenus (*orat. de dormit. Deiparae*).
Lucerna inextincti luminis, d. Cyrillus (*homil. 6. in Nestor.*
Lucerna inextincta, (*Prov.* 31).
Lignum vitae, (*Gen.* 2).
Legi Purificationis sponte subiecta, Luc. (*c.2*).
Laetitia Israel, Iudith (*cap.* 13).
Lumen virginum, Nazianzenus (*carm. de Virg.*).
Laetitiae instrumentum, Andreas Hierosolym.
Liber comprehensus, qui Verbum Patris mundo legendum exhibuit , Epiphanius (*serm. de laud. Virg. Ioan. Pic. interpr.*).
Lumen studiosorum , sanctus Ephrem diacon. Eccles. Edessen. (*orat. de laud. Mar.*).
Lucida nubes, d. Hieron.
Lectulum floridum, (*Cant.* 1).
Lampas ardentissima , d. Bernardus (*in fin. serm.* 2. *de Assumpt.*).
Laetitia sanctorum , Ephrem (*orat. de laud. Mar.*).
Lumen Virginum , d. Gregorius Nazianzenus (*in Christ. patient.*).
Lucerna Ecclesiae, d. Bonav. (*in spec. b.Mar.*).
Lucerna micantissima , Ephrem (*in or. de laudib. Mar.*).
Lilium in medio spinarum , d. Chrysippus (*hom. 2. de patient. Iob*).
Laetitiae instrumentum, Andr. Hierosol.
Lucida nubes, d. Hieronym.

M

Magistra Evangelistarum , et doctrix Apostolorum.
Mater viventium , d. Epiphanius (*contr. haer. lib.* 3. *cap.* 2).
Mater Christi vera , Rupertus (1. *de operib. s. Spir. cap.* 10. *haer.* 78) , Chrysologus (*serm.* 140) , d. Augustinus (*ser. 2. de nativ.*).
Mater Verbi Dei , divus Damascenus (*orat. de dormit. b. Mar. seu de Assumpt. b. Mar.*) , Ildephonsus (*ser. 2. de nativ. b. Mar.*).
Mater summi , atque incommutabilis unigeniti Dei, divus Augustinus (*de fid. Patr.*).
Mater pulchrae dilectionis , Ildephonsus (*ser.* 1. *de Assumpt.*).
Mater Altissimi, Guericus (*serm.* 1. *de Ass.*).
Mater Creatoris nostri , Ildephonsus (*serm.* 3. *et* 4. *de Assumpt.*).
Mons Ephraim, Greg. Papa (*in l.* 1.*Reg. c.*1).
Mater luminis , d. Ioannes Damascenus (*in hymn. de Assumpt.*).
Mulier fortis , d. Bernardus (*homil.* 2. *super Miss. est*), Innoc. III.
Mater salutis , divus Bernardus (*serm. de Adv. serm.* 2. *de Assumpt. b. Mar. Prov.* 31), Dionysius Carthusianus (*lib.* 3. *de laudib. Virg. art.* 1. *et in* 3. *cap. Gen.*) , et divus Bernardus (*serm. de aqu. duct. in Nativ. b. Mar.*).
Mater gratiae , divus Anselmus (*lib. de excell. Virgin. cap.* 12).
Mater sempiterni gaudii , Andreas Hierosolymitanus (*in salut. Angel.*).
Mater, et genitrix vitae, d. Athanasius (*in Evang. de Deip. serm. contr. haeres.*).
Mulier amicta sole, d.Augustinus (*lib.de Symb. ad Catech. cap.* 1. *Apocal.* 12).
Mater omnibus modis irreprehensa, d. Bernardus (*in ead. verb.*).
Mater gloriosior , quam seraphim, Iacob , et Chrysostomus (*in Liturg.*).
Mulier circumdans virum , Hierem. (*cap.* 31), Ildephonsus (*lib. de perp. virg. et part. hom.* 2. *de beat. Virg. et in verb. Apoc.* 12), d. Augustinus (*serm.* 18. *de sanct.*).
Mater castissima, Ildeph. (*ser.* 6. *de Ass.*).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
CAPILLA ALFONSINA

Mater celeberrima, Ephrem (*orat. de laudib. beat. Mar.*).
Mulier duodecim stellis coronata, (*Apoc.* 12), Lucas (*c.* 2), Bernardus (*in eund. loc. Apoc.*).
Mater sacrosanctissima, d. Bernardus (*ser.* 2. *dom.* 2. *post oct.*), Epiphanius (*ser.* 1. *de Ass.*).
Mater Domini prae omnibus gloriosa, Ildeph. (*lib. de perp. virg. et partur. b. Mar.*), Leo Magnus (*homil.* 3. *in Evang.*), Euthymius (*in* 12. *cap. Matth.*).
Mulierum decus, Ildeph. (*ser.* 1. *et* 4. *de Ass.*).
Magistra gentium, divus Augustinus (*sub fin. serm.* 6. *de natal. b. Mar.*).
Mediatrix nostra, d. Epiph. (*ho. de laud. Virg.*).
Magistra, et illuminatrix Apostolorum, Idiota, nomine, re doctissimus (*libr. de contemp. de beat. Mar. cap.* 2), divus Antoninus (4. *part. summ. titul.* 15), et beata Birgitta (*de Virg. excell. orat.* 1).
Mediatrix salutis, divus Bernardus (*ep.* 174).
Margarita coelestis, Method. (*or. de hyp. Dom.*).
Mediatrix mundi, divus Bernardus (*epist.* 175. *et serm. sec. de adc.*).
Margarita Orbis terrarum preliosa, divus Cyrillus (*hom.* 6. *in Nest.*).
Mediatrix pacifica inter summa, et infima, Giselbert. (*in alterc. Synag. et Eccl. c.* 6. *et* 14).
Miraculorum effectrix, Andreas Cretensis (*in* 2. *enc. de dorm. Virg.*).
Mensa, in qua panis vitae est propositus, Georgius Nicomed. (*or. de ob. Deip. in templ.*).
Magnum mundi miraculum, Chrysippus (*in hypop. Domin.*).
Mons pinguis, (*Psal.* 67), Ildephonsus (*lib. perp. virgin. beat. Mar.*), Andreas Hierosolymitanus (*in salut. Angel.*).
Mansio Imperatoris coelestium, Ildephonsus (*cap.* 2. *de virg. Mar.*).
Mysticis praefigurata miraculis, (*Gen.* 8).
Mons Domino in vertice montium praeparatus, Isaias (*cap.* 2).
Mater, et Virgo singularis insignita titulis, divus Cyprianus (*serm. de Nat. Christ. tom.* 2.).
Mensa panis propositionis, (*Exod.* 25).
Medium terrae, d. Bernardus (*serm.* 2. *in die Pentec.*).
Mater honorificata, (*Eccl.* 15).
Mensa panis propositionis, Ioan. (*cap.* 6).
Mater misericordiae, (*Genes.* 3), d. Bernardus (*serm.* 2. *Dom. prim. post Epiph.*).
Mater sanctae spei, (*Eccl.* 24).
Mater pulchrae dilectionis, (*ibid.*).
Mirificum aurum, ex quo coelestis agricola suam sine semine spicam eduxit, Andreas Hierosolymitanus (*in explic. salut. Angel.*).
Mensa virginea, optimis quibusque cibis abundans, divus Epiphanius (*ser. de laudib. Virg. Ioann. Pic. integr.*).
Mundi salvatrix, Dionis. Richel. (*l.* 2. *de laud. b. Virg. art.* 9).
Mater matrum, Giselberius apud Trithemium.
Maria soror Moysis, (*Exod.* 6).
Mater et virgo incorrupta, d. Bonaventura (*in specul. Mar.*).
Mater Dei beata, d. Epiphan. (*lib.* 3. *haer.* 78).
Mater Dei sancta, d. Cyrillus (*hom.* 6. *in Nest.*).
Mater Dei penitus incontaminata, d. Iacobus et Chrysostomus (*in Liturg.*).
Mater Dei intemerata, Ioann. Constant. (*epist. ad Ioann. Episc. act. quart. Synod.* 4).
Mater Dei praestantissima, d. Dionys. Carthus. (*lib. de laud. Virg. art.* 3. *et l.* 2. *art.* 23).
Magistra Evangelistarum, et dociix Apostol.
Mater Christi, Mater Dei, Mater divinae maiestatis.
Medicina peccatorum.
Mortis destructrix.
Mater divinae gratiae, d. Anselmus.
Mater timoris, et ignitionis, idem auctor.
Magistra magistrorum, Rupert. Abbas.
Maria regis coelestis domus immaculata.
Origenes, Ecclesiasticae scholae apud Alexandriam facile princeps.
Magnificum divinae gloriae templum, divus Bernardus.
Margarita, d. Bernardus.
Martyrum honor, s. Ephrem diaconus Eccl. Edessen.
Mons in vertice montium, divus Greg. Magn.
Maria Christifera, Dion. Richel.
Mulier, sata tria fermento commiscens, Matthaeus (*cap.* 13).

N

Nardus, quae dedit odorem suum, (*Cant.* 1), d. Bernardus (*sub fin. ser.* 4. *de Ass. Mar.*).
Navis institoris de longe portans panem, (*Pr.* 31).
Nubes Domini levis, Isaias (*cap.* 19).
Nutrix nutritorum omnium viventium, Chrysologus (*ser.* 143. *in Evang. de Annunc.*)
Norma rectae fidei, d. Cyrillus Alexandrinus (*hom.* 6. *contr. Nestor.*).
Nutrix omnia nutrientis, sanctus Meth. mart.
Navis in medio maris, d. Bernardus.

O

Officina medicinae aegrotantibus, divus Ioann. Damasc. (*de dorm. Deip.*).
Obsequium devotionis, d. Ambrosius (*lib.* 2. *de virgin.*).
Oliva in domo Dei fructifera, Ildephon. (*ser.* 4. *de Assumpt.*), Georgius Nicomed. (*loc. proox. notat.*).
Oraculis praenunciata propheticis, Isaias (*c.* 7).
Orbis terrarum margarita pretiosa, divus Cyrillus (*hom. contr. Nestor.*).
Ordinata ab aeterno, d. Ioannes Damascenus (*lib.* 4. *cap.* 8).
Oleum effusum, d. Ambr. (*c.* 13. *in inst. virg.*).
Oliva speciosa in campis, Ildephonsus (*serm.* 1. *de Assumpt.*).
Olia regalis spei nostrae, d. Ambrosius (*in instit. Virg.*).
Ortus solis, nullum ferens occasum, Chrysip. presb. (*ser. de sanct. Deip.*).
Obses fidei nostrae apud Deum, d. Augustin. (*ser.* 6. *de Nativ. Virg.*).
Omnium cordis dolorum medicamentum, divus Ioann. Damasc. (*de dorm. Deip.*).
Ovis in medio luporum, d. Ioannes Chrysost.

Omnibus firmamentis firmius firmamentum, d. Bernardus.
Ornatissimum divinae gloriae templum, b. Andreas Hierosolymitanus.
Omnis sanctitatis thesaurus, Andr. Cret.
Omnibus omnia facta.
Orphanorum susceptio, s. Ephrem diaconus Eccles. Edessen.
Omnis puritatis receptaculum, s. German. patriarch. Constan.
Oliva fructifera, (*Eccl.* 24).

P

Pratum totius fragrantiae Spiritus sancti, Chrysipp. (*ser.* 2. *de sanct. Deip.*).
Paradisus voluptatis, Ephrem, Basilii Magni diaconus (*orat. de laud. b. Mar.*).
Promptuarium divinae charitatis, Method. (*or. de hypop. Dom.*).
Paradisus rationalis, d. Chrysostomus (*orat. de Annunc. Virg.*).
Porta coeli, Method. (*or. hab. ad hypop. Dom.*).
Propugnaculum fidei Christianorum, Andreas Cretens. (*in enc. de dorm. b. Virg.*).
Paradisus spiritualis, Iacob. (*in liturgia*).
Puteus aquarum viventium, Ildephons. (*serm.* 4. *de Assumpt. et ser.* 1. *de Nativ. B. Virg. et Cant.* 4), Chrysippus (*ser. de sancta Deipara*).
Patribus caelitus promissa, (*Gen.* 3).
Planta caelestis, d. Bernardus (*sub finem serm.* 2. *de Adventu*).
Porta Orientalis clausa, Ezech. (*cap.* 44).
Pulchra ut luna, (*Cant.* 6).
Palma in Cades, (*Eccles.* 24).
Plantatio rosae in Iericho, (*Ibid.*)
Plantatus iuxta aquas, (*Ibid.*)
Propitiatorium universae terrae, d. Bernardus (*serm.* 1. *de Assumpt.*)
Per quam post Deum totius vivit Orbis terrarum, (*Exod.* 25).
Praeconium Apostolorum, d. Cyrill. (*ho. con. Nest.*).
Pelagus gaudii inexhaustum, d. Ioannes Damascenus (*orat. de dormit. b. Virg.*).
Purpura regia, quae coeli, et terrae regem induit. Epiphanius (*ser. de laudib. Virg.*).
Pelagus curationum, d. Ioannes Damasc. (*orat. de dormit. B. Virg.*).
Palatium regis sacrosanctum, Andreas Hierosol. (*in salut. Angel.*).
Porta clausa, Ezech. d. Ieron. (*in Ez. l.* 13. *c.* 44).
Propitiatorium universi mundi, Andreas Cretensis (*de dorm. B. Mariae*).
Pudicitiae decus, Ildefons. (*loco notat.*), d. Ambrosius (2. *de Virg*).
Puella gratiosa, d. Basilius (*hom.* 25. *de humana Christi generat.*).
Puerpera sublimis, d. August. (*ser.* 2. *de Ass.*).
Purificatrix posterorum, d. Bern. (*hom.* 2. *de laud. Mariae super Missus est*).
Praemium gloriae nostrae magnum, Ildefons. (*c.* 12. *de virginit. s. Mariae*).
Palatium Regis angelorum animatum, d. Ioan. Chrys. (*in orat. de Annuncial. Virginis*).
Portus navigantium.
Promotrix iustorum.
Prophetissa.
Purificantis carbonis forceps, s. Method. mart.
Preliosa coelestis regni margarita, idem auctor.
Panis vitae, idem auctor.
Placida, et officiosa magistra poenitentiae, s. Igna. mart.
Parentum reparatrix, d. Ioann. Damasc.
Paradisi deliciae, idem.
Petra.
Patrum spes, sanctus Ephrem diac. Ec. Ed.
Praestantissimum Orbis terrae miraculum, s. Ephr. diac.
Pons per quem Deus ad homines descendit, Proclus Episcopus.

Q

Quae Elisabeth cognatam visitasti, Luc. (*cap.* 4).
Quae filium triduum quaesisti, (*Ibid.*).
Quae stabat iuxta crucem filii, Ioannes (*c.* 19).
Quam laudant astra matutina, ex Officio Eccl.

R

Remedium adversus daemones, d. Ioannes Damascenus (*ser. de dormit. Deiparae*).
Rubus ardens incombustus, (*Ex. cap.* 3), Chrysipp. (*ser. de sanc. De.*), Ildefons. (*ser.* 1. *de Ass.*).
Redemptio captivorum, Ephrem (*loco iam notato in orat. de laudib. Mariae*).
Regina varietate circumdata, (*Psal.* 4), Ildefon. (*ser.* 1. *et* 2. *de Assumpt.*), Athanasius (*homil. in Evang. de sancta Maria*).
Restauratio foeminarum, divus Fulgentius (*ser. de laudib. Mariae*).
Regina stans a dextris, (*Psal.* 4), Georgius Nicomed. Episcopus (*orat. de oblat. beatae Virg. in templo*), d. Athanas.
Radix floris speciosi, s. Method. mart. (*in orat. de hypopant. Domini*).
Regali progenie exorta, Matth. (*cap.* 17).
Regina caelorum, d. Augustinus (*serm.* 2. *de Assumpt. et* 33. *de sanctis*).
Radix Iesse, d. Hieronymus (*in c.* 11. *Isaiae*).
Regina a dextris filii astans, (*Psal.* 44).
Regina sanctorum omnium, Naz. (*car. de vir.*).
Radix bonorum omnium, Chrys. (*ser. de sanc. De.*)
Reparatrix vitae, divus Bernardus (*homil.* 2. *super Missus est*).
Receptaculum divinitatis, s. Serg. (*de Mar. nat.*).
Rebecca, (*Genes.* 22).
Regina mundi, d. Athanas. (*in Ec. de sanc. De.*).
Revocatrix Evae, Serg. Hier. (*de nativ. b. Vir.*).
Regina gentium, Ildefonsus (*serm. de Assump.*).
Redemptrix universi, Bernard. Buslens. (*in fine sui Marialis*).
Regina omnis humanae naturae, Andr. Cretensis (*in encom. de dormit. b. Mariae*).
Recuperatrix perditi Orbis, Bernar. Buslens. (*in fine sui Marial.*).
Regina clemens, d. Bernar. (*ser.* 4. *de Ass. b. Vir.*).
Renovatrix humanae naturae, Bernard. Buslens. (*in fine sui Marial.*).
Reparatio vitae, Ildefons. (*serm.* 1. *de Assump.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Reparatrix parentum, divus Bernardus (*homil. 2. de laud. Mariae super Missus est*).
Reparatrix Adae, Serg. Hierosol. (*de nat. b. Vir.*).
Restauratrix saeculorum, d. Bern. (*epis. 147. ad Canon. Lugdunen.*).
Refugium peccatorum.
Regis aeterni palatium, d. Bernard.
Rosa, divus Bernardus.
Rectae fidei sceptrum, et norma, Cyrillus Alexandrinus.
Rosa mystica.
Radix omnium bonorum, Chrys. Hieros.
Regeneratrix, et hera, d. Athan.
Rosa Iericunthina, (*Eccl.* 24).

S

Sancta Dei Genitrix, Ildef. (*in fine ser. 2. de Assumpt. eadem vocat idem ser. 2. de Nativ. et ser. 7. de Assumptione*).
Sedes glorificata, Deoque digna, Meth. (*in Thr.*)
Sedes eius, qui nullo capitur loco, Damascenus (*orat. de dormit. B. Mariae*).
Sancta Virgo virginum, d. Th. (*opus. 8. circa salut. Angel.*), Giselb. (*in altercatione Synagogae, et Ecclesiae c. 7*), Ildef. (*ser. de Ass.*).
Spes Christianorum sanctissima, Ephr. (*de la. V.*).
Sacrarium totius divinitatis, Petr. Damian. (*ser. 3. de Nativ. b. Virg.*).
Scala caelestis, Fulgent. (*ser. de laudib. Virg.*).
Scala ad caelos, et pons ad vitam, d. Augustinus (*ser. 2. in Nat. Deip. et 2. de Ass.*), et d. Ioannes Damas. (*in hym. quib. fest. Ass. cel.*).
Speculum sine macula, vel species totius castitatis, (*Sap. 7*), et Ildef. (*ser. 3. de Assum.*).
Stella fulgentissima, s. Ephrem (*in orat. de laudib. b. Virg.*).
Stella stellarum, Beda (*hom. in festo Annun.*).
Stella vitae, Hesychius (*ser. 2. de sancta Deip.*).
Soror, et sponsa Dei, (*Cant. 4*). d. Aug. (*ser. 6. in natali b. Mariae, qui est decim. de temp.*).
Sponsa individuae Trinitatis, Epiph. (*ser. de laudib. b. Mariae*).
Sacra, et animata Dei viventis Arca, d. Ioan. Damasc. (*hom. de dormit. Deiparae*).
Specimen gemmae, omne pretium excedentis, Chrysippus presbyter Hierosol. (*ser. de conc. Deipara*).
Sine peccato concepta, (*Cant. 4*).
Serpentis caput conterens, (*Gen. 3*).
Stella Iacob, (*Num. 24*), et d. Bern. (*in fine hom. 2. de laudib. Mariae*).
Scala coeli, (*Gen. 27*), divus Fulgentius (*ser. de laudib. b. Mariae*).
Speculum iustitiae, (*Prov. 8*).
Singulare virginitatis exemplar, Isa. (*cap. 7*).
Sponsa Dei, (*Cant. 4*).
Sancto Spiritu obumbrata, Luc. (*cap. 1*).
Solium gloriae Dei, Ier. (*cap. 11*), et Ildefons. (*serm. 7. de Assumpt.*).
Sacrarium Spiritus sancti, d. Cyprian. (*ser. de Nativ. Christi tom. 2*).
Sanctissimum Dei, (*Exod. 28*).
Spiritualibus deliciis affluens, (*Cant. 8*).
Super dilectum tuum innixa, (*Ibid.*).
Super choros angelorum exaltata, ex Officio Ecclesiae.
Sub cuius pedibus luna, Apoc. (*cap. 12*).
Super omnes speciosa, ex Officio Ecclesiae.
Signum, cui contradicetur, Timoth. presbyt. Hieros. (*oratione de propheta Simeone*).
Stella maris, Offi. Eccles. et d. Bern. (*ser. de nat. Mariae, et hom. 2. super Missus est*).
Sanctae religionis magistra, Rupert. Abbas (*lib. de operib. Spiritus sancti*).
Sacratissimum monstrum, et caeleste prodigium, s. Ignat. (*in epistola ad Ioan. Evang.*).
Solis ortus, qui nullum ferre potest occasum, Chrysipp. Hierosol.
Signaculum fidei, Ildefonsus (*ser. 4. de Assum.*).
Sancta tellus, ex qua novus Adam formatus est, Andr. Hieroso. Sacrarium Spiritus sancti, div. Hieron. (*contra Helvidium*).
Sacrum Dei fermentum, ex quo Christi corpus tamquam panis conficitur, idem auctor.
Scala Iacob, ex ser. d. Bernardi (11. *de Nativit. b. Mariae*).
Splendida lucerna relucens, Epiphan. (*serm. de laudib. Virg.*).
Salutis causa, Irenaeus (*lib. 1. contra haeres.*).
Sara, (*Gen. 11*).
Sunamitis, (*3. Reg. 1*).
Susanna, Daniel (*cap. 13*).
Sepulcrum novum, et signatum Christi, d. Hieron. (*lib. 1. cont. Iovinianum*).
Stella Iacob, d. Bern. (*hom. 2. super Miss. est*).
Syon sancta, Georg. Nicomed. (*or. de ob. De.*).
Stella maris, d. Bernar. (*ead. hom. 2. post. praedicta verba de stella ex Iacob.*).
Salus universorum, Giselb. (*in altercat. Synagogae, et Eccl. c. 7. et 14*).
Spes miserorum, Matth. Philadelph. (*or. ad Vir.*).
Spes veniae delictorum, d. Aug. (*ser. 2. de Annunciatione qui est 18. de sanct. tom. 1*).
Spes desperantium, Ephrem (*in or. ad b. Vir.*).
Scala peccatorum, d. Bern. (*ser. de Nativit. b. Mariae, et epist. 174*).
Sceptrum orthodoxae fidei, d. Cyrillus (*hom. 6. cont. Nestor.*).
Secretum verecundiae, divus Ambrosius (*lib. 2. de Virginib.*).
Sedes sapientiae.
Stella matutina.
Speciosissimi floris radix, s. Method. mart.
Spiritus sancti umbraculum, s. Method.
Spiritus sancti umbrosus mons, idem auctor.
Stella in medio nubium, divus Ioannes Chrys.
Salvatrix mundi, d. Bern.
Salus infirmorum.
Scala caelestis, d. Fulgentius.
Scala caeli, d. Fulgent.
Sanctitatis speculum, d. Laur. Iustinianus.
Sanctuarium Dei.
Sanctorum laetitia, s. Ephrem diac.
Solatium mundi, idem auctor.
Solatium miserorum.
Solatium gloriae Dei.
Signum contradictionis, Timoth. presb. Hieros.
Speculum sine macula.
Secundi Adami Paradisus, Procl. Episcopus.
Speculum angelorum.
Singulare perditorum refugium, Dion. Richel.
Speculum humilitatis.
Spes nostra.
Spiritu sancto plenissima.

Sponsa Dei Patris.
Spes unica peccatorum.

T

Terribilis ut castrorum acies ordinata, (*Cant. 4*).
Thuribulum aureum, Ephrem (*in orat. de laud. Mariae*).
Tutissimum singulareque perditorum refugium, D. Bonav. (*lib. 26. memorabilium*).
Turris eburnea, (*Cant. 4*), Pet. Damian. (*serm. 1. de Nativ. B. Virg.*).
Thronus Salomonis, (3. *Reg.* 10), Pet. Damian. (*ser. 1. de Nativ. beatae Mariae*), Richard. (*ser. 1. de Annunc. Domini*).
Templum pietatis, et misericordiae, d. Anselm. (*de excell. Virg. c. ult.*).
Turris Davidica, (*Cant. 4*).
Templum coeleste, Ildefons. (*ser. 7. de Assum.*).
Tabernaculum gloriae Dei, Ildefons. (*ser. 7. de Assumpt.*).
Templum divinae gloriae ornatissimum, And. Hierosol. (*in salut. angel.*).
Templum divinitatis, Ildef. (*ser. 3. de Assump.*).
Terra Domini benedicta, Arnobius (*in Ps. 84*).
Templum factoris sui, Ildephons. (*cap. 10. de Virg. S. Mariae*).
Templum misericordiae Dei, D. August. (*ser. 2. de Assumpt.*).
Thalamus sanctimoniae, d. Cypr. (*ser. de Nativit. Christi*).
Terra fonte irrigata, Beda (*in c. 2. Gen. tom. 1*).
Thesaurus sanctissimae sanctitatis, Andr. Cret. (*in encomio de dormit. b. Virg.*).
Thesaurus novi testamenti, et arca sanctificationis, Georg. Nicomed.
Terror daemonum, d. Bern. (*hom. 2. super Missus est, orat. de oblat. Deiparae*).
Thesaurus divinus, Damasc. (*in hymnis de Assum.*).
Terra sacerdotalis immunis, (*Gen. 47*).
Thesaurus dilectionis, Meth. (*in Thren.*).
Templum Domini, (3. *Reg* 8), et Ildefons. (*ser. 6. de Assumpt.*).
Thesaurus vitae immortalis, d. Ioan. Damasc. (*de dormit. Deiparae*).
Tabernaculum sui creatoris, (*Eccl. 24*).
Titulus nostrae libertatis nobilissimus, Ildeph. (*cap. 11. de virg. s. Mar.*).
Tabernaculum foederis, (*Exod. 31*).
Triclinium totius Trinitatis nobile, Matt. Philad. (*in precat. ad Virg.*).
Terra germinans Salvatorem, Isai. (*cap. 45*), et d. Bernard. (*init. serm. 1. sup. Miss. est*).
Terebynthus ramos honoris, et gratiae extendens, (*Eccl. 24*).
Turris David cum propugnaculis, (*Num. 35*).
Typus Ecclesiae sanctae, d. August. (*sub fin. ser. de Natal. b. Virg. qui est dec. de temp.*).
Templum inviolatum, d. Cyril. Alexand. (*hom. 6. contr. Nestor.*).
Totius fragrantiae partus, Chrysippus Hieros. (*ser. de s. Mar.*).
Turtur pudicissima, Apon. (*lib. 4. in Cant.*).
Thronus Dei, d. Augustinus (*in praef. libr. 1. de Ass. tom. 9*).
Tabernaculum Dei sanctissimum, Meth. (*hom. in hypop. Dom.*).
Templum sanctificatum, Iacob. (*in liturg.*).
Templum Dei vivi, Ildephons. (*serm. de Ass. et ser. de Nat. b. Mar.*).
Terra sitiens, et invia, Origen. (*ho. 17. in Gen.*).
Terra promissionis, d. Augustinus (*serm. post Domin. prim. quadr.*).
Terra, de qua veritas orta est, d. Bern. (*post med. serm. de aquaeduct. in Nativ. Mar.*), d. August. (*in Psal. 84*).
Terra, quae dedit fructum suum, Ildeph. (*loc. iam cit.*), et d. Bernardus (*ser. 4. de Ass.*).
Thalamus sponsi. d. Bern. (*ser. de Adv.*).
Tabernaculum foederis.
Thalamus pietatis, et gratiae.
Thalamus immaculatus, d. Bern.
Tuba lacte, et melle manans, d. Bern.
Tuba deserta, idem auctor.
Trinitatis complementum, Esychius (*serm. de s. Deipar.*).
Totius Trinitatis vivum tabernaculum, d. Augustinus.
Totius salutis exordium, b. Petr. Damian.
Tabernaculum sanctificatum Altiss. (*Psal. 45*).
Terra benedicta.

V

Vellus Gedeonis, (*Iudic. cap. 6*), d. Ambrosius (*ser. 13. de Nativ. Dom.*), Methodius (*or. ad hypop.*), Ildephonsus (*serm. 3. de Assumpt. et serm. 2. de part. beat. Mar.*), Cassiodorus (*in Psal.*), d. Bernardus (*in c. 12. Apoc.*).
Virgo beatissima, d. Augustinus (*serm. 2. de Annunc.*), Ildephonsus (*serm. 1. et 2. de Ass. et c. 1. de virg. b. Mar.*).
Virgo sapiens, d. Bernardus (*hom. 3. sup. Miss. est et ser. de Nativ. b. Mar.*), Ildephonsus (*ser. 1. et 4. de Assumpt.*), Rupertus (*lib. 4. in cap. 4. Matth.*).
Virgo sancta corpore, et spiritu, d. Hieronymus (*post init. ser. 1. de Assumpt. tom. 4*), d. Bernardus (*hom. 2. de laud. Mar.*), Ildephons. (*serm. 6. de Assumpt.*), Bruno (*serm. 1. de laud. b. Virgin.*).
Virgo decora corpore, et animo fulgida, b. Ildeph. (*ser. 4. de Assumpt.*).
Virga de radice Iesse, Isai. (c. 11), d. Hieronymus (*lib. 4. in Isai. 11. et epist. 22. ad Eust. de cust. virg.*).
Universas filias supergressa, (*Prov. 31*).
Virgo prudentissima, (1. *Reg.* 25).
Virgula fumi ex universis aromat, (*Cant.* 3).
Vas aureum, coelesie manna continens, (*Ex. 16*).
Virga florens, (*Num.* 7).
Virgini Ioanni commendata, Ioan. (*c. 19*).
Valicinium prophetarum, d. Hieronymus (*in cap. 6. Mich.*).
Vitis uvas pulchras producens, Chrysip. Hier. (*ser. de sanct. Mar.*).
Vas electionis, d. Cyprianus (*serm. de Nativit. Christ.*).
Virga florens Aaronis, d. Chrysost. (*in Gen.*).
Virga Moysis, d. Ambrosius (*ad Siric. Pap. lib. 10. epist. 8*), d. Bernardus (*ser. 2. in Miss.*).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Urna aurea habens manna, Andreas Hierosol. (*in salut. angel.*).
Virgo casta uni Christo desponsata, d. Bern. (*ser. 1. de Circumc. Dom.*).
Virgo electa, d. Bernard. (*ho 2. de laud. Mar.*).
Virgo admiranda, d. Bernardus (*hom. 2. sup. Miss.*).
Virgo benigna, Ephrem (*orat. ad b. Virg.*).
Virgo candida virtutibus, Ildephonsus (*serm. 6. de Assumpt.*).
Virgo clemens, s. Ephrem (*ub. sup.*).
Virgo dealbata Spiritus s. muneribus, Ildeph. (*ser. 6. de Assumpt.*).
Virgo devota, d. Bernardus (*hom. 1. et 3. sup. Miss.*).
Virgo fide perspicua, Ildeph. (*ub. sup.*).
Virgo fidelis, Rupertus (*libr. 4. cap. 14. in 1. lib. Reg.*).
Virgo foecunda, Ildeph. (*ser. 1. de Ass.*).
Virgo inviolata, Origenes (*ser. 2. de Ass.*), d. Damasc. (*in hymn. Assumpt.*).
Virgo incorrupta, d. Ambr. (*in Psal. 118*).
Virgo immaculata, Ildephonsus (*de perp. virg. b. Mar.*).
Virgo impolluta, Ephrem (*or. ad b. Virg.*).
Virgo inclyta, Ildeph. (*ser. 1. de Assumpt.*).
Virgo ineffabilis, Petrus Damian. (*serm. 2. de Nativ. b. Virg.*).
Virgo misericors, Ephrem (*or. ad b. Virg.*).
Virgo mirabilis, Ildeph. (*ser. 1. de Ass.*).
Virgo obaudiens, Irenaeus (*lib. 3. cap. 33*).
Virgo perpetua, Ildephonsus (*ser. 6. de Assump. et ser. de Purif.*).
Virgo praeclara, Ildeph. (*ser. de Ass.*).
Virgo praeclarissima, Andreas Hierosolymitan. (*in salut. angel.*).
Virgo pudica, Ildephonsus (*lib. de perp. virgin. et part. b. Virg.*).
Virgo pudicissima, idem Ildephonsus (*ser. 1. de Assumpt.*).
Virgo regia, d. Bernardus (*ser. 2. de Advent. epist. 174. ad Can. Lugd. de Conc.*).
Virgo sacra, Leo Papa (*ser. 3. de Nativ. Dom.*), Ildephonsus (*ser. 4. et 6. de Assumpt.*).
Virgo sancta, d. Cyrillus (*de rect. in Deum fid. ad Reg. et lib. 8. in Iul. epist. ad Nest.*).
Virgo sobria, d. Bernard. (*loc. iam not.*).
Virgo sincera, Ephrem (*in orat. ad b. Virg.*).
Virgo venerabilis, Ildephonsus (*serm. 23. et ser. 4. de Assumpt.*).
Virgo augustissima, Ildephonsus (*cap. 1. de virg. b. Virg.*).
Virgo castissima, d. Gregorius Nazianzenus (*in orat. de Chr. pat.*).
Virgo omni honore dignissima, d. Bernardus (*hom. 2. sup. Miss. est*).
Virgo florentissima, Giselberius (*de altere. cap. 7. et 14*).
Uberrimus totius sanctitatis fons, sanctus Method. martyr.
Virtutum operatrix, Rupertus Abbas.
Vitae genitrix, d. Bernardus.
Virga Aaronis.
Virginitatis corona, d. Cyrillus Alexandr.
Verbi Mater, d. Ioannes Damasc.
Vitae parens, d. Augustin.
Vilis veritatis fertilissima, et non vindemiata, d. Epiphan.
Virgo illustris, s. Germanus.
Unitarum inter se naturarum officina, Proclus Episcopus.
Virginis primiceria, d. Antoninus.
Virgo Virginum, Giselbert.
Virgo florentissima vita, et moribus praeexcellentissima, idem auctor.
Virgo dulcis, et serena, Innoc. Papa.
Vita nostra, (*in Cont. Salv. Reg.*).
Unicum molestiarum levamen.
Vas insigne devotionis, in Litania Deiparae.
Veritas Prophetarum.

Z

Zelatrix divinae legis.

HOMILIA XIV.

Prosequimur principale argumentum, singulare illud documentum tradentes, ad devotionem Virginis acquirendam, ut qui illam adipisci cupit, castissimum eius sponsum d. Iosephum speciali veneratione colat.

Inter obsequia Deiparae Virgini praestanda, ad eius devotionem obtinendam, illud magni momenti esse reor, ut sanctissimum Iosephum charissimum eius sponsum singulari cultu prosequamur: id enim Christo Domino, et eius Matri gratissimum fore ex multiplici capite haud temere mihi persuadeo, tum quia id ipsi nos exemplo suo docuere, qui tanquam caput filius sacrae familiae cum coluerunt: etenim Christus, ut ait d. Lucas, subditus erat eis; beata autem Virgo, cum coniux eius esset, divino oraculo Iosephum monente, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: et vir ut ait divus Paulus, caput sit mulieris, manifestum est se ei subiecisse, et illum tanquam caput suum coluisse. Quod si vulgo dici consuevit:

Regis ad exemplum totus componitur orbis;

certe cum Christus rex, et regina Maria varia observantiae, et comitatis obsequia divo Iosepho exhiberint, par est, ut et nos eorum exemplo permoti servitutis nostrae stipendia ei persolvamus: tum quia nemo ingenuus negat, quin obsequia filiis praestita a parentibus exhibita, et quae maritis praestantur, uxoribus eorum etiam facta censeantur. Cum ergo divus Ioseph legalis, et putativus Christi Pater fuerit: *Putabatur filius Ioseph*, nec non verus Virginis maritus extitit, *Ioseph virum Mariae*, sane obsequia ei facta, tanquam sibi exhibita suscipient illi: unde ad id respiciens eruditus, ac pius auctor Isolanus (3. *part. cap.* 4) dixit: *Gratissimum Deo non veremur dicere, si quispiam votis sanctum imploraverit Iosephum, et constanti teneamus fide, talia vota Deo immortali fore gratissima, nec non et Reginae angelorum.* Nec dubium quidem, rem acceptissimam nos facere Dei Filio, quando patrem eius putativum Ioseph talibus veneramur obsequiis: qui enim honorat patrem, honorat filium, qui sponsum diligit, et sponsam diligit, qui munera sponso donat, sponsam quoque gaudiis afficit; tum quia cum ad divum Iosephum quis convertitur, illum colendo, et auxilium ab eo implorando, perfecte implet consilium illud sancti Iob (*cap.* 5): *Voca, si est, qui tibi respondeat, et ad aliquem Sanctorum converterе:* in quem locum sanctus Thomas ait: *Ad aliquem sanctum hominem deprecare.* Quis autem quaeso sanctior homo Ioseph evangelico testimonio iustus cognominato? qui propter excellentem eius castitatem dignus habitus est Christi pater legalis, et Dei Genitricis sponsus fieri. Quare sicut olim illi patriarchae Ioseph omnes Ægyptii, obsequium se regi praestare putantes, ut revera praestabant, genuflectebant, ac variis modis ei famulabantur, ita vos securi, ac certi, quidquid in cultum divi Iosephi exhibueritis, tam Christo quam Virgini fore gratissimum, varia ei obsequia impendite. S. Isolanus (4. *p. c.* 7) huius veritatis non ignarus, audet dicere: *Cum Dei Filius intuetur in lumine gloriae quempiam sancto affici Ioseph, illius studere honori, eius implorare suffragia, gaudet profecto, ut filii sui nutritorem honoret: annuit votis, exaudit clementius, et pro paterna gloria abundantius munera impetrantibus effundit coelestia: an forte Regina mundi totis non optare animi sui votis gloriam sui verissimi sponsi et honorem dubitamus?* Unde idem auctor (3. *p. c.* 6) hoc salubre monitum nobis praebet in haec verba: *Quando b. Virginis Rosarium persolveris, non te pigeat in fine Rosarii, quaepiam in honorem sponsi sui Ioseph peragere: talibus enim tua Deo gratiora reddentur, quibus pariter coelum lactificabis, et terram.* Imo ex historia Orientali referi idem (3. *p. c.* 9) Christum Dominum dixisse ad Iosephum: *Ero auxiliator omni homini in ecclesia iustorum, qui in die memoriae tuae, o Ioseph, Deo sacrificia obtulerit, et qui meditabitur in vita tua, et in laboribus tuis.*

Tandem mihi sane videtur d. Iosephus, tanquam stipendium, et tributum sibi debitum, a nobis cultum, et singularem erga ipsum devotionem postulare posse, prout sapienter noster Bernardinus Senens. (*tom.* 3. *ser. de s. Ioseph* 2. *cap.* 2) ubi ait: *Si compares Iosephum ad totam Ecclesiam, nonne iste homo electus, et specialis, per quem, et sub quo Christus est ordinate, et honeste introductus in mundum? si ergo Virgini Matri tota Ecclesia sancta debitrix est, quia per eam Christum suscipere digna facta est; sic profecto post eam huic Iosepho debet gratiam et reverentiam singularem: ipse enim est clavis veteris testamenti, in qua patriarchalis et prophetalis dignitas promissum consequitur fructum. Certe olim in Ecclesia velo tegebatur, quantae dignitatis et sanctitatis esset Ioseph sponsus Virginis, et pater Christi putativus, sed scissum est velum templi, a summo usque deorsum, et per fidem Christi sacrosancta mysteria orbi universo pervenerunt, et in hoc coelorum regno, idest Ecclesia, apertum est Dei templum, et facta sunt fulgura, et voces Concionatorum, sequutae sunt voces Doctorum, quae de tanto et sanctissimo Iosepho noverunt, concionibus, et scriptis celebrarunt.* Ad quod respiciens Isolanus (3. *part. cap.* 6) dixit: *Spiritus sanctus non deficiet a nocendis cordibus fidelium, donec omne imperium militantis Ecclesiae exultans, divinum Iosephum nova prosequatur veneratione, condat coenobia, ecclesias, ac altaria in eius erigat honorem. Festa celebrabuntur, et ei vota vovent, et solvent cancti, aperiet Dominus aures praecordiorum intellectus, et viri magni scrutabuntur interiora Dei dona, abscondita in sancto Iosepho, et invenient thesaurum optimum, qualem apud sanctos Patres veteris testamenti non invenerunt: pinguedo enim, et abundantia donorum spiritualium in s. Ioseph spiritualiter micuerunt, ita ut similis ei non inveniatur. Sancti enim novi testamenti a Christo dicti sunt amici, Ioseph vero pater ab eo vocatus est: illi mundi Reginam coluerunt ut dominam, Ioseph autem ut sponsam. Benedicite igitur o populi s. Ioseph, ut benedictionibus repleamini: qui enim benedixerit tibi, erit et ipse benedictus; qui maledixerit tibi, in maledictione reputabitur.* Unde Hispalensis Ecclesia huius benedictionis participem fieri cupiens, solita erat in festo s. Iosephi hunc pium in eius laudem canere hymnum:

Hunc diem totum celebrem per orbem,
Virginis sponsi veneremur omnes,
Turba coelorum simul et beata,
Concinat hymnos.
Conditor mundi pius, et Redemptor
Coniugem Matri statuit pudicum,
Eius ut custos foret, atque testis
Virginitatis.
Tempus ut plenum fuerat salutis,
In virum Ioseph datus est Mariae.
Ex tribu Iudae, veniens ab alto
Sanguine regum.

Unde doctissimus Gerson (*serm. de Nativit. Virg.*) in Conc. Lugdunens. habito sic loculus est: *Congruit huic sanctae Synodo laudis aliquid, vel honoris instituere pro virginali sponso Mariae Ioseph, cuius honor redundat in ipsam, et in eum, qui de ea natus est, Iesum Christum, ut ita Mariae meritis, et intercessione tanti, tanque potentis, et imperiosi quodammodo patroni apud sponsam suam reddatur Ecclesia unico viro vero, et certo summo Pontifici sponso suo, vice Christi; et nos denique singuli Deo renascamur, hic per gratiam, et in futuro per gloriam.*

Porro, quia inter pleraque alia, quae a nobis cultum, et venerationem Sanctorum veluti extorquere resolent, motivum nostrae utilitatis ad id potissimum esse solet, operae pretium duxi de efficacitate intercessionis d. Iosephi super reliquos sanctos nonnihil disserere. Sane omnes isti servi Christi sunt, et ad neminem nisi ad Ioseph pertinent verba illa Virginis (*Lucae* 2): *Pater tuus, et ego dolentes quaerebamus te.* Si autem Deus voluntatem servorum timentium se facit, ut cecinit David, quanto magis Iosephi voluntati annuet, quem in spon

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sum suae Matris, et in patrem suum legalem, et nutritium elegit, et sub cuius tutela, et hospitio permultos annos infantiae, et pueritiae suae vitam transegit? quanta quaeso cum fiducia, quod olim Cicero ad Caesarem pro Deiotaro ipsius Caesaris hospite, orans dixit: per dexteram obtestor, quam hospes hospiti porrexerat, viro parceret, et obtinuit, dicere Christo potero: per dexteram, te Christe, obtestor illam, quam hospes quondam porrexisti Iosepho, mea mihi condones peccata, gratiae tuae recipias sub alas, meque hospitis tui chari indignum licet servulum protectionis tuae digneris beneficio fovere? Hanc Iosephinae intercessionis miram efficacitatem considerans acerrimus fidei defensor Ioan. Echius (*homil. 2. de s. Ioseph*) haec scribit: *Usque adeo mutua illa Iosephi cum Domino Iesu, et Virgine Maria conversatio, immensam eius arguit sanctimoniam, et dignitatem. Unde sperare liqueat, quod quidquid filium suum Christum rogaverit Ioseph, vel etiam coniugem dilectissimam Mariam, eius rei repulsam passurus sit nunquam. Vos itaque charissimi, nolite tam sancti viri oblivisci, quin eum sedulo invocate pio affectu, neque ille in necessitate vos deseret.* Et doctissimus Archiepiscopus Chrysostomus a Capite fontium (*l. de perpetua virginitate Mariae, et Ioseph*) explicatius: *Adhuc, inquit, vide filii regum quanta pro suis nutritiis faciant, et pro suis nutricibus, et quanta apud eos suis amicis possint impetrare.* Non credo Christum unquam oblivioni daturum, quantum Iosephus pro eo laboris sustinuerit, quantum illi debeat: atque ideo multa pro eo, et fecit semper olim, et in illius gratiam devotis eius facere paratus erit in aeternum. Leoni comparatur Christus propter animi generositatem, et nobilitatem. Leone autem nihil est magis gratum, et memor nihil, quod acceptum beneficium maiori cum diligentia, et animi gratitudine rependat. De leone de tribu Iuda non est, quod dubites, quin maiori sit generositate, quam ferox istud animal, quod illius est figura, praeditum. Quamobrem perpetua apud eum susceptorum a Ioseph obsequiorum memoria perseverat, et cum perenni memoria constans quoque atque perpetua, non dicam paria, sed infinita, uti, et liberalitas atque generositas eius infinita sunt, referendi: et statim exclamat dicens: *O beatum ergo virum hunc, cui contingit, talis filii esse nutritium, fratrem dici! o beatos eos, quos iste dilexerit, quos sub sua susceperit Sanctus iste protectione.* Nihil arbitror potentius ad divina charismata a Deo impetranda, quam scalam hanc ascendere, a Iosepho ad Virginem, a Virgine ad Christum, a Christo ad Patrem. Christus ostendit Patri plagas, et vulnera, Mater filio pectus, et ubera, Ioseph utrique callos, et dura, quae pro eorum subveniendis necessitatibus, fabrili arte laborando, pertulerat: nec enim ipse superne in eos dominabatur, sed pavit eos in innocentia cordis sui, et in intellectibus manuum suarum deduxit eos. Accedit quod aliis sanctis precandi data est facultas; auctoritas autem impetrandi Ioseph tanquam Patri uberius collata, quam antiquo patriarchae Ioseph Pharao contulerat: unde Gerson (*in sua Iosephina*) cecinit:

Quanta fiducia, quanta est
Vis impetrandi, quia dum vir, dum pater erat
Uxorem, et natum veluti imperium reputatur.

Et quidem, quum gratia in via sit, non destruit naturam, sed perficit, ut docet s. Thomas (*1. p. q. 1. art. 8. ad 2*); quanto melius, et perfectius gratia consummata in patria, quae quidem eadem numero perseverat, iuxta illud (*1. Cor. 13. cap. 8*): *Charitas nunquam excidit?* Ubi d. Thomas (*lect. 3 in principio*) sic explicat: Sensus Apostoli est: charitas nunquam excidit, quia scilicet, sicut est in statu viae, ita permanebit in statu patriae. Igitur sanctissimi illius respectus, et relationes, ut ita loquar, quae dum superstites erant, fuerunt inter Iesum, Mariam, et Iosephum, filiationes, et subiectiones perfectius in coelo suo modo permanebunt, ut apprime Gerson adnotavit (*serm. de Nativit. Mariae*).

Ad extremum illud etiam potentiam intercessionis divi Iosephi non parum commendat, quod reliqui Sancti certis, et singularibus necessitatibus subveniunt, et pro diversitate illarum, ad hunc, vel ad illum confugimus, ut pro gutturis infirmitate ad Blasium, pro dentium dolore ad Barbaram, pro rebus perditis ad Antonium. Unde d. Tho. ad id respiciens (*4. dist. 45. q. 5. art. ad 2*) ait: *Quibusdam sanctis datum est in aliquibus specialibus causis praecipue patrocinari, sicut sancto Antonio ad ignem: at sanctissimo Ioseph in omni necessitate, et negotio concessum est opitulari, et omnes ad se pie confugientes defendere, fovere, et paterno affectu prosequi.* Unde lib. vitae seraphicae virg. s. Theresiae Heliani Ordinis montis Carmeli restauratricis legimus, quod pia haec Mater hoc universale patrocinium frequenter experta, filias suas hortabatur, ut licet quam plurimos alios sanctos, patronos, et advocatos haberent, peculiari tamen devotione protectioni sanctissimi Iosephi confidenter se committerent, quia magna a Deo beneficia in qualibet necessitate eum debite invocantibus impetrabat.

Ad haec, quo plures quis habet actiones ad aliquam rem petendam, eo efficacius ius habet ad illam obtinendam: potest enim illis divisum, aut simul illis uti in iudicio (*l. non est novum digest. de actionibus empti.*) Manifestum etiam est, duo vincula esse uno strictiora, et amplius operari, ut habetur (*in authen. de consanguineis in principio, et authen. itaque, C. communia de successionibus*): in s. autem Ioseph tot, ac tam efficacia vincula, tot actiones, et iura concurrunt, ut nulla ratione intercessio eius repulsam pati queat: ille ab aeterno in caput clarissimae Dei familiae electus: ille dominus domus suae, et princeps omnis possessionis suae: ille vere Virginis sponsus, ille Christi putativus pater, ille nomen Iesu publice ei imponens, ille prudens, ac fidelissimus Virginis custos, ille carnis Christi nutritius, ille Matris Virginis solatium, ille infantis Christi tutor vigilantissimus, ille praefectus mensae Iesu, et Matris eius, ille socius individuus laborum utriusque, ille magister sacri Palatii, ille aulicus familiaris, et Christi cubicularius, et ille clavem auream, ad eum libere ingrediendi, et egrediendi semper deferens, ille legitimatus Christi defensor, ille Mariae honoris, et famae zelator, ille ferculum veri Salomonis, frequenter brachiis suis Christum infantem gestans, ille pro puero Iesu in templo praesentato siclos solvens, eius quo ad fieri potuit, et redemptor factus, ille ab insidiis, et nece Herodis in Ægyptum Christum ducens, Salvatoris fuit Salvator. Haec tam inviolabilia iura, quid quaeso, a Deo non obtinebunt? Et quidem si rex Pharao beneficium commune a patriarcha Ioseph acceptum ita gratificavit, ut illimitatam pro suis fratribus locupletandis facultatem liberalissime impenderet: ut enim legimus (*Genes. 47*): *Dixit rex ad Ioseph, terra Ægypti in conspectu tuo est, in optimo loco fac habitare fratres tuos*, quid, obsecro, quid, rogo, pro nobis omnibus s. Iosephi filiis, non gentilis rex Pharao, non Iosepho patriarchae Iacobi filio, sed Christus Rex regum, et Dominus dominantium, cuius voluntas est sanctificatio nostra, non liberaliter concedet? Sane quidquid petieritis Iesum in nomine Ioseph, dabit vobis. Quid plura? Cum sanctissimus Ioseph ex regia Davidis stirpe sit, ut testatur divus Lucas, eo quod esset de domo Davidis patris, suae liberalitatis haeres factus non solum quae petimus, liberalissime praestat, sed maiora malto iuxta verae nobilitatis morem, quam summus Pontifex Gregorius (*in cap. 1. de donationib.*) ita describit: *Hanc sibi quodammodo nobilitas legem imponit, ut debere se, quod sponte tribuit, existimet, et nisi in beneficiis suis creverit, nihil se praestitisse putet.* Probate ergo fratres, obsecro, et experiamini patrocinium sanctissimi Iosephi: et annuetis in vocem illam erumpentes, in quam regina Saba regi Salomonis (*3. Reg. 10*): *Verus est sermo, quem audivi in terra mea, et probavi, quod media pars mihi nunciata non fuit.* Non solum autem sanctissimus Ioseph liberaliter coelestia charismata suis precibus a Christo Domino efficaciter nobis impetrat, sed ad temporalia beneficia non dedignatur auxilium suum fidelibus impertiri: etenim in primis ipse custos est, et protector, et comes iter agentium, ac per loca periculosa peragrantium: nam ex his, quae ipse passus est, tum ut Caesaris Augusti edicto pareret, tum cum fugiens Herodis persecutionem in Ægyptum ire compulsus, et inde in partes Galilaeae, et a Galilaea in Iudaeam, sufficienter proficiscentibus, et peregrinantibus, succurrere didicit.

Unde Ioannes Echius (*homil. 1. de sancto Ioseph*) ait: *Omnes insuper, quibus periculosae instituuntur profectiones, locaque adeunda sunt parum tuta, semel se Ioseph committere debent, et ex illo comitatem, securitatem, tutelam, et intercessionem petere, et fideliter sperare.* Quod etiam mirabili exemplo comprobatum refert magister Gratianus Carmelitanus (*lib. 5. de sancto Ioseph c. 4. post princip.*): *Erat*, inquit ille, *quidam gravissimus pater Ordinis sancti Benedicti habitantium in conventu beatae Virginis montis serrati, devotissimus sancti Ioseph, qui meditabatur frequenter mysterium illud, et labores quos dum Christo Domino, et Deipara in figura in Ægyptum pertulit. Huic contigit, quod cum suum Conventum rediens, et obscura nox illum oppressisset, in quodam deserto monte feris truculentis, grassatoribus hominibus pleno, recta illinc itineris omissa via, huic sic desolato occurrit quidam homo iumentum agitans, cui pulcherrima mulier, parvulum infantem gestans in brachiis suis, insidebat, a quo religiosus ille rectam itineris viam edoceri postulavit; cui homo ille respondit, ut ambo simul pergerent, ipse enim probe iter illud noverat; cumque de rebus divinis colloquium miscuissent, monachus cor suum, prae nimia dulcedine, devotione, et suavitate intus ardere sensit, veluti discipuli illi, qui cum Christo Domino Emmaus versus euntes confabulabantur: cumque prope oppidum, quo religiosus ille tendebat, pervenissent, continuo homo ille, pulcherrima mulier, et speciosus prae filiis hominum puer disparuerunt; et devotus ille religiosus, quasi a somno excitatus, et ad se reversus dixit: Nunc scio vere, illos sanctissimum Iosephum, beatam Virginem sponsam suam, et puerum Iesum, qui est via, veritas, et vita, fuisse mihi socios, consolatores, et ductores extitisse, et per reliquum vitae tempus usque ad mortem in conspectu Domini pretiosam eorum, quae a Virgine, et Iosepho in via audierat, dulcis memoria, et meditatio immobiliter perseverarunt.* Unde merito b. Iosepho postulans, sic canebat olim Ecclesia Hispalensis in hymno eiusdem festivitatis:

O custos Matris Domini,
Devotos tuo nomini,
Ioseph alme, per aspera,
Salva semper, et prospera.
Adesse tuis famulis
Dignare dux amabilis:
Sentiat nostra pectora
Tua semper iuvamina;
Tu salus et protectio,
Nostraque iubilatio.

Rem aliam valde mirabilem memoriae commendandam refert Didacus de Iepes Philippi II. Hispaniarum regis a sacris confessionibus, et episcopus Tarraconensis (*lib. 2. vitae beatae Matris Theres. cap. 27*). Narrat ille, quod cum beata illa Mater cum aliis eiusdem Ordinis sanctimonialibus associata, spiritu Dei, ut pie creditur, actis, monasterium in oppido de Veas in radicibus montium, situm habente, sub invocatione sanctissimi Iosephi, proficiscerentur fundaturae, via regia penitus amissa, et ad loca lapidibus complantata, manifestis plena periculis, inter montium ad coelum ascendentium cacumina, et vallium ad abyssum descendentium pervenissent: tunc beata illa Mater filias sibi socias sic fuit confidenter alloquuta: *Eia, eia amantissimae sorores, hoc solum habemus residuum, ut oculos nostros ad Dominum humiliter convertamus, sanctissimique Iosephi patrocinium deprecemur, et in tam ingenti ruinae periculo auxilium imploremus.* O sancte, et mirabilis Deus in sanctis tuis: nec mora quidem a profundissima, et altissima voragine humana vox quasi cuiusdam viri grandaevi in hunc modum pro-

clamans audita est: *Sistite sistite iter, ulterius non progrediamini, nec moveamini: periculis aliquin absque dubio praecipites.* Cuius monitu aurigae currus stare fecerunt, cumque ab eis vir ille obnixe rogaretur: *Die, obsecramus, doce nos, rogamus, quid faciendum nobis est?* At ille statim respondit: *Omnes pariter versus unam signatam partem iter pedetentim arripite:* quae quidem non minus apparebat periculosa. Cumque illi omnes obtemperassent, et se miraculose a praecipitio ereptos conspexissent, vellentque hominem illum inquirere, ut ei debitas persolverent gratias; beata Mater eximia devotione, et lacrymarum profluvio perfusa, sociis sanctimonialibus dixit: *Frustra quippe aurigae conquisitum hominem invenire fatigantur, non invenirent: erat enim sanctissimus pater meus Ioseph, qui a periculis nos liberavit, viam nostram direxit, et in tuto nos collocavit.* Quod rei probavit eventus; nam aurigae usque ad voraginis profundum descendentes, nullum hominem, nec vestigium hominis invenientes, defessi rediere, et omnes unanimiter Deo, et sanctissimo Iosepho gratias exhibentes, reliquam itineris partem alacriter, et velociter peregerunt.

Beatus Ioseph adiutor, et protector est navigantium, qui in perpetuo fere versantur periculo: *Qui navigant mare,* inquit (*Ecclesiast.* 43), *narrant pericula eius, audientes auribus nostris admirabimur:* et (*Psalm.*106): *Qui descendunt mare in navibus, ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia eius in profundo. Descendunt usque ad coelos, et descendunt usque ad abyssos. Turbati sunt, et moti sunt, sicut ebrius, et omnis sapientia eorum devorata est.* Eorum etiam praecipue, qui naufragium passi sunt, se patronum ostendit, dominans potestati maris, et motum eius mitigans. Quod manifesto hoc exemplo confirmatur in authentica, et gravissima historia sacri, ac seraphici nostri Ordinis, quam edidit pater Ioannes de Fanno, cuius et meminit magister Gratianus (*loc. cit.*). Refertur, quod cum duo sanctissimi Iosephi devoti, et eiusdem Ordinis religiosi, Flandriam versus navigarent, navi cum multis hominibus demersa, ipsi quadam arrepta tabella, tribus integris diebus, ac noctibus Ioseph implorantes, super maris undas ambulaverunt: et quod tertia die super eadem tabella in medio eorum apparuit iuvenis eleganti forma, et decorus aspectu, qui eos dulciter, et affabiliter salutavit, eos bono animo esse iubens, erant enim iam quasi viribus deficientes; quo auxilio sani, et salvi evaserunt, et gratias agentes Deo pro beneficii accepti magnitudine, iuvenem illum rogaverunt, ut nomen suum eis revelare dignaretur, qui statim placido vultu se sanctum esse Iosephum ingenue fassus est.

Experientia item compertum est, tam uxores, quam viros zelotypiae stimulis agitatos ad d. Iosephum confugientes, divino auxilio suffultos, ab eo dolore liberatos, sicut et ipse eodem morbo laborans, angelum sibi loquentem audivit: *Ioseph, noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Moneo etiam eosdem coniugatos, ut infantem filium suum in lucem recens editum statim b. Iosepho, et b. Virgini offerant, et educandum tradant, obnixe deprecantes, ut velit illi esse pater, paedagogus, et tutor: et b. Virgo sponsa eius dulcissima mater utrique, et eorum cuilibet diceret: *Accipe puerum: futurum est enim, ut Herodes quaerat ad perdendum eum:* et beatae Virgini in particulari, quod regis Pharaonis filia dixit matri, licet non cognitae, infantis Moysis: *Accipe puerum istum, et nutri mihi, et dabo tibi mercedem tuam,* (*Exod.*2). Age iam Virgo sanctissima, misericordiae tuae sinus aperi, iste hic filius meus sit, quaeso, filius tuus: nutri, obsecro, eum, non mihi, sed tibi: in tua semper devotione permaneat, et ego dabo tibi mercedem tuam: hoc est, varia tibi obsequia incessanter impendam. Proculdubio infantem recipiet, et absque ulla comparatione ministerium excellentius praestabit, quam Moysis mater, licet alioquin haec illum nutrivit, infantem parum educavit, et adultum tradidit.

Iam finem dicendi facio, affirmans, felicissimos illos appellari, qui coeleste hoc donum devotionis erga Virginem, et Iosephum susceperint, et in ea ad mortem usque perseverarint: de illis enim haud insipienter dixero: *Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis, non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta,* (*Psal.*126): in quae verba Euthymius ait, antiquum morem fuisse hostium legatis, ut aule portas civitatis loquerentur. Nic. de Lyra legit, *In porta,* id est, in iudicio, quia iudices antiquitus in portis sedebant, et ibi coram eis aliquando factae sunt disputationes fidelium cum infidelibus Gloss. vero moralis ait: *Non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta,* scilicet mortis, in qua non confundetur a spiritibus malignis, quia Virgo sanctissima, felix coeli porta, suo patrocinio, et efficaci protectione ibi aderit. Unde (*Sap. cap.* 6) dicitur: *Facile videtur ab his, qui diligunt eam, et inventur ab his, qui quaerunt illam: qui de mane vigilaverit ad illam, non laborabit: assidentem enim illam foribus suis inveniet.* Non confundetur in porta, quia sanctissimus Ioseph, vir, et sponsus Virginis, tunc Sanctorum multitudine sociatus, sedebit in portis cum senatoribus terrae, auxilium et tutissimam protectionem humili devoto suo imperticiendo, iuxta illud (*Prov. ult.*): *Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus terrae.* Et forsitan nunc tibi continget, quod his verbis refert s. Gregorius (*libr.* 4. *dial. cap.* 15. 16. *et* 47): *Nonnunquam omnipotens Deus trepidantium mentes quibusdam prius revelationibus roborat, ut in morte minime pertimescant. Nonnunquam etiam in consolatione egredientis animae, ipsa apparere solet auctor, et restitutor vitae. Interdum etiam contingit iustis, ut in morte sua Sanctorum praecedentium visiones aspiciant, ne ipsam mortis suae sententiam poenalem pertimescant, sed dum eorum menti civium supernorum societas ostenditur, a carnis suae copula, sine doloris, et formidinis fatigatione solcantur;* haec divus Gregorius. Si beatae Virgini, et charissimo eius sponso divo Iosepho devotum, ac perseverantem praestiteris famulatum, non temere sperare poteris in hora mortis haec eadem beneficia te susceptorum, et tunc singulorum vultus intuens, dices, quod olim Iacob filio suo Iosepho (*Genes.* 46): *Iam laetus moriar, quia vidi faciem tuam.* Iam Christe Domine laetus moriar, quia vidi faciem tuam speciosam prae filiis hominum. Iam beata Virgo mater misericordiae, laetus moriar, quia vidi faciem tuam pulchram ut lunam: electam ut solem. Iam laetus moriar, dulcissime Ioseph, quia vidi faciem tuam similem valde pulchritudini Christi, et Mariae. Tunc tandem dulci concentu modulaberis, ut contemplatur Eusebius Emissenus (*de gloria Paradisi*): *Quam delectabilis repausatio post depositum gravis oneris faxcem? Quam dulce post longae captivitatis catenas ad charam patriam recuperata libertate remeasse? quam pretiosum post multa navigationis pericula ad optatam terram ac portum desiderabilem pervenisse?* Iam iam passer solitarius a mundi, et proprii corporis rete, et periculoso laqueo liberatus, invenit sibi domum. Iam iam turtur, cuius vox gemebunda, et desolationis plena in hac mortalium, et miserrima terra audiebatur, invenit nidum, ubi ponat pullos suos. Iam iam qui terram arcetem cum dolore colebat, aeternae beatitudinis patriam perennis consolationis irriguam videre incipit. Quam dilecta tabernacula tua Domine virtuum? Concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini. Iam iam lux splendens caelestis templa, et altaria incepit ostendere: altaria tua Domine virtuum rex meus, et Deus meus. Iam iam in altaria sacratissima, beatissimam scilicet Virginem, et sanctissimum Iosephum, quorum brachiis vera hostia, verum sacrificium, Verbum caro factum, Deus humanatus, et homo Deificatus gestabatur, nutriebatur, et secure, ac delitiose quiescebat; ad me venientes video: altaria tua Domine virtutum, Rex meus, et Deus meus. Iam iam choros utriusque sexus, Virginum beatam Virginem, et b. Iosephum comitantes, et mihi magna cum laetitia occurrentes videre incipio, eosque e longe resaltans clamito, beati, qui habitant in domo tua Domine; in saecula saeculorum laudabunt te. Concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini: cor meum, et caro mea exultaverunt in Deum vivum; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA MAGNA, ET ULTIMA

Prosequimur idem argumentum Iosephi, Virginis sponsi, varia praeconia decantantes, ad maiorem in animis fidelium devotionem erga illum excitandam.

Quamvis de hoc genere argumenti latissime disseruerim, praecipue (*libr.* 4. *et* 9), sanctissimi tamen Patris ac Domini mei Iosephi praeconiorum vena dives adeo, et locuples esse perhibetur, ut tametsi disertissimi doctores novas laudes incessanter ex ea hauriant: cum tamen illam exhaurire nequeant, maior enim est omni laude, quem Christus Dominus ineffabilis matris suae sponsi honore, ac patris sui legalis singulari praerogativa dignum iudicavit, necesse est, ut potius deficiant laudatores, quam materia laudandi: quae igitur alibi nos praetermisimus, nunc supplere properamus.

§. I.

DE SANCTIFICATIONE D. IOSEPHI IN UTERO MATERNO.

Gravissimi auctores constanter affirmant, beatum Iosephum fuisse sanctificatum in utero materno: unde ei dicere licuit (*Psalm.*70): *In te confirmatus sum ex utero, de ventre matris meae: tu es protector meus, in te cantatio mea semper:* ita doctissimus Gerson Cancell. Parisiensis (*in serm. de Nativ. Virginis*) in Concilio Constantiensi habito, ubi asserit, hoc contineri in officio Hierosolymitano de d. Ioseph composito, et Theophilus, Chrysostomus, ut refert Isidorus Isolanus (*lib. de s. Ioseph cap.* 9. *et* 10), Margarita Confessorum (*in part. ult. ex memorialibus*), Iacobus Christopolitanus (*super Cant. beatae Virg.*), Archiepiscopus de Capite Fontium (*libr. de perpet. Virgin. Mariae, et Ioseph*), ac pene innumeri moderniores, quos perlongum esset recensere: idque mihi persuadeo verissimum, quia omnis sanctificatio in utero fuit, aut propter sanctificati excellentem dignitatem futuram, aut quia ad Christum Sanctum Sanctorum speciali ratione ordinabatur; utrumque autem in nostro Ioseph excelluit: ipse enim iustus fuit, et primus, quem Spiritus sanctus canonizavit in novo testamento, vocans illum iustum: *Ioseph autem vir eius cum esset iustus,* et supra omnes viros ordinatus fuit prius, et immediatus ad Christi infantis tutelam. Igitur rationabiliter credimus in utero fuisse sanctificatum. Unde si Hieremias in utero sanctificatus legitur (*Hierem.*1): *Factum est ad me verbum Domini dicens: Priusquam te formarem in utero, novi, et antequam exires de vulva, sanctificavi te, et prophetam gentibus dedi te:* id quod ita fieri decuit propter expressiorem prophetiam, quam de Christo venturo editurus erat; potiori iure d. Ioseph sanctificari decebat propter expressissimam Christi notitiam supra cunctos viros, ac familiarissimam quam cum illo subiturus erat consuetudinem. Quod si Ioannes Baptista in utero fuit sanctificatus, ut dicitur (*Luc.* 1): *Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suae,* quia praecursor Christi, et clamosus eius praeco futurus, ac digito illum demonstraturus erat; quanto potiori iure s. Ioseph in utero sanctificari debebat, quia Christi Domini non praecursor, sed nutritius, non praeco, sed pater legalis, et Genitricis sponsus futurus erat?

Atque hinc etiam efficitur, ut sanctissimus Ioseph fuerit confirmatus in gratia ad similitudinem Apostolorum: ita docent Gerson (*in serm. de Nativit. Virg. et in sua Iosephina*), et

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON

clamans audita est: *Sistite sistite iter, ulterius non progrediamini, nec moveamini: periculis aliquin absque dubio praecipites.* Cuius monitu aurigae currus stare fecerunt, cumque ab eis vir ille obnixe rogaretur: *Die, obsecramus, doce nos, rogamus, quid faciendum nobis est?* At ille statim respondit: *Omnes pariter versus unam signatam partem iter pedetentim arripite:* quae quidem non minus apparebat periculosa. Cumque illi omnes obtemperassent, et se miraculose a praecipitio ereptos conspexissent, vellentque hominem illum inquirere, ut ei debitas persolverent gratias; beata Mater eximia devotione, et lacrymarum profluvio perfusa, sociis sanctimonialibus dixit: *Frustra quippe aurigae conquisitum hominem invenire fatigantur, non invenirent: erat enim sanctissimus pater meus Ioseph, qui a periculis nos liberavit, viam nostram direxit, et in tuto nos collocavit.* Quod rei probavit eventus; nam aurigae usque ad voraginis profundum descendentes, nullum hominem, nec vestigium hominis invenientes, defessi rediere, et omnes unanimiter Deo, et sanctissimo Iosepho gratias exhibentes, reliquam itineris partem alacriter, et velociter peregerunt.

Beatus Ioseph adiutor, et protector est navigantium, qui in perpetuo fere versantur periculo: *Qui navigant mare,* inquit (*Ecclesiast.* 43), *narrant pericula eius, audientes auribus nostris admirabimur:* et (*Psalm.*106): *Qui descendunt mare in navibus, ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia eius in profundo. Descendunt usque ad coelos, et descendunt usque ad abyssos. Turbati sunt, et moti sunt, sicut ebrius, et omnis sapientia eorum devorata est.* Eorum etiam praecipue, qui naufragium passi sunt, se patronum ostendit, dominans potestati maris, et motum eius mitigans. Quod manifesto hoc exemplo confirmatur in authentica, et gravissima historia sacri, ac seraphici nostri Ordinis, quam edidit pater Ioannes de Fanno, cuius et meminit magister Gratianus (*loc. cit.*). Refertur, quod cum duo sanctissimi Iosephi devoti, et eiusdem Ordinis religiosi, Flandriam versus navigarent, navi cum multis hominibus demersa, ipsi quadam arrepta tabella, tribus integris diebus, ac noctibus Ioseph implorantes, super maris undas ambulaverunt: et quod tertia die super eadem tabella in medio eorum apparuit iuvenis eleganti forma, et decorus aspectu, qui eos dulciter, et affabiliter salutavit, eos bono animo esse iubens, erant enim iam quasi viribus deficientes; quo auxilio sani, et salvi evaserunt, et gratias agentes Deo pro beneficii accepti magnitudine, iuvenem illum rogaverunt, ut nomen suum eis revelare dignaretur, qui statim placido vultu se sanctum esse Iosephum ingenue fassus est.

Experientia item compertum est, tam uxores, quam viros zelotypiae stimulis agitatos ad d. Iosephum confugientes, divino auxilio suffultos, ab eo dolore liberatos, sicut et ipse eodem morbo laborans, angelum sibi loquentem audivit: *Ioseph, noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Moneo etiam eosdem coniugatos, ut infantem filium suum in lucem recens editum statim b. Iosepho, et b. Virgini offerant, et educandum tradant, obnixe deprecantes, ut velit illi esse pater, paedagogus, et tutor: et b. Virgo sponsa eius dulcissima mater utrique, et eorum cuilibet diceret: *Accipe puerum: futurum est enim, ut Herodes quaerat ad perdendum eum:* et beatae Virgini in particulari, quod regis Pharaonis filia dixit matri, licet non cognitae, infantis Moysis: *Accipe puerum istum, et nutri mihi, et dabo tibi mercedem tuam,* (*Exod.*2). Age iam Virgo sanctissima, misericordiae tuae sinus aperi, iste hic filius meus sit, quaeso, filius tuus: nutri, obsecro, eum, non mihi, sed tibi: in tua semper devotione permaneat, et ego dabo tibi mercedem tuam: hoc est, varia tibi obsequia incessanter impendam. Proculdubio infantem recipiet, et absque ulla comparatione ministerium excellentius praestabit, quam Moysis mater, licet alioquin haec illum nutrivit, infantem parum educavit, et adultum tradidit.

Iam finem dicendi facio, affirmans, felicissimos illos appellari, qui coeleste hoc donum devotionis erga Virginem, et Iosephum susceperint, et in ea ad mortem usque perseverarint: de illis enim haud insipienter dixero: *Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis, non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta,* (*Psal.*126): in quae verba Euthymius ait, antiquum morem fuisse hostium legatis, ut aule portas civitatis loquerentur. Nic. de Lyra legit, *In porta,* id est, in iudicio, quia iudices antiquitus in portis sedebant, et ibi coram eis aliquando factae sunt disputationes fidelium cum infidelibus Gloss. vero moralis ait: *Non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta,* scilicet mortis, in qua non confundetur a spiritibus malignis, quia Virgo sanctissima, felix coeli porta, suo patrocinio, et efficaci protectione ibi aderit. Unde (*Sap. cap.* 6) dicitur: *Facile videtur ab his, qui diligunt eam, et inventur ab his, qui quaerunt illam: qui de mane vigilaverit ad illam, non laborabit: assidentem enim illam foribus suis inveniet.* Non confundetur in porta, quia sanctissimus Ioseph, vir, et sponsus Virginis, tunc Sanctorum multitudine sociatus, sedebit in portis cum senatoribus terrae, auxilium et tutissimam protectionem humili devoto suo imperticiendo, iuxta illud (*Prov. ult.*): *Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus terrae.* Et forsitan nunc tibi continget, quod his verbis refert s. Gregorius (*libr.* 4. *dial. cap.* 15. 16. *et* 47): *Nonnunquam omnipotens Deus trepidantium mentes quibusdam prius revelationibus roborat, ut in morte minime pertimescant. Nonnunquam etiam in consolatione egredientis animae, ipsa apparere solet auctor, et restitutor vitae. Interdum etiam contingit iustis, ut in morte sua Sanctorum praecedentium visiones aspiciant, ne ipsam mortis suae sententiam poenalem pertimescant, sed dum eorum menti civium supernorum societas ostenditur, a carnis suae copula, sine doloris, et formidinis fatigatione solcantur;* haec divus Gregorius. Si beatae Virgini, et charissimo eius sponso divo Iosepho devotum, ac perseverantem praestiteris famulatum, non temere sperare poteris in hora mortis haec eadem beneficia te susceptorum, et tunc singulorum vultus intuens, dices, quod olim Iacob filio suo Iosepho (*Genes.* 46): *Iam laetus moriar, quia vidi faciem tuam.* Iam Christe Domine laetus moriar, quia vidi faciem tuam speciosam prae filiis hominum. Iam beata Virgo mater misericordiae, laetus moriar, quia vidi faciem tuam pulchram ut lunam: electam ut solem. Iam laetus moriar, dulcissime Ioseph, quia vidi faciem tuam similem valde pulchritudini Christi, et Mariae. Tunc tandem dulci concentu modulaberis, ut contemplatur Eusebius Emissenus (*de gloria Paradisi*): *Quam delectabilis repausatio post depositum gravis oneris faxcem? Quam dulce post longae captivitatis catenas ad charam patriam recuperata libertate remeasse? quam pretiosum post multa navigationis pericula ad optatam terram ac portum desiderabilem pervenisse?* Iam iam passer solitarius a mundi, et proprii corporis rete, et periculoso laqueo liberatus, invenit sibi domum. Iam iam turtur, cuius vox gemebunda, et desolationis plena in hac mortalium, et miserrima terra audiebatur, invenit nidum, ubi ponat pullos suos. Iam iam qui terram arcetem cum dolore colebat, aeternae beatitudinis patriam perennis consolationis irriguam videre incipit. Quam dilecta tabernacula tua Domine virtuum? Concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini. Iam iam lux splendens caelestis templa, et altaria incepit ostendere: altaria tua Domine virtuum rex meus, et Deus meus. Iam iam in altaria sacratissima, beatissimam scilicet Virginem, et sanctissimum Iosephum, quorum brachiis vera hostia, verum sacrificium, Verbum caro factum, Deus humanatus, et homo Deificatus gestabatur, nutriebatur, et secure, ac delitiose quiescebat; ad me venientes video: altaria tua Domine virtutum, Rex meus, et Deus meus. Iam iam choros utriusque sexus, Virginum beatam Virginem, et b. Iosephum comitantes, et mihi magna cum laetitia occurrentes videre incipio, eosque e longe resaltans clamito, beati, qui habitant in domo tua Domine; in saecula saeculorum laudabunt te. Concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini: cor meum, et caro mea exultaverunt in Deum vivum; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA MAGNA, ET ULTIMA

Prosequimur idem argumentum Iosephi, Virginis sponsi, varia praeconia decantantes, ad maiorem in animis fidelium devotionem erga illum excitandam.

Quamvis de hoc genere argumenti latissime disseruerim, praecipue (*libr.* 4. *et* 9), sanctissimi tamen Patris ac Domini mei Iosephi praeconiorum vena dives adeo, et locuples esse perhibetur, ut tametsi disertissimi doctores novas laudes incessanter ex ea hauriant: cum tamen illam exhaurire nequeant, maior enim est omni laude, quem Christus Dominus ineffabilis matris suae sponsi honore, ac patris sui legalis singulari praerogativa dignum iudicavit, necesse est, ut potius deficiant laudatores, quam materia laudandi: quae igitur alibi nos praetermisimus, nunc supplere properamus.

§. I.

DE SANCTIFICATIONE D. IOSEPHI IN UTERO MATERNO.

Gravissimi auctores constanter affirmant, beatum Iosephum fuisse sanctificatum in utero materno: unde ei dicere licuit (*Psalm.*70): *In te confirmatus sum ex utero, de ventre matris meae: tu es protector meus, in te cantatio mea semper:* ita doctissimus Gerson Cancell. Parisiensis (*in serm. de Nativ. Virginis*) in Concilio Constantiensi habito, ubi asserit, hoc contineri in officio Hierosolymitano de d. Ioseph composito, et Theophilus, Chrysostomus, ut refert Isidorus Isolanus (*lib. de s. Ioseph cap.* 9. *et* 10), Margarita Confessorum (*in part. ult. ex memorialibus*), Iacobus Christopolitanus (*super Cant. beatae Virg.*), Archiepiscopus de Capite Fontium (*libr. de perpet. Virgin. Mariae, et Ioseph*), ac pene innumeri moderniores, quos perlongum esset recensere: idque mihi persuadeo verissimum, quia omnis sanctificatio in utero fuit, aut propter sanctificati excellentem dignitatem futuram, aut quia ad Christum Sanctum Sanctorum speciali ratione ordinabatur; utrumque autem in nostro Ioseph excelluit: ipse enim iustus fuit, et primus, quem Spiritus sanctus canonizavit in novo testamento, vocans illum iustum: *Ioseph autem vir eius cum esset iustus,* et supra omnes viros ordinatus fuit prius, et immediatus ad Christi infantis tutelam. Igitur rationabiliter credimus in utero fuisse sanctificatum. Unde si Hieremias in utero sanctificatus legitur (*Hierem.*1): *Factum est ad me verbum Domini dicens: Priusquam te formarem in utero, novi, et antequam exires de vulva, sanctificavi te, et prophetam gentibus dedi te:* id quod ita fieri decuit propter expressiorem prophetiam, quam de Christo venturo editurus erat; potiori iure d. Ioseph sanctificari decebat propter expressissimam Christi notitiam supra cunctos viros, ac familiarissimam quam cum illo subiturus erat consuetudinem. Quod si Ioannes Baptista in utero fuit sanctificatus, ut dicitur (*Luc.* 1): *Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suae,* quia praecursor Christi, et clamosus eius praeco futurus, ac digito illum demonstraturus erat; quanto potiori iure s. Ioseph in utero sanctificari debebat, quia Christi Domini non praecursor, sed nutritius, non praeco, sed pater legalis, et Genitricis sponsus futurus erat?

Atque hinc etiam efficitur, ut sanctissimus Ioseph fuerit confirmatus in gratia ad similitudinem Apostolorum: ita docent Gerson (*in serm. de Nativit. Virg. et in sua Iosephina*), et

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON

Gratianus (*lib.* 5. *de Ioseph c.* 5. *tit.* 1). Hinc consequenter dicendum, quod toto suae vitae curriculo nullum peccatum mortale commiserit, ut docet Augustinus (*de natura et gratia*), quem sequuti sunt multi recentiores, Gerson (*in sua Iosephina*), Margarita Confess. (*in quae ultima ex moralibus*), Fonseca (*in vita Christi*), Barrad. (*libr.* 6. *concord. cap.* 8. *prope fin.*), Gratian. (*lib.* 5. *de Ioseph c.* 5. *tit.* 1): id quod ex eo clare patet, quia effectus doni confirmationis in gratia est non peccare mortaliter, ut docet sanctus Thom. (3. *p. q.* 27. *art.* 6). Insuper arbitror b. Iosepho fuisse extinctum peccati fomitem, aut saltem ligatum, ita censet idem Gerson (*serm. de nativ. Mariae*), Ioannes Echius (*serm. de S. Iosepb*), Iacobus episcopus (*in cant. B. Virginis*), Bostensis (*in Mariat.* 4. *part. serm.* 12. *per totum*), Andreas de Soto (*lib. de Ioseph c.* 10), Canisius (*lib.* 2. *de Virgine cap.* 13. *post med.*), Salmeron (*tom.* 3. *tract.* 29). Etenim cum b. Ioseph a Deo fuisset b. Virgini datus in adiutorium simile sibi, maxime quoad dona et virtutes, concernentes communem matrimonii convictum, cui maxime congruebat extinctio, vel ligatio fomitis in Ioseph, Deus, a quo caeleste hoc matrimonium fuit specialiter ordinatum: *Qui attingit a fine usque ad finem, disponens omnia suaviter*, sicut b. Virgini fomitem extinxit, ut docuit d. Thom, sic et b. Ioseph; vel si non extinxit, saltem ligavit: etenim b. Virgo vitam actura erat cum sanctissimo Ioseph, et non uicunque, sed tam familiariter, ut a quotidiano viri conspectu, domesticoque convictu se minime abstineret: imo illum et comitem, et socium continuum haberet, is enim duxit illam in Ægyptum, et ab Ægypto reduxit, solusque cum sola tam longinquam, et tam secretam viam confecit, ut nullum periculum in suo purissimo caelibatu vereretur. Nec dubium prorsus, quin castissimus, et sincerissimus amor ex mutuis illis vitae communis officiis, atque obsequiis magis, magisque fuerit in dies confirmatus, et ad commodiorem Christi pueri educationem magnum fructum attulerit. Quid autem illi metuerent? cuius incontinentiae periculo subiacerent, tam firmis, et solidis divinae gratiae praesidiis communiti, ut lex carnis, et effraenis concupiscentia sanctum, et divinum in illis amorem nulla ex parte imminueret, atque labefactaret? Unde egregie Canisius (*lib. de Deip. cap.* 13) inquit: *De Ioseph scribit Gerson, in hoc iusto, et aeque casto viro peccati originalis fomitem, vel extinctum, vel depressum fuisse; sed et prorsus decuisse, ne praestans Virginis forma, et cohabitatio familiaris ipsum ad libidinem solicitaret, ac aliqua ex parte commoveret. Quamvis decor eximius et admirabilis Mariae nullum ad sordam carnis concupiscentiam incitabat.* Deinde originalis peccati effectus, quamprimum apparuit in motibus concupiscentiae inordinatis, ut (*Gene.* 2) legimus: ubi cum primi parentes in statu originalis insultiae essent nudi, non erubescebant. Igitur credendus est Ioseph ligatum habuisse fomitem peccati originalis etiam naturaliter, et absque deliberatione in quemplam concupiscentiae appetitum prorumperet eius sensus, dum in consortio Virginis versaretur, etenim appetitus operatur circa obiectum applicatum, nisi per actualem motionem a superiori potentia contineatur, quam naturalem inclinationem, et efficaciam non videntur soli habitus posse impedire: nam sicut vitia non sufficiunt ad tollendam inclinationem ad bonum, ita neque virtutes, licet alioquin perfectissime possunt tollere naturalem inclinationem appetitus ad sensibilia, quae interdum rationi repugnant, et ad illa nonnunquam moventur, nisi aliunde divinitus praeveniatur. Igitur cum sanctissimum Iosephum nullus prorsus libidinis motus unquam pulsaverit, manifeste efficitur, ut suaviter in eo omnis concupiscentia cessaret, fomitem in eo extinctum, aut ligatum fuisse non solum per habitus, et virtutes, sed et per divinam gratiam excitantem praevenientem, et illum adiuvantem.

Ad haec Virgo sanctissima castellum divinum est, in quod ingressus fuit Iesus (*Luc.* 2). Castellum enim a castitate dicitur, quasi castum lilium, ut docet Glossa ordin. ibi. Unde divus Bernardus (*ser.* 2. *de Assump. in princ.*) ait: *Quid introisse eum dicimus in castellum? etiam in angustissimum virginitatis uteri diversorium intravit.* In custodem autem fidelissimum huius castelli coelestis datus fuit b. Ioseph, contra Helvidium testatur divus Hieronymus. Cuiuscunque vero castelli custos, maxime a rege Hispaniarum constitutus, debet esse nobilis, atque adeo tributis ignobilium prorsus exemptus, ut habetur (*in lib.* 6. *et* 7. *titul.* 18. *part.* 2). Igitur cum sanctissimus Ioseph fuerit a Deo custos Mariani castelli constitutus, oportebat ne tributi illius solutionem subiret, de quo gemens divus Paulus (2. *Cor.* 12) dicebat: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* et (*ad Rom.* 7): *Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae.*

§. II.

DE NOMINIS IOSEPH EXCELLENTIA.

Nomen Ioseph ei divinitus, et peculiari Dei providentia ceutigit: ita Albertus Magnus (*sup. Miss. est cap.* 48), et Isolanus (1. *part. cap.* 2. *et cap.* 12. *per totum*), et cardinalis Toletanus (*sup. Luc. cap.* 1), explicans illa verba: *Cui nomen erat Ioseph.* Idque probant primo ex praecedenti typo, et figura. Nam Ioseph filius Iacob, de quo in Genesis capitibus multis diversa referuntur, in fide, quam domino suo servavit, non ausus impudice tangere dominam suam, et castitate consequenter, et mysteriorum revelatione, procurationis commissione, cibi conservatione, et terrae praelatione, istius Ioseph typum gessit: ille autem divino nutu nomen Iosephi accepit, quod augumentum interpretatur. Igitur et noster, ut figura respondeat figurato, maxime, quod significatio illa augmenti egregie in Iosephum convenit, ut his verbis honoravit Albertus Magnus (*sup. Miss. est*): *Proprietas, et significatio, quae incrementum sonat, optime congruit, quia per hanc dispositionem quantum ad proximum, et quantum ad Deum, sublimis fuit: virtutum videlicet augmentatione, famae celebritate, hominis reverentia, et dilectione, Matris Dei familiaritate, et divina, ut putabatur, paternitate.* D. Augustinus a significatione nominis laudes Sanctorum decerpit: etenim (*serm.* 1. *de s. Steph.*) sic ait: *Stephanus enim graece, latine corona appellatur. Iam coronae nomen habebat, et ideo palmam martyrii suo nomine praeferebat.* Unde cardinalis Toletanus (*sup. cap.* 1. *Luc.*) in illa verba: *Cui nomen erat Ioseph*, postquam dixerat cum divo Hieronymo augmentum significare, sic ait: *Ad hanc significationem alludens Iacob* (*Genes.* 49), *quando filio suo Ioseph benedixit, sic loquutus est: filius accrescens Ioseph, filius accrescens, quasi diceret; vere o fili Ioseph auctus es, et accrevisti, sicut nomen tuum significat: nam excelluisti, et in dignitatem provectus es tantum, ut omnium fratrum tuorum sis supremus, et qui natus pene ultimus eras, effectus sis primus honore. Hoc idem nomen sponsus b. Virginis ex divino consilio sortitus est, ut potiori iure de eo dicere possimus: vir accrescens Ioseph, vir accrescens; in tantam enim exaltatus est dignitatem, ut Matris Dei, cui inter puras creaturas, sanctitate, et dignitate nihil est aequale, meruerit esse verus sponsus, et unigeniti Filii Dei pater nuncupatus. Quibus duobus privilegiis, et titulis auctus est super omnes patriarchas, et prophetas, qui ante eum fuerunt. Quibus si adiungas, quod quem reges, et prophetae desideraverunt videre, et non viderunt, audire, et non audierunt, ipse non solum vidit, et audivit, sed in ulnis saepe portavit, frequenter amplexus, et osculatus est, per plures annos cibavit, vestivit, et paternis officiis ipsi ministravit, iure profecto nomen hoc adeptus videbitur:* et paulo inferius de augmento spirituali nostri Ioseph agens subdit: *Si vero virtutem animi spectes, non inferiorem, aut aequalem illi Patriarchae filio Iacob, sed longe superiorem, invenies. In illo enim Ioseph castitas mirifice commendatur, ut refertur* (*Gen. cap.* 30), *dominae sollicitanti ad peccandum, non solum non acquievit, sed etiam elegit potius iram domini sui pati, et peccatorem reputari, quam crimen contra Deum committere: vere magna castitas est haec. At quis non admiretur nostrum Ioseph, qui per plures annos cum Virgine pulcherrima sponsa sua ita conversatus est, ut tamen neque ullo verbo, nec cogitatione, neque motu interiori, qui minus cum summa puritate conveniret, quique solet in sanctissimis viris, vel ex aliqua levi causa subrepere, fuerit inquinatus.*

Denique filium, si non parem, saltem non degenerem sponsum matris suae eligere aequum erat: nam quibus Deus munus iniungit, pro muneris qualitate solet communicare perfectionem: id quod non obscure adumbratum fuit in melioratione facta a Patriarcha Iacob dilecto filio suo Ioseph, figura nostri, qui morti proximus sic cum fuit alloquutus (*Genes. cap.* 48): *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhaei in gladio, et arcu meo.* Hanc autem partem fuisse beatae Virginis figuram omnes fatentur: tulit enim eam Deus de manu Amorrhaei in gladio, et arcu suo: non enim contentus fuit eam liberare in gladio, qui in propinquum suum effectum operatur, eam in toto vitae curriculo servans ab omni actuali peccato, etiam veniali; sed etiam arca, qui in remotum vindictam operatur, praeliberans eam ab originali. Fuit praeterea beatus Ioseph auctus super omnes homines: nam ceteris Christus Dominus partem sui commisit, caput praecursori Ioanni in baptismo praebuit, Ioanni Evangelistae pectus in coena, Thomae Apostolo vulnera, Magdalenae pedes, principi Apostolorum Petro, et successoribus eius potestatem, et claves; sanctissimo autem Ioseph, ut cui conveniat illud (*Eccles. cap.* 4): *Unus est, et secundum non habet*, certe Christus Dominus se totum integrum filiali affectu tradidit per multorum annorum curricula gubernandum, nutriendum, ac paternis officiis pertractandum. Fuit praeterea sanctissimus noster Ioseph accrescens, et auctus in zelo divinae gloriae, et conversionis animarum: nam si de patriarcha Iosepho, qui nostrum adumbrat, dixit divus Cyrillus episcopus Alexandrinus (*lib.* 10. *in Gen. ad fin. tom.* 1): *Ioseph enim additio Dei interpretatur: addita enim Ecclesia gentium gregibus Israel est, et in innumerabilem gentium se multitudinem propagavit, unde Salvator noster ait: Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor.* (*Ioannis capit.* 10); quanto praestantius, et verius poterit hoc dici de sanctissimo sponso Virginis, de quo divus Bernardinus Senensis (*tom.* 3. *serm.* 1. *de sanct. Ios. art.* 2. *cap.* 1) ait: *Credo, istum virum sanctum Ioseph fuisse sollicitissimum pro omnium salute ad similitudinem sponsae suae.* Et Isolanus (4. *part. cap.* 4) ait: *Plus est Christum praedicare facto, quam verbo.* Ioseph autem Christum factis summopere praedicavit; quibus quidem occasionem universo praestitit orbi, ut converteretur ad adorandum verum Deum hominem factum. Itidem veri praedicatores de sursum illuminantur, suo tempore loquuntur, et ad verum Deum cognoscendum quoscunque convertere conantur: Ioseph quidem ab angelis fuit illuminatus, quibuscum conversabatur, suo tempore loquutus est. Verba enim praedicatoris fumus sunt divini ignis in corde ardentis, atque in Christi cognitionem mortales ad vitam aeternam deducere salagentis: Ioseph multos per annos habitantem in Ægypto meditemur. An non credimus, illum saepissime exhortatum fuisse eos, cum quibus conversabatur, Ægyptios, ut Deum verum colerent? maxime quando contingeret eos audire Messiam, promissum in lege Iudaeorum, advenisse, et ut crederent, nervo se suasisse? Nec tantum beatus Ioseph praedicator extitit Apostolicus, sed etiam typus fuit, et exemplum praedicatorum, ut divus Hilarius (*sup. cap.* 2. *Matth.*) his verbis adnotavit: *Ioseph sponsus Virginis circumferens Christum nunc in Ægyptum, nunc in Iudaeam, designat Apostolos Christum praedicantes Iudaeis, et Gentibus.*

Fuit etiam sanctissimus Ioseph auctus, quatenus nomen eius frequentissime in Evangelio

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN

repetitum invenitur: etenim (*Matth. cap.* 1): *Ioseph eirum Mariae, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus:* et infra: *Cum esset desponsata mater Iesu Maria Ioseph:* ac deinde: *Ioseph autem vir eius cum esset iustus:* et postmodum: *Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam:* et rursus: *Exurgens autem Ioseph a somno, fecit sicut praecepit ei angelus Domini:* et (*cap.* 2): *Ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph:* et infra: *Defuncto autem Herode, ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Aegypto:* et (*Luc. cap.* 1): *Missus est angelus Gabriel ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph:* et (*cap.* 2): *Ascendit autem et Ioseph a Galilaea:* et ibidem: *Invenerunt Mariam, et Ioseph, et infantem:* et (*cap.* 3): *Putabatur filius Ioseph:* et (*cap.* 4): *Nonne hic est filius Ioseph?* et alibi sub nomine parentis. Quod quidem mira Dei providentia gestum non dubitamus, ut optime advertit Albertus Magnus (*sup. Mis. cap.* 47) in haec verba: *Ut iustus apud Deum demonstretur Ioseph, cuius nomen, tanquam in libro vitae scriptum, in Evangelio siquater exprimitur, ut notae hominibus intelligatur, qui testis virginitatis beatae Virginis adhibetur, ut nomen eius digne in memoriam hominum veniatur, qui in patrem Dei assumitur putativum.* Et divus Bonaventura (*epuse. de vit. Christ. cap.* 6): *Vere de sancto Ioseph dici potest,* ait, *quod laus eius in Evangelio.* Recte quidem in Ioseph convenit, quod de s. Iosia dicitur (*Eccles.* 49): *Memoria Iosiae in compositione odoris, opus pigmentarii, in omni ore, quasi mel indulcebitur eius memoria, et ut musica in convivio vini.* Est enim nomen Ioseph, ut (*ibid. cap.* 50) de Simone Oniae filio dicitur: *Quasi arcus fulgens inter nebulas gloriae, et quasi flos rosarum in diebus vernis, et quasi lilia, quae sunt in transitu aquae, et quasi thus redolens in diebus aestatis, quasi ignis effulgens, et thus ardens in igne, quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso.* Et tandem non solum in terris apud homines, sed etiam in coelis apud Deum, angelos, et homines glorificatos, honorabile est hoc sacrum nomen, ut pulchre satis his verbis Isolanus (4. *part. cap.* 7): *Quantis plausibus, qua laetitia, quibus honoribus, ac praeconiis personare coelestem credimus Hierusalem, cum Ioseph nominatur? quem parentem Deus ipse vocare dignatus est, quem Regina angelorum sponsum amantissimum adhuc clamitat.*

His omnibus addo non sine maxima, et peculiari Dei providentia fuisse factum, nullum huius nominis Ioseph appellatione in Christi Domini Apostolatum fuisse admissum; ut enim constat (*Act. cap.* 1), Apostoli agentes de substitutione facienda in locum proditoris Iudae: *Statuerunt duos, Ioseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus, et Matthiam;* et per divinam sortem electus, et praelatus fuit Matthias: *Dederunt sortes eis, et cecidit sors super Matthiam, et annumeratus est cum undecem Apostolis.* Ambo, Ioseph scilicet, et Matthias, erant Christi discipuli, ambo servi Dei; Ioseph tamen ab Apostolis primus nominatus: *Statuerunt duos, Ioseph, qui cognominatus est Iustus, et Matthiam.* Primo autem loco nominatus, solet ceteris paribus praeferri, ut habetur (*in l. quoties, ff. de usufructu*), et ex plurimis iuribus, et doctoribus resolvit Tiraquellus (*lib. de iure primogenitorum*). Unde d. Laurentius Iustinianus (*in conc. Sancti Matthiae Apost. post med.*) dixit: *Quis non praetulisset ex his Ioseph Iustum cognomento, et vita: et tamen aliter iudicavit omnipotens, cuius iudicia longe ab humanis dissimilia sunt.* Quod si dicas duorum propositorum adhuc liberam esse cuiusque electionem ceteris paribus; certe in unius tantum electione idipsum contigisse video: nam, ut dicitur (*Actor. cap.* 4) Apostolus Barnabas, cum antea Ioseph nominaretur: *Ioseph autem qui cognominatur Barnabas,* nomine Barnabae servato. Ioseph appellationem reliquit. Sane, ni fallor, haec ita contigisse arbitror, ut singularitas, et excellentia huius nominis Ioseph in beato nostro Iosepho solum effulgeret. Unde Isolanus (*parte* 4. *cap.* 7. *post medium*) ait: *Amicos Christus vocavit Apostolos, Iosephum patrem ipse Deus, et homo nominabat:* et (3. *parte cap.* 18) sic ait: *Sunt autem quatuor proprietates Apostolicae dignitatis. Annunciatio Evangelii: Eontes praedicate Evangelium omni creaturae. Illuminatio: Vos estis lux mundi. Reconciliatio: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Et per Spiritum sanctum loquitur: Non enim estis vos qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Hae proprietates dignissimae sunt, quae sunt immediate a Christo, et sub Christo, et propter Christum. Proprietates vero sancti Ioseph fuere, desponsatio Reginae coelorum, nominatio Patris regis angelorum, defensio Messiae promissi in lege Iudaeorum, educatio Salvatoris omnium. Et hae proprietates sunt immediate super Christum, ad Christum, et propter Christum. Quisquis ergo ingenio pollet, rerum divinarum praemissa veritate discurre, arque, concludo ab Apostolicae comparatione maiestatis ad coelestem Ioseph dignitatem, quanta sit illi praestita dignitas, sanctitudo, ac virtutum inexplicabilis perfectio. Accede ad cor altum, et non deprimetur, aut humilior erit apud te maiestas Apostolici culminis, sed exaltabitur Deus in latentibus donis patris sui putativi Ioseph. Quamobrem mens contemplationi dedita, ingreditur locum, quem calcamus, refugit, intelligat animus, quod verba exprimere declinant: admiretur ingenium, quod scripta non attingunt: veneretur denique totus homo quod coelesti tectum gloria latet;* haec ille.

Ex quo facile colligemus, valde rationi esse consonum, nostrum beatum Ioseph prae omnibus aliis, quacunque ratione Christo Domino conjunctis, nomine augmenti pleno esse decorandum. Quod si, ut iura disponunt, possit vir nobilis prohibere, ne quispiam alienae familiae arma sua deferat, aut maiorum suorum nomine appelletur, ut traduat Bartolus (*in tract. de insigniis, et armis*), et Cassaneus (*in Catalogo gloriae mundi*, 1. *parte*), et Tiraquellus (*de nobilit. cap.* 6); certe b. Ioseph omnium nobilissimus, et ex Davidica regali porgenie descendens, iure poterat impedire, ne quispiam suo nomine insigniretur. Quod si ille, qui Christi corpus sepelivit, Ioseph est appel-

latus, divino consilio factum puta, quia sicut Ioseph noster, corpus saepe tangere, pannis involvere, et attrectare debebat, idem etiam illum praestare oportuit, ut divus Matthaeus (*cap.* 27) narrat: *Venit quidam homo dives ab Arimathea, nomine Ioseph, qui et ipse discipulus erat Iesu; et accepto corpore, Ioseph involvit illud in syndone munda, et posuit illud in monumento suo novo, quod excciderat in petra.* Cum igitur hic fuerit in locum, et ministerium nostri beati Ioseph quodammodo substitutus, mirum non est, si eodem nomine gaudeat, cum subrogatus sapiat vicem eius, in cuius locum subrogatur, ut habetur in l. decernimus, ubi Bartolus C. (*de aquaeductu libr.* 11), et resolvit Tiraquellus (*de iure primog. quaest.* 40).

§. III.

DE PULCHRITUDINE CORPORALI, ET SPIRITUALI D. IOSEPHI, UBI DE QUADRUPLICI EIUS IUSTITIA.

Cum corporis pulchritudo naturale Dei donum sit, ut dixit d. Augustinus (*lib.* 15. *de Civ. cap.* 22), ambigendum non est, Christum, Mariam, et Iosephum, inter quos mira fuit conformitas, naturali pulchritudinis dote minime caruisse. De Christo Domino id cecinit regius vates (*Psalm.* 44): *Speciosus forma prae filiis hominum:* de utraque enim pulchritudine spirituali, et corporali loquutum fuisse ibi Davidem, testatur divus Thomas (*in commentario huius loci*), ubi in eius confirmationem adducit verba divi Augustini de Christo dicens: *Nobis cernentibus ubique speciosus, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher deponens animam, pulcher in patibulo, pulcher in limbo, pulcher in coelo.* Beatam autem Virginem pulchram commendat sponsus, ut lunam (*Cantic.* 6), et ibidem: *Pulchra es, suavis, et decora:* super quae verba Ugo de sancto Victore ait: *Quam pulchra, et suavis, quam scrutator rerum probat, quam inspector cordium laudat, quam diligit auctor pulchritudinis, cui testimonium magister veritatis praebet.* Divum tandem Iosephum pulcherrimum fuisse, ita ut post Virginem matrem nullus fuerit Christo similior, docuerunt Iustinus Martyr (*in Dialogo contra Triph.*), et Lexicon Theologicum verbo *Ioseph*, et doctissimus Gerson Cancellarius Parisiensis (*in serm. de Natiu. b. Mariae*), habito in Concilio Constantiensi, et (*in sua Iosephina*), auctor summae Margaritae confessorum, qui (*in quaest. ultima ex moral.*), quas posuit in laudem sanctissimi Ioseph, compendiose dixit: *Ioseph fuit Christo simillimus, et per consequens formosissimus.* Et Bernardinus Buslensis (4. *parte serm.* 12), et Isolanus (4. *part. cap.* 9. et 1. *parte, cap.* 11. *et* 12), idque iam, ut commune receptum est a apud fideles, ut quam plurimi nostri temporis scriptores ingenue fatentur, et ratio opitulatur; tum quia teste Aristotele (*lib.* 2. *de anima cap.* 4. *textu* 34), naturalissimum est omnibus viventibus, natura non errante, generare sibi simile, non solum secundum essentiam, sed et secundum accidentia corporalia, Æthiops generat Æthiopem, leprosus leprosum, pulcher pulchrum; sanctissimus autem Ioseph perpulchros habuit parentes, quos refert divus Matthaeus in eius genealogia, Davidem, Salomonem, Iacobum, Thamarem, et alios etiam proximiores, et in eo terminata fuit linea regiae illorum prosapiae: quis autem credat in deformitate fuisse terminatam? Tum id colligitur ex fine, ad quem fuit ordinatum matrimonium inter Virginem, et Iosephum, scilicet propter honorem Virgini debitum conservandum, et ipsi etiam Christo Domino, ut filius Ioseph putaretur, ut Patres omnes adnotant: at Christus Dominus speciosus fuit super filios hominum: ergo, ut facilius finis filiationis putativae obtineretur, oportebat Iosepham esse similem Christo, atque adeo pulcherrimum: quod egregie sic cecinit Gerson (*in sua Iosephin. in fine*):

> Personas inter similes est nexus amoris,
> De Iosephat ratio suadet, sua quod facialis
> Forma Iesu ferme similis reputando fuisset.
> Si non quo pacto pater eius creditus esset;
> Qualiter omnimodo matris servasset honorem?
> Disparitas vultus prolis cum patre putato.

Unde in dubio illius, cuius filius esse putatur, cuius faciem, formamque refert, indicatur; ut si dubitatur, utrum filius sit prioris, an posterioris mariti, ut traduat Dynus (*in lib.* 3. *l. si duobus ff. de adimendis legatis*), Albericus (*in l.* 7. *mense, circa med. ff. de statu hominum*), Iason, et Doctores (*in l. Gallus. in princip. ff. de liberis, et posthumis*), Baldus (*consil.* 390), Fulgosius (*cons.* 212), Alciatus (*in l. quaeret. ff. de verbor. significat.*), et alii, quos refert, et sequitur Tiraquellus (*in lib.* 7. *connub.*). Et quidem, ut philosophorum more loquar, individuatio est de substantia individui; anima autem individuatur per ordinem ad corpus, atque adeo, quo melius fuerit corpus, meliorem sortietur animam, quae occasione corporis, et dispositionum ex nihilo creatur a Deo, ut tradit divus Thomas (*lib.* 1. *contra Gentes cap.* 3). Ut autem loquitur Isolanus (1. *part. cap.* 11. *in principio*), anima sanctissimi Ioseph fuit ab aeterno a Deo electa, et in utero matris sanctificata, et miris donis, et gratiis ornata, ut posset esse dignus Virginis sponsus: igitur tali animae corpus pulchrum, et recte compositum, erat debitum, dicente divo Ambrosio (*lib.* 2. *de virginitate*): *Species corporis simulacrum est mentis, figuraque probitatis:* quae sententia apud theologos, et iurisprudentes, haec non apud philosophos, et humanarum literarum professores celebris est. Nam et Socrates in Phaedone Platonis sub nomine pulchri equi, et equitis innuit, bonam corporis effigiem bonae mentis argumentum esse, aut certe adiumentum: et insiguis latinus nomine Pagatus (*in Panegyrico ad Theodosium imperatorem scripto*) eleganter dixit: *Virtus tua meruit imperium; sed virtuti addidit forma suffragium: illa praestitit ut oporteret te principem fieri.* Quam autem eximia fuerit in-

terna animi pulchritudo divi Iosephi, ex interiori eius sanctitate, et puritate, in qua animi decor, et pulchritudo consistit, facile erit colligere: tanta illa extitit, ut nulla unquam fuerit proximior, et similior puritati, et munditiae beatae Virginis: ita docuit Gers. (*serm. de Nativ. Mariae in exord. consid.*1): *Sicut decuit*, inquit, *ut Maria tanta puritate niteret, qua sub Deo maior nequit intelligi, ut ait Anselmus, ita decuit ut s. Ioseph tanta praerogativa polleret, quae similitudinem, et convenientiam exprimeret talis sponsi ad talem sponsam, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Idque facile mihi persuadeo, primo, quia puritas causatur per recessum a contrario, id est, ab omni contagione, et immunditia; sed sanctissimus Ioseph per sanctificationem in utero, per extinctionem, sive fomitis repressionem, et per confirmationem in gratia, recessit ab omni peccato mortali, ut idoneus sponsus beatae Virginis, et Christi pater putativus, secundum aeternam Dei electionem idoneus inveniretur; ergo eius puritas puritati beatae Virginis quam simillima fuit, ne impar impari, et dissimili coniungeretur.

Secundo, quia ubi adest omnimoda causa conservandi, et augendi puritatem, ibi puritas in perfectiori gradu viguisse censenda est; b. autem Ioseph propter commune cum Christo, et Virgine contubernium, habuit opportunam satis occasionem, ut puritas eius adeo crescerel, ut proximior esset puritati b. Virginis: prudenter ergo philosophamur, ita de facto contigisse: et quidem si laudatur, et merito, puritas patriarchae Noe, quia semel cum eo locutus est Deus, (*Gen. c.6*), et laudatur puritas Abrahae, quia praecepti ei Deus exire de terra sua, (*Gen.*12), et laudatur puritas Iacob, quia semel vidit Deum innitentem scalae, (*Gen.*28), et laudatur puritas Moysis, quia cum Deo amice loquebatur, (*Exod.*3), et laudatur puritas Samuelis, quia Deus vocavit, et excitavit eum dormientem, (1. *Reg.c.*3), et laudatur puritas David, quia secundum cor Dei erat, (1. *Regum.* 6), et laudatur puritas prophetarum, quia sub diversis figuris Deum viderunt, unde videntes fuerunt appellati: ac laudem laudatur puritas Marthae, Magdalenae, et Lazari, quia Christum hospitio receperunt, nec non et puritas Apostolorum, quia eum viderunt, audierunt, et doctrinam eius susceperunt; quanto maioribus encomiis exaltari debet puritas nostri Ioseph, qui per tot curricula annorum cum Christo Domino, et Deipara tam familiariter fuit conversatus? Nam si ex consortio sermonis Domini facies Moysis splendore adeo coruscabat, ut non possent in eam intueri filii Israel, ut legimus (*Exod.* 34), quanto magis puritatem s. Ioseph, ex tam antiqua, et frequenti communicatione, et familiari consortio cum Christo, et Virgine, irradiasse, et splenduisse credendum est, cum id, teste divo Clemente Alexand. (*libr.* 6. *stromat.*) quotidie experiamur in his, qui per frequentem, et flammigeram communicationem, ad Deum accedentes, in dies magis illuminantur? Gravissima s. Clementis Alexandrini verba sunt haec: *Certe sicut Moysi ex iusta operatione, et ex eo, quae continenter ei intercedebat cum Deo loquente consuetudine, cultui insidebat glorificata quaedam coloris species, ita etiam iustae animae dicina quaedam vis bonitatis inhaerens, per inspectionem propheticam, et administrantem operationem, quasi intelligentia illuminationis, perinde, atque caloris solaris, imprimit quoddam apertum iustitiae signaculum, lucem animae unitam per charitatem, quae nullo spatio disiunguntur, quae Deo afflat, et Deo afflatur;* haec ille.

Tertio, quia divus Thomas (3 *parte q.* 27. *art.* 5 *in corpore*) dixit: quanto aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii; et sic quod magis appropinquat soli, maiorem claritatem, et illuminationem recipit, et quo magis aliquid appropinquat igni, fit magis calidum, et similiter aqua clarior, et purior profluit, quando minus distat a fonte, et principio. Unde sanctus Dionysius (*de coelest. hier. cap.* 4) asserit, quod angeli, qui sunt Deo propinquiores, magis participant de bonitatibus divinis, ut verbis eius loquar. Duo autem principia in ordine supernaturali subordinata cernimus. Primum est Christus, de quo Evangelista Ioannes (*c.* 1): *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia, quia lex per Moysen data est, gratia, et veritas per Christum Iesum facta est.* Unde d. Thom. (3. *p. q.* 27. *art.* 1. *in corp.*) dicit: Christus autem est principium gratiae, secundum divinitatem quidem auctoritative, secundum humanitatem vero instrumentaliter. De cuius principii plenitudine nos omnes accepimus, sicut omnes Apostoli, et Patriarchae, et Prophetae, et iusti, qui fuerunt, sunt, et erunt, et etiam omnes angeli. Secundum principium illi primo subordinatum, beatissima Virgo est, quae propterea gratia fuit plena, et superplena, ut in nos illam effunderet, prout d. Bernardus his verbis eleganter edixit (*sermone de Assumptione*): *Quis vacuam dixerit, quam salutat angelus gratia plenam. Neque hoc solum, sed adhuc quoque superventurum in ea asserit Spiritum sanctum: ad quid putas, nisi ut etiam superimpleat eam? ad quid, nisi ut adveniente iam Spiritu plena sibi eodem superveniente, nobis quoque superplena, et superefluens fiat? O foemina plena, et superplena gratiae, de cuius plenitudinis exundantia respersa, reviviscit omnis creatura.* Cum igitur his duobus totius puritatis principiis Christo, et Maria, divus Ioseph fuerit prae omnibus aliis Sanctis coniunctior et propinquior, merito censendus est amplius prae omnibus de utriusque puritate participasse: et quidem si ea ratione b. Virgini concessa est perfectior puritas, quia immediatius ordinabatur ad Christi humanitatem; consequens est, quod cum post Virginem nemo intimius, quam Ioseph ordinatus fuerit ad eandem Christi humanitatem nutriendam, alendam, et fovendam, ipse, excepta Virgine, purissimus omnium fuerit.

Porro sub nomine iusti, quo sacra eloquia divum Iosephum cohonestant: *Ioseph autem vir eius cum esset iustus*, miram eius animi pulchritudinem commendari arbitror. Unde Rupertus (*lib. de gloria et honore filii hominis super cap.*1. *Matth.*) ait: *Ioseph prius inaudita credidit, scilicet quod ipsa, quae conceperat, virgo esset, et statim obedivit Deo credulus, puellae benevolus, castus vir iustus, et exinde iustissimus:* et paulo inferius: *Hic perconclari libet, quare timorem eiusmodi Virginem occulte dimittendi, Deus illi evenire permisit? Quare non praevenit? quare hunc ipsum angelum, quem tandem missurus erat, non misit antea, tunc scilicet, quando misit ad Virginem, quae ei desponsata erat? videlicet, ut tentaretur, et manifestum fieret tam sanctis angelis, quam nobis hominibus de ipso, quod esset iustus, et talis, qui digne sic deberet appellari Ioseph filius David.* Sic etenim idem pater eius David maluit exulare, quam uti permisso legis dicentis, ut falso Hebraei commentabantur, *Diliges amicum tuum, et odio habebis inimicum tuum.* Tradiderat Dominus in manu eius Saulem illum odientem, et persequentem: *Et nunc*, ait Abisai, *perfodiam eum lancea in terra semel, et secundo opus non erit. At ille: Vivit Dominus, quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies eius venerit, ut moriatur, aut in praelium descendens, perierit, propitius sit mihi Dominus, non extendam manum meam in Christum Domini.* Fuit ergo Ioseph insigniter filius David, iustus in verbo, iustus in facto, iustus adeo in legis consummatione, ut merito de eo dici possit illud (*Machab.*2): *Ioseph in tempus angustiae suae custodivit mandatum, et factus est Dominus Ægypti.* Multo praestantius id convenit nostro Iosepho, quem iustitiae decor, in quo sita est puritas animae, multifariam, multisque modis eum exornavit: nam quod attinet ad iustitiam universalem, quae cunctas virtutes complectitur, ut docet Albertus Magnus (*super Missus est cap.* 46), in d. Iosepho mirifice enituit: nam s. Clem. Alexand. (*lib.* 6. *stromat. post med.*) haec praeclara de proprietatibus, et conditionibus hominis iusti dixit: *Est ergo iustitia quadrata, omni ex parte aequalis, et similis in verbo, in facto, in abstinentia a malis, in beneficentia, in perfectione cognitionis, nusquam ullo modo claudicans.* Appellat s. Clemens iustitiam, omni ex parte quadratam, propter stabilitatem quatuor virtutum cardinalium: etenim, ut notavit Abulensis (*in Exod.ca.* 15. *q.* 15) inter ceteras figuras nulla stabilior atque firmior est, quam quadrata: nam quacunque ratione ponatur, semper stans, ac firma persistit: non movetur, nec in diversa gyrat. In cuius signum ait Beda (*lib.* 8. *de templo Salomonis ca.* 4), Templum Salomonis ex lapidibus quadris aedificatum fuisse, sicque intelligendum esse, quod dicitur (3. *Reg.* 6): *Domus autem cum aedificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis aedificata est.* Rex etiam Medorum, ut dicitur (*Iudith cap.* 1): *Ædificavit civitatem potentissimam ex lapidibus quadratis, et sectis.* Unde apud antiquos sapientes quadrata figura hominem iustum, et virtute praeditum portendebat, ut docet s. Thomas (*libr.* 9. *Metaphys. lect.* 8. *et lib.* 2. *de anima lect.* 3. *in princ.*): quod et Pierius (*in suis Hieroglyphicis lib.* 36. *cap. de quadrato*) inculenter tradit: et expressius Aristot. (*libr.* 4. *Rhetor. ad Theodectem cap.* 11): *Iustum quemque*, ait, *appellari quadratum propter quatuor virtutes cardinales, cum circumstantes.* Unde de iusto dicitur (*Eccl.*27): *Iustus permanet, ut sol.* Sic Iob quasi quadratus, utroque consolationis, et tribulationis tempore dicebat (*Iob* 6): *Qui coepit, ipse me conterat.* Sic Paulus (*Rom.*8): *Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio, an angustia?* Unde quaeso hoc? non aliunde profecto quam ex doctrina magistri veritatis, dicentis (*Matth.*7): *Assimilabitur viro sapienti, qui aedificavit domum suam supra petram.* Nostro sanctissimo Iosepho plane haec conveniunt, qui in maxima tribulatione positus, semper firmus, semper stabilis, nunquam minus habens inventus est. Quod sanctus Chrys. (*homil.* 5. *super Matth.*) animo volvens, sic admiratus in haec verba prorupit: *Vidisti Iosephi obedientiam? vidisti animum facile sacris sermonibus fidem accommodantem? vidisti mentem omnino vigilem, et nulla prorsus corruptione violatam?* Constat ergo virum hunc excellentissimum quendam attigisse iustitiae universalis gradum: fundatus enim erat supra firmam petram quatuor virtutum cardinalium, excellentius multo, quam alter Ioseph Patriarcha, ipsius figura, et imago), de quo Eusebius Caesar. (*lib.* 7. *de praepar. Evang. cap.* 3. *in fine*) dixit: *Aderat enim Iosepho libertas animi, maxime robur invictum, pudor eximius, iustitia, modestia, prudentia summa: sed pietate in verum Deum maxime praestabat, eratque mirabilis corporis praeditus formositate, qua adolescentia virtutibus ornata insignis videbatur.*

Verum iustitiam Iosephi altius mihi contemplanti, plane videtur iustus extitisse in omni iustitiae genere. Primo in legali iustitia, quae singulos dirigit homines ad operandum pro communi reipublicae bono, cum revera ipse non tantum pro unius Reipublicae, aut unius, aut alterius regni utilitate, et bono operatus sit, sed et pro totius orbis, ut satis indicant verba angeli: *Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est: pariet autem filium, et vocabis nomen eius Iesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Unde sanctus Bernardus (*homil.* 2. *super Missus est*) dixit: *Haec Christum pancis vicum servavit sibi, et soli mundo.* Secundo fuit iustus iustitia distributiva: nam cum esset divinae possessionis Princeps, Christique Domini, et Virginis Deiparae, superior reddebat quod Christi erat Christo, et quod Virginis Virgini, dividens singulis, prout cuique opus erat, et quod eorum unicuique debebatur, Virgini solatium, Christo nutrimentum, tutelam, et vigilantiam. Tertio fuit iustus iustitia commutativa inter particulares personas: hanc enim clare ostendit, dum noluit Virginem praegnantem traducere, sed eam occulte dimittere: reddidit enim Virgini, quod suum erat, nam cum suspicio adulterii esset criminis occulti, et omnino indicialiter improbabilis, ius eam practice accusandi non habebat, maxime, quod cum vero, et essentiali matrimonio essent copulati, et in eadem domo habitationem communem habuissent, foetum ex matrimonio processisse iudicandum et praesumendum erat, ut habe-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

tur (*in l. filium ff. de his qui sunt sui vel alieni iuris*): quod etiam verissimum putant Doctores, quamvis adulterium probarelur iuxta (*l. miles §. defuncto ff. de adulteriis*), et tradunt Greg. Lopez (*in l.1. tit. 14. p. 2. gl. 5*). et Navarr. (*lib. 4. cons. tit.10. de frigidis, et maleficiatis consil.3*), et in nostris terminis d. Thom. ex d. August. (*super c. 1. Matth.*) haec docet: *Duplex est peccatum, scilicet peccatum occultum, et peccatum manifestum: peccatum enim occultum non est publice arguendum, sed aliter est ei remedium adhibendum; suspicio ergo adulterii, quam habuit Ioseph, erat suspicio peccati occulti, et non manifesti, quia ipse solus sciebat:* et iterum: *Si alii scirent eam gravidam, non possent opinari, nisi quod de ipso esset, et ideo crimen eius non debuisset propalasse.* Et Abulensis (*super cap. 1. Matth. quaest. 34. in medio*) ait: *Istum modum accusandi in iudicio humano non poterat tenere Ioseph. Primo quia non constabat, an fuisset adulterium: nam dato quod appareret de conceptu, non autem constabat, an ante contractum matrimonii fornicata esset, vel postea, quia sic prius non erat adulterium; et tamen istud non erat possibile probari, saltem quo iusque pareret Maria; licet adhuc tunc non fiebat firma probatio, quia non habebat testes aliquos Ioseph ad probandum istud adulterium, et accusatio non valeret, imo potius ipse condemnaretur, quia deficiebat in probatione obiecti criminis per accusationem: et dato quod apparet, eam esse praegnantem, non tamen secluso testimonio constaret de ista negativa, scilicet, quod ipse non cognovisset eam, cum et sponsa eius esset, et cum illa cohabitaret.*

Porro hoc loco quorundam prudenti obiectioni satisfacere non praetermittam, qui asserunt, Ioseph in actione nolendi accusare sponsam, pietatem potius quandam, non iustitiam exercuisse, atque adeo propter illud opus magis pium, quam iustum dicendum fore. Verum nodum hunc sapienter satis solvit d. Petrus Chrysolog. nam (*serm. 145. qui primus est de gener. Christi*), explicans verba Matthaei, *Ioseph autem cum esset iustus*, sic ait: *Hoc pio magis videtur concinire, quam iusto, sed humano iudicio, non divino: penes Deum neque pietas sine iustitia est, neque sine pietate iustitia: quia aequitas sine bonitate saevitia est, et iustitia sine pietate crudelitas est. Ioseph ergo merito iustus, quia pius, et pius, quia iustus. Denique dum pietatem cogitat, crudelitate caruit: dum causam temperat, iudicium custodit: dum vindictam differt, crimen evasit: dum refugit accusatorem, fugit saevitiam.* et Beda (*sup. c. 1. Matth.*): *Ea quippe,* ait, *iustitia iustus erat Ioseph, ut misericorditer propinquae consuleret. Iustus erat, de quo Scriptura dicit: misericordiam volo, et non sacrificium, non ex qua Scribae, et Pharisaei elati, iustos se, quasi aemulatores legis aestimabant, cum crudeliter proximorum sanguinem effunderent propter transgressionem legis, quam nequaquam ipsi observabant.* Certe in eo clarius iustitiam cum mirabili mansuetudine coniunctam ostentavit d. Iosephus, quod noluit Virginem traducere ad sacerdotem pro sacrificio zelotypiae, iuxta (*cap. 5. Num.*) quod libere poterat facere, quamvis ad id ex praecepto minime cogeretur: quia ius hoc introductum a Deo fuit in favorem maritorum ad amovendam adulterii suspicionem, quod inter marilum, et uxorem, imo et in tota familia pacem turbat; et ideo poterat tali iuri renunciare, ut habetur (*in capitulo si diligentius de foro compet.*) quia quod alicuius voluntati permittitur, non subiicitur iuris necessitati, ut Papinianus docuit (*in l. non quidquid ff. de iudiciis*). Alias enim introductum in mariti favorem, in eius laesionem, et odium retorqueretur (*contra l. quod favore C. de legibus*). Et sic pietate ductus noster Ioseph, utens iure suo noluit Virginem traducere, noluit potestate adducendi eam ad sacerdotem pro sacrificio zelotypiae uti. Unde merito s. Chrysostomus (*sup. Matth.*) virum in omnibus praeclarum, ac omnigena virtute insignitum nostrum nominat Iosephum, qui in hac maxima positus tribulatione invocavit Dominum, et exaudivit eum in abscondito tempestatis, et probavit eum apud aquam contradictionis, aquam scilicet zelotypiae; et cum posset Virgini facere malum, et molestiam inferre, noluit ex pietate facere, et probatus, perfectus inventus est, eritque illi gloria aeterna. Ex quibus omnibus ego mihi facile, nec temere persuadeo, d. Iosephum iustitia, et sanctitate omnes Sanctos, una eius sponsa excepta, longe antecellere. Nec quicquam obest huic Iosephi excellentiae, quod generaliter b. Paulus (*ad Rom. 8*) dixit: *Nos autem primitias spiritus habentes*, quibus apostolos omnibus sanctitate praefert: nam cum noster Ioseph nutritius fuerit Christi, minime in illa universali praelatione venit intelligendus. Nam sicut Imperatores Severus, et Antoninus (*in leg. 1. C. quae res pignor. oblig. pos. vel non*), imperatoria potestate in hunc modum statuerunt: *Alumnos tuos, et ceteras res, quas nemineni credibile est pignori specialiter datarum fuisse, generali pacti conventione, quae de bonis tuis facta est, in causa pignoris non fuisse rationis est:* ubi Glossa (*cap. 1*) sic explicat: *Alumnos scilicet qui te aluerunt;* ita cum sanctissimus Ioseph Christi Domini carnis fuerit nutritius, eumque vivens semper aluerit, in generali illa regula, qua Paulus apostolos omnibus praefert, non deberet intelligi comprehensus, imo ab ea iure laudae dignitatis exceptus.

§. IV.

DE SANGUINIS NOBILITATE D. IOSEPHI, ET DE MIRO SPLENDORE STEMMATUM EIUS.

Videbitur fortasse culpiam frustra me d. Iosephi praeconia a nobilitate generis petere, d. Paulo dicente (1. *Cor.* 1): *Non multi sapientes secundum carnem, non multi nobiles, sed ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus:* super quae verba Glossa ordinaria ait: *Venit Deus humilis quaerens humiles, non altos.* Sed non recte iudicabit: tum quia d. Paulus ibi loquitur de Apostolis, per quos convertendus erat

mundus; oporlebat autem illos esse plebeios, et indoctos, ne eorum nobilitati, et sapientiae adscribi posset id, quod Deus per ministerium illorum operabatur, et sic crux Christi evacuaretur. Non autem congruebat, ut domestico famulatu Christus Rex regum ab ignobili homine nutriretur, cui, ut ait (*Dan. c. 7*): *Angelorum millia millium ministrabant, et decies millies centena millia assistebant ei:* tum quia, ut recte dixit d. Ambrosius (*sup. cap. 1. Luc. in princ.*): *Non solum mores in his, qui praedicabiles sunt, sed etiam parentes oportet laudare, ut velut in transmissae immaculatae puritatis haereditas in his quos volumus laudare, praeexcellat:* etenim nobilibus sanguine parentibus nati, quasi quadam necessitate constringuntur a maiorum suorum probitate non degenerare, ut his verbis eleganter dixit divus Hieronymus (*in epist. ad Paul. et Eustoch.*): *Nobilitas videtur esse quaedam laus de meritis venienti: quare splendidum te, si tuam non habes, aliena claritudo non efficit. Quod si quid est in nobilitate bonum, id esse arbitror non solum, ut imposita nobilibus necessitudo videatur, ne a maiorum virtute degenerent.* Et quidem si generis nobilitas nihili facienda esset, nec ad Dei obsequium deservire posset, minime divina eloquia toties illam commendassent: legimus autem (*Deuter. 1*) populo Dei Moysen dixisse: *Tollite de tribubus vestris viros sapientes, et nobiles, et constituam eos principes, tribunos, et centuriones:* et (*Eccl. cap. 10*) dixit: *Beata terra cuius rex nobilis est;* ubi Glossa ordinaria adiecit: *Nobilis moribus, et genere:* ac iandem primum, quod senex s. Tobias precatione quaesivit a viro, filium suum comilaturo, quem Raphaelem archangelum esse ignorabal, fuit, de qua domo, et tribu originem duceret: *Rogo te, indica mihi, de qua domo, aut de qua tribu es tu?* Qui cum respondisset: *Ego sum Azarias Ananiae magni filius;* tunc Tobias dixit: *Ex magno genere es tu.* Unde tunc magna confidentia filium suum ducendum ei commisit, dicens: *Bene ambuletis, et sit Deus in itinere vestro* (*Tob. 5*). Et quidem sicut legimus (1. *Machab. 3*): *Rex Antiochus reliquit Lysiam hominem de genere regali super negotia regia, et ut nutriret Antiochum filium suum;* dubitari non potest de summa Dei sapientia, quin unigenitum filium suum Ioseph educandum minime tradidisset, nisi ex nobili sanguine oriundus esset: quis enim ignorat nobilitatem naturalem cum spirituali coniunctam, ad virtutis exercitia, calcaria addere, et eius impedimenta removere? tunc namque habet homo cor bifariam praeparatum iuxta illud (*Psalm. 107*): *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Et quis quaeso ignorat, duo vincula simul copulata, fortiora esse uno? ut ait Instinianus (*in §. affin. instit. de nupt.*). Nobilitatis ergo cum virtute coniunctio, est veluti fontalis aqua, et superna pluvia abundantius affluens: vel ut currus, equorum velocitate, et aurigae industria ad destinatum locum ducens: vel ut navigium, remis, et velis in gentibus cursum navigationis peragens: vel ut arcus sagitta pennis suis, et impulsa se proiiciens, ad longissimum perveniens locum: vel ut aurum crystallo interpositum, mira colorum varietate distinctum: vel ut murenulae aureae argento vermiculatae, quibus sponsa ornabatur: vel certe, *ut gemmula carbunculi in ornamento auri*, ut ait Sapiens. Decuisse igitur b. Iosephum clarissimo sanguine oriundum, dubitari non potest. Ita autem de facto contigisse sacra contestantur eloquia, dum tradunt, ex stirpe ac regia Davidis prosapia, sicut et b. Virginem fuisse: etenim (*Num. 36*) habentur haec verba: *Omnes viri ducent uxores de tribu, et cognatione sua, et cunctae foeminae de eadem tribu maritos accipient, ut haereditas maneat familiis, nec sibi misceantur tribus, sed ita maneant, ut a Domino separatae sunt.* Cum ergo beata Virgo desponsata fuerit Ioseph, consequens est illum fuisse eiusdem familiae, et prosapiae cum illa. Sed et clarius idipsum constat ex evangelico eloquio: nam divus Lucas (*cap. 2*) inquit: *Ascendit autem et Ioseph a Galilaea de civitate Nazareth in Iudaeam civitatem David, quae vocatur Bethlehem, eo quod esset de domo, et familia David.* Unde d. Chrysostomus explicans genealogiam Christi, quam d. Matthaeus narrat per progenitores Ioseph, in hunc modum sapienter loquutus est: *Cum multae essent ex tribu Iuda familiae, non utique omnes a David genus trahebant; sed ne istud hic diceres, praeveniens Evangelista prorsus exclusit suspicionem tuam, non solum ex domo, verum etiam ex familia David illum esse confirmans.* Cum igitur linea recta d. Ioseph originem ducat, ut tradit d. Matthaeus (*cap. 1*) ex patriarchis, et ducibus, et ex regibus; liquido constat, Iosephum sanguine nobilissimum fuisse. Quia tamen nobilitas ex multiplice capite consurgit: idcirco nobilis auctor Isidorus de Isolan. (*in vit. s. Ios. 1. part. cap. 7*) ad novem capita illam reducens totidem modis tradit, nobilem fuisse d. Iosephum: verba eius sunt haec: *Advertendum est, nobilitatem hominis in tribus considerari, in causa, in substantia, et in sufficientia: in causa, si a nobili origine principium ducat, quae in s. Ioseph excellentissime fulsit: nam in origine illius triplex inventa fuit dignitas: prima corporalis; secunda spiritualis, tertia coelestis: prima regalis, secunda sacerdotalis, tertia prophetalis; et haec coelestis, quia futura praedicere, donum Dei est: David enim Rex fuit, Abraham patriarcha, Nathan propheta, a quibus originem duxit Ioseph. In persona vero sua tripliciter pariter possedit nobilitatem: fuit namque iustus mente, dignitate, reginae coelestis sponsus, officio, Dei nutritius, ac pater putativus. In efficientia itidem triplicem effectum praeclarissimum nobilitatis toti universo produxit: nam Salvatorem mundi suo excepit hospitio, deduxit per longa terrarum spatia incolumem suo servitio, proprio labore et exercitio per multos annos eum nutrivit. Hi sunt novem radii nobilitatis sanctissimi Ioseph, quibus sole clarius praestantissima illius nobilitas mortalibus explanata redditur. Ex his tamen nos brevitati consulendi gratia splendidiores ac praestantiores pro modulo nostro illustrare satagemus. Et quidem in primis praestantissimam omnium nobilitatem esse illam, quae ex virtute, et sanctitate oritur, constantissimum mihi est: nam, omisso illo poetico pro-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

verbo, dicente :

Degenerant homines vitiis, fiuntque minores:
Exaltat virtus, nobilitatque genus ;

certe ad interrogationem illam, qua quidam Poetarum quaesivit :

Si pater est Adam cunctis, si mater et Eva :
Cur non sumus omnes nobilitate pares?

Ego eam legitimam responsionem esse reor,quod, licet unus sit Adam omnium parens, ab ipsa tamen prope mundi origine ignobilitas, et nobilitas ortum habuit: nam hi, qui virtute maxima praeclaris gestis noti fuerunt, reputati sunt nobiles, ut incipientes a filiis Adam inveniemus Abel iustum, et virtuti deditum, nobilem fuisse; Cain vero ex malis operibus ignobilem: et postea cum omnes homines in diluvio perierint, solvis tantum Noe, et tribus filiis eius, ex quibus duo, Sem, et Iaphet maiorem virtutem, et nobilitatem retinuerunt, et in posteros propagaverunt; tertius vero Cham ob nudum patrem ebrium derisum, ab ea decidit, audivitque a patre suo: maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis, (*Gen.* 9). Servitutem autem quis non videat ignobilitatem praeseferre? Unde divus Chrysostomus (*hom.* 59. *sup. cap.* 17) quorundam licet alioquin nobilium miseram servitutem in haec verba describit, et deplorat : *Nihil prorsus libertatem animae sic tollit, quemadmodum saecularium rerum cupiditas,et eorum quae videntur esse praeclara: non enim sibi vivunt, sed alteri, et mille crudelibus dominis huiuscemodi homines premuntur, quos si recensere placet, aliquem ex his, qui apud reges plurimum possunt, nobis proponamus, cui magna rerum affluat copia, ingens potentia, patriae splendor, maiorum nobilitas, ad quem universa pene respiciat civitas. Consideremus igitur an iste servus omnium subiectissimus sit? servus enim quilibet unicum habet dominum, quem si bene egendo propitium sibi faciat, sine aliqua cura quiete vivit; ille vero quem admiraris, non unum, aut alterum, sed multos, et importunos sibi dominos conquisivit. Dominatur ei primo rex ipse: non est autem aequale obiectum habere dominum, et regi servire, quorum aures multorum verbis expositae sunt, ut modo hi sibi, modo illi persuadeant. Quare quamvis nullius mali sibi conscius sit, qui regi servit, omnes tamen timet tam pares, quam sibi subiectos, et tam amicos, quam inimicos: servus enim neminem timet, quia nemo est, qui invideat, neque qui velit, isto expulso, ad eandem se introducere servitutem, et sic nullus est, qui velit ei insidias tendere; multi vero sunt, qui nulli alii rei student, quam illum, qui proximus regi est, a statu eiicere: quare omnibus adulari cogitur, maiori, aequali, amicis. Quia, quemadmodum qui eodem artificio quaestum habent; sic omnes qui unam rem in saeculo appetunt, sincero nequeunt amore coniungi, unde fit,ut bellum intus sine induciis semper geratur;* hactenus ille. Unde divus Gregorius Nyssenus (*in quadam orat.*) nobilitatem in propinquitate ad Deum his verbis sapienter constituit : *Una est generis amplitudo, propinquitas cum Deo, quae non casu cuipiam contingit, quemadmodum munda claritudo generis, quae etiam ad improbos defertur, sed quae non aliter, ac electione voluntatis acquiri possit.* Et d. Gregorius Magnus (*super* 1. *Reg. cap.* 9) ait: *Nobilis dicitur, qui a superna conversatione conspicuus est, et de mundanae vitae rusticitate nihil habet: inde enim nobilis, inde civis.* Ac tandem divus Hieronymus (*in epist. ad Demetr. de virginitate*) sic loquitur: *Ille clarus, ille sublimis, ille sit nobilis, ille tunc integre nobilitatem suam se servare putet, si dedignetur servire vitiis, ab eisque non superari.* Divum ergo Iosephum hac praestantissima nobilitate, ortum habente a virtute, et iustitia,per quam Deo efficimur propinqui, et, ut ita loquar, spirituales consanguinei, insigniter fuisse praeditum, et illustratum, luculenter satis evangelicum eloquium attestatur dicens : *Ioseph autem vir eius cum esset iustus:* super quae verba divus Hieronymus ait: *Ioseph vocari iustum attendite propter omnium virtutum perfectam possessionem.* Si ergo vera nobilitas sita est in virtute, et beatus Ioseph adeptus est possessionem illius perfectam; consequens est perfecta claruisse nobilitate. Unde praeclare quidem Isidorus Isolanus (*de vita d. Ioseph* 1. *part. cap.* 6) haec in idem argumentum scripsit : *Sanctissimum Ioseph omni nobilitate claruisse, excellereque eius sanctitatem propter castam generationem iuxta illud* (*Sap.* 4): *O quam pulchra est casta generatio cum claritate? imo talis est enim memoria illius, quoniam, et apud Deum nota est, et apud homines satis liquet.* Sanctitas enim et nobilitas Ioseph excellit gemmis, undique circumdata radiantibus: nam retro radiat praeclarissima nobilitate, ante radiat nobilissima humilitate, supra radiat praestantissima dignitate, infra radiat mundissima peccatorum immunitate, intus radiat virtutum magnificentissima puritate: a dextris erga Deum radiat ardentissima charitate; et a sinistris in proximum radiat ineffabili pietate. Sed praeter haec ex eo etiam capite, quod s. Ioseph fuerit maritus Deiparae Virginis, illamque habuerit in veram suam coniugem,iuxta angelicum oraculum (*Matth.* 1): *Ioseph noli timere accipere Mariam coniugem tuam*, opus fuit excellenti nobilitate conspicuum esse, cum nubentem reginae consequens est regem fieri; quis autem non videat dignitate regia, ac regali splendore, magnam comparari nobilitatem? Licet enim verum sit, nobilitari mulierem ignobilem nuptam viro nobili, quia efficitur de familia mariti, ut habetur (*in l. fin. C. de nuptiis*), ibi, *uxor marito concrescat, et sentiat eius fulgorem:* et clarius (*in l. fin. C. de incolis lib.* 10), ibi, *mulieres honore maritorum erigimur, et genere nobilitamur:* non tamen e contrario, quando mulier quantumcunque nobilis nubit viro plebeio, quia vilem mariti conditionem sequitur, ut dixit Ulpianus Iuriscons. (*in l. ingenuae C. de murilegulis*) : illa tamen iura locum non habent, quando uxor est ducissa, princeps,aut regina, ut tradunt Bald. (*in c. significavit, columna* 1. *de rescriptis*), Decius (*in l.* 1. *C. de edendo*), Ray-

nuntius Ostiensis, et alii non pauci, quos refert, et sequitur Tiraquellus (*de nobilitate cap.* 18), idque mihi aperte statutum fuisse videtur (*in l. unic. C. de praepositis laborum lib.* 12), ubi haec verba lego : *Nam immunitate digni sunt, quos nostri lateris comitatus illustrat.* Nulla autem excogitari potest maior lateritas, ut verbis loquar Baldi praecitato loco, quam viri et uxoris. Unde ad id significandum olim Deus uxorem dedit primo parenti productam ex costa lateris sui. Igitur cum d. Iosephum B. V. latus illustraverit, non potuit exinde non magnam nobilitatem nancisci. Quod si d. Iosephum collateralem esse Virgini, regiam nobilitatem praebuit, plane aliam non inferiorem ex eo, quod per plures annos collateralis Christi Domini fuit, adeptum fuisse ambigendum non est : ut enim ait Imperator (*in praecitata lege* 1. *C. de praepositis laborum*): *Qui praepositi laborum nostro iudicio promoventur, clarissimi sunt inter electos, ita ut ex consularibus habeantur:* et (*in l. fin. C. de excusationibus tutorum*) dicit: *Viros clarissimos sacri nostri palatii silentiarios, circa caput nostrum militantes, de tutelis et curationibus excusari.* Cum ergo divus Ioseph per omnes annos infantiae, et pueritiae Christi lateri eius adhaeserit, non solum ut socius laborum, aut minister, vel famulus, sed ut magni consilii adiutor fidelissimus, imo ut superior, cui Dominus ipse ultro se subderet, ut testatur divus Lucas; non potuit non inde magnum contrahere nobilitatis splendorem, ut merito in eum conveniat illud, quod (*Esther* 6) de Mardochaeo dictum fuit: *Hoc honore condignus est, quemcunque rex voluerit honorare.* Atque hinc est, quod sicut moris est in singulis nobilium familiis, diversa ab aliis stemmata ostentare, ad earum nobilitatem dignoscendam, et distinguendam, ut tradunt Tiraquellus (*de nobilitate cap.* 6), et Cassaneus (*in catalogo gloriae mundi* 1. *part.*), unde etiam in catholica Ecclesia plurimorum sanctorum venerandae imagines ex diversis stemmatibus agnoscuntur, princeps Apostolorum Petrus per claves, Apostolus Paulus per ensem, divus Augustinus per sagittarum cor, et per haereticorum capita pedibus eius conculcata, Seraphicus noster Pater Franciscus per sacra ei impressa stigmata, b. Pater Dominicus per canem variis maculis distinctum facem praedicationis accensam ferentem, illustris s. Laurentius martyr Hispanus per craticulam, nobilissima virgo, et martyr Catharina per novacularum rotam, sanctissima Deipara per Christum Dominum in ulnis suo pectori admotum; sic stemmata illa, quibus Ioseph insignitur in argumentum suae nobilitatis, tanto splendore coruscant, ut omnia regum, et imperatorum quantumque Caesarea insignia, cum illis nulla ratione valeant comparari. Etenim sicut ipse fuit velut confinium utriusque legis, scriptae scilicet, et gratiae, ita etiam ex utroque capite varia ei competunt suae ingenuitatis, et claritatis insignia: nam quatenus de domo David in stemmate habet fundam, et quinque limpidissimos lapides, quibus David eius parens giganteam illam Goliae molem prostravit, nec non gladium, quo caput illius gloriose praecidit: quatenus vero sponsus fuit Virginis, et pater legalis Christi, sicut maiorem inde nobilitatis claritatem mutuavit, ita splendidiora, et gloriosiora stemmata sortitus est, non ab hominibus collata, sed ab ipso totius nobilitatis fonte ei tributa: haec sunt Iesus, et Maria. Quod ne meo marte confingere videar, divino eloquio, ac nervosa ratione comprobabo : an nescitis angelum ad Iosephum dixisse (*Matt.* 2) : *Ioseph accipe puerum, et matrem eius.* Quasi clarius in persona Dei dicentem Ioseph haec regalia insignia, ac tuae divinitus inditae nobilitatis clarissima stemmata suscipe (*Matth.* 3): *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Haec de qua multo ante praedixeram (*Cant.* 4) : *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te.* Haec tua sunt, tibi singulariter propria, haec in trophaeorum tuorum monumentum in regio tuo scuto depingere potes, atque haec stemmata sub metaphora virgae, et floris ab Isaia (*cap.* 11) praenunciata fuisse, facile mihi persuadeo: *Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet.* Virga illa Mariam refert: etenim, quod arida esset, indicat virginitatem eius: quod sine humore refloruerit, ostendit non ex opera viri, sed ex divino spiramine concepisse : flos vero de radice eius ascendens Christum Dominum significat, instar floris ab ea ortum absque suae integritatis violatione. Tunc autem virga, et flos intelliguntur etiam data tanquam stemmata d. Iosepho, quando ad explorandum quis esset futurus sponsus Virginis, cunctis de domo David ad nubendum aptis, singulas virgas accipientibus, ut cuiuscunque germinasset, ille in sponsum Virginis haberetur, contigit, ut sola Iosephi virga floreret: nam sicut (*Num.* 17) Aaronis virga flores germinante in sacerdotium fuit electus, ita simili miraculo b. Ioseph fuit in sponsum Virginis destinatus. Virga igitur cum suo flore in manu Iosephi posita, praeterquam quod significat superioritatem, quam habiturus erat super utrumque, facile nobis ante oculos ponit virgam, et florem, Mariam et Iesum sibi in propria suae nobilitatis insignia coelitus data; haec autem tam splendida, ac praeclara stemmata d. Iosepho esse debita, ratio non parum urgens probat. Nam quando aliquis strenuus miles in bello iusto regem quempiam debellavit, rex ille catenis vinctus, pro stemmate datur: et qui regem, aut reginam ab insidiis, et morte liberavit, eos in insignia nobilitatis assumit. (*In l. etiam quisque §. fin. C. ad leg. Iul. Maiest.*) statuitur, ut revelans proditiones contra regem, vel rempublicam amplissime remuneretur: verba eius sunt haec : *Si quis in exordio initae factionis studio verae laudis accensus initam prodiderit factionem, praemio et honore donabitur.* Sed non opus est Iuris civilis testimonio, ubi divinum eloquium (*Esther* 7) luculenter dicit, quod cum Mardochaeus insidias Bagatham, et Thares eunuchorum regem Assuerum iugulare machinantium eidem regi detegeret, continuo regiis honoribus ab eo fuit cumulatus: sane d. Ioseph insidias adversus Christum, et Matrem non revelavit; per revelationem tamen angeli eas a-

gnoscens, quas Herodes illis parabat, continuo omni deposita mora, et nulli parcens labori, Matrem et prolem in Ægyptum duxit, ab immanissimi illius lupi cruentis faucibus illos liberans. Merito ergo Maria, et Iesus, tanquam a Iosepho liberati, in stemmata eius debebantur in praemium sibi dari, Salomone dicente (Prov. 28): *Qui custos est Domini sui, glorificabitur.* Quam autem strenue, ac viriliter Ioseph pro defensione Christi, et Mariae adversus diabolum pugnaret, his verbis erudite descriptis piissimus Isidorus Isolanus (2. p. cap. V): *Fuit Ioseph Christi pueri contra invidias diaboli et astutias defensor: magna profecto erat, et mortalibus inexplicabilis virtus Iosephi, quae vehementiora diaboli nocumenta superare poterat. Non est potestas super terram, quae diaboli potestati comparari queat. Illi tamen iniquitas Iosephi virtutes Deus omnipotens opposuit, quam fortis, quam excelsus, quanta fulgebat prudentia Ioseph, qui adversus fortissimum, callidissimum, ac nequissimum diabolum, filium Dei infantem, ac puerum protexit, et defendit? Hic quoque Matris Virginis pudorem tutatus est tanta fide et sapientia, ut etiam intellectum angelicum diaboli obtenebraverit: oppressa enim fuit mens diaboli a maiestate prudentiae Iosephi;* hactenus ille.

Ad extremum, ut insignis nobilitas, ac regia sanguinis claritas divi Iosephi manifestius innotescat, illam ducere censui a primo parente, ex quo pariter constabit, in quibus parentibus Ioseph, et beata Virgo conveniant, et in quibus dissideant.

Adam cum esset annorum centum triginta genuit Seth.
Seth autem annorum 105. genuit Enos,
Enos autem annorum 90. genuit Cainan,
Cainan autem annorum septuaginta genuit Malaleel.
Malaleel autem 65. agens annum genuit Iared,
Iared autem annorum 162. genuit Henoch,
Henoch autem annorum 65. genuit Mathusalem,
Mathusalem autem annorum 187. genuit Lamech,
Lamech autem annorum 182. genuit Noe,
Noe autem annorum 500. genuit Sem,
Sem autem, vel Melchisedech rex, et sacerdos biennio post diluvium genuit Arphaxat,
Arphaxat autem annorum 35. genuit Cainan,
Cainan autem genuit Sale,
Sale autem annorum 30. genuit Heber,
Heber autem annorum 34. genuit Phaleg,
Phaleg autem annorum 30. genuit Reu, vel Ragau,
Reu, vel Ragau autem annorum 32. genuit Sarug,
Sarug autem annorum 30. genuit Nachor,
Nachor autem annorum 29. genuit Thare,
Thare autem annorum 70. genuit Abraham,
Abraham autem annorum 99. genuit Isaac,
Isaac autem annorum 60. genuit Iacob,
Iacob autem annorum 91. genuit Iudam,
Iudas autem genuit Phares de Thamar.
Phares autem genuit Esron,
Esron autem genuit Aram,
Aram autem genuit Aminadab,
Aminadab autem genuit Naasson,
Naasson autem genuit Salmon,
Salmon autem genuit Booz de Rahab,
Booz autem genuit Obed ex Ruth,
Obed autem genuit Iesse,
Iesse autem genuit David,
David autem Rex genuit Salomonem,
Salomon autem genuit Roboam,
Roboam autem genuit Abiam,
Abias autem genuit Asa,
Asa autem genuit Iosaphat,
Iosaphat autem genuit Ioram,
Ioram autem genuit Ocoziam,
Ocozias autem genuit Ioam,
Ioas autem genuit Amasiam,
Amasias autem genuit Oziam,
Ozias autem genuit Ioathan,
Ioathan autem genuit Achaz,
Achaz autem genuit Ezechiam,
Ezechias autem genuit Manassen,
Manasses autem genuit Amon,
Amon autem genuit Iosiam,
Iosias autem genuit Iechoniam,
Iechonias autem genuit Salathiel,
Salathiel autem genuit Zorobabel,
Zorobabel autem genuit Abiud,
Abiud autem genuit Eliacim,
Eliacim autem genuit Azor,
Azor autem genuit Sadoch,
Sadoch autem genuit Achim,
Achim autem genuit Eliud,
Eliud autem genuit Eleazar,
Eleazar autem genuit Mathan,
Mathan autem genuit Iacob,
Iacob autem genuit Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus.

Quia tamen in enarrationem progenitorum divi Iosephi incidimus, adverto, progenitores Iosephi positos infra Davidem, non esse progenitores naturales b. Virg. et consequenter nec Christi Domini: nam beata Virgo non descendit ex Davide per Salomonem, sed per Nathan fratrem eiusdem Salomonis, ut divus Lucas (cap. 3) palam testatur. Quare ad cognoscendam lineam rectam, per quam descendit beata Virgo, atque adeo Christus Dominus, in quantum homo, quamvis beata Virgo, et Ioseph eosdem progenitores habuerint usque ad David inclusive, deinceps tamen omnino diversi sunt: nam ad Iosephum spectant omnes supra relati infra Davidem, ad beatam vero Virginem hi, qui sequuntur: nam

David genuit Nathan,
Nathan autem genuit Mathata,
Mathata autem genuit Menna,
Menna autem genuit Melea,
Melea autem genuit Eliachim,
Eliachim autem genuit Iona,
Iona autem genuit Ioseph,
Ioseph autem genuit Iuda,
Iuda autem genuit Simeon,
Simeon autem genuit Levi,
Levi autem genuit Mathat,
Mathat autem genuit Iorim,
Iorim autem genuit Eliezer,
Eliezer autem genuit Iesu,

Iesu autem genuit Her,
Her autem genuit Elmadan,
Helmadan autem genuit Cosan,
Cosan autem genuit Addi,
Addi autem genuit Melchi,
Melchi autem genuit Neri,
Neri autem genuit Salathiel,
Salathiel autem genuit Zorobabel,
Zorobabel autem genuit Resa,
Resa autem genuit Ioanna,
Ioanna autem genuit Iuda,
Iuda autem genuit Ioseph,
Ioseph autem genuit Semei,
Semei autem genuit Mathathiam,
Mathathiam autem genuit Mahat,
Mahat autem genuit Nagge,
Nagges autem genuit Hessi,
Hessi autem genuit Naum,
Naum autem genuit Amos,
Amos autem genuit Mathathiam,
Mathathiam autem genuit Ioseph,
Ioseph autem genuit Ianne,
Ianne autem genuit Melchi,
Melchi autem genuit Levi,
Levi autem genuit Mathath,
Mathath autem genuit Heli,
Heli autem genuit Pantherem,
Panther autem genuit Bipantherem,
Bipanther autem genuit Ioachim,
Ioachim autem genuit Mariam, de qua natus est Iesus.

Advertendum tamen est, omnes hos patres, qui naturales fuerunt Mariae, fuisse Iosephi legales. Divus enim Lucas (cap. 3) miro artificio coniunxit utrumque, ut late, et sapienter prosequitur cardinalis Toletus (sup. cap. 3. Luc.), praesertim annotat. 58.

§. V.

FAMAE, ET HONORI CHRISTI DOMINI, ET MATRIS EIUS S. IOSEPH MIRIFICE CONSULUIT.

Inter pleraque heroica d. Iosephi facinora, quae illum valde commendant, illud mirabile est, quod Christi Domini honorem ab Hebraeorum opprobriis suo sponsalitio praeservavit, sine quo tanquam illegitime natum illum longe a se abiicerent. Unde d. Ambrosius (libr. 2. in Luc. cap. 1. in med. tom. 5) dixit: *Quid Iudaeis, quid Herodi posset adscribi, si natum viderent ex adulterio?* Et divus Bernardus (hom. 2. sup. Miss. est) id confirmat his verbis: *Tolerabilius fuit, atque honestius putare ad tempus de coniugio fuisse natum, quam de fornicatione: alias enim daretur occasio, ut eius lex, et praedicatio contemnerentur. Nam si cum Pharisaei ex legitimo matrimonio Christum natum esse putarent, tamen ideo contempserunt, quod fabri filium esse crederent, quid facturi erant, si spurium dicere potuissent?* Solent enim huiusmodi illegitimi, incestuosi, et adulterini contemptui haberi, tanquam infames, iuxta (Sap. 3): *Filii adulterini in consummatione erunt, et ab iniquo thoro semen exterminabitur.* Ubi Iansenius ex divo Ambrosio (serm. 6) legit: *Filii adulterorum erunt in consummationem:* et Lyra: *Filii iniquorum, qui erunt in exterminationem:* et Budaeus (in pand.): *Filii adulterorum in consummatione erunt, id est, imperfecti, et non consummati.* De quibus gravissime dixit sanctus Pontifex, et martyr Bonifacius (in epist. ad Ethel. Reg. Anglor.): *Incestuosi, et adulterini, neque in bello saeculari fortes, neque in fide stabiles, neque honorabiles hominibus, nec Deo amabiles:* quod et refertur (c. si gens Angl. dist. 56). Sunt enim infames, quibus portae dignitatum non patent, ut defendit Azon (in sum. C. ex quib. caus. infamia irrogatur): idque verum habet etiam si essent legitimati a Principe, cum filius legitimatus similis sit alchimiae, quae facit apparere, quod non est, ut loquuntur Baldus, Iason, et alii, quos refert et sequitur Cassaneus (in catalog. glor. mund. part. 11. consid. 15. per tot.). Hi namque taliter nati, testes sunt adulterii, et parentibus pudori sunt, non honori, ut dixit d. Ambrosius (in ser. de s. Ioann.), et refertur (in cap. dicat. aliqu. 32. qu. 4). Unde secundum iura non promoventur ad dignitates, nisi in legitimorum defectum, ut decrevit Ulpianus Iurisconsultus (in lib. general. §. spur. ff. de Decur.): quod praecipue locum habet in filiis presbyterorum, de quibus Urbanus Papa sic statuit (in cap. 1. 56. dist.): *Presbyterorum filios a sacris altaris ministeriis removemus, nisi aut coenobiis, aut in canoniis religiose probati fuerint conversati. Nam si morum honestas eos commendabiles fecerit, cessante etiam legitimo competitore, admitti poterunt,* ut quam plurimis exemplis adductis probat divus Damasus Papa (in suo Pontif.), et refertur (in cap. 2. dist. 56) his verbis: *Osius Papa fuit filius Stephani subdiaconi, Bonifacius Papa fuit filius Iocundi presbyteri, Felix Papa filius Felicis presbyteri, Agapitus Papa filius Gordiani presbyteri, Theodorus Papa filius Theodori Episcopi, Silverius Papa filius Silverii Episcopi: Romae Deus dedit Papam filium Stephani subdiaconi: Felix enim Tertius natione Romanus, et complures etiam alii inveniuntur, qui de sacerdotibus nati, Apostolicae Sedi praefuerunt.* Et efficacius Alexander Papa Secundus (in cap. 12. dist. 56) sic ait: *Apostolica auctoritate praecipimus vobis, ut si eum, qui ab Ecclesia electus est, altero digniorem esse, canonicamque eius electionem probaveritis, fulti nostra auctoritate consecretis: nam pro eo quod filius sacerdotis eiicitur, si ceterae virtutes in eum conveniant, non reiicimus, sed suffragantibus meritis connivendo eum recipimus.* Regulare tamen est, huiusmodi illegitimos esse imitatores paterni sceleris, et incontinentiae, ut dicitur (in cap. si quis cum milit. 6. quaest. 1. et in cap. si gens Angl. dist. 56). Huius autem boni nominis in Christo apud homines, et quod fuerit ex Virgine natus, unicus testis fuit b. Ioseph, in quo maxima eius excellentia declaratur, iuxta illud (Psal. 80. num. 6): *Testimonium in Ioseph posuit illud,* ut optime explicat Isidorus Isolanus (2. part. cap. 4) dicens: *Ipse Ioseph fuit Christi ex Virgine nati unicus testis.* Quo munere sanc-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

gnoscens, quas Herodes illis parabat, continuo omni deposita mora, et nulli parcens labori, Matrem et prolem in Ægyptum duxit, ab immanissimi illius lupi cruentis faucibus illos liberans. Merito ergo Maria, et Iesus, tanquam a Iosepho liberati, in stemmata eius debebantur in praemium sibi dari, Salomone dicente (Prov.28): *Qui custos est Domini sui, glorificabitur.* Quam autem strenue, ac viriliter Ioseph pro defensione Christi, et Mariae adversus diabolum pugnaret, his verbis erudite descriptis piissimus Isidorus Isolanus (2. p. cap. 4): *Fuit Ioseph Christi pueri contra insidias diaboli et astutias defensor: magna profecto erat, et mortalibus inexplicabilis virtus Iosephi, quae vehementiora diaboli nocumenta superare poterat. Non est potestas super terram, quae diaboli potestati comparari queat. Illi tamen iniquitas Iosephi virtutes Deus omnipotens opposuit, quam fortis, quam excelsus, quanta fulgebat prudentia Ioseph, qui adversus fortissimum, callidissimum, ac nequissimum diabolum, filium Dei infantem, ac puerum protexit, et defendit? Hic quoque Matris Virginis pudorem tutatus est tanta fide et sapientia, ut etiam intellectum angelicum diaboli obtenebraverit: oppressa enim fuit mens diaboli a maiestate prudentiae Iosephi;* hactenus ille.

Ad extremum, ut insignis nobilitas, ac regia sanguinis claritas divi Iosephi manifestius innotescat, illam ducere censui a primo parente, ex quo pariter constabit, in quibus parentibus Ioseph, et beata Virgo conveniant, et in quibus dissideant.

Adam cum esset annorum centum triginta genuit Seth,
Seth autem annorum 105. genuit Enos,
Enos autem annorum 90. genuit Cainan,
Cainan autem annorum septuaginta genuit Malaleel.
Malaleel autem 65. agens annum genuit Iared,
Iared autem annorum 162. genuit Henoch,
Henoch autem annorum 65.genuit Mathusalem,
Mathusalem autem annorum 187. genuit Lamech,
Lamech autem annorum 182. genuit Noe,
Noe autem annorum 500. genuit Sem,
Sem autem, vel Melchisedech rex, et sacerdos biennio post diluvium genuit Arphaxat,
Arphaxat autem annorum 35. genuit Cainan,
Cainan autem genuit Sale,
Sale autem annorum 30. genuit Heber,
Heber autem annorum 34. genuit Phaleg,
Phaleg autem annorum 30. genuit Reu, vel Ragau,
Reu, vel Ragau autem annorum 32. genuit Sarug,
Sarug autem annorum 30. genuit Nachor,
Nachor autem annorum 29. genuit Thare,
Thare autem annorum 70. genuit Abraham,
Abraham autem annorum 99. genuit Isaac,
Isaac autem annorum 60. genuit Iacob,
Iacob autem annorum 91. genuit Iudam,
Iudas autem genuit Phares de Thamar.
Phares autem genuit Esron,
Esron autem genuit Aram,
Aram autem genuit Aminadab,
Aminadab autem genuit Naasson,
Naasson autem genuit Salmon,
Salmon autem genuit Booz de Rahab,
Booz autem genuit Obed ex Ruth,
Obed autem genuit Iesse,
Iesse autem genuit David,
David autem Rex genuit Salomonem,
Salomon autem genuit Roboam,
Roboam autem genuit Abiam,
Abias autem genuit Asa,
Asa autem genuit Iosaphat,
Iosaphat autem genuit Ioram,
Ioram autem genuit Ocoziam,
Ocozias autem genuit Ioam,
Ioas autem genuit Amasiam,
Amasias autem genuit Oziam,
Ozias autem genuit Ioathan,
Ioathan autem genuit Achaz,
Achaz autem genuit Ezechiam,
Ezechias autem genuit Manassen,
Manasses autem genuit Amon,
Amon autem genuit Iosiam,
Iosias autem genuit Iechoniam,
Iechonias autem genuit Salathiel,
Salathiel autem genuit Zorobabel,
Zorobabel autem genuit Abiud,
Abiud autem genuit Eliacim,
Eliacim autem genuit Azor,
Azor autem genuit Sadoch,
Sadoch autem genuit Achim,
Achim autem genuit Eliud,
Eliud autem genuit Eleazar,
Eleazar autem genuit Mathan,
Mathan autem genuit Iacob,
Iacob autem genuit Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus.

Quia tamen in enarrationem progenitorum divi Iosephi incidimus, adverto, progenitores Iosephi positos infra Davidem, non esse progenitores naturales b. Virg. et consequenter nec Christi Domini: nam beata Virgo non descendit ex Davide per Salomonem, sed per Nathan fratrem eiusdem Salomonis, ut divus Lucas (cap. 3) palam testatur. Quare ad cognoscendam lineam rectam, per quam descendit beata Virgo, atque adeo Christus Dominus, in quantum homo, quamvis beata Virgo, et Ioseph eosdem progenitores habuerint usque ad David inclusive, deinceps tamen omnino diversi sunt: nam ad Iosephum spectant omnes supra relati infra Davidem, ad beatam vero Virginem hi, qui sequuntur: nam

David genuit Nathan,
Nathan autem genuit Mathata,
Mathata autem genuit Menna,
Menna autem genuit Melea,
Melea autem genuit Eliachim,
Eliachim autem genuit Iona,
Iona autem genuit Ioseph,
Ioseph autem genuit Iuda,
Iuda autem genuit Simeon,
Simeon autem genuit Levi,
Levi autem genuit Mathat,
Mathat autem genuit Iorim,
Iorim autem genuit Eliezer,
Eliezer autem genuit Iesu,

Iesu autem genuit Her,
Her autem genuit Elmadan,
Helmadan autem genuit Cosan,
Cosan autem genuit Addi,
Addi autem genuit Melchi,
Melchi autem genuit Neri,
Neri autem genuit Salathiel,
Salathiel autem genuit Zorobabel,
Zorobabel autem genuit Resa,
Resa autem genuit Ioanna,
Ioanna autem genuit Iuda,
Iuda autem genuit Ioseph,
Ioseph autem genuit Semei,
Semei autem genuit Mathathiam,
Mathathiam autem genuit Mahat,
Mahat autem genuit Nagge,
Nagges autem genuit Hessi,
Hessi autem genuit Naum,
Naum autem genuit Amos,
Amos autem genuit Mathathiam,
Mathathiam autem genuit Ioseph,
Ioseph autem genuit Ianne,
Ianne autem genuit Melchi,
Melchi autem genuit Levi,
Levi autem genuit Mathath,
Mathath autem genuit Heli,
Heli autem genuit Pantherem,
Panther autem genuit Bipantherem,
Bipanther autem genuit Ioachim,
Ioachim autem genuit Mariam, de qua natus est Iesus.

Advertendum tamen est, omnes hos patres, qui naturales fuerunt Mariae, fuisse Iosephi legales. Divus enim Lucas (cap. 3) miro artificio coniunxit utrumque, ut late, et sapienter prosequitur cardinalis Toletus (sup.cap.3.Luc.), praesertim annotat. 58.

§. V.

FAMAE, ET HONORI CHRISTI DOMINI, ET MATRIS EIUS S. IOSEPH MIRIFICE CONSULUIT.

Inter pleraque heroica d. Iosephi facinora, quae illum valde commendant, illud mirabile est, quod Christi Domini honorem ab Hebraeorum opprobriis suo sponsalitio praeservavit, sine quo tanquam illegitime natum illum longe a se abiicerent. Unde d. Ambrosius (libr. 2. in Luc. cap. 1. in med. tom. 5) dixit: *Quid Iudaeis, quid Herodi posset adscribi, si natum viderent ex adulterio?* Et divus Bernardus (hom. 2. sup. Miss. est) id confirmat his verbis: *Tolerabilius fuit, atque honestius putare ad tempus de coniugio fuisse natum, quam de fornicatione: alias enim daretur occasio, ut eius lex, et praedicatio contemnerentur. Nam si cum Pharisaei ex legitimo matrimonio Christum natum esse putarent, tamen ideo contempserunt, quod fabri filium esse crederent, quid facturi erant, si spurium dicere potuissent?* Solent enim huiusmodi illegitimi, incestuosi, et adulterini contemptui haberi, tanquam infames, iuxta (Sap. 3): *Fili adulterini in consummatione erunt, et ab iniquo thoro semen exterminabitur.* Ubi Iansenius ex divo Ambrosio (serm. 6) legit: *Filii adulterorum erunt in consummationem:* et Lyra: *Filii iniquorum, qui erunt in exterminationem:* et Budaeus (in pand.): *Filii adulterorum in consummatione erunt, id est, imperfecti, et non consummati.* De quibus gravissime dixit sanctus Pontifex, et martyr Bonifacius (in epist. ad Ethel. Reg. Anglor.): *Incestuosi, et adulterini, neque in bello saeculari fortes, neque in fide stabiles, neque honorabiles hominibus, nec Deo amabiles:* quod et refertur (c. si gens Angl. dist.56). Sunt enim infames, quibus portae dignitatum non patent, ut defendit Azon (in sum. C. ex quib. caus. infamia irrogatur): idque verum habet etiam si essent legitimati a Principe, cum filius legitimatus similis sit alchimiae, quae facit apparere, quod non est, ut loquuntur Baldus, Iason, et alii, quos refert et sequitur Cassaneus (in catalog. glor. mund. part. 11. consid. 15. per tot.). Hi namque taliter nati, testes sunt adulterii, et parentibus pudori sunt, non honori, ut dixit d. Ambrosius (in ser. de s. Ioann.), et refertur (in cap. dicat. aliqu. 32. qu. 4). Unde secundum iura non promoventur ad dignitates, nisi in legitimorum defectum, ut decrevit Ulpianus Iurisconsultus (in lib. general. §. spur. ff. de Decur.): quod praecipue locum habet in filiis presbyterorum, de quibus Urbanus Papa sic statuit (in cap. 1. 56. dist.): *Presbyterorum filios a sacris altaris ministeriis removemus, nisi aut coenobiis, aut in canoniis religiose probati fuerint conversati. Nam si morum honestas eos commendabiles fecerit, cessante etiam legitimo competitore, admitti poterunt,* ut quam plurimis exemplis adductis probat divus Damasus Papa (in suo Pontif.), et refertur (in cap. 2. dist.56) his verbis: *Osius Papa fuit filius Stephani subdiaconi, Bonifacius Papa fuit filius Iucundi presbyteri, Felix Papa filius Felicis presbyteri, Agapitus Papa filius Gordiani presbyteri, Theodorus Papa filius Theodori Episcopi, Silverius Papa filius Silverii Episcopi: Romae Deus dedit Papam filium Stephani subdiaconi: Felix enim Tertius natione Romanus, et complures etiam alii inveniuntur, qui de sacerdotibus nati, Apostolicae Sedi praefuerunt.* Et efficacius Alexander Papa Secundus (in cap.12. dist.56) sic ait: *Apostolica auctoritate praecipimus vobis, ut si eum, qui ab Ecclesia electus est, altero digniorem esse, canonicamque eius electionem probaveritis, fulti nostra auctoritate consecretis: nam pro eo quod filius sacerdotis eiicitur, si caeterae virtutes in eum conveniant, non reiicimus, sed suffragantibus meritis connivendo eum recipimus.* Regulare tamen est, huiusmodi illegitimos esse imitatores paterni sceleris, et incontinentiae, ut dicitur (in cap. si quis cum milit. 6. quaest. 1. et in cap. si gens Angl. dist. 56). Huius autem boni nominis in Christo apud homines, et quod fuerit ex Virgine natus, unicus testis fuit b. Ioseph, in quo maxima eius excellentia declaratur, iuxta illud (Psal. 80. num. 6): *Testimonium in Ioseph posuit illud,* ut optime explicuit Isidorus Isolanus (2. part. cap. 4) dicens: *Ipse Ioseph fuit Christi ex Virgine nati unicus testis.* Quo munere sanc-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tos, aequavit Spiritus, qui testes, et nuntii sunt, et revelatores mysteriorum Dei.

§. VI.

DE DUPLICI D. IOSEPHI SUBLIMI DIGNITATE, SPONSI SCILICET DEIPARAE VIRGINIS, ET CHRISTI DOMINI PATRIS LEGALIS.

Cum Moyses historiam dierum creationis mundi texere instituerat, in haec verba illam exorsus est: *In principio creavit Deus coelum et terram*; ubi Originale Hebraeum habet: *In principio creavit Heylon*, quod idem est quod Iudices, *coelum et terram*. In quibus verbis interpretes duplicem reperiunt difficultatem. Prima levis est, quod secundum documenta linguae latinae non bene inter se consentiant, singulare illud *creavit*, et plurale *Iudices*: verum hac incongrua secundum Latinos dicendi phrasi latet supremum theologiae arcanum, ac altissimum Triadis mysterium: nam verbum illud in plurali *Iudices*, pluralitatem divinarum personarum attestatur; vox autem *creavit* in singulari, unitatem Deitatis, in qua divinae personae consubstantiales sunt, et unicus solus Deus non obscure indicat. Secunda difficultas gravior est, quia non bene cohaerere videntur Creator, et Iudex: nam creare nihil habet commune cum munere iudicis: ut quid ergo ait Moyses: *Creavit Iudices coelum et terram?* Creare enim est quoddam gratuitum beneficium, quod Deus confert rei creatae, adeo ut divus Augustinus (*epist.* 106), et divus Bernardus (*lib. de gratia, et lib. arb.*) vocaverint illud gratiam creationis; iudicem autem fungi munere suo, non pertinet ad gratiam, sed ad iustitiam. Ita sane esse non diffiteor; sed quia opus iustitiae distributivae est dare unicuique secundum propria eius merita, et Deus in creatione hoc genus iustitiae suo modo observavit, singulis creaturis iuxta exigentiam, et merita suae naturae varias facultates, potentias, situm, locum, et proportionem cum aliis eis conferens; idcirco sapienter Moyses ad id declarandum dixit: *Creavit Iudices*. Hanc interpretationem docuit me Tertullianus (*advers. Marci.*), dum de creatione mundi loquens ait: *A primordio tam bonus, quam iustus, bonitas eius operata est mundum, iustitia modulata est*: et subinngit: *Iustitiae opus est, quod inter lucem, et tenebras, inter diem, et noctem, inter coelum, et terram separatio pronunciata est, ita bonitas concepit omnia, iustitia distinxit*. Ecce ait, divinam bonitatem, et divinam iustitiam pariter concurrisse ad fabricam huius mundi; aliter tamen, et aliter, quia bonitas ex nihilo creavit, in illas se diffundens: *Bonitas eius operata est mundum;* iustitia vero qualitates, ordinem, et proportionem cum aliis iuxta uniuscuiusque naturae exigentiam dedit: *Iustitia distinxit*, inquit Tertullianus. Sed et dixit: *Iustitia modulata est*, quia revera mixta haec creaturarum proportio, connexio, et cohaerentia cum quadam inter se pugna permixta, ut quidam Poetarum cecinit:

> Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,
> Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus,

suavent concentum modulari videtur, ut dixit Iob (*cap.*38): *Quis enarrabit rationes coelorum, et concentum coeli dormire quis faciet?* Adeo autem Deo placuit creaturarum hic concentus, quod quamvis de singulis operibus creationis Moyses dicat: *Vidit Deus, quod esset bonum;* tamen postquam iam omnia opera compleverat, observante Deo in illis mirabilem concentum, et inter se proportionem, affirmat Moyses (*Gen.*1): *Vidit Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona*. Ecce attendens ad creaturarum naturam, prius dixit esse bona, deinde ad miram harmoniam, et consonantiam inter se respiciens, dixit, cuncta simul sumpta esse valde bona. Illud tamen in operibus creationis singulari observatione dignum arbitror, quod, cum Deus singulas alias creaturas creans, confestim illas laudaret, vocans illas bonas, ab hominis tamen laude, cum illum creavit, se abstinuit. Scio alicui videri posse consulto id factum, ad manifestandum liberum hominis arbitrium, cuius operibus, laude, vel vituperio dignus redditur; unde quonsque operaretur, laudari non dicebat; sed nostro argumento accommodatius arbitror, Deum non laudasse illum a bonitate, qua nondum tunc creaverat mulierem illi consonam, et conformem, ex cuius consortio magna illi debebat accrescere perfectio, ut non obscure indicant verba ipsius Dei (*Gen.*2): *Non est bonum, hominem esse solum: faciamus adiutorium simile sibi*. D. Ambrosius (*lib. de institut. Virginum cap.* 3) ex hoc divino oraculo infert: *Sine muliere igitur homo non habet laudem, in muliere praedicatur*. Ecce quomodo laus viri, et complementum perfectionis illius a foemina dependet propter miram consonantiam, et harmoniam, quam conformitas inter illos parit. Haec cum ita sint, nemo sanae mentis ambiget, perfectionem et laudem divi Iosephi maxime pendere a sponsa sua Maria: unde ad id innuendum s. Evangelista Matthaeus (*c.*1) notanter dixit: *Cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph*, quasi dicat: attendite, Iosephum sponsum esse Matris Iesu: hinc enim valde innotescit sanctitatis, et dignitatis eius excellentia, cum absonum sit de Deo cogitare voluisse, Matrem suam in matrimonium coniungere viro sibi moribus dissimili: si enim caram habuit dandi Adae adiutorium simile sibi, quomodo nisi insipienter credam, dissimile Matri suae dedisset? Et quis quaeso sibi persuadeat in sponsalitio Mariae cum Iosepho non fuisse ad unguem impletum illud (*Ecclesiast.* 7): *Trade filiam, et grande opus feceris, et homini sensato da illam*: ubi Gloss. Interlin. *Id est, prudenti, strenuo, qui bene servet eam*. Et Lyra et Iansen. *Trade filiam nuptui, et homini prudenti da illam, ita ut magis habeatur respectus ad mores, et prudentiam sponsi, quam ad opes, vel genus*. Huc pertinet responsio Themistoclis, qui cum a quodam esset interrogatus, cuinam ex duobus filiam suam daret, improbo ne diviti, an pau-

peri bono ac prudenti viro: *Malo*, inquit, *virum, qui pecunia egent, quam pecuniam quae viro*. Sicut ergo b. Virgo fuit omnium mulierum praestantissima, sic etiam sanctissimus Ioseph fuit omnium hominum prudentissimus, ut sic a Deo matrimonium peculiariter ordinatum inter eos debita proportione contraheretur. Deinde si argumentum hominis Deo grati est, prudentem uxorem ab eo accipere, Salomone dicente (*Prov.*19): *Domus, et divitiae dantur a parentibus, a Domino autem praeparatur uxor prudens;* certe cum divo Iosepho solum prae omnibus aliis viris tam creatis, quam creabilibus, Dominus praeparaverit in uxorem Matrem suam Virginem, non ex quinque prudentibus, sed omnium prudentissimis; non leve illud argumentum censeri debet, ipsum reliquos omnes sanctitatis excellentia longe superare: quod ne praecipitanter dixisse videar, testimonio divi Augustini omni exceptione maiori id constabiliam: etenim (*serm.* 81. *de tempore*) reliquos omnes sanctos comparat stellis, d. autem Iosephum fulgenti soli. Disserit eo loco de somnio illo, in quo antiquus patriarcha Ioseph vidit lunam, solem, et stellas ad adorandum eum sibi procumbere, notatque s. Doctor visionem hanc propheticam minime gentium ad unguem impletam fuisse in antiquo illo Iosepho, tum quia mater eius, quam luna significabat, iam de hac luce migraverat, atque adeo illum adorare non poterat: tum quia fratribus eius stellarum nomen non congruebat, quia invidiae nox obscuros illos, et tenebrosos effecerat. Vaticinium igitur illud impletum fuit in vero Ioseph Christo Domino, cuius antiquus ille typum gessit: hunc adorarunt stellae splendidissimae, scilicet Apostoli; hunc adoravit pulcherrima luna Maria; eundem etiam religioso adorationis cultu veneratus est sol fulgentissimus Ioseph. Non meam, sed divi Augustini doctrinam trado. Nec miretur quispiam, quod in conspectu Virginis, quae luna appellatur, Ioseph sol vocetur, quia revera sicut luna splendorem, et claritatem a sole mutuat; ita Maria honoris sui splendorem a sponso suo accepit: quae, si dum filium pareret, sponso careret, gravi infamiae nota obscuraretur. Atque hinc manifeste liquet, quod si in claro die legis gratiae praefulgebat Apostolis Ioseph, velut sol; sane in lege veteri, quae nox fuit respectu diei legis gratiae, ut Pauli (*Rom.*13) metaphora utar, dicentis: *Nox praecessit, dies autem appropinquavit:* si Ioseph tanquam sol praeesse non potuit, cum in nocte sol omnino lateat; praefuit tamen antiquis patriarchis in caliginosa legis scriptae nocte, velut resplendens luna, ut non obscure praefiguratum cerno (*Ecclesiast. cap.*50), ubi de Simone Oniae filio haec verba lego: *Quasi luna plena in diebus suis lucet, et quasi sol refulgens, sic ille effulsit*. Huius autem reddens rationem Ecclesias. subiungit: *Quia in vita sua suffulsit domum, et corroboravit templum*. Haec quam aptè in d. Iosephum conveniant, nemo est qui non videat: utrumque enim in eo palam impletum agnoscimus, praefulsit ut sol in die legis gratiae, splenduit ut luna in nocte legis scriptae: ratio autem huius illa est, quam de filio Oniae reddit Ecclesiast. *Suffulsit domum, et corroboravit templum*. Domum Virginis ille sua auctoritate, et industria, tanquam caput illius sacrae familiae, fulciebat, indigentiae Matris, et Prolis singulari providentia consulens: sed nec hoc solum praestitit: *Sed corroboravit templum*, hoc est, corpus Christi nutriebat, et alimento robustius reddebat, quod ipse templum appellavit: *Solvite templum hoc, et iterum reaedificabo illud. Ipse autem*, ait Ioannes (*c.* 2), *dicebat de templo corporis sui*.

Ad haec si Salomon (*Proverb.*18) dixit: *Qui invenit mulierem bonam, inveniet bonum, et hauriet iucunditatem a Domino*; quantam putavimus d. Iosephi felicitatem, qui non modo invenit mulierem bonam, sed optimam omnium, ipsam scilicet Deiparentem? Sane credendus est hausisse maiorem, quam nemo iucunditatem a Domino: tunc autem illam hausit, cum in utero sponsae suae auctorem ipsius iucunditatis delitescere agnovit. Quare duplicem felicitatem contemplor in Iosepho; primo, ex eo quod invenit mulierem bonam, ut ait Salomon: secundo, quod illa ab eo inventa est habens in utero de Spiritu sancto, ut testatur divus Lucas (*c.*1). Ut enim dixit divus Hieronymus (*in commentar. hui. loci*): *Non ab alio inventa est, nisi a Ioseph, qui pene licentia maritali futura uxoris omnia noverat*. Et quidem cum propria uxor sit velut ager, seu haereditas ipsi viro, merito Ioseph cum David patre suo canere poterit illud (*Psalm.*13): *Funes ceciderunt mihi in praeclaris: etenim haereditas mea praeclara est mihi*. Sed quare sibi praeclara? sane quia inventa est ab eo habens in utero de Spiritu sancto Filium Dei, infiniti adeo valoris thesaurum, ut de eo Salomon (*Sap.* 7): *Infinitus thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei*. Sed et in hoc etiam mira Iosephi excellentia super omnes sanctos eminet, quod illi participes facti amicitiae Dei, non aliud, quam amicitiam hauserunt ex illo infinito thesauro; at Ioseph non solum hausit arctissimae amicitiae cum Deo foedera, sed et paternitatis, et superioritatis super eum singularia iura, nemini alteri, quam sibi, et Virgini concessa.

Quid plura? illud celsissimae dignitatis sponsi Deiparae excellentiam mirum in modum commendat, quod si, cum Adam, et Eva matrimonio iam copulati, communis perditionis, et iacturae humani generis antiquo serpente suadente principium, et origo extitere, ita Maria et Ioseph vero matrimonio coniuncti, tanquam aptissima Dei instrumenta, reparationi antiquae illius ruinae totius generis humani primordia exhibuere. Unde verba illa (*Psal.*18): *Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam*: iuxta explicationem d. Thom. ita quidem interpretari licet: *Dies*, i. e. Gabriel, *eructat Verbum Dei*, i. e. Virgini; Verbum divinum, in eam iucurandum ei praenuncians, *nox noctem*, id est, diabolus, *indicat scientiam nocti*, i. e. Evae, quam ipse fraudulenter obscuravit, dicens: *Eritis sicut Dei, scientes bonum, et malum*. Deinde sicut tunc serpens prius mulierem seduxit, et postea virum, ut legimus (*Genes.*3): *Comedit, deditque viro suo, qui*

comedit, sic similiter angelus prius Virgini incarnationis mysterium manifestavit: *Concipies in utero, et paries filium;* postmodum vero divo Iosepho, dicens: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Ac tandem sicut Adam, et Eva mortem peccati in posteros omnes transfuderant, ita Maria, et Ioseph vitam in universum orbem terrarum intulerunt, illa concipiendo, et pariendo auctorem vitae Christum Dominum, hic vero eundem infantem nutriendo, fovendo, et ab Herodis tyrannide liberando. Haec et similia perpendens de nostro Iosepho Cancellarius Parisiensis (*serm. de Nativ. Mar.*) dixit: *Decuit, ut Maria tanta puritate, qua sub Deo maior nequeat intelligi, ut s. Anselmus: ita ait decuit, ut Ioseph tanta praerogativa polleret, quae similitudinem, et convenientiam exprimeret talis sponsi ad talem sponsam, de qua natus est Iesus, qui vocatus est Christus: et ut potest colligi ex* (*Matth.* 1), *beatissimus Ioseph fuit super omnes homines purus similis Virginis gloriosae;* haec ille. Isidorus vero Isolanus de b. Ioseph valde bene meritus eandem sponsi Deiparae dignitatem contemplans, haec scripsit (*2. part. cap.* 4): *Quantae latebant in sanctissimo Iosepho virtutes, quibus Filium Dei educaret, aleret, et vestiret: ad varia enim animantium genera alenda, atque educanda, omnium corporum coelestium vis concurrit, quam ab angelis orbium motoribus accipiunt; Ioseph autem Verbum Dei, per quod coelestes orbes, et angeli conditi sunt, et in esse conservantur, enutrivit, et aluit. Ioseph profecto plusquam Iosaba fuit, ac in eo praefiguratus est, qui Ioas infantem clam nutrivit, et aluit, ac regem Israel tandem constituit, ut habetur* (4. *Reg.* 11): et paulo inferius: *Propter coniugium cum beata Virgine Ioseph fuit Christi ex Virgine nati unicus testis, et hoc munere sanctos aequavit spiritus, qui testes, et nuntii sunt ac revelatores mysteriorum Dei: unde angeli vocantur: Coeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum eius annuntiat firmamentum. Sacrarum quoque litterarum emerita dignitate donatus est: sacrae enim litterae testimonium Domini vocantur* (*Psalm.* 18): *Testimonium Domini fidele, sapientiam praestans parvulis. Fidelis nimirum, nimiumque Ioseph, cuius unica testificatio satis Deo, et angelis faciebat, cui etiam universae nationes, quae sub coelo sunt, merito assentiri debent, Domino sermonem confirmante sequentibus signis.* Ad quae attendens d. Ioannes Damascenus (*orat.* 3. *de Nativ. Mar.*) magnam vocavit dignitatem Iosephi: sic enim loquitur: *Dignitas magna haec concessa fuit Iosepho singulari Dei dono, ut per dispensationem omni sermone praestantiorem fieret Virginis sponsus.* Ex qua dignitate aliam ex consequenti obtinuit omnino ineffabilem, quod legalis Christi pater fieret, ut his verbis eleganter adnotavit Rupertus (*lib.* 1. *de glor. et honor. fil. homin. in cap.* 1. *Matth.*): *Virum Mariae cum dicit, magnum, et verum nomen b. Iosepho attribuit Evangelista: quia si est vir Mariae, est pater Domini; si ergo vir Mariae Ioseph, et ipsa uxor illius: proinde neque iste Evangelista Matthaeus inepte dixit Ioseph virum Mariae, neque alius Evangelista* (*Luc.* 2) *mentitus est, patrem illum eius qui ex ea natus est Christi appellando, dicens: Et erat pater eius, et Mater mirantes super his quae dicebantur de illo;* hactenus Rupertus.

Ex quibus aperte constat, ut recte adnotavit divus Augustinus (*lib.* 2. *de cons. Evang. cap.* 1), quod, licet divus Ioseph parentis opinionem haberet apud Christi conceptionis ignaros, patris tamen appellationem non ab illis solum, sed a sacris Evangelistis, et ab ipsa Dei Genitrice, quae nihil falsum proferre poterat, accepit, cum (*Luc.* 2) dixit: *Pater tuus, et ego dolentes quaerebamus te.* Nec quidquam refert, si obiicias, quod cum beatus Ioseph non fuerit Christi genitor, non recte dicatur pater eius: respondet enim divus Augustinus (*lib.* 23. *contr. Faust. tom.* 6): *Quid ergo iam moveat sancti Evangelii sectatorem, quod sine concubitu Iosephi Christus natus ex Virgine, filius tamen David appelletur, cum generationum seriem, non usque ad Mariam, sed usque ad Ioseph Matthaeus Evangelista perducat. Primo quia marii eius fuerat propter virilem sexum potius honoranda persona, neque enim quia concubitu non permixtus, ideo non maritus; cum ipse Matthaeus narret, ab angelo Mariam coniugem ipsius appellatam, qui narrat, quod non ipsius concubitu, sed de Spiritu sancto conceperit. Cum vero unus idemque narrator, utrumque dicat, utrumque commendet, et virum Mariae Ioseph, et Christi Virginem Matrem, et Christum ex semine David, et Ioseph in serie progenitorum Christi, et David, quid restat, ut credat, qui vult divino Evangelio potius, quam haereticorum fabulis assentiri, nisi et Mariam non fuisse extraneam a cognatione David, cum Ioseph coniugem non frustra appellatam propter ordinem sexus, et animorum confoederationem, quamvis ei non fuerit carne commixtus, et Ioseph potius propter dignitatem virilem ab ordine generationum illarum non fuisse separandum, ne hoc ipso videretur ab illa foemina separatus, cui eum coniungebat mentis affectus?* hactenus d. Augustinus. Et quidem, cum nominis impositio ad parentes pertineat, ad quorum nutum filii nomina suscipiunt, illud certe non obscure indicat clarissimam patris Christi nomenclaturam Iosepho apte convenire, cum coelitus ei data fuerit auctoritas imponendi Christo nomen Iesu, et consequenter quoddam genus paterni dominii, quo patres gaudent in filios: ut enim recte dixit divus Damascenus (*libr.* 2. *de fid. cap.* 3): *Nomen imponere, maiestatis, ac dominii est; nomen vero accipere, subiectionis, et servitutis: quoniam nomen vicarium est rei; et ideo auctoritas in nominis impositione significat dominium rei:* et copiosius sanctus Chrysostomus (*hom.* 6. *de laud. Paul. tom.* 4. *et homil. de convers. Paul. prop. med. tom.* 5) his elegantibus verbis id confirmat: *Quare nomen Sauli mutavit in Paulum Spiritus sanctus: quemadmodum Dominus, qui servum mercatus, ostendere volens, se Dominum servi, nomen illius immutat, ita Spiritus sanctus fecit, ubi Paulum captivum accepit, vocabulum eius mutavit. Ut enim inde disceret Paulus se habere Dominum: nominum enim impositio dominii signum est, et praecipuum. Et unde hoc declarabimus?*

facile ex his quae Dominus cum Adam egit, perspicuum erit: volens enim Dominus docere Adamum, quod eum principem et dominum fecisset, adduxit ad eum omnia animalia, ut videret, quid vocaret ea, ecce nominum impositio dominium testatur. Quid si ab hominibus ita fortum videre vultis, et discere, olim talem fuisse morem, quod servorum in captivitatem adductorum nomina mutata sint. Audite quid fecerit Babyloniorum Rex: nam ut captivos adduxit Ananiam, Azariam, et Misaelem, non reliquit eorum nomina prima, sed vocavit eos Sidrach, Misach, et Abdenago. Idemque docet s. Hieronymus (*sup. cap.* 2. *Dan.*) his verbis: *Non solum praepositus Eunuchorum sanctis mutat nomina, sed et Pharao Ioseph in Ægypto appellavit Saphanatphores nolentes eos in terra captivitatis vocabula habere Iudaeorum.*

Atque hinc fit quod propter hanc rationem olim in circumcisione, modo autem in baptismo, nomina parvulis imponuntur, quia ex eo tempore, iam non daemon, sed Deus noster incipit eorum esse dominus peculiari, et novo titulo, iuxta illud (*Gen.* 28), ubi Iacob votum vovens Deo dixit: *Erit mihi Dominus in Deum.* Unde quia ingressus in religionem habet quandam imaginem, et effectum baptismi: ideo secundum s. Thomam (2. 2. *qu.* 189 *art.* 3. *ad* 3), legitur in vitis Patrum, quod eandem gratiam consequuntur religionem intrantem quam baptizati. Hinc piissimus Isolanus (*p.* 1. *c.* 11) pro mira, qua praestabat erga d. Iosephum, devotione, perdocte, et pie dixit: *Non parum attulit dignitatis Ioseph legatio angelica, qua ei mandavit dicens, vocabis nomen eius Iesum* (*Matth.* 1): *impositione enim, ac sanctissimi nominis huius publicatione coeleste secretum mundo aperuit Ioseph, Patris coelestis vices gessit, Spiritus sancti arcana, quae in canticis, et Prophetis mysteria abscondita erant, patefecit, beatissimaeque mundi Reginae coniugis suae collega fuit, atque angelicae maiestatis sublimitatem attigit.* Quod appositissimo hoc, et quotidiano exemplo statim confirmat. Est namque mos apud homines, ut Patres nomina imponendi filiis auctoritatem habeant: Iesus autem erat Filius Dei Patris sanctus: igitur Ioseph Patris coelestis vices hac in dignitate manifeste gessit. Olim Spiritus sanctus per ora loquens Prophetarum diversorum variis vocibus, licet aenigmaticis, beatissimum nomen Iesu expressit. Legitur (*Isai.* 7): *Vocabitur nomen eius Emmanuel.* Item (*cap.* 9): *Vocabitur nomen eius, admirabilis, Deus fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis:* et item: *Vocabitur nomen eius, spolia detrahe, festina praedare.* Messias, quod nomen interpretatur Christus, notissimum apud Hebraeos est. In Canticis quoque scribitur (*cap.* 1): *Oleum effusum nomen tuum.* Lucae vero (*cap.* 2) dicitur: *Et Filius Altissimi vocabitur.* Haec vero mysteria unica nominis Iesu impositione ignaro orbi aperuit noster Ioseph. Verum, ut patris Christi dignitas magis innotescat, revocate quaeso in memoriam, quod, dum ipse mori esset propinquus, de Ioanne Evangelista dixit: *Mulier, ecce filius tuus.* Ex qua appellatione colligunt omnes sancti singularem amorem, quem Christus ad Ioannem habuit, quem tanto honore affecit, ut nomen filii sibi proprium illi communicaret, et loco sui ipsius illum substitueret. Cum igitur multo excellentior sit parentis Christi, quam filii Virginis appellatio, non solum, quia patris appellatio maiorem auctoritatem praesefert, sed etiam, quia dignitas Christi dignitatem Virginis infinite excedit, consequens est, non solum patris Christi nomen, sed etiam rem, quae huic nomini subest, Iosephum participasse, quantum excepta generatione ab homine participari potuit, ut loquitur divus Chrysostomus (*hom.* 4. *in Mat.*).

Ad extremum illud eiusdem dignitatis patris Christi excellentiam palam facit, quod ad illam consequitur in Iosepho quaedam superioritatis auctoritas super Christum Dominum, ut disertis verbis dixit Lucas: *Et erat subditus illis:* quamvis enim verum sit, quod haec subiectio ex parte Christi, et superioritas ex parte Iosephi magis significat usum, quam debitum, quia re vera Christus propter dignitatem suae personae nulli hominum proprie subiectionem debebat, tamen ad dignitatem Ioseph declarandam satis est: tum quod praecise considerata humana conditione et origine, Christus futurus erat iure subditus Ioseph, eo quod maritus esset matris eius: tum quod, licet ratione divinitatis esset omnino exemptus, tamen de facto voluit illi esse subiectus, eique tanquam patri, ac superiori obedientiam, honoremque deferre.

Ceterum, quia rem hanc maximi momenti esse reor ad Iosephi dignitatem illustrandam, explicare oportebit fundamentum paternitatis Ioseph, ex quo in eo resultat superioritatis mira illa dignitas, nec non et obedientia a Christo ei praestita; quod quia praeclare exposuit Gerson, eius verba hic apponam: is (*ser. de Nativ. Mar. consid.* 4) explicans illud (*Matth.* 1): *Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus,* sic loquitur: *De Maria natus est Iesus nedum corporaliter, sed spiritualiter quidem, et de virginali sponso suo Ioseph, suo modo dici potest: non equidem, quod de Ioseph natus sit Iesus modo quo blasphemat Iudaeus infelix, qui dicit Christum de Iosephi semine esse natum: procul sit hoc a pietate fidelium, sed attendendo triplicem nativitatem Iesu Christi, attendat et vestra beatitudo, scilicet aeternalem, corporalem, spiritualem vel mentalem. Nascitur enim aeternaliter ex patre, quemadmodum nascitur splendor ex luce coaevus luci, de quo Ecclesiasticus: Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam, et in Psalmo: Ex utero ante luciferum genui te. In hac aeternali nativitate Christi Iesu, nec Maria, nec Ioseph communicat. Altera nativitas Christi Iesu corporaliter in mundo ex Virgine, de qua angelus ad Mariam: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Et hoc factum est, quando completi sunt dies Mariae, ut pareret, et peperit filium suum primogenitum; et in hac quidem nativitate sola Maria materiam ministravit; at vero quia corpus Mariae fuit ipsius Ioseph iure matrimoniali, quo fit mutua translatio corporum viri ad mulierem, et e contra: videamus, si cum in-*

telligentiae sobrietate dicere fas nobis sit, quod ex corpore, et carne Joseph natus est Christus Iesus? et hoc dici forsitan posset, nisi piarum aurium timeretur offensio: idem etiam Gerson (*cod. serm.*) aliam egregiam rationem paternitatis Ioseph in haec verba reddit: *Natus est Iesus in terra, seu fundo ipsius Ioseph, de qua terra Isaias clamat: Rorate coeli desuper, et nubes pluant iustum: aperiatur terra, et germinet Salvatorem; et David: Veritas de terra orta est: quidni competat igitur ipsi Josephi ius aliquod legale ultra ceteros homines in benedicta pueri Iesu formatione, quoniam natus est in eo, et ex ea carne, cuius dominium iure matrimoniali vere translatum erat in ipsum. Unde d. August.* (*lib. 2. de consensu Evang. cap. 1*) *dicere audet: Non quod opinione sola, sed quadam ex parte veritatis quoque Josephi filius esset Iesus, quippe qui Mariae verissimus filius.* Ex hac autem paternitatis dignitate alia mirabilis accrevit Iosepho praerogativa, quod Christo Domino multifarie multisque modis utilis fuerit: etenim licet Dominus dixerit omnibus iustis (*Luc.* 10): *Cum feceritis omnia, quae praeceperim vobis, dicite, quia servi inutiles sumus;* audeo tamen dicere hanc praerogativam Iosepho coelitus datam, ut mirum in modum utilis fuerit Christo Domino creatori, et redemptori suo: unde cupiens angelus Gabriel Iosepho amanter ostendere ministerium, laborem, suaeque personae industriam, et fidelissimam providentiam familiae Dei esse necessariam ad utilitatem matris, et filii, ad matrimonii honorem, pariterque ad ipsiusmet Iosephi eximiam exaltationem, dixit ei (*Matth.* 1): *Pariet autem filium, et vocabis nomen eius Iesum:* ubi Gloss. ord. sic interpretatur: *Pariet ne videretur Ioseph non esse necessarius ei, subdit: pariet: et sic erit necessarius educationi.* Sed multo praestantius s. Tho. (*sup. Mat. in expos. et in catena*) ait: *Hic angelus pronunciat obsequium, quod exhibebit Ioseph puero iam nato, quia posset Ioseph dicere, ipsa concepit de Spiritu sancto, et pariet filium, quid ergo ad me? in nullo sum ei necessarius: ideo subdit Iosephi obsequium, vocabis nomen eius Iesum. Ostenditque, quod quamvis non fuerit necessarius conceptui, tamen utilis est educationi, quia ipsa pariet filium, et tunc matri, et filio erit necessarius: matri, ut ab infamia defendat, filio, ut eum enutriat.* Adverte Ioseph dignitatem tuam, illam attente considera. Deus per quem nec ales esurit, qui dat iumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum, qui producit in montibus foenum, et herbam servitutti hominum, qui Danielem in laca leonum mirabiliter pavit, qui aperit manum suam, et implet omne animal benedictione, et omnibus affluenter tribuit, ille, in quem desiderant angeli prospicere, factus homo vult tibi subdi, vult a te enutriri, vult denique, ut filius tuus sub tua protectione morari. S. Ambros. explicans illa eadem verba, *Pariet tibi filium* (*hom. 2. de nat. Dom.*) sic loquitur: *Ioseph conceptum filium suscepit quem non genuit; et ideo angelus dixit, Pariet autem filium, et non dixit, pariet tibi filium, sicut Zacharias antea dixerat: Ecce Elisabeth uxor tua pariet tibi filium, quia mulier, quae ex viro concepit, marito suo filium parit, quia magis est ex illo, quam ipsa. Haec autem quae non de viro conceperat, non viro filium peperit, sed sibi tantummodo.* Quis quaeso oratione digne prosequi valeat, quam utilis Ioseph Christo Domino fuerit, praesertim in itineribus, sanctissimis suis brachiis saepe illum deferens (*Matth.* 2): *Qui consurgens, accepit puerum, et matrem eius nocte, et secessit in Aegyptum:* tunc b. Iosephum devotissime ita coram infante modulatum contemplor (*Psal.* 118): *Cantabiles mihi erant iustificationes tuae in loco peregrinationis meae: memor fui nocte nominis tui, Domine, et custodivit legem tuam. Haec facta est mihi, quia iustificationes tuas exquisivi.* Quae verba Iansen. post d. August. Theod. Euthym. Lyranum, et alios sic interpretatur: *Cantabiles mihi erant iustificationes tuae in loco peregrinationis meae: adeo enim ardenter legem tuam dilexi, ut etiam in loco, in quo exulari, et peregrinari cogebar propter hostes me persequentes, iustissima tua praecepta a me decantarentur, ut horum oblectatione exilii, atque peregrinationis meae molestiam lenirem, et condulcorarem ad modum peregrinantium, qui ad levandum laboris et afflictionis suae fastidium, cantica exhilarantia per viam decantare solent. Nec de die tantum studio legis tuae tenebar, sed et nocte memor fui nominis tui Domine, somnum nocturnum memoria tui interrumpens: nocte, id est tentationum tempore, quandoquidem nebulam inferunt, et noctis instar hominibus supervenunt; in hoc sane potissimum necessaria est Dei memoria quae recreat, et bono animo esse iubet. Haec facta est mihi, quia iustificationes tuas exquisivi: istud nempe, ut mandata tua pro carminibus mihi essent, utque memoria tui, nec nocturno quidem tempore mentem meam desereret, evenit mihi: eo quod mandata tua omni studio quaesierim et cognoscere, et adimplere.* Deinde ingentes Deo reddens gratias pro beneficiis receptis, praecipue pro extinctione, vel repressione fomitis, et pro confirmatione in gratia, ita humiliter concinebat: *In te confirmatus sum ex utero de ventre matris meae, tu es protector meus, in te cantatio mea semper. Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.*

Verum quia in hoc plusquam angelico choro non unius Iosephi cantus tantum, qui sincinnium appellatur, sed b. Virginis simul, qui bicinnium nominatur insonaret. Rogabat Ioseph dulcissimam sponsam, ut etiam in terra aliena, et in loco peregrinationis dignaretur cantare de canticis Sion (*Cant.* 4): *Sonet, dicebat ei, vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, et facies tua decora.* Rogabat iterum (*Cant.* 8): *Quae habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam:* ubi haec Rupertus: *Dilectus dilectae dicit: Quae habitas in hortis. Quibus in hortis habitat dilecta? nisi in amoenitate Scripturarum, in delectatione virtutum pulchre florentium, bene oleatium, semper virentium, fac me audire vocem tuam:* et statim obedientiam praestans humillima Virgo respondit: *Cantabo, et psalmum dicam Domino;* continuoque canticum suum, divinitus repetebat (*Luc.* 1): *Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* Quis coelestes delicias, quis divinas consolationes, quis illustrationes supernas in sanctissimi Iosephi purissimo corde ex b. Deiparae virginali cantico ortas excogitari poterit? Si vetus illa mater Elisabeth exclamavit prophetice ad unicam Mariae salutationem: si exallavit prae gaudio infans in utero eius; quid ex continua cohabitatione, et allocutione cum Maria, et puero Iesu, Ioseph acceperit divinae consolationis, et illuminationis? Intueor Mariam baiulantem in ulnis speciosum forma prae filiis hominum, quae blandiebatur arridenti, quae condolebat vagienti, et frequenter viro suo Ioseph infantem baiulandum, fovendum, osculandumque tradebat? quia tamen amici angeli eos comitantes auscultabant, prae nimio gaudio, et laetitia incredibili elevaverunt vocem suam, ut assolent, iuxta illud (*Psal.* 67): *Praevenerunt principes coniuncti psallentibus in medio iuvencularum tympanistriarum.* Beatissimam Virginem vocari tympanistriam docet d. Aug. (*serm. 17. de nat. Dom.*). Virginali autem, ac suavi huius tympanistriae, et Iosephi cantu infantulus Iesus mirifice delectabatur, iuxta illud (*Psal.* 67): *Ibi Beniamin adolescentulus in mentis excessu.* Etenim b. Virgo, et sanctissimus Ioseph non solum canabant canticum novum, sicut celerae virgines, de quibus dicitur (*Ap.* 14): *Et cantabant quasi canticum novum ante sedem et ante quatuor animalia, et seniores, et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra: hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt, et sequuntur agnum quocunque ierit.* Cuius maximae praerogativae rationem reddunt divus August. (*lib. de virg. c.* 27. *in med. tom.* 6), et d. Thom. (2. 2. *q.* 152, *art.* 5. *ad* 3), sic dicentes: Virgines sequuntur agnum quocumque ierit, quia imitantur Christum non solum in integritate mentis, sed etiam in integritate carnis, et ideo sequuntur agnum. Canticum autem novum, quod solae virgines cantant, gaudium est, quod habent de integritate carnis: quod conforme est promissioni divinae (*Isa.* 56): *Dabo eis in domo mea, et muris meis locum, et nomen melius a filiis, et filiabus, dabo eis nomen sempiternum, quod non peribit:* quem locum d. Aug. (*lib. de virg. cap.* 23. *et* 24) docet explanandum esse de his, qui se castravecunt propter regnum coelorum. Quod idem docuit Augustinus (*lib.* 14. *cont. Faustum*), et d. Ambrosius, et d. Gregorius, et d. Basilius, et alii, quos referi Leo Castrens. (*in eundem locum*). In beata autem Virgine, et Ioseph, illa novitas singularissima est, quod virgines illae sequebantur agnum quocumque irel: virginem autem, et Iosephum, quia multo praestantiores virgines, Agnus ipse sequebatur illos, et humiliter eis obsequebatur, ut testatur d. Luc. dicens (*c.* 2): *Descendit cum eis, et venit Nazareth, et erat subditus illis.* Quod et d. Ber. (*hom.* 1. *sup. Missus est*), in haec verba observavit: *In laudibus virginum singulariter canitur, quod sequuntur agnum quocunque ierit; quibus ergo laudibus iudicas dignam, quae praeit?*

Ad extremum, non solum Ioseph pater fuit legalis Christi, sed simul etiam spiritualis, pro quo observandum est, quod Christus Dominus non nascitur in anima, quae virum non habet: ad quod adumbrandum Samaritanae dixit (*Ioan.* 4): *Voca virum tuum,* ut ei concederet aquam vivam. Sed quis, inquis, hic vir est? virilis profecto animus, quo a peccato discedat, viriliter proponens, nunquam in peccatum se consensurum: si hoc viro careas, licet multa alia bona habeas, vidua es, sine viro es, licet plena populo sis, dicique potest ad te illud (*Thren.* 3): *Quomodo sedet sola civitas plena populo? facta est quasi vidua domina gentium:* non enim est illi vir, qui eam protegat. Sicut ergo olim curavit Pharao omnes occidere viros, femellas vero reliquit, (*Exod.* 11), ita curat daemon, ut lacrymae, quas pro peccatis fundis, et reliqua, quae praestas, poenitentiae opera, sine hoc viro sint: quod si hoc fiat, femellae tibi sunt, virum non habes, reliqueris: Christus in te nequaquam nascetur. Si ergo Christum tibi adesse vis, sint tibi Mariae, et Ioseph: Maria amarum est mare lacrymarum, Ioseph virile propositum omnino a peccato discedendi: de hac spirituali generatione agens d. Bonaventura (*tom.* 2. *opusc. de* 5. *nativitat. pueri Iesu c.* 1) haec praeclara dixit: *Purgato iam intellectu contritionis lavacro, et inflammato, et elevato affectu dilectionis igniculo, castis meditationibus, et devotis cogitationibus tunc anima devota stimulata novis inspirationibus visitatur, et novo vivendi proposito a Patre luminum, a quo omne donum optimum et datum perfectum, spiritu gratiae foecundatur, et Pater ipse coelestis, divino quodam semine, animam gravidam facit, et foecundat. Post hunc conceptum sacratissimum pallet in facie per veram humilitatem fastidium cibi, et potus concipit: aliquando etiam infirmare, et aegrotare incipit anima, in propriae voluntatis abiectione. Iam paulatim grave et taedium incipit esse, quod foris est, et foris cernitur. O felix conceptus, quem talis sequitur mundi contemptus, et coelestium operationum appetitus. Iam modico gustato spiritu, desipit omnis caro; cum gemitu iam anima cum Maria montana ascendere incipit: post talem conceptum fastidiunt terrena, desiderantur coelestia, et aeterna: iam fugere incipit societatem illorum, qui terrena sapiunt, et appetit familiaritatem eorum, qui coelestia concupiscunt: iam incipit anima cum Maria ministrare Elisabeth, hoc est, illis quos divina gratia amplius per dilectionem inflammat.* B. ergo Ioseph cum ab utero matris suae sanctificatus, Filium Dei conciperet in mente, et eundem deinceps semper spiritualiter in corde fovit; manifestum est non solum patrem Christi legalem, sed eiusdem patrem spiritualem extitisse, ipso Christo Domino dicente: qui fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater, et mater est; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

§. VII.

DE FELICISSIMA D. IOSEPHI MORTE.

Cum de divi Iosephi morte nihil ex sacris eloquiis, Conciliis, traditionibus, aut antiquorum Patrum concordi doctrina certum habeamus, praeterquam quod fuerit pretiosa in conspectu Domini, et aliunde erubescamus, cum sine lege loquimur, ut habetur (*in Authen. de triente, et simisse. §. consideremus*), hinc recurrendum est ad Doctorum auctoritatem, ut dixit Gloss. (*in l. mulier bona, in princip. ff. de iur. dot.*), et Ang. (*in l. si idem, in prin. ff. de iurisd. omn. iud.*). His autem deficientibus confugiendum est ad prudentes coniecturas, praesumptiones, et indicia, ut docet Alc. (*in tr. de praesumpt. reg. 2. praesum. 14*); vel, quod idem est, ratio naturalis consulenda est: quia omne quod in ratione consistit, lex merito reputatur, ut tradit Gl. (*in c. ex eo verbo qua ratione, de elect. in 6*), unde Iurisconsultus (*in l. 16. ff. de legibus*) iure optimo dixit: *Scire leges, non est verba earum tenere, sed vim, ac potestatem.* Quibus consonat d. Hier. (*sup. c. 1. ad Gal.*), ubi de divina agens scriptura, inquit: *Marcion, et Basilides, et ceterae haereticorum pestes non habent Dei Evangelium, quia non habent Spiritum sanctum, sine quo humanum fit Evangelium, quod dicetur: nec putemus in verbis Scripturarum esse Evangelium, sed in sensu: non in superficie, sed in medulla, non in sermonum foliis, sed in radice rationis:* quod et legimus (*in c. Marcion. 1. quaest. 1*). Ergo quamdiu b. Ioseph apud nos vixerit, et quo tempore e vita discesserit, neque ex Evangelio, aut Concilio, neque ex Ecclesiae decreto, aut ex eiusdem traditione, neque ex sanctorum Patrum unanimi consensu quidquam nobis constet, diversas, in quas Doctores abierunt, sententias referemus, et quam Evangelio, rationi, et prudenti coniecturae conformiorem censuerimus, eligemus.

Primo ergo d. Epiphanius putat b. Iosephum paulo post duodecimum aetatis Christi annum e vita migrasse; sic enim docet (*haeres. 78*), hac ratione motus, quia ab eo tempore, quo Christum 12. annum agentem in templo cum b. Virgine refertur, nulla deinceps mentio fit ipsius, quamvis interdum et discipulorum, et fratrum, et b. Virginis tractetur historia: quod non alia ratione factum iudicat, nisi quia obierat paulo post 12 aetatis Christi annum: cui sententiae adhaerere videtur Baronius (*in vita Augusti*).

Alii secundo asserunt, b. Iosephum obiisse tempore praedicationis Salvatoris, Christumque Dominum cum discipulorum turba adfuisse, cum d. Ioseph ultimum tradidit spiritum, ut refert Isolanus (*4. par. cap. 1. in princ. §. alii*).

Alii tertio opinantur, b. Iosephum tempore passionis Christi superstitem fuisse, aequanimiterque passum fuisse Ioannem sibi praeponi, quando illi Christus in cruce Virginem commendavit, ita docuit sanctus Cyprianus (*serm. de pass. Domin.*) in haec verba: *Habebat Ioseph in hac Christi dispositione mirabilem contradictionem, cum alteri commendaretur Maria, si se cognovisset carnalem maritum, sed quia in spiritu actum erat coniunctionis illius mysterium, passus est Ioseph aequanimiter sibi cum in hoc servitio praeponi, quem dignioremse iudicabat: et ideo maxime, quia Magistri electio sic negotium ordinabat.* Idem tenet d. Chrysost. (*homil. 5. sup. c. 1. Matth.*) dum ait: *Si enim cognovisset eam, et loco habuisset uxoris, quomodo illam Dominus, quasi absque solatio, et nihil penitus habentem, discipulo commendasset, iubens illi, ut illam acciperet in suam?* ubi Glossa sic interpretatur: *Argumentum est, quod vivente Ioseph, separata est Virgo ab eo: hic enim exprimitur causa quare Dominus separaverit eam a Iosepho.* Et divus Ambrosius (*in tract. de institut. Virginis sup. cap. 23. Lucae*) affirmat, fuisse etiam Resurrectionis tempore inter vivos d. Iosephum, Christumque adorasse, solem, et lunam, et undecim stellas, quando post resurrectionem sancta Maria quasi luna, et b. Ioseph quasi sol, cum undecim stellis, id est, beatis Apostolis prostrati sunt ante eum, ut et ex divo Augustino supra retulimus, et eiusdem nonnullos reperio recentiores id probantes: tum quia, licet b. Ioseph per verum, et essentiale matrimonium ratum fuerit Virgini datus in adiutorium et solatium, et ut abditissimum Incarnationis mysterium sub illius sanctissimi matrimonii umbra celaretur, passionis tamen Dominicae tempore ita erat Ioseph senio confectus, ut iuvamine alieno potius ipse indigeret, quam ut Virginem adiuvare posset; tum quia eo tempore veritatem Incarnationis mysterii, quod scilicet Christus Dominus, non filius Ioseph, ut putabatur, sed Filius Dei et filius Virginis, ope Spiritus sancti conceptus fuisset, oportebat declarari, Iosepho manente Virginis sponso, et matrimonii vinculo cum ea coniuncto: tum quia (*Matth. cap. 3*) satis id indicatur in illis verbis: *Nonne hic est fabri filius? Nonne mater eius dicitur Maria, et fratres eius, Iacobus, et Ioseph, et Simon, et Iudas, et sorores eius? Nonne omnes apud nos sunt? Unde ergo huic omnia ista?* Quae non obscure insinuant, beatum Iosephum adhuc superstitem esse.

Alii gravissimi Doctores, quorum sententiae subscribo, e contra docent, b. Iosephum ante passionem Dominicam paulo ante, vel post baptismum, et ante nuptias Canae Galilaeae feliciter in Domino obdormisse; ita tradunt divus Hieronymus (*libr. contra Elvid.*), d. Bern. Senen. (*tom. 3. serm. de Iosepho cap. 3*), s. Bonaventura (*de vita Christi cap. 17*), s. Vincentius (*serm. de S. Ioseph*), Gregorius Cedrenus (*in compend. historiarum*), Petrus Nannius (*in scholiis ad epist. 79*), s. Ambrosius, et Gerson (*de S. Ioseph*), Ubertinus (*lib. de arbore vitae*), Petrus Comestor (*in sua histor. cap. 86*), et latissime Isolanus (*4. par. cap. 1*), Paludanus (*in 4. dist. 30. qu. 2. nu. 16. concl. 4*), Viguerius (*de mysterio Incarnationis Filii Dei cap. de Ann. Dominica §. 9*), Canisius (*lib. 2. de Virgine cap. 13. paulo post princ.*), Salmeron (*tom. 10. tr. 41. §. dicit Matri suae*), card. Toletus (*super cap. 2. Ioannis, annot. 2. et postea super cap. 19. in illa verba: deinde dicit discipulo: Ecce Mater tua*), Franciscus Suarez (*tom. 2. in 3. par. q. 29. art. 1. et 2. disput. 7. sect. 1. §. ad primam confirmationem, et sect. 3. in fine*), Barradius (*tom. 2. lib. 3. super illa verba Ioannis: et erat Mater Iesu ibi*), Castro (*de hist. Deiparae cap. 13*), et plures alii Neoterici, non contemnendae auctoritatis.

Probarique potest optimis coniecturis. Prima, quia cum ex una parte matrimonium inter Virginem, et Iosephum fuerit a Deo principaliter ordinatum propter Christum Dominum, tum ut legitimus putaretur, tum etiam ut erga illum se exhiberet tutorem, nutritium, et adiutorem fidelissimum. Ex alia autem parte Christus Dominus trigesimum ingrediens annum a baptismi, et praedicationis tempore, aliam vitae rationem institueret, publice inter peccatores degens, et ex eleemosynis piorum victum quotidianum acciperet, seque ipsum manifestans non esse filium Iosephi, sed Mariae tantum, Spiritu sancto cum ea cooperante, prudenter satis colligimus, in re dubia cessante fine ministeriorum Iosephi, et contracti matrimonii, ante nuptias Canae Galilaeae vita functum fuisse. Secunda coniectura, quia in nuptiis Canae Galilaeae Mater Iesu, et similiter Iesus, et discipuli eius vocati sunt, nulla Iosephi facta mentione; quod sane factum non fuisset, nisi iam ipse e vita discessisset, quando etiam Christo praedicanti nunciatum fuit (*Matth. 12*): *Ecce mater tua, et fratres tui foris stant, quaerentes te:* certe cum nulla etiam tunc Iosephi facta fuerit mentio, nullam aliam eius rationem crediderim, nisi quia iam obierat, et Virgo in custodiam filii transierat.

Atque ex his plane efficitur, quod cum Christus Dominus usque ad tempus praedicationis eguisset ministerio, et labore Iosephi, ut ei vitae necessaria suppeditaret, falsam esse eorum opinionem, qui anno aetatis Christi 12. putarunt illum obiisse. Efficitur etiam, nullam praeseferre veritatem aliorum sententiam, opinantium, illum mortuum fuisse tempore praedicationis Christi, et Apostolos eius interfuisse morti: hoc enim, licet possibile fuerit, nulla tamen apparenti congruentia probant, id ita contigisse; ac tandem, quae alii proferunt, opinantes, Iosephum vixisse tempore mortis Christi, mihi plane videntur a ratione aliena; et quidem, quod Glossa illa dixit a nobis supra citata, nimirum Iosephum, cum passionis tempore viveret, divortio separatum a Virgine, mihi omnino execrabile videtur propter egregias rationes, quas Isolanus his verbis congessit (*4. par. c. 1*): *Non enim rationabile est, imo impium videtur dicere, quod Ioseph libellum repudii dederit b. Virgini, ut lex Moysi iubebat, cum nulla subesset causa, nisi Ioseph mentiri voluisset, quod non facit iustus: praesertim quod coniugium illud omni claruit perfectione, ut supra probatum fuit, sed ad perpetuum spectat matrimonium perpetua cohabitatio, diuturnamque separationem non fert. Consonat ergo rationi mirum in modum, Iosephum viventem a b. Virgine numquam fuisse separatum: charitas enim numquam excidit, ac eius nexus: et inter beatam Virginem, et s. Iosephum fuit amor secundum perfectam charitatem: ergo amor ille numquam fuit dissolutus, et per consequens nec coniugium, praesertim nulla auctoritate, nullave necessitate intervenientibus, et adhuc, quia exercitium operum divinae pietatis est conforme legi communi, dirigenti illa opera: sed haec est lex prima matrimonii a divina pietate instituta, inseparabilitas in vita utriusque coniugis, (Genes. 2): Propter hoc relinquet homo patrem suum, et matrem suam, et adhaerebit uxori suae. Hoc igitur matrimonium nunquam fuit separatum. Hinc ait Petrus Palud.* (*in 4. dist. 30. qu. 2. art. 2*): *Bonum sacramenti est inseparabilitas: ipsi autem non fuerunt separati usque ad mortem: concinitur ergo Ioseph mortuus, quando fuit alteri commendata;* hactenus ille.

Et quidem si b. Ioseph tempore Dominicae passionis adhuc viveret, nec esset absens a Dominica cruce, neque oportuisset sacram Virginem commendari alieno custodi, praetermisso legitimo marito, neque erat, cur eo honore, ac dignitate tam acceptus Deo patriarcha privaretur, et in alium transferretur, nisi gratis fingamus illum seniculum, ac decrepitum, nullique ministerio, atque custodiae amplius aptum, sed potius ipsum ulterius custodia, opeque indigere: quod nulla apparenti ratione unquam probare poterunt.

Ex eadem quoque radice non carel maxima difficultate, quod Gratianus supra relatus (*in d. cap. si enim 27. q. 2*) retulit ex d. Chrysostomo (*hom. 5. sup. c. 1. Matt.*), cui respondet Isolanus (*loco citato*) in haec verba: *Dicitur primo, quod ille textus ubicumque sit, est intelligendus de separatione quantum ad mortem: dico secundo me diligenter quaesisse textum adductum in hom. s. Chrysostomi, et nihil, nec quidem simile comparisse, immo potius adversa, et contraria: sic enim habetur in hom. de s. Iosepho: Ille siquidem tam modestus erat, et honestus, tanquam a cuiusvis passione liber, ut neque suspicione cogente, vellet in Virginis ire supplicium: ille enim supra legem philosophatur: dimittere enim et occulte omittere, sine dubio erat philosophantis supra legem: quomodo contra legem aliquid admitteret?* haec ille.

Neque aliquid probat locus ille Matth. (*c. 13*): *Nonne omnes apud nos sunt?* quia, ut Christus Dominus tunc diceretur fabri filius, necesse non erat Iosephum tunc temporis fuisse superstitem, cum in communi usu loquendi filius fabri dicatur, cuius pater iamdiu vita functus, fabri munus exercebat: sic ergo contigit Christo Domino; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

§. ULT.

DE RESURRECTIONE D. IOSEPHI AD VITAM IMMORTALEM, ET GLORIOSAM, SECUNDUM ANIMAM, ET CORPUS.

Sicut semper eorum execratus sum opinionem, qui putarunt eos, qui cum Christo Do-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mino resurrexerunt, quorum meminit d. Matthaeus (*cap.* 27) dicens: *Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt*, iterum in mortis fauces incidisse; ita semper illorum libenter amplexatus sum sententiam, qui ad vitam immortalem eos resurrexisse constanter affirmant. Hi sunt angelicus doctor s. Thomas (*sup. cap.* 27. *Matth. et in* 4. *dist.* 43. *q.* 1. *art.* 3), Origenes (*sup. epist. ad Rom. cap.* 1), Remigius (*in cap.* 27. *Matth*), cardinalis Caietanus (*in* 3. *p. q.* 53. *art.* 3), Iansenius (*cap.* 143. *suae concord.*), ac multi theologi (*in* 4. *dist.* 43. *q.* 1. *art.* 3. *et in* 3. *dist.* 22), ac tandem communiter recentiores: quorum omnium Doctorum assertum multifariam falcire possumus. Primo, quia qui cum Christo resurrexerunt, suscitati sunt a Deo ad manifestationem, et comprobationem resurrectionis Christi Domini. Igitur cum Christi resurrectio fuerit ad immortalem vitam, iuxta illud Pauli (*ad Rom.* 6): *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors ultra illi non dominabitur*; consequens est, illos resurrexisse, iterum non moituros: nam si iterum morerentur, similem iudicium omnes de Christo ferrent, iudicantes iterum illum moriturum, sicut et illi, qui cum illo resurrexerunt. Unde egregie d. Thomas (*in* 4. *dist.* 48. *q.* 1. *art.* 3. *qu.* 1. *ad* 3) dixit: *Quia ad hoc, ut verum testimonium de vera resurrectione Christi proferrent, congruum fuit, quod vere resurgerent, semper in corpore victuri, in coelum cum Christo ascendentes corporaliter. Nec eorum resurrectio propter ipsos accelerata est, sed propter resurrectionem Christi testificandam, quod quidem testimonium erat ad fundandam fidem novi Testamenti: unde decentius factum est per Patres veteris Testamenti, quam per eos qui iam novo Testamento fundato, decesserunt.* Secundo, quia anima gloriosa secundum legem ordinariam non unitur nisi corpori immortali, ac glorioso: unde quod anima Christi Domini, cum esset beata, uniretur corpori mortali, fuit singulare miraculum: igitur cum animae illorum Sanctorum, qui cum Christo resurrexerunt, essent iam beatae, prudenter censentur non unitae, nisi corporibus immortalibus: etenim si necesse est concedere speciale miraculum, et exceptionem ab aliqua generali regula, rationabilius est credere, faciam tribuendo gloriam illis corporibus ante resurrectionem generalem, quam uniendo animabus beatis corpora corruptibilia, et mortalia, statui beatorum minime consentanea, imo violenta. Tertio, quia si illi, qui cum Christo resurrexerunt, iterum mortem subierunt, peioris profecto conditionis extitissent, quam si nunquam fuisseut exsuscitati, cum a sinu Abrahae, ubi in loco quietis erant, ad turbulentam vitam revocarentur, ut in ea humani miseriis obnoxii, iterum morituri manerent. Ac tandem, quia, ut adnotavit Iabolenus Iurisconsultus de Principum beneficiis agens (*in l.* 3. *ff. de const. Princ.*): *Beneficium Imperatoris, quod a divina scilicet eius indulgentia proficiscitur, quam plenissime interpretari debemus:* igitur cum beneficium illius resurrectionis fuerit collatum illis a Christo Rege regum, et Domino dominantium, interpretandum est perpetuum fuisse, ac permanens. Inter hos igitur, qui cum Christo Domino resurrexerunt ad immortalem vitam, arbitramur cum gravissimis doctoribus fuisse sanctissimum Iosephum. Hi sunt Viguerius Granatensis (*de myster. Incarn. fil. Dei* §. *de annunc. Dom. cap.* 20), Fonseca (*in vit. Chr. cap.* 9), Suarez (*tom.* 2. *in* 3. *p. q.* 29. *art.* 2. *disput.* 8. *sect.* 2), Bernardinus Bustensis (*in Mar.* 4. *p. serm.* 12), Gratianus (*lib. de s. Ios. tit.* 5), Andreas de Soto (*lib.* 3. *sanct. Ios. cap.* 33), ubi refert id praedicasse Paduae s. Bernardinum, atque id eo praedicante, super illam apparuisse fulgentissimam auream crucem. Equidem quod id praedicaverit, minime ambigo, cum ipse (*tom.* 3. *de s. Ios. art.* 3. *cap.* 2) haec verba habeat: *Pie quidem credendum est, quod piissimus filius Iesus pari privilegio decoravit suum putativum patrem, sicut sanctissimam matrem, ut sicut illam assumpsit in coelum in corpore et anima gloriosam, sic etiam in die Resurrectionis suae sanctissimum Iosephum suscitaverit; scriptum est enim* (27. *Mat.*): *Multa corpora Sanctorum resurrexerunt, etc. inter quos suscitatos pie credendum est, quod fuerit sanctissimus iste vir Ioseph.*

Quam autem insigni gloria d. Ioseph in coelesti patria perfruatur, non solum meam, sed gravissimorum Doctorum sententiam proferam, qui affirmare audent, in coelesti aula prope Christum Dominum, post Virginem Deiparam, in sublimi gloriae throno collocatum esse, et reliquos omnes essentiali beatitudine antecellere: etenim doctissimus Gerson (*ser. de Nativ. Mar. consid.* 4. *ant. med.*) in hunc modum loquitur: *Cuperem mihi verba suppeterent ad explicandam tam altum, et absconditum a saeculis mysterium, tam admirandam, venerandamque Trinitatem Iesu, Iosephi, et Mariae: velle mihi quidem adiacet, sed posse non invenio, ac in ipso conatu deficio: unde cum gratia similiter, et gloria naturam non tollat, sed extollat, et perficiat, recogitemus pia devotione, quod si vinculo quodam naturali obligatio consurgit filii ad patrem, et matris ad sponsum suum, et utriusque, scilicet filii, et matris, ad fidelissimum, vigilantissimum, et sedulum custodem, et nutritium Ioseph, qui fuit caput Mariae, habens inde auctoritatem aliquam, principatum, dominationem, vel imperium in Mariam: sicut et Maria suo modo in filium suum Iesum, iure naturalis maternitatis, quantus aestimandus est iustus ipse Ioseph, nunc in gloria, et in coelis, qui talis, et tantae inventus est hic in miseria, et hic in terris? Profecto si non mentiebatur Iesus, qui ait: Ubi ego sum, illic et minister meus erit, ille proximior videtur collocandus in coelis, qui in ministerio fuit vicinior, obsequentior, atque fidelior post Mariam inventus in terris?* haec ille. Deinde Isidorus Isolanus (4. *part. cap.* 2) haec in idem argumentum scripsit: *Ioseph Virginis sponsus, velut alter Ioseph, gemina donatus stola, scilicet beatitudine animae, et corporis, Christum Regem regum ad coelos ascendentem, associavit, et primus post Christum Regem regum sedit. Considera, obsecro, dignum veneratione parentem, quantis honoribus, ac beneficiis inclytus filius prosequatur, cogente natura, suadente ratione, ac moribus praedicantibus, quid ergo de Christo, Deo vero, ex quo omnis bonitas in coelo, et in terra nominatur, dicendum erit?* Accedit Bernardinus Bustensis (4. *part. sui Mar. ser.* 12), dum ait: *Ex quibus patet, quod nullus Sanctus in coelo est maior s. Iosepho post beatam Virginem benedictam.* Ac tandem Suarez (3. *p. q.* 29. *art.* 1. *et* 2. *disp.* 8. *sect.* 2) ait: *Non existimo esse temerarium, neque improbabile, sed pium potius, et verisimile, si quis fortasse opinetur, Sanctum hunc reliquos omnes in gratia ac beatitudine antecellere, quia ex Scriptura nihil est quod repugnet, neque in Patribus aliquid reperio;* haec ille. Quae omnia ea ratione sufficienter stabiliri arbitror, quod sicut humanitas Christi Domini eo abundatiorem gratiam, et gloriam obtinuit, quo propinquior fuit Verbo divino, et deinde beata Virgo, quae proxima fuit filio; ita prudenter, et pie existimamus sanctum Iosephum, quasi tertium locum in abundantia gratiae, et gloriae obtinuisse, quia post Virginem propinquissime attigit Christum, familiarisque tractavit, atque singularissimam coniunctionem cum ipso per multos annos habuit.

His omnibus addit Isidorus Isolanus (4. *par. cap.* 4) d. Iosephum triplicem aureolam obtinuisse, ad similitudinem suae sponsae: verba eius, licet non pauca, hic apponam: *De aureola virginitatis Ioseph catholici doctores minime nunc haesitant, tum quia virginem mente, corpore, voto, et statu mortuum Ioseph credunt; tum quia primus sequutus est Virginem reginam; tum quia sponsus, et sponsa communibus ornatibus circumdari consueverunt. De aureola autem Praedicatorum sic argumentamur. Plus est Christum praedicare facto, quam verbo; sed Ioseph Christum factis summopere praedicavit, quibus quidem occasionem universo praestitit orbi, ut converteretur ad adorandum Deum, verum hominem factum; itidem veri Praedicatores deorsum illuminantur, suo tempore loquuntur, et ad Deum verum agnoscendum quosque convertere conantur; sed Ioseph ab angelis fuit illuminatus, quibuscum conversabatur, suo tempore de Deo est alloquutus: verba nempe praedicatoris fumus sunt divini ignis in corde ardentis, atque in Christi cognitionem mortales ad vitam aeternam deducere satagentis. Subsistamus hic parumper, et Ioseph multos per annos habitantem in Ægypto meditemur: an non credimus Ioseph innumeris vicibus fuisse exhortatum eos, cum quibus conversabatur, Ægyptios, ut Deum verum colerent? si quando contingeret eos audire, Messiam promissum in lege Iudaeorum, advenisse, ut crederent persuasisse? aiebat vero: Deus erit verus, et verus homo, et ipse renovaturus est mundum, vestra destruet idola, innovabit sacrificia, renovabit leges, mores, vitam, regna, et imperium hac tempestate: qui sanctas legis profundiora vero intellectu cognoscunt, Messiae asseverant tempora adesse: quod profectio apud me dubium non est. Vos hortor, O fratres Ægyptii, laetemini, quia pariter vos redimet a potestate tenebrarum: vos quidem ex hominibus illi credentes gratis similes angelis, immo homines in se credentes, Messias tandem donabit aeterno regno coelorum. Verum cum Nazareth Galilaeae habitaret cieis, et cognitus, ampliora quotidie praedicabat. O quoties benevolos, et vere amicos hortabatur, ut quam attentissime faciem, verba, mores Iesu filii sui animadverterent? arbitrabatur enim quod caro illa divinitatis odorem ceteris emitteret, sicut sibi. Persuadeo demum mihi ipsi, sicut praesentia corporis Christi in Ecclesia, ac sacramentorum virtute plurimi salvi fiunt; sic et in Nazareth civitate, illis temporibus multi sunt ad fidem conversi conversatione Christi, beatissimae Virginis moribus, meritis quoque ac verbis Ioseph;* hactenus Isidorus. De martyrii autem aureola haec pie, ut assolet, idem Isidorus Isolanus scripsit: *Ioseph excellens victoria fuit tyrannorum persequentium Christum, ac gladio materiali satagentium illum occidere: qua victoria expresse liquet pro Deo voluntariam mortem non expavisse, propterea de palma martyrii bene meritus dici potest. Adhuc ratione animae, actu concevit palma martyrii, sed Ioseph actu offerens eam, dedit pro Deo, quamquam non potuerit tyrannus eam eripere: Ioseph igitur palma martyrii bene meritus.* Quibus omnibus addo, quod sicut d. Hieronymus (*serm. de Assumpt. Deipar.*) dixit: *Beata Dei Genitrix, et martyr, et virgo fuit, quamvis in pace vitam finierit:* cuius non aliam rationem reddit, nisi quia Simeon prophetice ad eam dixit: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius?* ita similiter cum post beatam Virginem fuerit amor Iosephi erga Christum ardentissimus, non potuerunt illa verba non acerrime transverberare cor d. Iosephi. Unde quod de antiquiori Iosepho patriarcha regius Vates cecinit (*Psalm.* 104): *Ferrum pertransivit animam eius;* ubi Glossa Interlinearis, et Lyranus id explicantes, aiunt: *Ferrum, id est, tribulatio durae necessitatis, animam eius pertransiit, ut de Maria dicitur: et tuam ipsius animam pertransibit gladius;* praestantius id in nostrum Iosephum convenit, cuius penetralia cordis, Simeonis audito vaticinio, doloris anceps gladius confodit. Sicut ergo ob illam rationem beata Virgo martyr vocitatur, propter eandem certe proportionaliter sanctissimus Ioseph Christi martyr merito censeri debet; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DE MIRANDIS
DEIPARAE VIRGINIS
TAM IN GRATIAM, QUAM IN VINDICTAM

LIBER ULTIMUS

§. I.

INSIGNIS PRAEFATIO DE MIRACULORUM NATURA, ET UTILITATE, NEC NON DE POTESTATE VIRGINIS AD EA PATRANDA DISSERENS, VARIA DOCTRINA, ET ERUDITIONE LOCUPLETISSIMA.

Permultum sane interesse arbitror inter ea, quae vulgus miracula appellat, et ea, quae theologi proprie, et in rigore miracula esse censent. Etenim vulgus ea miracula dicit, quae ad stuporem, et admirationem illum excitant, licet facultatem naturae non superent. Unde ille epigrammaton scriptor dixit:

Barbara Paramydum sileat miracula Memphis.

Hinc etiam pro miraculis coluerunt, ac mirifice celebrarunt septem ingentia mundi opera, hominum industria, sive viribus confecta, atque elaborata, ut templum Dianae Ephesiae; Mausolaeum reginae Cariae, in honorem sui viri structum; Colossum Iovis apud Rhodios; Iovis Olympiaci simulacrum, ex ebore a Phidia confectum; muros Babylonios, quos Semiramis regina construxerat; Pyramides Aegypti mirae altitudinis; Domum Cyri Medorum regis, quam Memnon, illigatis auro lapidibus pretiosis, fabricavit, de quibus Plinius, et alii historici disserunt.

Ad haec Plutarchus (*in vita Marcelli*) refert, quod sola manu vim adhibente, ingentem navem, gravi pondere plenam, quam magna hominum multitudo non posset impellere, aut loco dimovere, placido ipse vultu ad se trahebat Archimedes. Idem etiam adeo artificiosas tormentorum machinas confecit in Syracusae defensionem, ut Romani dicerent, videris ibi non cum hominibus, sed cum Diis bellum fecisse: aut ut Gellius (*l.* 10. *c.* 12) narrat, Archytam Pythagoricum Tarentinum ligneam columbam affabre fecisse, quam per aera volare faciebat, ita ut omnibus animata esse videretur. Boetius in quadam epistola Cassiodori, vel certe Theodorici ad eum missa, de Severino commemorat, eius mirabili artificio factum, ut aeneus bos mugiret, aenei serpentes sibilarent, aeneae volucres dulci cantu modularentur, et homines per aera viderentur iubis personantes. S. Augustinus (*lib.* 10. *de Civit. Dei c.* 10), nec non et Plinius (*libr.* 28. *cap.* 2), referunt, quod, cum perditisset immota in medio Tiberis navis, qua vehebatur faemina, quae Deorum mater falso putabatur, Claudia virgo Vestalis solo cingulo suo, navem, quo placuit, traxit. S. Thomas (*in disputatis quaestionib. de potent. q.* 6. *a* 5. *ad* 5) tradit, Tuliam, virginem etiam Vestalem, cribrum aqua plenum manu detulisse, nulla ab eo decidente aquae guttula. Quid plura? Archimedes vitream sphaeram confecit, in qua omnes coelos constituit cum motibus annorum, mensium, dici, et noctis; cuius meminit in haec carmina Claudian. poeta, in persona Iovis dicens:

Huccine mortalis progressa potentia curae?
Iam meus in fragili luditur arte labor.
Iura poli, rerumque fidem, legesque virorum,
Ecce Syracusius transtulit arte senex.
Inclusus variis famulatus spiritus astris,
Et vivum certis moribus urget opus.
Percurrit proprium metitus signifer annum,
Et simulata novo Cynthia mense redit.
Iamque suum volvens audax industria cursum
Gaudet, et humana sydera mente regit.

Haec certe, etsi admirabilia sint, miracula neutiquam dici possunt more theologico loquendo: nam ad rationem miraculi duo praecipue requiruntur, iuxta communiorem Doctorum intelligentiam, et quod excedat totam facultatem naturae, et quod ordinarie non fiat, sed raro: illa vero nuper narrata, naturali virtute hominum, vel daemonum effici poterant. Unde divus Augustinus (*tract.* 8. *in Ioan. tom.* 9. *et* 3. *de Trin. cap.* 8. *tom.* 3) inquit: *Miraculum est aliquid arduum, et insolitum supra facultatem naturae, et praeter spem admirantis apparens.* Quam definitionem d. Thomas explicans (*in disputatis quaest. q.* 6. *art.* 2), de miraculis haec observatione digna scripsit: *Dicendum, quod miraculi nomen a mirando est sumptum. Ad admirationem autem duo concurrunt, ut potest accipi ex verbis philosophi in principio metaphysicae, quorum unum est, quod causa illius quod admiramur, sit occulta; secundum est, quod in eo, quod miramur, appareat aliquid, per quod videatur contrarium eius debere esse quod miramur: sicut aliquis posset mirari, si videret ferrum ascendere ad calamitam, ignorans calamitae virtutem, cum videatur, quod ferrum naturali motu debet tendere deorsum. Hoc autem contingit dupliciter: uno modo secundum se, alio modo quoad nos: quoad nos quidem, quando causa effectus, quem miramur, non est occulta simpliciter, sed occulta huic, vel illi, nec in re quam miramur secundum rei veritatem, sed solum secundum opinionem admirantis: et ex hoc contingit, quod id, quod est uni mirum, vel mirabile, non est mirum, vel admirabile alteri, sicut sciens virtutem calamitae, per doctrinam, vel per experimentum, non miratur praedictum effectum; ignorans autem miratur. Secundum se autem aliquid est mirum, vel admirabile, cuius causa simpliciter est occulta, et quando in re est contraria dispositio secundum naturam effectui, qui apparet, et ista non solum possunt dici mira in actu, vel mira in potentia, sed etiam miracula, quasi habentia in se admirationis causam. Causa autem occultissima, et remotissima a nostris sensibus est divina, quae in rebus omnibus secretissime operatur: et ideo illa, quae sola virtute divina fiunt, in rebus aliis in quibus est naturalis ordo ad contrarium effectum, vel ad contrarium modum faciendi, dicuntur proprie miracula: ea vero quae natura facit, nobis tamen, vel alicui nostrum occulta, vel etiam, quae Deus facit, nec aliter nata sunt fieri, nisi a Deo, miracula dici non possunt, sed solum mira vel mirabilia: et ideo in definitione miraculi ponitur aliquid quod excedit naturae ordinem in hoc, quod dicit supra facultatem naturae, cui ex parte rei mirabilis respondet, quod dicitur arduum, et ponitur etiam aliquid, quod excedit nostram cognitionem, in hoc, quod dicitur, praeter spem admirantis apparens, cum ex parte rei mirabilis respondet, quod dicitur insolitum: nam per consuetudinem aliquid in nostram notitiam familiarius venit.* Ex qua doctoris angelici doctrina quaecunque operationes, quae non excedunt facultatem naturae, quantumcunque in admirationem rapiant, miracula non sunt. Huiusmodi erant mirabilia illa, quae magi Pharaonis effecerunt, applicando activa passivis: similiter etiam operationes, alioquin supernaturales, ac totam facultatem naturae excedentes, si tamen non sint insolitae, sed frequenter fiant, ut conversio libera peccatoris in Deum, et iustificatio eiusdem, a ratione miraculi excludunt, ut docet s. Thom. (*p.* 3. *q.* 105. *a* 7. *et in disputatis q.* 6. *de miracul. art.* 2). Quod si obiicias, ad rationem miraculi excludendam esse transubstantiationem, quia licet sit opus supernaturale, non tamen est insolitum, sed potius frequentissimum, cum toties quotidie fiat, quoties consecratio panis et vini iteratur: et tamen constat ex communi sententia Theologorum cum d. Thoma (*in praecit. q.* 4. *de miraculis*), transubstantiationem esse magnum miraculum. Respondeo, vel definitionem illam miraculi a divo Augustino assignatam intelligi debere de miraculis sensibilibus, seu sensu perceptibilibus: illa enim ut dicantur miracula, debent esse insolita, et rara; transubstantiatio autem est miraculum sensibus omnino ignotum, cum ibi sensus nullam prorsus mutationem percipiat, et idem est de iustificatione. Unde divus Thomas ait (*quaest.* 6. *de miraculis, art.* 2. *ad* 2): *Dicendum quod insolitum dicitur miraculum, quia est contra consuetum cursum naturae:* hoc sane difficile est, quia ex eo aperte efficeretur contra ipsum, iustificationem impii non esse excludendam a ratione miraculi, ex eo quod non esset insolita: nam illud censet divus Thomas insolitum, quod est contra consuetum cursum naturae; iustificatio autem, sicut et transubstantiatio contra consuetum cursum naturae est, cum ad illam, nec semel tota facultas naturae attingere possit. Vel dicendum, de ratione essentiali miraculi non esse, ut sit insolitum, ut recte adnotavit Viguerius (*de grat. divina cap.* 9. §. 2. *ver.* 1): etenim si quotidie Deus suscitaret homines, certe eorum suscitatio, quantum attinet ad rationem essentialem illius actionis, non minus esset miraculosa, quam nunc, licet alioquin non tantam admirationem in nobis causaret propter eius frequentiam. Quare omnia opera, quae quantum ad substantiam, vel modum superant totam facultatem naturae creatae, opinor vere, et essentialiter esse miracula.

Cum igitur in hoc libro de miraculis agere tentamus, per intercessionem b. Virginis patratis, non solum comprehendere nitimur opera Virginis, quae in toto rigore theologico vere miracula fuere, sed et alia valde mirabilia, et stupenda, licet formalem rationem miraculi iuxta aliorum opinionem non attigerint, quia frequentissime illa factitabat. Est autem huiusmodi tractatio hac duplici potissimum ratione valde conveniens, tum quia ad pietatem Virginis in suos clientes manifestandam, tum ad potentiam iure intercessionis commendandam, tum tandem ad peccatorum animos in bonum promovendos permultum valet. Etenim Virgo egregie mihi praefigurata videtur in Moysis virga, per quam ad educendum Dei populum ex Aegypto, et introducendum in terram promissionis, tot sunt admirabilia patrata miracula, quemadmodum Petrus Damianus (*serm. de Assumpt.*), s. Bernardinus Senensis (*tom.* 3. *ser.* 1. *de nam. Mariae art.* 3. *cap.* 2. *et serm.* 11. *art.* 1. *cap.* 3), et s. Antoninus (4. *part. tit.* 15. *c.* 24. §. 4), animadverterunt; ut propterea Virgini dicatur (*Cantic.* 1): *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te amica mea.* Equitatus enim Dei, qui Pharaonem expugnavit, eiusque currus subvertit, ex Honorio (*in sigillo*), et ex Ruperto (*in Cantic. c.* 8), fuit virga Moysis, quae primo in colubrum versa, Magorum virgas devoravit, deinde aquas fluminis percutiens, eas vertit in sanguinem, aliisque plagis Pharaonem, atque Ægyptios affecit; novissime autem, ut Dei populus ex il-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

la servitute in libertatem omnino duceretur, mare rubrum pervium reddidit populo Dei, cuius aquis redeuntibus demersus est Pharao cum curribus, et equitibus eius. Huic autem virgae Moysis, quae equitatus Dei dicitur in curribus Pharaonis, quod magnis prodigiis, atque miraculis Pharaonem, eiusque currus debellarit, iure optimo (*Cant.* 1) assimilatur ex Ruperto, et Honorio Deipara, quae virga Iesse dicitur (*Isaiae* 11), et in virga Moysis adumbratur, quod in liberatione illa, qua, ut verbis utar s. Leonis (*serm.* 8. *de Passione*): *Non ex dominatione Pharaonis unus populus, sed ex diaboli captivitate totus mundus servatur*, ea omnia signa spiritualiter peregerit: cunctas haereses, sola, ut canit Ecclesia, in universo mundo interemerit, diaboli vires fregerit, suaque ope, atque patrocinio, velut mystica Moysis virga, expeditur via populo Dei, dum unda maris rubri, id est, mundi hujus peccatorum sanguinibus cruenti, percutitur, ac dividitur, ut Dei populus per hoc desertum ad terram promissionis intraturus, sicco vestigio pertransire possit. Hac virga percussa petra, nimirum lapideum, et obstinatum peccatoris pectus aquas lacrymarum ubertim emittit. Hanc virgam in bello contra Amalecitas tenens Moyses in manu sua, cum levaret manus, vincebat Israel; si autem paululum remisisset, superabat Amalech, quia in nostra pugna cum daemone, levantes in oratione ad Deum manus, et Virginis patrocinium apud Deum implorantes, gloriose vincimus. Haec est illa virga Aaron, ut ait divus Ioannes Damascenus (*orat de dormit. Deip. Virg.*), arida, id est absque viri consortio, quae in Tabernaculo testimonii posita, praeclarissimum edidit miraculum, (*Num. cap.* 17): germinavit enim, floruit, et fructum fecit: fructum, inquam, benedictum ventris sui, quo gustato, mors procul abigitur, et vita reparatur. Haec denique virga, tanquam praecipuum miraculum, cum manna, et tabulis legis in arca Dei asservanda reponitur. De sanctissima Virgine, quae per hanc virgam Aaron in arca repositam, adumbratur, lidefonsus (*serm.* 1. *de Assumpt.*) existimat, loculum esse Davidem (*Psalm.* 109) cum ait: *Emittet Dominus ex Sion virgam virtutis tuae.* Deinde faciens apostrophen ad eandem: *Dominare*, inquit, *in medio inimicorum tuorum*; haec lidefonsus.

Praeterea egregie etiam mihi adumbratam Virginem persuadeo per thronum illum, dilecto Ioanni ostensum (*Apocal.* 4), ex quo procedebant fulgura, et voces, et tonitrua. Sane beata Virgo thronus fuit, non Salomonis, sed ipsius Verbi divini incarnati, quod per novem menses in eius utero, velut in nitidissimo, et fulgentissimo throno requievit; ex hoc autem throno, tot voces, tot tonitrua, tot fulgura, quot miracula prodierunt: praeclare enim per fulgura miracula significari opinor. Primo, quia fulgura in sacris litteris nonnunquam pro fulminibus usurpantur; nec enim dubitandum est, fulmina fuisse illa, quibus Deus Ægyptios oppressit, quae tamen (*Exod.* c.9. 2. *Reg.* 22. *et Psalm.* 17) fulgura nuncupantur. Illud etiam ad miraculorum vim explicandam pertinet, quod, sicut fulgura, integro exterius manente corpore, universa ossa comminuunt, et loculis intactis, pecuniam conflant, et illaesa manente vagina, ensem liquefaciunt; ita Deus per miraculorum suorum fulmina, infideles, et peccatores sic interdum afficit, ut cum exterius similes aliis remaneant, in carne videlicet ambulantes, non tamen secundum carnem militent, ut dixit d. Paulus (2. *ad Corinth. c.* 10), sed omnem cordis duritiem intrinsecus amittant, et divino amore liquefacti, in Deum ferantur: denique divitiis, ac saecularibus honoribus contemptis, se Deo devoveant, ita ut a coelesti aliquo fulmine percussi videantur, quod in suis laboribus, qui etiam instar fulminum sunt, videtur David agnovisse, cum dixit (*Psal* 4): *Dum confringuntur ossa mea, exprobraverunt mihi, qui tribulant me, inimici mei.*

Secundo, quia sicut fulgurum coruscationem pluvia consequitur, ita miraculorum splendorem consequitur poenitentiae compunctio, et lacrymae peccatorum anteactae vitae, errores, et coecitatem lamentantium. Utrumque significavit, unum quidem in litterali sensu, alterum in mystico regius Vates, cum dixit (*Psal.* 134): *Fulgura in pluviam fecit*: in quem locum, ut hoc obiter dicamus, eleganter adnotavit ad litteram d. Aug. voluisse Deum, ut post fulgura pluvia sequeretur, quia fulgura sine pluvia terrerent, et nihil utilitatis afferrent mortalibus: itaque voluisse ut post fulgurum terrorem refectio pluviae sequeretur: sic enim ille omnes suas comminationes in bonum tandem nostrum, et utilitatem mirabiliter convertit, iuxta illud (*Tobiae c.* 3): *Post tempestatem tranquillum facit.* Nec minus elegans est d. Hieronymi (*in eum locum*) observatio, quam reperies (*in eius comment. super* 3. *cap. Marci*): *Fulgura in pluviam fecit, ut extinguat misericordia, quod iudicium inarit.*

Tertio, quia, ut ait Richardus de sancto Victore, sicut fulgura longe, lateque coruscant, iuxta illud (*Matth. c.* 24): *Sicut fulgur exit ab Oriente, et paret usque in occidentem*, sic miraculorum splendor, et fulgor late multorum commemoratione funditur, pluriumque, vel ad fidem convertit, vel iam conversos in fide confirmat, atque idcirco miracula, splendor, et coruscatio armorum Dei appellantur (*Habacuc cap.* 3), ubi pro eo quod ex Hebraeo transtulit d. Hieronymus: *In luce sagittarum tuarum ibunt in splendore fulgurantis hastae tuae*, Septuaginta reddiderunt: *In lumine iacula tua ibunt, in splendore, seu coruscatione fulguris armorum tuorum.* Quem locum in hanc sententiam expendit divus Gregorius (*libr.* 3. *Moral. cap.* 3): *Fulgur*, inquit, *armorum est claritas miraculorum. Armis nos tuemur, iaculis adversa destruimus: arma ergo cum iaculis sunt miracula cum praedicatione. Etenim sancti verbis praedicationis, quasi iaculis adversarios feriunt: miraculis vero, quasi armis se tuentur; et quantum sint audiendi, sonent per impetum iaculorum; et quantum sint reverendi, arescant per arma miraculorum.* Ex Mariano igitur throno tot prodiere fulgura, quot miracula. Etenim b. Virgo officina fuit miraculorum, ut illam nuncupavit d. Ioannes Damascenus (*orat.* 1. *de nativit. Mariae*), non solum quia Christum Dominum Deum, et hominem virgo concepit, et virgo peperit, in quem innumera tunc confluxere miracula. Unde et ipse seipsum miraculum appellat: ubi enim nostra Vulgata vertit (*Psalm.* 7): *Tanquam prodigium factus sum multis*, divus Hieronymus ex Hebraeo transtulit: *Tanquam portentum factus sum multis*, cardinalis Caietanus vertit: *Miraculum factus sum multis:* quae verba, licet nonnulli illa interpretentur de Davide, qui miraculum sui temporis fuisse dicitur, quoniam adhuc iuvenis pancorum annorum, ursum, leonem, et gigantem interfecit; rectius tamen de Christo intelligenda veniunt, qui nemine dissentiente, maximum omnium saeculorum miraculum fuit.

Verum, non solum hac ratione officina miraculorum beatissima Virgo appellatur; sed quia summus ille miraculorum opifex beatam Virginem Genitricem suam, tanquam propriam officinam extruxit, ex qua omnia pene miracula prodirent, ut qui miraculum aliquod eximium requireret, ad hanc sacram Virginis officinam accurreret, ubi ea, et plura maiora efficerentur, prout quotidie in universo terrarum orbe frequenter ad beatae Virginis patrantur intercessionem. Quare Andreas Cretensis (*orat.* 2. *de Assumpt.*) omnium miraculorum, quae quomodocunque facta sunt, aut fiunt, effectricem illam dicit: atque hinc est, quod si qua Virginis Deiparae imago, vel sentibus obsita, vel eluvione aliqua humi defixa, digno cultu, ac veneratione aliquamdiu destitutatur, saepe miraculorum multitudine, ac splendore in oculis omnium maiore virorum, et mulierum celebritate mox restituitur. Neque id cuiquam mirum videri debet, si Deiparae supra reliquos sanctos, quibus miraculorum gratia est tributa, praestantiam attendat: quod pulchre Basilius Seleuciae Episcopus (*or. in Deip. Annunc.*) animadvertit his verbis: (*Quis*, inquit, *magnam Dei Genitricis virtutem non veneretur? quis quanto eos omnes intervallo post se relinquat, quos divinorum loco nos habemus, non miretur? Si enim Christus servis tantam gratiam conferre dignatus est, ut solo contactu, imo vero sola corporis umbra aegris praesidium afferre possent: nam, ut Actorum liber exponit, infirmi in plateas eiecti, umbra tantum Petri contacti liberi a morbis evadebant. Non deerant quoque, qui linteo, quo apostolus Paulus corporis sudorem exterverat, acceptio, infestos daemones profligarent, qualem vim adversus omne morborum genus Virgini Mater collatam fuisse putandum est? an non multo maiorem, quam ceteris Christi imperio subiectis? omnino haec res clara est. Et quid mirum, si sancti, cum inter vivos etiam tunc degebant, praepotenter operabantur, cum terra quoque non omnem vita hac mortali iam perfunctorum vim et energiam una cum illis prorsus obruere potuerit? Constat namque taxa illorum corpora ita tegere, ut si interimi, si eo tamen quo par est, modo adeantur, sibi addictos tueri, atque conservare non desinant. Nam si talibus tantam miracula patrandi virtutem contulit Deus, qualem educationis mercedem parenti donasse, quantisque charismatibus, et donis illam exornasse existimandus est?* haec divus Basilius Seleuciae Episcopus. Ioannes Damascenus vero, qui (*in lib.* 4. *de fid. orthodox. cap.* 15) scribit, Deiparam natam in domo probaticae, seu ovilis Ioachim, ad hoc aliudens (*orat.* 1. *de nativ. Deip. Virg.*), hanc probaticam in miraculis edendis cum probatica illa piscina, de qua (*Ioan. cap.* 5) eleganter sic conferi: *Fausta tibi sint omnia, o matris Dei probatica, sanctissimum delubrum, fausta tibi sint omnia, o probatica, patrium reginae domicilium; fausta tibi sint omnia, o probatica, seminum Ioachim coetus fanum; nunc autem ovilis ratione praediti Ecclesia coelum imitans, atque olim quidem, quotannis semel angelum Dei excipiens aquam turbantem, atque unum duntaxat valetudini restituentem, et ab urgente morbo vindicantem; nunc autem coelestium virtutum copiosissimum agmen habens Dei Genitricem nobiscum laudantium, illam, inquam, miraculorum abyssum; illam universo orbi medicinam afferentem fontem; illam, inquam, quae non ministrum angelum accepit, sed illum magni consilii angelum, qui tanquam bona pluvia in vellus absque ullo strepitu descendit, atque omnem naturam morbo laborantem, ac ad interitum vergentem, in certam sanitatem, ac vitam sensu carentem restituit, ob quam paraclitus ille, qui in te erat, tanquam cervus exiliit, fausta omnia tibi sint, o veneranda probatica, incrementum sumat tua gratia, saluto te Maria, dulcissimum Annae pignus: nam me rursum ad te amor pertrahit;* hactenus doctor Ioannes Damascenus.

Et Christus Dominus, ut omnibus testatum esset efficacissimum suae Genitricis apud ipsum ad miracula efficienda patrocinium, primum miraculum, cum in nuptiis in Cana Galilaeae aquam in vinum mutavit, eius intercessione efficere voluit, quando teste s. Ioanne Evangelista (*cap.* 2): *Manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli eius:* ut non immerito divus Cyrillus (*hom.* 6. *in Nest. ad Virg.*) dicat: *Per te omnis creatura conversa est ad cognitionem veritatis.* Cum, ut alia, quibus hoc de Deipara iure dicere possumus, omittam, et ipsi quidem Apostoli gentium omnium Doctores, occasione miraculi, beatae Virginis precibus a Christo effecti, in eum crediderint.

Huius primi miraculi, quo ad beatae Virginis intercessionem, aquae in vinum mutatae Christus Dominus sequentibus saeculis memoriam extare voluit, quo etiam Christi virtutis, et efficaciae, quam habet apud eum Deipara, admoneremur: quod testatur divus Epiphanius (*haer.* 15): *Circa undecimam*, inquit, *diem mensis Tybi, quae apud nos est* 6. *Ianuarii, post annos* 39. *factum est primum signum in Cana Galilaeae, quando aqua facta est vinum: quapropter etiam in multis locis usque in hunc diem hoc fit, quod nunc factum est, divinum signum in testimonium incredulis, velut testantur in multis locis fontes, ac fluvii in vinum conversi. Cibyres quidem urbis Curiae fons, qua hora hauserunt ministri, et ipse dixit: date Architriclino, testatur id in Gerasa Arabiae fons similiter. Nos bibimus de Cibyris fonte, fratres vero*

nostri de eo, qui est in Gerasa, in Martyrum templo: sed et multi in Ægypto, de Nilo hoc testantur. Quare in undecima Tybi apud Ægyptios omnes hauriunt aquam, et reponunt tum in ipsa Ægypto, tum in multis Regionibus, etc. haec divus Epiphanius. Unde hypothesim illorum qui opinantur multo rariora esse nunc, quam olim miracula, non omnino veram, et certam opinor, cum sola Deipara Virgo permulta quotidie, eaque insignia miracula conficiat, ut his verbis testatur Pius Secundus Pontifex in Calice aureo, quem domui Lauretanae obtulit: *Quamvis tua potestas nullis coarctetur finibus, ac totum impleat orbem miraculis, Laureti tibi placitum sedem per singulos dies innumeris signis et miraculis exornat.* Imo si de miraculis in generali loquamur, certe in singulis centuriis ex septem, et decem decuriis ab Ascensione Christi Domini in coelum, permulta, eaque praeclara miracula in Ecclesia Dei non fuere desiderata. In prima centuria, Apostoli miraculis floruere, ut divus Lucas (*in Act. Apostol.*). In secunda milites christiani exercitus Marci Aurelii Antonini, qui miraculosum imbrem obtinuere, ut referunt Tertullianus, Eusebius, Justinus Martyr, et Orosius. In tertia floruit portentis, et prodigiis, atque stupendis gestis s. Gregorius Thaumaturgus, ut scripsere s. Basilius, s. Gregorius Nyssenus, s. Hieronymus, et Rufinus. In quarta floruere miraculis magnus Antoninus, s. Hilarion, s. Martinus, s. Nicolaus, ut testatur divus Athanasius, et Severus Sulpitius. In quinta permulti in patrandis miraculis insignes se exhibuere, ut auctor est divus Augustinus. In sexta centuria d. Gregorius Magnus quatuor dialogorum libros conscripsit, quibus permulta illius aetatis miracula commemorat. In septima Anglia novit permulta d. Augustini miracula, pluraque alia experta est, quorum auctores fuere socii missi a d. Gregorio in eam regionem, ut ipsemet s. Pontifex testatur. In octava miraculorum gratia effulserunt in eadem Anglia s. Gutbertus, et s. Ioannes, ut refert venerabilis Beda. In nona illustris fuit miraculis Gallia in Sveionia propter translationem s. Sebastiani martyris, ut annalia eiusdem Galliae narrant anno 826. et Ignatius Nyssenus permulta testatur miracula tunc patrata a s. Ignatio Tharasio. In decima omnes in admirationem rapuerunt magna s. Vinceslai Bohemiae regis miracula, necnon s. Romualdi, quorum meminit beatus Petrus Damianus. In undecima, eruditus auctor Surius permulta miracula refert Uldarici, et Dunstani. In duodecima, non pauca scribit divus Bernardus per s. Malachiam facta. In tertiadecima, sanctissimi illi patriarchae Dominicus, et Franciscus inaudita, et portentosa edidere miracula, in cuius etiam aetatis media, ac postrema parte, quam plurima patrata legimus a d. Hyacintho Odrovansio, Petro nono martyre, Thoma Aquinate, s. Antonio de Padua, s. Clara, seraphico doctore d. Bonaventura, et s. Caelestino Papa Quinto. In quartadecima, operati sunt pene innumera sancta Catharina, et sanctus Bernardinus Senensis, nec non sanctus Nicolaus Tolentinus. In quintadecima, solus s. Vincentius Ferrerius, omissis aliis miraculis, triginta octo mortuos ad vitam revocavit, s. Antonino id referente (3. *par. hist. tit.* 23). In sextadecima, quis ignorat s. Franciscum de Paula, et s. Carolum permultis claruisse miraculis, nec non etiam alios complures, praesertim ex Ordine Praedicatorum, et Fratrum minorum? quorum hodie causae de beatificatione, et canonizatione, me praesente Romae pertractantur, permultaque illorum sunt comprobata iuridice miracula, ut beati nostri Iacobi de Picoeno, beati Iuliani Hispani, beati Pasqualis, beati Factoris, beati Bertrami, beati Salvatoris ab Horta, beati Ignatii de Loyola, et beatae Teresiae de Iesu, fratrum Carmelitarum Discalceatorum sanctissimae fundatricis, nec non et aliorum quam plurium, quos longum esset recensere. In eo tamen beata Virgo inter alia ceteros omnes sanctos in patrandis miraculis longo intervallo superat, quod illi omnes certis, et statis temporibus in edendis miraculis enituere; beata autem Virgo veluti perennis miraculorum fons, per omnes Ecclesiae aetates a Christi Domini adventu usque nunc, ab eis patrandis nunquam cessavit, nec hucusque cessat, ut annales universales, et historiae particulares passim commemorant, quibus fidem non dare, ut moris est apud nonnullos, qui nisi ea antiquissimi alicuius auctoris sint constabilita testimonio, eis non acquiescunt, temeritatem mihi redolere videtur: nasuti enim censoris est velle in omnibus, quae pro credulitate Christiani credunt, aequalibus testimoniis invenire miracula confirmata: illa enim, nec leviter sunt credenda, nec leviter sunt abiicienda. Scio quidem d. Paulum (1. *Thes.* 2) quaedam apparentia miracula vocare, mendacia prodigia a seductione, et iniquitate nata: scio, Christum Dominum (*Matth.* 24) praedicere prodigiosa adeo miracula patranda in fine temporum: *Ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi:* scio tamen ad haec mala praecavenda, sacram Concilium Tridentinum, ne falsa miracula pro veris in Ecclesia Dei vindicarentur, (*sess.* 25) tradere: *Nulla admittenda esse nova miracula, nisi eodem recognoscente et approbante Episcopo.* Si igitur Concilium Tridentinum ad miracula admittenda non aliud requirit, quam explorationem, et approbationem unius Episcopi, superciliosae sane mentis est ad eorum credulitatem, antiquissimi alicuius auctoris testimonium quaerere, maxime cum novorum miraculorum stultum sit veluti auctorem quaeritare. Quare in hoc genere credulitatis miraculorum media via incedendum semper censui, ut his verbis sapienter edocuit insignis doctor Canisius (*lib.* 5. *de Deip. cap.* 18): *Est media tenenda via, ut Marianis miraculis admittendis et confirmandis, neque nimis faciles, neque rursus plus aequo difficiles, ac morosi esse velimus: etsi enim omnia quae in hoc genere leguntur, eiusdem non sint ponderis, et auctoritatis, tamen, quia charitas non est suspicax, et temere aliena iudicare prohibet Dominus, sapidique cibi ob vitium palati, pro insipidis nonnunquam habentur, et donum pauorum est sacris de rebus solide diiudicare, minus in eo quidem erit periculi, si a bonis probabiliter narrata, et a doctis non reiecta, quae ad piorum aedificationem faciant, recipiantur, quam si eadem fastidiose, et contentiose perfricatoque animo repudiantur.* Hinc est, quod doctissimus Iustus Lipsius, dum (*lib. de mirac.*) ad b. Virginis Sichimiensis miraculosa facinora narranda calamum admoveret, volens miraculorum utilitatem ostendere, sic exorsus est: *Decet igitur ea scribere, sed iuvat; an non iuvet, ubi tam palam fructus, et tam magnus est? et fructus quidem non unus ille. Primo quod miracula communiter religionem in animis excitant, et Deum credere, Deum colere suadent, et inducunt; quis est tam alienus a pietate, qui rem eventumque a natura, a ratione dissonum videns, non moveatur animo, et intimis praecordiis, et veluti ictu quodam admirationis perculi se fateatur? itaque clausos, aut conniventes aperit oculos, ad alta tollit, et lumen aliquod in his agnoscit, cui uni causam delegat: inde ad venerationem componitur, et ad fidem disponitur, atque hic primus, et communis fructus miraculorum: alter, magis distinctus, quod ad verum religionem ducunt, sive potius trahunt, fit enim dicina benignitate, et arcana providentia, ut vera miracula nusquam, et nunquam, nisi in vera fide, et a fidelibus patrentur.* Accedit ad haec d. Augustinus, qui (*de util. cred. cap.* 17) ait: *Culmen auctoritatis obtinuisse Ecclesiam, haereticis miraculorum maiestate damnatis.* Et quidem nemo ignorat, vi miraculorum totum pene terrarum orbem ad fidem fuisse pertractum: *Quod si negant*, ut sapienter dixit Augustinus (*lib.* 22. *de civ. Dei cap.* 8. *adversus gentiles*), *maius ipsi, miracula tollendo, miraculum faciunt: incredibilius enim miraculum est, totum orbem terrae, id est, tot philosophos, tot sapientes viros, tam paucis Apostolis, tam imperitis, tam incredibilia humanae rationi praedicantibus, sine ullis miraculis credidisse, quam illa ipsa miracula, quae per eos facta narrantur.* Certe ita catholici in vera fide firmantur, ut merito clamare possint cum Richardo de s. Victore (*lib.* 1. *de Trin. cap.* 2): *Domine, si error est, a te decepti sumus, nam ista in nobis tantis signis, et prodigiis confirmata sunt, et talibus, quae non nisi certe fieri possunt.*

Verum dicet quispiam, non tanti facienda esse miracula, nec tam utilia putanda: nam, cum gratia miraculorum sit gratis data, scelerati etiam homines illa gaudere possunt. Unde Saul (1. *Reg.* 19) postquam ab eo Dominus discesserat, in cuneo prophetarum medius, ut ceteri, prophetavit; futura autem verbo praedicere, absque miraculo fieri non potest, iuxta illud: *Dicite nobis, quae ventura sunt, et dicemus, quia dii estis.* Caiphas, iniquus homo, propheticam veritatem protulit: et Iudas, dum in Christum credebat, miracula fecit: nam et potestatem cum aliis accepit, ut tradit divus Matthaeus, et cum iisdem gloriatus est, quod sibi daemonia subiicerentur, ut refert divus Lucas (*cap.* 10), et tameo *fur erat, et loculos habebat*, ut divus Ioannes testatur (*cap.* 12): ac tandem Christus Dominus (*Matth. cap.* 7) inquit, falsos prophetas in die iudicii dicturos: *Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo daemonia eiecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Ex quibus verbis facile colligitur, falsos istos prophetas, de quibus loquitur Christus, vera miracula facturos, vere prophetasse, vere daemonia eiecisse. Nec enim respondet Christus, mentiri eos, sed se eos quamvis ista fecerint, non nosse; et sententia postulat, ut Christus significet, vera eos miracula facturos: non enim mirum esset, si illis, qui non vera, sed falsa miracula fecissent, responderet, se non nosse eos; valde autem mirum, ut iis, qui vera fecerunt miracula, crederemus, sed magnum omnino, et admirabile, quod moneat, ne falsis prophetis credamus, vera etiam miracula facientibus.

Ceterum, non solum fideles in peccato mortali existentes, verum et infideles non semel vera miracula effecerunt, ut multis exemplis comprobant d. Hieron. (*hom.* 25. *in Matth.*), d. Euth. et Theophylact. (*in cap.* 7. *Matth.*), idque satis luculenter constat (*ex libr. Numer. cap.* 24), ubi legimus, Balaam, qui extra Ecclesiam Dei erat, verum vaticinium fuisse. Verum dicet quispiam: Si peccatori, imo et infideli potest Deus virtutem patrandi miracula conferre, poterat ille tali facultate abutens, miracula facere in confirmationem aliculus erroris; sicut enim sacerdoti confert supernaturalem facultatem consecrandi, libertati eius illam committens, ut bene, vel male ea utatur, et quando male utitur, Deus nihilominus speciali, aut supernaturali auxilio ad faciendum opus miraculosum cum illo concurrit, ita poterit virtutem supernaturalem faciendi miracula alicui conferre, libertati eius illam committens, ut bene, vel male ea utatur: in neutro enim casu refunditur malitia in Deum; quia sicut potest permittere, ut sacerdos utatur male sua facultate, ita et quod ille alter abutatur virtute sibi data faciendi miracula: nec tunc Deus decipit, sed solum permittit, ut alii putent, se confirmare id, quod in re falsum est. Non desunt, qui hunc argumentationum generi succumbant, affirmare non verentes, verum miraculum fieri posse ab aliquo homine in attestationem falsitatis; verum id omnino explodendum esse reor, quia certe ad divinam providentiam pertinet non permittere aliquid falsum suo sub nomine, et auctoritate ita proponi, atque exterius confirmari, ut secundum rectam rationem cogantur homines ad credendum, illud esse dictum a Deo, et assentiendum ea certitudine, quae omnem dubitationem expellat: quia, si Deus hoc permitteret, et cooperaretur ad omnia signa et opera, quia bus mendacium tamen abuteretur suprema sua potestate in praeiudicium suae auctoritatis, qua fide dignus existit. Nam si concurrentibus tot signis, et divinis operibus exterius factis in confirmationem veritatis, adhuc posset subesse falsitas, nulla superesset via ad credendum Deo loquenti per homines, vel per signa, quod est contra divinam virtutem, et auctoritatem, quam ipsum oportet habere in dicendo. Unde egregie Viguerius (*in suis inst. prae. loc.*) dixit: *Ex quo sequitur quod ab his,*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

qui falsam doctrinam annunciant, nunquam fiunt miracula, quia miracula sunt vera testimonia, et a solo Deo, qui non potest esse testis falsitatis, cum sit veritas per essentiam, ut habetur Ioannis sexto, et in hoc potuerunt cognoscere electi falsitatem prodigiorum, et signorum Anti-Christi, et praecursorum, ac complicum eius, et cavere ab eis, qui facient sua signa ad confirmationem falsitatis contra veritatem fidei, et ad inducendum ad malum; haec iste.

Nec ex his licet inferre, ad providentiam Dei etiam pertinere, non permittere apparentia miracula, quae virtute daemonis fiunt, cuiusmodi multa faciet Antichristus, eo quod illa etiam moraliter videantur sustinere ad decipiendos homines, qui non ita periti sunt, ut vera miracula a falsis discriminare sciant. Nam certe ad Dei providentiam non pertinet, non permittere illa falsa miracula, sed dare auxilium, ac modum, quo possint diiudicari, cum ob suam bonitatem, et sapientiam non permittat, hominem tentari ultra id, quod potest. Nunc iam ad miracula veniamus.

§. II.

Beatus Petrus Damianus S. R. E. meritissimus cardinalis (*libr. 2. epist. epist.* 14) mirabilem rem his verbis commemorat: Spem meam illud roborat, quod mihi vir religiosus, et prudens, ante quintum fere diem Stephanus, Apostolicae Sedis cardinalis presbyter intimavit. Ait enim, quia Bassus quidam, Burgundio genere, Anicensis Episcopatus, Ecclesiam beatae Dei Genitricis, semperque Virginis insigni titulo decoratam, quae vocatur in Podio, orationis gratia devotus adiit, et peractis omnibus, ac devotione completa, redire coepit ad propria. Cumque venisset ad pagum quemdam, in quo cella cuiusdam monasterii, cuius me vocabulum fugit, a religiosis fratribus incolebatur, languore correptus, cecidit, aegrotavit, et obiit: dehinc, cum iam totum, atque ex more linteis obvolutum in medio iaceret cadaver exanime, ac pia fidelium circa feretrum custodia pernoctaret, intempesto iam fere noctis emenso, ac gallicinio propinquante, qui mortuus iacebat, repente prosilivit; et sic omnes undique circumstantes admirationis stupor, et intolerabilis horror invasit. Tunc ille magni clamoris animadversione vociferans, tremens, et horribiliter expavescens, rogare coepit adstantes, ut psalmodiae piisque votis valenter insisterent, quatenus teiros nequitiae spiritus, qui per angulos, ac parietes domus undique videbantur, sanctis orationibus effugerent. Cumque fusis ad Deum precibus, more fumi vento perflati daemones evanuissent, ille terrore deposito, et securitatis animatus audacia, quod sibi in occulto contingit, publice coram omnibus enarravit. Egredienti inquit mihi de corpore, duo protinus angeli splendidae claritatis occurrunt, qui me secum ducere in superiora coeperunt: sed ecce, me nigrantes daemonum turmae, velut phalanges Æthyopum undique circumfundunt; me, tanquam sui iuris hominem acri nimis, et importuna vehementer exactione reposcunt. Noster, inquiunt, hic homo est, sub nostris ditionibus vixit, nostris obtemperare legibus non omisit: semper enim illi lex carnis inviguit, legem vero spiritus funditus ignoravit. At contra beati angeli responderunt, non, inquiunt, diffitemur, fuisse vestrum, dum in propriis viveret, non enim licet resistere veritati; sed quia nunc in obsequio Reginae coelestis Dominae nostrae defunctus est, nequaquam impietati vestrae pro vitae suae reatibus subiacebit, qui vitam suam pio fine conclusit. Nec ad aeterni Iudicis poterit perire conspectum, qui Genitricis eius sibi providit auxilium. Ad haec illi: Cum Deus, aiunt, procul dubio iustus sit Iudex, nunquam, quod nostrum est, auferet, nec adversum nos praeiudicialiter aget, cum iniustitiam prorsus ignoret. Cumque vim angelis inferre tentarent; angeli vero lenius, atque remissius, iam cognita veritate, resisterent, affuturum tamen sibi continuo pollicentur, et profitentur auxilium, et Dei Genitricis celerem comminantur accursum. Sed, cum hinc isti, modesta circa me tuitione contenderent, illi e diverso ad reposcendum sui iuris hominem furiosius, ac truculentius ebullirent, ecce, velut igneum fulgur repentissime radiantis corusci splendor illuxit, cunctisque mirantibus, coelorum Regina, angelicis vallata reverenter obsequiis, Dei Mater advenit. Tunc reprobi spiritus, licet ad primum tantae gloriae terrerentur adventum, corumque nimius splendor reverberaret obtutum, tamen illatam sibi conqueruntur iniuriam et angelicae violentiae protestantur ex propria professione rapinam, dicentes: quia, si Deus est iustus, nunquam de manibus nostris auferet impium: quibus e diverso beata Virgo respondit: licet hic homo, ut asseritis, vestra per pravitatem operis possessio fuerit, et impie, sive carnaliter, vixerit, nunquam tamen piissimus, et clementissimus filius meus, ac Dominus patietur, cum vestris fieri crudelitatibus subditum, quem sub mei famulatus obsequio cernit in peregrinatione defunctum; praesertim, cum iste confessus peccata sua sacerdotibus fuerit, iudiciumque poenitendo, ac ingemiscendo perceperit, quamquam subita morte praeventus, implere nequiverit. Ad haec illi, quasi nacta occasione victoriae, tripudiantes, et velut insultantes obiiciunt. Cum tu sis, inquiunt, mater veritatis, et aeternae iustitiae, num ignorare potes, quoniam hoc tam immane, tamque cruentum facinus perpetravit, quod nulli tamen unquam, per vocem confessionis innotuit? quoddam scilicet grave scelus a me commissum, nomine tenus inclamabant. Quod peccatum cum b. Virgo, licet ab auctoribus mendacii, veraciter recognovisset, modeste paulisper obticuit, et quodammodo veritati reverentiam praebuit. At reparato rursus eloquio: Verum quidem, inquit, est, quod obiicitis, sed quoniam apud misericordem Dominum meum, ac filium misericordia superexaltat ex more iudicium, cumque non tam delectet poena peccantium, quam remissio peccatorum, me confestim intuens, ait: ad corpus, homo, praesto regredere, scelus hoc, quod ab iniquis tibi iure obiectum est, sacerdoti coram vicinae huius cellulae monachis confitere, eosque ex meae auctoritatis iussione deposce, ut poenitentiae modum, qui tibi iniunctus fuerit, ipsi suscipiant, et implere pro tua mox obeuntis absolutione contendant. Quo peracto, ad me protinus sine dilatione revertere, hic enim ego non desino te, donec redeas exspectare. Cumque per ordinem haec ille narrasset, poenitentiam sibi inditam sancti fratres, cum pro charitate illius, tum pro Deificae Virginis obedientia suscepissent, mox laetus et hilaris, velut obdormiens, obiit; et sic vera esse, quae vivens dixerat, moriens approbavit.

§. III.

Idem b. Damianus (*eodem in loco*) haec aeterna memoria digna refert in haec verba: Quod fratris mei Damiani, tunc archipresbyteri, deinde monachi relatione didici, nisi me fallat obliviosa memoria, fideliter narro: alter enim frater meus, Marinus nomine, laicus quidem habitu, sed timoratus spiritu, ingravescente pulmonis, ac pectoris valetudine, tandem ad extrema pervenit Interea cuiusdam diei iam illucescente diluculo, repente coepit quasi cuilibet adventanti gratulabundus aggliscere, iucundanter hilarescere, et festiva serenitate vultus alacriter assultare; mox et in verba prorumpens, cum magno animadversionis impulsu, circumsedentes alloquitur: levate, inquit, levate, ac Dominae meae reverenter assurgite; deinde aliorsum mutatae vocis alloquium dirigens, aiebat; et quod est, Domina mea, Regina caeli, et terrae, pauperculum servum tuum, benedic me Domina mea, et ne patiaris, in tenebras ire, cui lucem tantae praesentiae contulisti. Cum igitur huiusmodi sermones implesset, ecce Damianus, qui scilicet illi, sicut et mihi erat germanitate coniunctus, persolutis Deo nocturnis officiis, ab Ecclesia redit, quid circa fratrem languidum ageretur, inquirit. Ille vero certum se quidem de vicina morte testatur, sed mox adversus assidentes probrosa redargutione conqueritur. Heu, heu, frater, inquit, quam ignaros, quam imperitos, atque irreverentes habemus, et sine disciplina domesticos: et tu vir strenue Bronizo, erat enim ille inter eos, dives quidam huius vocabuli, ille negotiator, quomodo sedere potuisti ad Reginae coelestis adventum? venit Regina mundi, et vos assurgere neglexistis? venit mater Imperatoris aeterni, et vos eius praesentiam ignobilem deputastis? ad quod Bronizo. Deliras, inquit adhuc, et aegritudine dementatus, haec vana profundis, aut verum est forte, quod loqueris? Nobis certe vana haec videntur, et frivola; ad hoc ille: num ignoratis, ait, quia languor iste, quem patior, nunquam alienare mentes aegrotantium consuevit? firmiter igitur et absque ulla prorsus ambiguitate cognoscite, quoniam angelicis comitata vestigiis, beata Redemptoris nostri me Mater invisit, hilaritatem mihi sereni vultus

ostendit, benedixit me, et protinus abiit. Cumque paulo post ille defunctus esset, senex quidam presbyter, Severus nomine, qui nimirum spiritualis eius pater extiterat, retulit, quoniam longe ante, dum vegetus adhuc, et sanitate floreret incolumis, depositis nudatus exuviis collo, corrigiam, qua cingebatur, intexuit, altari se beatae Dei Genitricis, velut servile mancipium tradidit; mox se quasi servum malum coram Domina sua fecit verberibus affici, dicens: Domina mea gloriosa, virginalis munditiae speculum, et omnium norma virtutum, quam ego te miser, et infelix offendi per obscoenam carnis meae putredinem, et eam, cuius tu mater, et auctor es, violavi mei corporis castitatem, nunc itaque, quod solum remedii superest, me tibi famulum trado, tuae ditionis imperio substrati cordis colla submitto. Flecte rebellem, suscipe contumacem, ne tua pietas respuat delinquentem, cuius intemerata virginitas peperit verae pietatis auctorem. Per istud ergo munusculum servitutis meae tibi nunc offero censum, et amodo, ac deinceps, quoad vixero, certi canonis appendam annuale tributum. Quandam ergo pecuniae summam in altaris crepidine posuit, et sic de misericordia, quam quaesierat, confisus abscessit. Non igitur fortassis hanc, sed huiusmodi frater meus de fratre narravit historiam, cuius, etsi prae oblivione verba non teneo, saltem, in quantum mihi possibile est, a relatis quadam similitudine non recedo. Confessionis igitur iste versiculus ad relata, vel referenda mihi cuncta proficiat, meque in quibus ignoranter oberro, coram supernis obtutibus excusatum reddat.

§. IV.

Idem b. Petrus Damianus (*lib. 3. epist. epis.* 10) hoc etiam scitu dignissimum scribit: Religiosus plane presbyter Ioannes rem mihi retulit ante paucos annos Romae contigisse, quam narro: in assumptione, scilicet, beatae Dei Genitricis Mariae, cum nocturno tempore Romanus populus iuxta morem orationibus, et litaniis insisteret, et accensis luminibus diversarum regionum ecclesias perlustraret, mulier quaedam in basilica, quae est ad honorem eiusdem beatae Virginis in capitulo constituta, commatrem suam vidit, quae scilicet ab anno fere fuerat iam defuncta. Cumque per multitudinem confluentium ad eius attingere non potuisset alloquium, studuit eam in tali cuiusdam angiportus articulo praestolari, ut dubium non esset, quod egressa basilicam, ab ea declinare non posset. Hanc itaque transeuntem protinus inquisivit: non, inquit, tu commater mea es, Marozia videlicet, quae dudum defuncta es? hoc illi vocabulum fuerat, dum adhuc viveret; qua respondente, ipsa sum, et quomodo, inquit, tibi nunc est? Ait usque hodie, non levis me poena constrinxit, quia videlicet per lasciviae petulantis illecebras cum coaetaneis me puellis in tenera adhuc aetate foedavi, et hoc ipsum, proh dolor, oblivioni

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quodammodo tradens, sacerdoti quidem confessa fui, sed iudicium non accepi. Verum hodie Regina mundi pro nobis preces effudit, neque cum mullis aliis de locis poenalibus liberavit, tantaque multitudo per interventionem eius hodie est de tormentis erepta, ut numerum totius Romanae plebis excedat. Unde sacra eidem Dominae nostrae gloriosae dicata passim loca visitamus, actionesque sibi gratiarum pro tantis misericordiae beneficiis acres exhibemus. Cumque super hoc commater illius ambigeret, nec fidem facile sermonibus adhiberet, subinnxit, ut experiaris, inquit, pro certo verum esse, quod loquor, scias te transacto hoc anno in hac eadem festivitate procul dubio moriturum. Quod si, quod fieri non potest, ultenus vixeris, me protulisse mendacium liquido comprobabis. Et his dictis, ab oculis eius evanuit. Mox illa cilicium induit, et de obitu suo sollicita quae audierat, vivere cautius coepit. Quid plura? peracto fere anno, pridianis coepit aegrotare vigiliis, in ipso vero festivitatis die, vitam, sicut demonstratum fuerat, terminavit. Ubi notandum, et non leviter expavescendum, quia de peracta culpa, quam praefata mulier oblivioni tradiderat, usque ad interventum intemeratae Dei Genitricis supplicia perferebat.

§. V.

Idem beatus Damianus (*eodem lib.* 3. *cap.* 10) memorandum quendam Virginis favorem his verbis attexuit: Praeterea idem, qui supra mihi narravit Episcopus, quia monachus quidam quotidie, dum ante sanctum altare beatae Mariae semper Virginis pertransiret, illam ex more percurrebat antiphonam, quae sic incipit: Gaude Dei Genitrix Virgo immaculata, gaude, quae gaudium ab angelo suscepisti, gaude, quae genuisti aeterni luminis claritatem: gaude mater, gaude sancta Dei Genitrix Virgo, tu sola mater inmupta, te laudat omnis factura: genitrix lucis intercede pro nobis. Quam videlicet antiphonam, dum quadam die pertransiens diceret, audivit vocem ex eodem altari procedentem: Gaudium mihi annuncisti, gaudium tibi eveniet.

§. VI.

Idem beatus Petrus Damianus (*lib.* 6. *epist. epist.* 29) haec quoque refert: Cum in psalmodiae studiis, ac divinis laudibus te vigilanter exerceas, hortor, venerande frater, et moneo, ut quotidianum quoque beatae Mariae semper Virginis officium non omittas: dignum quippe est, ut quae laudum praeconia meretur ab angelis, obsequis etiam frequentetur humanis, eique post Deum totius orbis exhibeat laudem, per quam suscepit propriae salutis auctorem. Optima sane spes est, apud eam habere confugium, quae scilicet inter omnes coelestis Curiae Senatores impetrandi apud Deum primum obtinet locum. Nempe sororis meae filius Damianus, religiosae videlicet indolis adolescens, dum haec coram eo scribentem, retulit, quod apud Gallias in litterarum studiis constitutus, fama vulgante cognovit. Clericus quidam Nevernensis ecclesiae morbo depressus elanguit, iam iamque superexcrescente molestia, moribundus ad extrema pervenit. Hic plane regulam sibi sanctae servitutis induxerat, ut beatae Dei Genitrici quotidiana per singulas horas laudum vota persolveret; cumque de vita illius iam nemo pene confideret, et velut egressurus in eius pectore spiritus anxie palpitaret: ecce gloriosa Mater Dei sibi visibiliter adstitit, et sacri uberis popilla lac exprimens, eius labiis instillavit, et divinae virtutis antidoto, protinus ille resumptis viribus, ex infirmitate convaluit, et mox clericalibus ornamentis indutus, ecclesiam adiit, seseque choro psallentium fratrum laetus interserens, mirum videntibus spectaculum praebuit. Dicitur etiam, quod adhuc in labiis eius quaedam laetis videbantur vestigia. Quae autem sibi verba beata Virgo protulerit, quamvis mihi, utcunque dicantur, quia certus non sum, non adhibeo fidem, quoniam in veritatis lineam, vel leviter impingere pertimesco; quamvis per hoc conici possit, quoniam eisdem labiis, quibus eam ille laudavit, et coluit, gloriosa Virgo lac salutis immulsit, ut per illud corporis membrum, quo sibi venerabilis clericus laudis obtulerat gloriam, congrua vicissitudine recuperandae salutis suae perciperet medicinam.

§. VII.

Gregorius presbyter, in vita Theodori anno Christi servatoris, et vindicis 1528, in Suessionensi quodam pago multi igne correpti, ad Virginis templum, Suessione remedium quaesituri venerunt: votis eorum, et precibus coeli Regina respondit, intra dies quindecim sanatis maribus centum et tribus, puellisque ternis dumtaxat liberatis, vel, quia non plures ignis attigerat, vel quod solis illis esset expediens. Quin et ipsa Virginum Virgo venit in templum coelesti agmine constipata, templi ipso fragore adventum testificante: fama est nonnullis pridie illius diei, in quo morbum horribilem depulerunt, coelitus lucem oculis offusam, quae per templi specularia, faciem lumine, mentem gaudio complevit. Sed illud inibi valde mirabile. Puer annorum undecim, pecoris custos, a matre in illud templum adductus, cum valetudine obtenta, citius, quam oportet, reductus esset in patriam, beneficique memor, gratiis agendis, donoque attentius recolendo, redire vellet ad templum, neque id ab ingrata matre pervinceret. O recidam, inquit, et me iterum ignis infestet, ut redire necesse sit, morboque urgente, sacra aedes revisatur, unde tam immature discessi: exauditis precibus, renatove morbo, relatus est puer, ut autem limen attigit aedis sacrosanctae, sommo consopitur; sed sacrae strepitu pompae, quae tum agebatur, excitatus solvuntur ora clamoribus, inque gratiarum actionem effusus est totus. Narravit ante Dei adfuisse conspectum, Deiparamque vidisse pro misero populo supplicantem, Deumque suae Genitrici, ut ignis ille sanaretur, concessisse, mox Virginis de Suessionensi sua domo querelas consulentem audisse filium, quae praeter ceteras afflicta, deformataque tum transmarino, tum Transrhenano promisso subsidio, Suessionensesque poenas daturos templi Virginei, non in tempore restituti. Itaque ignis negligentes multos exussit, pastor hic puer haud falsa praedictione paulo post se esse moriturum affirmavit: non enim mensem supervixit. Historiam idem hic pastor, inde a mundi exordio versibus bene currentibus ex tempore decantabat. Evangelia memoriter, tanquam ex libro recitabat. Iosephum. Virginis sponsum, praecipuis laudibus exornabat. In dicendo claudebat oculos, quasi lucem pertaesus mundanam. Mortuus, candoris insoliti voluptate, intuentium oculos obtectavit. Antonius affirmat, praegnantis cuiusdam, periclitantisque mulieris non ante facilem partum fuisse, quam visendae s. Mariae Suessionis se voto constrinxit, etsi quaedam mirabilia partum praecesserunt: nam, prinsquam esset enixa puerum, ternos ex utero lapides fudit, primum magnitudine ovi anserini, alterum gallinacei, tertium, quanta nux est. Secutus illico partus infantis, qui baptismi aqua tinctus, brevi ad superos evolavit.

§. VIII.

[1] Gregorius Turonen. (*lib. de gloria Martyrum cap.* 8): Hebraeus, puer, simplex, et parvulus, cum pueris christianis in literarum ludum ventitabat, condiscipulorum sequax in omnibus. Igitur die una, divini altaris sacrificio peracto, cui ipse, sociorum secutus exemplum, religiosus, et attentus interfuit, ad sacrosancti corporis communionem christianos pueros vidisset accedere, ipse quoque divinae illius mensae convivio vitali se cibo reficit, imitationis studio fallente, quae sumere suadebat, quod nondum christianis non licet accipere. Domum reversus, quid egisset, patri gaudens exponit. Ille Christo Domino, atque eius institutis inimicus, si alienos, excipit, puerulos imitatus, Christi annorum sacra sumpsisti, neque quo parente natus esses, animadveriere voluisti, ego Mosaicae legis ultor, in te patricida iustus existam. Nec mora, simplicem filium, infantemque in fornacem coniecit ardentem, quae domesticae officinae peropportuna serviebat; vitrum enim Hebraeus hic homo conflabat, atque illo se conformandorum fragilium vasorum artificio sustentabat. Mater periclitantem puerum liberare conata est; sed flammis, ardentique incendio prohibita, caput prae dolore denudat, comam scindit, domum egressa civitatem clamoribus lamentisque complevit: cives exciti vocibus, quae sit flendi causa, sciscitantur: cognita, ad Iudaei aedes, quasi dato signo, concurrunt, vel potius convolant, remotoque ab ore fornacis igne puerum salvum, et a flammis intactum invenerunt, neque aliter affectum, atque si mollissima pluma iacuisset. Exortus est quasi clamor, exaltantis Iesum Christum, et laudantis, nefariumque Iudaeum ad poenas meritissimas resposcentis, quem in flammas iniectum ita ignis absorpsit, ut vix quicquam ex impiis ossibus remaneret. Interrogatus a Christianis puer, quo, vel umbraculo, vel vento saevientis flammae vim, et impetum arcuisset, illam matronam sibi adfuisse respondit, quae in templo, ubi panem sacratum ipse gustarat, puerum pulchellum in sinu fovens, visebatur, illa sua me palla contexit, a flammisque defendit. Hanc eandem historiam Glycas apponit, et Menam patriarcham adfuisse adiungit, remque Iustinum Imperatorem ex Menae narratione didicisse. Dissimile quiddam est, aliqua tamen ex parte consuetum, quod Augustae factum esse Bencius scribit, cuius ipsa haec est oratio quae sequitur: Quidam privilegio paschatis ratur, ab haereticorum caena in nostrum templum venit, otiose exploraturus, ecquid agereitur, cum spectaret tacitus quae confitentium pietas, qui sensus animorum unum, atque idem agentium, quam spirarent omnia religionem, qui captatum venerat, captus est: neque inde discessit, antequam evomeret virus iniquitatis suae. Puer cum videret condiscipulos aliquot suos ad sacram mensam accedere, similiter ratus licere omnibus, etiam ipse accessit, et panem hausit angelorum: quod, ut eius pater, qui erat catholicus, rescivit, simplicitatem pueri causatus, illum clam matre haeretica, ut confiteretur, adduxit. Narrabat porro puer, ut magnum illud argumentum accepit divinae charitatis, non aliter, atque intrasset flamma, os sibi visum esse aduri.

§. IX.

Frater Abraham Bzovius (*in monili gemmeo divae Deiparae sacro*) haec scribit: Lublini, quae civitas est totius regni Poloniae tribunali insignis, Martinus civis erat arte lanius. Huic duo filioli, bimus alter, quadrimus alter: aberat ipse, et uxor eius domo: cum mater natu, prout viderat patrem pecora mactantem, cultro arrepto iugulavit fratrem in cuna iacentem; metuens virgas, coniecit se in fornacem, et retro ligna in struem composita se occuluit. Mater domum reversa cogitans de pueris nihil ignem lignis supposuit, illa flammas concipiente puerum intus latentem suffocarunt, antequam infelix animadvertisset. Extraxit tandem iam suffocatum, et ad cunam conversa vidit alterum iugulatum: sanguini innare, quid faceret? Dedit se in lamenta super duo cadavera, donec maritus adveniret, qui ratus illam scelus perpetrasse, tamdiu verberibus afflixit, donec occideret. Tristi postmodum spectaculo, et metu vindictae, et supplicii percussus, equum carro iunxit, et cadaveribus iniectis, voloque conceptio in viam se dedit ad divam Virginem Deiparentem apud Clarum montem Poloniae: abest Lublino, plus minus cen-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tum quinquaginta milliaribus, propter imaginem illius, ut fama est, a divo Luca depictam, summa veneratione cultam. Dum est ante basilicam illius, potentia corpora, quae ex carro deposuit, post orationes fusas, redanimata aspexit, et recepit ab intercessione illius, quae vitam omnium viventium parturivit. Factum anno salutari millesimo quingentesimo quadragesimo.

§. X.

Ioannes patriarcha Hierosolymitanus (*in vita sancti Ioann. Damasc.*) haec, quae sequuntur, commemorat. Ioannis illius, qui a sua civitate Damasco, Damascenus est appellatus, quanta fuerit sanctitas, quae sapientia, quam singularis conditio, neminem profecto fugit, cuius etiam illud est valde proprium, ut in veneranda, oranda, et a calumniis defendenda praepotentis Dei matre Maria, saepe multumque versetur; de eius felicissima infelicitate haec est in ore omnium historia. Leo Isauricus Byzantinus Imperator, eorum omnium, qui sacras imagines deinceps insectati sunt, antesignanus, et tartareus lucifer, angelos perdens, atque praecipitans ad suam perfidiam, et tutandam, et propagandam, synodi, si superis placet, adulterinae, ac falsae se, suosque asseclas auctoritate, vel, ut melius dicam vanitate, ac furo ineptissimo tegere, ac dissimulare constituit, ingentesque turbas secta pestilens excitavit, et Ecclesia, ac verae religionis causa damnum leve non fecit sacris imaginibus flamma, ferroque deletis. Rugientis leonis hos impetus, et furores noster Damascenus magna ex parte compressit, scelleratissimique Imperatoris conatus prae ceteris illius aetatis, memoriaeque hominibus, retardavit, consilia fregit, et machinationes impedivit: nam Damasci in patria tres libros pro sacris imaginibus, picturisque conscripsit, et cum magno catholicae causae bono pervulgavit, quo opere Iconomachorum animos vehementer irritavit, quippe cum dolerent, Damasceni potissimum opera suas fraudes eludi, consilia patefieri, conatus ad nihilum recidere, telas denique retegi, quas factorum insidiosa manus compegisset. Itaque, qui insanissimi erroris magistri erant, immanissimi etiam, terrimique facinoris magistri esse voluerunt. Siquidem innocentem Ioannem apud Sarracenum in Arabia principem tentatae proditionis accusaverunt, et mendacissimis criminationibus suspiciosi reguli aures oppleverunt. Ad rumpenda cum externis regibus, cumque ipso Constantinopolitano Imperatore inita foedera, Ioannis manu exaratas, consignatasque literas esse, epistolam subiectores ita adulteraverant, ut Damasceni manus esse videretur, illum hostem patriae, et publicae pacis inimicum, qui literis Leonis animum solicitasset, Damascum invitasset, venienti portas se pandere paratum professus esset. Sarraceni iram angebat Leonis Imperatoris altera epistola, se Fabritium simulantis, quem perhibent, medico non assensisse, qui Pyrrhum Epirotarum regem, quo cum erat Romanis bellum, veneno se esse necaturum promittebat. Negat Isauricus, eum se esse, qui quos semel in amicitiam recepisset, eorum insidiosо gauderet interitu, proinde caverent insidias eius quem domi haberet, et praefectura honestaret, cuius nomen ex epistola condiscere liceret, quam epistolam a perfidioso proditore missam, imperator fide sancta remitteret, non quidem auctori, sed ei, in cuius exitium facta videbatur. Damasci regulus, binis illis litteris acceptis, et lectis, et quae Ioanni falso imponebantur, et quos Leo pestilens fraudulenter immiserat, ira excandescens, Ioannem accersit, utramque monstrat epistolam, se defendere parantem, atque innocentiam probare cupientem, neque enim subiecti chirographi, et artificio expressae alienae manus doli latuerunt, furore praeventus, anticipat, et immorantem Damascenum publico iudicio condemnat: dexteramque illam abscindi iubet, quae epistolam, ut ille falso credebat, in patriae perniciem ad externos principes, et eos pacificos, exarasset. Sed quae barbarus ille machinamibus haereticis in Ioannem Damascenum temere, iniusteque constituit, ad orthodoxae fidei custodiam, et victoriam nobilissimam, et ad veritatis claritatem, lucemque multo splendidiorem, et ad ipsius Ioannis gloriam, et triumphum valuerunt. Principio, cum praecisa manus barbari sententia in medio foro suspensa teneretur, eam sibi Damascenus, licet a cetero corpore abruptam, dari rogat, solatii fore genus, si domi habeat, videat, contempleturque quotidie: haud gravate tyrannus, cuius ut intermittebat iracundia paulatim, ita inconsiderantis praecipitisque iudicii, et supplicii conscientia magis, ac magis repugnabat. Damascenus in suam sacrarium ingressus, ante Virginis, et Matris imaginem provolutus, lacrymisque perfusus, et suam, et totius Ecclesiae calamitatem deplorabat. Mater clementissima, quae Deum immortalem peperisti, en, inquit, truncata manus est dextera, quae pro sanctis imaginibus pugnabat, cuius rei causa immanis Leo saeviebat, ignotum tibi non est, tu subveni, et esto propitia. Illa Altissimi dextera, quae de te carnem accepit, quaeque tam multa, et tam praeclara perpetravit, hanc meam manum, te deprecante, restituat, avulsamque cetero corpori, ut erat ante, coniungat, atque conglutinet, ut, et tuas, et eius in primis, quem salvo pudore genuisti, laudes miraculaque praescribat. Versus, te auspice, faciat, de rebus divinis disputationes literis mandet, atque orthodoxi cultus, et religionis administra sit. Post pias preces, et amicas querimonias, arctus Ioannem complexus est somnus: viditque in quiete sanctam illam Deiparae imaginem, in quam suspiciens tam multa deflevarat, clementibus, ardentibusque oculis se intuentem, atque ita dicentem: Ecce sana manus est tua, iam fuge pigritiam, sitque ex hoc tempore ista dextera calamus scribae velociter scribentis id quod mihi paulo ante promisisti. Evigilat Damascenus, manum, somni memor, aspectat, cum se omnino curatum videt, vehementer exultat. Ergo bene merenti

Deo, atque eius sanctissimae matri, quam gratissimum se verbis, factisque quoad vixit, exhibuit, manum repositam Sarracenis, Ethnicisque Damasci Ioannes ostendit, quo Dei praepotentis virtus, atque divinitas eluceret, suamque ipse innocentiam, quod religionis christianae maxime interesset, testaretur. Admirandae sanitatis, et naturae vires longe superantis, fidem augebat rotunda quaedam lineola magnae pulchritudinis, quam manus Damasceno restituta redditaque servabat, antiquae sectionis argumentum, quae armillae instar, eam partem qua manus brachio devincitur, mirabiliter exornabat, quin et barbarus ipse veniam petiit immaturi, praecipitisque iudicii, ac se errasse confessus, Damascenum semper est veritus. Hac quasi comoedia peracta sanctus Ioannes, posthabitis mundi rebus, monachus factus, in senem Austrium incidit, a quo vehementer exercitatus, sportas publice vendere, proque eis immane pretium exigere videbatur, quin et cloacas, eodem imperante, converlit, et sine nausea perpurgavit. De sacerdote, cui ad Virginis gloriam sabbato sacrificanti lingua reddita est, quam haeretici avulserant, loquitur libr. 2. de Leone Papa sanctissimo. Simile quiddam a nonnullis scribitur, manum osculo mulieris, quasi veneno tactam, prinsquam libidinosa contagio pervadit ad animum, sibi praecidisse, pro restitutione Deiparam exorasse, eaque a Virgine reddita, Pontificis duplicatam esse laetitiam. Sed has nugas, aridasque fabulas censet esse Baronius: quod enim, inquit ille, Ioanni Damasceno contigit, cum ab Iconoclasta Leone mutilatus est dextera, et sanatus Virgine, inversa historiae veritate, Leo Papa praecisus manu iactatur, et a Deipara restitutus asseritur. Sed facessant commenta isthaec, quorum imago picta iussu Clementis Papae octavi, consultis viris doctis abrasa est, quod nulla penitus reperta sit veritate subnixa, vel saltem verisimilitudine colorata, sed levissime in vulgus sparsa.

§. XI.

Narrat Ioannes Brugnianus Franciscanus in vita Lyduvinae virginis multaque alia apponuntur, quia de laudibus s. Mariae Virg. quod morbis gravissimis Lyduvina confecta, invisebatur a familiari angelo, qui pulchritudine, aspectuque Lyduvinam ita recreabat, ut cruciatuum dolor incredibilis omnino levaretur. Ab hoc ipso angelo, et ad beatissimae Dei Matris imaginem deducebatur, et ea salutata, ad locum amoenissimum, ubi florum mirae suavitates, ac coeli tanta temperies, ut neque ab aestu, neque ab algore sibi Lyduvina metueret, perduci solebat. Hoc ipso tempore mulier quaedam fragili naturae cedens, flagitium immane commiserat: quod etsi iam erat confessa, tamen daemonis astutia nequissimi ad desperationem trahebatur: nam chartam obtrudebat, in qua scelus erat inscriptum, mulieremque imperiose, furioseque pertentans, sui esse iuris aiebat, peccatum neque viventi, neque moriuae remissum iri: sancti Spiritus numen esse violatum, quem qui offendunt, indigni sint venia. Mulier talia daemoni suggerenti prope succumbit, captaque angustiis perplexa pendet, ambigit, haesitat, conflictatur; sed Dei instinctu, ductuque coelesti ad Lyduvinam adit, quam sit sibi daemon infestus, quaeritatur, remedium animi quaerit ancipitis. Lyduvina figmentum daemonis esset respondet, mulieris causam habet pro sua, apud Deum lacrymis agit, et precibus, media in supplicatione rapitur. Matrem Christi videt choro cinctam virginali, citatus adest satanas, et imperio coactus, ad Dei tribunal assistit, schedam manu tenet: orat Lyduvina coeli Reginam pro tristi muliercula, illa protinus a diaboli manu extortam schedulam disrumpit, atque discerpit, chirographi frusta Lyduvinae servanda tradit, deriso, explosoque daemone. Post visionem, Lyduvina suum confessarium accersit haud ignarum gravissimi illius periculi, quod mulieri cogitabundae creabatur. Schedae fragmenta, minutiasque demonstrat, totamque ex ordine aperit, et explanat visionem. Illo ipso tempore, ecce ibi mulier intervenit, cuius agebatur causa, querimoniam repetentem, et misere lamentantem, Lyduvina consolatur, finem malorum venisse, damnum se velle praestare, nihil esse laborandum de flagitio veteri, quod explarit bona et vera confessio, sibi rem totam esse patefactam, de coeloque monstratam, chartulae nullum esse terrorem, quam in minuta concisam mulier demonstravit. Recreatur ex angore diurno mulier, confirmataque daemonis praestigias parvipendit. Cetera subiciam, quae Brugnianus affirmat, ab historia Virginis Deiparae non abhorrentia, quamvis huic aliena sint capiti. Fuerat in egenies Lyduvina misericors, quocirca illo est dignata viso, quod mox dicam. In paradisum rapta, lucem vidit mirabilem, et candorem e coelo fulgentem, qui multos mortales, solique hujus terreni incolas illustrabat. Vidit insuper in hoc mentis recessu beatorum quasi exercitum, mediamque Deiparam, exornarique mensas serico, et eleemosynas, quas per id tempus dederat Lyduvina famelicis, velut a supernis atlasas quam aptissime collocari. Potiones quoque, quas in figulinis vasculis pro sua facultate pauperibus ipsa porrexerat, partim crystallinis, partim aureis pateris reverenter apponi, exinde clarissimum virorum coetum illis in mensis ornatis, instructisque discumbere, sonitumque audiri, quasi iucunde, hilariterque prandentium, seque illis alacriter ministrare: inde memor visionis, beneficium erga inopes cumulavit. Ad altare Virginis aliquando arrepta per visum, illinc per loca poenarum obita cursim ad contuendos coelicolas, angelo ducente, pervenit. Ibi Deum collaudantium, et coram eo plaudentium infinitus visus est numerus, tantaque oculis voluptatum, et oblectamentorum obiecta copia, ut a raptu, ne minimam quidem partem narrare se posse fateretur: ex illo autem sanctorum coetu quosdam ita esse locutos: Lyduvina, patere constanter, et fortiter, quae praeterea ferenda, tolerandaque restant, nos enim per aquam ignemque transi-

vimus, nunc tamen ut cernis in requiete vivimus. Angelorum deinde Dominum, eiusque excellentissimam Genitricem conspicatur. Ubi propius accessissent, collocutam ita esse Deiparam: Cur in hunc locum inculta, et inordinata venisti? aitque Lyduvina: scis ipsa, scis Dei Mater intacta, ab angelo huc me esse perductam. Tum Domina mundi, visne hoc, quod manibus fero, tuo capiti velamen imponi? illa respexit ad ducem dubia responsi, sed Deiparae iterum, ac tertio idem percontanti, timida, et pudens, voluntatis suae illud esse negat, quae tota penderet ex auctoritate Deiparae: tandem angelo, ut acciperet, annuente, capitis ornamentum illud sibi dari, timide tamen et verecunde, petivit. Sed viso ex oculis illo dispulso, cum sui iuris Lyduvina iam esset, ecce rursus Deiparam videt multis virginibus comitatam, et capitis redimiculum manu tenentem, atque ita dicentem: saepe de te, Lyduvina quaesivi, vellesne hoc habere velamen, neque tamen tuam mihi voluntatem explicasti, en illud aptamus capiti tuo; sed quando allatum de coelo est, septem non amplius horis erit in terris: dabis confessario tuo, non ut habeat, sed ut imaginis meae caput exornet. Post Deiparae abscessum, et actionem gratiarum, velum de capite Lyduvina deponit, eiusque formam, materiamque considerat. Erat crispum colore caerulco, neque omnino album, neque plane viride, actum tamen ex utroque, operis videbatur esse textilis, sed quod mortalis nemo perviderat, quale sit, quanamve arte confectum; cumque confessionis presbytero, ut beatissimae Matris aptaret imagini, ex Deiparae mandato, vehementer instaret, illeque et aperiendi, et reserandi templi tempus esse inficiaretur, et difficilem causaretur ascensum, erat locus imaginis valde sublimis, omnia fore pervia Lyduvina pollicetur. Itaque in tempore templi custos occurrit, portas aperuit, scalaeque repertae, quibus admonitis, velum virginali figurae inditum est, sed ab angelo confestim ablatum. Magna quidem huic virgini Lyduvinae cum clementissima Deiparente Maria quasi familiaritas intercessit: nam quotiescunque Christi vitae mysteria, quae Scriptura commemorat, meditatio recolerel, non ea tam mente agitabat, quam oculis cernebat. Cumque Deipara filium lactante, et parvulum lacte nutriente, lacte ipsam, quod miteris, alebat, cum gestante gestabat, cum exulante in exteris oris, exul quoque Lyduvina terras Aegyptias peragrabat, cum amissum puerum quaerente quaerebat, cum Maria ad crucem stante, et permanente perstabat, cum sepeliente sepeliebat: et humano Dei unigenae filio una ex praeficis parentabat. Quas ex animo plorare videbat, illius admodum dissimiles, quae ad funera conducuntur inferiis. Christi nascentis rem omnem Lyduvinae cogitanti, atque altissima contemplatione ruminanti, ubera, ne quid ad Deiparae perfectam imitationem deesset, ubera inquam virginali, et miraculoso sunt lacte distenta, quae enim vivebat, ut pauci, digna fuit, quamobrem illud assequeretur, quod solet evenire perpaucis.

§. XII.

Laurentius Surius (*de vitis Sanctorum mensis Aprilis*) haec enarrat: Doluit aliquando Hermannus ea sibi a suo Abbate imperari, quae contemplationis dulcedinem impedirent: videnseque miserecordiae Mater hunc filium, quem adoptarat, ob negotiosa illa demandata munera tristiorem, sic illum affata est: Scito canonice, nihil tibi tam esse necessarium, quam ut fratribus ex charitate deservias, et rectoris qualecunque capessas imperium: quo monito, et querimoniam missam fecit Hermannus, et officii necessitatem, quam nescierat, intellexit, ergo Marthae munia libenter exercuit: ac Dei, propter Deum, quasi aspectu privari facile tulit. Cum autem ad ea munera revolutus esset, quae Mariam Magdalenam habere sociam possent, sibi esse redditus, ac restitutus videbatur. Tum praeter consuetas preces, quibus Dei matrem et orabat, et honorabat, novas quasdam excogitavit, quibus et implorare Virginem, et laudare non destitit. Salutem ab angelo saepenumero repetebat, genuflexus semper in fine, ad Mariae nomen, sese humi provolvebat; causam rogatus, ita respondit: Quotiescunque Mariam nominari audio, memet, ut cernitis, ad terram abicio, non sine fructu, quando omnium florum, et aromatum suavitas in nares influit; et quia aegre hac voluptate carco, carco autem, si me a terra effero, in surgendo sum tardior. Viro huic Dei Mater intacta sese quam frequentissime demonstrabat: erat enim raro Hermanni castitas, et virginitas singularis. Non semel ad orandum intentus, Deiparae vocem audivit, eaque magistra, quae nesciebat, multa perdidicit. In quandam sanctimonialium ecclesiam venturum, Dei mater antevertit, sororesque admonuit, ut suum sacerdotem capellanum, vulgo dicimus comiter, benigneque reciperent: post sanguinis a vena missionem admonitus est a Virgine, quemadmodum dormiret, et venae fluentis periculum devitaret. Non est silenda plena admirationis historia, quam qui scripsit, de eodem Hermanno se audivisse narravi!, et ex illius ore admiratus, posteritati mandare decrevit, ne rem tantam oblivio sepeliret. Nocte intempesta, cum ad solitas preces Hermannus vigilaret, in medio choro, inexplicabili pulchritudine Virginem vidit, regali amictu decoram: aderant duo formosi iuvenes. Stupens novitate visionis, unum dicentem audivit: cequis huiusce Virginis erit sponsus? cui ab altero responsum est: non alius, nisi iste, qui adest, veni ergo. Venit timidus, et verecundans ad reginae praesentiam, tum sic est locutus unus ex angelis, angelos fuisse cognovit. Hanc tibi illustrissimam puellam desponderi necesse est: ille, et tali sponsa, et illo sponsi nomine se fatetur indignum, et clamore, quam sit humilis, abiectusque pronuncial. Reluctantis, ac refugientis angelus acceptam manum cum virginis manu coniungit, et his verbis sponsalia contraxit. Hanc virginem tibi sponsam tradimus, ut fuit quondam Iosephi, cuius nomen cum sponsa ipsa te oportet assumere. Quod

quidem nomen alia quaedam visio confirmavit. Nictabundus post longas preces recumbit in lectulo, iamque obdormiscens, sibi visus est ad eundem precationis locum rediisse: ibi aram erectam, excitatamque suscipiens, beatissimam Virginem vidit, quae pulcherrimam gestabat infantem. A Deipara familiariter vocatus accessit, et infantem puerum sibi dari poposcit: illa aliquandiu distulit, ut desiderium augeretur, denique dedit: porta inquiens filium meum, ut olim Iosephus in illa ad Ægyptum fuga portavit, quo fiet, ut ferendi onus eiusdem nominis honorem mereamur. Monitus insuper est a Deipara, ne aegre ferret, se Iosephum appellari. Ac ne illud quidem silebo, quod ad mores confirmandos maxime valet. Hermannus hic talis, et tantus, humanae infirmitatis vitio, tantillum de pietate remiserat, et in beatissimae Matris officio persolvendo, hymnisque, et orariis precibus recitandis, negotiis, curisque distractus negligentior, cessatiunculam minus ipse observarat: nam per illos dies quidam monasterii fores effregerant, inque rerum custodia defixus, qui et quantum omisisset, minime senserat. Virgo beatissima suo novo Iosepho de coenobii tutela nimis sollicito, non formosa, ut solebat, occurrit, sed anili figura, et fronte rugis deformata. Expavit primo Iosephus, et latrones quos habebat in mente, suspicatus: quid rei esset, exclamat. Ego, inquit, divina Mater, huius monasterii sum custos multo iam tempore: ille agnita voce, ignota facie, tunc inquit: O Domina, et rosa pulcherrima? cum annuisset: quid igitur ista sibi figura vult? atqui, Mater ait, talis appareo, qualis tibi iam sum. Tempora illa requiro, in quibus me millies salutabas, laudabas, memorabas: nec te pudet, in hac re esse remissum, mei memoria se nescienle. Servandi monasterii, quod latronum iniuria reseravit, necessitatem excusas; sed est futilis ista defensio, me enim in tali re appellare debuisses, cui est curae tutela coenobii. Cave igitur, ne tuae amor sponsae refrigescat. Correctus, emendatusque Iosephus primum ardorem renovavit, et nihil de pristina viriditate, et florida amoris quasi iuventute, diminuit, ut adolescenti adolescentem se Virgo monstraret, nec velulae formam induceret, quod in gravissimi supplicii loco ponebat. Accidit aliquando, ut manus cante progrediens, laberetur, in casu duos dentes pronus, et ad terram afflictus excuteret, quos manu tollens, Virginem vidit, a qua rogatus amanter, quid haberet, dentes, hos, inquit, amisi, et gravi dolore discrucior: da istos mihi; quos ubi de manibus gementis accepit, in os inseruit, dolore sanato, nulloque vulneris in Iosephi hucca manente vestigio. Ad aram Iosepho religioso canonico rem divinam facienti, aeternoque Patri immaculatum Agnum offerenti, Dei Mater affulsit, cum aureo calice, cuius in medio crux aurea resplendebat, deductoque sacrificantis pectore illuc visa est cum cruce, et calice penetrare. Neque miraudum est, in illius cor sacerdotis intrasse Deiparam, in quo et Virginis vigebat amor, et erga Dei Matrem ardebat charitas, et virtutes omnes habitabant. In summa hyemis asperitate, hoc ipso Deiparae intimo Iosepho sacrum faciente, quaedam virgo, cui Elisabetha nomen fuit, in tanto frigore moram et tentitudinem, missam dicentis admirata, oculis mentis, hinc ab ipso Iesu, illinc a Matre medium videt teneri presbyterum, cuius dexteram calefaciebat Christus, sinistram virgo, et parens fovebat a frigore. Canticorum cantica, exhausto iam corpore, confectoque morbis, aggressus exponere, tantam ex Mariae matris laudibus dulcedinem sensit, ut nihil omnino doloris, nihil infirmitatis perpeti videretur. Maxima quidem, maxima haec sunt amoris erga hominis e terra concretum argumenta, non incredibilia tamen, si Deiparae bonitatem, et admiranda huius alterius Iosephi merita perpendamus.

§. XIII.

Leander Albertus (*in eius vita Iordani*) haec refert: Iordanis ille, qui Dominicanorum gregi universo post divum Dominicum summa cum laude praefuit, beatissimam Virginem Mariam intimo cordis colebat affectu, ut quae Praedicatorum familiam singulari patrocinio tueretur. Sub idem tempus, ex eodem numero quidam, nomine Bartoldus, bonus frater in primis Iordanum aliquando oranlem observavit, precantemque in templo ante aram immaculatae Dei Genitricis, sed oscitatione proditus, et a Iordano, quid quaereret, interrogatus, ita respondit: Equidem Pater, nihil aliud explorabam, quam orandae Virginis rationem, consuetudinemque tuam, ut istis haerendo vestigiis, in ea me diligenter exercerem. Iordanus Bartoldi pio studio se debere putavit, ut omnino palefaceret. Coram misericordiae Matre, inquit ille, preces sic offero meas, cum vox haec Mariae, ex quinque litteris componatur, do operam, ut cuique illud canticum respondeat, cui illa eadem praeposita litera sit. Tale deinde canticum salutatione angelica terminamus. Priusquam veniur ad Psalmos litteris illis insignitos, hymnum *Ave maris stella*, pronuncio, quo praemisso, *Magnificat*, recito, literae illius admonitu, quae in Mariae dulcissimo nomine, prima est Maria altera, quae deinde sequitur. *Ad te levavi oculos*, ut dicam, persuadet. R. ordine tertio, canticum Davidicum: *Retribue*, a me poscit. Penultima, *I. In convertendo*, quasi suo iure a me repetit. A. ultimum *Ad te levavi animam meam*, proferre iubet. In singulis psalmis genuflecto, et Dei Matrem angelicis verbis consaluto. Narrabat idem Iordanus, vere Iordanis irrigans terram Dominicam, cuidam eiusdem familiae viro sanctissimam Dei Matrem adfuisse, sibique Praedicatorum Ordinem valde probari affirmasse, in quo Ordine, quae Deo persolvantur officia, a Virgineis laudibus inchoarentur, in easdemque desinerent. Fuit solemne primis illis Dominici successoribus, ut praeter consuetas preces ad omnes horas, Deiparae quoque officium diebus singulis integrum recitarent, a matutinis auspicantes, cumque coniunctis lectulis nullo interiecto pariete, cubarent, ut primum experge-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

facti essent, stantes, rerum omnium gerendarum primordia, ne calceis quidem indutis, a virgineis laudibus, hymnisque Deiparae capiebant, nec se loco movebant, donec preces absolvissent: quocirca a filio Virginem impetrasse, ut nemo Dominicanus in mortifera culpa persisteret; sed, aut a lethali flagitio, si quod esset admissum, pedem quam primum referret, aut foras, si corrigi nollet, eiicereturr, ne tam praeclarae familiae maculam posset inurere. Quae certe visio, Virginisque, Iordano teste, promissio societatis nostrae morem laudabilem esse declarat, quosdam vel ex iis, qui novitii esse desierunt, neque suis se rectoribus subiunt, emittendi, idque a Dominicanis quondam fieri consuevisse declarat hic locus. Non erit intempestivum divi Leonis Papae cum testimonium, tum decretum de retrogradis, quod sic habet: *Puellae, quae non coactae parentum imperio, sed spontaneo iudicio virginitatis propositum, atque habitum susceperint, si postea nuptias eligant, praevaricantur, etiam si consecratio non accessit, cuius utique non fraudarentur munere, si in proposito permanerent.* Idemque sanctus Pontifex constituit, ut monacha non acciperet velaminis capitis benedictionem, nisi probata fuerit in virginitate quadraginta annis, eiusque, ut credimus, suasu, Martianus imperator lege cavit hoc idem. In eos autem, qui illa, quae nobis, et Summorum Pontificum diplomata, et sancta Synodus Tridentina largitur, in dubium vocant, nobisque de sera professione, et aliis quae nostrae disciplinae sunt propria, molesti esse non desinunt, illa eiusdem divi Leonis ad Leonem imperatorem scripta conveniunt: *Quae patefacta sunt,* ait Pontifex, *quaerere, quae perfecta sunt, retractare, et quae sunt definita, concellere, quid aliud est, quam de adeptis gratiam non referre, et ad interdictae arboris cibum mortiferos appetitus mortiferae cupiditatis extendere?* Haec ita Praesul, et doctor Ecclesiae, qui tamen ut illis occurramus, permittit, qui non nequitia labuntur, sed ignoratione toleranda vacillant: itaque subdit: *Instructioni autem parvulorum nostrorum, qui post lactis alimoniam cibo desiderant solidiore satiari, ministerii nostri praesidium non negamus: et sicut simpliciores non spernimus, ita a rebellibus haereticis abstineamus, memores praecepti dominici, dicentis: Nolite sanctum dare canibus: neque miseritis margaritas vestras ante porcos. Nimis quippe indignum, nimisque iniustum est eos ad libertatem disceptationis admitti, quos significat Spiritus sanctus per prophetam dicens, Filii alieni mentiti sunt mihi.* His s. Leonis verbis illis hominibus respondemus, qui nostra condemnant, suntque in arguendo pertinaces.

§. XIV.

Trithemius (*lib. de monast. Hirsaugiensi*), Petrus Canisius (*lib. 5. de beata Virg. cap.* 20), Magnus ille Rupertus Abbas Tuitiensis, cum natura tardus esset, et ad studia literarum ineptus, neque labore, ut multi ingenii tarditatem compensare posset, sanctissimae Virginis opem, cuius perstudiosus erat, ardentissimis et votis et affectibus imploravit, petit, et obsecrat, ut quando hebes natus est, et indocilis natura, illud vitium Virginis tollat auxilio: sibi enim sacrarum literarum studia placere, neque de prophanis disciplinis laborare. Ruperto moerenti, atque anxio, nocte se Virgo Mater ostendens, quae erant a Ruperto postulata, largitur, et ex tardo atque stupido, tam ingeniosus, acutus, et velox evasit, ut Germaniae Theologorum princeps haberetur, quandoquidem Ruperto parem actas illa non tulit. Trithemioque teste, vivus, mortuusque miraculis claruit; admirabilemque sapientiam cum incredibili sanctitate coniunxit. Tanti beneficii per Virginem adepti non immemor Rupertus, Virginem suis in scriptis perstudiose commendat, laudibus effert, praedicatque perpetuo. Cuius rei, ut alia praetercam, testis est commentariorum aureus ille liber in Cantica.

§. XV.

Hieronymus Platus (*de Bono status religiosi l. 2. cap.* 33), iisdem verbis: Sextodecimo aetatis anno in Praedicatorum Ordinem ingressus Albertus, cum in literis pene nihil proficeret, eo quod ingenio, ac memoria esset tardiore, tanto affici coepit taedio, ut etiam de religiosa vita deserenda tentaretur: in qua fluctuatione dum haereret, visum est ei nocte quadam cum scalis ad Monasterii murum admotis abiium pararet, apparere matronas 4. venerabiles admodum vultu, quarum una, deinde altera, semel iam, atque iterum scandentem, manu impulsum deturbaret. Cum autem tertio idem conaretur, interrogatum esse a tertia, quidnam ageret, et qua de causa: qua exposita, monuisse illam, ut opem potius a quarta matrona, quae Dei Mater, coelique regina esset, exposceret: se vero cum reliquis deprecatione adiuturam. Paruit ille, ac benigne acceptus a Virgine, insuper etiam interrogatus est, vera scientia excellere mallet, divina, an naturali. Tum adolescens, qui pro aetate, nihil adhuc altius gustasset, cum philosophiam dixisset: Fiat, inquit illa, quod petisti; sed tamen quia scientiam hanc filii mei, scientiae praetulisti, extrema vita omnem perdes doctrinam, et in hanc ipsam, quam exues, hebetudinem recides. Nec mora, viso dilapso, statim se mutatum sensit: quidquid audiret, quidquid legeret, facillime capiebat, aut si quid paulo difficilius incidisset, cum se ad Virginem deprecandam, quasi promissum efflagitans, convertisset, illico consequebatur. Quare cum talis, tantusque vir evasisset, ut multos annos, tum docendo, tum scribendo consumpsisset, denique triennio, antequam e vita migraret, dum publice e cathedra, nescio quid interpretatur, repente omnem sibi memoriam rerum omnium, quas tenebat, funditus excidisse sensit. Tum ille coram omnibus qui astabant, quod sibi adolescenti accidisset, enarravit, ac professus, quidquid sibi postea eveniret, se fidei articulos complecti, et in eorum confessione emori velle. Descendit e suggestu, prosequentibus eum auditoribus cum fletu, eumque amanter amplexantibus. Quin etiam reliquam deinceps vitam, quasi reparascens, in magna simplicitate transegit: ita tamen, ut nullum religiosi instituti officium praetermitteret: nam in his tantummodo memoriae facultas constabat. Hic igitur tam admirabilis Alberti eventus, a quo Deus scientiam omnem, quasi mutuo commodatam, repetiit, ut a se datam ostenderet, alios quoque indicet religiosos, qui in doctrinis excelluere, vel excellunt, id certa Dei ope, ac peculiari gratia consecutos.

§. XVI.

Gobelinus (*in vit. s. Anton. Archiep. Colon. lib.* 1. *cap.* 33): s. Anno Coloniensis Antistes, Mariae Virginis, sanctorumque omnium observantissimus, ac religiosissimus venerator erat, et eorum, qui Christo Domino placuissent, reliquias praecipua quadam pietate, et sanctitate cordis honorabat. Quorum omnium, sed praesertim Dei Matris patrocinio utendum, nitendumque esse affirmabat, hocque ut illi et facerent, et esse facieondum putarent, quibus ipse praeerat, frequenter admonebat: in quem finem commemorabilem historiam ita narrabat: Romae quidam, qui divitiis intemperanter abusus, luxu, atque inertia diffluebat, solaque fide Christianus erat, in quo honestae vitae vestigium apparebat, tantum Caesarii inclyti martyris studiosus, eius templum cum ceteris frequentabat. Cum vero mortis inevitabile telum Andream ex numero viventium exturbassel, corpus non sine amicorum, proquinquorumque lamentis in feretro ad sepulturam collocatur, protinusque mediam ad noctem excubiis die postero humandus asservatur. Enimvero in nocturno silentio feretrum cum summo adstantium horrore moveri coeptum est, et caput attollens, qui iam obierat, aliis fugientibus, aliis manentibus quidem, sed pavidis, atque conterritis in lecto resedit, et cum se quidam fortiores ex illo timore collegissent, ad loculos accedunt, et Andream tria prudenter interrogant: diaboli ne ludificatione illud fieret, ut, qui mortuus esset, vivere videretur, an praeter mortalium legem, divina virtute, quod multis evenerat, rediret ad vitam; an denique morbi gravitate pro mortuo habitus esset, qui stupidis sensibus immobilis, viveret tamen, et spiritum secretissime duceret? ille suspirans: non haec, inquit, simulata, sed vera mors fuit, perpetuasque apud inferos meorum scelerum poenas dedissem, nisi sanctissimi martyris Caesarii deprecatio, et patrocinium adfuisset. Rogatus ubi fuisset, quid vidisset, et quare revixisset? ita respondit: E corpore per vim eiectus, et ad meluendum Christi Optimi Maximi tribunal, soliumque pertractus circumstantibus angelorum millibus, meorum scelerum conscius, eorum neminem appellare audebam, severique iudicis sententia damnatus daemonibus rapientibus trahebar ad inferos, et illius quidem horae diritas deleri mihi ex animo nequit. Horrendi spectaculi ante oculos imago obversatur, et quoties terribilis iudicii mihi venit in mentem, toties corpore, et artubus contremisco. Et cum me flentem, vociferantem, et lacrymantem cachinnantes daemones, ac meis aerumnis insultantes in sempiternae miseriae barathrum iamiam detrudere conarentur, martyr Caesarius patronus, et tutor meus, sui clientis miserans interitum, favente Dei Matre clementissima, sanctisque Apostolis, et Martyribus una deprecantibus, ante Dei tribunal in genua procumbens, suorum signa vulnerum demonstravit, et in hunc loculus est modum: Pater misericordiarum, totiusque bonitatis fons, haec pro tua gloria quondam libenter accepi, quae tamen longo intervallo nescio quomodo recrudescunt: et si nullus quidem in hac beatissima vita doloris est sensus, tamen si ita dicere fas est, crucior, atque angor interitu, quod is, qui suam vitam mihi crediderat, praeceps ad inferos impellatur, arguaturque stultitiae, quandoquidem inani spe ductus, me, ut suae vitae tutorem, ac curatorem veneratus est. Caesario haec flexis genibus ante conspectum praepotentis Dei pro Andrea, daemonum captivo, dicente, mitissima Dei mater Virgo Maria, Sanctorum omnium stipata choro, filium, et Dominum suum ad martyris Caesarii flexit voluntatem, atque Caesario Andreas concederetur, obtinuit. Iiaque immundis praeda est erepta de manibus. Caesario Andreas divini numinis voluntate, per sanctissimam Deiparam e mortis aeternae faucibus extrahente: idcirco, ait, sum iussus corpus resumere, ut his cognitis, tua, tuique curae sit salus. Haec Andrea narrante, omnium, qui aderant, animi, prae stupore rigserunt; ipseque cum resedisset in feretro, animam iterum exhalavit. Hoc, ut diximus, ad Sanctorum, et in primis Deiparae ingenerandum amorem, et coelitum captanda suffragia, s. Episcopus memorabat: sed, ut multa libris desunt, intelligendum est, C. Caesarii meritis ante priorem, posterioremve mortem Andream de suis sceleribus rite esse sacerdoti confessum, visionemque illam quasi picturam fuisse eorum malorum, quae sine poenitentia decedens, sine dubio aeterne pertulisset, martyremque Caesarium, Virgine adiutrice, aut confessionem, aut certe in subita moriendi celeritate, dolorem, peccata tollentem, et expiantem, voto etiam confessionis, si licebat, adhibito, contritionem theologi vocant, suo clienti meruisse.

§. XVII.

Surius (*de vit. Augustin.*): Benedictus natione Siculus, vir in primis nobilis Ioannam Drepanensem duxit uxorem: cum autem ipsa nuptiarum die, anni 6. et 20. praeterissent, neque ullam toto illo tempore prolem genuissent, beatissimae Virgini, quem filium procreassent, communi amborum voto sponderunt, et Ordini Carmelitarum, qui sanctissimae Deipa rae

U.A.N.L. UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
UNIVERSIDAD DE SALAMANCA

facti essent, stantes, rerum omnium gerendarum primordia, ne calceis quidem indutis, a virgineis laudibus, hymnisque Deiparae capiebant, nec se loco movebant, donec preces absolvissent: quocirca a filio Virginem impetrasse, ut nemo Dominicanus in mortifera culpa persisteret; sed, aut a lethali flagitio, si quod esset admissum, pedem quam primum referret, aut foras, si corrigi nollet, eiicereturr, ne tam praeclarae familiae maculam posset inurere. Quae certe visio, Virginisque, Iordano teste, promissio societatis nostrae morem laudabilem esse declarat, quosdam vel ex iis, qui novitii esse desierunt, neque suis se rectoribus subiunt, emittendi, idque a Dominicanis quondam fieri consuevisse declarat hic locus. Non erit intempestivum divi Leonis Papae cum testimonium, tum decretum de retrogradis, quod sic habet: *Puellae, quae non coactae parentum imperio, sed spontaneo iudicio virginitatis propositum, atque habitum susceperint, si postea nuptias eligant, praevaricantur, etiam si consecratio non accessit, cuius utique non fraudarentur munere, si in proposito permanerent.* Idemque sanctus Pontifex constituit, ut monacha non acciperet velaminis capitis benedictionem, nisi probata fuerit in virginitate quadraginta annis, eiusque, ut credimus, suasu, Martianus imperator lege cavit hoc idem. In eos autem, qui illa, quae nobis, et Summorum Pontificum diplomata, et sancta Synodus Tridentina largitur, in dubium vocant, nobisque de sera professione, et aliis quae nostrae disciplinae sunt propria, molesti esse non desinunt, illa eiusdem divi Leonis ad Leonem imperatorem scripta conveniunt: *Quae patefacta sunt,* ait Pontifex, *quaerere, quae perfecta sunt, retractare, et quae sunt definita, concellere, quid aliud est, quam de adeptis gratiam non referre, et ad interdictae arboris cibum mortiferos appetitus mortiferae cupiditatis extendere?* Haec ita Praesul, et doctor Ecclesiae, qui tamen ut illis occurramus, permittit, qui non nequitia labuntur, sed ignoratione toleranda vacillant: itaque subdit: *Instructioni autem parvulorum nostrorum, qui post lactis alimoniam cibo desiderant solidiore satiari, ministerii nostri praesidium non negamus: et sicut simpliciores non spernimus, ita a rebellibus haereticis abstineamus, memores praecepti dominici, dicentis: Nolite sanctum dare canibus: neque miseritis margaritas vestras ante porcos. Nimis quippe indignum, nimisque iniustum est eos ad libertatem disceptationis admitti, quos significat Spiritus sanctus per prophetam dicens, Filii alieni mentiti sunt mihi.* His s. Leonis verbis illis hominibus respondemus, qui nostra condemnant, suntque in arguendo pertinaces.

§. XIV.

Trithemius (*lib. de monast. Hirsaugiensi*), Petrus Canisius (*lib. 5. de beata Virg. cap.* 20), Magnus ille Rupertus Abbas Tuitiensis, cum natura tardus esset, et ad studia literarum ineptus, neque labore, ut multi ingenii tarditatem compensare posset, sanctissimae Virginis opem, cuius perstudiosus erat, ardentissimis et votis et affectibus imploravit, petit, et obsecrat, ut quando hebes natus est, et indocilis natura, illud vitium Virginis tollat auxilio: sibi enim sacrarum literarum studia placere, neque de prophanis disciplinis laborare. Ruperto moerenti, atque anxio, nocte se Virgo Mater ostendens, quae erant a Ruperto postulata, largitur, et ex tardo atque stupido, tam ingeniosus, acutus, et velox evasit, ut Germaniae Theologorum princeps haberetur, quandoquidem Ruperto parem actas illa non tulit. Trithemioque teste, vivus, mortuusque miraculis claruit; admirabilemque sapientiam cum incredibili sanctitate coniunxit. Tanti beneficii per Virginem adepti non immemor Rupertus, Virginem suis in scriptis perstudiose commendat, laudibus effert, praedicatque perpetuo. Cuius rei, ut alia praetercam, testis est commentariorum aureus ille liber in Cantica.

§. XV.

Hieronymus Platus (*de Bono status religiosi l. 2. cap.* 33), iisdem verbis: Sextodecimo aetatis anno in Praedicatorum Ordinem ingressus Albertus, cum in literis pene nihil proficeret, eo quod ingenio, ac memoria esset tardiore, tanto affici coepit taedio, ut etiam de religiosa vita deserenda tentaretur: in qua fluctuatione dum haereret, visum est ei nocte quadam cum scalis ad Monasterii murum admotis abiium pararet, apparere matronas 4. venerabiles admodum vultu, quarum una, deinde altera, semel iam, atque iterum scandentem, manu impulsum deturbaret. Cum autem tertio idem conaretur, interrogatum esse a tertia, quidnam ageret, et qua de causa: qua exposita, monuisse illam, ut opem potius a quarta matrona, quae Dei Mater, coelique regina esset, exposceret: se vero cum reliquis deprecatione adiuturam. Paruit ille, ac benigne acceptus a Virgine, insuper etiam interrogatus est, vera scientia excellere mallet, divina, an naturali. Tum adolescens, qui pro aetate, nihil adhuc altius gustasset, cum philosophiam dixisset: Fiat, inquit illa, quod petisti; sed tamen quia scientiam hanc filii mei, scientiae praetulisti, extrema vita omnem perdes doctrinam, et in hanc ipsam, quam exues, hebetudinem recides. Nec mora, viso dilapso, statim se mutatum sensit: quidquid audiret, quidquid legeret, facillime capiebat, aut si quid paulo difficilius incidisset, cum se ad Virginem deprecandam, quasi promissum efflagitans, convertisset, illico consequebatur. Quare cum talis, tantusque vir evasisset, ut multos annos, tum docendo, tum scribendo consumpsisset, denique triennio, antequam e vita migraret, dum publice e cathedra, nescio quid interpretatur, repente omnem sibi memoriam rerum omnium, quas tenebat, funditus excidisse sensit. Tum ille coram omnibus qui astabant, quod sibi adolescenti accidisset, enarravit, ac professus, quidquid sibi postea eveniret, se fidei articulos complecti, et in eorum confessione emori velle. Descendit e suggestu, prosequentibus eum auditoribus cum fletu, eumque amanter amplexantibus. Quin etiam reliquam deinceps vitam, quasi reparascens, in magna simplicitate transegit: ita tamen, ut nullum religiosi instituti officium praetermitteret: nam in his tantummodo memoriae facultas constabat. Hic igitur tam admirabilis Alberti eventus, a quo Deus scientiam omnem, quasi mutuo commodatam, repetiit, ut a se datam ostenderet, alios quoque indicet religiosos, qui in doctrinis excelluere, vel excellunt, id certa Dei ope, ac peculiari gratia consecutos.

§. XVI.

Gobelinus (*in vit. s. Anton. Archiep. Colon. lib.* 1. *cap.* 33): s. Anno Coloniensis Antistes, Mariae Virginis, sanctorumque omnium observantissimus, ac religiosissimus venerator erat, et eorum, qui Christo Domino placuissent, reliquias praecipua quadam pietate, et sanctitate cordis honorabat. Quorum omnium, sed praesertim Dei Matris patrocinio utendum, nitendumque esse affirmabat, hocque ut illi et facerent, et esse facieondum putarent, quibus ipse praeerat, frequenter admonebat: in quem finem commemorabilem historiam ita narrabat: Romae quidam, qui divitiis intemperanter abusus, luxu, atque inertia diffluebat, solaque fide Christianus erat, in quo honestae vitae vestigium apparebat, tantum Caesarii inclyti martyris studiosus, eius templum cum ceteris frequentabat. Cum vero mortis inevitabile telum Andream ex numero viventium exturbassel, corpus non sine amicorum, proquinquorumque lamentis in feretro ad sepulturam collocatur, protinusque mediam ad noctem excubiis die postero humandus asservatur. Enimvero in nocturno silentio feretrum cum summo adstantium horrore moveri coeptum est, et caput attollens, qui iam obierat, aliis fugientibus, aliis manentibus quidem, sed pavidis, atque conterritis in lecto resedit, et cum se quidam fortiores ex illo timore collegissent, ad loculos accedunt, et Andream tria prudenter interrogant: diaboli ne ludificatione illud fieret, ut, qui mortuus esset, vivere videretur, an praeter mortalium legem, divina virtute, quod multis evenerat, rediret ad vitam; an denique morbi gravitate pro mortuo habitus esset, qui stupidis sensibus immobilis, viveret tamen, et spiritum secretissime duceret? ille suspirans: non haec, inquit, simulata, sed vera mors fuit, perpetuasque apud inferos meorum scelerum poenas dedissem, nisi sanctissimi martyris Caesarii deprecatio, et patrocinium adfuisset. Rogatus ubi fuisset, quid vidisset, et quare revixisset? ita respondit: E corpore per vim eiectus, et ad meluendum Christi Optimi Maximi tribunal, soliumque pertractus circumstantibus angelorum millibus, meorum scelerum conscius, eorum neminem appellare audebam, severique iudicis sententia damnatus daemonibus rapientibus trahebar ad inferos, et illius quidem horae diritas deleri mihi ex animo nequit. Horrendi spectaculi ante oculos imago obversatur, et quoties terribilis iudicii mihi venit in mentem, toties corpore, et artubus contremisco. Et cum me flentem, vociferantem, et lacrymantem cachinnantes daemones, ac meis aerumnis insultantes in sempiternae miseriae barathrum iamiam detrudere conarentur, martyr Caesarius patronus, et tutor meus, sui clientis miserans interitum, favente Dei Matre clementissima, sanctisque Apostolis, et Martyribus una deprecantibus, ante Dei tribunal in genua procumbens, suorum signa vulnerum demonstravit, et in hunc loculus est modum: Pater misericordiarum, totiusque bonitatis fons, haec pro tua gloria quondam libenter accepi, quae tamen longo intervallo nescio quomodo recrudescunt: et si nullus quidem in hac beatissima vita doloris est sensus, tamen si ita dicere fas est, crucior, atque angor interitu, quod is, qui suam vitam mihi crediderat, praeceps ad inferos impellatur, arguaturque stultitiae, quandoquidem inani spe ductus, me, ut suae vitae tutorem, ac curatorem veneratus est. Caesario haec flexis genibus ante conspectum praepotentis Dei pro Andrea, daemonum captivo, dicente, mitissima Dei mater Virgo Maria, Sanctorum omnium stipata choro, filium, et Dominum suum ad martyris Caesarii flexit voluntatem, atque Caesario Andreas concederetur, obtinuit. Iiaque immundis praeda est erepta de manibus. Caesario Andreas divini numinis voluntate, per sanctissimam Deiparam e mortis aeternae faucibus extrahente: idcirco, ait, sum iussus corpus resumere, ut his cognitis, tua, tuique curae sit salus. Haec Andrea narrante, omnium, qui aderant, animi, prae stupore rigserunt; ipseque cum resedisset in feretro, animam iterum exhalavit. Hoc, ut diximus, ad Sanctorum, et in primis Deiparae ingenerandum amorem, et coelitum captanda suffragia, s. Episcopus memorabat: sed, ut multa libris desunt, intelligendum est, C. Caesarii meritis ante priorem, posterioremve mortem Andream de suis sceleribus rite esse sacerdoti confessum, visionemque illam quasi picturam fuisse eorum malorum, quae sine poenitentia decedens, sine dubio aeterne pertulisset, martyremque Caesarium, Virgine adiutrice, aut confessionem, aut certe in subita moriendi celeritate, dolorem, peccata tollentem, et expiantem, voto etiam confessionis, si licebat, adhibito, contritionem theologi vocant, suo clienti meruisse.

§. XVII.

Surius (*de vit. Augustin.*): Benedictus natione Siculus, vir in primis nobilis Ioannam Drepanensem duxit uxorem: cum autem ipsa nuptiarum die, anni 6. et 20. praeterissent, neque ullam toto illo tempore prolem genuissent, beatissimae Virgini, quem filium procreassent, communi amborum voto sponderunt, et Ordini Carmelitarum, qui sanctissimae Deipa rae

U.A.N.L. UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
UNIVERSIDAD DE SALAMANCA

sacer est, se addicturos promiserunt: ad sponsionem additae preces, ieiunia, brevi post votum interiecto spatio, Ioanna foetum, Deo annuente, concepit, ipseque Benedictus dormiens sibi videre visus caereum radiantem, qui ex suae uxoris utero prominebat; eadem per quietem Ioannae monstrantur. Somnium uterque alteri narrat, collocutioneque mutua, et visorum consensione laetati, Deo, et sanctissimae Virgini genibus nixi, gratias supplices agunt: mox puerum in lucem editum in sacri fonte baptismatis Albertum nominarunt; secuta est educatio liberalis, et in literis, ac virtute processus admirandus. Puero summa omnia pollicenti, suisque gratissimo civibus, regali stirpe spensa parabatur. Benedictum ad nuptias inclinantem Ioanna conjux vehementer obiurgat, votique admonet muncupari; negat mortali foeminae filium se esse daturam, qui beatissimae Dei Genitrici ex voto deberetur. Benedictus vir potius, et plane vir cum uxore consentit, nuptiarumque abiecto consilio, susceptum Virginis dono filium, ei esse reddendum censet, de cuius manu accepisset, et Ioannae curam imponit Alberti ad religionem inducendi. Mater a morigero filio facile impetrat, ut se Carmelitanum fieri velit; qua cognita voluntate, parentes; filium ad monasterium Drepanense mittunt, utque illam vestem vere nuptialem sibi quaerat, potestatem faciunt: eundem votis, et elogiis prosequuntur. Vadit puer laetus, et alacer ad Carmelitanam familiam, quae Virgini sacrosanctae militat, monasticam vestem efflagitat: id praefectus denegat, haud ignarus, quibus puer parentibus natus esset, quos non audet offendere, non cognita illorum voluntate. Puer, re infecta tristis redit ad suos: nocte insequenti, consopitis somno parentibus, beatissima Dei Mater apparens, voti solvendi moram reprehendit, ac poenas graves, nisi puer sibi quamprimum reddatur, severissimis verbis comminatur: Parentes voce illa perterriti filium ad monasterium deducunt, visionem exponunt, praefectoque instant, uti votivus Albertus monastico amictu quamprimum induatur. His cogitis, ad monachorum illorum moderatorem maturavit, et coram parentibus, multisque aliis ex prima nobilitate amabilem Albertum religionis insignibus decoravit. Quae fuerit expectatio tyronis Alberti, quae sanctitas veterani, et quibus eam miraculis testificatus sit, docet historia non minus vera, quam dulcis. Illud ego tacere non debeo, quod valet ad Virginis pietatem vehementer excitandam. Quo tempore Siciliae provincialis rector Albertus suae ditionis monasteria visitabat, quendam fratrem sanctissimae Deiparae perstudiosum, cultorem, et veneratorem fuisse, Deo indicante, cognovit: de qua tamen pietate multum detraxerat, postea quam malo daemone leniocinante, foeminae cuiusdam amore coepisset ardere, qui tam longe processerat, ut de potiunda primo quoque tempore puella iam ageretur, quam vel pretio, vel precibus ad suam pellexerat voluntatem. Erant haec quidem occultissimo transacta colloquio, nullo teste, nemine internuncio; ubi tamen sacrilegi stupri, foedera miserrimus frater inierat, Alberto patefacta, et reserata sunt divinitus. Quare fratrem accersit, quid cum eiam delincata muliere perpetrare se statuisset, non latere, foedissimi pacti facinus exprobrare, et monachum paterna charitate corrigere. Obstupefactus ille, procidit supplex ad genua, petitaque venia emendationem pollicetur. Serio tum admonitus, tum ad similes casus probe instructus monitusque dimittitur, deprecanteque Alberto, non solum gravitatem morum, sed pristinam etiam erga Dei Matrem religionem sibi esse restitutam monachus experitur, quod puellam seductam, deceptamque non letigit, quod tempestive intervenit Albertus, quod monachus non nimis serio resipuit, sacrosanctae Virgini attribuendum censeo, quae antiqui obsequii non immemor, suaeque fautrix Carmelitanae familiae, aegrum fratrem, amoreque sanctum persanavit, libidinisque face resuncta, ignis castissimi flammas rursus accendit. Quidam puer in medios saevientis incendii aestus inciderat, illoque in periculo beatissimam Virginem, beatamque Albertum invocavit haud inani spe, siquidem ab igne intactus evasit, clamans, sanctissimae Dei Genitricis Mariae, eiusque amatoris Alberti meritis, nullas se flammas esse perpessum. Praeclarum Deiparae amorem, cuius efficacitate, ab animi, et corporis incendio liberamur. Aliud Albertus ille monachus, hoc puer laicus effugit.

§ XVIII.

Ex historia sancti Patris nostri Francisci, auctore beato Bonaventura (*cap. de liber. a per. partus*) Quaedam mulier difficultate partus iam dies septem gravissime cruciata, cum prae tormento, nigrum induta colorem, desperaretur a medicis, divum Franciscum, qui iam diem suum obierat, confidenter invocavit. Utique promissione facta, dormivit, in quiete beatum pauperum patriarcham vidit, se humanissime consolantem, duoque illa percontantem agnoscis me? et, canticum, *Salve Regina*, ad implorandum Deiparae tenes auxilium? cum illa, se utrumque nosse respondisset, nam Franciscum vel de facie noverat, sic eius vixit aetate, vel vulnera prodiderant, ea se forma ostendentem, qua fingitur: exordire igitur antiphonam, *Salve*, Franciscus ait, qua nedum perfecta, salva, et incolumis partum effundens, ad hanc vocem experrecta mulier, et admonitionis memor, celebre Ecclesiae canticum: *Salve Regina*, pronuncial: inque verbis illis: *Et Iesum, benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende*, puerum pulchellum doloribus liberata peperit, ac Reginae misericordiae gratias egit, quae Divo intercurrente Francisco, pietatis virgineae vel post mortem magistro, manum sibi porrexit salutarem.

§. XIX.

Surius (*de vitiis Sanctorum mensis Iulii*): Laborante in partu Birgitta illa, cui tam multa sunt ostensa divinitus, matrona quaedam serica veste albi coloris induta ad eam venit, parturientisque et foetum educere conniventis blandissime membra tractavit, corpusque omne flexibile reddidit, ut nullo negotio ventris fructus exiret. Abemde matrona, facilis secutus est partus, prolesque in lucem cum gaudio et gratulatione edita, quae in alvo tamdiu inclusa latuisset, et puerperae negotium doloremque fecisset. Neque vero est dubitandum, quin beatissima Dei Mater illa fuerit, cuius et beneficio, et adventu pariendi est sublata difficultas. Id enim Birgitta, ipsa Deipara patefaciente, cognovit. Et quidem misericordias matrem religiosissime Birgitta coluerat, coluitque, dum vixit, suumque maritum, virum sane praeclarum, sanctissimae Dei Genitricis preces horarias recitare docuit, et omni officio, et sanctitate venerari.

§. XX.

Ex Vincentio Beluacensi (*in spec. histor. lib. 7. cap. 116*), totidem verbis mihi referendum duxi, quo nulla re addita, vel dempta, maiori sinceritate illud lectori proponatur: sic autem habet: Quidam Archiepiscopus Cantuariensis ecclesiae, olim a curia Romana revertens, in Abbatia s. Bertini, quae est apud s. Audomarum, hospitatus est, et die crastina ductus in capitulum, sermonem aedificationis cum fratribus habuit: quo finito, indicavit eis, quia cum esset apud Beneventum, audisset a quodam viro religioso, qui de partibus Hierosolymitanis erat, quod in illa terra quinque psalmos incipientes a singulis litteris nominis b. Mariae, in honorem et memoriam ipsius frequentare multi consueverant, scilicet: *Magnificat: Ad Dominum cum tribularer; Retribue: In convertendo: Ad te levavi*: singulis *Ave Maria* praemittentes. Erat autem ibidem in conventu s. Bertini quidam monachus, Ioscio nomine, qui hoc vigilanter audivit, et quotidie post matutinas praedictos psalmos in honorem b. Mariae decantare coepit. Accidit igitur, ut quadam nocte surgentibus fratribus ad vigilias, ille frater Ioscio nomine non interesset choro psallentium. Superior vero choro circumiens cum lucerna, ubi eum non invenit, ad lectum eius eius perrexit, ibique eum defunctum reperit. Convocati autem fratres, accurrunt stupentes, et lugentes, vultumque ei discooperientes, invenerunt quinque flores rosarum, unus egrediebatur de ore, et lingua eius, duo de oculis, duo de auribus. Laetantes pro tali miraculo, tulerunt eum in chorum, et facie discooperta cum recentibus rosis diligenter intuentes, in rosa, quae de ore exibat, invenerunt scriptum Maria. Tenuerunt ergo illum per septem dies, donec tres Episcopi convenirent, quorum unus fuit Atrabatensis Episcopus, qui fuit Abbas Cisterciensis, et multi alii clerici, et laici, qui viderunt magnalia Dei; haec Vincentius. Ceterum qua ratione in illis rosis initium quinque psalmorum, quos Ioscio recitare solebat, descriptum fuerit, narratur plenius in speculo exemplorum (*dist. 9. num. 119*), ubi hoc ipsum Ioscionis factum ex I. exemplorum b. Virg. describitur: cum enim reliqua, quae supra ex Vincentio retulimus, posita essent, haec subiiciuntur: Superior, inquit, eius monasterii, qui frater Ioscionis erat, in nocte s. Andreae an. 1173. ubi cognovisset, dictum Ioscionem ad matutinas cantandas in choro non adesse, sumpta laterna ivit in dormitorium, ubi eum praecedenti vespere viderat ire dormitum: cumque venisset in dormitorium ante fratris sui lectisternium, invenit eum in lecto, sed mortuum: viditque ex ore eius rosam mirae pulchritudinis excrevisse, similem quoque rosam vidit ex quolibet oculorum suorum, atque aurium exortam. Super rosam autem in ore radicatam habebatur inscripta prima littera nominis Maria, atque primus versus huius psalmi: *Magnificat*. Super rosam autem in dextro oculo radicatam litera A. primus quoque versus psalmi: *Ad Dominum cum tribularer*, habebatur inscriptus. Super rosam sinistri oculi R. et primus versus psalmi: *Retribue*. Super rosam dextrae auris litera I. atque primus versus psalmi: *In convertendo*. Super rosam sinistrae auris litera A, atque primus versus psal. *Ad te levavi*. Cum autem his admirabilibus visis, stuperet superior, cum magno timore ad chorum cucurrit, visaque fratribus nunciavit. Cumque fratres ad spectaculum convenissent, viso miraculo, miro timore conterriti, monachum antedictum attingere verebantur; sed mox miserunt nuncium, et infimabant Episcopo, sub cuius stabant dominio, qui referens gratias Deo, ac b. Mariae matri eius, eius audito miraculo est gavisus, eo quod sic Deo, et gloriosae Matri eius devote servientes solet remunerari. Episcopus quoque indutus Episcopalibus, solemnem processionem cum facibus, cum crucibus, atque thuribulis ordinavit; sicque cum conventu, atque clericorum solemni collegio venit ad lectum Ioscionis monachi iam mortui. Eductam autem rosam de ore iam dicti monachi, quae habentis manum facile subsequebatur, atque cum suo vigore, et decore incorrupta manebat, fecit in crystallo quodam formoso artificiose, ac reverenter clausam super altare reponi, ubi ad miraculi evidentiam ab omnibus possel videri; ceterae vero rosae mox eductae arserunt, atque pristinam pulchritudinem amiserunt. Episcopus vero susceptum corpus ante summum altare, quod in honorem b. Mariae fuerat consecratum, honore debito sepelivit, ubi ad declarandam clementiam Virginis, et devoti ministri eius meritum ostendendum, plura postmodum miracula contigerunt; haec in Speculo exemplorum.

U.A.N.L. UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

§. XXI.

Iacobus de Voragine (*in festo Assump. b. Mariae*) huius exempli meminit s. Antoninus (4. *p. tit.* 15. *cap.* 32. §. 2. *et Spec. exemp. dist.* 8. *nu.* 61): Miles quidam opibus, ac divitiis pollens, cui uxor erat in primis pudica, ac Deiparae obsequiis impense addicta, cum bona omnia sua prodegissel, eo redactus inopiae est, ut egere coeperit. Cumque solemnis quidam adventaret dies, quo dies multa dona elargiri consueverat, nec iam haberet unde aliis quicquam daret: quare prae pudore, ac verecundia nemorum recessus, ac latebras tantisper, dum dicta solemnitas praeteriret, expetiit, quo suae egestatis incommoda deploraret, et verecundiae consuleret suae: sed ecce sibi teterrimi oris eques retro pariter insidens equo, scisitatus tristitiae causam ex homine, cum omnia ab eo didicisset, promittit, si imperata faciat, se divitias multo plures ei daturum. Accepit ille conditionem; tunc eques, abeas, inquit, domum tuam, et in tali loco, certum autem quendam designabat locum, exquiras, ibique tot auri argentique pondera, plurimum pretiosorum lapidum invenies, in vero facito, ut tale die coniungem ad me tuam huc adducas. Domus miles repetit; quas perquirebat divitias ex satanae praescripto, invenit. Mox redimit fundos, emit domos, servos comparat; et cum praestituta dies appropinquaret, coniugem accersit suam, monet, ut equum ascendat, secum iter alio factura. Illa quae viri imperium detrectare non audebat, Deiparae se devote commendavit, et post virum abire coepit. Iam longius processerat, cum quandam ecclesiam offendens in via, ex equo repente desilit, templum ingreditur, viro ad fores praestolante. Dum vero Virgini beatissimae se commendavit, somno ibidem subito corripitur. Interim Deipara Virgo specie, habitu ceteris denique omnibus matronae consopitae consimilis, foras exit e templo, equum conscendit, dat in viam sese cum milite, qui suam ratus uxorem, ad condictum cum ea locum pervenit. Hic ecce impostor diabolus, tametsi primo propere eo festinaret, mox tamen appropinquans infremuit, ac propius accedere prae timore non ausus, militi dixit: hominum infidelissime, quid mihi sic illusisti? haeccine pro tantis in te collatis beneficiis mihi rependis? tu enim in coniugis quam petieram locum, Dei Genitricem substituisti, mihique adduxisti: a tua enim coniuge pro illatis mihi iniuriis poenas repetere cupiebam; tu vero hanc adduxisti, ut me torqueat, et in infernum detrudat. Tunc Deipara sanctissima, neque enim prae timore, et admiratione loqui quicquam poterat miles, nequissimum spiritum obiurgavit, quod mulieri sibi devotae nocere praesumpsisset, eumque in infernorum carcerem abire iussit, edixitque pro potestate, ne quid in posterum nocumenti inferre audeat iis, qui sui student obsequio ac pietati; ille vero magno eiulatu recessit. Mox militem, qui cum magno sensu doloris ex equo desiliens, ad eius sese pedes abiecerat, graviter increpans, ad suam iubet uxorem, quae adhuc in ecclesia consopita divinitus dormiebat, redire, cum ea domum repetere, omnesque daemonis divitias confestim abiicere. Fecit is, quod est iussus. Coniugi, quam somno excitavit, ordine narravit universa; daemonis divitias abiecit, et quoad vixerunt, ambo in sanctissimae Virginis, a qua innumerabilibus postmodum divitiis aucti sunt, patrocinio ac clientela perstiterunt.

§. XXII.

Ex lib. de viris ill. ord. Cisterc. (*apud spec. exempl. dist.* 3. *num.* 46). Ibidem exemplum refert Vincentius, ibique in territorio Lingonien. accidisse, eamque post confessionem sacra Eucharistia percepta obiisse scribit. Matrona quaedam religiosae valde conversationis, licet maritali vinculo teneretur; tamen ieiuniis, orationibus, eleemosynis, e eterisque religiosis actibus insistens, in habitu tamen saeculari vitam regularem quodammodo ducere videbatur. Verum piaculum quoddam in adolescentia commissum, prae nimia erubescentia nemini confessa est; quoties autem confiebatur, ita confessionem claudebat: De omnibus peccatis meis, quae modo protuli, et quae non protuli, culpabilem me fateor coram Deo, et vobis: quae verba cum singulis confessionibus iteraret, trahebat ex imo cordis longa suspiria, et tota protinus in lacrymas solvebatur. Quod cum per annos plurimos uniformiter ageret, sacerdos, ut erat prudens, advertit, aliquid pestiferum latere in corde ipsius; quare multis argumentis id ab ea elicere curavit; sed cum nihil proficeret, monuit eam vicini monasterii Cluniacensis, sic enim habet Vincentius Beluacensis, adire priorem, eique tanquam viro sanctissimo suam conscientiam totam aperire. Cum ergo mulier ipsum priorem adisset, nihil aliud ei dixit. Factum est autem, ut infirmata, et minime confessa moreretur, et diutius mortua iacuit, donec filia de alio remoto ad maternas exequias vocata advenirel, quae cum tandem concitato gradu magnis eiulatibus advenisset, foemina, quae defuncta erat, revixit, et filiae flenti ait: *Noli timere filia, quoniam miserante Deo revixi.* Eaque iubente sacerdos propere accersitur, et secedentibus cunctis, contagium venenosum per confessionem emittitur, atque diluitur. Postea confluentibus populis ad tantum miraculum, ipsa mulier inaestimabilis gratiae Dei in se factae testis, et pronunciatrix effecta, rei ordinem cunctis exposuit, qualiter per interventionem piissimae Dei Genitricis liberata fuisset. Ego, inquit, miserabilis peccatrix coram oculis hominum propter religiosam conversationem, quam praetendebam, stare videbar, sed coram Deo in ruina mortis iacebam, constituit enim Deus in ecclesia homines per confessionem salvare; ego vero licet de ceteris peccatis puram confessionem facerem, tamen quoddam grave peccatum nulli unquam sum ausa confiteri, propterea opera bona, quae faciebam, infructuosa mihi reddebantur. Veruntamen eundem

lapsum meum singulis fere diebus beatissimae Dei Genitrici coram ipsius altari, vel imagine, seu ubicumque poteram poenitendo, lugendo, ipsius misericordiam miserabili querimonia implorabam, ne me pro hoc peccato meo paterelur aeternae damnationis sententiae subiacere. Postquam autem mortis debitum solvi, a malignis spiritibus undique vallata, crudeliter rapiebar, impellebar, discutiebar, et cum amarissima exprobratione peccati mei ad inferni supplicia trahebar. Itaque omni auxilio, et consilio destituta, recordata sum, quod hoc ipsum peccatum meum, pro quo instam damnationis sententiam excipiebam, beatissimae Dei Genitrici Mariae eiulando frequenter confiteri solebam, et continuo modicum spei aliquid concipiens, ipsam matrem misericordiae, et unicam spem miserorum, ne me miseram in summo necessitatis articulo constitutam, derelinqueret, votis magis, atque suspiriis, quam verbis, orabam. Nec mora, eadem consolatrix, et protectio omnium ad se confugientium, tanquam stella matutina, et fulgor meridianus adveniens, terruit, et increpavit daemones, qui mihi illudebant, quod suam ancillam invadere praesumpsissent, iussique quanto citius deponere praedam, ibique dimittere eam, donec a Domino egrederetur sententia, quid inde fieri deberet. Cumque dicto citius paruissent nequam spiritus, ipsa mater misericordiae accedens ad filium, enixe oravit pro me. Cui Dominus: Nosti dilecta mater, quod sine confessione non potest salvari quispiam; sed quia fas non est, ut pro quavis petitione repulsam a me patiaris, et extra carnem locus confitendi, et poenitendi non est, placet, ut haec anima propria corpori reddita, quod male deliquit, et peius apud se retinuit, humiliter poenitendo confiteatur: statimque reducta, debito tandem ordine misericordiam consequatur. Mox itaque Domino imperante, et piissima Domina nostra sollicite procurante, missus est ad me angelus bonus, qui de omni expectatione malorum spirituum eripiens, proprio corpori sicut cernitis, restituit. Nunc ergo, confessione peracta, tempus est, ut ab eam minime iam reditura; sed in aeternum Dei misericordiam cantatura, qui me licet indignam tremendo suo iudicio eadem misericordia praeveniente, et subsequente tam dignanter subtraxit. Cum hoc illa dixisset, caput feretro reclinavit, et signo crucis se muniens, spiritum exhalavit.

§. XXIII.

Ex lib. qui inscribitur Fortalitium fidei (*l.* 3. *de bello Iudaeorum in* 9) mirabili iisdem plane auctoris verbis: Accidit in civitate Segoviensi, quod quidam imposuit mulieri Iudaeae crimen adulterii falso, quae tradita fuit marito, ut de ea faceret, quod vellet; qui cum eam duceret ad supercilium cuiusdam excelsae rupis, civitati coniunctae, ut ex loco illam praecipitaret, concurrentibus ad spectaculum pluribus gentibus, praedicta Iudaea, quae innumis erat a crimine, et devota Virginis gloriosae, licet occulta, in articulo illo grandi cum devotione b. Virginis se commendavit, proponens in corde suo, si eam liberaret, fidem Christi recipere, ac sic toto tempore vitae suae in ecclesia servire: et ecce mox ut praecipitata fuit, apparuit sibi b. Virgo, eam suis manibus recipiens, et illaesam in profundo vallis ponens. Cumque plurimae gentes ad locum convenissent, invenerunt eam illaesam, gaudentem, et laudantem Deum, et gratias referentem Virgini gloriosae, publice affirmantem, manibus eius fuisse liberatam. Deducta est Iudaea ad ecclesiam maiorem praedictae civitatis, quae s. Maria Maior intitulatur, et ibi sacrum recepit, et vocata est Maria Marisaltus propter b. Virginem, quae eam a tali salto liberavit, et vixit in ecclesia multo tempore in timore Domini, serviendo Deo mirabiliter, et resplendult spiritu prophetiae, et feliciter cursum suam consummavit: et praedicti miraculi extat in tali Ecclesia memoria in picturis, et sic ego vidi. Hucusque Auct. Fort. fid.

§. XXIV.

Baronius (*tom.* 7. *Annal. ad annum Chris.* 445. *et in notis ad Martyrol. die* 2. *Febr.*) sic refert: Cum pestilentia saevissima ex Procopio (*lib.* 2. *de bello Persico Iustiniani*), temporibus anno Christi 545, vel iuxta alios 542, in oriente grassari coepisset, et nulli aetati, nulli sexui, nulli loco parceret, nullum ei remedium, praeterquam ex Deo est inventum: nam quinquaginta annos per universum orbem ex Evagrio (*lib.* 4. *cap.* 20.) est propagata. Haec vero lues, ut verbis ulur Procopii loco citato, Constantinopoli tribus tantum mensibus praevaluit: et ab initio quidem pauci, deinde in singulos dies quinque, saepe etiam decem millia efferebantur, adeo ut plures etiam divites, ministris iam omnibus extinctis, curatorum penuria magis, quam morbo perirent, et insepulti manerent; ita Procopius. Quod vero tam brevi tempore fuerit extincta, id Deiparae beneficio factum est, festo Purificationis Dei Genitricis, hanc ob causam instituto. Quod affirmat Sigibertus (*in Chro. An. Christi* 542). Constantinopoli, inquit, mortalitate magna insurgente, statuta est solemnitas s. Mariae, quae Graece, hypopante, id est, obviatio dicitur; sic ille. Idem referunt Genebrar. Martinus, Polonus, et Bustus, ubi addit: Invalescente pestilentia, cuidam sancto viro revelatum esse, ut die 2. Febr. festum Purificationis b. Virginis celebraretur, et sic omnis mortalitas cessaret. Quam festivitatem annis circiter 494. Gelasius Pont. in Occidente, Lupercalibus abrogatis, iam introduxerat.

§. XXV.

Romae quoque tempore Leonis IV. non minus admirabilis, quam salutaris Deiparae vir-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tute liberatio a basilisco, cuius venenatus afflatus, et intuitus iis, qui ad eius specum accedebant, celerem afferebat interitum. Id enim iactum est ipso Assumptionis Dei Genitricis festo, et indicta ad s. Mariam Maiorem supplicatione; praecedente item sancta Imagine, quae utique erat; cuius imaginis efficacitatem Romani tempore s. Gregorii Magni, ut diximus, in depellenda pestilentia experti erant. Rem gestam narrat Anastas. Bibliot. cui consentit Sigon. et Baron. Nos Anastasii verbis eam hic apponemus. Leone III. in primo sui Pontific. anno, is autem erat annus Domini 847, iuxta Basilicam Luciae martyris, quae in Orphea sita est, in quibusdam terris, abditisque cavernis diri generis serpens, qui basiliscus graece, latine regulus dicitur, ortus est, qui flatu suo, ac visione omnes, qui ad easdem appropinquabant cavernas, celeriter necabat. Ipse vero Pontifex beatissimus hanc populi necem audiens, atque perniciem, ad orationem se convertit, ac litanias, ut Dominum deprecaretur, quo huiusmodi omnes interitu liberaret. Dum haec aguntur, praeclarus, ac celeberrimus dies advenit, in quo b. Dei Genitricis, semperque Virginis Mariae Assumptio celebraretur: tunc praefatus universalis Pontif. a Patriarchis cum hymnis, et canticis spiritualibus, sancta praecedente Icona ad Basilicam s. Adriani martyris, sicut mos est, propriis pedibus cum omni clero perrexit. De qua regressus cum omnium fidelium coetu ad Basilicam b. Dei Genitricis, et Domini nostri Iesu Christi, quae ad praesepe dicitur, cum Dei laudibus magna populi caterva comitante properabat. Qui cum pervenisset ad locum, in quo saevissimus basiliscus teltris, ut iam superius dictum est, iacebat cavernis, omni clero, et populo stare praecepit, atque iuxta easdem cavernas properans, sub foramen, unde spiritus et pestiferi flatus egrediebantur serpentis, intrepidus stetit, et oculos in coelum pariter tendens, et palmas, Christum, qui est super omnia Dominus, profusis lacrymis deprecatus est, ut ab eodem loco diri serpentis genus sua potentia effugaret; et data super populum oratione, Dei laudes, ad basilicam, quam superius memoravimus, profectus est, exhibere. Ab eodem vero die ipse mortifer basiliscus ita effugatus, et ab ipsis proiectus est antris, ut ultra in illis locis nulla laesionis eius macula appareret.

§. XXVI.

Tursellinus (*lib.* 3. *cap.* 28) haec scribit: Sicula quaedam mulier Venetiis multos annos vulgato corpore quaestum fecerat, tandem bonis in pecuniam redactis in patriam per Lauretanum templum, quo inibi vitae maculas confessione expiaret, et Deiparam Lauretanam salutaret, familiari quodam suo comite redibat: cum ecce in Ravennati sylva comes ille praedae spe stimulante, stricto mucrone, eam petit, ac transverberat, et ex equo deiectam, plagis concidit, ac seminecem b. Mariae Lauretanae subinde praesidium implorantem iugulat, pecuniaque sublata, recedit. Illa in suo natans cruore, iam moribunda luctantem animam beatissimae Virgini commendabat, quae repente et in veste candida coelesti emicans luce se offert, et bono animo esse iussam, benigne complectitur; moribundamque gremio fovens, simul vulnera corporis tactu sanat; simul aegrum animum coelesti perfundit gaudio. Deinde castae vitae admonitam, relinquens ex eius oculis elabitur. Ibi tum mulier velut ex profundo excita somno, recentium vulnerum cicatrices iam obductas videt, mortiferam iuguli plagam persanatam sensit, explorans manu: itaque maximas Deo, et Deiparae gratias agit. Cumque in subucula cruenta, ac lacera a latrone relicta esset in sylva, a mulionibus, qui illac forte transibant, centone contegitur, et mulo impositam Anconam devehunt, inde Lauretum contendit. Vitae labes sacra confessione expiat. Miraculum Deiparae omnibus praedicat, ad rei fidem faciendam cicatricem in iugulo ostendebat; quae aurea circa collum monilis in modum fulgebat, ut facile Deiparae manu plagam illam tactam, sanatamque sentiret. Id vero permulti viderunt, ex quorum numero fuit Rachael Riera Societatis Iesu, qui rem memoriae tradidit. Mulier vero illa Laureti vitam deinceps ducens, divinis identidem expiata mysteriis, liberatricem suam invisebat, pluresque ex incolis ad Dei, Deiparaeque obsequium singulari pietatis exemplo excitabat.

§. XXVII.

Idem Tursellinus (*lib.* 5. *cap.* 6) narrat: Iacobus Marchio Badensis ex Germaniae principibus, propter vulnus plumbea glande in Coloniensi tumultu in brachio acceptum, ad ultimum vitae discrimen venerat. Itaque beatissimam Virginem Lauretanam implorat, vovens se, si salutem recuperasset, Lauretum ad eam cum donis iturum. Mox a periculo mortis eximitur, ac sanatur: sed ita ut brachium movere non posset. Lauretum igitur anno 1584, voti exolvendi causa, et spe brachii recuperandi venit; ibi gratiis pro recuperata sanitate Deiparae actis, votivum donum magni pretii custodibus tradit, et novo se obligat voto, si integram sanitatem recipiat: et voto adiicit preces, ad sacrosanctam cellam identidem regressus. In his precibus biduo exacto, sub solis occasum, ad hospitium, cuius insigne est ursus, se se recipit. Nox erat Christi natalis, quando tertia fere vigilia Deipara, candida in veste collucens, se illi offert in quiete, bonum animum habere iusso, brachium manu prehensum extendit illico, sanatque. Marchio igitur tam evidens testatumque miraculum praesidi Lauretano exponit: ille miraculum rite consignandum literis, subscribendumque a testibus curavit. Marchio vero gratiis Deo, ac Dei Genitrici impense actis, Romam ad Gregorium XIII. Summum Pontificem se contulit: miraculum praedicat, cui fidem addebat persona narrantis; Marchio antea in Lutheri erroribus enutritus, iam de catholica religione, et Christi vicario bene sentiebat. Quare Gregorius miraculi admiratione, laetitiaque perfusus, Marchionem omni honore coluit, qui Germaniam repetens, Lauretanam Virginem revisit, vitamque instituit, quae omnibus esset innocentiae ac pietatis exemplum. Sua etiam auctoritate complures ex suis popularibus ad catholicam religionem traduxit. Multa ab eo praeclare instituta genti suae saluti futura fuissent, nisi immatura mors consceleratorum fraude, ut creditum est, accersita, optimi Principis salutaria consilia oppressisset.

§. XXVIII.

Idem Tursellinus (*libr.* 2. *cap.* 18) tempore Leonis X. qui sedere coepit anno salutis 1513 haec refert: Sacerdos erat Dalmata Lauretanae Virgini unice deditus; hic forte captus a Turcis, et ad deserendam religionem omni artificio solicitatus, cum nefarias voces aversaretur, Christum, ac Mariam identidem invocabat, illisque sciscitantibus, cur nomina illa usurparet: quia haerent mihi, inquit, in praecordiis. Tum vero illi furentes ira, circumsistunt sacerdotem, eique Lauretanam Virginem inclamanti, adiecto voto, eam primo quoque tempore adeundi, discisso pectore intestina a summo recisa extrahunt; eaque semineci tradunt simul per laudibrium increpantes: Abi iam, propera, et praecordia, in quibus haerere ais Mariam Lauretanam, ad eam perfer, uti vovisti. Moribundus sacerdos Deo, mortem morante, viresque suggerente, porro ire pergit; multorumque dierum itinere celeriter emenso, Lauretum pervenit, sua exta praeferens manu. Quacunque incidit, concursus ad eum fieri, seu visendi studio, seu rei cognoscendae, et ille Lauretani praecipue templi ministris, apertum, vacuumque pectus, et praetenta manu viscera ostentans, totam rem breviter enarrat. Ad ultimum gratiis Virgini enixe actis, et solemnibus confessionis, Eucharistiaeque praesidiis communitus, in Deiparae conspectu, complexuque, ut credere par est, efflavit animam. Exta ipsa e regione sacrosanctae Cellae suspensa diu advenis spectaculo fuerunt. Quibus labe absumptis, exta ligno assimulata, atque ibidem affixa, multos annos monumentum ei fuerunt miraculo: quibus deiectis, ad conservandam tanti miraculi memoriam, sacerdos, praecordia praetendens, in tabella depictus, addita brevi totius rei narratione, hodie visitur.

§. XXIX.

Lipsius de Virgine Hallensi haec (*cap.* 33) collegit, et scribit: Anno 1428 in Vico s. Hilarii, prope Cameracum, evenit. Quaedam mulier, Firmina nomine, uxor Stephani Morelii, puerum peperit mortuum, quem de more extra locum sacrum sepelierunt: mater moesta, quod absque baptismo diem obiisset, Virgini Hallensi, quam annua peregrinatione venerabatur, vota facit ire atque de die in diem, usque ad diem 15. a prolis suae morte: et iam fidentior palam affirmat, puerum vivere, seque certam eius rei ex viso nocturno factam esse. Quare mulieres administras importuna urget ad hortum ire, et defossa terra puerum contemplari, num viveret. Mira res, refossa terra, vident puerum tot iam dies terra conditum, pulchellulum, vividum, et rosae instar rubentem; nisi quod maxilla altera terrae aggestu attrita leviter esset. Eum tollunt, ad proximum pagum Vertenguelium, qui frequentior erat, deferunt: ibique signa vitae clara dedit: nam et sanguinem e naribus stillat, oculis lacrymatur, os oculosque claudit, et aperit. Quare a parocho, non absque difficultate reperito in arce, cui Verticinum nomen est, baptizatur coram septuaginta hominibus, post quinque vero horas ex hac vita puer feliciter migrat. Multa alia admirabilia in hoc baptismo memorat Lipsius (*cap.* 21) evenisse, dum baptismi gratia noctu defertur ad illum pagum, dum conquiritur parochus, qui ad illam arcem se contulerat, quae brevitatis studio omittimus.

§. XXX.

In promptuario Exemplorum discipuli de miraculis b. V. (*exempl.* 58) refertur: Cum in quodam monasterio s. Petri religiosus quidam male vixisset, et ex hac luce absque sacramentis migrasset, eiusque anima a daemonibus ad inferna raperetur, S. Petrus pro anima fratris, qui ex suo monasterio fuerat, Christum precatur: cui Christus respondit, coeli regnum patere iuxta Psalmistam ei: *Qui ingreditur sine macula, et operatur iustitiam:* quod in hoc religioso, maculis inquinato, quique non operatus erat iustitiam, minime inveniebatur. Quare s. Petrus Virginem orat, ut secum pro illa anima intercedere dignaretur. At Virgo piissima sanctis virginibus comitata, Christum pro anima illa interpellat, ad cuius preces indulget Christus, ut anima corpori restituatur, sicque de malis anteactis, poenitentia peracta, salutem consequatur. Quod ubi per Virginem Apostolo Petro innotuit, illico magna clave, quam gestabat daemones fugat, animamque illam duobus angelis ad corpus reducendam tradit; ille vero ad vitam revocatus se a daemonum potestate ereptum b. Virginis, ac s. Petri precibus aperte testatur.

§. XXXI.

Baronius (*tom.* 10 *ad annum Domini* 870), et Arnoldus a Damasco, inquit, atque cum in Palaestinam peregrinaret, haec vidisse testatus: Ad tria millia est quidam locus, in montibus situs, qui Sardancida vocatur, et a Christianis inhabitabatur. Et est ibi ecclesia in ru-

re sita, et in honorem gloriosae Virginis dedicata, in qua moniales virgines duodecim, et monachi octo assidue Deo serviunt, et b. Virgini. In qua ecclesia vidi tabulam ligneam, ad mensuram unius ulnae longam, et latam ad modum dimidiae ulnae, retro altare in muro sanctuarii in fenestra positam, et ferro laquealiter cancellatim firmatam: in qua tabula effigies beatae Mariae Virginis aliquando depicta fuit, sed nunc, quod dictu mirabile est, pictura super lignum est incarnata, et oleum odoriferum super odorem balsami incessanter ex ea manat. De quo oleo multi Christiani, Sarraceni, et Iudaei de diversis languoribus saepe liberantur. Et nota, quod oleum illud nunquam imminuitur, quantumcunque inde accipiatur. Nec praedicta tabula a quoquam tangi audetur, videri autem omnibus hominibus conceditur; oleum vero illud a christiano religiose conservatur, augmentatur, et cum pro quocunque cum devotione, et fide sincera sumptum fuerit, pro honore sanctae Virginis, commissisque solemnitatibus indubitanter impetrabitur. Ad hunc locum in Assumptione, et die gloriosae Nativitatis suae omnes Sarraceni illius provinciae, una cum Christianis causa orandi confluunt, et Sarraceni caeremonialia illic sua offerunt cum maxima devotione. Nota, quod haec tabula primo Constantinopoli facta, et depicta fuit. Tunc temporis quaedam Abbatissa supradicti loci causa orationis Ierusalem descenderat, et impetrata tabula a patriarcha Ierosolymitano, eam secum ad ecclesiam sibi commissam transportavit. Fuit autem hoc Incarnationis anno 870. sed postea per multa tempora, coepit oleum sacrum ex ea manare; hucusque Arnoldus.

§. XXXII.

Vincentius Beluacensis (*libr.* 27. *c.* 2. 3. *et* 4) haec narrat: Quidam puer annorum undecim, pecorum custos, ardens pedibus, a matre sua advectus est, remedioque doloris intra paucos dies accepto, ad domum reductus est: erat autem de Vallibus. Sed dum puer idem divino nutu non immemor tanti beneficii, desiderio visendae domus beatae Virginis flagraret, et super hoc quotidie molestus matrem perurgeret, et illa penitus non acquiesceret: Redeat, inquit, in me infirmitas, ut necesse habeam illuc referri; quod et factum est. Relatus igitur a matre illuc, ad ingressum processionis matris Ecclesiae, excussus a quiete, in gratiarum actionibus rupit clamoribus aetherea, narraviique omnibus raptum se fuisse ante Deum, et Dei Genitricem pro populo supplicantem vidisse, ut dignaretur Deus hunc morbum a populo avertere, et avertere, et hanc scintillam, quae acciderat auferre; hoc tamen responsum a filio suo benigne accepisse: Mater, tu es Maris stella, fiat omnis voluntas tua. Dumque iterum eadem Virgo quereretur super domo sua, quae vilis, et abiecta prae ceteris erat, audivit a filio suo, quod de trans mare, et de trans Rhenum faceret pecuniam afferri, de qua domus eius aedificaretur, et in omnium oculis intuentium claritate magna, et gloria illustraret eam. Populo etiam Suessionensi mala eventura ex parte Dei praedixit, quia suae Genitricis ecclesiam non reficeret. Et quidem multos ex eadem urbe ignis invasit. Quae et qualia restent, nescimus. Idem puer param post se moriturum testatus est; et sic evenit, non enim mensem supervixit. Mirum autem valde de hoc puero erat, quod ab initio mundi omnem historiam retexens totam narrationem suam cursim rhythmice digerebat. Textum Evangelii, et actus Domini sic in ordine recensebat, tanquam omnia in libro legeret, et dictata ab aliis pronunciaret. De Ioseph quoque viro beatae Virginis inter cetera ait: Qui tenet sceptrum florentis virgae, custos erat gloriosae puellae. Haec narrabat clausis oculis, tanquam lucem transitoriam exosus, laicis, et illiteratis vix dignabatur facere verbum, tanquam ignorantiam eorum pertaesus. Eius mortui corpus tanta gratia perfudit, ut candore, et claritate vultus Angelicum nescio quid, et divinum signaret.

§. XXXIII.

Ex Speculo Exempl. (*distinct.* 9. *num.* 108) quod in libro exemplorum beatae Virginis manu script. Seraphinus Razius ex Ordine Praedicatorum (*in suo hortulo exemplorum*) testatur se in Italia legisse: Sanctimonialis quaedam, cui amor et assidua beatae Virginis memoria, cum Ipsa aetate creverat, cuiusdam potentis, ac praedivitis eius pulchritudine capti blanditiis, ac promissionibus illecta, nuptias cum eo celebrare consenserat. Condixerunt diem, quo raptam virginem de monasterio ille adulter suo sociaret coniugio. Postea autem cum in domo parentum quiesceret, nocte illa in somnis se supra os putei raptam vidit, qui enormi amplitudine, et profunditate oris sui aperiens barathrum, tam immanes exhalabat foetores, ut universum mundi huius aerem videretur inficere, tam densas fumi nebulas, ut claritatem de coelo videretur effugasse. Cumque totum serpentibus, et vermibus scaturire, et a clamore eorum, qui intus torquebantur, horribili quodam sonitu miraretur immugire; vidit repente Aethiopes quosdam ignitos, de medio exilientes, et animas damnatas tormentis absque differentia crudeliter immergentes; a quibus et ipsa correpta, cum intro traheretur, inter ipsas iam desperationis angustias circumspiciens, si esset auxiliator, Deiparam vidit, sed nimis a longe, et a se ita aversam, ut ex eius visione vix aliquam spem posset colligere: toto tamen conatu ad illam conversa, eiusque nomen inclamans: Domina, inquit, Domina subveni ancillae tuae in tam amara necessitate constitutae. Post multa verba accessit mater pietatis, manumque eius tenuit; et procul illico facti sunt inimici, dixitque ei: Hi sunt fructus libidinis, hoc praemium voluptatis; et recessit. Vix evigilarat, cum nuncii illius divitis aderant, quaerentes, quid fieri inberet de necessariis nuptiarum: quibus cum summa indignatione reiectis, rem omnem parentibus aperuit, et monasterio reddita, totis se viribus poenitentiae lucibus, et antiquo proposito reddidit.

§. XXXIV.

Vincentius (*lib.* 7. *cap.* 11) ait: Quidam Iudaeus nomine Iacobus a Londonia civitate Angliae apud Uvintoniam pergens, in via praedonum manus incurrens, captus est, plagis afflictus, atque in domum vetustam, casum iam minantem, tractus. Post multas iniurias, omnibus rebus suis spoliatus, ligatisque ad postem pedibus, et victis post tergum manibus, ibidem relinquitur solitarius. Verum ne penitus deficeret, modico pane, et aqua per triduum sustentatur, sperabat enim per sui redemptionem magnam pecuniam accipere. Sed tertia nocte cum ex lassitudine paululum obdormisset, astitit ei in somnis foemina inaestimabili decore reverenda, et niveo habitu amicta, quae propius accedens, vincula, quibus miser ille constringebatur, potenter disrumpit, eumque solvit. Qui prae gaudio, et admiratione evigilans, curioso intuitu circumspexit, si forte adverteret personam, quae illum restitueret libertati. Quod intensius agens, vidit aperte non iam in spiritu, ut prius, sed corporeo visu Mariam Dominam coeli sibi assistere, et ex eius claritate totum illud diversorium resplendebat. In quam oculos meticulosus defigens, sic eam alloquitur: Quae es Domina, vel unde tibi pectus tam benignum, ut mihi misero subvenires in tanta angustia? At illa: Ego sum, inquit, Maria, cui tu, et genus tuum malo vestro insultatis; meque Redemptorem mundi edidisse pertinaciter negatis: veni tamen ad te, ut mone meo tibi pro malis bona rependam, et ab errore te ad veritatis cognitionem reducam, atque hucusque quam periculose vixeris, tibi insinuem: quod ut evidentius cognoscas, egrediamur foras. Illa praecedente, securus iubetur super evidentem petram, quae in promptu erat, ascendere, et intento animo deorsum aspicere; qui iubenti obtemperans, attendit hiatu terrae vallem tenebrosam, ipso aspectu horribilem, flammas sulphureas exhalantem, foetore intolerabilem, omnique genere tormentorum horridam, et asperam: cernit etiam in his cruciatibus animas damnatorum rotari, et miserrime a carnificibus torqueri. Quorum lacrymabilis eiulatus attonitis auribus excipiens, pene usque ad animam exterritus est. His visis, et auditis, ait illi b. Virgo: Hic carcer, haec incendia, haec omnimoda tormenta, tuosque sequaces expectant, nisi Iudaicam impietatem celerius demiseritis, et ad fidei christianae sacramenta confugeritis: nunc autem sequere me, ut ostendam tibi, quid etiam boni pro vestra caecitate perdideritis. Cumque supra collem excelsum cum statuisset, aspicit eminus mansionem perlucidam, visuque pulcherrimam, ex qua tanta optimi odoris fragrantia naribus intuentis infusa est, ac si illum omnium suavitas aromatum respersisset. Ibi vidit caetus Lealorum splendido vultu solemnes, omni gaudio tripudiantes, melos dulcissimum concinentes. Quibus studiose conspectis, ait Maria ad eum: Haec est haereditas animarum, sanguine filii mei redemptarum, quam et tu possidebis, si illum ex me veram carnem assumpsisse credideris. Sed iam hinc recedere, et mysterium tibi, licet indigno, revelatum memoriter retine, et posthac quid tibi sit ageadum, sollicite perpende. Timens Iudaeus, ne denuo hostibus suis occurreret, ibat densissima nocte, quo impetus illum ducebat, quousque dilucesceret. Diluculo autem pergens ad urbem, quae Bacha dicitur, quoddam monasterium, quod ibi erat, adiit, Priori et fratribus, quicquid viderat, et audierat, totum ex ordine exposuit. Baptismum petiit, et accepit, Ioannesque vocatus est; hucusque Vincentius (*loc. cit.*).

§. XXXV.

Baronius (*tom.* 10. *ad ann.* 1095), ubi quosdam canones recitat Concilii Claromontani ex Francisco Belleforestio haec narrat: Urbanus II. Pontifex Maximus anno Domini 1095. in Claromontano Concilio sacram expeditionem Christianorum in terram Sanctam ad eripiendam de manibus infidelium Ierosolymam, magno studio indixit, utque res haec difficillima optatam consequeretur effectum, Dei Genitricis apud Christum patrocinium enixe implorandum censuit. Quare in eodem Concilio rogata Patrum sententia, egit, ut horariae illae preces, quae vulgo b. Virginis officium dicuntur, apud monachos eremitas institutione Petri Damiani recitari coeptas, ad clericos etiam deducerentur. Quod quidem a sancta Synodo, Urbano agente, ea cessione indictum, et a Clericis pie susceptum, ad laicos quoque tum viros, tum mulieres, magno eorum bono, ut omnes experti sumus, est propagatum. Mandatum est etiam omnibus Christianis, ut diebus singulis sabbati officium b. Virginis recitarent. Quantum vero Virginis preces apud filium valuerint, declarat felix illius sacrae expeditionis successus; nam anno 1099. ab exercitu Christianorum, Duce Godifredo, capta est Ierosolyma, magna omnium fidelium gratulatione, quam ad multos annos strenue retinuerunt, donec peccatis nostris exigentibus, iterum ad infidelium potestatem devenit: sic ille.

§. XXXVI.

Antonius Spinellus (*de Mar. Deip. tract. de Mirac. num.* 65) haec narrat: Franciscus Capomazza, Alexandri nobilis Puteolani filius, undecim annos natus, puer modestus, optimisque moribus praeditus, et ut in tantula aetate perspicacis ingenii, beatae Virgini in primis devotus erat: nam pene ab incunabulis in Deiparae honorem praeter coronam, rosarium, aliasque pias preces, quas eidem Virgini reci-

tare consueverat; singulis hebdomadis bis a carnibus abstinebat, eo scilicet die, in quem festum Annunciatae Virginis incidit; die item Mercurii eidem Virgini, quam a Carmelo vocant dicato, sabbato praeterea a lacticiniis semper abstinebat; quin etiam a parentibus enixe contendebat, ut et die Martis beatae Virginis Constantinopoli sacro liceret sibi a carnibus pariter abstinere, quod illi propter teneram pueri aetatem minime permittebant. Is itaque cum parente ad montem Virginis in festo Pentecostes anni 1611. se contulerat; eumque ipse, ac parens in cuiusdam Monachi cellam, qui eos amice hospitabatur, recepti essent, ad incendii strepitum expergefacti, surgunt e stratis, arreptaque pater filii inhaerentis manu, ut et eius, et suae consuleret vitae, fanuam versus pergebat, quo plurima ad incendium evadendum multitudo conduxerat. Verum cum non longe abesset a fanua, repente confertissima turba supervenit, suoque impetu filium a patre distraxit sic, ut confluentium horum undis pene obrutus puer, contenta voce patris auxilium nequicquam implorarel, cui pater multitudinis etiam impetu abreptus in haec verba respondit: Christus Iesus te servet incolumem, fili mi: ego enim nihil opis tibi afferre valeo. Hic puer, cum se sentiret humana ope destitutum. Virginis singularis suae patronae auxilium invocavit; vovit, si ab eo discrimine eriperetur, singulis hebdomadis die Martis carnium abstinentiam. Interea iacebat pene sepultus ac multitudine opprimere protritus altero subtus pectus brachio, altero non impedito; cum ecce sibi mulier, in cuius faciem minime se latendisse affirmavit, beatam tamen Virginem fuisse probavit eventus. Quid hic agis, inquit, puer? surge inde. At ille cum se surgere posse negaret, brachio mulier arrepto substulit, tantaque vi extraxit, ac divulsit e turba, ut calceos e pedibus extractos ibi relinquere coegerit, dolorem quoque brachio vehementer compresso incusserit. Inde sub fornicem, tutissimum nempe locum, momento traduxit incolumem. Albescente iam die moestus pater ad cadaverum acervum se contulit, ut filium, quem iam extinctum arbitrabatur, honestiore tumulo componeret; et cum propius accederet, filium exaudivit clamantem: Pater, pater, quem ut spirantem, atque incolumem, nec opinato aspexit, flexis genibus terram saepius exosculatus, Deo quas poterat gratias egit, quod extinctis, atque attritis tot hominibus, iisque robustioribus, tenerum filium a tanto periculo subduxerit. Postmodum interroganti patri, quonam pacto calamitatem pene communem unus evaserit; puer rem omnem ordine narravit. Qua in re mihi visus est Deus ad beatae Matris intercessionem a tam communi clade utrumque liberare voluisse: nam et parens spectatae est probitatis, et filius pietati Virginis maxime addictus, cui parentes ob votum Deiparae ab ipso in tali incendio nuncupatum, coacti sunt abstinentiam a carnibus die Martis concedere: uterque vero oratorium Deiparae, recens Putcolis erectum, adire studet.

§. XXXVII.

Henrico Granno maxime habenda fides est, cum historias recenseat personis ac locis definitas, agnoscitur in hoc viro diligentia, et fides cum probitate coniuncta. Quo tempore Campensis Thomas Daventriae in Germania theologicae, apud Florentium, florentissimum divinae sapientiae doctorem, operam daret, unam horam Deiparae, cui ex animo studebat, in precationibus recitandis, pronunciandisque ponebat, ita demum se in litteris ratus posse proficere, si pietatem comitem adhiberet. Verumtamen paulatim frigescente fervore, qui in iuvenibus praesertim litterarum studio attentis, haud solet esse diuturnus, principio rarius, mox saepius virginales hymnos, et laudes omittebat, eoque delapsa sensim Thomae socordia est, ut de virgineo penso nihil relinqueretur, cum facilius praeteriret, cuius olim diebus singulis memoriam usurpabat. Thomae in hac oblivione quiescenti quadam nocte talis obiecta species est. In medio sibi videbant xisto consistere, ubi multis audientibus solebat docere Florentius: inter mediam explanationem, disputationemque Florentii, quam ipse cum aliis audiret attente, coeli Regina fulgentissima, tam facie, tum veste descendit. Cum in atrium venisset, singulas Doctorum exedras perlustrasse, magistros de suis quemque rebus, ac quaestionibus disserentes, amantissime complexam, gratulatamque, quod eruditis scholis hominum mentes expolirent, neque solum a suis discipulis scientiam, sed multo etiam magis vitae innocentiam, et morum requirerent sanctitatem, qua sublata, fusus Christi filii sui sanguis auditoribus emolumento non esset; Thomam Deiparae communi indulgentia animadversa, se quoque speraisse fore participem; quo circa fixis oculis intuentem, dum ad se veniret, anxie expectavisse. Sed enim, cum modo hos, modo illos Dei Mater esset amplexa, ubi ad Thomam venit, amplexum denegasse, obiurgatione non taccita. Frustra crudelis inimice, meum tibi amplexum spopondisti, qui consuetudinis piae immemor, nihil de pristina precum antiquarum pensione persolvis. Quo tandem precationes illae tuae, quo laudationes abierunt? ubi illa mihi supplicandi studia ferventibus mixta suspiriis? charitatem intepuisse non vides? ac religionem illam, qua me tuam matrem observabas, claudicasse? et tamen, quasi nihil mali egisses, meum tibi suavium promisisti. Deinde adverso, atque indignante vultu, ubi, inquit, et te huiusmodi solatiis, atque hac voluptate coelesti, quae, quanta sit, scit ille, qui capit, fe, quam indignissimum arbitrare. Virginem post acrem hanc reprehensionem, se se in coelum recepisse. Thomas, somno solutus, memorque dictorum, culpam negligentiae deflevit, vitam correxit, solitas preces tanto ardentius repetivit, quanto acerbiora obiurgationis ac repulsae vulnera fuerunt, et beatissimae Virginis, ut ante fuerat, sic esse denuo studiosus cultor incepit, atque in hoc, non minus pio, quam salutari officio perduravit. Quin et posthabitis huius

vitae rebus, sui magistri Florentii suasu, ad religiosam vitam aspiravit, et in eorum canonicorum, qui divi Augustini regulam sequuntur, adscribi se numerum voluit, id quod coenobium a praefecto impetravit. Et quia ad hoc ipsum oblinendum, commendatitiis Florentii litteris invabatur, attamen coenobiarcha, tametsi bene moratum, et ad religionem sectandam esse vidit aptissimum, ad professionem non nisi emenso spatio sex annorum admisit. Cuius rei causam scribit Ascensius ille typographia, et librorum commentariis nobilis, eiusque haec ipsa sunt verba: *Sive, quod illa aetas cavebat, quenquam adhuc rerum imperitum ad ignotarum rerum vota astringere, sive, quod e re adolescentuli primarius existimabat, ipsum prius per omnia probare;* haec ille. Sex igitur annos Thomas Malleolus Campensis in tyrocinio consumpsit, seque cunctis praebuit admirandum. Ac, ne quando regredi posset, voto se novitius sponte constrinxit. Itaque, cum anno aetatis undevigesimo in religiosorum numerum relatus primo esset, viginti quinque annos natus, professionis solemnia vota nuncupavit. Migravit e vita, dierum et sanctitatis plenus, quem etiam miracula patrasse fama vulgavit. Ex quo intelligi illud potest, professionis hanc tarditatem, quam Iesu Societas suo more, institutoque conservat, insolitam in Dei Ecclesia non fuisse, quippe quae annis abhinc ducentis, ut alia praetermittam, esset in usu, scriptore Iodoco Badio Ascensio in Thomae vita Campensis, cui est habenda fides, qui in illa vixit aetate, suaeque memoriae viros, homo, ut illis temporibus eruditus, aeternitati commendavit. Etsi Thomam, cum alia scripta, tum ille maxime liber ab oblivione vindicat, qui mundi contemptus, inscribitur, in quo perfectum Christi servum, militemque depingit, atque ita conformat, nihil ut sit, quod amplius philosophia Christiana desideret. In eo, quot verba Thomas, tot fudit oracula, Deo plenus ad scribendum accessit, mentesque solidae doctrinae discendae avidas, sine fastidio saturat, nulloque dicendi apparatu docet, delectat, et movet.

§. XXXVIII.

Ludovicus Granatensis (*de symbolo fidei part. 2. sect. 10. reg. 4. cap. 5*): Sequitur miraculum nostri quidem temporis, sed tantae tum veritatis, tum magnitudinis, ut Granatensis Ludovicus gravis nostrae aetatis scriptor, vel hoc uno, si Ethnicus esset, christiana sacra se suscepturum fuisse fateatur: Naamani Syri exemplo, cuius elephantiasim curaverat Helisaeus, Ulyssipone nobilissima matrona, Catharina, Thaidia degebat, eius familiae domina, quae oppidum, villam viridem possessione tenet antiqua. Huic annum prope quartumdecimum agenti infestus valde morbus fuit, cuius dolor horribilis, atque iactatio puellam generosam ad mortis limen, aditumque pervexit, adeo ut moribundae funebre linteum pararetur. In hoc Virginis periculo, domesticorumque dolore, atque luctu, Catharinae nutrix tam sibi, quam alumnae metuens, egebat enim, et ex Catharinae vita pendebat, ad quandam Mariae sacrosanctae Virginis aedem cito confugit; ibi collacrymans, et ingemiscens pro Catharinae vita sanctissimae parenti supplicavit. Haud irritus miserorum orandae patronae labor; siquidem ad pias, quod credere par est, mulieris aerumnosae preces, inclinante Deipara Virgine, paulatim, ac sensim exanimata, ac pene mortua, Catharina revixit, ac melius habere coepit, cum menses prope quatuor aegrotasset; et vero morbus, quanquam remissior est factus, tamen eius reliquiae manserunt; lateris sinistri saeva paralysis, et brachii tanta mobilitas, ut qui illud firmare vellet, brachium statim ei contremeret. Haec novem menses inaudita plaga duravit, quibus optimi quique urbis Ulyssiponae medici suam artem frustra tentarunt. Interim Catharina ad communem omnium Dominam suspiciebat, cuius ope mortis faucibus esset erepta. Mariae Dei Genitricis beneficia imperfecta non esse, quae vitam dedisset integram, valetudinem eiusdem esse beneficio, et liberalitate venturam. Itaque ad coenobium in eiusdem Catharinae castello situm se deferre postulat, cuius coenobii templum, Deiparae sacrum Mariae reliquiarum appellatur. Religiosa domus haec est, et peregrinorum celebrata concursu; simulatque venit in templum, ac se ante perpetuae Virginis imaginem supplex, et venerabunda demisit, anum a tergo audivit, aegrolo filio salutem enixe deprecantem, et clementissimae Reginae opem et auxilium intensa supplicatione, magnisque gemitibus, et claritate insolita vocis implorantem. Hinc Catharina suae precationis sumit exordium: Non equidem dubito, quin mihi medicinam faceres, Virgo sanctissima, si huius veiulae mihi fides esset; oro supplex, ut quae remedium dare soles, modum etiam remedii adipiscendi concedas. Haec, et alia cum pietate, et mentis ardore locuta, misericordiae parentis dono sanatur, et molestissima illa paralysi, quae corpus magna ex parte contraxerat, repente liberatur. Catharinam stupor alienat a sensibus, admirationque suspendit. Deinde nemine sustentante surrexit a terra, suisque ingressa pedibus, ad matrem Dynastae, et Comitis uxorem, quae in templo erat, gaudio turbata, se confert. Matres similis stupor occupavit, quae vero turba non infrequens, Dominicus enim agebat dies, in templum, rem divinam auditura convenerat, miraculum magnis vocibus acclamavit. Haec cum audissent monasterii Patres, rei veritate nullo negotio comperta, immortali Deo, eiusque Matri largissimis, modulatisque vocibus: *Te Deum laudamus*, cecinerunt. Die postero castelli sacerdotes publica gratulatione, pompaque miraculum celebrarunt. Catharina pedibus sacrum triumphum celebrante, quam constabat, novem ipsos menses sine axillari baculo, et fulciente famulo ne vestigium quidem facere potuisse; et tamen ita convaluit, ut dicere soleat sanitatem, quam Maria sanctissima donaverit, ex calice, ac petra componi, caementoque durissimo, qua similitudine firmissimum sanationis genus de

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

manu Virginis ostendebat; cuius argumentum est, Ludovicus ait, Catharinam nunc a templis a matutinae lucis exordio, ad undecimam horam, aut non multo secus flexis genibus obdurare solitam non sedere, non fatigari. In huius porro beneficii memoriam nobilissima haec matrona quotannis ipso recuperatae valetudinis die ferias ad honorem benemeritae de se Virginis agitat, quas cuncta simul familia concelebrat, atque a servibilis vacat operibus non aliter, atque in festis diebus fieri a Christianis solet, quos a non ingenuo labore, et a functione famulari immunes fecit Ecclesia. Prodigii testes, Castelli incolae sunt, villam popolari sermone dicimus, matronae tota domus, et Carmelitani Patres, qui in illo religioso coenobio sacro iure commorantur. Fama miraculi ex finitimis plagis quam plurimos evocavit, quibus generosae virginis a virginum Virgine salus, et medicina gratissima fuit, amat enim Deipara sui similes; amat item agnus ille nive candidior, quem virgines, quocunque pergat, prosequuntur.

§. XXXIX.

Discipulus (*libr. Exemplorum B. V.*): Erat in coenobio quodam frater quidam, Hieronymus nomine, pictor optimus, qui assuetus semper Virgini Mariae statuam omni studio, ac virtute decorare et ornare studebat, et solebat, adversari quidem diaboli per contrarium faciebat, turpissimam, deformem, omnique imagini illusivam, post, in ipsius imaginem irrisive spuens. Odiosus ergo his diabolus, coepit Hieronymum stimulare vehementissimae luxuriae libidine, cogitans vindicare se ex perpetrata iniuria. Demum apparuit ei diabolus in specie dominae pulcherrimae, quae pollicebatur secum gaudere, si vellet sibi consentire. Et respondit Hieronymus cuncta patrare, si vellet consensu mei praebere; dixit ei domina, tu es loci illius sacrista? at ille, utique: inquit ista: accipe ergo thesauros, quos sub tuo domino habes, maxime autem auri, et argenti, frangeque simulque omnia ponas in sacco, et tunc ad me venies, dia gavisurus. Hieronymus autem pollicetur haec agere; et cum talia operaretur, coepit diabolus vociferare: currite Domini, currite Domini, quia Hieronymus praedatur ecclesiae thesauros. Cum vero monachi currerent, et Hieronymum reperissent calices, et crates, et cetera auro, et argento fregisse, admirati sunt valde, et interrogantes, quidnam esset; volens ratione se tueri, timens ac tremens obmutuit. At illi, quia sero erat, ligaverunt eum ad columnam, diabolus vero ad ipsum veniens, illudebat ei dicens: nonne es ille, qui me tam deformem depingebas, et in faciem spernebas? quia me illusisti, illusi te, ecce miser asservaris: dic ergo Mariae tuae, quam ita pulchram faciebas, ut te nunc adiuvet. Recordatus itaque Hieronymus miserationis Dei Genitricis, toto corde coepit eam invocare, ut in tantis afflictionibus dignaretur sibi succurrere: ipsa quidem mater pietatis apparuit ei, et ait: Confortare in Domino Hieronyme, si deinceps constans esto, et caveas tibi ab astutia diaboli, quia te non deseram in his tribulationibus; et statim apprehenso diabolo, ligavit eum ad columnam, soluto Hieronymo. Simul vero a Domino admonitus, hora competenti pulsat matutinam, et accensis lampadibus, et apertis libris, stetit in loco consueto. Venientibus siquidem fratribus, atque in ecclesia Hieronymum intuentibus, similiter ad columnam ligatum, mirati maxime, quidnam hoc esset, reperientes sacristani consuetum officium, et ecclesiae thesauros solito modo consistentes; eunies ad columnam reperierunt diabolum, quem exposuerunt, eo maxime verberato: at ille stridens, et clamans aufugit. Denique confessus Hieronymus scelus suum, coepit narrare misericordiam Virginis Mariae, qualiter sibi misericorditer, et potenter in tali necessitate subvenit.

§. XL.

Discipulus (*lib. exem. b. Mar. V*): Quaedam abbatissa, quantum poterat, moniales religiose gubernans, et ad custodiam disciplinae coarctans, eas in odium sui de bono studio provocavit; et instinctu diaboli, occulto Dei iudicio, cum dapifero suo luxuriae crimen incurrit. At illa gravidam se cognoscens, moniales, ut prius, ad regulam nihilominus astringebat. Unde contra eam amplius concitatae, tandem per incessum, et cibum muliebri sagacitate, ab eis pro certo gravidam esse deprehenditur, et statim cum gravissimis accusationibus occultationes tanti criminis Episcopo deferunt. Imminente ergo adventu Episcopi, Abbatissa in quadam privata capella, ubi orare solebat, effusa est in lacrymas, beatissimam Virginem devotissime deprecans: tandem in oratione paululum soporabat, et tunc beata Virgo Maria cum duobus angelis eam alloquitur, et data peccati venia, delere cito infamiam illam pollicetur, statimque dixit duobus angelis, ut eam ab onere prolis exonerarent, ut cuidam eremitae in vicino manenti per septem annos puerum nutriendum offerrent, quo facto liberatam ab opprobrio monuit, ut caveret deinceps a peccato. Scias tamen, inquit, te prius ab Episcopo multis opprobriis fatigandam; sed, ne timeas, quia facile pertransibit. Post haec Episcopus veniens, capitulum intravit, ac Abbatissam venire praecepit, et accedens, contumeliis illam arguens, de capitulo exire compellit; at illa nil timens, imperterrita fortis stetit; missis ad eam duobus clericis, ut crimen explorarent, cum nullum in ea signum gravidationis invenirent, Episcopus ad pedes eius corruit, veniam petiit, et omnes detractores illius ex monasterio eius citius abire praecepit. Abbatissa vero Episcopo in confessione totum factum narravit, et ille benedicens Deum ad eremitam duos clericos pro causa pueri inquirenda transmisit. Venerunt ergo, et didicerunt ab illo puerum ista nocte natum, et a duobus iuvenibus ad eum

paulo ante delatum, et ex parte beatae Mariae fuisse commendatum. Audiens hoc Episcopus, mirabiliter laetus, puerum septem annis nutriendum in manu eremitae dimisit; et ipse puer postea litteris, et vita idoneus, eidem Episcopo in episcopatu successit.

§. XLI.

Discipulus (*lib. Exempl. b. V.*): Clericus quidam beatae Virgini devotus, cui cum per ecclesiam contingeret transitus, cum omni humilitate et devotione genuflexus, angelica salutatione eam honorabat, dicens: Ave Maria: rursus genuflexus: Beatus venter, qui te portavit, Christe, et beata ubera, quae lactaverunt Dominum, et Salvatorem nostrum. Huic aliquando molestia corporis, et dolor inolevit, ut linguam, et labia dentibus suis manducaret: idipsum de membris facturus, si permitteretur. Cumque iam lingua, et labiis penitus absumptus, vehementer in aliis membris se laederet, iceretque horrendus aspectu, ac sensibus corporis exemptus, vidit iuxta lectus sui caput personam consistere pulchram facie, et reverendo aspectu, quantum datur intelligi, angelus eius erat: hic aegroti sui aerumnas plorans, qui in hunc modum lamentari videbatur: Quid, o Domina misericordiae, fons pietatis, hoccine est gratiose, et gloriose salvandorum? haec, quae est lingua, quae beatificando ventrem, ubera, et partum tuum longo usu ex ardenti affectu salutare sic assidue facta, ut pene nihil aliud sonare nosceret in ecclesia Dei: o Domina, si tu dees tuis, quis aderit suis? non sic, Domina, non sic: ad nihilum deveniet spes hominum, si in te incipiunt non invenire refugium. Haec cum in auribus tantum aegri declamaret, et in eius tantum oculis declararet, apparuit utique Mater Domini, et quasi satisfaciens de negligentia in servulum suum, de qua insultabatur, ad lectulum aegri propius accedit, extractoque ubere, visa est profinus mittere in os aegri, et sacri lactis sui rore infuso, subito suae linguae integritatem, et labiis antiquum decorem, et in toto eius corpore pristinam restauravit sanitatem: et surrexit sanus, et incolumis: factamque circa se misericordiam omnibus coepit praedicare, et postmodum se, et sua Dei servitio mancipans, de cetero duxit vitam religiosam, et bonam.

§. XLII.

Discipulus (*lib. Exempl. b. V.*): Fuit quidam nobilis Theophilus nomine, qui, cum depauperatus fuisset, coepit desperare, et cogitare, quid faceret. Tandem cogitavit, ut iret ad bivium, et cum diabolo loqueretur, ut ei in rebus mundanis subveniret: quod sic factum est. Diabolus vero, cum precibus Theophili sollicitaretur, ut eum divitiis restitueret, quaesivit a Theophilo, si facere posset, et vellet quae proponeret. Respondit, quod vellet, et iuravit. Qui veniens, tribus noctibus successive, prima nocte abrenunciabat baptismo; secunda suo Creatori; tertia ipsi Matri misericordiae. Diabolus vero considerans suum affectum, dixit: hanc abiurationem, si per chirographum scriptum tuo sanguine confirmaveris, et ad me deportaveris, tunc omnia consummata sunt: quod sic factum est. Chirographum scriptum est sanguine Theophili, et sigillo diaboli confirmatum est. Contigit die quodam, quod Theophilus poenitentia ductus, coepit flere, et cum fletu coram imagine b. Mariae Virginis se prosterneret; invocavit b. Virginem Mariam cum devotione: sed b. Virgo Maria semper fuit miseratrix, et benigna: ipsa misérata eius, indulsit, quae fecerat. Et cum ipse Theophilus prostratus ante altare, multum fleret, et rogaret imaginem b. Mariae Virginis; Dei imago, quasi irata ipsum audire noluit, et faciem vertit ab ipso: quod videns b. Virgo, collocavit filii sui imaginem in altari, et una cum Theophilo diabolum adiit, et per b. Virginem reformatus est gratiae Dei, et chirographum abrenunciationis, quod diabolo dederat, diabolum reddere praecepit; et sic Theophilus conversus est, ac tandem pervenit ad gaudia coeli.

§. XLIII.

Discipulus (*lib. Exemplorum b. V.*): Vir quidam per omnia litteratus, et pius, dixit in suis partibus fuisse praedonem, caedeque inhianlem homini: hic ab inimicis raptus in declivio montis ihidem decollatur. Delapsis vero Virgo Maria dat contritionem veram, ac confessionem. Caput enim e corpore evulsum valido clamore confessionem petebat: unde unus inimicorum pro sacerdote cucurrit; sed sacerdos appropinquare noluit, nec audebat, nisi caput corpori coniungeretur: quo facto, confessionem audivit, in cuius fine, sacerdos quaesivit, cur mori non potuisset: at ille causam miraculi dixit: iuvenis audivi, quemcunque confessionem adipsei ante mortem, qui ob reverentiam b. Mariae Virginis quartam feriam, vel sabbatum ieiunaret; et servavi, nec quicquam alias boni feci; absolutusque spiritum efflavit.

§. XLIV.

Discipulus (*lib. Exempl. b. V.*): Quidam pictor diabolum cum cornibus, et ceteris membris, ut turpius poterat, et magis horribilem pinxit: idem vero imaginem beatae Mariae Virginis decentem, et ita pulchram, ut potuit, depinxit, diversis coloribus. De hoc vero diabolus iratus, et invidens, festinanter accedens ad pictorem, quaesivit dicens: Cur me tam horribilem, et deformem, et beatam Virginem Mariam tam pulchram, et decentem depinxisti? qui respondit, quod ita se res in veritate haberet, sicut facta pictura ostendit. Diabolus vero iratus, pictorem ab alto, ubi depinxit

imaginem beatae Mariae Virginis, quadam die voluit praecipitare, confregitque ligna, in quibus stabat pictor, qui ad casum periit: mox imago pulcherrimae Virginis pictori manum porrexit, et eum, ne caderet, firmiter retinuit, sicque eum a daemone custodivit.

§. XLV.

Discipulus (*lib. Exempl. b. V. Mariae*): Fuit quidam sacerdos idiota nullam sciens missam, nisi de beata Domina Maria: et cum de illa quotidie celebraret, et de hoc accusaretur, prohibitus est ab Episcopo, de cetero non celebrare aliquam missam. Qui cum esset in tribulatione, et egeret, beatamque Virginem invocaret, illa ei apparens, ait: vade ad Episcopum, et die ei ex parte mea, ut tibi restituat officium tuum. Respondente sacerdote, Domina nostra, ego pauper sum, et despecta persona, non me audiet, neque mihi patebit accessus ad eum. Beata Virgo adiunxit: vade, et ego viam tibi praeparabo; et ille, o Domina Virgo Maria, non credet verbis meis; respondit illa: dices ei pro signo quod in tali hora, et in tali loco, dum cilicium suum resarciret, ego illud ex parte una tenebam, adiuvans eum, et statim credet tibi. Mane sine impedimento sacerdos intrans ad Episcopum, ut beatae Dei Genitricis deferret nuncium, cum ille diceret: unde credam, te ab ea missum? praedictum signum de cilicio subiunxit: quo audito beatus Pontifex stupens simul, ac pavens respondit: ecce reddo tibi, ut tantum de Domina nostra beata Virgine Maria celebres, ac frequentes, et ora pro me semper.

§. XLVI.

Discipulus (*lib. Exempl. b. V.*): In monasterio quodam sanctimonialium ante multos annos virgo quaedam degebat nomine Beatrix: erat enim corpore speciosa, mente devota, et in obsequio Dei Genitricis ferventissima: quoties illa spirituales orationes, cum fine veniam secretius efferre potuit, pro maximis deliciis reputavit: facta vero custrix, haec egit tanto devotius, quanto liberius: quam clericus quidam videns, et concupiscens, precari coepit; illa verba spernente luxuriae, istoque tanto importunius instante, serpens antiquus cum vehementer incendit, ut pectus eius flammam amoris ferre non posset; accedens vero ad altare beatae Mariae Virginis, quae ibi patrona erat, sic ait: Domina, quanto devotius potui, tibi servivi, ecce, claves tibi resigno, tentationes carnales diutius sustinere non valeo. Positis super altare clavibus, clam secuta est clericum: quam cum miser ille corrupisset, post dies paucos eam abiecit. Illa, cum non haberet, unde viveret, et ad claustrum redire erubesceret, facta est meretrix: in quo vitio, cum publice annos plurimos transegisset, die quadam in habitu saeculari, ad portam venit monasterii, quae cum dixisset portariae: nosti Beatricem, quondam monasterii huius custricem; respondit optime: est enim domina proba, et sancta, et sine querela, ab infantia usque in hunc diem in hoc monasterio conversata. Illa verba ista notans, sed non considerans, dum abire vellet, Mater misericordiae in effigie mulieris ei apparens ait: ego per quindecim annos absentiae tuae officium tuum supplevi; revertere autem in domum tuam, et poenitentiam age, quia nullus hominum novit excessum tuum, in fama siquidem, et habitu illius, Dei Genitrix vices egerat custodiae; quae mox regressa, quandiu vixit, gratias egit Mariae Virgini, et per confessionem circa se gesta manifestavit confessori suo.

§. XLVII.

Petrus Cluniacensis, vir sua aetate insignis doctrinae, et pietatis (*in l. 2. de miracul. c. 30*) morem tradit Romanorum fuisse festum Assumptionis Matris Domini inter universas anni festivitates praecipuo honore colere. Unde inter plura devoti animi sui erga praeexcelsam Virginem signa, cereos maximos faciunt, et eos ante paratos, vigilia festivitatis, ad nominatam ecclesiam sanctae Mariae Maioris deferunt, atque vespertina hora, vel circa accendunt, pondus tamen eorum aequa lance pensatum domi retinent, ut sequenti die, solemni Missa peracta, eos rursus pensantes, quantum de quantitate eorum ignis consumpserit, indicante statera, cognoscere valeant. Cumque eos die sequenti domum retulerint, et ponderaverint, deprehendunt, idem esse pondus, atque prius fuit: quod miraculum in ipsa Romana Urbe, templo praeclaro, et non semel, sed annuo recursu fieri solitum expendit hic bonus Pater. Ostendit Deus hoc signo, nihil eorum perire, quod in Virginis cultum, et honorem expenditur, sed id est Deo gratum et acceptum.

§. XLVIII.

Sylvanus Razzius monachus Camaldulensis, cuius opus ex Italico Latinum fecit Hercules Vincemala (*de mirac. Virg. Mar. lib. 2. c. 15*): Vir nobilissimus, cuius uxor in Virginis fidem, et clientelam sese dederat, cum nullos haberet liberos, Deum suppliciter obtestatus est, ut prolis dulcia praemia nosse sibi liceret. Voti compos filium ad christianam disciplinam, et pios mores erudivit. Iam infans esse desierat, cum ab aliis pueris floribus, et rosis serta contexi videt; idem ipse facere, illisque cum magna pietate Virginei cuiusdam simulacri frontem exornare, neque ullum unquam diem intermittere. Natu grandiorem parentes matrimonii vinculis impedire cupiebant; at ipse, qui Deo, eiusque Matri, virginitatem suam intactam, quod aiunt, integramque servaturum se voto promiserat, in coenobium migravit eorum, qui sanctum Brunonem sequuntur auctorem, ubi quotidie magis, magisque proficiens, firmiora in dies sanctitatis fundamenta iaciebat. Quod vero neque in illam vitae rationem conveniens esset, neque flores, et rosas hyems dura progigneret, institutum coronandae Virginis intermitti oportuit; aliud tamen pro re, ac tempore, consilio sui moderatoris, remedium inivit, qui ut alii scribunt, tacente Sylvano, huic, adhuc novitio, quod rosae in promptu non essent, paranti recessum, desperantique Virginis caput a se redimiri iam posse, saluti fuit, monens, ut pro rosis quinquagenas salutationes offerat angelicas, ac denis quibusque Dominicam subiiceret precationem: eam coronam Deiparae fore gratiorem. Parel, obtemperalque novitius, manendi iam certus, et florum vice, ex Christi oratione, et angeli Gabrielis alloquio, rosea, floridaque serta virgineo capiti quotidie componebat. Progrediente cum ipso tempore huius Religiosi virtute, factus est cuiusdam illius familiae praefectus, ac rector. Pro muneris autem necessitate commissi, faciendum iter aliquando fuit, eundemque peregre satis; ex oblivione tamen, obruentibus animum curis, piam illam quinquagies, ut multi, centies, ut Sylvanus scribit, salutandae Virginis consuetudinem, diem unum intermisit; eamque in vastam sylvam ingressus, suae memor incuriae, ad salutandam de more Virginem, a sociis disiunctus se cessisset, repente latro erupit a latebris, qui precanti monacho manibus iniectis, equum, resque omnes ademit, vitam etiam hausturus, nisi Virginis misericordia imminens periculum depulisset. Iam latro telum intenderat, ut inermem occideret, cum puer formosus intervenit, qui ex monachi ore prodeuntes centum rosas collegit, ex quibus contextam coronam cum suo capiti imposuisset, in coelum revolavit. Id ubi latro animadvertit, et homicida nefarius, ad praefecti se pedes abiecit; et iis, quae puer ille coelestis egisset, sigillatim expositis, veniam postulavit: quin et excursor ipse eidem se et instituto, et coenobio libenter addixit, et reliquam vitae partem cum sanctitate traduxit. Haec ita Sylvanus Vincemala Mediolanensi causidico interprete: qui in huius libri prooemio ingens se animi lucrum reportasse scribit ex peregrinatione Lauretana; sed si Dominicanis quibusdam Rosarii scriptoribus credimus, non unus tantum latro fuit, sed multi, et molitores facinoris, et miraculi testes. Neque Carthusiano huic priori manus illata, ademptumve aliquid, procul venientem, quod est credibilius, explorarunt, secedentem a sociis observarunt, ubi precari genibus inflexis coepisset, formosissimam adstitisse matronam, quae ex monachi psallentis ore, tot albas rosas educeret, quot ille salutationes recitaret angelicas, candidam ex denis quamque rubicunda una sequente, quae Dominicae precationis index esset. Ex utrisque ab illa pulcherrima Virgine coronam esse contextam: ubi capiti imposuisset, subito esse delapsam. Latrones viso exterritos ad Priorem supplices adiisse, de Virgine illa percontantibus, nihil se scire dixisse. Tum a latronibus expositam ex ordine visionis historiam, infudisseque in omnium animis, Deiparam fuisse coelestem, quae suum viatorem defendere voluisset. Illo ex tempore Rosarium latronibus cordi esse coepisse, rapere, et occidere desiisse. Hanc esse suspicor antiquam historiam minime falsam, sed vetustate variatam, ut scriptorum discrepantia demonstrat, fierique potest, ut hoc factum, et antiqua nimis rei verisimilis pictura Rosario nomen dederit, quod in Benedicti novum familia natum divus Dominicus, ut diximus, adoptavit.

§. XLIX.

Surius in vita sancti Roberti primi Abbatis Molismensis, et Cisterciensis: Molismensis aedes a Roberto aedificata, Mariae Virginis auspiciis, cuius patrona erat, multis, magnisque prodigiis in dies clarescebat. Ex quibus pauca quaedam ad lectoris utilitatem, iucunditatemque narrabimus. Delectat enim utile dulci miscere, neque tamen Horatiana nobis puncta sunt tanti. Mulier quaedam obnoxia comitiali morbo, gravi insuper inopia premebatur. Huic in mentem venit, Molismense templum adire, quod post Roberti obitum, multo, quam antea, nobilius, et celebrius fama miraculorum, frequentiaque reddiderat. Igitur duobus filiolis adhibitis, altero lactente, altero paulo grandiore, sese dedit itineri. Sole autem inclinante, ad quoddam pervenit coenobium, cuius monachi peregrinantes foeminas, vel quomodolibet adeuntes, ex ipsis monasterii finibus repellebant, quod ea esset a conditione lata lex, castitatis amatori. Ita mulier iussa recedere, in deserto nemore pernoctavit: ibi divina providente manu ignem languescentem e sopitis cineribus, quos offenderat, excitavit; cuius opportunitate, coeli, ac tenebrarum tulit iniurias. Intempesta nocte, ecce ibi lupus intervenit, viso a pia matre, fronti crucis salutiferae signum imprimit, seque, et suos filios Deo, beatissimae Virgini, sanctoque Roberto sollicita religione commendat. Paulo post, in festo illo morbo corripitur, qui et sensum eripit, et corpus ad terram affligit, ex quo a multis caducus appellatur; qua velut captata occasione, lupus raptio minore puerulo, sese fugae mandavit, ubi remisso morbo mulier, quasi a morte revocata, surrexit, infantem puerum, quem suo stringebat amplexu, requisivit: puero grandiore, qui unus restabat, casum nunciante, in maximos luctus incidit, atque inter proiandum has voces iterabat: redde mihi depositum, Maria benignissima, in quoque restitue pater Molismensis. Haec subinde vociferanti, bellua suae feritatis oblita, puerum sanum, salvumque restituit, inque pueruli, pusionisque dorso, dentium lupinorum impressa signa, miraculum, miraculique fidem ampliarunt.

Altera mulier, negotiorum causa, foras egressa, puerum reliquit in cunis dormientem; cumque subito casu domus arderet, nullaque succurrentium remedia proficerent, diligentiam incendio superante, mater reversa, flammaeque festis omnia comburentis, haec gemens iterabat: esto clypeus a facie ignis devorantis, Do-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

imaginem beatae Mariae Virginis, quadam die voluit praecipitare, confregitque ligna, in quibus stabat pictor, qui ad casum periit: mox imago pulcherrimae Virginis pictori manum porrexit, et eum, ne caderet, firmiter retinuit, sicque eum a daemone custodivit.

§. XLV.

Discipulus (*lib. Exempl. b. V. Mariae*): Fuit quidam sacerdos idiota nullam sciens missam, nisi de beata Domina Maria: et cum de illa quotidie celebraret, et de hoc accusaretur, prohibitus est ab Episcopo, de cetero non celebrare aliquam missam. Qui cum esset in tribulatione, et egeret, beatamque Virginem invocaret, illa ei apparens, ait: vade ad Episcopum, et die ei ex parte mea, ut tibi restituat officium tuum. Respondente sacerdote, Domina nostra, ego pauper sum, et despecta persona, non me audiet, neque mihi patebit accessus ad eum. Beata Virgo adiunxit: vade, et ego viam tibi praeparabo; et ille, o Domina Virgo Maria, non credet verbis meis; respondit illa: dices ei pro signo quod in tali hora, et in tali loco, dum cilicium suum resarciret, ego illud ex parte una tenebam, adiuvans eum, et statim credet tibi. Mane sine impedimento sacerdos intrans ad Episcopum, ut beatae Dei Genitricis deferret nuncium, cum ille diceret: unde credam, te ab ea missum? praedictum signum de cilicio subiunxit: quo audito beatus Pontifex stupens simul, ac pavens respondit: ecce reddo tibi, ut tantum de Domina nostra beata Virgine Maria celebres, ac frequentes, et ora pro me semper.

§. XLVI.

Discipulus (*lib. Exempl. b. V.*): In monasterio quodam sanctimonialium ante multos annos virgo quaedam degebat nomine Beatrix: erat enim corpore speciosa, mente devota, et in obsequio Dei Genitricis ferventissima: quoties illa spirituales orationes, cum fine veniam secretius efferre potuit, pro maximis deliciis reputavit: facta vero custrix, haec egit tanto devotius, quanto liberius: quam clericus quidam videns, et concupiscens, precari coepit; illa verba spernente luxuriae, istoque tanto importunius instante, serpens antiquus cum vehementer incendit, ut pectus eius flammam amoris ferre non posset; accedens vero ad altare beatae Mariae Virginis, quae ibi patrona erat, sic ait: Domina, quanto devotius potui, tibi servivi, ecce, claves tibi resigno, tentationes carnales diutius sustinere non valeo. Positis super altare clavibus, clam secuta est clericum: quam cum miser ille corrupisset, post dies paucos eam abiecit. Illa, cum non haberet, unde viveret, et ad claustrum redire erubesceret, facta est meretrix: in quo vitio, cum publice annos plurimos transegisset, die quadam in habitu saeculari, ad portam venit monasterii, quae cum dixisset portariae: nosti Beatricem, quondam monasterii huius custricem; respondit optime: est enim domina proba, et sancta, et sine querela, ab infantia usque in hunc diem in hoc monasterio conversata. Illa verba ista notans, sed non considerans, dum abire vellet, Mater misericordiae in effigie mulieris ei apparens ait: ego per quindecim annos absentiae tuae officium tuum supplevi; revertere autem in domum tuam, et poenitentiam age, quia nullus hominum novit excessum tuum, in fama siquidem, et habitu illius, Dei Genitrix vices egerat custodiae; quae mox regressa, quandiu vixit, gratias egit Mariae Virgini, et per confessionem circa se gesta manifestavit confessori suo.

§. XLVII.

Petrus Cluniacensis, vir sua aetate insignis doctrinae, et pietatis (*in l. 2. de miracul. c. 30*) morem tradit Romanorum fuisse festum Assumptionis Matris Domini inter universas anni festivitates praecipuo honore colere. Unde inter plura devoti animi sui erga praeexcelsam Virginem signa, cereos maximos faciunt, et eos ante paratos, vigilia festivitatis, ad nominatam ecclesiam sanctae Mariae Maioris deferunt, atque vespertina hora, vel circa accendunt, pondus tamen eorum aequa lance pensatum domi retinent, ut sequenti die, solemni Missa peracta, eos rursus pensantes, quantum de quantitate eorum ignis consumpserit, indicante statera, cognoscere valeant. Cumque eos die sequenti domum retulerint, et ponderaverint, deprehendunt, idem esse pondus, atque prius fuit: quod miraculum in ipsa Romana Urbe, templo praeclaro, et non semel, sed annuo recursu fieri solitum expendit hic bonus Pater. Ostendit Deus hoc signo, nihil eorum perire, quod in Virginis cultum, et honorem expenditur, sed id est Deo gratum et acceptum.

§. XLVIII.

Sylvanus Razzius monachus Camaldulensis, cuius opus ex Italico Latinum fecit Hercules Vincemala (*de mirac. Virg. Mar. lib. 2. c. 15*): Vir nobilissimus, cuius uxor in Virginis fidem, et clientelam sese dederat, cum nullos haberet liberos, Deum suppliciter obtestatus est, ut prolis dulcia praemia nosse sibi liceret. Voti compos filium ad christianam disciplinam, et pios mores erudivit. Iam infans esse desierat, cum ab aliis pueris floribus, et rosis serta contexi videt; idem ipse facere, illisque cum magna pietate Virginei cuiusdam simulacri frontem exornare, neque ullum unquam diem intermittere. Natu grandiorem parentes matrimonii vinculis impedire cupiebant; at ipse, qui Deo, eiusque Matri, virginitatem suam intactam, quod aiunt, integramque servaturum se voto promiserat, in coenobium migravit eorum, qui sanctum Brunonem sequuntur auctorem, ubi quotidie magis, magisque proficiens, firmiora in dies sanctitatis fundamenta iaciebat. Quod vero neque in illam vitae rationem conveniens esset, neque flores, et rosas hyems dura progigneret, institutum coronandae Virginis intermitti oportuit; aliud tamen pro re, ac tempore, consilio sui moderatoris, remedium inivit, qui ut alii scribunt, tacente Sylvano, huic, adhuc novitio, quod rosae in promptu non essent, paranti recessum, desperantique Virginis caput a se redimiri iam posse, saluti fuit, monens, ut pro rosis quinquagenas salutationes offerat angelicas, ac denis quibusque Dominicam subiiceret precationem: eam coronam Deiparae fore gratiorem. Parel, obtemperalque novitius, manendi iam certus, et florum vice, ex Christi oratione, et angeli Gabrielis alloquio, rosea, floridaque serta virgineo capiti quotidie componebat. Progrediente cum ipso tempore huius Religiosi virtute, factus est cuiusdam illius familiae praefectus, ac rector. Pro muneris autem necessitate commissi, faciendum iter aliquando fuit, eundemque peregre satis; ex oblivione tamen, obruentibus animum curis, piam illam quinquagies, ut multi, centies, ut Sylvanus scribit, salutandae Virginis consuetudinem, diem unum intermisit; eamque in vastam sylvam ingressus, suae memor incuriae, ad salutandam de more Virginem, a sociis disiunctus se cessisset, repente latro erupit a latebris, qui precanti monacho manibus iniectis, equum, resque omnes ademit, vitam etiam hausturus, nisi Virginis misericordia imminens periculum depulisset. Iam latro telum intenderat, ut inermem occideret, cum puer formosus intervenit, qui ex monachi ore prodeuntes centum rosas collegit, ex quibus contextam coronam cum suo capiti imposuisset, in coelum revolavit. Id ubi latro animadvertit, et homicida nefarius, ad praefecti se pedes abiecit; et iis, quae puer ille coelestis egisset, sigillatim expositis, veniam postulavit: quin et excursor ipse eidem se et instituto, et coenobio libenter addixit, et reliquam vitae partem cum sanctitate traduxit. Haec ita Sylvanus Vincemala Mediolanensi causidico interprete: qui in huius libri prooemio ingens se animi lucrum reportasse scribit ex peregrinatione Lauretana; sed si Dominicanis quibusdam Rosarii scriptoribus credimus, non unus tantum latro fuit, sed multi, et molitores facinoris, et miraculi testes. Neque Carthusiano huic priori manus illata, ademptumve aliquid, procul venientem, quod est credibilius, explorarunt, secedentem a sociis observarunt, ubi precari genibus inflexis coepisset, formosissimam adstitisse matronam, quae ex monachi psallentis ore, tot albas rosas educeret, quot ille salutationes recitaret angelicas, candidam ex denis quamque rubicunda una sequente, quae Dominicae precationis index esset. Ex utrisque ab illa pulcherrima Virgine coronam esse contextam: ubi capiti imposuisset, subito esse delapsam. Latrones viso exterritos ad Priorem supplices adiisse, de Virgine illa percontantibus, nihil se scire dixisse. Tum a latronibus expositam ex ordine visionis historiam, infudisseque in omnium animis, Deiparam fuisse coelestem, quae suum viatorem defendere voluisset. Illo ex tempore Rosarium latronibus cordi esse coepisse, rapere, et occidere desiisse. Hanc esse suspicor antiquam historiam minime falsam, sed vetustate variatam, ut scriptorum discrepantia demonstrat, fierique potest, ut hoc factum, et antiqua nimis rei verisimilis pictura Rosario nomen dederit, quod in Benedicti novum familia natum divus Dominicus, ut diximus, adoptavit.

§. XLIX.

Surius in vita sancti Roberti primi Abbatis Molismensis, et Cisterciensis: Molismensis aedes a Roberto aedificata, Mariae Virginis auspiciis, cuius patrona erat, multis, magnisque prodigiis in dies clarescebat. Ex quibus pauca quaedam ad lectoris utilitatem, iucunditatemque narrabimus. Delectat enim utile dulci miscere, neque tamen Horatiana nobis puncta sunt tanti. Mulier quaedam obnoxia comitiali morbo, gravi insuper inopia premebatur. Huic in mentem venit, Molismense templum adire, quod post Roberti obitum, multo, quam antea, nobilius, et celebrius fama miraculorum, frequentiaque reddiderat. Igitur duobus filiolis adhibitis, altero lactente, altero paulo grandiore, sese dedit itineri. Sole autem inclinante, ad quoddam pervenit coenobium, cuius monachi peregrinantes foeminas, vel quomodolibet adeuntes, ex ipsis monasterii finibus repellebant, quod ea esset a conditione lata lex, castitatis amatori. Ita mulier iussa recedere, in deserto nemore pernoctavit: ibi divina providente manu ignem languescentem e sopitis cineribus, quos offenderat, excitavit; cuius opportunitate, coeli, ac tenebrarum tulit iniurias. Intempesta nocte, ecce ibi lupus intervenit, viso a pia matre, fronti crucis salutiferae signum imprimit, seque, et suos filios Deo, beatissimae Virgini, sanctoque Roberto sollicita religione commendat. Paulo post, in festo illo morbo corripitur, qui et sensum eripit, et corpus ad terram affligit, ex quo a multis caducus appellatur; qua velut captata occasione, lupus raptio minore puerulo, sese fugae mandavit, ubi remisso morbo mulier, quasi a morte revocata, surrexit, infantem puerum, quem suo stringebat amplexu, requisivit: puero grandiore, qui unus restabat, casum nunciante, in maximos luctus incidit, atque inter proiandum has voces iterabat: redde mihi depositum, Maria benignissima, in quoque restitue pater Molismensis. Haec subinde vociferanti, bellua suae feritatis oblita, puerum sanum, salvumque restituit, inque pueruli, pusionisque dorso, dentium lupinorum impressa signa, miraculum, miraculique fidem ampliarunt.

Altera mulier, negotiorum causa, foras egressa, puerum reliquit in cunis dormientem; cumque subito casu domus arderet, nullaque succurrentium remedia proficerent, diligentiam incendio superante, mater reversa, flammaeque festis omnia comburentis, haec gemens iterabat: esto clypeus a facie ignis devorantis, Do-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

mina Molismensis: advolat tandem ad incunabula, parens uterque difficili aditu vel ipsos deflagrati infantuli cineres loco magni muneris habiturus. Res mira, sed Mariam Deiparam appellantibus consueta, repertus infans, flammis arridens, et cunis in cinerem redactis, in solum puerulum flamma non saevit.

Tertia narranda historia est, et lector salubriter oblectandus. Niverniensis Domina, potens in primis, nobilisque matrona, monile perdiderat, gemmis, unionibusque distinctum; quod tamen diligentissime perquisitum invenire non poterat. Cum vero admonitu illorum, quae in Molismensi suo templo Deipara facitarat, in beatissimae Dei Matris, et Roberti fundatoris honorem ceremo accendisset pretiosum, illud monile reperit, seque gratam beneficentissimae Virgini continuo praestitit, quae et hominum fida custos esset, et rerum. Ecce beata Virgo pia adeo, ut nescias an magis commendandam, quod in minimis subveniat, quam quod in arduis, et gravioribus opitulentur.

§. L.

Sylvanus Razzius (*de mirac. b. Virg. lib. pr. miracul.* 12), frater Moreus Olyssiponensis (*in suo Chron.* 3. *part. lib.* 5. *cap.* 3. *et seqq.*), et Petrus Galetinus protonotarius Apostolicus de vita sancti Didaci: Didacus ille sapiens, et sanctus idiota, quem in coelitum numerum Sixtus, hoc nomine quintus, retulit, unus fuit ex claris Deiparae amantibus, cuius in pervigiliis, sabbatisque omnibus, panis, et aquae ieiunium toleravit, et lampadis oleo, quae lampas in Virginis ara lucebat, quoscunque unxisset, sanabat aegrotos. Hispali in mulierem incidit vociferantem; nam furnus, ubi se eius quidam filius absconderat, a pistore prudenter incensus, non poterat non filio esse funestus. Itaque mulier dolore insana, vocibus, et querelis omnia complebat. Didacus mulieris miserius, et mandat, ut curriculo ad primarium templum eat, seque ante Dei Genitricis imaginem, cui erat Antiquae cognomen, gemebunda prosternat, fore, ut qua benignitate est, filio incensis lignis oppressae subveniat. Paret bona mulier, praescriptaque perficit, sicque Dei admiranda, venerandaque Genitrix filium mulieris extraxit illaesum. Pervulgato tanto miraculo, crevit in Deiparam amor civitatis, et illi imagini, cui nomen erat Antiquae, praecipuus honor est habitus; ubi postea multa sunt patrata miracula, nobilitandaeque imaginis in urbe tam celebri, Didacus fuit, aut ex primis, aut primus interpres. Cuius ex Balcanis ad Calycos est propagata religio per Rodericum Castrensem Hyspalis antistitem, et sanctae Romanae Ecclesiae cardinalem, qui Collegii societatis Iesu, quod Nonfortii insigne constituit, templum ipsam nostrae omnium Dominae antiquae titulo, et advocatione decoravit.

Non tacebo, ait Bonifacius, de miraculis b. Virginis, quod cuidam evenit, mirabile quidem, memoratuque dignissimum. Didici ex litteris, quas ad patrem Provincialem Monte maiorem pater Didacus Garsias, qui illo erat tempore Monfortiensis Collegii rector, misit, quem ego testem plurimi facio. Historiam nos alibi latinam fecimus, verbaque ipsa repetimus. Quidam ex nostris domesticis cum decisis negotiis, quorum causa erat a suo rectore missus, domum rediret, in altum flumen devenit, quod sine lintre transmitti non solet, Sylin accolae vocant. Cumque cymbae gubernator abesset, ratus noster hic, famulo adiuvante, qui comites omnes erant itineris, cymbam se commode esse recturum, fluvio sese non magis caute, quam animose commisit; sed ubi ad medium ventum est amnem, ubi aquarum impetus vehementior erat, frater, et famulus, licet valide remum impellerent, tamen vortice aquarum instabilem cymbam rapiente, victi, superatique cesserunt. Fratris nostri comes navigatione desperata, sese proiecit in flumen, beneque vertit, quandoquidem paulo post feliciter enatavit: noster, ne, quod extremum videbatur esse remedium, nimis cito tentaret, in lintre remansit, quae praeceps ferebatur. Enimvero, cum se aliae cuidam declivitati, quam efficit unda, praecipitans, duabus in imum gurgitem lanceis, vicinum videret esse, et aquae cadentis horrendo strepitu aures ipsae obsardescerent, periculo attonitus, se cruce signat, et clara voce pronuncial: Adsis mihi Virgo Maria, cui Antiquae cognomen; ita videlicet Dei matrem appellavit, quam sciebat nostri Collegii Monfortiensis esse patronam, et templum in eius esse tutela ex fundatoris voluntate, cum Antiquae usitato, tum Hispali, tum aliis in locis cognomento. Etenim cardinalis Rodericus a Castro Deiparam sanctissimam praecipua quadam religione veneratus est. Semper igitur in gravissimo vitae discrimine fratri nostro bono artifici opitulatus est Christus, matre Virgine deprecante: nam per salutem illam, aquarum cymba illaeso vectore descendit, nec in scopulos impegit, qui et multi, et asperi aquam ex alto labentem resilire cogebant, et spumosos fluctus resistendo frangebant. Et cum longo iam spatio temporis fluvium ubique torrentem inter errabunda sulcaret, quassata, et fatiscens in imo fundo subsedit. Frater non ignarus omnium, quibus erat perfunctus, illud gravissimum esse periculum, Virginem, communem advocatam invocare non desinit, alteraque manu strenue natantis muli frenum premens, altera remum nando, atque adnitendo, ad exoptatam ripam evasit incolumis, non sine stupore multorum, quia terra, ipsi, quem iuvare non poterant, miserati fausta, et felicia precabantur, et ancipitem nostri artificis inter undas viam, Deo, cui nihil est arduum, commendabant. Virginis adauxit res tanta illis in terris pietatem, cuius se fama dilatavit. Quis enim non miraretur, in tam longa iactatione, nam passuum sex millia per aquas emensa, nostrum sanum, et valentem suis esse fratribus restitutum? Ita Dei sanctissima Genitrix igni in puero, aqua in nostro viro mirandae fuit sospitalis effectrix.

§. LI.

Augustinus Manus (*in histor. rerum memor. in Ecclesia Dei gestarum cap.* 74): In quodam Romanae provinciae oppido, multi ex civibus odio se prosequebantur, inimicitiarum gratia. Inter ceteros autem erat ibi quidam nomine Horatius, qui multorum sibi odia concitaverat, praesertim, cum quibusdam factiosis, et ab oppido proscriptis gravissimas gerebat inimicitias, nil aliud illis quaerentibus, quam eius fundere sanguinem. Habebat hic fratrem, qui appellabatur Mutius, vir bonus, et pacis amator, qui cum religioso viro Ordinis Capuccinorum, qui eo tempore in oppido concionabatur, multa erat consuetudine coniunctus. Hic saepe concionatori referebat, quot molestias, et dispendia, et pericula propter fratrem suum pateretur: concionator autem consolabatur eum, et hortabatur, ut sub tutelam, et patrocinium b. Virginis Mariae confugeret, quae semper et omnes, qui ad eius auxilium se conferunt, protegit, et valida defensione tuetur, et contra hostes virtutem praebet, quod innumerabilibus experientiis omni tempore probatum est; docebatque illum, ut hanc coelorum Reginam diligeret, vigilaret ad fores eius, et ad aures oraret, ut inveniret salutem, et gratiam, et consuesceret saepius in die hoc modo compellare illam: Sub tuum praesidium confugimus sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus, sed a periculis cunctis libera nos semper Virgo gloriosa, et benedicta: quae quidem omnia si facere non recusasset, certo futurum esse, dicebat ille, ut re ipsa adiutricem manum experiretur, et videret, quam sit verum ipsam esse gratia plenam, aut, cum opus fuerit, et lapsos erigat, et labentes sustenet, ne cadant, omnesque eius patrocinium sentiant, qui eam diligunt, et eius commemorationem celebrant. Secutus est iuvenis consilium admonentis, et quanto maiore poterat cordis ardore orabat, et saepius in die antiphonam: *Sub tuum praesidium confugimus*, ingeminabat. Contigit autem, ut prima quadragesimae hebdomada hostes supradicti, qui Horatium, et propter Horatium, Mutium etiam persequebantur, facerent cuniculos ignivomos subterraneos subtus Horatii, et Mutii domum, ut ex illis ignis erumpens, domum, et habitatores everteret. Sed Virgo misericordiae suae memor, devotum Mutii animum respiciens, ab imminenti ruina Mutium, et domum suam eripuit: nam insidiator ignis, totam domum subversurus, modicum tantum cuiusdam parietis partem nocturno tempore disiecit, ita ut aliqui tantum lapides, et calcis fragmenta dum caderent, iuxta cubicula pervenerint, ubi viri, et mulieres, et tota domus familia dormiebat; ut appararet, quantam ignis ruinam afferre potuisset, si prohibitus desuper non fuisset, et ut inimica fraus appareret, sed non noceret. Cum autem crastina fulsisset hora, trepidi omnes ad ecclesiam accesserunt, id est, ad agendas gratias. Mutius autem confestim ad concionatorem festinans, narravit illi, quanta fecisset Virgo beata pro sua, suaeque domus incolumitate. Quamobrem concionator iterum hortatus est illum, ut in devotione beatae Virginis totus esset, antiphonam illam saepius in die frequentans: ita enim futurum esse, ut inimici eius praevalere nulla ratione possent contra illum, qui tam fortem haberet patronam, et terribilem, ut castrorum aciem ordinatam. Pauci dies pertransierant, quando Mutius forte fortuna venerat iuxta quendam lacum, ibique substiterat, ut ferream fistulam concinnaret, cui iam rotam extraxerat: oculos autem convertens, conspicit fratris sui inimicos amaro animo adversus ipsum properantes, et pedes velociter convertentes ad effundendum sanguinem eius, conspiraverant enim, ut eum trucidarent; quos, ut vidit, ut fugeret manus eorum, ingressus est in naviculam, quam iuxta litus paratam invenit. Dum autem remis eam impelleret, supradictam orationem: *Sub tuum praesidium confugimus*, coram beata Virgine, dicere non cessabat. Hostes autem in littore stantes, contra fugientem, plumbeas glandes a ferrea fistula, ignis vi emissas iaculabantur. Percussit plumbeus globus peram, quam Mutius gestabat: sensit ille ictum, sed quoniam plumbi laminam habebat in pera, ex qua globulos facere solebat, ictus non penetravit. Ipse autem eo fidentius in oratione perseverans, commendabat suam beatae Virgini salutem, et antiphonam ingeminabat: orabat ipse: ignea tela contra ipsum contorquebant illi: ipse pulsabat coelum, illi feriebant viscera eius. Mirabile dictu, ignei globuli crebris ictibus pallium, sagum, et subaculae manicas ubique perforaverant, et tamen carnem eius tangere, aut aliquo modo laedere non potuerunt. Interim ipse remis cymbam propellens, ab oculis inimicorum longius recessit, et elapsus est, beata Virgine protegente; quoniam bona, quoniam pia, quoniam in saeculum gratiae, et misericordiae eius.

§. LII.

Idem auctor (*eod. libro capit.* 79): In Hispania in Cantabriae regno, in quadam civitate erat templum insigne Virgini Mariae Matri Iesu Christi dedicatum, in quo ipsa gratiarum divinarum indeficiens fons innumerabiles gratias in usum mortalium profundebat. Est in dicta ecclesia elegantissima beatae Virginis imago, anaglyphicum opus, ornata omni lapide pretioso, habens argenteas in pedibus crepidas pretiosissimas. Erat autem in regionibus illis vir quidam satis probus, et erga beatam Virginem devotus, qui in paupertate constitutus, et nihil habens in bonis, filios, filiasque suas, et reliquam domus suae familiam prae paupertate alere non poterat. Consueverat hic frequenter ante praedictam imaginem orare, et omni studio seipsum, et familiam suam sanctissimae Virgini in coelis regnanti commendare; ostendebatque ei, quae misericordiae mater est, quantae essent familiae suae necessitates, quantae essent ipsius Virginis gratiae, quibus plena semper fuit, semperque erit. Con-

tigit autem quodam tempore, ut gravi necessitate premeretur, ita ut familiola sua pene fame periret. Cum autem non haberet, ad quem confugeret, confugit ad eam, quae est adiutrix inopum, et refugium pauperum. Venit igitur in dictam ecclesiam, et genua flectens ante dictam imaginem, fidenti animo, humili oratione, coelestem Reginam obsecravit, ut misericordes oculos ad ipsum converteret, et misereretur familiae suae, in extrema inopia constitutae; neque pateretur, aut fame omnes mori, aut filias suas necessitate compulsas corporis pudicitiam quaestui exponere, eodemque tempore honoris, et animae iacturam facere. Cum sic orasset, videt, ecce, imaginem illam alterum extendere pedem, et crepidam argenteam proficere in terram ante faciem ipsius, gestibusque blandis invitare eam, ut argentum acciperet, venderet, et de pretio esurientem familiam sustentaret. Accepit ille magnificum munus libens, et gratias agens, profectus est ad aurificem, ut venderet eam; sed artifex certo credens, hominem illum argenteam crepidam sacrilega manu suffuratum fuisse, rem ad iudicem detulit, cuius mandato captus pauper, et in carcerem coniectus, et interrogatus, cum innocentiam suam probare non posset, condemnatus est, ut more latronum vitam suspendio terminaret. Cumque duceretur ad carnificinam, et per viam, ubi beatae Virginis manebat ecclesia, in qua crepidam furatus credebatur, lacrymans, rogavit milites ducentes illum, ut saltem permitterent ei, ut in hac hora mortis suae, ingrediens ecclesiam, oraret aliquantulum ante Virginis imaginem; quod cum ei concessum fuisset, ante imaginem prostratus, et lacrymis rigans pavimentum, haec oravit audiente turba: o Dei Mater, ecce, ut vides, dulcor ad mortem opprobrio plenam propter amorem erga me tuum, propter amorem erga te meum: dum enim in te sperans, et te diligens, necessitates meas tibi notas facio, et tu mei miserans, mihi compatiens, denudasti pedem tuum, ut meam tegeres nuditatem; en morior, et quod largita es ad vitam, operatur ad mortem; sed nunc, Virgo potentissima, accinge te, et defende me, ostende tuam potentiam, et meam innocentiam, eripe animam meam de manu angustiae, quoniam circumdederunt me dolores mortis, et non est, qui adiuvet, tibi derelictus est pauper, misero tu eris adiutrix; ne ergo confundas me ab expectatione mea. Dum haec miserabilis vir in conspectu astantis turbae loqueretur, ecce iterum imago illa Virginis alterum pedem ad tradendam alteram argenteam crepidam exporrexit, quae cecidit ante pauperem virum, ut oblato secundo munere, primum confirmaretur, et ex nova, et evidenti beneficentia pauperis hominis omnibus appareret innocentia. Sed populus, qui convenerat, et viderat prodigium magnum, incepit acclamare, ut liberaretur, et a militibus ad gubernatorem deductus, liberatus fuit. Civitatis vero illius communitas haec audiens, et admirans, quod factum fuerat, nubiles pauperis filias dotavit, et nuptui tradidit, certumque proventum pauperi constituit, ut reliquam familiam alere posset, et viveret. Verum ipse tam excellentis gratiae memor, omnibus diebus vitae suae propter b. Virginis amorem illi ecclesiae deservire voluit. Referebat haec sacerdos Hispanus, ob probitatem suam fide dignus, qui asserebat, se miraculum vidisse: erat enim ex illa civitate oriundus, ubi miraculum factum est.

§. LIII.

Idem (*eod. libro cap.* 80): Quaedam mulier satis formosa vitam meretricam in urbe vivebat, quae cum singulis diebus peccare non vereretur, sabbati tamen diem propter beatae Virginis amorem nunquam se violaturam fornicando proposuerat; quod cum diu inviolabiliter observasset, et multis procaciter sollicitantibus semper constantius restitisset, b. Virgo misericordiae mater, inter media mulieris peccata illius, qualemcunque animi devotionem non contempsit, sed illi odium peccandi a Deo impetravit. Unde mulier, ut nec sabbato, nec aliquo die peccare posset, monasterium Conversarum meretricum ingredi deliberavit, et cum dolem, quae monasterio dari ab ingredientibus consueverat, non haberet, ingressum retardabat. Interim ingreditur ad eam vir natione Anglus, qui eam illam rogaret, ut libidini eius obsequeretur, et esset sabbati dies, negavit illa, se unquam die illa peccaturam; imo se, ut nullo tempore Deum offenderet, constituisse religiosam vitam in monasterio Conversarum acturam; sed plurimum tristari, id se quam primum facere non posse, cum satis dotis non haberet. Quod cum ille audivisset, quanquam libidine fervens, pietate motus, mulieris animum laudans, spopondit, sese quicquid ei dersset, libenter daturum, si propositum adimplere vellet. Accepit illa viri fidem, et oblimens ab eo aureos quotquot habebat necessarios, religionis habitum, et professionem suscepit anno millesimo sexcentesimo primo in mense Iunii. Mirum est, quantum peccatoribus suffragentur aliquae devotiones in Virginis honorem factae.

§. LIV.

Idem (*eod. libro n.* 80) refert ex Tursel. (*lib.* 3. *histor. capit.* 18), haec quae sequuntur: Non est, qui se abscondat a calore gratiarum Virginis huius: undique enim fluunt, ita ut nec barbari ipsi beatae Virginis opis expertes fuerint. Corcutus Turcarum praetor, Bassam ipsi vocant, anno 1552. Constantinopoli cum esset, ex gravi, occulteque pectoris apostemate ad extremum venerat vitae discrimen: apud eum servitutem serviebat quidam Christianus, vir bonus, ac pius, qui domini periculum suae libertatis occasionem ratus, praetorem adit moribundum, et de beatae Mariae Lauretanae mirabili vi in morbis cuiusque generis depellendis edoctum, bonae implet spei. Igitur haud

aegre eum impulit, ut secum Lauretanam Virginem invocaret, vovens, si morbum depulisset, se in eius gratiam illi servo libertatem daturum. Nec servus dominum, nec Maria pium servum fefellit; protinus diruplo apostemate, praetor sanatur, et extitit ab eo quoque fides. Extemplo servum illum libertate donatum cum litteris, ac muneribus Lauretum ad Virginem destinat. Munera fuerunt mantile egregio opere, ingentes cerei, argenti vis non parva, arcus, et pharetra praeclara, cum sagittis; non tam pretio, quam donorum novitate, donantisque admiratione grata, et accepta. Erat illa tempestate Laureti Praeses, Gaspar Doctus Venetus: is ceteris donis super aram positis, arcum, pharetramque suspendi in sacrosanctae Cellae vestibulo iussit. Rei ad posteros monumentum attulerat is quae dixi, Bassae libertus, miraculi testimonium, chirographum patroni sui; quod Gaspar ex Arabico in vernaculam linguam conversum, ad posteritatis memoriam asservari voluit. Id autem latine versum erat huiusmodi: Quod bonum fortunatumque nobis esse velit magnus, ac misericors mundi Dominus. Cum mihi ipsi divinitus quiddam evenerit, ego Corcut Bassa, ne meo desim officio, tantaeque rei monumentum aliquod posteris extet, rem omnem ordine ponam: ortum erat atrox apostema nobis in pectore, iamque haud dubium imminebat exitium, cum desperata a medicis salute, meus me servus adiit, et sane fidenter; si mihi libertatem polliceris, inquit, Dei mei Matrem exorabo, ut pristinam tibi restituat valetudinem. Itaque ego confestim, accersito tabellione, libertatem ei repromisi, si ipse promissa praestaret. Extemplo servus positis humi genibus, et quaedam super se signa ducens manu, rogitat, ut semet verbo praeeuntem sequar; inde ipse praeire his verbis coepit: Ego beatae Mariae Lauretanae opem imploro: Monenti obsecutus, triduo post Deo favente, convalui, et servo in libertatem vindicato, hoc chirographum dedi cum votivis donis, quae meae observantiae, gratique animi monumenta sint, beatae Mariae praepotentis Dei, qui nos salvos velit.

§. LV.

Ferdinandus a Castello Ordinis Praedicatorum (*in historia generali sanct. Dominici, et Ordinis eius part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 72): Ægidius quidam natione Lusitanus, natus est ex parente nobili, qui erat Consiliarius regis don Sancii, et gubernator Colimbriae: huius viri vitae progressus extitit per omnia singularis, dum enim adhuc adolescens esset, diligentia sua factus clericus, tres obtinuit canonicatus, sed non ut clericus, qui in sortem Domini se dedit, vivebat: suscepit enim vitae genus ab omni honestate, et virtute alienum, ita ut omnium oculos prae turpitudine offenderet: quicquid autem ex proventibus eius comparabat, totum in illis rebus consumebat, quae divilibus, otiosisque adolescentibus amabiles esse solent, quando propriis affectibus, et immoderatis passionibus trahuntur. Interim tamen logicae, philosophiae, et medicinae operam dedit, in qua tanta attentione, et animi curiositate se habebat, quantam habere potest anima inquieta, sicut anima eius erat. Huiusmodi autem curiositas discendi fuit sibi multorum malorum occasio: quapropter e Lusitania discedens, ad famosissimam Parisiorum Academiam proficisci decrevit. Daemon hanc occasionem accepit, ut iuvenem hunc funditus perderet, persuasitque ei, ut necromantiae artem addisceret, quae eo tempore, sicut ferebatur, Toleti in obscura quadam, et secreta spelunca docebatur. Cumque animo suo magna evolveret, arbitraretur hac via posse se consequi multa quae animo suo arriderent; daemon, qui huiusmodi phantasias suggerebat, apparuit ei in via in similitudinem viatoris, et post multos sermones, tanta ei familiaritate coniunctus est, ut iuvenis non timuerit ei enarrare animi sui cogitationes, seque proficisci Parisios, ut egregius medicus evaderet: quae cum audivisset daemon, aliam scientiam, inquit, tibi proficuam, atque perutilem indicabo, quam si didiceris, futurum est ut animos omnium ad te diligendum convertas; atque etiam opes, ac facultates aliorum acquiras, et indulgere voluptatibus possis, quotquot mundus habet. Cum enim iuvenis sis, atque nobilis, nunc tempus est, ut vitae genus suscipias perincundum, ex quo gloriam, et honorem in mundo recipias, id quod medicinae operam dando, et curis aegrotorum incumbens, consequi non poteris. Idque eo libentius facere debes, quo si scientiam, de qua tibi loquor, didiceris, non solum habebis, quod a me tibi dictum est, sed arcana medicinae admiranda intelliges; haec autem est necromantia: quae, praeterquam quod maiorem fructum affert, facilius etiam addiscitur. Iuvenis ea, quae a simulato comite dicebantur, multa animi sui voluptate audivit, tanquam ille, qui cum minus cogitaret, visus est sibi ipsi ultro offerri, quod tantopere desiderabat. Igitur ambo iter arripuerunt, ut ad eum locum perveniret, ubi illa ars docebatur. Cumque Toleto appropinquarent, obviam habuerunt ministros quosdam, hominum specie ex inferno profectos, qui expectabant eos; a quibus benigne, et laeto vultu excepti sunt multis amicitiae significationibus. Deinde secreta sollicitudine, iuvenem ad antrum quoddam perduxerunt, ubi facultas haec diabolica docebatur; in quam cum ingressi fuissent, audivit iuvenis, quas conditiones observare deberent quicunque admitterentur ad magna illa arcana perdiscenda. Prima autem erat, ut relicta lege divina, subiiceretur penitus imperio, et dominio docentis daemonis, qui scientiae illius ordinarius erat magister. Secunda autem erat, ut fidem denegaret, et baptisma. Tertia, ut chirographum scriberet atramento sanguinis sui, in quo daemoni se inserviturum policeretur. Iuvenis, qui nihil cogitabat, nisi quod volebat, et duce sensu res agebat, factus fuerat suorum affectuum, et voluptatum infelix mancipium, propter infanda vitia sua a Deo derelictus, et datus in reprobum sensum, consensit omnibus, quae dice-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

bantur:scripsit proprio sanguine chirographum, seque in potestatem daemonis dedit; sed Deus, qui ex terra foeculenta novit extrahere thesauros, in perditissimo iuvene ostendit misericordias suas, ne corripiens eum, ut ultionem exercens in media peccatorum colluvie, sicut contra alios ex sociis eius fecerat, quos dum reliqueret, morti tradidit, sed mores eius sustinuit usque ad praefinitum tempus. Exactis illis annis, iterum cogitavit Parisios proficisci, ut ibi Doctoratus lauream susciperet in facultate medicinae, quod postea, relicta diabolica schola, executus est. Contigit autem, ut medicinae, et necromantiae arte functus, brevi temporis spatio famosus evaderet, vivebatque interim secundum cordis sui concupiscentias. Camque hoc modo in hac miseria perseveraret, Deus de coelo prospexit; et sicut moris est eius, misericordia motus, ex inextricabilibus laqueis eum eruere voluit.Res autem hoc modo gesta est. Quadam die cum solus domi suae in bibliotheca sua permaneret, apparuit ei fortissimus eques, et ferox, aspectuque terribilis, qui super equum ferum sedens, lanceam, quam in manu gestabat, contra eum convertit, ut eum percuteret; terribilique voce insurrexit in eum, dicens: muta sceleste, muta scelesta mores. Hoc viso spectro, Ægidius obriguit, et perterrefactus est; sed, ut qui erat intimus in vitiorum profundo, et ebrius in iniquitatibus suis, proprisque involutum peccatis, paulo post ab animo eius timor ille discessit, non considerans, quid terribilis illa admonitio portenderet: quousque tribus diebus praeteritis, eodem loco, et modo apparuit et tremendus ille eques, qui sibi prius apparuerat magis indignatus, quam prius, qui furore plenus, eadem verba profatus est: sceleste, muta sceleste statum tuum, muta vitam tuam: cui Ægidius territus, erravi, inquit, tibi Domine non obtemperans, cum me prius admonuisses: nunc faciam, quod iubes. Tunc eques illa lancea pectus eius percussit, non ut feriret, et occideret, sed ut sanaret, et vitam daret: illius enim ictus virtus pervenit ad cor eius, tantaque virtute eum commutavit, ut amplius non esset, qui fuerat, deindeque eques amplius non apparuit. Iuvenis nullam moram traxit, ut responderet supremae vocationi; et quanquam tunc quartana febre laboraret, Lusitaniam versus profectus est, ut in aliqua religione se constitueret, ubi peccatorum suorum poenitentiam agere posset.Cum autem ulteriorem Hesperiam perambulasset, vespere pervenit Palentiam: forte fortuna audivit in hac civitate fabricari monasterium Fratribus novi Ordinis Praedicatorum, quapropter, propter famam sanctitatis, quae de illis Patribus ubique percrebuerat, priusquam ulterius progrederetur, patres illos visitare decrevit, quos occupatos, et fractos laboribus aedificationis invenit:videnque illos portare lateres,et calcem, ligna, et ferramenta pro fabrica construenda, ac si mercede conducti essent, Ordinem illum adamavit, persuasus praecipue tantae humilitatis exemplo: sequenti die alloculus est monasterii priorem, cui etiam peccata sua confessus est: petiitque ab eis, ut religionis habitum sibi impertirent, qui magna promptitudine ab illis Patribus sibi concessus est, remisitque famulos suos in Lusitaniam, scribens ad patrem suum epistolam, certioremque eum faciens deliberationis suae. Permansit in eo monasterio totum annum novitiatus sui, fuitque mirificus profectus, qui miserante Deo, ab illo in morum disciplina factus est, nam religionis austeritas maxime tunc temporis in eo loco florebat: omnes enim laborabant manibus die, noctuque, alii in audiendis confessionibus, alii in verbo Dei disseminando, omnesque orationibus, aliisque spiritualibus exercitiis operam dabant: non comedebant praeterquam panem, atque herbarum ferculum, absque aliquo condimento; nihilominus tamen, iuvenis tantam corporis sanitatem obtinuit, et corde ita erat alacer, ac si omnibus mundi voluptatibus, atque deliciis potitus fuisset. A principio autem, cum in vita delicata enutritus fuisset, in omnium rerum opulentia, magnas difficultates, et tentationes sustinuit, quas ipse confessario suo revelavit, et consolationem suscepit, semper Dominum rogans, ut et vires praeberet, ut proviniam susceptam ad finem adducere posset. Erat ipse natura sua hilaris, et sociabilis, multumque diligebat loca, et nugas, quae, sicut semper cordibus magnani spiritus ariditatem impertiunt, ita ut plurimum animis sunt ruinarum causa, quorum alimentum in vita spirituali est devotio in Deum, recessus a mundo, silentium, solitudo, cum oratione meditatio, sine quibus spiritus devotionem maiorem non habebunt, quam habeat aridum lignum. Adiuvit ille fragilitatem suam iterum promittens, se facturum, quod prius spoponderat, accendensque animum ad certamen, ut pravam naturam virtuti subderet.Quapropter, favore divino, tantam concupiscentiarum, a quibus impugnabatur, moderationem obtinuit, pacemque cordis, et spiritus quietem adeptus est, ut nihil magis cum delectaret, quam silentium, solitudo, clausura, et quicquid denique prius naturae eius adversabatur, ad tantamque perfectionem pervenit, ut frater Umbertus generalis totius Ordinis Minister, qui multo tempore cum illo cohabitaverat, assereret, ex ore Ægidii verbum inordinatum exire se nunquam audivisse: semper enim colloquebatur, ut afflictam alicuius animam consolaretur, aut, ut magnalia Dei enarraret, aut profunda humilitate taceret: et quanquam esset excellentissimus medicus, non tamen aegritudinibus suis remedia sibi componebat, sed in omnibus obtemperabat illi, qui sui curam gerebat, quanquam animadverteret aliquando, parum esse sibi utilia, quae iniungebantur. Quocirca magis magisque de die in diem proficiendo, progrediebatur, et in sanctis exercitiis perseverabat: addebat orationi orationem, humilitati humilitatem, silentium silentio, et poenitentiam poenitentiae, nulli rei parcens, quae rigida, et austera esset: ferream catenam circa carnes gerebat, quae usque hodie in monasterio, ubi sepultus est, in testimonium virtutis eius, conservatur. Ceterum extremo dolore conficiebatur propter chirographum illud, in quo seipsum diabolo devoverat in illa spe-

luuca, in qua exitialem artem didicerat. Quapropter se fletibus macerabat, et meditabatur, qua ratione ex diaboli manibus apocham suam, suo sanguine scriptam, eripere posset. Millies orabat, et suspiriis anhelantibus petebat a Deo, ut concederet sibi petitionem cordis sui. Contulit se ad orandam Virginem beatam, terribilem diabolo, afflictorumque consolatricem, provolvebat sese ad pedes eius, pronunciabat lamenta poenitentiae, et fleus ante ipsam, rogabat eniXe, ut intercederet apud omnipotentem Filium, cui parent omnia, cui genuflectuntur inferorum genua, et nutu perterrefacit tartara, pro apocha recuperanda; ne forsan mortis tempore apocham illam superbus daemon contra ipsum produceret. Quadam die in loco quodam monasterii sui, ubi erat capella quaedam, ab ea parte, in qua campanarum funes pendebant, devotissime orabat, cum nequiliae princeps mugiens, et ululans, et formidabili sonitu aerem verberans, visibiliter apparet illi, et nefandis verbis, et ignominiae plenis eum compellans, vocat ipsum proditorem, mendacem, apostatam, et perfidum, et foedifragum, et secreta documenta, quibus eum instruxerat, et gloriae opinionem, quam per illa apud homines acquisierat, improperat, et voluptuosam vitam, et deliciis plenam, quam illi procuraverat, obiicit, conqueriturque, se ad restituendum, quod suum est, cogi, deinde minas intentat in gentes, et maledicens eum, evanuit; et statim apocha illa per aerem volitare visa est, decidereque in terram; quam cum arripuisset, coram Deo, et beata Virgine provolutus, partim propter memoriam commissi sceleris dolens, partim propter ereptam ex manibus daemonis apocham, alacer, et prae gaudio plorans, gratias ingentes optimo Deo, et sanctissimae Virgini agit de recepto beneficio, quoniam eripuisset eum de inimicis eius, et de manu omnium, qui oderant eum. Ut hinc appareat, quam detestabile sit per maleficas artes quaerere ab inimico daemone, omnium malorum auctore, provenire sibi bona, et recedere a Deo suo, a quo solo omne datum optimum, et omne donum perfectum cum magna plenitudine in mortales descendit.

§. LVI.

Hieronymus Taxius ex familia Praedicatorum theologiae magister (*in lib.de Rosar.*):Zamorensis quidam iuvenis, et genere, et doctrina claris, et sacrae Scripturae intelligens, cum Dominicanos Patres de sacro beatae Dei parentis Rosario magnifica praedicantes audisset, ex initialis unus esse voluit, et in sodalium adlectus numerum, almae Matri precationes ex sancto illo funiculo quotidianas, statasque persolvit. Anno autem Domini 1530. in Italiam navigans, captus est a praedonibus, Algeriumque perductus, Ænobarbo archypiratae triennio servivit: quo tempore Rosarii consueti neque memoriam deposuit, neque usum intermisit: nam captivus, et servus, operisque distentus, eandem in recitando, quam solutus et liber, diligentiam adhibuit; haud ignarus non modo ad animi salutem, sed ad corporis etiam libertatem, illud iter esse directum: nam suorum tenuitatis, et indigentiae conscius, de pecuniaria redemptione diffidebat, maxime cum rex ille barbarus pro libertate immane pretium exigeret, cui solvendo fortunae paternae non essent. Igitur humanis opibus desperatis, Virgineum numen implorat, liberationemque a communi Christianorum parente deposcit, non tam vitae suavioris desiderio, quam verae salutis studio; metuebat enim, ne vel minis, vel promissis christianam fidem evitare cogeretur, adeo ut servitutis intolerandos labores parvi duceret pro illo dolore, quem ex sui animi statu capiebat: nam, ut scite Tullius, aliud est laborare, aliud dolere. Cum onera ferebat, agros colebat, humi cubabat, vigilabat, ac vix saturandae fami cibario fragmenta suppeditabant, tum se laborare arbitrabatur, ac corpore tantum defatigari; cum vero inter Mahometanos, et Christiani nominis hostes acerrimos se versari meminerat, et fidei causam laedi posse videbat, sempiternaeque salutis imminere discrimen, apud animum cogitabat, tum dolor intimus cor adolescentis cruciabat. Quamobrem suorum Christianorum desiderabat terras, et quo liberius Filio, Matrique serviret, ac periclitandae religionis metum deponeret, ex perfida Africa ad fidelem Europae partem, Hispaniam redire cupiebat. Itaque consilio cum quodam altero captivo, quem diligebat, communicato, et in eandem adducto sententiam, de fuga consentiunt, compedes dissecant, ac se in viam illam dare decernunt, qua ad novae Numidae urbem itur, quae Bagia hodie dicitur, Neptunique aras vocavit antiquitas: nullus panis, nulla cibaria, quod devium, tortuosumque iter faciendum fuit, ut se persequentes fallere possent: herbis famem, sitim aqua pellebant, latitare luce, nec se loco movere, in tenebris ambulare, ac progredi, et ad regna Christiana cursu contendere. Rex barbarus interea fremere, vias omnes obsidendas curare, missis mille cursoribus persequi fugientes; sed nihil est tamen effectum, suos viatores Virgine defendente.Quin et eiusdem ope, ac praesidio, quam frequenter appellabant, praelatis manu Rosariis, duos navigabiles fluvios nando transmiserunt.Ventum est denique ad urbem, quae Bagia, ut diximus, vulgari nomine compellatur, quae a nostris illa tenebatur aetate. Ibi a fuga trepida, et sollicita, maximisque laboribus itineris recreati, quid inter Christianos, et Mahometanos interesset, intelligunt, reque ipsa condiscunt, seque ex Maurorum servitute ereptos, Rosarii beneficio, testificari multorum animos salutaris illius precationis, quae piacularibus globulis efficitur, religiose compleverunt; ipseque adolescens Zamosae natus, ut diximus, in laudem benemeritae Virginis opus exornavit, quod Hieronymo Taxio facti huius historico, et aliis eiusdem familiae viris perdoctis recitavit. Gesta haec tanta res est anno 34. supra sexquimillesimum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

§. LVII.

Edinerus Anglus (*in vit. s. Anselm.*), cuius domesticus fuit ipse Edinerus (*lib* 2): Gulielmo Angliae regi iniquissima cum d. Anselmo discordia fuit: hoc, pro Ecclesia propugnante, illo, Ecclesiae iura violante. Quare Anselmo pacis causa ex Angliae finibus excedendum fuit: ita tamen, ut discedens, iniuriose regi bene precaretur, ipseque Princeps, ceteroquin superbus, atque impius, abeuntis Anselmi salutationem extremam libenter acciperet, seque et a s.Viro, cui erat inimicus, manu signari, et suis rebus benedici non gravaretur. In Gallia, et in Italia, quas duas in exilio provincias peragravit, pro eo, ac meritus erat, et a principibus, et a Romano Pontifice tractabatur. Cumque illo ipso tempore Rogerius Apuliae regulus urbem Capuam obsideret, Anselmi fama permotus, sanctum Archiepiscopum ad se precibus accersivit. Fecit, quod rogabatur, Anselmus homo levissimus, et valde officiosus, multosque dies Rogerii non modo hospes fuit, sed consiliarius etiam, et salubris adhortator. Sacra quaedam aedicula deserta, et infrequens Anselmo, et sociis a Rogerio datur, ubi remotus a turba, et tumultu perstrepentis exercitus quietus habitavit. Aderat Edinerus, qui haec literis mandavit, testis oculatus. Quadam nocte sociis, ministrisque dormientibus, Anselmum vel necessitas coegit exire, vel voluntas invitavit liberioris coeli suspectu, qui mentem ad alta convertit, lentoque pede, ne suos excitaret, perrexit ad ostium; cumque egressus, fossae profundae immemor, ad destinatum locum properaret, in barathrum decidit, altissimamque voraginem, in ipsaque ruina sanctissimam Deiparam, quam amabat, et scriptis ornarat, contentione maxima vocis appellavit. Contubernales accurrunt, adest ipse, quem dixi, individuus comes, Edinerus, Anselmum accensis luminibus in depressam altitudinem demersum vident. Omnibus animus prae horrore, et stupore defecit. Id Anselmus animadvertens, nihil se mali accepisse clamat, bonoque esse amicos animo iubet. Hac voce recreati descendunt, qua parte ad praecipitium aliquis se aditus ostendebat, suorumque manibus sanctus praesul, valens, et sanus extrahitur. Iniurias Anselmo illatas rex impius Uvillelmus non tulit importune: cum enim venerationi intentus, feras capiaret avidus, sagitta in corde perculitur, quae eum, nulla interposita mora, necavit: repentinae, ac dirae mortis accepto hoc nuncio, acerbissime flevit Anselmus, Davidis exemplo, qui sui vexatoris Absalonis miserabilem interitum tristissime deploravit.

§. LVIII.

Nicephorus Calixtus (*histor. lib.* 15. *cap.* 25. *et* 26): Constantinopolitana suburbia, pratorum, et florum viriditate peramoena fuerunt, illa praesertim, quae ad aureum urbis portam respectabant: ab specie camporum ita fortasse dictam, qui se porta illa egressis offerebant. Augebat voluptatem fons uberrimus, qui locum variis arboribus, et platanis praecipuo consitum irrigabat; sed iniuria temporis fontem terra aggesta conclusit, et aquae meatus ita obturavit, ut salutaris undae nihil prorsus affluereet. Tantum in humo venae latentis vestigium apparebat, quin et ipsa arborum densitas fontis aditum obscuravit. Haec loca cum Graecus ille Leo, qui Sapientis est cognomen adeptus, animi relaxandi gratia solus, ac tacitus peragraret, in hominem incidit, oculis captum, ac viae prorsus ignarum. Huic se itineris ducem Leo praebet, homo comis, et plane misericors. Confecto viae aliquanto spatio coecus sitire se dicit, ac misere defatigari, Leonemque rogat, ut vel umbram quaerat desiderari levamentum, sitisque solatium. Leo sylvam, nemusque perlustrat, fontem sollicite quaerit, humorisque indicia secutus, laticem pervestigat, ubi nihil invenit; ad coecum, quem sub arboris umbra reliquerat, moestus redit, ac tristis. Hic coelitus audita vox est, aquam in propinquo esse contestans. Quare fontem denuo vir bonus Leo officiosus inquirit. Quo minus inveniat, arborum oppositus, et coeni profundioris interiecta moles obsistit. Desperantem vox iterum audita confirmat. Leo imperator densum istum, et umbrosum locum ingressus, turbidam aquam hauritio, ea aegri hominis sitim recreato, coenosum dein lutum in manus sumito, coeci coecos oculos inungas, facito: quae vero ipsa sim prope diem cognosces, et loci istius, et ampli iam possessor imperii, quin et aedem mihi ibidem consecrabis, in qua verser, immorer, habitem, et me invocantibus postulata concedam. Nihil est enim, quod meae potestati queat obsistere, velit, nolit. Cessatus est daemon, et morbus suapte natura insanabilis, me volente, curabitur. Leo, verborum omnium memor, coenum eduxit, aquam hausit, utrumque reportat ad coecum, parum, aut nihil de remedio laborantem: nam prope iacebat exanimis, et morti valde vicinus, adeo sitis spiritum hauserat, aut mentem saeva confuderat, et cum faucibus aridam infudisset, et oculos luto illinisset, depulsa caecitas est, et vita restituta, quam pene videbatur amisisse. Non multo post Leo et pius, et sapiens ex Virginis praedictione ad imperiale fastigium evectus, tanti huius miraculi loco repurgato, fontis venam aperuit, atque inibi templum praegrande construxit, cuius ea forma, descriptioque fuit, ut media operis pars e terra emineret, tantumdem sub terra lateret, quadranguli figuram moles tota conformabat, latitudinem longitudo vincebat. Fabrica luminosa fuit, fonsque ipse in medio templo, intromissa per crebra specularia luce, mirabiliter effulgebat. Tholus in alta, et rotunda testudine sublimis pendebat, cuius tanta erat, tum claritas, tum pulchritudo, ut fulgurantí coelo similis esse videretur. Gradus etiam quosdam architectandos Leo curavit Augustus, per quos descenderetur ad fontem; ex quibus alii quadrati erant, alii semicirculi figuram referebant. Additi sunt marmorei cancelli, quibus homines

sive ascendunt, sive descendunt, niterentur. Fons ipse aquae perennis perlucidae, atque ita frigidae, ut gelidilas nunquam offenderet, apposita phyala concava, per quam aqua fundebatur more canalis, aderat labrum aquantibus opportunum. Habita etiam ratio est illius limi salutaris, cuniculusque sub terram actus, in omnem aedem pertinebat. Patebant superni duo cava foramina, unde lustrale lutum vasculo in modum cochlearis concavo, ad multorum medicinam trahebatur: aquae mira temperies, ut diximus, et admiranda communitas: talis enim cuique erat, qualem quisque voluisset, ut, Nicephoro teste, decantatum illud manna imitari videretur. Res quasvis adversas, atque contrarias haec aqua curabat: nam morbosa frigida radice fons hic frigidus depellebat. Igitur Constantinopolis Deiparam salutis effectricem ad hunc fontem veniens, agnoscebat, et Sylceam paludem se habere gloriabatur. Ex aedibus autem sacris, quas Leo Augustus erexit, haec tenet principatum. Huic splendori proxime accessit, quam ad eiusdem Mariae Virginis laudem idem Leo huius nominis primus excitavit, ut in ea Deiparae vestem reponerel, Hierosolymis allatam, quam innumerabilia signa coelitus decorarunt; de cuius vestis inventione pulchram Nicephorus narrat historiam; habet eandem Metaphrastes; numerat haec aedificia Procopius, et virginalem Leonis cum fonte basilicam celeris omnibus anteponit. Felix hic Leo fuisset omnino, si Zenonem, Imperii pestem, non generum adoptasset, de quo tamen quiddam narrat Sophronius, quod ad historiam facit virginalem. Eripuerat cuidam matronae filiam haereticus Zeno libidini saliandae, quae in divae Matris templum assidue veniebat, et cum lacrymis Dei Genitricem illis verbis obsecrabat: vindica me de Zenone imperatore, qui mihi filiam meam rapuit, filiae pudorem. Cum ergo in Deiparae sacram aedem saepe veniret, et has easdem preces iteraret, Virgo virginum illi se per visum demonstravit: de ultione inquiens, quam efflagitas, laboravi, sed eius fuit impedimento manus: erat enim Zeno misericors, et eleemosynas multas erogabat. Sed quae distulit supplicium Deo, et hominibus ab improbissimo Imperatore factas, non tulit iniurias, quas poenis luit, et luet sempiternis.

§. LIX.

Sophronius Hierosolymitanus Episcopus in Concilium Nicaenum secundum (*Act.* 4) hanc agnoscit historiam, Damascenus de imaginibus, menologia orientalis Ecclesiae, occidentalis martyrologia: Ægyptiaca illa Maria, cuius in vulgus cognomen est notum, plurimos annos libidini, impudicitiaeque servivit, rebusque usa venereis, turpitudini fraena laxavit: sed qui ad Magdalenam respexit, huius etiam misertus est Deus; quo adiutore, peregrinationem ad sacram Solymorum urbem suscepit, quam toto ex orbe Christiani propter nostri liberatoris, ac vindicis mortem, crucem, et sepulturam, piis et votis, et itineribus frequentabant. Ibat quidem impudica meretrix scortandi animo, ac sese multis in urbe celeberrima pervulgandi; Dei tamen infinita bonitas meliora, salubrioraque providit. Adita iam Hierosolyma, cum in religiosissimum Christianorum illud templum vellet intrare, virosque lenociniis captos, auro, argentoque, et virtutum thesauro longe pertiosiore privatura, perspiceret, pedem frustra tentat inferre: nam ingredi conantem vis quaedam divina repulit; iterum, ac saepius intrare cupientem eadem illa virtus divina retardavit: cumque a templi valvis, ac foribus divinitus se cerneret prohiberi, ac secum tacite causam investigaret, libidinosae, obscenaeque vitae infamia sese primo oculis mentis ostendit, et colluvio flagitiorum, quorum sibi conscia, se agnoscere, et vitae superioris errata longo intervallo lamentari coepit. Ergo Deiparae imaginem, quae in templum ingressuris prima patebat, oculos, et vultum prima sustulit, et in hunc modum flens, atque ciulans cum Christi matre colloquitur, cuius memoriam sancta illa effigies excitabat: Domina Virgo, quae immortalem Deum corpore mundissimo, et anima omnis maculae experte genuisti, adiuva me desertam, et solam, nihilque habentem adiumenti: et quando ille idem, quem immaculata peperisti, ut eos, qui peccant, vocaret ad poenitentiam, venit in mundum, tu mihi dexteram porrige, ex his vitae sordibus, coenoque impurissimo emergere cupienti. Deinde pollicita est, omnibus mundi illecebris, quae sunt invitatrices voluptatum, pro nihilo habitis, vitae cursum se esse directuram, et mores corruptissimos mutaturam; tantum in templum illud augustum introire, et Dei offensi gratiam reconciliare liceret. Virgine deprecante, post preces emissas, et vota, licuit salutiferi ligni, et Christi in eo mortis sanctissimae, atque beneficentissimae renovare memoriam. Permissum est, ut religiosis laudibus, et praeconiis nostrae redemptionis mysteria prosequeretur. Conceditur, coelestibus animum explere deliciis, et clementissimae Matris opem experta, etiam aliqua etiam se illi commendabat, et eius ad voti solutionem pium patrocinium implorabat. Indo digressa, tantum abfuit, ut vitae prioris errata repeteret, relaberetur in vita consueta, mundi suavitates regustaret, Ægypliquo ollas in Ægypto nata, atque educata requireret, ut corporis immemor, in solitudine vixerit, commissaque scelera incredibili asperitate puniverit. Pugnas vero cum malo daemone, tum assiduas, tum horribiles, truces, et feras, eo superabat, et vincebat alacrius, quo frequentius Virginem invocabat. Haec erant solitariae Mariae verba semper in ore: Tibi, o sanctitatis amatrix, quae mihi tale immerenti, te tam humanam praebuisti, neque spurcae meretricis preces repudiasti, sit honor, et gloria; esto mihi salutis magistra, et rerum praeceptrix divinarum, viam ad poenitendum indica, neque me improbam, et perditam ullo unquam tempore derelinque. Hac quidem succurrente Virgine, et solatia de coelo mittente, annos septem, et quadraginta Maria, nova iam im-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
RECTORÍA GENERAL DE BIBLIOTECAS

lier in eremo traduxit, diabolique multiplices pugnas, Virgine, quae castitatis patrona est, adiuvante, confregit; quid enim Aegyptiaca Maria, vel periculi metueret, vel mali pateretur, cuius intemerata Virgo, ut nubes opposita, nimios solis defendebat ardores? quamque, velut ignita columna, eadem ipsa Virgo integerrima in utrisque tenebris illustrabat? hanc enim noctem, quae solis absentia terras opacat, Dei mater, si vult, illuminat, et ab animo caliginem, obscuritatemque depellit. Et quidem illis omnibus, qui in coeno libidinis, et flagitiosae vitae sordibus aliquando voluti, ad castitatem aspirant, et corporis, animique munditiem expetunt, expetitam assequantur. Praeclarum, et illustre exemplum nostra haec dedit Aegyptia, habenique gravissimi pellicatus rei, ad cuius regulam, normamque suae vitae correctae iam, et commutatae rationem, modumque conforment. Huius exemplo complures meretrices ad meliorem frugem conversae. arduum vitae genus arripuerunt: huiusmodi poenitentibus Constantinopoli monasteium Iustinianus Imp. instituit.

§. LX.

Robertus Richius, et Robertus Baconius (*in vita s. Edmundi*), multa quoque Edmundi, Vincentius (*in suo spec. lib.* 32. *c.* 67), et deinceps philosophiae interpres, et doctor Edmundus contra, atque illi faciebant, qui in eodem dicendi curriculo versabantur, sacro interesse quotidie, et horarias preces, quas canonicas dicimus, recitare consuevit, suisque discipulis, ut idem facerent, persuasit. Quo autem commodius id exequi posset, sacellum in honorem beatissimae Virginis, quam impense amabat, pulchre adornavit, theologiae studia pertractans, cuius ei erat periucunda cognitio, imaginem gloriosae Deiparae eburneam ante oculos habebat, cuius in ambitu, atque orbe nostrae per Christum libertatis mysteria efformata, et picta fulgebant: in eam intuens, cum ipsa lectione orationem, divinarumque rerum meditationem coniungebat, neque ad intelligendum modo, sed etiam ad agendum uno, atque eodem tempore se ipse comparabat, precationem illam, quae incipit: *O inlaesurata*, in Mariae Virginis, sanctique Ioannis Evangelistae memoriam diebus singulis usurpabat. Sed, cum aliquando studiorum impetu abreptus, quotidianae huius precationis esset oblitus, nocte insequenti d. Ioannes se illi demonstravit, manumque iussit explicare, quam iam erat ferula percussurus, ut a ludi magistris fieri solet, si quando discipuli imprudenter egerunt. Mox tamen placatus, dexteram traxit Apostolus, quam ad vulnus infligendum quasi commotus extenderat, amicaque monuit, ne unquam Virgini Matri, sibique acceptas preces illas omitteret. Singulis diebus Edmundus Christum Crucifixum verbis illis: *Adoramus te Christe*, salutabat: Pontificias simul preces ad omnes horas, sanctique Spiritus, et beatissimae Virginis, atque exequiarum quotidie recitabat, pecuniolam tum collectam, cum discipulos liberales disciplinas edocebat, pulvere opertam in fenestrae angulo recondebat, et terram terrae se dicebat adiungere: quae tandem rapacium quorundam praeda fuit. Matutinis, quae nocte cantantur, precibus aderat, quibus absolutis, coram Virginalis Mariae Matris ara persistebat in precibus. Intra breve temporis spatium, theologiae doctoris ornatus est titulo: evasit etiam concionator egregius, et praeceptor admirandus, multique magistri ex eius schola prodierunt, ex quibus non pauci sacerdotiis spretis, iisque praepinguibus, Edmundi oratione incensi, monasticam vitam elegerunt. Quadam nocte, ignem in suo gymnasio ardere somniavit, atque inde faculas septem desumi; postero die Edmundo, superiore loco, sacram theologiam, uti solebat, exponente, Abbas quidam Cisterciensis advenit, septemque ex eius auditoribus ad religiosam vitam profitendam eduxit, id quod Edmundo iucundissimum accidit, cui auditorum numero, et frequentiae ob religionem decessio, dolori non fuit; quadam alia nocte ad lucernam lectitanti somnus obrepsit, musque introgressus, lumen extinxit: expertrectus, ut se vidit luce privatum, dulcissimum Dei Matris nomen appellavit, quo invocato, lumen est coelitus restitutum: ob Episcopale munus sanctissime obitum, in multorum odium incurrerat, nempe quibus suorum flagitiorum tenebrae, noctemque sectantibus cum coelo claro, ac lucido convenire non poterat. Horum insolentium tam moderate tulit, ut diceret: si vel utrumque mihi brachium mutilent, vel oculos eruant, nihilo tamen minus, habebo clariores: sunt enim illi quam robustissimi, quos Mariae matris lacte scimus esse nutritos.

§. LXI.

Ex annalibus Francisci Bencil (*in hist. Varal. Austr. Provinc. eiusdem urbis*): Excurrit unus sub Epiphaniorum festum in oppidum toparchae cuiusdam excellenti pietate, qui olim educatus inter convictores Viennae, uxorem hic habebat sterilem, nec satis firmam in fide. Cum vesceretur cibis illicitis, persuadet mulieri noster, ut si liberos velit, habeat hunc saltem honorem b. Virgini, ut a carnibus sabbato abstineat, divinam illi opem sub tanto patrocinio affuturam. Fidei respondit eventus, uno partu geminos, marem, et foeminam enixa, et agnoscens divinum beneficium uterque coniux aureae casulae, calicisque donum miro artificio, Deiparae, quae colitur in nostro templo, ex voto dedit, haec ille de muliere, cui profuit diei abstinentia septimi, non quidem Iudaico ritu, sed Ecclesiastica propter Virginem pietate. Sabbatum quidem, vel Ethnicis celebre fuisse iam diximus, quo die Seneca scribit, lucernas incendi solere. Sed quae olim superstitio fuit, religio esse coepit; posteaquam sabbatinas ferias in honorem beatissimae sempiternae Virginis Ecclesia frequentavit, quibus

fidei lumen huic matronae, quae vacillabat in fide, videtur reluxisse.

§. LXII.

Surius (*de vit. Sanctor. April.*): Quinque et viginti annos Albertus in sua cella permansit, ex quibus viginti duos sine pane traduxit, herbis radicibusque contentus: viginti, quod miretis, nullum omnino potum degustavit. Quae fuerit reficiendi panis occasio, operae pretium est scire. Ex perpetuis imbribus tanta aliquando, tamque metuenda tempestas intumuit, ut in cellula Albertus, velut obsessus, teneretur; eumque ad eum alendum pascendumque continentibus pluviis penetrare nemo posset. Alberti animus dupliciter angebatur, et quod panis deesset, vitae alimentum, et quod rem divinam audire non posset, et panem de coelo missum adorare nequiret. Quamobrem beatissimam sempiternamque Virginem Mariam nocte quadam anxius, et moerens appellavit, utque sibi in tantum adducto discrimen subveniret, supplex humique stratus oravit. Dumque fusis animo precibus fessus ac tristis obdormiisset, ecce per visum adest benefica Mater cum virginibus pulcherrimis, quas tamen coeli Regina et forma, et proceritate vincebat: foeminas ut vidit, humana credulitate ductus: si vos, inquit, praesensissem, ex Monasteriolo repulissem. Indignantem et quod introgredi ausae essent acriter obiurgantem, divina Mater interpellat: desine frustra moveri: Ego sum Dei Genitrix, quam tam amanter invocasti, quid a me igitur vis? tum ille: Succurre Mater in his, quibus me vides egere; hoc audito, misericordiae et benignitatis fons ex fonte Christo Deipara, panem in os Alberti porrexit, quo ita recreatus refectusque est, ut domesticum hunc panem, quo vivimus, nunquam deinceps requisierit: illa etiam de sacris non auditis, quae animum angebat, consolante Virgine, cura consedit: Rei divinae diebus festis audiendae necessitatem, temporibus meliendam, et casibus tolli repentinis, qui si incidunt, curandum esse, ut vitae sanctitas quoddam sit altaris, ac missae supplementum: Albertum mihi vivere debere, ut eius actiones quaedam esse sacra videantur. Virginis et ante, et post hoc beneficium studiosus venerator Albertus, centenis genuflexionibus diebus singulis utebatur; quoties autem genua curvabat, toties salutationem Angelicam, vultu ad pietatem, religionemque composito, proferebat.

§. LXIII.

Sanctus Antoninus Archiepiscopus Florentinus (*per histor. tit.* 17. *cap. sect.* 27): Circa annum a Christo nato millesimum centesimum nonagesimum, cum rex Aragoniae, et Comes sancti Ægydii, qui Raymundus dicebatur, molesta discordia dissentirent, nulliusque intercurrentis valeret oratio, ad pacem reducendam in Urbe: Anitio, cuius non semel in hoc opere propter religiosissimum virginale templum facienda mentio est, cuidam humilis fortunae viro, carpentarium fuisse Antoninus ait, non quia carpentorum artifex esset, sed quia faber lignarius, voce usus prope Hispana, et nostra, cum sese Deus immortalis ostendisset, chartulam dedit, in qua erat effigies beatissimae Mariae Virginis, sedentis in throno, et charissimum Filium amplexantis, quae solet esse pictura vulgaris; nisi quod erat utrique imagini circumscripta rotunditas cum illis verbis: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem*. Postquam se tam admirandae visionis fama vulgavit, viri principes ex variis mundi plagis, et ingens popularium numerus, in feriis Assumptae Dei matris, Anitium convenerunt. Porro urbis antistes hominem illum, fabrili artificio viventem, haud magna in re, sed virtutis plenum, et fidei. Durando nomen erat, in medium coetum venire, et quae vidisset, audivisseque, iubet effari: ille de Aragonum regis, et Comitis competitoris reducenda pace, divinum audacter exponit, et pervulgat imperium; imaginemque testem inducit, obeuntibus oram litteris illis consignatam. Auscultant duo illi Principes divino consilio ad Galliam peregrinati, et pacem coelitus impetratam servaturos esse interposito iureiurando confirmant: pacis obsidem, virgineam illam imaginem adhibent: quam plumbeis sigillis impressam, linteisque assutam tunicellis, quales monachorum albornm scapulares esse solent, et pectori applicitam pro symbolo proque pacis insigni circumgestant. Ea vero pax tantae sanctitatis fuit, ut qui ita linteatus, et tali sigillo munitus esset inventus, ei hominum caedes impunita foret; non quidem a iudice, cuius est vindicare facinora, sed ab illius cognatis, et propinquis, qui esset interemptus: non enim consanguinei, non amici de ultione laborabant, sed coelitus admonitae pacis memores, homicidae libenter ignoscebant, quin et illatae supernae imaginis viso exemplo, scutulo animadverso occisi, frater in occisoris ruebat amplexus, eumque hospitio acceptum, humaniter, et benigne tractabat; eratque sodalitatis Virgineae quoddam genus, quod pacis poterat appellari.

§. LXIV.

Ex oratione s. Germani Patriarchae Constantinopolitani apud Simeonem Metaphrastem: Sanctissimae Deiparae, qua se astringebat zonam, pretiosissimasque fascias, quibus Virgo integerrima tenerrimum Christi pueri corpusculum colligavit, ac cinxit, usque adeo venerata Graecia est, ut templum in utriusque rei honorem incredibilis cuiusdam formositatis erexerit. Cuius templi dedicationem, et, ut iidem Graeci loquuntur, encaenia, Germanus Bizantinus antistes oratione celebravit, qua simul Virginis laudes prosequitur. Eam vocat Christi supremi Regis animatam civitatem, Christianorum solatium, eorum qui vexantur, po-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tentissimam adiutricem, peccantium, si modo poeniteant, paratissimum, tutissimumque perfugium: quonam, inquit idem, confugiamus, si nos desceris? quid mundo fiet, si tu non opitularis, quae spiritus es, et vita eorum, qui in Dei Ecclesia versantur? ut enim corpus hoc respiratione vivit, ita Christicolarum vita tuis, o Virgo, afflatibus continetur: nullus tuae magnitudini modus imponitur: nostri defendendi, tutandi, contegendi, nulla te unquam satietas tenet: beneficiorum infinitus est numerus: nemo fit salvus nisi per te, nemo donum ab immortali Deo assequitur sine deprecatione tua; nullus se a laqueis periculorum expedit, quin ipsa subveniat: quod si patrocinium denegas, nihil est, quod a largitore gratiae possimus expectare; tu enim a Rege, rerumque omnium parente, et gubernatore foecunda mater, apud eum tum fiducia, tum potentia vales, nosque damnatos a suppliciis liberas sempiternis; et post multa erga mortalium genus beneficia commemorata, sic idem Germanus: Quamobrem ad templum tuum alacriter, et studiose concurrimus, in quo cum sumus, in coelo ipso stare nos credimus: venerandam zonam tuam nemo fidelis aspicit, quin animi incredibili voluptate compleatur. Negat hic divinus orator, quenquam ad zonae sacrae adorationem flexis genibus subsedisse, quin illa impetraret, quae suppliciter postulasset; et cum sacro illo pignore sic idem loquitur: Divinissimum cingulum, quod efficis, ut vitia fugiamus, sequamurque virtutes, castitatem lumbis, efficacitatem manibus affers; o zona, quae nostrae imbecillis naturae lasciviam coerces, ac refraenas, et hostes nostros, sive illi sub aspectum cadunt, sive non videntur, absterres, et fugas: fascias deinde simili oratione collaudat.

§. LV.

Euthymius monachus apud eundem Metaphrasten (*de zona beatae Virginis*), huius quoque sanctissimi cinguli laudes celebravit; quae vero non tam oratoris, quam historiae narrat, tacere non debeo. Laudatur, inquit, zona, quae annos plus nongentos illaesa, atque integra perseverat, cuius nequaquam infuscatus est color, quae vincit splendore nivem, laeimque se videntibus exhibet, qualis ex manu providit artificis; ea se coeli Regina revera, ut credimus, cinxit, Idolorum contrivit aras, gentium delubra vastavit, et humani cruoris flumen coercuit. Iam vero templum in sacrorum, de quibus agimus, pignorum religiosam memoriam dedicatum idem Euthymius tam pulchrum, tamque luminosum fuisse affirmat, ut aequiparari coelo posset: haec enim ipsa sunt verba: atque etiam ex quatuor mundi partibus, Oriente, Occidente, Aquilone, et Austro confluere ad hoc templum peregrinos asseverat, ex omni item ordine, sexu, et aetate agminatim convenire prodidit. Adsunt, inquit ille, pontifices, reges, principes, magistratus, divites, pauperes, immatura aetas, et piarum caterva foeminarum. In hoc ipso templo curari paralyticos Euthymius ait, illuminari caecos, sanari aegrotos, clades averti, maledicta refutari, falso crimine circumventos, patefacta veritatis luce, liberari, ac denique miraculorum quasi perennem manare fontem. In te, inquit, mater optima, spem nostram collocamus, in te vivimus, gloriamur, et sumus. Scimus hanc nostram spem ratam fore, tua haereditas sumus, ad te confugisse non poenitebit. Haec Euthymius vir plane catholicus, cum illius aetatis, ac memoriae sapientibus, beatissimae Deiparae tribuebat; neque tamen ignorabat, spem nostram in Deo primum esse figendam, nostrum vivere, nostrum gloriari in eo verti debere, qui nos redemit, ac creavit; sed quia ad eos loquebatur quos non latebat naturalis, et propria filii potestas, et matris Mariae gratia, et auctoritas, qua apud filium valebat, ornamenta illa in sacrosanctam Deiparam congerere non dubitavit, quae proximae, et secundum Deum nostra esset spes, salus, et vita. Horum sapientum vestigiis incessit Hermannus ille Contractus, qui (*in Cant. salve Regina*) illud non minus pie, quam vere concinit, Spes nostra salve Regina mater misericordiae, quod carmen d. Bernardo pergratum s. Bonaventura ducentis annis, postquam erat ab Hermanno compositum, piis et numeris, et versibus celebravit; multique alii tota ecclesia praedicarunt; et his 500. annis magno consensu in templis usurparunt: quae res Gregorium IX. qui Camaldulensis familiae fuerat, impulit, ut auctoritate Pontificia hunc Contracti hymnum approbare, et per omnes totius orbis Ecclesias cantari inberet.

§. LVI.

Ludovicus Granatensis (*de symbolo fidei part. 2. sect. 10*): Sacrosanctae Mariae Virginis charitatem, ne minima quidem aspernantis, ac despicientis, Ludovico Granatense scriptore, commemorabo; qui, utrum scriberet, diu, ac multum ipse secum dubitavit: rei namque parvitas magnum hunc virum a scribendo deterrebat, vicit tamen pietas, gloriaque Virginis, quae non secus in minimis atque in maximis enitescit. Vicit quoque Sanctorum exemplum, qui et in tenui saepe mirabiles extiterunt, et qui similia litteris mandarent, habuerunt. Nam d. Benedictus suae nutrici fictile vas fractum, et divisum in partes, ne moeror muliebrem animum occuparet, teste d. Gregorio (*lib. 2. dial. c. 1. lib. 1. cap. 7*), restauravit, et quidam alius, ut in eisdem dialogis invenitur, lychni pensilis, quo templum illuminabatur, particulas divulsas, dissectasque coniunxit, et lampada reformavit. Nos igitur, quae aerumnosorum pectora refecit, dicamus alacriter, et Deiparae in rebus arduis potestatem, in parvis humanitatem, indulgentiamque laudemus; quanquam quae naturae vires superant, in quacunque materia, parva esse non possunt. Igitur, ut ad rem veniamus, quidam Centobrigensis incola, vel, ut nunc loquimur, Setubalensis, ex nobilium, et clarorum ordine, ac numero, cum vellet ire piscatum, famulum arundinem expedire iussit, qua ad illud munus egregie utebatur. Ceterum mulier, dum cannam diu intermissam, a pulvere, et sordibus perpurgare studet, extremam alteram partem, quae acutior est, atque subtilior, figit in terra, manuque premit ita graviter, ut ex geniculato illo calamo, duo frustra, digitali utrumque magnitudine, distracta arundine, desilirent. Mililis ipsa uxor, quae praesens erat, casu perculsa, deque mariti iracundia, et offensione valde sollicita, ad sanctissimam Dei Matrem confestim confugit, neque oblita est cuiusdam sanctae foeminae nutricis quondam suae, quam idem Ludovicus magnifice praedicat, vitae testis, et rerum quas egerat mirandarum, ut historiae satis longe argumentum praebeant, si eidem credimus Ludovico: qui celera generatim, illud definite, ac proprie tanto divini amoris solitam incendio flagrare, ut diceret: maris istius, quod videmus, aqua omnis, ignem haud extingueret, qui hic inardescit, manuque haec affirmans, suum pectus indicabat. Igitur bona foemina, cum se magnae inprimis cunctorum Matri, et suae deinde nutrici, quae eodem Ludovico teste, miracula nonnulla patraverat, ex animo commendassel, maritus ex ipso aedium atrio arundinem festinus efflagitat; raptam, fractamque famuli deferre parant: quid enim agant, et foribus vociferante iam hero, et moram durius accusante? ergo qualis erat, talem assumunt: lente properant, timore retrahente, cunctabundique descendunt. Mirabilis in sua Matre Deus, et in Sanctis suis admirandus; arundinea illa pertica, illo acumine, et in exilitate confracta, prius quam domino ostenditur anxie petenti, divinitus integratur, et hero perfecta redditur avidius expectanti: eadem prorsus est forma, quae fuerat, adest contortum filum albi coloris sectae nexus, idque pulchellus. Advolarat matronae filiolus, ut patris, quae puerorum et levitas, et curiositas est stomacho, et in familiam misellam conviciis interessel, cuius imprudentia cannam defregerat, quae tamen secum praeclare actum esse putaret, si verbis verbera addita, et adiuncta non fuissent. Cumque arundinem integram, et quasi sanam vidisset ex vulnere, laetitiae plenus currit ad matrem, et his verbis gratulatur; mater, mater, salva res est. Ei colaphum mater infigens, cape, inquit, mendacii, vanitatisque mercedem: succedit mulierculа una ex famulis, quae piscatoriae arundini nihil deesse proclamat. Ad quam sic hera: et tibi cum parvulo mentiri libet, quasi vero non te haec duo fragmenta redarguant, quae in manibus habeo; geminato pueri, famulaeque testimonio, faciendum sibi putavit matris familias amita quaedam, ut rem, quae ferebatur, oculis cerneret, manibusque tractaret. Il, redit, et quae puer iniuste percussus, quaeque famula, mendacii sine ulla causa suspecta, nunciassent, vero esse veriora confirmat, et virgam ex calamo calamitatis esse gratulatur expertem. Haec ad viri aures iuncta venerunt, ministrae domesticae inconsiderantia fractam arundinem fuisse, anxiam coniugem ad Virginem confugisse, et antiquam nutricem, cuius erat sanctitatis fama recens, appellasse, arundinis soliditatem naturae esse non posse. Quare religione tactus, et arundinis miraculosam iuncturam admiratus, asservat, manus abstinet, neque eam amplius ad piscandum ausus est assumere: nempe, quam praepotens ille Deus quasi manu consignasset. Ipsa porro arundinis fragmina aliquamdiu penes Ludovicum Granatensem fuerunt, ad miraculi tum fidem, tum memoriam, Christianamque laetitiam. Neque cuiquam hoc incredibile videri poterit, Dei Genitricis potentiam cum immensa bonitate coniunctam, matronae, quae Virginem moesta invocavit, mores amabiles, et nutricis, quam simul adiutricem expetivit, sanitatem ponderanti. Est insuper Dei Opt. Max. consideranda clementia, qui se implorantibus, sive levis, sive gravis est, et arcta necessitas, opitulatur, et succurrit in tempore, et si quod bona illa coniux timebat, leve non fuit: posset enim graviter maritus offendi, et gravius in famulam saevire, quam res ipsa deposceret: nam parva scintilla maximum saepe movet incendium; et haec quidem minima curae esse immortali Deo, s. Bonifacii apud d. Gregorium exemplo monstratur, qui puer parvulus in suae domus ostio consistens, vulpem vidit irrumpentem, gallinamque unam repetita iniuria rapientem, id enim saepe alias vulpes facitarat. Tum sanctus puer in templum advolat, hisque verbis novus hic Samuel Deum affatur immortalem: Summe Pater, et pauperum patrone singularis, haec ne tibi avium rapina placeat, quas alit mater mea, suam indigentiam utcunque sustentans. Succurre, succurre, egenorum fautor egregie, et quam grave damnum mea parens faciat, quia non te fugit, nostram iacturam miserare; et eadem, precatione absoluta, ex templi foribus exisset, ecce sibi vulpes illa regreditur, gallinamque restituit, quam ore premebat, et dentibus; vulpemque ad pueri pedes corruentem vita defecit, ut sanctus ille pusio, mali sublata causa, solicitus esse desineret. Quis igitur supremi illius dominatoris nostri Dei lenitatem non agnoscat in suos, praesertim simplices, ac doli prorsus expertes? quae coeli non modo timent, verum etiam tremunt; cuius nutum orbis universus observat, his puerili querimonia facilem se praebet, et voto respondet, et in minimo damno resarciendo tardare non vult. Haec quidem Bonifacii historiam admiranti Petro diacono, d. Gregorius sapienter occurrit, et ad Dei providentiam mirabile hoc factum refert, ac revocat, qui suos servos ad maxima petenda minoribus his incitat, ac provocat: Gregorii haec ipsa sunt verba: *Hoc, Petre, ex magna conditoris nostri dispensatione agitur, ut per minima, quae percipimus, sperare maiora debeamus. Exauditus namque est in rebus vilibus puer vonctus, et simplex, ut in parvis disceret, quantum de Deo praesumere in magnis petitionibus deberet;* haec Gregorius: veraque praedictio; nam divo huic Bonifacio multa sunt in adulta aetate miraculose concessa: unum, quod est virginalis huius historiae recensebo, quod me idem sanctus docuit Gregorius.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

§. LVII.

Sozomenus (*histor. libr. 7. cap. 1. et 5*), et Metaphrast. (*in vita S. Marciani presbyteri*): Gratianus catholicus imperator, et Nicaenae synodi defensor acerrimus, legem promulgavit, qua testificatus est, velle se, ut cuncti eam religionem agnoscerent, et agnitam retinerent, quam princeps Apostolorum Petrus Romanis initio tradidisset, quamquam illa aetate Damasus Romanae antistes ecclesiae, et Petrus praesul Alexandrinus observarent, illique catholicae solum Ecclesiae censerentur, qui sanctissimam Triadem honore pari susciperent: et reliqui haeretici dicerentur, et supplicium impietati debitum sustinerent: paulo post, Constantinopolim venit, et ecclesias ab Arianis Demophylo antesignano occupatas offendit. Gregorius vero illis praesidebat, qui tres divinas personas unius esse naturae, atque substantiae catholico more sentiebant: et hic quidem Dei Ecclesiam una cum orthodoxis in parva domuncula precandi causa constructa, bono exemplo pastoris congregabat; quae domus omnium, quae in Urbe erant, templorum gloriam, et splendorem, ingens facta basilica, superavit, non modo aedincii venustate, sed miraculorum etiam salubri granditate: nam plurimorum morbi sanabantur, indigentiaeque subventum, beataeque Mariae Virginis benignitas illa fuit, quae sua multos praesentia recreabat. Ea ecclesia Anastasia dicta est, quod Nicaeni dogma Concilii haereticorum fraude sepultum, et divini agricolae semen, erroris lolio succrescente oppressum in illa aede revixerat, et vera fides surrexerat, Gregorio praedicante. Sunt qui existiment, ob praegnantem mulierem, quae ex illius ecclesiae pergula sublimi delapsa, et mortua filium precatione revixerat, foetu incolumi, dictam esse Anastasiam; haec ita Sozomenus. Metaphrastes hanc basilicam, quae brevis, et angusta fuerat, Gregorium cognomento theologum praedixisse ait multo maiorem, ampliorem que, quam tum esset, in posterum esse futuram; et cum Martianus ad immortalitatem, et gloriam sempiternam natus, hoc Gregorii vaticinium memoria repeteret, ad Anastasiae hoc templum dignius exornandum, animum quamprimum appulit, neque operis vel magnitudine, vel sumptibus retardari potuit, quominus molitioni manus alacriter admoveret. Eam porro rationem inivit, ut antiqui templi forma integra, atque intacta remaneret ad theologi vaticinium comprobandum: novum sive, tum maximum, tum pulcherrimum ab ipsis fundamentum excitaretur; quod sphaericum, et rotundum, atria, porticus, vestibulaque claudebant, ac veluti lunam stellae cingebant. Columnarum proceritatem, splendorem, colorem, exquisitos lapides, praestantiam, orbis dignitatem, auri vim, picturas, vasa, donaria facilius erat animo, quam oratione complecti. Secuta templi dedicatio est, magna sacrorum caeremonia, Bizantiorumque laetitia. In hoc templo Deipara hominibus se praebuit salutarem: morbos enim fugavit, daemones expulit, veneficia sustulit, omniaque malorum genera relegavit; eoque divinae parentis beneficentia pervenit, ut quae in hoc templo Deipara, vel miracula edidit, vel beneficia praestitit, enumerare nihil aliud esset, quam immensum mare cyatho velle metiri: utar enim Simeonis Metaphrastae verbis, et eloquentis, et vera dicentis historici. Neque vero divo Martiano hoc Anastasiae, Deiparaeque templum, in quo tam se praestabat Mater, et Virgo mirabilem, satis fuit: multa praeterea vir inclytus partim refecit, partim a primis inchoata lapidibus, ad finem, fastigiumque perduxit. Quas vero aedes aedificasset, earum mirabilis erat extructio, operosa species, et pulchritudo singularis, et ipsis inspectoribus stuporem iniiciebant. Cum inde oculos ad alia convertissent, infinitis partibus meliora, quae nova aspicerent, quam quae paulo ante vidissent, iudicabant. Pueros studiose docebat, egentes benigne sublevabat, petenti aliquando eleemosynam, cum nihil aliud tunc esset, quod dare posset, tunicam dedit, qua se una tegebat. Ad altaris autem sacrificium solas sacerdotum vestes adhibuit. Visum est tamen iis, qui aderant, pulcherrima quadam veste Martiani corpus intus ornari, qualem reges induere solent ad dignitatem muneris declarandam, quae tum maxime fulgebat, cum Christi sanctissimum corpus ad altare venientibus dabatur, divinissimique dispensatione cibi fidelium animos, mentesque pascebat. Noctu civitatis plateas obibat, si quem mortuum reperisset, lotum, et linteis involutum humabat: interdum pro amore cum eo ipso loquebatur, quem sepulturae mandabat, ipseque mortuus rem mirabilem, illisque dignam et moribus, et temporibus gratias suo vispilloni agebat Martiano, quem complectens, valereque iubens, iterum mortis somno sopitus, ruebat in terram. Apud quendam argentarium noctu permutabat aurum, ut levioribus, minutioribusque monetulis haec misericordiae negotia transigeret, et ad illa coemenda, quae quotidianus usus efflagitat, pecunia ex aere suppeteret. Ad argentarios nocte venientem Martianum, et popularem plausum fugientem, pondere, ac pretio fraudabant, neque minoris monetae tantum reddebant, quantum aurea numismata Martiani valerent. Martianum fraus non latuit, sed scire dissimulans, permutare perseverabat, et in cadaverum sepulturas monetam ab improbo argentario, inaequali pondere acceptam liberaliter expendebat. At nummularius Martiani per certum hominem nocturna illa benefacta explorans, sic est animo compunctus, ut venia petita, quicquid doloso furto surripuit, Martiano Dei aeconomo cumulate persolveret: Dei enim amantium hic mos est, ut expectando potius, quam exigendo, ablata repetant, perditaque recuperent. Meretrices ab illo quaestu miserrimo abductas, ad vitam meliorem revocabat. Si festus ageretur dies, ille praesertim, cuius ob Christi, Matrisve memoriam, maxima sanctitas esset, atque religio, venales has mulierculas, uti se continerent, rogabat, multoque plus illis donabat, quam quod ipsae ex detestabili, nefarioque flagitio comparare potuissent. Ex his plurimas e lupi faucibus in perpetuum eripuit, ex quibus aliae in monasteria se includebant, alias Hierosolymam peregrinantes Martianus viatico prosequebatur. Multae eo sanctitatis ascenderant, ut morbos ex hominum corporibus oratione depellerent, et daemones, quibus aliquando servierant, ut minime mirandum sit, in illo templo Virginem Deiparam, tam beneficam, et salutarem fuisse, quae et sua sponte misericors est, et ad fabricae interdum respexit auctorem.

§. LXVIII.

Wilhelmus Abbas sancti Theodorici (*in vita Sancti Bernardi lib. 1. cap. 12*): Bernardo doctori, confessorique praeclaro, ipsisque haereticis admirando, sic olim molesta pituita fuit, ut perenni distillatione morti putaretur esse vicinus, ipseque pene deficiente spiritu, ante Dei tribunal sibi visus est sisti. Aderat mendacissimus accusator diabolus, qui tamen Bernardo, pro se in maxima corona causam dicente, fractus, et abiectus obmutuit. Rursus in illo quasi mortis, et vitae confinio, ad littus maris, non corporis passibus, sed peregrinae, et attonitae mentis gressibus ivit, ubi navem, qua transvehi posset, sibi visus est expectare; quae ad litus applicita, in aquas regressa est: simulatque Bernardus pedem paravit inferre, iterum, ac tertio ad littus maris appulsa, introeunte Bernardo, retrocessit, et conscendere parantem ludificavit. Demum, relicto Bernardo, navis ire visa est, et nunquam remigrare; ex quo viso divinus Doctor intellexit suae navigationis tempus nondum advenisse. Cumque dolor in dies augeretur, eoque plus afferret molestiae, quo minor ex superiore visione Bernardi exitus ostendebatur spes, et fratribus de more ad salutarem lectionem adeuntibus, duo tantum remanerent, ut in valetudinario iacenti Bernardo praesto essent, dolore faces admovente, atque aegroti vires superante, unum ex illis duobus precatum iussit abire, se indignum profitentem, ac vitae maculas accusantem, obedientiae iure compellit, quae imperandi gravissima auctoritas est. Ivit ergo, et ad terna sacelli preces fundit altaria, primum Deiparae, alterum divi Laurentii martyris, tertium sancti Benedicti, qui occidentales terras, monasteriis, id est, coelestibus plantariis, omnium primus ornavit. Nec mora, Bernardo misericordiae mater adest; Laurentio, et Benedicto comitibus Reginam, Reginaeque administros vel primo aspectu Bernardus agnovit: ea quippe se figura ostenderunt, quae digito monstrari posset, nulloque negotio dignosceretur. Porro suis quemque nominibus appellare cupienti, affectam dolore partem manibus, levissime, atque indulgentissime Regina, et aulici tractaverunt, morbumque omnino depulerunt. Itaque pestilens ille rivus exaruit, seculaque felicitas, et siccitate sanitas.

§. LXIX.

Laurentius Surius de vitis Sanctorum mensis Septembris: In ea ara, quam Gerardus ad honorem beatissimae nostri Servatoris Matris excitarat, thuribulum argenteum collocavit, duosque provectae aetatis homines adhibuit, qui perpetuo vigilarent, darentque operam, ne unquam thymiama, odoramentumque deficeret. Ad hanc eandem Virginis aram Gerardus singulis sabbatis cum novem lectionibus, ut in celeberrimis solemniis fieri solet, magnisque laudum praeconiis, suae pietatis explebat officium, et amorem, quo erga coeli Reginam esset affectus, ostendebat. Ceteris autem diebus, matutino penso absoluto, in eundem locum cum sacra pompa veniebat: quam eandem supplicationem, pompamque, post vespertinas preces, quotidie repetebat. Nihil unquam denegavit, quod Divae Mariae nomine peteretur, adeo ut si quis reus ab Episcopi familiaribus edoctus, errati veniam sacrosanctae Virginis interposito nomine postularet, nulla intercedente mora, concederet, sontemque impunitum abire sineret, suumque filium fore diceret, modo sanctissimam Virginem Dei esse matrem sincera fide fateretur; quae una ex illis est rebus, quam, si non imitabimur, tamen laudabimus, admirantes. Virgini gratificantur, qui scelerata poenis debitis ulciscantur; Gerardo tamen indulgentia, ex Virginei nominis reverentia, bene vertebat; quod in omnes Episcopos convenire non potest. Hoc ipso Gerardo auctore, Deipara a Pannonibus Domina est semper appellata: qui vero de intemerata Virgine loquens, Dominae nomen tacuisset, ei ex Gerardi lege, genua illico flectenda erant, et corpus humi prosternendum. Iure igitur, ac merito universa Pannonia a sancto suo rege Stephano, Gerardi, qui eius aequalis, amicissimo, familia sanctae Mariae dicta est, appellataque semper. Ceterum Gerardo de cursu temporis, ab impio quodam tyranno, qui Pannoniam post Stephani obitum occupavit, pro Christi nomine illata mors est, quo Episcopi dignitatem cum martyrii honore coniungeret. In quo illud memorabile fuit, quod primus Pannonum martyr, prothomartyris Stephani imitatorem se praebuit. Cum enim lapidibus opprimeretur, flexis in terra genibus, contenta voce clamabat: Domine Iesu, ne statuas illis hoc peccatum, quia nesciunt, quid faciunt. Haec precatus, hastae percussu, obdormivit in Domino.

§. LXX.

DE VARIIS APPARITIONIBUS B. MARIAE VIRGINIS.

Primum tempus est a nobis explicandum, cum iam pestis Pauli Samosatheni erumperet ex inferis, ut humanum genus, si fieri posset, omnino inquinaret: ac tum Virgo sanctissima, una cum Ioanne Apostolo, Gregorio illi Thau-

maturgo, cuius sanctimoniam, doctrinamque simul tota antiquitas est venerata, apparuit, et quaenam Catholica veritas esset, edocuit; quod Gregorius Nyssenus (*in eius vita*) scribit, formulamque fidei, qua confutatur, et Arrii scelesta opinio, affinis Samosatheni, litteris commendat. Quocirca et adfuisse tantum virum Concilio Antiocheno, tempore Aureliani Imperatoris, testatur Eusebius. Haec autem formula per Deiparam, Ioannemque Apostolum Gregorio tradita mirifice iuvit omnes Orientales adversus Arrii impietatem. Hinc Basilius (*epistolis ad Neocaesar.*) Ianli viri auctoritatem saepe in medium profert, et (*epistol.* 75) ac (*libro de Spiritu sancto*), magnumque saepe illum vocat. Huius mirandi viri meminit etiam Nicephorus Callixius (*lib.* 6. *c.* 17).

Quod si in hac parte fidem non abregamus ei, qui vitam Basilii scripsit, et nomine Amphilochii circumfertur, secundum tempus erit, cum Iulianus Ecclesiae ruinam meditaretur simul, ac moliretur; quo tempore Basilius precibus intentus, vidit Deiparam, quae Mercurio martyri iussit, ut hasta Iulianum transfigeret. Sed quicunque ille fuerit, qui vitam Basilii scripserit, haud curandum nobis: visum namque illud verissimum fuisse multis testimoniis Nicephorus (*lib.* 10. *c.* 35) confirmat.

Neque vero ad Ecclesiae totius pacem componendam minus profuit illud tertio loco, quod de Nicaeta idem tradit: nam cum dissentirent inter se orientales, et occidentales Episcopi ob electum Ioannem Chrysostomum, maximumque ob id esset in Ecclesia dissidium, aliis alios excommunicantibus, Cyrillusque in primis patriarcha Alexandrinus Chrysostomo infensus esset; in somnis admonitus a Maria, resipuit, et pax inter omnes Catholicos conciliata, finisque implacabili, et maximae discordiae datus.

Quartum sit illud, Procopius, et Agathias multis laudibus extollunt Narsetem, is Gothos Arrianos multis a se praelitis fusos, ac domitos, in servitutem, liberata Italia, redegit; monitus autem Virginis sanctissimae, cuius ille erat studiosissimus cultor, cunctas victorias reportavit: nihil namque arduum aggrediebatur, neque signa cum hostibus conferebat, nisi de consilio illius, quod Nicephorus idem memoriae prodidit. Quod igitur e tyrannide Gothorum fuerit erepta Italia, quod Ariani haeretici ex illa expulsi, Deiparae debetur.

Quintum sit, cum propter ignaviam Phocae tyranni, crudelitatemque in suos, Persae cunctas Asiae regiones usque ad Chalcedonem cepissent, neque illi reipublicae ruenti opem ferret, Heraclius in Chosroam bellum movit, et accepta Virginis imagine, a Stephano metropolita Ciziceno, ipsum vicit. Deinde rursus imaginem Christi haud manufactam secum deferens, Persas, qui non Asiam modo, sed et Syriam, Aegyptum, Lybiamque, et Carthaginem ceperant, debellavit, in suamque potestatem abduxit, praesidio duarum imaginum Deiparae, et Christi: haec omnia felicissime, rebus iam desperatis, ad exitum perducens, ut Paulus diaconus, qui fuit his temporibus, scribit.

Sextum, cum Copronymus omnium flagitiosissimus Imperator, ac post illum, Leo Armenus, bellum sanctis omnibus indixissent, eorum reliquias omnes exterminarent, catholicos ferro, et igni persequerentur, Virginis intercentu aperto contigit, ut Copronymus quidem coelesti igne fuerit arreptus, dumque illo miserabiliter cruciatus, combureretur, exclamarit, se viventem flammis inferis addictum, precarique, ut Maria, meritis laudibus, quibus sibi placaretur irata, ornaretur; sed paulo post, impius decessit, ut Auctor Miscellaneae tradit. Rursus, cum Leo Armenus vestigiis Copronymi insisteret, mater eius vidit in somnis Deiparam, quasi aede sibi in Balchernis Constantinopoli dicata iubere, ut ei propinaretur e vase pleno cruoris, ecclesiae pavimentum cooperientis; quod cum aversaretur illa, Regina coeli dixit: Atqui tuus filius haud finem facit effundendi sanguinis eorum, qui me venerantur, ideoque haud cessat in se Deum, filiumque meum provocare. Hoc visum narrat Zonaras, neque multo post Leo Armenus est interfectus.

Septimum tempus est, cum Fridericus secundus in occidente nihil non ageret, ut potestatem Pontificiam funditus everteret, ferroque et igni cuncta misceret, Oriens autem totus a nobis esset abalienatus, Saladinus in Syria nostros profligasset: tunc enim vidit sanctissimus vir Dominicus iratum generi humano Christum, quasi fulmina in terras missurum, Mariae vero precibus mitigatum deslitisse a proposito consilio, quod in eius vita notatur. Et sane tranquillitas maxima ex illo tempore subsecuta, haeretici Albigenses, celerique innumeri Europam polluentes, extincti: Prussia, Livonia, Lithuania, ceteraeque his finitimae Regiones, et in his, quaedam Tartarorum, ut signo de fidei propagatione est explicatum, christiano cultui sunt adiectae: Mahometani ex Hispania tota depulsi: plurimae in Africa urbes, et Insulae, usque ad aequinoctialem circulum nobis acquisitae.

Octavum tempus est nostrum, quod videtur omnium maxime turbulentum, et quo pulcrissima pars Septentrionis ab Ecclesiae obedientia recessit. Oriens, Africaeque plurimum, et Graecia in potestate est Mahometanorum; atque hoc in primis contigit, ut maxima miracula per imaginem Mariae in Indiis occidentalibus efficerentur, quibus late Christiana religio propagaretur. Insula Cuba est e maioribus, quas Oceanus in is oris circundat; in hac Regulus quidam victorias multas est consecutus adversus finitimos populos, non alia ratione quam quod usus est Christiano quodam duce copiarum suarum. Is autem pergebat in hostes, gestans in pectore imaginem Virginis, ac protinus illos in fugam versos superabat. Cumque dissensione orta inter Indos, praestantior ne foret imago Mariae, an vero Indicorum deorum, idcirco ad arma veniretur; convenere, ut in lata quadam planitie duo iuvenes hinc inde brachiis ad terga ligarentur arctissime, et duo quidem nomine Mariae ab adversaria parte vinculis obstringerentur, duo vero Indicorum deorum nomine similiter ab alia parte

ligarentur, quorum autem manus sponte solverentur, ii victores essent, ac pro veritate crederentur pugnare. Res ita acta, et continuo innumeris videntibus inclamante Regulo: Ave Maria, adstitit matrona mirabili maiestate, quae ad suos appropinquans, et virga manus tangens, illos exolvit, vinculaque se ad alios duos ex adverso positos devinciendos continuo contulerunt. Quo paclo, visum est idem certamen renovari, ac rursus idem mirabiliter evenit. Hoc passim divulgatum, plurimos ad Christum traduxit, atque hoc satis, quantum ad Indias Orientales.

Quantum porro ad Occidentales, illud certum anno millesimo quadringentesimo nonagesimo septimo, Vasquium Gemam ab Emmanuele Rege missum detexisse Indias Orientales, aditumque ad illas aperuisse auspiciis Deiparae. Quocirca Emmanuel rex in ora Iliticis Olysiponensis templum Virgini excitavit, ut Petr. Maffaeius (*lib.* 2. *hist. Indicae*), et Osorius primo tradunt. Illud praeterea in Africae locis ad promontorium bonae spei contigit, ut rex Benopotamae potentissimus Christo se dederit hac occasione, quod in somnis saepe viderit matronam quandam secum loquentem, cuius cum mox imaginem depictam conspicatus esset, illa autem Virginis erat, cum plurimis est baptizatus, ut retulimus signo de miraculis in fidei propagatione editis. Atque ex his omnibus constat, visis monitis, et ope Virginis Mariae, aditum semper in maximis necessitatibus Ecclesiam Dei, conservatumque, et amplificatum Christi cultum. Quod cum non contigerit Graecis, ex quo se a nobis alienarunt, neque populis aliis, certissimo colligitur, nos esse ex Ecclesia Dei. Neque vero haec spectra falsa dici possunt: e spectris enim falsis Christi cultus haud dilatatur, neque illa daemon effingeret, e quibus cognosceret sibi, et suis vires minui, Christo autem, et sectatoribus eius augeri.

§. LXXI.

Ex liturgia, quam Sexta Synodus Generalis, habita Trullis, agnoscit, ut constat (*ex cano. Iacobus de consecr. dist.* 1), hanc historiam Proclus gravis auctor observat, ac suspicit: Apostoli, quos ipsemet Christus noster Dominus erudivit, Apostolorumque discipuli, colendae Mariae Virginis, amandaeque rationem, cum ipso nutricis lacte suverunt. Hinc ignitus Ignatius Virginis amore flagravit, ad primum Mariae Dei matris aspectum Areopagita Dionysius obstupuit, Lucas unam, et alteram divae matris expressit effigiem, utque Mariae lineamenta, qui eam de facie non norant, viderent, divini huius pictoris diligentia, charitasque perfecit. Sanctus quoque Iacobus, Christo moribus, facieque simillimus in sua illa liturgia, et sacrificandi christiana forma, Mariam excellentissimis nominibus appellare non desinit: vocat pretiosiorem cherubim, gloriosiorem seraphim, et eorum donorum cumulum, quae a Deo Virgo mater accepit, superlata quadam voce, significat: id enim sibi vult, superbenedictae nomen, quo Dei mater a Iacobo primo Hierosolymae Episcopo compellatur; quin et hortatur populum, ut cum presbytero sacra faciente, non modo reminiscatur Deiparam, sed imploret etiam, atque invocet, id quod verba illa demonstrant: *Commemoremus sanctissimam, gloriosissimam, immaculatam, benedictam Dominam nostram Dei matrem, et sempiterna virginitate praeditam Mariam, sanctorumque omnium memores simus, ut eorum precibus atque intercessione misericordiam consequamur.* Post illa verba sacerdotis precantis Deum, ut sanctorum suorum rationem habere dignetur, sed praecipue Virginis super omnes, ac prae omnibus benedictae: chorus illa subiicit, atque respondet, *Dignum est, ut te vere beatam dicamus Deiparam, culpae prorsus expertem, in quam reprehensio non cadit, Dei nostri matrem, honorabiliorem Cherubim, gloriosiorem Seraphim, quae Deum Verbum incorrupta peperisti. Te proinde verissime collaudamus, et magnificis verbis extollimus. Tibi, o plena gratia, rerum universitas gratulatur, angelorum coetus, et hominum genus applaudit, templum sanctitatis, paradisus mundissimae voluptatis, qua spiritus ipse reficitur, et animus recreatur, gloria virginum, ex qua Deus corpus assumpsit, et puer factus est, qui ab omni aeternitate sua, vi, et potestate cohaerens, idem et semper est unus. Tum ille uterum suum thronum fecit, coelisque ipsis reddidit ampliorem. Tibi, o gratia plena, mundus acclamat, gloria tibi. Haec in Iacobi formula; et si nos non omnia iisdem verbis reddidimus, sententia continentur.* Ex hoc fonte suarum liturgiarum hortos Basilius, Chrysostomus, Ambrosius interrogarunt. Mariam in tertio quoque verbo compellant, nominant, laudant, invocant, comprecantur: quae Cyrillus Hierosolymus (*in suis mystagogicis*) ponit. Ab hoc eodem Domini fratre desumpsit: *Sursum corda*, ab hoc habet Apostolo, quae de immensa Dei gloria Cyrillus idem praefatur, ante sacra mysteria, huc referri debent. Et illud: *Orate pro vivis, et defunctis.* Quodque Diaconus inclamabat, ante Eucharistiae perceptionem: *Osculamini invicem in osculo sancto*; accepturis illud intonabat: *Sancta sanctis*: inter sumendum, illud ex Davidis hymno repetebat: *Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus.* Syrii Apostolorum primi discipuli in sacro sacrorum, quam missam dicimus, salutationem Gabrielis adhibent, et ea salutari invocatione concludunt: *Pax tibi, Maria, gratia plena. Dominus noster tecum, benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus, qui est in utero tuo, Iesus Christus. Sancta Maria Mater Dei dulcissima ora pro nobis, pro nobis*, inquam, *peccatoribus. Amen.* Extat Aethiopum missa perveluta, ubi haec est inserta precatio: *Ora pro nobis apud Iesum Christum, ut misereatur animae nostrae, ora pro nobis in conspectu throni filii tui Iesu Christi; laetare immaculata, vere Regina, laetare gloria nostrorum parentum, quia peperisti nobis Emmanuelem. O vere internuncia, atque sequestra ante Dominum nostrum Iesum Christum; te supplices exoramus, ut memor sis nostri, ora pro nobis, ut deleantur iniquitates nostrae.*

UNIVERSIDAD DE NAVARRA

§. LXXII.

Iulianus Pomerius Ecclesiae Toletanae Praesul, Rodericus eiusdem urbis Antistes, Ioan. Mariana (*lib. 6. de reb. Hispaniae cap.* 10), eisdem verbis erant preces illae de Virgine: expectationem partus dicimus: Ex Gallia, Gothica, Pelagius quidam, et Helladius perfecti veteris Helvidici insaniae scintillas in Hispania exsuscitare inceperunt, Mariam Virginem negantes perpetuo virginitatem retinuisse. Horum furorem ne patientia confirmarel, audacia, aut mora, crescerel, malum sibi Ildephonsus impugnandum sumpsit, cominus disputando, eminus libro evulgato, in quo perpetuae virginitatis patrocinium suscepit. Ea diligentia, erroris semina dissipata, compressique nefarii eorum in posterum conatus; operae navatae merces, vestis a coelo allata fuit. Cum enim ad nocturnas preces persolvendas mense Decembri ipsa nocte, quae festum Annunciationis diem, nuper a parentibus institutum, praecedebat, templum maximum visum est maiore fulgore micare, quam ut oculi mortales ferrent. Tunc celeris, alio, atque alio delapsis prae terrore, ad aram ipse progressus, cum nixus de more genibus, preces funderet, in cathedra, unde is ad populum concionari erat solitus, astantem beatam Virginem in augustiori, quam pro humano habitu specie, his cum verbis compellantem audit: cultae in tuo corpore virginitatis, cum mentis puritate, fideique ardore coniunctae, virginitatis defensae praemium erit, ex coelesti thesauro, nostroque munus allatum: inter haec verba vestem suis manibus capiti inseruit; hac, inquiens, filii mei mea, quae toto animo festa recurrunt, celebrato. Comites, receptis a pavore animis, cum ad Praesulem accurrissent, toto iam spectaculo ex oculis sublato, ferme exanimatum invenerunt. Tum metus, tum admiratio vocem intercluserat, oculi tantum in lacrymas solvebantur, quod neque pares beneficio gratias agere posset, neque Virginem alloquio morari. Sic nimirum, susceptas pro pietate actiones, consuevit divinum numen munerari. Cixilla Ildephonsi successor haec omnia memoria propagavit, ex ore Urbani Archiepiscopi, atque Evantii archidiaconi accepta; quibus per aetatem licuit rei gestae miraculo interesse. Lapis, ubi b. Virgo vestigio constitit, in ipso templi Toletani aditu monstratur cratibus ferreis inclusus, rei tantae monumentum.

Accidit praeterea eodem anno, ut Cixilla sentire visus est, aut ut alii malunt, proximo 9. Decembris die, qui dies Virginis Leocadiae memoriae sacer est, ut ad ipsum Leocadiae tumulum, rege praesente, atque Praesule sanctissimo sacris operante, sepulcri lapide, quo tegebatur, et quem vix triginta valentissimi homines loco movere potuissent, sponte sublato, tumulo egresso, Leocadia manum Ildephonsi tangeret, atque in haec verba prorumperet: Ildephonse per te vicit Domina mea, tum universo populo metu exanimato, Ildephonsus in Leocadiae virginis laudes effusus, urbis ei, atque regis patrocinium commendavit, cupidusque rei tantae ad posteritatem certo testimonio propagandae, gladiolo, quem ex vagina detractum rex ea de causa obtulit, veli partem, quo Virginis caput tegebat, prinsquam se reciperet in sepulcrum, abscidit. Ea veli pars cum gladio ad hanc diem in sacro Toletani templi aerario conservatur, et visitur.

§. LXXIII.

Zonaras (*in Copron.*), Nicephorus (*libr.* 22. *rer. Roman.*), et reperitur in scriptis s. Ioannis Damasceni: Bonorum, quibus in vita fruimur, fons et nascendi principium, quod habent a Virgine sacra permulti, quorum ducem esse volumus Stephanum illum minorem, qui martyrium passus est tempore Constantini Copronymi propter sanctarum imaginum honorem, et cultum. Historia vera est, et gravius vertit e Graeco in Latinum sermonem Iacobus Bilius Pruneus sancti Michaelis in eremo Abbas doctissimus. Habetur inter scripta sancti Ioannis Damasceni copiosiora post tres de imaginibus orationes, nec dubito, quin aliquis Damasceno non dissimilis haec ipsa conscripserit. Sanctus Stephanus Constantinopolitanus civis Anastasii pestiferi Imperatoris natus est tempore, qui alio nomine dicebatur Arthemius. Porro Stephani parentes pii fuerunt, atque religiosi, benignique miserrimis. Divina iidem templa crebro visebant, donisque, et muneribus sine intermissione cumulabant: nam, etsi duarum parentes erant filiarum, tamen, quod virili prole carerent, foecunditatem illam orbitatis instar esse arbitrabantur. Quare ab immortali Deo, rerumque omnium largitore poscebant, ut matrem tandem aliquando procrearent. Idque tum potissimum faciebant, cum in Blachernio, Deiparaeque templo versabantur. Dum autem, illo augustissimo die, qui patienti Christo sacer est, pervigilium inibi de more celebrarent, Anna inclyti Samuelis, antiquae illi parenti, nomine, voloque persimilis. *Cum*, ut Scripturae verbis (1. *Reg.* 2) ular, *Deum flens largiter oravisset, et coram Domino preces multiplicasset;* et cum Dei Genitricis imagine, in qua tamen venerabatur, agnoscebatque Deiparam, tanquam cum viva disseruisset, seque, si quod optabat, consequeretur, quem peperisset, Iesu Christo ipsius filio devoturam promisisset; sub precandi finem, somno abrepta, matronam, incredibili quadam forma, fulgoreque praeditam cernit, quae ipsius pedem vellicans: abi, inquit, in pace, muliercula, erit tibi in utero filius, quemadmodum postulasti: haec ubi est locuta, discessit. Anna surgit, admirans, et eorum memor quae audierat, intima voluptate perfunditur. Edito tandem in lucem partu, veluti quodam pacti, promissique praeludio, ad Blachernense templum cum marito profecta, filium ei, quem acceperat, obtulit: cape, inquiens, Dei Mater hunc charissimum filium, quem tuo beneficio concepi, peperique nono post mense, accipe, quem tibi, et unigenenito filio tuo, vel ante ipsam conceptionem

dedicavi. Haec cum dixissel, coniugemque manu prehendissel, digito in Virginis imaginem intento, haec ait, vir suavissime, ut desideratum nostrum Stephanum parerem praestitit; ut mascula nobis proles esset, haec ipsa perfecit. Huic ergo postulatum meum credens, atque committens, voti compos evasi. Agnoscebat Deiparae donum ipsius imaginem venerata. Igitur gratiis beneficentissimae Dei nostri parenti habitis, actisque domum redierunt. Puer autem, ubi primum ad eam pervenit aetatem, libet explicare historiam, ut Virginis qualia sunt dona, noscamus, quae studiorum capax esset, deductus est ad ludimagistros, apud quos quantum profecerit, res facile declaravit: nam ad egregiam naturam, librorum, et diligentiae quasi pennas adiungebat, et ad doctrinae perceptionem duplicis alae subsidio celerrime convolabat, ac velut generosus equus per planitiem cursu incitatissimo ferebatur. Illud quidem sedulo agebat, ut non modo litteras, sed virtutem etiam sibi uno, et eodem tempore compararet, illis mentem ut excoleret, hac mores, et vitam ornaret. In sacris aedibus, dum Scriptura legebatur, rectus stabat, totusque eorum quae dicebantur, auditione defixus haerebat. Divi Chrysostomi libros studiosissime lectitabat, cuius amore incredibili tenebatur. Hac igitur ratione mores suos ita conformavit, ut os a iureiurando purum servaret, inanem sermonem neque ipse proferret, neque aliis excidere pateretur: a suspicionibus, et earum filiis detractione, maledictionequc vehementer abhorruit: delicias, divitias, falsam gloriam, iactationem fortissime, constantissimeque reiecit: atque ita se in omnibus gessit, ut Virginis donum, mirabileque munus possemus agnoscere. Cum autem ferocissimi Leonis Isaurici impia tyrannis omnia perturbaret, Stephanique parentes, promissi memores, filium adolescentem in Byzantinis monasteriis, Deo militare haud quaquam utile esse iudicarent, ad Auxentianum montem, praeclarum monasticae vitae gymnasium, filium deferre statuerunt: ibi detonsus, ac Christo, et eius Matri ex sponsione devotus, magno esse coepit exemplo, atque omnium, Abbatisque praecipue viri sanctissimi virtutes imitabatur. Eo mortuo, Abbas est creatus noster Stephanus: quod munus sanctissime gessit, multosque celebres discipulos educavit. Leoni mortuo, ad inferosque detruso, filius Copronymus, longe peior, immaniorque succedit, qui et sacras imagines ex templis, ac vasis sacris erasit, et monachis nefarium bellum indixit. Hoc tempore ad Stephanum se conferebant multi fideles, ut consolatorem in tantis malis invenirent: nam insigne illud Blachernis templum Deiparae impius Copronymus sacris picturis imaginibusque privavit. Erat in hac aede magnifica eximio, praeclaroque artificio depicta Christi nativitas, et venerandorum mysteriorum divina miracula, descensus ad inferos, et gloriosa Servatoris anastasis inexplicabili expressa decore fulgebat. Quibus omnibus horrendum in modum abrasis, atque deletis pestis illa, ac furia, arborum figuras, atque avium formas priorum loco substituit. Et cum turpissimus imperator cum patriarcha sui simili Stephanum in suam sententiam pertrahere conaretur, eum per Callixtum impium, et nefarium hominem sollicitavit. Legatus, vel leno potius operam in deliniendo Stephano perdidit, cui Caesaris nomine, dona blandissimis verbis obtulerat. Offensus ea repulsa Callixtus, quendam ex Stephani discipulis, nomine Sergium, ad proditionem sui praeceptoris allexit, qui pecuniis corruptus, Aulicalamo improbissimo homine socio, sanctissimi Stephani mores, vitamque edito libello famoso proscindit. Stephanum Imperatoris memoriam execrari, eum, haereticum dicere, ac diis devovere, Syrium, ac Vitellium appellare, adversus regis sui maiestatem novas artes, consiliaque moliri; denique cum quadam foemina, cui Anna fuit nomen, eamque Stephanus ipse sanctimonialem fecerat, stupri habere consuetudinem; ad hoc tam impudens, tamque scelestum mendacium corroborandum, Annae ancillulam pecunia corrumpunt, eique tum libertatem, tum aulici cuiusdam nobile connubium polliciti, ut adversus heram, sanctumque Stephanum consentanea dicat, persuadent. Ergo ad Imperatorem captiva perducitur; sed coram eo obiectum stupri crimen facillime confutavit, et Stephano mirae sanctitatis constans, et fidele testimonium dedit, quae in tenebrosum inclusa carcerem, ac verberibus acerrime cruciata, ut mentiatur, adduci non potest. Ubi haec ars irrita cecidit, Stephanum Copronymus cum multis Haeresiarchis committi iubet, quos omnes disputando convicit; quare in Hellespontum relegatur, ubi, cum desertissima quaeque insulae loca peragrasset, in speluncam devenit, in qua Christi Iesu aviae d. Annae templum invenit. Hunc locum non sine divino nutu reperisse se ratus, in eo domicilium collocavit, et herbarum inibi nascentium radicibus victitabat. Per idem tempus discipuli ab Auxentiano monte repulsi, suum pastorem, praeceptoremque indagantes, cum in Proconesum Hellesponti insulam venissent, felici sorte, quem quaerebant inveniunt, et cum suo se Patre, duobus dumtaxat fugitivis exceptis, placide et amice coniunguut. Quin et mater Stephani eodem cum filia confugit, et monasticum ibidem institutum amplexa, secundo filii Stephani exilii anno, socia filia Theodora migrat e vita. Innumerabilia sunt, quae supra naturae vires, divina agente virtute, in illo Hellespontiaco secessu patravit Stephanus: ex quibus illud taceri non patiar, quod ad hanc virginalem historiam maxime facit. Quidam miles, nomine Stephanus, genere Armenus, qui dimidia sui parte contabuerat, et prae morbi gravitate totus ad terram se inclinabat, miraculorum Stephani fama permotus ad eum venit, ad pedesque Abbatis accedens, ea postulavit, quae accipere vehementer optabat. Stephanus fidei plenus, et charitatis, cum ei, qui aegrotabat, Christi, et Deiparae imaginum adorationem, et christianam reverentiam imperasset, idque Stephanus aeger effecisset, eum sanum prorsus, et valentem reddidit. Cum ad castra redeuntem Stephanum admirati commilitones, qua ratione convaluisset, interrogarent, ille a monacho Stephano Proconesi incola duas imagines, unam Christi, alteram Deiparae ve-

nerari iussum, statim ut obedivit, se valuisse, respondent. His auditis, impii, conceleratique socii, manibus horrore complosis, vae tibi exclamant, qui in idololatriam incidisti; itaque rem deferunt ad Thraciae praefectum, qui habita quaestione, ad Imperatorem, magni loco muneris, ex morboso sanum mittit Stephanum Coproonymus. Miraculo sanitatis parum attente animadverso, militem rogat, num colat imagines? Idola se execrari respondentem, et Christicolarum adversus sanctas imagines, religionem hoc convitio haeretico deformantem, Centurionem creat, impietatemque hominis, et ingratissimi, et inconstantissimi, militari illo honore remunerat. Ultrix tamen Dei iustitia ab infiquissimo desertore poenas illico repetivit, dum enim ab imperatoris aula reversus in equum parat ascendere, ille subito exiliens, nefarium apostatam ad terram afflictum ruina contrivit, neque ante calcibus ac pedibus tundere destitit, quam ingratam, perfidiosamque animam sceleratissimus transfuga vomuit. Tyrannus hoc facto, ira excandescens, Stephanum ad se Proconeso iubet adduci; illud iterans, quod ne exilio quidem mulctatus, sibi temperaret; at Stephanus, cum ad imperatoris tribunal raperetur, pio quodam et catholico nummum petiit, et in cucullum furtim inclusit. Ut eum tyrannus vidit, exclamare coepit, se ab uno hominuncione contemni, imperatoriam maiestatem a terrae filio derideri. Stephanus attentione captata, de imaginum sacrarum veneratione cum imperatore graviter, sapienterque disceptat, sacrae Scripturae loca colligit, Patrum testimonia, et Ecclesiae citat Concilia. Deinde Coproonymi et insipientiam, et impietatem gravissima oratione cruentat; qui Christi imaginem, non secus atque Apollinis statuam, et Deiparae effigiem, perinde atque Dianae simulacrum et voce, et pedibus violasset. Negante imperatore, ab eo, qui conculcet Christi imaginem, Christum ipsum continuo pessumdari, Stephanus illorum more, qui bellica laude praestant, adversarium proprio telo ferire statuit, et in cucullum porrecta manu, nummoque, cui impius ille insculptus erat, extracto, Christi verbis usus; cuiusnam, inquit, haec est imago, et superscriptio? mirante Coproonymo, et respondente; quemnam alium, quam imperatorem figura ista refert? quid, instat Stephanus, refert, si quispiam eam in terram proiectam pedibus teral, poenas ne aliquas luet? quid ni? dixerunt qui astabant, cum Imperatoriam proculcet effigiem? Hic vir sanctus gravem quendam ex imo pectore gemitum trahens, et magno animi dolore conquestus: O immanem coecitatem exclamat. Si pro mortalis Imperatoris effigie gravissimas poenas irrogandas esse ducitis, quas tandem cum subiturum putatis, qui Filii Dei, ac Matris ipsius calcarit effigiem, ignique tradere non dubitaverit? haec ubi dixit, nummum illum pede, et calce pessumdedit, atque itentidem conculcavit. Attamen, qui aderant, imperatoris partem amici, partim administri, ferarum more invadentes Stephanum, in mare vicinum deiicere conabantur, quos Imperator, simulataque patientia cohibuit, Stephanumque ligato collo, et revinctis post terga manibus, ad publicum Praetorii carcerem amandavit, ut propter violatam Caesaris effigiem, poenas lueret a lege constitutas. In carcere Stephanus, ubi usque ad necis diem praedixerat se esse mansurum, monachos trecentos quadraginta duos invenit, quorum alii praecisas nares, alii exsectas aures, quidam avulsos oculos, nonnulli truncatas manus habebant, quod scripta pro sacris imaginibus edidissent. Itaque ex praetorio monasterium factum esse videbatur. Hoc tempore catholica mulier, et bene in sacras imagines animata, tres Stephano picturas otendit, unam Dei Genitricis, ulnis filium amplectentis, duas Petri et Pauli Apostolorum, quas, cum religiose suspexisset, atque adorasset, Stephano dedit; accipe, inquiens, ut hinc tibi mei, id est, mulieris peccatis obstriclae, memoria refricetur. Quin etiam singulis, et sabbatis, et Dominicis, pauis uncias sex, et aquam, quae ter potanti sufficeret, Stephano eadem mulier afferebat; haec enim cibi, potusque dimensio Dei famulo Stephano fuit unaquaque hebdomada per novem menses, et dies aliquot: etsi enim menses undecim exegit in vinculis, tamen morte appropinquante voluit esse iejunus, suos custodiae socius Stephanus, Petri, et Ioannis, duorum recens martyrum, exempla recitabat. Illa Blacherius conlectus in vincula, cum inspectante Imperatore, pro Christi defensa, cultaque imagine nervis atrocissime caederetur, nullum ignavi, ac timidi animi specimen dedit in horribili cruciatu; imo vero Imperatorem libere increpans Iulianum Apostatam appellare non timuit, inque tormentis, Deo gratiis fervide actis, expiravit. Hic, cum nullo terrore, nullisque minis adduci potuisset, ut Christi, eiusque Matris imagines iniuriose haberet, eiusdem imperatoris iussu, sacco insutus, et immanis saxi pondere oppressus, in mare deiicitur. Cum vero Stephanus martyrii diem praevidisset, quadragesimo ante mortem die, praeclaram illam, hospitalemque mulierem, et eorum, qui una in custodiam dati erant, fidelem administram, misericordemque fautricem his verbis alloquitur: Tuae erga me pietatis, et benignitatis fructum, velim tibi cum foenore Christus rependat: deinceps, o benefica mulier, ad quadraginta dies mecum ipse versari, ac memet diligentius excutere cupio, peto igitur abs te, ut panem, et aquam deportare iam desinas, quippe, cum sciam vitae finem imminere, monasticae exercitationis arcum multo vehementius oportet intendere. Ergo dies, noctesque vir sanctus Patres illos, quos custodiae participes habebat, monere, hortarique non destitit, et quas nocturno tempore sacer ille chorus Dei laudes frequentabat, morti vicinus Stephanus multo dulcius, multoque alacrius modulabantur. Cives nonnulli, qui sanctioris vitae colebant studium, vilibus induti pannis, clam ad Stephanum veniebant, eiusque doctrina, et colloquio, magna animorum voluptate, fruebantur. In his studiis, et occupationibus pene effluxerant dies illi quadraginta, iamque octavus, et trigesimus inchoabat, cum Stephanus suam illam beneficam, et liberalem hospitam, rursus accersitam, coram Monachis, et Fratribus ita coepit affari: Deus, qui misericordibus, et benignis plus centuplo se redditurum promisit, clementibus te oculis aspiciat, et pro tua erga me officio longe copiosiorem mercedem referat. Deinde sacris prolatis imaginibus: accipe, inquit, praeclarum hoc tuum depositum, quod tibi, et in praesenti vita adversus omne malum praesidio sit, et in ea, quam expectamus, tuae erga Deum charitatis, et orthodoxae fidei pignus existat: crastina luce ad alium mundum, aliumque Imperatorem proficiscar. Hic mulier, cum amarum quendam gemitum edidisset, extremamque Stephano salutem dixisset, receptasque eas, quas dederat, imagines linteo quodam obvolvisset, domum reversa est. Interim Deo invisus Imperator, Bacchique cultor, qui cum daemonibus pactum inierat, et se in omnium flagitiosarum voluptatum coeno volutaverat, certior fit a suis de praetoriano carcere in monasterium Stephano auctore converso; itaque inflammatus, atque insano furore debacchans, Stephanum capitali supplicio condemnavit. Irrumpunt in carcerem sceleris administri, ultro se prodentem Stephanum calcibus, saxis, fustibusque contundunt; inde ad templum s. Theodori martyris Stephanus, nedum quidem pietatis immemor, sancti memoriam humi fixus honoravit; cum quidam ex sanguinariis, qui Philomatius appellatur, Coproonymi dictorum, factorumque sectator, monachos ingluvios, ebriososque semper appellans, praecipiti furore actus, et arreptus exclamat: Cernitis, ut nefandus iste martyrum mortem exoptet? inter obloquendum, ligno quodam haud parvo, sancti viri quam vehementissime cerebri membranam ferit, quo vulnere occisus Stephanus, ad coelum advolavit, sed omnipotentis Dei vis illa ultrix apparuit, non enim ut plerumque solet, moram interposuit: nam simul atque Dei vis illa ultrix apparuit, servum carnifex ille percussit, ipse quoque plaga, nescio qua ictus humi corruit, dentibusque orrendum stridens, atque ore spumam eiectans, per terram volvebatur, graveque hoc Dei flagellum ad extremum usque spiritum, nefarium concussit patricidam. Hoc est martyrio perfunctus Christi hic pugil egregius, primique Stephani, re, et nomine mirabilis imitator, tertio et quinquagesimo aetatis suae anno, Novembris octavo, et vigesimo die. Ac ne pestilens quidem ancilla, quae et sanctum Stephanum, et heram suam falso, ut diximus, accusaverat, iustum Dei iudicium effugit, eam Auricalamus ut promissa praestaret, metu magis quam fide cuidam eorum, qui colligendis Bithyniae tributis praeerant in matrimonium collocavit, praegnans gemellos enixa est. Ceterum sub media nocte repente infantulis arreptis, insolito furore maternis mammillis, horribiliterque comestis eam protinus necaverunt. Deinde viperini illi foetus pariter extincti perierunt. Verbosiores in hac explicanda historia fuimus, ut virginale donum Deiparae dignum monstraremus: nec aberratum fuit, quandoquidem in hac narratione multa erant de Virgine proferenda, cuius imaginem coli docuimus.

§. LXXIV.

Caesarius (*l. 7. c. 8*) haec narrat his verbis: Canonicus quidam sancti Cuniberti in Colonia, nomine Henricus, vita saiis saecularis, cum die quadam solus equitaret, nubecula lucida viam ipsam, eo introeunte, transvolavit, vocemque clarissimam de ipsa nube audivit, dicentem: Fiat voluntas tua, sicut in coelo, et in terra; eratque vox illa tantae dulcedinis, ut quotiescumque postea illius recordaretur, lacrymis infunderetur. Cum tamen tunc vocem hanc coelitus demissam minus attenderet, vel potius non intelligeret, nocte quadam per visum se stare vidit in cappella domus suae ante altare coram imagine beatae Dei Genitricis Mariae, quam cum verbis angelicis solito salutaret; respondit illa: Ut quid me salutas? homo perditus es, et nisi vitam tuam emendaveris, citius peribis: ego enim, et sanctus Benedictus intercessimus pro te, qui cum secundam hanc admonitionem dulcedine vitae saecularis abstractus negligeret, circa tempus sex hebdomadarum tam gravi infirmitate correptus est, ut iungeretur, nec ulla esset spes vitae eius: tunc demum ad cor reversus, et quid audierit, quidve viderit, recordatur, fratribus quibusdam Bergensibus Ordinis Cisterciensis ad se vocatis se reddidit, qui in proximo Pascha monachus factus est, meritisque et precibus beatae Virginis Mariae se illuminatum usque hodie gloriatur. Apollonius, cuius fuit uxor illa facta de nube, et quis sensus eius? Caesarius, quantum ex iam dictis colligitur, beatissimae Mariae, et sancti Benedicti: orabant enim Christum, ut sicut voluntas eius est in coelo, id est, in iusto, ita et eius voluntas, quae semper bona est, fieret in terra, hoc est, in illo iuvene tunc peccatore. Nec mirari debes, si peccatores per eam illuminantur, quia sicut nomen eius, ita et laus eius in fines terrae: Maria enim interpretatur, Stella maris, sive illuminatrix. Quod vero desperati, et contra omnem gratiam indurati, per ipsam ad confessionem, et veniam reparentur, praesto sunt exempla nonnulla.

§. LXXV.

Idem Caesarius (*eod. lib*): Simile beneficium consecuti sunt duo pauperes Parisiis a b. Virgine Maria, sicut mihi retulit Lambertus monachus, qui eodem tempore ibidem dicit se studuisse. Cum enim collecti fuissent in hospitali, quod situm est ante eius oratorium in paradiso, viro cuidam religioso eiusdem hospitalis ministro ipsa Virgo benignissima, cui cura est de omnibus, apparere dignata est, dicens: bone pater, vide ut diligentia ac custodia adhibeatur illis duobus pauperibus, quia in periculoso statu sunt, et daemones cum multa sollicitudine circumeunt, quomodo eis noceant: quod cum indicasset sacerdoti, et ille eos ad emundationem conscientiae hortaretur semel, ac secundo, nec proficeret, tandem se subiunxit:

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

miseri, ego novi vos esse in peccatis gravissimis, citoque moriemini, et nisi confessi fueritis, intrabitis gehennam, poenis aeternalibus cruciandi. Illi vero territi, et quod credibilius est, precibus b. Dei Genitricis Mariae illuminati, peccata sua confessi sunt, moreque christiano decedentes, daemonibus luctum, et sanctis angelis gaudium fecerunt in coelo. Apollonius: Valde laetificant ista. Caesarius: Non solum peccatores fidem sine operibus habentes, per ipsam, ut probatum est, illuminantur, imo etiam apostatae a fide, quod signum est maioris misericordiae, per eam Christo reconciliantur. De hoc habes manifeste exemplum (*in dist.* 2. *cap.* 42) de iuvene, qui iuxta Florentiam Christum abnegans, et diabolo se reddens, eius precibus pervenit ad indulgentiam. Simile legitur de Theophilo Alexandrino. Apollonius: Quia iam ferme sermo satis protractus est de beneficiis eius circa peccatores, precor, ut exemplis mihi ostendas quantis, et qualibus per eam iusti revelationibus consolentur. Caesarius: Quam mirifice iustos sibi servientes sancta Dei Genitrix Virgo Maria consoletur, ex paucis, quae subiiciam, cognoscere poteris exemplis.

§. LXXVI.

Idem Caesarius (*eod. lib.*): Monachus quidam, sicut frequenter contingit, cum nocte quadam dormire non posset, diceretque orationes suas, contemplatus est in dormitorio foeminam miri decoris, quae dum dormientium lectos circumiret, singulis benedixit, uno tantum monacho neglecto, quem non respicere curavit. Hunc vigilans, diligentius notans, cum visio ei fuisset intimata mane, confessus est, quod eadem nocte inordinate iacuisset, aliquid sibi de rigore ordinis relaxando; non mihi dicere potuit magister meus, utrum cingulum deposuerit, vel caligas demiserit, sive tunicam denudaverit. Apollonius: Si pro culpa tam modica, monachus iste gratia benedictionis privatus est, puto eum dignum esse poena, qui ordinate et impudice iacere dormiens consuevit. Caesarius: de hoc terribile satis habes exemplum (*in dist.* 5. *cap.* 35) de quodam converso, quem diabolus impudice dormientem, in forma monialis deosculabatur, qui mox infirmatus, infra triduum mortuus est: dormientes enim et peccare possumus, et mereri, intellige denominatione sumpta ab actu praeterito in vigilia, quae enim vigilando cogitamus, sive ad quae movemur, sive bona sint, sive mala, eadem nobis saepe per somnia occurrunt; sicut catena, dum trahitur et iactatur, pulsus pulsum impellit, ita in dormiente praecedens cogitatio, motus sive consensus, opus bonum, vel malum inducit. Apollonius: Placet quod dicis: procede nunc de consolationibus iustorum.

§. LXXXVII.

Idem: In Arnsburg domo, Ordinis Cisterciensis fuit quidam Frater devotissimus erga beatam Virginem Dei Genitricem Mariam. Hic dum aliquantum temporis in eius domo servitium peregisset, aestu cordis incredibili coepit anxiari, aliquam sibi specialem visitationem a Matre misericordiae cupiens impertiri. Igitur quadam intempestae noctis hora, dum in strato se ad requiescendum collocasset, oculis somnum non capientibus, toto cordis affectu fiducialiter invitare coepit b. Virginem, ut de alta polorum sede descenderet ad se invisendum. Tum repente e lecto prosilit, et pomarium quoddam dormitorio contiguum ingreditur, in quo aliquantum resedit, oculis cordis, et corporis sursum erectis; tum ecce Virgo pulcherrima ingreditur, his eum verbis alloquens: Nunquid non desiderabis audire cantum meum? quo respondente: desidero; tam dulciter modulata est, ut vix aures humanae sufferre possent. Melodia autem illa terminata, vale dicens Virgo, abiit: et post pusillum, vidit aliam virginem ingredientem ad instar prioris nimio fulgore micantem, quae etiam dulce melos cecinit, et recessit. quas intellexit fuisse beatam Catharinam, et Agnetem. Et post parvum intervallum, ecce gloriosissima mater misericordiae Maria, per semetipsam visitare dignata est devotum sibi famulum; quae etiam omnes sibi in veritate servientes, neque hic, neque in futuro sua gratia destituet. Venit ergo circumvallata agminibus angelorum, omnem terrae noctis horrorem vultus claritate ac splendore lampadarum fugans; propiusque accedens, blanda voce eum compellare coepit: o frater charissime, si placuerit, qualitercumque recompensabo devotissimum famulatum tuum dulci melodia. Beata itaque Virgine melos praecinente, Frater ille, quasi in extasi factus, in faciem corruit, et omnis illa visio disparuit. Interim Fratres ex more ad matutinalem surgunt synaxim, praedicti Fratris absentiam vehementer admirantes, quia nunquam divinis officiis se subtrahere solitus erat, nisi gravi infirmitate depressus, vel quolibet utili negotio occupatus. Quapropter, quia reverendus omnibus habebatur, officinas totius monasterii perlustrantes, tandem in praedicto pomario repererunt vultum habentem in terram demissum; quem levantes, et in lectum deponentes, omnem diligentiam adhibuerunt: qui sospitati redditus, per praeceptum Abbatis sui coactus, omnem rei ordinem pandere coepit. Qui postea non ingratus beneficiis sibi collatis, reliquum tempus vitae ferventius in Dei servitio, atque eius piissimae Genitricis perfecit: tandemque fine beato requievit. Haec mihi relata sunt a religiosa vidua sorore eiusdem Fratris, quae omnia testata est se veraciter intellexisse.

§. LXXVIII.

Idem Caesarius (*ibid. cap.* 24): Ante hos annos, cum Catholici contra Albigenses haereticos

fuissent signati, et iam non modicum ab iisdem essent iidem haeretici exacerbati; duo honesti clerici per terram illorum transeuntes, cum ecclesiam vidissent in via desolatam, ait unus alteri: Sabbatum est, intremus ecclesiam hanc, et dicamus missam in honorem Dominae nostrae: portabant enim secum librum, calicem, et indumenta sacerdotalia. Antequam esset missa completa, haereticis proditi sunt, qui, armata manu intrantes, et sacerdotem de ecclesia trahentes, linguam eius radicitus absciderunt; quem socius cum multo labore Cluniacum deducens, monachis commendavit. Illi vero sicut viri catholici, et religiosi sacerdotem catholicum, et notum propter fidem Christi, et Genitricis eius Mariae honorem tam crudeliter mutilatum, devote suscipientes, omnem ei humanitatem exhibuerunt. In nocte vero Epiphaniae, cum solemnes decantarentur vigiliae, baculo parietem pulsans, ministros advocavit, qui cum quaererent quid vellet, et ille se in oratorium deportari signaret, volentes ei parcere, non acquieverunt. Tandem importunitate eius taediati, in ecclesiam eum ducentes, ante altare quoddam deposuerunt; qui cum Matrem misericordiae tota mentis devotione invocasset, illa ei apparens, et carnem, linguae formam habentem, in manu tenens, respondit oranti: quia propter fidem Filii mei, et honorem mihi exhibitum, lingua tua privatus es, ecce novam tibi restituo: aperi ergo os tuum; quod cum fecisset, digitis ori eius immissis, radici linguae praecisae eandem carnem coniunxit, et univit: sicque disparuit. Qui mox cum angelo in vocem laudationis erumpens clara voce clamavit: Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum, usque ad finem; quam salutationem cum crebrius repeteret, stupentes accurrere ministri, accurrerunt et de choro monachi, de tam puro et tam iucundo miraculo Deum, eiusque Genitricem glorificantes. Non immemor collati sibi beneficii clericus in eodem coenobio factus est monachus. Cum Ioannes Scholasticus Xantensis circa idem tempus esset in provincia Albiensium cum exercitu Domini, audiens de tanto miraculo, in reditu Cluniacum venit, iam dictum monachum sibi ostendi petivit, et obtinuit; linguam vidit, ab eius ore, quae dicta sunt, audiens. Sicut nobis retulit idem Ioannes, reliqua carne candidior est, in loco praecisionis servans cicatricem. Huius miraculi testis est universus Cluniacensium Conventus usque hodie.

§. LXXIX.

Idem Caesarius (*ibid. c.* 25): Adam sacerdos, et monachus in Lucka, cuius supra memini (*c.* 17), considerans, me in huiusmodi miraculis delectari, ex multa charitate mihi de seipso retulit, quod dicturus sum: Cum, inquit, essem puer, ita caput habebam scabiosum, ut prae foetore putredinis eius mecum sedere vel legere scholares recusarent: prima oratio, quam didici, salutatio erat angelica, adhuc puerulus satis eam frequentans. Cum apud Monasterium Wesphaliae positus fuissem ad litteras, et eundo ad scholas, sive ad matutinas quotidie transirem per quandam ecclesiam conventualem, ex necessitate viae sine intermissione, ante oratorium in honore Dei Genitricis Mariae dedicatum cum tribus veniis totidem feci salutationes. Nocte quadam putans ad matutinas fuisse compulsatum, surrexi tremens, et cum venissem ad iam dictum monasterium, essetque oratorium clausum, tribus vicibus secundum consuetudinem genuflectendo, Dominam nostram angelico versiculo salutavi. Surgens vero inveni ostium apertum, et tanta erat in ecclesia claritas, ut fulgori meridiano assimilaretur; quam cum stupidus intrassem, vidi ante maius altare septem matronas pulcherrimas residentes, unam in medio, quae ceteris clarior erat, et sex hinc inde, id est, tres a dextris, et tres a sinistris: media vero me vocans, cum propius accessissem, ait: bone puer, quare non adhibetur cura capiti tuo? respondente me: Domina satis circa me laboraverunt amici mei, sed nihil profecerunt; subiunxit illa: nosti, quae sim? cui cum dicerem, non; Domina respondit: ego sum mater Christi, et domina huius oratorii, quia mei memoriam solitus es habere, ego tibi curam adhibeo: accipe fructus ligni fusilis, et fac tibi hodie ex eo lavari caput tribus vicibus ante missam, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, statimque curaberis: ad me accede Adam, quod et feci. Flectente me coram eo genua, manum super caput meum ponens, ait: ab hac hora usque ad diem mortis tuae non dolebis capite. Mane vero cuidam Fratri, qui me nutrivit, omnia retuli: qui in vallem proximam descendens, et ostensos fructus colligens, praedicto modo caput meum lavit, statimque convalui; dolorem vero capitis nunquam ab illa hora passus sum, cum tamen hoc in ordine satis sit miraculorum.

§. LXXX.

Idem Caesarius (*ibid. cap.* 27): Inclusa quaedam, sicut mihi retulit superior noster, qui illam novit, diu a daemone sub specie angeli illudebatur; non ei data fuerat discretio spirituum; diabolus saepius falsa quadam circumfusus claritate, illi apparuit, et foeminam simplicem familiarius alloquens, die quadam in huiusmodi verba prorupit: Nunc venio remunerare te. Requisita eodem tempore a confessore suo, quomodo haberet, cum ei responderet: optime: Sacerdos, sicut vir prudens, fiduciam responsionis eius considerans, causam inquisivit; cui cum confiteretur, quod ab angelo Domini crebrius visitaretur, sciens ille, docente Apostolo, angelum tenebrarum se transfigurare in angelum lucis; respondit, quando angelus denuo visitabit te, dices: rogo, Domine mi, ut Dominam meam sanctam Mariam mihi ostendas: quod, si fecerit, visa ea, genua flectes, et dices: Ave Maria gratia plena, etc. et si tunc substiterit, fictio non est; sin autem, scias, tibi a diabolo illudi. Quae, cum fecisset,

sicut fuerat edocta, ait diabolus: ut quid desideras videre illam? bene tibi sufficere debet praesentia mea; illa fortiter instante, opere diabolico, virgo mirae pulchritudinis se oculis eius obiecit, qua visa, mox ad pedes eius inclusa se provolvit, et contra phantasma angelicam salutationem proferendo, in turbinem illud resolvit; quam tamen inimicus evanescens in tantum terruit, ut amens facta, vix post annum dimidium, multorum precibus adiuta, sensum reciperet. Vides nunc, quanti sit ponderis nomen Mariae; Apollonius: Bene video, et non sine admiratione tam ex praesenti, quam ex praedictis exemplis virtutem eius considero. Caesarius: Invocatio huius nominis, non solum corruptores mentium, id est, daemones, sed et corruptores corporum, scilicet, malos, ac libidinosos homines enervat, ut infra patebit.

§. LXXXI.

Idem Caesarius (*ibid. cap.* 38): In Longobardia, in quadam domo Ordinis nostri, quae Carixtus dicitur, ante paucos annos monachus quidam extitit, nomine Bertramus; iste, tam ferventi motu charitatis Dominam nostram sanctam Dei Genitricem amabat, ut non sine magno cordis cruciatu audire posset, si forte dubitative quis diceret, vel legeret de corporali illius Assumptione. Cum iam exegisset in Ordine quindecim annos, adhuc iuvenis aetate in vigilia Assumptionis eiusdem gloriosae Virginis rogavit Abbatem, ut sibi liceret ire ad vicinam grangiam, dicens se non posse audire neque sermones Hieronymi in choro, neque sermonem in capitulo timens, quod praedictum est: erat enim grangiarius. Abbas sanctitatem eius turbare timens, annuit eius petitioni: cumque venisset iuxta grangiam, angelus Domini mirabili modo illum rapuit, et ad spatium unius dietae iuxta parvam quandam ecclesiam vicinam satis Castro fratris sui carnalis, viri nobilis, deponens, disparuit. Equus vero, cui insederat, et servus iuxta grangiam dimissi sunt. Erat autem fluvius, qui sine navi transvadari non potuit, inter Castrum, et capellam, qui cum sederet, admirans, ubinam esset, vel qualiter ad illum locum devenisset, iuvenis quidam splendidus de ecclesia exivit; et quia Domina nostra ipsi ccyus Ecclesiam ingredi mandaret, voce clara nunciavit. Ingressus Ecclesiam, vidit sanctam Dei Genitricem Virginem Mariam in corpore glorificato, in sede miri decoris residentem. Sedebant circa illam diversi ordines Sanctorum, patriarchae videlicet, prophetae, apostoli, martyres, confessores, virgines, viduae, et coniuges; erat autem hora nona: quem Virgo beatissima salutans, familiarius ait: Bertrame, meliores sermonibus Hieronymi hic audies sermones. Dicta nona, a circumsedentibus per intervalla dictae sunt et reliquae horae, vesperae videlicet, completorium, matutinae, laudes, prima, tertia, et sexta; eratque psalmorum, sive reliquorum cantuum melodia tam suavissima, et vocum tanta concordia, ut sermo nullus exprimere posset. Deinde, vultum iucundissimum ei exhibens, voce hilari ac dulci sic ait: Bene scio, Bertrame, quare nunc egressus sis de claustro, noveris pro certo, me in utraque substantia, id est, corpore, et anima glorificatam, et die quadragesimo a mortuis resuscitatam. Apollonius: His verbis concordat visio Dominae Elisabethae de Sconavia, in qua legitur, sub eisdem verbis Dominam nostram ei resurrectionem suam revelasse. Caesarius: Tanto amplius fides adhibenda est huic visioni. Mox ut beata Virgo verba praedicta protulit, conventus ille coelestis disparuit, et monachus in loco suae sessionis se solum invenit. Natu divino germanus eius, de quo supra dictum est, adveniens, cum solum illum ibidem reperisset, et quid ibi solus sederet, vel unde veniret, interrogassel; omnia, quae circa se gesta erant, ne laicum scandalizaret, per ordinem recitavit. Tunc ille expectare hic, frater, donec equum vobis adducam. Mira res, festinante illo ad Castrum, angelus Domini in momento, in locum, de quo tulerat, illum reposuit. Reversus miles, cum non invenisset, quem dimiserat, apostatam sive electum, illum aestimans, ad monasterium cursitavit, ad quod dicto completorio veniens Abbatem vocavit, et ubinam frater suus esset, requisivit. Cui cum Abbas signaret, ut expectaret usque mane, et ille responderet: scio, quia elecistis eum, minaretur que monasterio, rupto silentio, respondit Abbas: per licentiam meam ad proximam grangiam equitavit, non dubito quin ibi sit. Ierunt simul et in cappella conversorum orantem invenerunt, et cognoverunt ex testimonio illorum, quia eadem hora, qua miles eum iuxta Castrum reliquerat, eandem grangiam intraverit. Apollonius: In his, quae dicta sunt, parem hunc iudico virum duobus antiquis prophetis, Ezechieli scilicet, et Habacuc, ex quibus unus mirabiliter vidit quae agebantur in Ierusalem; alter vero de Iudaea subito translatus est in Babylonem. Caesarius: Aliquid amplius in isto considero: magis miraculosum videtur, corpus glorificatum, sive coelestes ordines oculis corporeis posse videre, quam in spiritu; qualem visionem se Ezechiel vidisse testatur. Apollonius: Consentio. Caesarius: Maiorem iudico visionem, quae sequitur: Die quadam angelus Domini ex parte Abbatis signum ei fecit, ut ad portam veniret: secutus est ille praecedentem, et cum ad portam non invenisset Abbatem, eodem signo angelus eum traxit in campum, qui cum miraretur, quonam esset iturus, et ille signis ex parte Abbatis sequenti nimis esset importunus, venerunt ad quosdam montes sublimes, quibus transmissis, locum ingressi sunt amoenissimum, arboribus, et diversi generis floribus nimis deliciosum: erat enim paradisus terrestris; inter cetera, quae ibidem vidit, duos senes splendidos, Enoch videlicet, et Eliam aspexit, et agnovit: tenebantque in manibus librum maximum litteris aureis scriptum, uno tantum folio vacuo; et dixit ei angelus Domini: iste est liber praedestinationis, continens omnia nomina electorum, qui ab initio mundi usque ad diem hanc nati sunt. Cum autem folium, quod vacuum cernis,

perfectum fuerit, mundus consummabitur; et ostendit ei nomen suum, quod cum legisset laetus, adiecit: nunquam delebitur nomen tuum de libro hoc: iste est liber, de quo David dicit (*in Psal.* 13. 7): *Et in libro tuo omnes scribentur:* et Dominus in Evangelio: *Gaudete, et exultate, quia nomina vestra scripta sunt in coelo.* Apollonius: Si in libro soli electi scribuntur, quid est, quod idem propheta de reprobis dicit: *Deleantur de libro viventium.* Caesarius: Psalmista hic alloquitur secundum spem illorum, qui de sua praesumentes iustitia, putant, se ibi esse scriptos. Quod autem nullus reproborum in eo scribatur, mox ostendit, cum subiungit: *Et cum iustis non scribantur.* Apollonius: Placet, quod dicis; sed rogo, ut si quid adhuc nosti de hoc beato viro, dicere mihi non differas. Caesarius: Tempore quodam, cum esset in oratione, beatam Genitricem Dei ex opposito sui supra cespitem virentem stare conspexit: et ecce fons aurei coloris e regione cum impetu erumpens, rivulum suum ad pedes eius dirigebat: cuius lapilli lapides erant pretiosi, smaragdi videlicet, carbunculi, topatii, sapphyri, et hyacinthi. Cumque de visione miraretur, ait illa Domina nostra: nosti Bertrame, quid ista significent? dicente illo: non, Domina; respondit: fons iste aurei coloris, Ordo Cisterciensis est, qui, sicut aurum reliqua metalla, ita ceteros Ordines tam dignitate, quam sanctitate praecellit: illis iam ex magna parte fluentibus a me, iste speciali quadam praerogativa dilectionis, non cessat fluere ad me: lapilli pretiosi, quot vides rivulo manare, speciales amici mei sunt, in Ordine, et in obsequio meo, plus ceteris ferventiores: sicque disparuit visio in oculis eius. Omnia haec recitata sunt Abbatibus tempore Capituli generalis. Multa alia vir iste beatus vidit, et egit digna relatu, quae mihi non sunt recitata. Apollonius: Miror, quare non sit aliquis vir tam sanctus in Ordine passus tentationes? Caesarius: In principio conversionis suae, ut audivi, de cibis regularibus plurimum tentabatur, sicut vir nobilis, et delicatus. Haec cum dixisset Abbati, intelligens ille ex munditia conscientiae eius, Spiritum sanctum esse in eo, respondit: roga Deum, quod vis, et non negabit tibi. Oravit ille, et exaudius est: ab illo tempore in tantum delectabatur cibis regularibus, ut de licentia maioris abstinentiae Abbati foret importunus. Apollonius: Beati sunt claustrales, qui ad tantam familiaritatem Dei Genitricis admittuntur. Caesarius: Non solum claustrales, immo etiam, et personas saeculares se diligentes, mater pulchrae dilectionis diligit, et honorat, ex quibus occurrit, beatae memoriae, Wallerus de Birbach, cuius supra in diversis locis memini; quem non solum inferioris ordinis homines, sed et reges, et principes, nobilesque venerabantur, audientes beneficia a Matre misericordiae illi concessa. Apollonius: Cuius fuerit professionis vir iste, ex superioribus novi; sed quis fuerit, vel qualem duxerit vitam ante conversionem, sive conversus in Ordine, scire desidero. Caesarius: Quicquid de illius actibus memoria dignum novi, fida tibi pandam relatione.

§. LXXXII.

Idem Caesarius (*ibid. cap.* 39): Wallerus de Birbach villa oriundus, extitit vir dives, ac potens, et nobilis valde, consanguineus Henrici ducis Lovanii; qui cum esset militiae saeculari, adhuc aetate florens, deditus, et in ea strenuus satis, atque nominatus, Dominam nostram sanctam Dei Genitricem, semperque Virginem Mariam ab ipsa pueritia coepit invocare, et ex intimo cordis affectu diligere, atque ieiuniis, eleemosynis, et missarum celebrationibus honorare: licet enim corpore deditus esset, ut dictum est, torneamentis, corde tamen totus erat in obsequio b. Virginis. Tempore quodam, cum properaret ad quoddam torneamentum, milites habens in comitatu, venissetque ad ecclesiam quandam, illos, ut missam audire vellent, hortabatur: quod cum recusarent, moram tantam sibi periculosam esse praetendentes, illis recidentibus, ipse mansit, missam de s. Maria sibi cantari fecit, et obtulit, sicque socius insecutus est. Cui cum aliqui de torneamento occurrerent, et hoc ex responsione illorum cognovisset, subiunxit: est ne adhuc inceptum? dicentibus illis: etiam; respondit: quis fortius ibi agit? Dominus Wallerus, inquiunt, de Birbach, ipse in ore omnium est, omnibus praefertur, et ab omnibus laudatur: aliis vero occurrentibus, et similia dicentibus, stupens admirabatur: quidnam hoc portenderet: actum est ineffabili pietate b. Virginis, ut militem devotum in obsequio suo, tardantem interim torneamento honoraret, eiusque absentiam mirabili quadam virtute suppleret. Veniens tamen ad locum, armavit se, et intravit, sed nihil magni illic egit: ludo vero expleto, quidam ex militibus, hospitium eius intraverunt, et ut secum mitius agere dignaretur, deprecabantur: quibus cum diceret: quae est causa petitionis vestrae? responderunt: hodie cepistis nos, et rogamus, ut bene nos tractetis. Wallero neganti, ac dicenti: Ego vos non cepi; responderunt: In rei veritate nos hodie dextras vobis dedimus, nos signa vestra militaria ibi vidimus, nos vocem vestram ibi audivimus: et cognovit statim hoc actum fuisse gratia b. Virginis, quam honoraverat in missa. Apollonius: Cum sit mortale peccatum ire, et exercere torneamenta, quomodo b. Virgini placere potuerunt oratio, et oblatio Walleri. Caesarius: Duo ibi committuntur peccata mortalia, superbia scilicet, et inobedientia: superbia, quia fit in tuitu laudis humanae, et inobedientia, quia fit contra prohibitionem Ecclesiae: unde in torneamentis occisi extra coemeteria fidelium sepeliuntur. Cum autem obsequium praedictae missae Waltero potuisset esse meritorium vitae aeternae, si factum fuisset in charitate, nunc transivit in mercedem temporalem: opera enim bona, id est de genere bonorum, temporalibus remunerantur. Homo etiam per illa, ut quidam ex Scripturis probant, habilem se reddit ad gratiam suscipiendam. Hoc verum esse, sequens probat exemplum. Cum alio quodam tempore, nundinas illas execrabiles quaereret, et inter multos stans, missam audiret,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

sicut fuerat edocta, ait diabolus: ut quid desideras videre illam? bene tibi sufficere debet praesentia mea; illa fortiter instante, opere diabolico, virgo mirae pulchritudinis se oculis eius obiecit, qua visa, mox ad pedes eius inclusa se provolvit, et contra phantasma angelicam salutationem proferendo, in turbinem illud resolvit; quam tamen inimicus evanescens in tantum terruit, ut amens facta, vix post annum dimidium, multorum precibus adiuta, sensum reciperet. Vides nunc, quanti sit ponderis nomen Mariae; Apollonius: Bene video, et non sine admiratione tam ex praesenti, quam ex praedictis exemplis virtutem eius considero. Caesarius: Invocatio huius nominis, non solum corruptores mentium, id est, daemones, sed et corruptores corporum, scilicet, malos, ac libidinosos homines enervat, ut infra patebit.

§. LXXXI.

Idem Caesarius (*ibid. cap.* 38): In Longobardia, in quadam domo Ordinis nostri, quae Carixtus dicitur, ante paucos annos monachus quidam extitit, nomine Bertramus; iste, tam ferventi motu charitatis Dominam nostram sanctam Dei Genitricem amabat, ut non sine magno cordis cruciatu audire posset, si forte dubitative quis diceret, vel legeret de corporali illius Assumptione. Cum iam exegisset in Ordine quindecim annos, adhuc iuvenis aetate in vigilia Assumptionis eiusdem gloriosae Virginis rogavit Abbatem, ut sibi liceret ire ad vicinam grangiam, dicens se non posse audire neque sermones Hieronymi in choro, neque sermonem in capitulo timens, quod praedictum est: erat enim grangiarius. Abbas sanctitatem eius turbare timens, annuit eius petitioni: cumque venisset iuxta grangiam, angelus Domini mirabili modo illum rapuit, et ad spatium unius dietae iuxta parvam quandam ecclesiam vicinam satis Castro fratris sui carnalis, viri nobilis, deponens, disparuit. Equus vero, cui insederat, et servus iuxta grangiam dimissi sunt. Erat autem fluvius, qui sine navi transvadari non potuit, inter Castrum, et capellam, qui cum sederet, admirans, ubinam esset, vel qualiter ad illum locum devenisset, iuvenis quidam splendidus de ecclesia exivit; et quia Domina nostra ipsi ccyus Ecclesiam ingredi mandaret, voce clara nunciavit. Ingressus Ecclesiam, vidit sanctam Dei Genitricem Virginem Mariam in corpore glorificato, in sede miri decoris residentem. Sedebant circa illam diversi ordines Sanctorum, patriarchae videlicet, prophetae, apostoli, martyres, confessores, virgines, viduae, et coniuges; erat autem hora nona: quem Virgo beatissima salutans, familiarius ait: Bertrame, meliores sermonibus Hieronymi hic audies sermones. Dicta nona, a circumsedentibus per intervalla dictae sunt et reliquae horae, vesperae videlicet, completorium, matutinae, laudes, prima, tertia, et sexta; eratque psalmorum, sive reliquorum cantuum melodia tam suavissima, et vocum tanta concordia, ut sermo nullus exprimere posset. Deinde, vultum iucundissimum ei exhibens, voce hilari ac dulci sic ait: Bene scio, Bertrame, quare nunc egressus sis de claustro, noveris pro certo, me in utraque substantia, id est, corpore, et anima glorificatam, et die quadragesimo a mortuis resuscitatam. Apollonius: His verbis concordat visio Dominae Elisabethae de Sconavia, in qua legitur, sub eisdem verbis Dominam nostram ei resurrectionem suam revelasse. Caesarius: Tanto amplius fides adhibenda est huic visioni. Mox ut beata Virgo verba praedicta protulit, conventus ille coelestis disparuit, et monachus in loco suae sessionis se solum invenit. Natu divino germanus eius, de quo supra dictum est, adveniens, cum solum illum ibidem reperisset, et quid ibi solus sederet, vel unde veniret, interrogassel; omnia, quae circa se gesta erant, ne laicum scandalizaret, per ordinem recitavit. Tunc ille expectare hic, frater, donec equum vobis adducam. Mira res, festinante illo ad Castrum, angelus Domini in momento, in locum, de quo tulerat, illum reposuit. Reversus miles, cum non invenisset, quem dimiserat, apostatam sive electum, illum aestimans, ad monasterium cursitavit, ad quod dicto completorio veniens Abbatem vocavit, et ubinam frater suus esset, requisivit. Cui cum Abbas signaret, ut expectaret usque mane, et ille responderet: scio, quia elecistis eum, minaretur que monasterio, rupto silentio, respondit Abbas: per licentiam meam ad proximam grangiam equitavit, non dubito quin ibi sit. Ierunt simul et in cappella conversorum orantem invenerunt, et cognoverunt ex testimonio illorum, quia eadem hora, qua miles eum iuxta Castrum reliquerat, eandem grangiam intraverit. Apollonius: In his, quae dicta sunt, parem hunc iudico virum duobus antiquis prophetis, Ezechieli scilicet, et Habacuc, ex quibus unus mirabiliter vidit quae agebantur in Ierusalem; alter vero de Iudaea subito translatus est in Babylonem. Caesarius: Aliquid amplius in isto considero: magis miraculosum videtur, corpus glorificatum, sive coelestes ordines oculis corporeis posse videre, quam in spiritu; qualem visionem se Ezechiel vidisse testatur. Apollonius: Consentio. Caesarius: Maiorem iudico visionem, quae sequitur: Die quadam angelus Domini ex parte Abbatis signum ei fecit, ut ad portam veniret: secutus est ille praecedentem, et cum ad portam non invenisset Abbatem, eodem signo angelus eum traxit in campum, qui cum miraretur, quonam esset iturus, et ille signis ex parte Abbatis sequenti nimis esset importunus, venerunt ad quosdam montes sublimes, quibus transmissis, locum ingressi sunt amoenissimum, arboribus, et diversi generis floribus nimis deliciosum: erat enim paradisus terrestris; inter cetera, quae ibidem vidit, duos senes splendidos, Enoch videlicet, et Eliam aspexit, et agnovit: tenebantque in manibus librum maximum litteris aureis scriptum, uno tantum folio vacuo; et dixit ei angelus Domini: iste est liber praedestinationis, continens omnia nomina electorum, qui ab initio mundi usque ad diem hanc nati sunt. Cum autem folium, quod vacuum cernis,

perfectum fuerit, mundus consummabitur; et ostendit ei nomen suum, quod cum legisset laetus, adiecit: nunquam delebitur nomen tuum de libro hoc: iste est liber, de quo David dicit (*in Psal.* 13. 7): *Et in libro tuo omnes scribentur:* et Dominus in Evangelio: *Gaudete, et exultate, quia nomina vestra scripta sunt in coelo.* Apollonius: Si in libro soli electi scribuntur, quid est, quod idem propheta de reprobis dicit: *Deleantur de libro viventium.* Caesarius: Psalmista hic alloquitur secundum spem illorum, qui de sua praesumentes iustitia, putant, se ibi esse scriptos. Quod autem nullus reproborum in eo scribatur, mox ostendit, cum subiungit: *Et cum iustis non scribantur.* Apollonius: Placet, quod dicis; sed rogo, ut si quid adhuc nosti de hoc beato viro, dicere mihi non differas. Caesarius: Tempore quodam, cum esset in oratione, beatam Genitricem Dei ex opposito sui supra cespitem virentem stare conspexit: et ecce fons aurei coloris e regione cum impetu erumpens, rivulum suum ad pedes eius dirigebat: cuius lapilli lapides erant pretiosi, smaragdi videlicet, carbunculi, topatii, sapphyri, et hyacinthi. Cumque de visione miraretur, ait illa Domina nostra: nosti Bertrame, quid ista significent? dicente illo: non, Domina; respondit: fons iste aurei coloris, Ordo Cisterciensis est, qui, sicut aurum reliqua metalla, ita ceteros Ordines tam dignitate, quam sanctitate praecellit: illis iam ex magna parte fluentibus a me, iste speciali quadam praerogativa dilectionis, non cessat fluere ad me: lapilli pretiosi, quot vides rivulo manare, speciales amici mei sunt, in Ordine, et in obsequio meo, plus ceteris ferventiores: sicque disparuit visio in oculis eius. Omnia haec recitata sunt Abbatibus tempore Capituli generalis. Multa alia vir iste beatus vidit, et egit digna relatu, quae mihi non sunt recitata. Apollonius: Miror, quare non sit aliquis vir tam sanctus in Ordine passus tentationes? Caesarius: In principio conversionis suae, ut audivi, de cibis regularibus plurimum tentabatur, sicut vir nobilis, et delicatus. Haec cum dixisset Abbati, intelligens ille ex munditia conscientiae eius, Spiritum sanctum esse in eo, respondit: roga Deum, quod vis, et non negabit tibi. Oravit ille, et exaudius est: ab illo tempore in tantum delectabatur cibis regularibus, ut de licentia maioris abstinentiae Abbati foret importunus. Apollonius: Beati sunt claustrales, qui ad tantam familiaritatem Dei Genitricis admittuntur. Caesarius: Non solum claustrales, immo etiam, et personas saeculares se diligentes, mater pulchrae dilectionis diligit, et honorat, ex quibus occurrit, beatae memoriae, Wallerus de Birbach, cuius supra in diversis locis memini; quem non solum inferioris ordinis homines, sed et reges, et principes, nobilesque venerabantur, audientes beneficia a Matre misericordiae illi concessa. Apollonius: Cuius fuerit professionis vir iste, ex superioribus novi; sed quis fuerit, vel qualem duxerit vitam ante conversionem, sive conversus in Ordine, scire desidero. Caesarius: Quicquid de illius actibus memoria dignum novi, fida tibi pandam relatione.

§. LXXXII.

Idem Caesarius (*ibid. cap.* 39): Wallerus de Birbach villa oriundus, extitit vir dives, ac potens, et nobilis valde, consanguineus Henrici ducis Lovanii; qui cum esset militiae saeculari, adhuc aetate florens, deditus, et in ea strenuus satis, atque nominatus, Dominam nostram sanctam Dei Genitricem, semperque Virginem Mariam ab ipsa pueritia coepit invocare, et ex intimo cordis affectu diligere, atque ieiuniis, eleemosynis, et missarum celebrationibus honorare: licet enim corpore deditus esset, ut dictum est, torneamentis, corde tamen totus erat in obsequio b. Virginis. Tempore quodam, cum properaret ad quoddam torneamentum, milites habens in comitatu, venissetque ad ecclesiam quandam, illos, ut missam audire vellent, hortabatur: quod cum recusarent, moram tantam sibi periculosam esse praetendentes, illis recidentibus, ipse mansit, missam de s. Maria sibi cantari fecit, et obtulit, sicque socius insecutus est. Cui cum aliqui de torneamento occurrerent, et hoc ex responsione illorum cognovisset, subiunxit: est ne adhuc inceptum? dicentibus illis: etiam; respondit: quis fortius ibi agit? Dominus Wallerus, inquiunt, de Birbach, ipse in ore omnium est, omnibus praefertur, et ab omnibus laudatur: aliis vero occurrentibus, et similia dicentibus, stupens admirabatur: quidnam hoc portenderet: actum est ineffabili pietate b. Virginis, ut militem devotum in obsequio suo, tardantem interim torneamento honoraret, eiusque absentiam mirabili quadam virtute suppleret. Veniens tamen ad locum, armavit se, et intravit, sed nihil magni illic egit: ludo vero expleto, quidam ex militibus, hospitium eius intraverunt, et ut secum mitius agere dignaretur, deprecabantur: quibus cum diceret: quae est causa petitionis vestrae? responderunt: hodie cepistis nos, et rogamus, ut bene nos tractetis. Wallero neganti, ac dicenti: Ego vos non cepi; responderunt: In rei veritate nos hodie dextras vobis dedimus, nos signa vestra militaria ibi vidimus, nos vocem vestram ibi audivimus: et cognovit statim hoc actum fuisse gratia b. Virginis, quam honoraverat in missa. Apollonius: Cum sit mortale peccatum ire, et exercere torneamenta, quomodo b. Virgini placere potuerunt oratio, et oblatio Walleri. Caesarius: Duo ibi committuntur peccata mortalia, superbia scilicet, et inobedientia: superbia, quia fit in tuitu laudis humanae, et inobedientia, quia fit contra prohibitionem Ecclesiae: unde in torneamentis occisi extra coemeteria fidelium sepeliuntur. Cum autem obsequium praedictae missae Waltero potuisset esse meritorium vitae aeternae, si factum fuisset in charitate, nunc transivit in mercedem temporalem: opera enim bona, id est de genere bonorum, temporalibus remunerantur. Homo etiam per illa, ut quidam ex Scripturis probant, habilem se reddit ad gratiam suscipiendam. Hoc verum esse, sequens probat exemplum. Cum alio quodam tempore, nundinas illas execrabiles quaereret, et inter multos stans, missam audiret,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

sacerdos, ut in canone, calicem levavit, crucem auream sub eius pede conspexit, cui annexa fuit chartula haec continens verba: Crucem hanc defert ex parte mea, Mariae scilicet matris Christi, amico meo Waltero militi prope Birbach, quam cum sacerdos legisset, post completionem missae pulpitum ascendit, et clamavit: est ne aliquis hic miles, qui vocetur Walterus de Birbach? respondentibus quibusdam: ecce iste est; sacerdos eum seorsum duxit, crucem porrexit, et ubi illam invenerit, vel qui miserit, intimavit; quam laetus suscipiens, in Hemmenrode conversus eam Abbati resignavit, postea Comitissa Hollandiae, missis honestis nunciis, eandem crucem sibi dari petivit, et tali modo obtinuit. Cum conventus nunciis responderet, non possumus eam dare, nisi sit voluntas fratris Walteri, sperantes, quod non annueret, requisitus de hoc respondit: ego nihil proprietatis habeo, penes Abbatem est, sicque dolentes illam miserunt. Cuius aurum tanti fulgoris est, ut omne aurum in eius pallescat comparatione; quam Comitissa inter reliquias suas reposuit, ea uti non audens. Considerans Walterus adhuc in saeculo positus tanta circa se b. Dei genitricis beneficia, in tantum in illius amore accensus est, ut in quadam paupere ecclesia in eius honore dedicata, conscio sacerdote, fune collo suo iniecto, servum glebae se illi super altare offerret, solvens singulis annis censum de capite suo, qualem servi ordinarii solvere consueverunt; et quia propter honorem Reginae coelestis se tam valde humiliavit, ipsa suum dilectum etiam glorificavit. Solitus erat in vigiliis omnium solemnitatum b. Virginis ieiunare in pane et aqua, et saepe etiam in sextis feriis ob reverentiam sabbati: die quadam servus ieiunanti vas parvulum fictile cum aqua obtulit, quam in eius manibus divina virtus in vinum optimum convertit; qui cum gustasset aquam vinum factam, servum secrete vocavit, et arguit, dicens, sibi vinum pro aqua ministratum: quod cum ille negasset, asserens, se hausisse aquam de situla, vas recipit, et effudit, sicque aqua purissima impleta, ut securus esset, praegustavit, et obtulit, de quo, dum gustasset, sicut prius vinum invenit, et mox servo iratus, sic ait: ut quid mihi illudis, en secundo vinum pro aqua afferendo: ad quod verbum stupens servus, cum iuramentis maximis negavit. Tunc primum intelligens ex multa misericordia Dei Genitricis hoc miraculum circa se gestum, eundem servum adiuravit, ne illud unquam alicui homini, quoad viveret, manifestaret; ex quo colligitur, quod non cupidus erat inanis gloriae. Servus vero tanti particeps miraculi, frater est Arnoldus, qui cum eo venit ad Ordinem, vir sanctus et multum ordinatus, et in monte Strombergs sepultus. Antequam moreretur, idem miraculum ad Dei gloriam publicavit, timens, de thesauro occulto post mortem reddere rationem. Audiens saepe dictus Walterus, Ordinem Cisterciensem beatae Virgini dedicatum, omnia, quae sunt huius mundi, divitias videlicet, honores, et amicos ob illius amorem reliquit, et in claustro, quod alio nomine Hemmenrode dicitur, cuius fama tunc temporis, sicut et hodie, clarissima fuit, habitum regularem suscepit; in quo coenobio quam humiliter sit conversatus, quam fervens fuerit, et obediens, et in obsequio b. Virginis devotus, testes sunt omnes monachi eiusdem monasterii. Psallerium vero, hymnos, cantica, et alias de Domina nostra orationes plurimas in probatione didicerat, quae omnia studiosissime frequentavit; missae quotidianae Dominae nostrae semper interesse voluit: quicquid pene loquebatur, aedificatorium fuit: quia non solum verbis, et aspectu, imo etiam odore famae eius multi aedificabantur: magister hospitum creatus est. Tempore quodam ductus est ad monasterium spe curationis quidam obsessus, et in hospitio receptus: erat enim rusticus dives satis, ac notus, qui cum nullo remedio posset sanari, non reliquiis sanctorum, neque orationibus monachorum, saepe dictus Walterus auctoritate officii frequenter eum visitans, orationes, et rhythmos, quos habebat de Domina nostra conscriptos, super caput hominis legit, sacras picturas ostendit, per quae omnia daemon ut exiret, adiuravit. Die quadam, cum psalterium super obsessi caput posuisset, obsidens clamans, et farens, in tantum hominem, a quo exire cogebatur, turbavit, et allisit, ut cadens in terram, mortuus diceretur. Post horam ad se reversus surrexit, a diabolo se liberatum clamitans. Conversus vero qui curationi huic interfuit, et rusticum furentem servavit, ista mihi recitavit. Vadens ille sanus in domum suam, post aliquantulum temporis rediit, gratias agens b. Virgini, eiusque servo suo curatori, hoc verbum audiente conventu, addiciens, si nihil esset amplius reliquiarum a monasterio isto, praeter hunc sanctum virum, cuius meritis curatus sum, toti loco sufficere deberet. Apollon. Magna sunt, quae dicis: Caesarius: Non solum daemones, sed et bruta animalia illius sanctitati obediebant. Erat in monasterio poledrus pulcherrimus, et tanti valoris, ut tam Episcopus Trevirensis, quam dux Lotharingiae 40, ut puto, marchas argenti offerrent pro illo: species enim optimi dextrarii in eodem erat poledro. Timens conventus alterum offendere, si rei venderetur per dominum Walterum, duobus adhibitis conversis, eundem equum comiti Hollandiae gratis transmisit. Venientibus eis in quendam saltum, poledrus equaritiam, id est, gregem equarum de longe pascere conspexit, qui statim hinniens, atque lasciviens, ex ducentium manibus se excussit, et cursu velocissimo ad equaritiam properavit; quem cum conversi sequerentur, equaritia fugiente, magis poledrus ab eis elongabatur: quibus frustrato labore reversis, ait Walterus, procedamus; equus iste perditus est, nisi s. Maria illum nobis reducat. Vix ad duo milliaria processerant, et ecce poledrus velociter recurrens, qui nondum satis domitus fuit, velut ovis mansueta, ductoribus suis colla subiecit. Quia notus erat nobilibus terrae et ab eis, tum propter sanguinis nobilitatem, tum propter vitae sanctitatem venerabatur, saepe pro monasterii necessitatibus contra voluntatem

suam emittebatur. Tempore quodam, descendens cum nave domus, quae vinum portabat, eum in Zelandiam venisset, orta tempestas maxima omnes terruit, et navem inclinavit. Accessit periculum periculo: praedones namque ad eos remigantes, navim depraedari conati sunt; et ecce iusto Dei iudicio duo vasa vi ventorum eiecta, naviculam subverterunt, ipsosque praedones in profundum demerserunt: acta sunt haec in vigilia sancti Nicolai post mediam noctem. Singuli vitae suae timentes, Deo supplicabant; ipse vero vir beatus de gurgustio navis egrediens, servo suo deorsum ducto confessionem fecit, et intravit. Deinde, imagine Dei Genitricis eburnea, quam semper penes se habebat, coram se posita, ante illam se prostravit, et oravit, atque in illa oratione leviter obdormivit; statimque visum est, quod Dominum Arnoldum in claustro virum sanctum, et probatae vitae, tempore psalmodiae citharizare audirel, sicque ex ipsa dulcedine vocis expergefactus est: erat enim tempus matutinarum. Intelligens protinus, quod vir iustus eadem hora pro ipsis oraret, laetus exivit, omnesque consolans his verbis, ait: nolite timere: nullum vobis periculum nocere poterit, Dominum Arnoldum de sancto Leverino monachum nostrum audivi citharizantem, mox virtute divina, et meritis beatae Virginis, quam invocaverat, et iam dicti Arnoldi, tempestas sedata est. Haec cum relata fuissent Domino Hermanno Priori, nunc Abbati loci sanctae Mariae, statim Dominum Arnoldum, horum prorsus inscium vocavit, et quid in nocte sancti Nicolai infra matutinas cogitaverit, vel quid ibi egerit, interrogavit. Cui ille respondit: credite mihi: ego citharizavi ibi: quali modo, inquit, et ille: quando non possum habere devotionem, sub cuculla digitos, ad similitudinem citharizantis, moveo, et cordas cordis tango, sicque mentis torporem ad devotionem excito. Et miratus est Prior nimis, audiens haec, quia vir litteratus est, putans exemplo Helisaei hoc eum facere, in quo ad vocem psalterii excitatus est spiritus prophetiae. Ut enim laceam de fratribus, tantae fuit compassionis circa pauperes, ut in viam directus, petentes praeveniret ex nummis, sibi ad expensas datis illis porrigens. Cum quadam die scholaris nudipes illi occurreret, et frigus esset, stare eum fecit, et descendit, calceosque extractos illi tribuit, et novis quos in sacco habebat, reinductis, equum ascendit, et abiit; haec, me praesente, facta sunt: discordantes concordabat, inobedientes exorabat, iracundos, et impatientes ad cor saepius revocavit, tentatos exemplis plurimis, quae semper ad manum habebat, alleviavit. Hinc est, quod tempore quodam, cum de aliquo verba conferrem cum illo, in partem me traxit, et ait: et ego magnas carnis meae patior tentationes. Ut aliis posset mederi, proprias infirmitates illis non erubuit confiteri. Requisitus die quadam a praedicto Priore, sicut ipse mihi retulit, quid in mensa cogitaret, eo quod non intelligeret lectionem, respondit: ego habeo ibi lectionem meam, quando manducare incipio, retracto mente, qualiter pro me Dei Filius sit ab angelo nunciatus, et in utero Virginis de Spiritu sancto conceptus, sicque primum folium verto: deinde cogito, quomodo, angelis concinentibus, sit natus, et pannis vilibus involutus, in praesepio reclinatus; et ecce perlectum est folium secundum; in hunc modum transcurro circumcisionem: adventum Magorum, oblationem eius in templo, baptismum, ieiunium, passionem, et resurrectionem, ascensionem, et s. Spiritus adventum, extremumque iudicium: talis est lectio mea quotidiana, cuius finis, finis est prandii. Quod in tali libro comedens legeret, testabantur lacrymae, quas in mensa fundebat: plus enim delectabatur in sanctis meditationibus, quam in genuflexionibus, per quas spiritus contemplantis impeditur. Non multas, ut dixi, in oratione venias petivit, sed stans, vel supra genua iacens, erecto vultu coelos respicere consuevit. Antequam Deus eum vocaret de hoc mundo, quidam monacho mirifica quaedam visio relata est de illo. Existente eo Vnilre, quae domus est Ordinis Cisterciensis, cum Abbate suo Domino Eustachio, cum dies esset Dominica, totum conventum idem Abbas post coenam convocare fecit: quod cum factum fuisset, et ipse diceret; sunt ne fratres nostri hic omnes? responsum est ei: omnes, domine, exceptis duobus iuvenibus, qui de Francia hospites huc missi sunt, qui studiosi sunt valde circa silentium, maxime diebus, quibus communicant. Secundo vero ex parte eius vocati, cum venissent, et eis Abbas moram improperaret, humiliter se excusantes consederunt. Sequenti die conventus a labore redieus, et ante portam facto signo primo nonae, secundum expectans, senior ex eis, cum stans super fossorium suum se reclinaret, et nonam de Domina nostra diceret, sic stando leviter obdormivit: ecce ipsam Dei Genitricem diversorum ordinum personis stipatam, in mira claritate inter se, et portam transire conspexit, a qua cum minime, quasi ignotus, respiceretur, neque vocaretur, tristis ait intra se: hei mihi misero, quare me non vocat? quae cum paululum processisset, miserta illius, monachum familiarius sibi adhaerentem remisit, dicens: Voca monachum illum; quem cum reversus vocaret, ei diceret: Veni, Domina nostra vocat te; prae gaudio expergefactus est; intrans, et dominum Walterum considerans, dicebat intra se: Simillimus est monachus iste monacho per quem hodie Domina nostra in somnis vocavit me, nisi quod cuculla illius grisea, huius autem alba est, et recitavit visionem socio suo. Sequenti die cum Dominus Abbas, et Walterus essent recessuri, et ab eis praedicti iuvenes ad portam vocati, Walterusque in sua grisea cuculla staret, alba, quae sibi fuerat accommodata, deposita, ait monachus socio: revera, iste est monachus, qui vocavit me, vestem cognosco, de persona non dubito. Post dies paucos idem Walterus coepit infirmari, qui fide, et charitate plenus, confessus, atque contritus, b. Dei Genitrice se vocante, de tenebris transivit ad lucem, de fide ad speciem, de labore ad requiem, de merito ad praemium, de mundo ad patriam, ad quam nos perducat Dei Filius, Dominus noster Je-

sus Christus ex Maria Virgine natus, qui est via in exemplo, veritas in promisso, vita in praemio, Amen. Monachus vero Uvilariensis, et ipse vocatus, sicut fuerat ei praeostensum, interpositis paucis diebus, migravit ad Dominum. Haec mihi relata sunt a praedicto Abbate Eustachio. Ut autem ostenderet Dominus, quanti apud ipsum esset meriti Matris suae dilectus, signis post mortem ipsum glorificavit. Eodem tempore Wimemarus de Aldendor miles dives et honestus, lecto totus paralyticus decubuit, audiens hominem Dei unice sibi dilectum ad Dominum migrasse, mox nuncium ad claustrum misit, per quem sibi defuncti cothurnos transmitti supplicavit. Missi sunt ei novi, et mox remissi, eo quod intellexisset, eos de Walteri non fuisse, mox per eundem nuncium boni viri Dei satis veteres mittuntur; quos infirmus cum fide, ac devotione suscipiens, statim ut manus praemortuas imposuit, beneficium ex eis sensit: simile actum est in pedibus, ab illa enim hora coepit manus levare, et pedes erigere, et totius corporis vires, sensim tamen recipere, eadem vero calceamenta ob amorem beati viri, et concessum sibi per illa beneficium, in tantum venerabatur, ut in castro suo cappellam aedificaret, atque eosdem cothurnos eius altari ligneo, Abbate nostro praesente, includeret. Alius quidem miles periculosum habens apostema in pectore, audiens per praedictos calceos tantam in Wimemaro virtutem factam, unum sibi transmitti petivit, per quem mox, ut ulceris locum tetigit, plene convaluit. Apollonius: Satis mihi iam fateor probatum, quod b. Maria diligentes se diligat, et honorel. Caesarius: Non solum suos dilectores, ac dilectos ad vitam dirigit aeternam, immo frequenter illos etiam ad honores provehit temporales.

§. LXXXIII.

Caesarius (*ibid. capit.* 46): In praedicto Castro matrona quaedam habitat honesta, nomine Iutta: haec est illa, cui b. Virgo verba probrosa in suam iconam prolata, conquesta est, et merito: summo honore eandem imaginem venerabatur, salutationes, orationes, multasque venias coram illa faciens: Tempore quodam, cum filiam parvulam in villam proximam nutriendam tradidisset, et infantula iam triennis in area luderet, lupus ludentem, quibusdam aspicientibus, illam per gulam rapuit, raptamque in dorsum suum mittens, sylvas vicinas petivit; quem aliqui cum clamore insecuti sine ereptione puellulae, tristes sunt reversi: ex quibus unus in castrum cucurrit, et matri in mensa sedenti, raptum filiae nuncians, ait: Domina, lupus comedit filiam vestram; cui illa turbata nimis, respondit: Certe lupus non comedit filiam meam. Mox tamen mensa amota, surrexit: et in multa cordis amaritudine cappellam intrans, imaginem Salvatoris de sinu matris evulsit, stansque contra illam, cum multis lacrymis in haec verba prorupit: Domina, nunquam rehabebitis puerum vestrum, nisi mihi incolumen restituatis puellam meam. Mira humilitas Reginae coeli, quasi timeret carere filio suo, si mulier non rehaberet filiam, lupo protinus imperavit, et ille puellam dimisit. Insecuti sunt plures de villa lupi vestigia, cum puellae reliquias ad tumulandum quaererent, iuxta quoddam frutetum illam deambulantem repererunt, cui eam dicerent: Unde venis bona filia? respondit illa: mummart momordit me: vestigia enim dentium lupi in gutture eius, cuti superficie tenus incisa apparuerunt in testimonium tanti miraculi ad hoc reservata. Tunc filiam ad matrem ducentes, mox, ut illam vidit sanam, effecta laetissima, cum gratiarum actione ad imaginem sacram cucurrit, et puerum suum ei restituens, ait: Quia restituisti filiam meam mihi, en tibi resituo filium tuum. Haec mihi relata sunt a supradicto Hermanno Abbate loci s. Mariae, qui puellam vidit, et a matris ore, quae dicta sunt, audivit. Cum adhuc prior esset in Hemmenrode, et firmum haberet propositum resignandi Prioratus officium, praedicta Matrona ab Abbate eius domino Eustachio, quem hospitio receperat, ut sibi eum transmitteret, petivit, et obtinuit: quem ante imaginem Dei Genitricis dnceos, ne officium suum resignaret, admonuit: Deo, inquit, non placet, si resignaretis; cui cum ille diceret: unde hoc nostis? respondit illa: nemo mihi hoc revelavit, nisi Domina ista, digito imaginem ostendens. Multa siquidem eidem devotae foeminae per sacram illam imaginem revelantur, plurimaque per illam beneficia consequitur. Apollonius: Nescivi hactenus, tantas esse consolationes in imaginibus Sanctorum. Caesarius: Multas sancti suis, et per suas imagines virtutes operantur, maxime in illis locis, ubi venerantur, nunquid non recordatis iuvenis apostatae iuxta Florentiam, qui per imaginem beatae Virginis Mariae consecutus est indulgentiam? Similiter et sanctimonialis, quae ab eius imagine alapa suscepta, periculosam evasit tentationem. Apollonius: Utrinsque bene memini: primi videlicet miraculi (*in distinctio.* 2. *cap.* 12), et secundi (*in distinct. praesenti cap.* 3), et stupor invadit me, cum in lignis audio vocem ad loquendum, manus ad feriendum, corporis incurvationem, erectionem, sessionem, et reliquos motus vitales, magis haec admiror, quam loquelam asinae contra Balaam: illa enim animam habebat notabilem: in lignis, lapidibus sive metallis nullus spiritus est. Caesarius: Divinus spiritus in creatura est per essentiam, et per potentiam: cui nihil impossibile est, et nihil miraculosum, qui ad honorem sanctorum suorum haec et his similia quotidie operatur. De imagine vero beatae Virginis referam tibi quandam visionem, quae ante hoc triennium facta est.

§. LXXXIV.

Idem Caesarius (*ib. cap.* 84): Fuit in Ordine nostro quidam physicus magis habitu quam actu monachus, occasione medicinae provincias

discurrens, et vix unquam nisi in praecipuis festivitatibus ad monasterium revertens. In quadam sanctae Dei Genitricis solemnitate cum nocte staret cum aliis ad psallendum, ipsa Virgo beatissima multa claritate circumfusa chorum, ipso videnti, intravit, psallentes circumivit, et de pyxide, quam in manu portabat, electuarium per cochlear hauriens singulis in os mittebat; ad ipsum vero venlens cum pertransiret et diceret: tu de meo electuario non indiges, quia medicus es, et plurimas tibi impendis consolationes, ille tristis transeuntem oculis sequebatur, culpam recognoscens. Ab illo tempore nonnisi per obedientiam coactus, de monasterio egredi consensit, et omnes corporales consolationes sibi temperavit. In proxima sua solemnitate Domina nostra praedicto modo famulos suos visitans, postquam ad medicum venit, gradum fixus, et ait: quia te emendasti, tuis medicamentis mea praeferens, ecce de meo electuario sicut ceteris tibi impertior; de quo, ut gustavit, mox tantum dulcedinis, ac devotionis concepit, ut deinceps stabilis in congregatione maneret, et omnia carnis commoda tanquam stercora reputaret. Electuarium istud gratia devotionis intelligitur, cuius virtute psallentes confortantur, cuius dulcedine labor vigiliarum vertitur in delicias: huius species aromaticae sunt, memoria compunctiva Dominicae Conceptionis, Nativitatis, et reliquorum sacramentorum Christi, quae omnia melliflua spe futurae retributionis conditantur, et meritis b. Mariae Virginis psallentibus infunduntur. Apollonius: Placet, quod dicis. Caesarius, quod apud b. Dei Genitricem unguenta sint sanativa, testatur Sponsus in Canticis dicens: *Meliora sunt ubera tua vino, odor unguentorum tuorum super omnia aromata; et in alio loco in persona illius ait: Sicut cynnamomum, et balsamum aromatizans, odorem dedi, etc.* Quantae virtutis, et gratiae eadem sint unguenta, sequens declarabit exemplum.

§. LXXXV.

Idem Caesarius (*ibid. cap.* 50): Iuxta ecclesiam sancti Severini in Colonia inclusus quidam habitabat, Marsilius nomine, in Tuscia ad Sanctum Sebastianum quandoque Episcopus, et tempore schismatis, quod fuit inter Alexandrum, et Paschalem, ab ipso Alexandro depositus. Hunc cum matronae civitatis frequentarent, et una confessa fuisset, quod Dominae nostrae nomen dicere non posset sine quadam mira dulcedine, de causa tantae gratiae requisita, respondit: singulis diebus in honore eius quinquaginta Ave Maria, cum totidem venlis dicere consuevi, per quae tantam dulcedinem merui, ut omnis oris mei saliva orationis tempore in mel videatur conversa. Quod cum audisset iam dictus inclusus, exemplo devotae foeminae vix per sex hebdomadas angelicam salutationem praefato modo, et numero compleverat, et ecce tantam dulcedinem sentire coepit in illius dulcissimae salutationis prolatione in ore et gutture, ut mellis dulcedinem longe transcenderet ipsa dulcedo. Eandem dulcedinem meruit de Ordine nostro quidam monachus exemplo illius provocatus. Haec mihi relata sunt ab eodem incluso. Ecce, his tribus exemplis satis ostensum est, nomen eius esse super mel dulce, et quod haereditas eius sit super mel, et favum.

§. LXXXVI.

Caesarius (*ibid. cap.* 60): Monachus quidam Ordinis nostri Dominam nostram plurimum diligens, ante paucos annos mente excedens, ad contemplationem gloriae coelestis deductus est: ibi, cum diversos ecclesiae triumphantis ordines videret, angelorum videlicet, patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, confessorum, et eosdem certis characteribus distinctos: item Canonicos regulares, Praemonstratenses, sive Cluniacenses, de suo Ordine sollicitus cum staret, et circumspiceret, nec aliquam de illo personam in illa gloria reperiret, ad beatam Dei Genitricem cum gemitu respiciens, ait: Quid est sanctissima Domina, quod de Ordine Cisterciensi neminem hic video? quare famuli tui tibi tam devote servientes a consortio tantae beatitudinis excludunlur? Videos eum turbatum Regina coeli, respondit: ita mihi dilecti, ac familiares sunt hi, qui de Ordine Cisterciensi sunt, ut eos etiam sub ulnis meis foveam; aperiensque pallium suum, quo amicta videbatur, quod mirae erat latitudinis, innumerabilem multitudinem Monachorum conversorum, et sanctimonialium illi ostendit: qui nimis exultans, et gratias referens, ad corpus redlit, et quid viderit, quidve audierit, Abbati suo narravit. Ille vero in sequenti capitulo haec referens Abbatibus, omnes laetificavit, ad ampliorem sanctae Dei Genitricis amorem illos accendens. Igitur, quia Virginem beatam, immo speculum virginitatis, cuius merita et gloria omnem sanctorum multitudinem transcendunt, laudare non sufficio, quasi imperitus orator, illam laudando deficio. Ipsam ergo tuis adiutus orationibus deprecor, ut defectum meum ipsa suppleat, et quae scripta, vel scribenda sunt, fructuosa faciat. Amen.

§. LXXXVII.

Abraham Bzovius Ordinis Praedicatorum (*panegyrico* 3. *de Assumpt. Virg.*) haec refert ex Hercule Vincemala (*lib.* 3. *de miracul. Virgin. cap.* 20): In Sylva Tridento proxima, tam ferus latro latebat, ut viatores omnes rebus omnibus spoliaret, ac renitentes crudeliter occideret. Forte illac iter habebat divi Dominici religiosus, quem quia bene instructum existimabat, mortis metum inferens, ut recta per sylvam sequeretur, impulit. Dum iter per devia loca haberent, religiosus quaesivit de latrone, cuius conditionis esset. Is nomen, studia, ac vitae genus diligenter aperuit: quem religiosus accusare insitit, quod iam in scele-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ribus consenescens, nondum resipiscendi, vel ad se redeundi consilium caperet: non aliter se de ea re cogitare, respondit latro, ac si bellua esset expers rationis. Occasionem nactus pater reducendi latronem ad frugem meliorem, coepit in anteactam vitam ipsius inquirere: ille ingenue fatebatur, se a teneris unguiculis aleae deditum fuisse, simultatibus, odiis, criminationibus assuevisse, mox cum aetate omne genus flagitii secum crevisse, ut omnium facinorosorum palmam praehaberet. Num requisivit pater, recogitatio unquam percussit perennis cruciatus inferni qui remanet? pensi nil latro nihil habeo, cum sciam animae meae iam me naufragium fecisse. Ceterum, si tibi, inferi pater, spes aliqua affulgeret salutis, resipiscerem? facerem, subiungit ille. Tunc pater: spondeo tibi illam proxime affore, si te veterum delictorum poenitudo habeat, quae ubi lacrymis contritionis eluveris, et sacra exomologesi expunxeris, atque virtutum cultura te contuleris, patronam tibi apud Deum delige sanctissimam Dei Matrem, in eius honorem sabbatinum ieiunium, et vacationem piis operibus consecrabis. Commissa a patre lubens latro exequi curavit. Mox autem a magistratu captus, morti damnatus, patrocinio Virginis, illam effugere aliquoties potuit: nam ob praeclaras eius corporis dotes, exitio mortem commutare volebat iudex: plexus capite, cum extra civitatem homo obrutus faceret, excubitores circa fossam de coelo accensa lumina viderunt. Ubi propius videndi desiderio accessissent, quinque matronas aspectu venerabiles conspexerunt: quatuor illarum capite mirifice trunco connuncto, molliquo feretro frondibus contexto cadaver extulerunt: quinta aliarum pulcherrima, et ipsa lumine accenso funus curabat, ac sequebatur, donec illud ante portam civitatis collocarent. Monuit interim vigiles attonitos, Episcopo ut significarent, qui delatum cadaver auferret, inque loco honorifico sepeliri iuberet. Incredibilia haec videntur; lumen Reginae coelorum possibilia. Dicamus ei cum Bernardo: Iam te, Mater misericordiae per ipsum sincerissimae mortis tuae affectum, tuis iacens provoluta pedibus luna mediatricem sibi apud solem institiae constitutam devotis supplicationibus interpellat. Ut in lumine tuo videant lumen, solis gratiam tuo mereantur obtentu, quam vere amavit prae omnibus et ornavit, stola gloriae induens, et omnium pulchritudinis ponens in capite tuo. Plena es gratiarum, plena rore coelesti, innixa super dilectum, deliciis affluens; ciba hodie pauperes tuos, Domina, ipsi quoque catelli edant de micis; nec puto, Abrahae tantum, sed et camelis potum tribuas de superfluenti hydria tua, quia tu vere puella es praeelecta, et praeparata, et praecoronata ab Altissimi Filio, qui est super omnia benedictus in saecula saeculorum. Amen.

§. LXXXVIII.

Leander (*in vita beati Iordani secundi General. Ordin. Praedicatorum*): Puella quaedam nobilitate, formaque praestans, a patruo, cui erat a parentibus iam morituris, testamento commissa, incesto violata concubitu, bisque ab eo gravida, bis partum medicamentis abegit, illo ipso, qui pudicitiam eripuerat, suasore; tertio praegnans facta, scelus agnovit, nefariique conscientia facinoris, cum neque foetum necare, neque se cuiquam indicare auderet, ad voluntariam necem confugere statuit; dumque unam necem reformidat, duas execrabili consilio machinatur. Itaque gladium in ventre ita violenter infixit, medium ut seinderet, dirissimque vulnere sauciata, Matrem misericordiae invocat, ac voce supplici comprecatur, ut sibi solita benignitate succurrat. Adest illico Dei Mater, et corporis immanissimo vulneri sanitate tributa, ut Iordanis propediem venturi consiliis obtemperaret, admonuit. Idipsa studiosissime executa Cisterciensi familiae se dedicavit. Erat Ioannes studiosus Virginis Mariae cultor, quamobrem in feriis beatissimae Matris, Christum Filium ad templum deferentis, in matutinarum precum exordio quod est: ecce venit ad templum, sanctissimam Deiparam cum Filio venientem Iordanis aspexit; quae cum ad maximam aram processisset, et in throno, qui altari imminebat, consedisset, visa est, fratres ad aram conversos, et ad Gloria Patri, de more caput inclinantes, apprehensa Filii dextera signare, et choro universo, cruce confirmata, salutem impertire. Benedic etiam et nobis, o benedicta, ex quo a die illa faustissima vigesima quinta, quo oliva speciosa floruisti, benedicere, et benefacere coepisti. Amen.

§. LXXXIX.

Lypsius in d. Virginis Halle (*cap.* 29. *art.* 14. 43): Comes Fani s. Pauli in Gallia ibat ad Delphinum, regis Galliarum primogenitum, ita appellant qui Compendii agebant; praemiserat ante se famulos, ut parata omnia in diversorio reperirent; at illi leviter progressi, hostium aliquam manum vident, ad septuaginta erant, qui in subiectis pratis pecudes rapiebant, agebantque, et si quid aliud in agris esset. Remeant igitur trepidi domino nunciaturi, et hostes, etc. ad arma clamant. Comes vir magni animi erat, nec talium expers, invocat suos, arma, et equos expedirent, sequerentur, si quis fidem, et se amaret. Simul ipse in equum abit, assequitur, et una cum ipso fidus famulorum Ioannes Gertrudanus nomine, qui semiermis, ut festinatio erat, comitabatur: idem aliquot alii singuli, aut bini advenientes, qui omnes tamen iuncti via, octoginta, nec ab armis instructi satis erant. At hostes, qui in subsidio fuerant iam conspicui, et primis illis iuncti, facile ad 1500. accedebant. Ioannes quem dixi, adverti, et Dominum irae properum, et animi nimium abire, et sibi consulere hortatur:

Nos interim, inquit, milior manus propugnabimus, et tutum tibi receptum reddemus, non movetur Dominus; pugnat. sed ante eum Ioannes, cui statim duplici sagitta balistaria brachium traiicitur, et herum cum respicit, iterum moniturus, tertia collum ei transit. Tunc denique, Domine, inquit, o amor, o fides, consule vitae tuae, nam de me quidem est actum, et cum dicto ex equo delabitur. Comes, atque alii in vicinum oppidulum fuga delati servantur, sed Comitem moeror teligit, amisso, ut putabat, tam fido ministerio; sed quem Dei, et diva benignitas incolumem, praeter opinionem, et pene fidem reddidit: nam, dum, ubi iacet inter viros, equosque d. Virgo Hallensis ei in mente, atque in ore est aeque tam multis quotidie auxilium esse, ut sibi in hoc discrimine precatur: auditus est, et simul manibus, genibusque nixus, prorepsit in viam proximam, ac viribus defectus, ibi laesit: nondum finis; mala accumulantur, ut remedia crescant, et discrimina iterantur, ut salutaris illa vis magis inclarescat: tres ex hostibus seorsim adveniunt, scrutari omnia, et praedam, ut fit, quaerentes, miserum hunc vident, accedunt, pecuniam, annulos, vestemque tollunt, sublatis gladio exerto, unus caput illi findit, nec sic quidem moritur, sed Mariam identidem ingeminat, et in eius, ac divae Barbarae honorem, ut sibi sit facultas peccata apud sacerdotem expiandi, precatur. Tangit etiam duros animos, diva fovente pietas; permittunt, immo et operam promittunt, atque etiam rusticanum sacerdotem per viam forte euntem vident, advocant, et homini admovent. Expectant ut finiat, et tum illi dent quoque suum finem: nam occidere nihilo secius hominem destinatum erat. Sacerdote igitur etiam astante, unus eorum mucronem gladii, ut censebat, in guttur eius defigit: diva avertit, et subuculam eius modo scindit: Sacerdos interea deprecari, et mitigare exorat, tandem et recedunt, atque ipse sic saucium in proximum quoddam horreum partim ducit, partim trahit, et vulnera eius, ut copia erat, obligat. At ecce nova hostium manus, inter quos duces ipsi, et honestiores militum erant; eorum metu sacerdos Ioannes, conspectis iis, veniam, vitamque petere, et facile impetrat ab animis nobilioribus, et quos honor, et humanitas non prorsus reliquissent: sed enim discessu istorum tres illi sicarii immani saevitia iterum redeunt, et cum vivere vident, gladium unus strictum viribus in caput librat; sed diva, quam inclamabat ictum moderante, humerum modo attigit, et leviter etiam strinxit. Consilium deinde capiunt, in flumen cadaver, pro tali habebant, abiiciendi; quod faciant, et sanguine manantem ferociter eo trahunt: quo tempore visa illi palam astare diva Virgo, quae solatium et iuvamen benigne promitteret, consilium etiam daret, ut mortuum se gereret, et simularet: paret; illi autem de ripa in flumen devolvunt, atque unus etiam hasta petit, ut si quid forte reliqui spiritus aut vitae esset, educeret. Sed diva et hunc ictum irritum facit, et clientem suum in insulam modicam pervehit limosam, et leviter flumine extantem, ibi confectus novem plagis grandioribus, aquis refrigeratus, ad horas fere tres iacet, erigere aut movere se impotens: cum sacerdos, apud quem culpas fassus erat, miseratione impulsus redit, et eum quaerit, atque sanguinis vestigia secutus, ad flumen denique venit. Ibi non reperto perterretur, et mortuum omnino censet; cum ecce oculos longius et intentius mittens, videre in limo illo insulae visus est effigiem hominis: neque certus tamen homo, an ludibrium genii esset, cruce se signat; et alte inclamat: Adiuro te, si homo et christianus es, signum aut vocem ede. Ioannes audit, et manum attollit: sacerdos audacter in aquam insilit, et collo tenus madidatus, ad eum pervadit, erigit, et in siccum, quantum potest, perducit: cursum inde in oppidulum propinquum fertur; vehiculum et homines adducit misero huic sublevando; qui inibi curatus, post paucas etiam septimanas Hallas venit divae praeco, et omnibus narrabat, quae vix ipse, nisi sibi credidisset, nisi Virgo protexisset: tam est potens namque sacrosancta Mater, ut quem suo umbone operuerit, hunc ne ipsa quidem mors iaculo suo possit confodere.

§. XC.

Lypsius (*in D. Virg. Halle. c.* 24. *art.* 1440): Molitor erat Ioannes Massardus iuxta Albatiam Lobiensem in Hannonia, cui uxor erat Catharina nomine, eaque foetu gravida, et mensibus utero legitimis fere iam exactis. Molitor iste idem faber lignarius erat; itaque per eam causam forte egressus, molam domum uxori commendat. Uxor sedulo officium factura, rotam molarem censet tardiuscule volvi, atque aquae inopem esse. Venit igitur repagulum ligneum levatura, et flumen uberius admissura; sed dum conatur, tabula sive ponticulus, cui insistit, frangitur, atque in aquam ea, et sub ipsam rotam lapsa haeret: nam rota liberam dolutionem non habere, et ipsam identidem sub rota premi, atque ita, tum aquis mergi, tum pondere simul cum foetu suo allidi. Semihoram amplius sic iacet, sed initio lapsus divam Virginem Mariam Hallensem in mente habet, atque invocat, quae palam a duplici periculo, et mersionis, et oppressionis servat: nam maritus tandem supervenit, et miratus, molam sistere, nec circumagi, uxorem etiam requirit: cum ecce eam sub mola affliclam videt, et consternatus, opem, opem clamat. Accurrunt vicini, inter eos Praetor, et religiosi etiam aliquot Lobienses, mulierem aegre subtrahunt, certo, non arbitrio mortuam, ut censebant: at illa vivam, et sanam se exhibet, sanctam Mariam in ore ingeminans, eiusque praesidio tutam se coram omnibus testata est. Post dies etiam aliquot pulchrum puerum parit, qui dies duodecim supervixit; quod omnes iure mirabantur, tanto illo rotae pondere, ne foetum quidem non dicam elisum, sed neque laesum.

§. XCI.

Pomerius (*serm. de beata Virgine*) haec notanda prodigia refert (*lib.* 12), in haec verba Vincentius (*in spec histor. lib.* 8. *cap.* 96): Quod cuidam parochiae praeerat presbyter dives, scilicet vitiis plenus, qui in sua parochia habebat quendam nobilem divitem, et etiam quandam pauperculam viduam. Contigit simul ambos infirmari, et morti proximari. Vocatur ergo sacerdos ad divitem illum pro confessione, et communione, et veniens vidit multos astare diviti, solatia ei praebendo, quia attentus plus ad temporalia, quam spiritualia, confessione qualicunque facta, coepit adulationis verba diviti dare, coram circumstantibus, vitam aeternam promittendo, et de conscientiae examinatione, ac peccatorum salutari poenitentia, et satisfactione alienorum minus dispositum, divitem reliquit. Interim venit quaedam mulier ex parte viduae, quae dixit, eam in extremis agere, et sacramenta postulare; et cum sacerdos nil curaret, ait eidem capellanus: grande periculum nobis instat, si illa mulier ante confessionem, et eucharistiae perceptionem ex nostra negligentia decesserit, tratus sacerdos ait: o parum sani capitis consilium, pro vili vidua nobilem relinquere patronum, a quo in testamento plurima leganda temporalia expecto. Ait capellanus: ego, si permittis, infirmam viduam visitabo, cum sacramento. Favente presbytero, cum ingrederetur pauperculae viduae habitaculum, vidit viduam super nudam humum sub parvo stramine stratam iacere: haec vidua erat Dei famula, plena bonis operibus, et erga beatam Virginem Mariam praecipuam gesserat devotionem: introspiciensque capellanus, vidit huic viduae assistere beatam Mariam cum magna militia angelorum, et choro beatarum virginum, et tenere linteolum, quo tergebat vultum aegrotantis viduae, et omne pietatis beneficium impendens, satagebat circa frequens ministerium. Capelanus haec videns, obstupuit, et pertimuit. Regina autem coeli, data fiducia viro Dei, ut intraret, imperavit, et Maria sedem parante, ac ne timeret hortante, sedit, et confessionem viduae audivit. Tandem cum eidem viduae vellet Corpus Christi dare, et de pyxide excepisset, mox beata Maria Virgo cum coelesti curia tota inibi existente, se prostraverunt humiliter, et Corpus Christi adoraverunt. Tandem communicata vidua, et ecclesiasticis sacramentis peractis, capellanus coepit psalmos legere, et sic obitum viduae praemunire. Sicque beata Virgine astante, et consolante egredientem animam felicem, in coelum cum tota illa gloriosa comitiva in iubilo deduxit. Denique haec videns, et Deum glorificans capellanus, cum gaudio rediit ad domum divitis, ubi erat Plebanus; veniensque ad limen ostii, vidit cattos nigros circumvallantes lectum divitis; quos miser ille sentiens infestos daemones fore, rugiebat, clamans, et dicens: tollite cattos, tollite, misero subvenite. Et post aliquantulum vidit Æthyopem magnum voce minaci, vultu terribili, uncum, quem manibus gestabat, faucibus et gutturi divitis peccatoris immergere, et furibunde animam eius infelicem extrahere; illeque dives in his doloribus dans vocem horribilem, tradidit infelicem spiritum: et ecce, ceteri complices daemones irruentes, miseram animam illam flagris, ac verberibus afficientes, immerserunt in locum tenebrarum. Capellanus igitur haec videns, nimo timore correptus cecidit; factoque in excessu mentis, mox beata Maria gloriae Regina sibi apparuit, dicens: ne timeas charissime, non tibi nocebit malignitas diabolica, quia tibi devote servienti parata est beatitudo coelestis; sicque recreatus rediit, et gratias ac laudes Deo agens, tandem in bono, et devotione b. Virginis profecit. Ad idem fecit etiam miraculum de quodam clerico, qui quoties pertransibat ante ecclesiam, vel imaginem beatae Virginis, genuflexo eam semper salutabat, et quomodo in sua infirmitate est consolatus.

§. XCII.

Idem (*eodem lib. cap.* 60): Sexta utilitas, quod beata Maria suos dilectos honorat, legitur ubi supra, quod quidam nobilis intravit religionem Cisterciensem, qui, dum rudis ingenii a magistro sibi dato non poterat literas addiscere, post se humiliavit, cogitans, Deo melius servire in humilitate, ut conversorum eligeret habitum; nec potuit plus addiscere, quam Ave Maria. Et quia hanc devotissime dicebat quotidie, et frequentissime, accidit, ut moreretur, ac tandem fossa eius a quodam visitaretur. Et ecce de capite fossae eius lilium excreverat pulcherrimum, scriptum intus, et foris, et convocando Abbatem, et Episcopum, dum fodissent, invenerunt lilii radicem de corde per os procedentem, et ad extra exerescentem, in cuius foliis scriptum erat Ave Maria; atque haec videntes, laudaverunt beatam Virginem suos honorantem.

§. XCIII.

Idem auctor (*eodem lib. cap.* 60), et recitat idem Anselmus (*in epistola ad Coanglicanos Episcopos*) dicens, quod temporibus Caroli regis Francorum quidam germanus regis Hungariae fuit, qui sic erat deditus devotioni beatae Mariae Virginis, ut quotidie, antequam comederet, diceret horas eius. Cum autem infirmitate gravatus vavisset beatae Virgini, quod si eum curaret, castitatem servaret, statim vidit cameram luce repletam, et se curatum reperit, atque sanum. Tandem moritur rex Hungariae absque altero haerede, et is a regni baronibus inducitur ad contrahendum, ne careret regnum successore; electa quoque sibi sponsa, ducuntur ad ecclesiam pro benedictione nuptiarum. Tunc iuvenis recordatus est, quod illa die non dixerat horas beatae Virginis, moxque coepit dicere cum devotione; et cum perorando, diceret illam antiphonam, *Quam pulchra es, et quam decora charissima, etc.* ecce splendida Virgo apparuit ante altare, duobus angelis adstantibus, et ait iuveni: si pulchra sum, et decora, ut dicis, cur, me dimittens, aliam sponsam accepisti? Tunc iste ait: O Domina, quid me iubes facere? at illa: si sponsam carnalem meo amore dimittis, me in sponsam coelesti in regno habebis, et si festum Conceptionis meae celebraveris annuatim, mecum in regno unigeniti mei laureatus eris. His auditis, adolescens, clam fugiens ab urbe, et regno, venit Aquileiam, et super rupem eremeticam vitam duxit. Tandem fama prodeunte veridica sanctitatis, electus est, et factus patriarcha Aquileiae, et publice praedicavit, et instituit fieri festum Conceptionis immaculatae beatae Mariae devote celebrandum.

§. XCIV.

Idem (*eodem lib. c.* 7): Septima utilitas, quod beata Maria peccatores filio potenter reconciliat, scribitur in libro, qui dicitur (*Promptuarium Exemplorum b. Virg.*), et refert clarius, et melius magister Ioannes Griths Ordinis Minorum: quod quidam miles fuit raptor, praedarius, nec Deum timens, sed omni sporcitia vitiorum plenus, habebat tamen uxorem devotam, quae eum induxerat, ut ad honorem Virginis Mariae diem sabbati ieiunaret: et Ave Maria, cum procederet, quoque diceret coram imagine beatae Virginis. Cumque semel iret ad peccandum, ecclesiam, quam praeteribat, casu ingressus, vidit imaginem Virginis cum suo puero in sinu; et cum coepisset Virginem salutare per Ave Maria, vidit puerum Christum vulneratum, et eius sanguinem fluere in gremium matris; quo viso obstupefactus, dixit: O Domina, quis fecit hoc? et Virgo respondit: tu, et alii peccatores, qui amplius crucifigitis filium meum, quam Iudaei: volebatque Virgo sanguinem filii tergere, et restringere, nec poterat. Tunc peccator ille compunctus ad Virginem dixit: O Mater misericordiae intercede pro me. At illa: vos peccatores vocatis me matrem misericordiae, qui non cessatis me facere matrem miseriae, atque tristitiae; at ille: non Domina clementissima loquere sic: sed memento te esse advocatam peccatorum, et intercede pro me. Tunc ait mater ad filium: O piissime fili, amore mei, miserere huic peccatori mihi supplicanti; et filius, noli mater gravari quod te non audio, quia et ego rogavi Patrem meum, ut si possibile foret, scilicet, alio modo redimere genus humanum, transferret calicem passionis a me, et noluit me audire; tunc mater ait: O fili, memento, quod materno amore te visceribus meis alui, et condona huic peccatori; et filius ait: Ex iustitia tibi ostendo, quod te exaudire non teneor; et mater ait: non secundum iustitiam causemur, sed secundum misericordiam, quia ego sum mater misericordiae; ergo propter me miserere peccatoris: et filius; et ego secundo rogavi Patrem transferre calicem, et nondum audivit me. Tunc mater iterum dixit: O fili, memento omnium laborum nostrorum, et doloum quos sustinui, et dona mihi hunc peccatorem; et filius: O mater, noli gravari, sed memento, quia ego tertio rogavi Patrem, et non audivit me. Statim autem mater deposuit filium suum ad altare, volens procidere ad pedes eius genuflexo: quod videns filius dixit: O mater, quid sic vis facere? at illa: tamdiu ante pedes illos genuflexo provoluta stabo, quousque ei veniam concedes; et filius ait: absit hoc a me, quia a lege divina sancitum est, ut filius honoret matrem, et cum sim filius tuus, te honorare volo. Tunc ait: peccatori isti propter te o mater, indulgeo, et in signum pacis, accedat iste peccator, et osculetur vulnera mea; quod cum ille fecisset, ecce, osculando, omnia sanabantur vulnera, et sic cognovit, misericordiam se promeruisse, et maximas gratias agens Deo, et matri eius, abscessit, et domum rediens, male ablata restituit, et mundum deserens, cum sancta uxore Religionem intrantes, communi consensu ad sua monasteria, ibi feliei fine quieverunt.

§. XCV.

Idem (*eodem libr. cap.* 8): Legitur in libro qui dicitur Scala coeli, et in Mariali Magno, quod fuit quidam nobilis, qui devotus et pius ad beatam Virginem quandam orationem ad ipsius Virginis, nec non divi Ioannis Evangelistae honorem editam, quae incipit: O intemerata, etc. qualibet die dicebat cum magna devotione: cui invidens diabolus in assumpto corpore damnati hominis cuiusdam, se praesentavit ad serviendum attente; quem nobilis, cum pronum ad omnia, et industrium in servitiis agnovissel, posuit ipsum in quodam hospitali, quod ipse aedificaverat, scilicet nobilis, sumptibus propriis. Utque ibidem serviret attente infirmis, et pauperibus, deputavit providendo. Ipse vero diligenter, et mirabili charitate secundum apparentiam exequebatur mandatum domini, serviendo infirmis et pauperibus. Itaque omnes existentes in hospitali mirabiles laudes de eo dicebant. Accidit ut semel venisset ad dominum suum, petendo pisces pro aliquibus infirmis in hospitali, qui, ut dicebat, alia comedere non valebant; et dominus misit ad forum, nec ibi pisces repererunt. Unde iste dominus cum ipso servitore, qui scilicet ignorabatur fore diabolus, ascendit navem ad piscandum, et cum essent in profundo fluminis, nitebatur diabolus submergere ipsum dominum; sed ecce, fune candidissimo navem cingente et firmante, de coelo descendente, moveri non potuit. Tandem reversi, altera quadam die, iterum a domino venationes pro infirmis postulat, dicens, quod aliter vivere plurimi non valebant eorum. Tunc dominus mane surgens cum eo, acceptis laqueis, iaculis, canibusque, et avibus, nemus maximum intraverant, et, cum dominus insequereiur praedam, iste diabolus in specie servitoris exiens, nitebatur eum occidere, iacula mittendo contra eum, qua-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

si mitterentur contra venandam feram; sed statim pannus pulcherrimus interponebat se inter iaculatorem, et militem, neque eidem poterat in aliquo nocere; unde venerunt cum praeda. Quadam die iste nobilis, cum invitasset quendam Episcopum, rogat eum, ut suum hospitale visitet, qui una cum nobili accedendo, et videns illum servitorem, ac requirens ab infirmis, mirabiles commendationes de ipso audivit; et mox, revelante Deo, cognovit quod esset daemon. Praecepit ergo eidem coram omnibus in virtute Iesu Christi, ut quis esset, diceret, et ad quid venisset, aut cur illic maneret, causam aperiret. Mox ille deprehensus hostis, fugiens terribiliter, ait: daemon sum, principis tenebrarum socius, et cogor dicere veritatem: veni nempe huc primo, ut infirmantes in hoc hospitali privare quaererem confessione, et sacramentorum perceptione. Secundo veni, ut perimerem istum militem divitem, qui est contrarius nostris operibus, et servit matri Iesu; sed nunc utroque privatus sum, volui quippe ipsum submergere, et non potui, quia chorda serica de coelo demissa navem firmavit; iaculari etiam volui, et nequivi, quia e coelo delapsus pannus aureus se interponebat, et sagittas suscipiebat: infirmis etiam nocere non potui, quia virtus Matris Dei me reprimebat propter unam orationem, quam iste miles de facto dicebat quolibet die. His quoque dictis, daemon confusus cum terrore, et foetore relicto disparuit, et omnes in laudem Dei, et beatae Virginis prorumpunt. Tunc interrogat Episcopus, quae esset illa oratio? cui miles: O beata et intemerata, etc.

§. XCVI.

Idem (*eod. lib. cap.* 10): Legitur in quodam miraculo, quod accepi ex libro notabilis cuiusdam Praedicatoris Ordinis Minorum, quod in comitatu Tholosano duo fratres erant magni praedones residentes in quodam castro: unus eorum licet praedaretur, tamen praecavebat ne homines occideret; hic divino nutu, poenitentia ductus intravit Ordinem fratrum Minorum et quotidie exorabat Deum pro suo fratre praedone, ut converteretur ad poenitentiam. Accidit autem quod ille suus frater praedo infirmaretur, cui cum consanguinei consulerent poenitentiam, et confessionem, dixit, quod nulli alteri vellet confiteri, nisi isti suo germano facto fratri Minori presbytero, eo, inquit, quod ille quondam fuit socius operum meorum. Misso itaque nuncio pro eodem, interim iste gravatus infirmitate, mortuus extitit: ille quoque adveniens, reperit hunc suum fratrem defunctum portari ad tumulandum. Unde flens proiecit se in oratione, et benedictam Virginem coepit rogare pro suo fratre totis visceribus devotionis; et ecce subito mortuus ille exclamavit fortiter dicendo: vae mihi: et iterato recidens, quievit. Post aliquantulum, cum ille frater Minor non cessaret ab oratione, iterum erexit se mortuus, et clamavit tam fortiter, ut circumstantes territi fugere coeperint; et iterum recidens, siluit. Tertio denique cum orationis prolixitas in cubiculo a fratre distenderetur, ecce ille mortuus erexit se, et exiliit, dicens: gratias ago Deo, et benedictae Virgini Mariae. Omnes igitur stupentes interrogaverunt eundem, et respondit: egressa, inquit, anima mea, rapta est ab innumeris daemonibus, qui omnia peccata mea mihi obiiciebant, et ad tormenta deducere nitebantur, vidique quasi fornacem ignis ardentis sulphurei horribilis; quo cum proiicere me vellent, statim fortissime clamavi, primam illam vocem quam audistis, proferendo, videlicet: vae mihi: ecce autem vidi supra me in altissimis stantem iudicem, qui sententiam contra me ferre volebat, ut ignibus traderer, propter quod perterritus, secundo clamavi fortius. Mox quoque apparuit homo similis fratri meo germano in habitu Ordinis Minorum, procidens coram beata Maria Virgine, et propter eius preces beata Virgo Maria intercessit coram iudice, et sic eius meritis et intercessione delata est a iudice sententia diebus aliquot, et interim anima corpori meo restituta pro agenda poenitentia, et sic gratias omnipotenti Deo et beatae Mariae ago, atque tibi, o frater charissime. Festinemus igitur, et satisfaciamus damnificatis: quibus perfectis, cappam induit Ordinis Minorum, et lacrymans cunctis diebus, ac confessus, die octavo quievit fine bono.

§. XCVII.

Pomerius (*lib.*7. *serm. b. Virg. cap.* 13) haec scribit: Fuit quaedam nobilis domina, habens unicum filium, et erat devota Virgini benedictae. Cum autem filius eius crevisset, et vellet eum ponere in curia cuiusdam principis, cuius famulus fuerat pater eius, dum deberet iuvenis ille recedere, mater postulavit unum donum a filio, ut illud cum fidelitate compleret: cui cum annuisset filius, et promisisset se completurum, quod illa iuberet, tunc ait mater: rogo fili charissime, ut ad honorem b. Virginis quolibet die salutationem angelicam ei dicas, et in fine sic concludas: Virgo benedicta esto mihi adiutrix in hora mortis. Recessit iuvenis, et optime complevit promissum; sed corruptus a mala societate, deterior omnium in curia est effectus, qui cum frequenter a principe corriperetur, nec emendaretur, vituperabiliter de curia eiicitur. Sed suam ille confusionem ferre non valens, factus est princeps latronum; dum autem permoratus in illo malo fuisset captus, audita sententia suae mortis, et praemeditando in carcere, quanta mala fecerit, et quantam confusionem suo generi induxerit, et dolorem quantum compatienti matri generaverit, ex his coepit nimium flere; et ecce affuit eidem iuvenis splendidissimus, qui sibi promisit liberationem, si tamen acquiesceret suis votis; qui annuens, ait: ego ille sum daemon missus a nostro principe, si ergo feceris quod dicam, eris solutus, videlicet, quod abneges Christum, et omnia beneficia ecclesiae: at ille dixit: renuncio; iterum daemon ait: renuncia omni beneficio, et adiutorio atque honori beatae Mariae; hoc ille audito, facere noluit, recordatus, quod mater sibi hoc mandaverit, ut beatam Virginem quotidie honoraret, et eius adiutorium invocaret. Sed ait: imo ego recommendo me beatae Mariae, et sibi meipsum dono; quod daemon ferre non valens, statim evanuit. Tunc ille reversus ad se, et cognito, quod Christum, et omnia Ecclesiae sacramenta negaverit, cum mirabili fletu et suspiriis, cor ad beatam Virginem levavit, quam negare tunc noluit, et in vita frequenter salutavit, et ipsam rogare coepit multis verbis, dicens: O Virgo benedicta, attende me vilissimum peccatorem: non peto corporis liberationem, sed tantummodo delictorum meorum et criminum remissionem, et, ut in puncto mortis, sicut semper rogavi, nunc peto subventionem: adiuva me o misericordiae Mater, et miserere mei in hoc periculo. Haec et plura talia orans cum maximis lacrymis, noctem totam duxit insomnem. Mane facto requisito confessore, diligentissime est confessus; et dum traheretur ad patibulum, continuoque in via rogaret b. Mariae Virginis adiutorium in tali puncto mortis, dum coram oratorio b. Virginis pertransiret, visa eius imagine, coepit lacrymabilius clamare, dicens: Advocatrix peccatorum adiuva me. Et ecce mox imago illa Virginis coram omni populo inclinavit se eidem, et salutavit, omnisque populus admirans dum staret, iste miser supplicavit, ut concederetur sibi hoc donum, ut videlicet posset osculari pedes imaginis: qui concesserunt, et dum coniunxisset se imagini, ecce ipsa imago extendit manum, et apprehendit eius brachium post tergum colligatum. Accesserunt illi, ut removerent, nec potuerunt, cum pluries attentassent, quousque indulserunt sibi mortem, et coram cunctis narravit, quomodo a matre instructus, beatam Virginem salutaverit quotidie, et ut iuvaret in hora mortis, concludendo salutationem ipsam b. Mariam invocaverit: et mox omnis populus dedit laudem Deo, et eius sanctissimae matri Mariae, illeque rediens ad patriam quamdiu vixit devotissime servivit gloriosae Virgini Mariae.

§. XCVIII.

Bonifacius (*de vit. b. Virg. lib.* 2. *cap.* 1) narrat ex catalogo gloriae mundi, quod sequitur: In urbe Galliae Carnoto ait, aedificatum esse templum in honorem pariturae Virginis, auctor est Cassaneus, idemque affirmat, apud Heduos Gallorum item populos mirae antiquitatis inventum esse sepulcrum: in eo Christi fuisse imaginem, nati in diversorio ex purpurea Virgine, quem et bos, et asinus circumstarent, hominemque ad eiusdem pueri Christi pedes dolatum ex lapide flexis genibus manibusque coniunctis, quem literae ambirent huius sententiae: Credo in Iesum, inter animalia ex Virgine nasciturum. Huic ego narrationi non assentirer invitus, si Cassaneus scriptores non illos quidem primae classis, sed vel tertiae quartaeve citasset; quaedam enim eiusmodi sunt,

ut uno auctore contenta esse non queant. Minime tamen haec negligi debet historia, illarum cognata, quas a viris et doctis, et gravibus scimus esse conscriptas, aedem illam Carnotensem, si Cassaneo damus, Carmelitarum templum, cuius paulo ante meminimus, illorum primum esse non potest, quae pietas fidelium beatae Virgini consecravit. Sed restant praelia maiora in hac primi templi quaestione: de qua re tum dicemus, cum quae de Christi ortu nova sunt, Cassanei non contemnendi scriptoris admonitu fuerant absoluta. Narrat enim in sepulcro Platonis auream laminam esse repertam, ipsius pectori Platonis haerentem, in qua erant sculptum: Credo in Christum nasciturum de Virgine, passurum pro humano genere, die tandem tertio resurrecturum. Haec Cassaneus, credat qui volet; mihi enim Plato mortuus idem videtur fuisse, qui vivus, cuius in scriptis negat Augustinus se unquam legisse: *Et Verbum caro factum est*; etsi quaedam in hoc magno philosopho inveniuntur quae de Christo Coelius Rodiginus gravis auctor censet esse praedicta. Ex quo efficitur, ut haec Cassanei videnda historia non sit: multo illa minus de aureo circulo pulcherrimam quandam Virginem lactantemque puerum obeunte, in quem cum suspexisset Caesar Augustus, coelitus auditam esse vocem, haec est ara coeli, eiusque prodigii foeminam interpretem fuisse, monuisseque Augustum, ut puerum illum se longe maiorem adoraret. In cuius rei memoriam a Christianis multo post aedem esse constructam, quae sancta Maria de ara coeli vulgo nominatur, quam tenent monachi Franciscani. Hoc mirabile portentum ex Innocentio hoc nomine tertio, litteris mandavit Antoninus. Fama quoque vulgavit, cum aulam Romulus aedificasset, sibique de substructione placuisset, ita se locutum]: domus haec nostra non corruet, nisi Virgo aliquando pepererit; quod quia fieri posse non credebat, perennitatem operis verbis illis sibi ipse promisit. Verumtamen vaticinium illud fuisse, rei probavit eventus: nam qua nocte mundi conservator Christus ex purissima natus est Virgine, Romuli palatium illud omnino concidit, eiusque diruti ruinas conspici Petrus Damianus sapiens et sanctus Doctor affirmat. Hanc de partu Virginis, inquam, nostra libens deflexit oratio non ingratam historiam, probatissima narratio definiet de templo non manu facto, quale quisque modo se purum ab omni labe conservet, sine ullis pecuniae sumptibus valebit extruere. De Margarita illa, cui a Castello Italiae urbe cognomen erat, quae fuit eius germana patria, complura praeclare gesta memorantur. Sed illud in ea maxime insigne, quod frequenter admodum felicissimum Iesu Christi ortum ex Maria illibata virgine contemplari solebat; et cum post obitum huius Dei famulae, balsamo corpus esset ungendum, extaque de more chirurgus extraheret, simulatque cor Margaritae ab ea qua pendebat est parte divulsum, unio inusitatae magnitudinis, et admirandae pulchritudinis inde prosiluit, in quo Christi nascentis imago videbatur. Apparebat quoque beatae huius Vir-

ginis Margarita figura flexis genibus ante Christi praesepe sacrosanctum: nempe, tam pretiosa Margarita, templum Dei fuit, eiusque divinae parentis, non quidem ex his lapidibus, in quos passim offendimus, sed ex gemma extructum, ubi sanctissimae Mariae Virginis mite puerperium videretur. Hanc gemmam in sacrario aedis sancti Dominici, cuius Margarita institutum complexa erat, hodie et servari, et conspici Ludovicus Granatensis affirmat, cuius haec est omnis historia.

XCIX.

Ioannes Monachus Eviratus (*in suo prato vere florido c.* 45): Septima Synodus hanc historiam et approbavit, et mirata est. Quidam solitudinis incola Christi Iesu pugil insignis in olivarum monte illo sacrosancto, quem nostri Servatoris sudor sanguineus coloravit, tabernaculum degendae vitae constituit, ubi ne ad multam quidem aetatem provecto, per malum daemonem esse licebat otioso: quotidie enim cum communi adversario, de mentis castitate, deque corporis cordisque munditia decertabat. Cumque daemon libidinis admoventis facibus esset infestus, instanti inimico sic aliquando locutus est: quousque tandem pudenda est haec perventura contentio? cur spurcissime satana senili huic non parcis aetati? inquam obscoena ista quadrant, quae tu mihi suggerere perseveras? sine me, sine, inquam, ab inhonesto certamine respirare. Daemon ea sumpta forma, quae videri poterat, querenti expostulantique monacho, promitte, inquit, iureiurando nemini enunciaturum te esse, quae dicam, et te desinam agitare. Iurat solitarius se forte taciturum: tum diabolus, noli istam amplius venerari, et ego veneris ignem subdere, atque ad meretrices te impellere, atque instigare desistam: habebat enim senex almae Matris imaginem, cui debitum cultum adhibebat. Monachus quietae castitatis conditionem illam non accepit, deliberandique spatium postulavit. Cumque dubitationem expedire per se ipse non posset, die postero Abbati Theodoro viro permagno rem exposuit, a quo hoc responsum accepit, iurando peccavisti, tamen enunciando et patefaciendo christianum officium praestitisti. Illud autem persuasissimum tibi esse debebit, levioris esse flagilii in quodlibet urbis lupanar intrare, quam Deo eiusque Matri debitum cultum, et religiosum honorem denegare: etsi enim libidinis et scortationis execrabile scelus sit et poenis aeternis vindicandum, impietas tamen quae a vera religione nos avocat, quaeque Deum et Dei Matrem, alterum altero adorationis genere venerari non prohibet, multo est libidine ipsa deterior, atque detestabilior. Illud, mihi crede, daemon astutus agebat, ut in casto tuo corpore animus religionis ac fidei desertor habitaret. Quod peccandi genus fornicationem, si forte nescis, saepissime Scriptura compellat, quam ut a te posset impetrare, casium te esse corpore permittebat, et a mulierculis quae se pervulgant, continentem. Plura in hanc sententiam, quae brevitatis causa tacet historicus, a Theodoro credimus esse disputata, ut monachi titubantis animum in religione, necessariaeque venerationis proposito confirmaret, nosque in his enarrandis exemplis non servi, sed liberi sumus interpretes, et quae scriptor omisit, implemus. Non enim committendum est, ut ex nimia nostra fidelitate lectori, aut quae sunt scitu necessaria, ignorandi pariatur occasio. Daemon reversus ad monachum, violati iurisiurandi perfidiam exprobravit, seque minatus est ante summi Iudicis tribunal accusaturum esse periurum: monachus, quippe theologus iam ex schola Theodori, iurasse, inquit, temere, atque indefinite me poenitet, rem ad Theodorum retulisse nunquam pigebit; quod autem ad Virginis cultum attinet, sic habeto: me constantem, ac mei similem esse mansurum, Deumque et Dei Matrem in utrinsque imaginibus adoraturum. Neque vero iurisiurandi religione impedior, cuius tum irrita promissio est, cum illa praestamus, quae bonis moribus, nedum sanctitatibus aversantur. Monachum fortem inimicum daemon ipse per se ab adoratione imaginis avertere conabatur, qui imperatorem Leonem Isauricum per duos Iudaeos fugitivos, ac profugos in fraudem induxit, et ab imaginum sacrarum cultu et veneratione suffocavit; quibus daemonis interpretibus ac nunciis, cum faciles aures praebuisset sacras figuras, ubicunque essent tollendas, evertendasque curavit, sed tabe dysenteriaque consumptus, ad inferorum raptus est aeternos cruciatus. Hunc imitari Copronymus Leones IV. et V. Michael Traulius, Theophili pater et filius, vitam miserrimo interitu finierunt; sed de suppliciis reorum laesae Maiestatis nostrae Mariae Virginis potentissimae sanctissimaeque Reginae, libro huius operis 15.

§. C.

Idem auctor (*ibid. cap.* 80): Eremita Ioannes, vir maximi nominis, et rarae sanctitatis in spelunca vitam egit, quam speluncam sacrae civitatis Hierosolymae vicinitas fortunabat. Erat Ioanni divae Mariae integerrimae Virginis et foecundae matris Deum Filium gestantis, in gremioque foventis, imago charissima, solitudinis socia, adiutrix itinerum, religionis incitamentum: nam quotiescunque vel volt, vel sanctitatis causa Ioanni peregrinandum esset, id, quod non minus studiose quam frequenter agebat, ad sacrae huius aram imaginis cereum accendebat, emissisque precibus et se, et iter suum clementissimae Virgini, quam domestici illius simulacri modesta, eademque serena facies adumbrabat, ex animo commendare solebat. Sanctissima humani generis et mater, et domina, haec erant verba precantis Ioannis, quandoquidem mihi via paratur et anceps, et longa, diesque plurimos abesse me oportet, haec tibi sit candela curae, cuius lumen opto esse perpetuum.

Tu igitur lucidam, inflammatamque conserva, perficeque ut eam talem redux inveniam, qualem relinquo nunc tibi: da hoc mihi pro tua in homines charitate, proque illa potestate, quam tibi tuus unigenitus filius tam larga manu permittit. Haec cum Virgine, in eius intuens imaginem, collocutus, se alacer dabat in viam; confectoque itinere ad speluncam reversus, alias trimestri, alias semestri exacto spatio, ardentem cereum semper invenit. Deo per matrem, cui nihil negare solet, prodigium illud, miraculumque patrante, piamque S. monachi et viam, et fiduciam factis admirabilibus prosequente.

§. CI.

Carolus Sigonius (*libr.* 1. *de Regno Italiae*) eisdem fere verbis: Romae furente in dies acrius pestilentia, urbs assiduis funeribus exhauriebatur. Itaque moestum ubique silentium, tristisque luctus passim universam civitatem tenebant, prementium malorum magnitudine iam animum despondentem: qua re animadversa, Gregorius 4. Kalend. Septembr. populum ad concionem in basilicam s. Sabinae vocavit, et divino repletus spiritu ad flagella flagellis avertenda plebem incitavit: in fine haec adiecit: *Et singulis autem aedibus in hunc modum egressi, in aedem b. Mariae semper Virginis Matris Iesu Christi Domini nostri conveniamus, ac longis ibi fletibus et gemitibus Domino supplicantes peccatorum nostrorum veniam imploremus*: et paulo post: interim in dies magis pestilentia saeviebat; ad ceteros autem casus, quibus homines foede passim absumebantur, hoc etiam mali accesserat, quod multi, cum sternutarent, alii cum oscitarentur, repente spiritum emittebant. Quod cum saepius eveniret, consuetudo inducta fuit, quae nunc etiam observatur, ut sternutantibus salutem precando, oscitantibus signum crucis ori admovendo praesidium quaererent; quibus rebus permotus Gregorius, ad cetera coelestis irae piacula, postero anno, qui fuit quingentesimus nonagesimus primus, religiosam in die Resurrectionis supplicationem instituit, atque solemni in pompa sanctae Dei Genitricis imaginem extulit. Haec ex ore eius Lucae Evangelistae manu affabrefacta ad vivum expressa iam tum in aede divae Mariae ad praesepe in exquiliis sita eximia populi religione conservabatur. Factum est autem, ut imaginem ipsam, quocunque ferretur, terra pestilentis coeli gravitate cedente, oplata salubritas sequeretur; qua de re gratulantibus omnibus, ecce angelus sanctam Virginem his vocibus de coelo alloquens, est auditus: *Regina coeli laetare alleluia, quia quem meruisti portare alleluia, resurrexit, sicut dixit, alleluia.* Quam orationem ubi Gregorius auribus excepit, statim divino instructus spiritu, in hunc modum explevit: *Ora pro nobis Deum alleluia.* Exinde, antiphona solemnis ecclesiae paschalis argumento laetitiae mansit: neque ita multo post angelus super Adriani molem astans, ac strictum mucronem vagina recondens, conspectus est; quo viso Gregorius exhilaratus, converso ad populum ore: Bono omnes, inquit, animo estote, nam optatus divinae irae, ac furentis iam pridem pestilentiae finis, Deo ipso annuente ostenditur; atque ita ut ille praesensit, ipse deinde morbus elanguit. Ab hac re moli, sancti angeli nomen est inditum. Haec ita ut in ritualibus scripta sunt retuli; Sigonii, ait, cuius hucusque verba protulimus. Et haec quidem beatissimae Dei Genitricis effigies ex templo, ubi erat ad sancti Sixti, translata est, et a divo Dominico, multo Cardinalium, et mirabundi populi comitatu, nudis deportata pedibus, quam sacrae sorores, quae sub eiusdem Dominici vexillo militabant, nudis itidem pedibus expectarunt; seque beatissimas putaverunt, quod eam imaginem, quae humani generis hospitam ad vivum exprimeret, annuente Christi Vicario possiderent. Divum porro Gregorium Virginis peramantem fuisse, et haec, quam modo exposuimus, monstrat historia, et litterae ad Petrum subdiaconum missae declarant. Siquidem beatae Mariae oratorium dicaturus, ad convivium illud, quod Agapen veteres Christiani dicebant, illa parari iubet his verbis: *Sed quia cellae ipsius tenuitas exigit, debere nos in ipsa diei festivitate concurrere, propterea volumus, ut ad celebrandam dedicationem dare debeas ad erogandum pauperibus in auro solidos decem, vini amphoras triginta, annonae modios ducentos, olei orras duas, verveces duodecim, gallinas centum, quae tuis possint rationibus postmodum imputari.* Noverat Gregorius liberalem se esse debere, sacellum Dei Matri dicantem, cui et est, et fuit semper pergrata benignitas.

§. CII.

Tilmannus Bredenbachius (*lib.* 3. *cap.* 19): In Embriensi urbe, mulier quaedam Odilia nomine, a prima aetate clauda atque impos gradiendi, cum ad sanctae Aldegundis templum, vel manibus alienis delata, vel pedetentim ipsa pervenisset, et coram Deiparae Virginis imagine provoluta, preces fidei, speique plenas, ex intimo cordis sinu fudisset, neque multo post e terra surrexisset, a colloquio illo, congressuque Virginis, sanitatem membrorum reportavit, benignissimaeque Mariae Dei Matri gratias egit, quanta maxima potuit animi pietate. Sequuta mox populi laetitia, et campanae ob miraculi gloriam laetissime sonuerunt. Haec Tilmannus ex probatissimae mulieris ore cognovisse se ait, quae Anna dicebatur, cui Odilia cognita erat, et in illa debilitate membrorum, claudicandique molestia, et cum beatissimae Virgini beneficio, rectis iam et solutis pedibus incedebat, compluresque alios, quibus habenda fides fuisset, hoc ipsum sanctae Odiliae miraculum iurando confirmasse. Eadem Anna vidisse se aiebat hanc Deiparae imaginem, vim lacrymarum profundentem, iisdemque religiosi cuiusdam manu, adhibito linteolo, abstersis novas defluxisse, imaginisque pectus prae lacrymarum abundantia maduisse,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

ginis Margarita figura flexis genibus ante Christi praesepe sacrosanctum: nempe, tam pretiosa Margarita, templum Dei fuit, eiusque divinae parentis, non quidem ex his lapidibus, in quos passim offendimus, sed ex gemma extructum, ubi sanctissimae Mariae Virginis mite puerperium videretur. Hanc gemmam in sacrario aedis sancti Dominici, cuius Margarita institutum complexa erat, hodie et servari, et conspici Ludovicus Granatensis affirmat, cuius haec est omnis historia.

XCIX.

Ioannes Monachus Eviratus (*in suo prato vere florido c.* 45): Septima Synodus hanc historiam et approbavit, et mirata est. Quidam solitudinis incola Christi Iesu pugil insignis in olivarum monte illo sacrosancto, quem nostri Servatoris sudor sanguineus coloravit, tabernaculum degendae vitae constituit, ubi ne ad multam quidem aetatem provecto, per malum daemonem esse licebat otioso: quotidie enim cum communi adversario, de mentis castitate, deque corporis cordisque munditia decertabat. Cumque daemon libidinis admoventis facibus esset infestus, instanti inimico sic aliquando locutus est: quousque tandem pudenda est haec perventura contentio? cur spurcissime satana senili huic non parcis aetati? inquam obscoena ista quadrant, quae tu mihi suggerere perseveras? sine me, sine, inquam, ab inhonesto certamine respirare. Daemon ea sumpta forma, quae videri poterat, querenti expostulantique monacho, promitte, inquit, iureiurando nemini enunciaturum te esse, quae dicam, et te desinam agitare. Iurat solitarius se forte taciturum: tum diabolus, noli istam amplius venerari, et ego veneris ignem subdere, atque ad meretrices te impellere, atque instigare desistam: habebat enim senex almae Matris imaginem, cui debitum cultum adhibebat. Monachus quietae castitatis conditionem illam non accepit, deliberandique spatium postulavit. Cumque dubitationem expedire per se ipse non posset, die postero Abbati Theodoro viro permagno rem exposuit, a quo hoc responsum accepit, iurando peccavisti, tamen enunciando et patefaciendo christianum officium praestitisti. Illud autem persuasissimum tibi esse debebit, levioris esse flagilii in quodlibet urbis lupanar intrare, quam Deo eiusque Matri debitum cultum, et religiosum honorem denegare: etsi enim libidinis et scortationis execrabile scelus sit et poenis aeternis vindicandum, impietas tamen quae a vera religione nos avocat, quaeque Deum et Dei Matrem, alterum altero adorationis genere venerari non prohibet, multo est libidine ipsa deterior, atque detestabilior. Illud, mihi crede, daemon astutus agebat, ut in casto tuo corpore animus religionis ac fidei desertor habitaret. Quod peccandi genus fornicationem, si forte nescis, saepissime Scriptura compellat, quam ut a te posset impetrare, casium te esse corpore permittebat, et a mulierculis quae se pervulgant, continentem. Plura in hanc sententiam, quae brevitatis causa tacet historicus, a Theodoro credimus esse disputata, ut monachi titubantis animum in religione, necessariaeque venerationis proposito confirmaret, nosque in his enarrandis exemplis non servi, sed liberi sumus interpretes, et quae scriptor omisit, implemus. Non enim committendum est, ut ex nimia nostra fidelitate lectori, aut quae sunt scitu necessaria, ignorandi pariatur occasio. Daemon reversus ad monachum, violati iurisiurandi perfidiam exprobravit, seque minatus est ante summi Iudicis tribunal accusaturum esse periurum: monachus, quippe theologus iam ex schola Theodori, iurasse, inquit, temere, atque indefinite me poenitet, rem ad Theodorum retulisse nunquam pigebit; quod autem ad Virginis cultum attinet, sic habeto: me constantem, ac mei similem esse mansurum, Deumque et Dei Matrem in utrinsque imaginibus adoraturum. Neque vero iurisiurandi religione impedior, cuius tum irrita promissio est, cum illa praestamus, quae bonis moribus, nedum sanctitatibus aversantur. Monachum fortem inimicum daemon ipse per se ab adoratione imaginis avertere conabatur, qui imperatorem Leonem Isauricum per duos Iudaeos fugitivos, ac profugos in fraudem induxit, et ab imaginum sacrarum cultu et veneratione suffocavit; quibus daemonis interpretibus ac nunciis, cum faciles aures praebuisset sacras figuras, ubicunque essent tollendas, evertendasque curavit, sed tabe dysenteriaque consumptus, ad inferorum raptus est aeternos cruciatus. Hunc imitari Copronymus Leones IV. et V. Michael Traulius, Theophili pater et filius, vitam miserrimo interitu finierunt; sed de suppliciis reorum laesae Maiestatis nostrae Mariae Virginis potentissimae sanctissimaeque Reginae, libro huius operis 15.

§. C.

Idem auctor (*ibid. cap.* 80): Eremita Ioannes, vir maximi nominis, et rarae sanctitatis in spelunca vitam egit, quam speluncam sacrae civitatis Hierosolymae vicinitas fortunabat. Erat Ioanni divae Mariae integerrimae Virginis et foecundae matris Deum Filium gestantis, in gremioque foventis, imago charissima, solitudinis socia, adiutrix itinerum, religionis incitamentum: nam quotiescunque vel volt, vel sanctitatis causa Ioanni peregrinandum esset, id, quod non minus studiose quam frequenter agebat, ad sacrae huius aram imaginis cereum accendebat, emissisque precibus et se, et iter suum clementissimae Virgini, quam domestici illius simulacri modesta, eademque serena facies adumbrabat, ex animo commendare solebat. Sanctissima humani generis et mater, et domina, haec erant verba precantis Ioannis, quandoquidem mihi via paratur et anceps, et longa, diesque plurimos abesse me oportet, haec tibi sit candela curae, cuius lumen opto esse perpetuum.

Tu igitur lucidam, inflammatamque conserva, perficeque ut eam talem redux inveniam, qualem relinquo nunc tibi: da hoc mihi pro tua in homines charitate, proque illa potestate, quam tibi tuus unigenitus filius tam larga manu permittit. Haec cum Virgine, in eius intuens imaginem, collocutus, se alacer dabat in viam; confectoque itinere ad speluncam reversus, alias trimestri, alias semestri exacto spatio, ardentem cereum semper invenit. Deo per matrem, cui nihil negare solet, prodigium illud, miraculumque patrante, piamque S. monachi et viam, et fiduciam factis admirabilibus prosequente.

§. CI.

Carolus Sigonius (*libr.* 1. *de Regno Italiae*) eisdem fere verbis: Romae furente in dies acrius pestilentia, urbs assiduis funeribus exhauriebatur. Itaque moestum ubique silentium, tristisque luctus passim universam civitatem tenebant, prementium malorum magnitudine iam animum despondentem: qua re animadversa, Gregorius 4. Kalend. Septembr. populum ad concionem in basilicam s. Sabinae vocavit, et divino repletus spiritu ad flagella flagellis avertenda plebem incitavit: in fine haec adiecit: *Et singulis autem aedibus in hunc modum egressi, in aedem b. Mariae semper Virginis Matris Iesu Christi Domini nostri conveniamus, ac longis ibi fletibus et gemitibus Domino supplicantes peccatorum nostrorum veniam imploremus*: et paulo post: interim in dies magis pestilentia saeviebat; ad ceteros autem casus, quibus homines foede passim absumebantur, hoc etiam mali accesserat, quod multi, cum sternutarent, alii cum oscitarentur, repente spiritum emittebant. Quod cum saepius eveniret, consuetudo inducta fuit, quae nunc etiam observatur, ut sternutantibus salutem precando, oscitantibus signum crucis ori admovendo praesidium quaererent; quibus rebus permotus Gregorius, ad cetera coelestis irae piacula, postero anno, qui fuit quingentesimus nonagesimus primus, religiosam in die Resurrectionis supplicationem instituit, atque solemni in pompa sanctae Dei Genitricis imaginem extulit. Haec ex ore eius Lucae Evangelistae manu affabrefacta ad vivum expressa iam tum in aede divae Mariae ad praesepe in exquiliis sita eximia populi religione conservabatur. Factum est autem, ut imaginem ipsam, quocunque ferretur, terra pestilentis coeli gravitate cedente, oplata salubritas sequeretur; qua de re gratulantibus omnibus, ecce angelus sanctam Virginem his vocibus de coelo alloquens, est auditus: *Regina coeli laetare alleluia, quia quem meruisti portare alleluia, resurrexit, sicut dixit, alleluia.* Quam orationem ubi Gregorius auribus excepit, statim divino instructus spiritu, in hunc modum explevit: *Ora pro nobis Deum alleluia.* Exinde, antiphona solemnis ecclesiae paschalis argumento laetitiae mansit: neque ita multo post angelus super Adriani molem astans, ac strictum mucronem vagina recondens, conspectus est; quo viso Gregorius exhilaratus, converso ad populum ore: Bono omnes, inquit, animo estote, nam optatus divinae irae, ac furentis iam pridem pestilentiae finis, Deo ipso annuente ostenditur; atque ita ut ille praesensit, ipse deinde morbus elanguit. Ab hac re moli, sancti angeli nomen est inditum. Haec ita ut in ritualibus scripta sunt retuli; Sigonii, ait, cuius hucusque verba protulimus. Et haec quidem beatissimae Dei Genitricis effigies ex templo, ubi erat ad sancti Sixti, translata est, et a divo Dominico, multo Cardinalium, et mirabundi populi comitatu, nudis deportata pedibus, quam sacrae sorores, quae sub eiusdem Dominici vexillo militabant, nudis itidem pedibus expectarunt; seque beatissimas putaverunt, quod eam imaginem, quae humani generis hospitam ad vivum exprimeret, annuente Christi Vicario possiderent. Divum porro Gregorium Virginis peramantem fuisse, et haec, quam modo exposuimus, monstrat historia, et litterae ad Petrum subdiaconum missae declarant. Siquidem beatae Mariae oratorium dicaturus, ad convivium illud, quod Agapen veteres Christiani dicebant, illa parari iubet his verbis: *Sed quia cellae ipsius tenuitas exigit, debere nos in ipsa diei festivitate concurrere, propterea volumus, ut ad celebrandam dedicationem dare debeas ad erogandum pauperibus in auro solidos decem, vini amphoras triginta, annonae modios ducentos, olei orras duas, verveces duodecim, gallinas centum, quae tuis possint rationibus postmodum imputari.* Noverat Gregorius liberalem se esse debere, sacellum Dei Matri dicantem, cui et est, et fuit semper pergrata benignitas.

§. CII.

Tilmannus Bredenbachius (*lib.* 3. *cap.* 19): In Embriensi urbe, mulier quaedam Odilia nomine, a prima aetate clauda atque impos gradiendi, cum ad sanctae Aldegundis templum, vel manibus alienis delata, vel pedetentim ipsa pervenisset, et coram Deiparae Virginis imagine provoluta, preces fidei, speique plenas, ex intimo cordis sinu fudisset, neque multo post e terra surrexisset, a colloquio illo, congressuque Virginis, sanitatem membrorum reportavit, benignissimaeque Mariae Dei Matri gratias egit, quanta maxima potuit animi pietate. Sequuta mox populi laetitia, et campanae ob miraculi gloriam laetissime sonuerunt. Haec Tilmannus ex probatissimae mulieris ore cognovisse se ait, quae Anna dicebatur, cui Odilia cognita erat, et in illa debilitate membrorum, claudicandique molestia, et cum beatissimae Virgini beneficio, rectis iam et solutis pedibus incedebat, compluresque alios, quibus habenda fides fuisset, hoc ipsum sanctae Odiliae miraculum iurando confirmasse. Eadem Anna vidisse se aiebat hanc Deiparae imaginem, vim lacrymarum profundentem, iisdemque religiosi cuiusdam manu, adhibito linteolo, abstersis novas defluxisse, imaginisque pectus prae lacrymarum abundantia maduisse,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

cymbalaque hoc ipso nomine alacriter esse pulsata. Agebatur annus 27. supra sesquimillesimum. quo videlicet tempore depravatae religionis, et Lutheranae perfidiae venena proruperunt, miserumque Belgium infecerunt: quas ipsas clades mitissima Dei Mater et lamentari, et praedicere videbatur. Et cum finitimae gentes foedis tumultibus agitentur, vicinaque ditio miserabiliter perturbata, bellorum tempestate quatiatur, Embrica tamen, beneficio Virginis seditionum, et motuum quasi quidam limes, et terminus in tanta rerum offensione, ut idem Tilmannus scribit, inconcussa perseverat.

§. CIII.

Franciscus Bencius (*in Annalibus societati. de historia provinciae Austriae*) eisdem verbis: Quidam in inimicum ardebat odio ita implacabili, ut subtraheret aures sermonibus. Hunc convenit unus e nostris, orat, ut quandoquidem aures habeat obstructas, oculos tamen sibi clausos esse ne patiatur: in templum nostrum concedat, dum defixo obtutu in beatae Virginis imaginem, eam deprecatur. Dictu mirabile, sed verum! Perculis is visus de repente hominem, et exclamavit, do veniam libens, obliviscor iniuriae; condona tu mihi Deus, condona peccata mea; quae etiam statim adhibita confessione, sacraque communione expiarit. Vir quidam genere nobilior quam fide, uxoris instinctu Valdensem sectam ingressus e templo, quod habebat, sanctorum eiecit simulacra, illa praefatione usus, quod videndi, audiendi, loquendi sensu carerent. Non diu dilata numinis ultio, qui videre noluit in aede mutas, ut dicebat, et surdas imagines, in aedibus mutos, surdosque liberos, quos identidem parebat uxor, perferre cogebatur. Res erat in ore multorum. Miser parens venienti ad eum uni ex nostris infelicem sobolem ostendit. Quaerit noster, qua ratione miserandae illae animae adduci possent ad fidem. Ostensa, inquit ille, crucifixi effigie, aliisque mysteriis, per signa quibus mentes oculorum nuncio moventur: hac una via utor quotidie ad meos erudiendos. Quod cum audisset noster, culpam homini obiectavit, quam luebant filii immerentes, et res ipsa, quae apparebat, ad sacrarum imaginum ad rudes dicendos utilitate, confessionem veritatis extorsit.

§. CIV.

Idem Bencius (*in Annalibus de collegio Bracharensi in Lusitan.*) iisdem verbis: Collegium de coelo tactum divina ope stetit, natali Christi die horis antemeridianis cum pluvia, grandine crebescente coelum stuperet, inter ingentes fragores conflictu nubium illisus ignis turrim quinque tabulatorum, editissimum urbis aedificium graviter vulneravit. Primum decusso, eversoque fastigio, aera campanae loca movit, nec fregit. Fornices tamen campanarum, saxaque inusitatae magnitudinis quoquo versus late disiecit, deinde foeda ruentium lapidum strage, intra quidem patefecit, comminutque contignationes, ubi aliqui de nostris habitabant; extrinsecus vero murum turris, a pinnis ad fundamentum usque horribili sulco aperuit, labefactata etiam portae Urbanae quae suberat, concamerationc. In omnes partes volantium lapidum fragmenta, flammaeque, ac praecipue in collegium cubiculorum, tectis foede dissipatis subierunt. Quo minus vero nostri, aut fulminati, aut certe saxis obtriti, miserabiliter interierint, misericors providit Deus. Sacerdotes in templo procurandae rei divinae, confessionibus excipiendis, reliqui socii in sacello ad cunas Christi orationi vacabant. Uterque locus a turri procul abest. Illa etiam res accidit digna litteris: in aedificata turri est tecta ambulatio, qua e collegio patet transitus in gymnasium. In altero ambulationis pariete est fornix cinctus columnis: ibi in strato e tabulis visitur perelegans Virginis Deiparae simulacrum, quod eo die vestibus auro, gemmisque intextis splendebat: in hanc maxime partem, saxorum, fulminisque vis incubuit. Maior ambulationis pars lapidum pondere, flammisque ad terram afflicta: stratum e tabulis minutatim discerptum: columnae ambustae, comminutaeque ingentes lapides amplius quindecim ad pedes Virginis ceciderunt. Inter ruinas, ac flammas perstitit incolume simulacrum, ita ut ne vestibus quidem minima ignis, alterusve rei nota fuerit inusta. Exterrita fragoribus urbs, et quorsum flammae evaderent, sollicita, accurrit in collegium ad ferendam perditis rebus opem: praeter spem socios salvos, et incolumes, integrum Virginis simulacrum vidit; tunc vero, obortis lacrymis, edere clamores, laetitiae indices, beneficam in nos mirari numinis providentiam, veneranda, intuendaque Virginis effigie, animum oculosque explere; haec ita Bencius. Sed de sacra Deiparae imagine et antea diximus, et saepe alias dicemus: ubilibet enim Virginalis figurae mentio in hac nostra occurret historia.

§. CV.

Ioannes Waltrinus (*in suis annal.* 1582) iisdem verbis: Civitas Lugdunensis anno superiore, valde vexata a pestilentia est, neque morbus remisit, priusquam civitas votum beatae Mariae Lauretanae publice fecit: cuius damnata voti, unum e nostris misit, qui illud dissolveret. Multa in eo loco supra naturae vires quotidie fiunt, quae praesentem loci divinitatem ostendunt: uni enim loquendi facultas divinitus reddita est; alteri cum tres annos oculis fuisset captus, visus restitutus: Halae, quae civitas est in superiore Germania, unus capitis damnatus, licet pridie esset confessus, tamen cum sibi non factum esse satis videretur, cum nostro sacerdote confessionem iterum peregit: is postea cum ad supplicium duceretur, repente in carcerem, nescio quam ob causam

reductus, paulo post votis beatae Virgini nuncupatis, liber dimittitur, factaque generali confessione, ad votum solvendum profectus est. At ne illud quidem tacebo de Iuliensi domicilio Peruanae provinciae, eodem scriptore Ualtrino, cuius verba subdentur: Mulier quaedam factis illa quidem erga res spiritales effecta, cum in nescio quod peccatum esset prolapsa, ita moestitia et pudore opprimi se passa est, ut id nunquam confiteri auderet: tandem ex aegritudine desperatione concepta suspendio molestias finire constituit. Haec igitur meditanti, et laqueum, unde se suspenderet apparanti, beata Virgo apparuit, quae mulierem filiae etiam nomine primum compellans, mollius accusavit, quod pristinae erga se, filiumque suum pietatis oblita, in exitium rueret voluntarium: deinde graviter increpavit de peccato illo in confessione occultato: neque enim aliter in ipsam eam daemonem potestatem fuisse habiturum: denique laqueo e collo detracto, iussit cuidam de nostris sacerdoti, quem nominatim designavit, peccata omnia confiteri. Mulier beatae Virginis beneficium agnoscens, statim ad confessionem venit, atque in vita laudabili perseveravit.

§. CVI.

Franciscus Bencius (*in annal. de histor. sod. Iuliens. provinc. Peruan. num.* 22) his verbis: Ægrotis duabus visa species sanctissimae Virginis, uni post tertium, alteri post decimum diem mortem praedicentis. In oppido Capacabani imago est beatissimae Virginis, pluribus illustrata miraculis, de qua inter cetera illud narratur. Laborabat quidam inflatione tibiarum, ac debilitate pedum, impedito prorsus incessu. Cum ad templum, ubi est imago, se ferret, apparuit ei Virgo, vigilanti, ne an dormienti, neutrum ad me perscriptum, utrumque in medio relinquam, docuitque populari lingua de Christo patiente, ac resurgente canticum, quale ne suspicari quidem Indorum ingenia potuissent: deinde etiam sanitatem restituit. Quod proxime subiicietur, excedit omnem hominum admirationem, sed non Christianorum fidem: equidem, quae transcribo, nihil demere ausim de eorum narratione, et idem legimus in historiis antiquae veritatis. Indus pecudes, camelorum similes custodiebat in monte; Christianus quidem, sed initiamentorum ita negligens, ut praeter Christianorum nomen nihil haberet, aut sciret, is hoc miraculo excitatus ad discendum. Mula pecus, ex illo grege quotidie mane precationum formulam articulate recitans coarguere videbatur inscitiam hominis, et sciendi negligentiam. Narravit hoc ipse, et verum fuisse miraculum moribus, et vita ostendit. Idem Bencius cum de Iuliensi sede, cuius supra meminimus, alibi loqueretur, ita memorat. Ego actum non agam, nisi quod reponam hymnum, quem b. Virgo docuit hominem, quem liberavit inflatione tibiarum: dudum verba ipsa non acceperam, nunc accepta reddo eodem fere numero, atque ordine quo descripta sunt Indica lingua. Sunt enim talia, ut propter brevitatem metri ferant anapestum; et servavi quantum potui simplicem illam dictionem, remotam ab omni leenocinio. Utinam conatus eventui respondeat: sunt autem de Christo patiente:

Pater en noster genitor noster
Rigidis clavis in cruce fixus;
Cor transfixum cuspide amoris
Cruore toto corpore manans
Omnes circum polluit artus.
Cernis ne caput, declive caput,
Caput hoc flavae simile aristae.
Vident ut cingunt spinea serta,
Usque ad tenebrum fixa cerebrum?
Patris heu nostri cerne capillum
Sparsum, incomptum, sanguine foedum.
Oculi tristes lumina moesta
Roseas lacrymas large effundunt
Fluxisse putes molle corallum.
Eliamne manus, artiue manus
Ferro affixae, sanguine rorant?
Os mellifluum patris nostri
Pro me misero iam conticuit,
Extra Solymae moenia terrae
Crucis exivit mole gravatus,
Et pro scelerum mole meorum
Extra Solymam crucifixus obit.

Et filio ipso videtur longior fuisse hymnus, sed hominem rusticum coepit oblivio reliquorum. Templum porro illud Deiparae sacrum, tanquam multis, et magnis inclytum miraculis, visitur in celeberrimo olim fano cibnicorum superstitionis, et quotidianis pene prodigiis auget Christianorum numerum, firmatque sobolem crescentem.

§. CVII.

Auctor Pomerii (*serm. de beata Virgine l.* 10. *part.* 4. *art.* 3) haec ait: Fertur de beato Thoma Archiepiscopo Cantuariensi, quod, cum ipse frequenter, et singulis diebus salutaret beatam Virginem, per septem eius gaudia, quae habuit in terris posita, primum videlicet in filii Dei conceptione. Secundum in eius portatione in suo utero novem mensibus, et Elisabeth visitatione. Tertium in eius nativitate. Quartum in Magorum adoratione. Quintum in inventione post triduum in templo. Sextum in Filii resurrectione, et ascensione. Septimum in beatae Virginis assumptione in coelum. Quadam itaque vice de praedictis, eam salutanti per Ave Maria, ecce apparuit beata Virgo cum claritate magna, et ait: *Charissime*, inquit, *devotionem tuam gratanter accepto: quia de meis gaudiis, quae in vita ista habui, frequenter commemorando, me salutas. Attamen vellem insuper, ut et illa mea gaudia, quae in coelo nunc gloriosa habeo, recolerea, et consimiliter de his quotidie me reverenter salutares. Quod si feceris tu, vel quicunque alius fidelis ob mei devotionem hoc fecerit; en promitto, quod in tempore obitus sui, ego eius animam protegam, et*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

liberabo, et in conspectu filii mei pro ipsa astabo, et intercedam, ac consolabor eam. Tunc ipse beatus Thomas, adorando eam, et gratias agendo dixit: *O gloriosa coelorum Regina, et super benedicta Domina mea, dic quaeso mihi, quae sunt ista tua gaudia in coelo, de quibus te salutare debeo.* At ipsa beata Virgo septem ei gaudia enarravit, quae subscribuntur, de quibus ipse sanctus Thomas Cantuariensis pulchras laudes edidit: quas etiam in certis ecclesiis solent quidam pro sequentiarum loco decantare in haec verba: *Gaude flore Virginali, quae honore speciali transcendis splendiforum angelorum principatum, et sanctorum decoratum dignitate numerum.* Ecce primum: *Gaude spinea chara Dei, nam ut clara lux diei, solis datur lumine. Sic facis orbem fere, tuae pacis resplendere, lucis plenitudine.* Ecce secundum: *Gaude splendens vas virtutum, cuius pendens est ad nutum: tota coeli curia, te benignam, et felicem, Iesu dignam Genitricem, veneranda in gloria.* Ecce tertium gaudium: *Gaude nexu voluntatis, et amplexu charitatis, quod iuncta sic Altissimo, ut ad votum consequaris, quidquid Virgo postularis a Iesu dulcissimo.* Ecce quartum: *Gaude Virgo Mater Christi, quia sola meruisti, o Virgo pissima, esse tantae dignitatis, quod sic sanctae Trinitati sessione proxima.* Ecce quintum: *Gaude mater misericordiae, quia pater saeculorum dabit te colentibus: congruentem hic mercedem, et felicis poli sedem regnis in coelestibus.* Ecce sextum: *Gaude Virgo mater pura: certa manens, et secura, quia tua gaudia non cessabunt, nec decrescent, sed durabunt, et florescent per aeterna saecula.* Ecce septimum, et post singulos versus, Gaude, addunt devote salutationem perorando Ave Maria.

§. CVIII.

Idem Pomerius (*ib.*) refert: Legitur in legenda communi nativitatis beatae Virginis, quod erat quidam fur, qui saepe latrocinia exercebat; sed tamen beatam Mariam plurimum in devotione habebat, et eam crebrius salutabat. Quadam ergo vice furtim rapiens aliqua, tunc capitur deprehensus, et suspendio iudicatur. Cum ergo suspenderetur, continuo beata Virgo eidem affuit, et suspensum tribus diebus, ut sibi videbatur, suis manibus sustentavit, ita quod nullam laesionem persensit. Illi vero, qui eum suspenderant, die quarta casu inde transeuntes, eum viventem vultu alacri repererunt, et arbitrantes, quod non bene fuerit laqueo adstrictus, gladio ipsum iugulare volebant. Sed b. Maria ferientium gladius manum opponebat, et illi sibi nocere nihil poterant. Cognoscentes ergo, illo referente, quod beata Maria sic eum iuvaret, mirando, eum deposuerunt, et amore Virginis abire liberum demiserunt, qui abiens, monasterium intravit, et quoadusque vixit, in servitio Dei Genitricis permansit. Ecce patet, quia beata Virgo in se sperantes, ac ad ipsam confugientes, non derelinquit, ipsamque laudantes, et ei devote servientes, a periculis, et hostibus salvabit.

§. CIX.

Tilmannus Bredenb. (*lib. 3. divin. insinuat. cap. 20*): Solemne s. Gertrudi fuit quidquid gratum, suaveque accideret: quod amantium est proprium, ad praepotentem illum Deum, quem amabat, charumque habebat, sine mora referre, et illi attribuere, a quo omnia laudabilia, velut ex fonte fluxissent. Quamobrem quotiescunque aliquid vel legi, vel dici videbat in beatissimae Dei parentis, sanctorumque gloriam, et laudem eiusmodi, quo movere posset affectus, statim ipsi Regi regum, et dominorum Domino, quem toto animo diligebat, et supra res omnes amabat, dulcissime adhaerebat, cuius multo ei erat recordatio iucundior, quam coelitum, quos festorum dierum celebritate, et laudum praeconio mater Ecclesia recoleret. Ergo in festis angeli, sacrosanctae Virgini nostrae salutis, et liberationis mysteria nunciantis, cum beatissima Virgo nullo non tempore a concionatore laudaretur, neque de saluberrimo assumptae a Christo humanae carnis, et naturae opere ac beneficio sermo ullus esset, ac mentio oratoris non quidem pietatem, sed diligentiam Gertrudis requisivit, et rei maximae oblivionem verbis modestissimis accusavit; cumque in reditu sacellum quoddam ingressa, ad altare Virginis salutationem angelicam recitasset, verbisque illis: Ave Maria, gratia plena, citius decursis, ad Iesum benedictum ventris fructum properaret, in iisque inhaereret, insisteret, et quasi de pleno fonte dulcedinem hauriens, multo diutius moraretur, vereri coepit, ne in Matris indignationem incurreret. Timenti, atque haesitanti benignissimus animarum consolator illis verbis occurrit: Ne timeas, charissima: ea namque vel salutatio, vel laus, qua me dulcius, quam meam Matrem, amplecteris, appellas, affaris, Deiparae iucundissima est, quae me semper vult esse praeclarum; moneo tamen ut utraque suavissima tibi res sit: quod, cum mihi pergratum est, tibi debet esse iucundum: sunt autem gratissimi quicunque meae matris memoriam dulcissime prosequuntur. Docet haec historia, prudentes Virginis cultores, qui, Deum mente complexi, secundas Mariae tribunt, divinaeque Matris recordatione, quae talem nobis filium peperit, suavissime recreantur. Quae vero, Mariae audito nomine, in hominum sensibus innascitur iucunditas, Dei ingens donum est, beneficiumque praeclarum.

Silvanus Razzius, monachus Camaldulensis, quem ex Italo Latinum fecit Herculus Vincemala (*de mir. s. Virg. lib. 3. c. 15*): Vir nobilissimus, cuius uxor in Virginis fidem, et clientelam sese dederat, cum nullos haberet liberos, Deum suppliciter obtestatur, ut prolis dulcia praemia nosse sibi liceret. Voti compos, filium ad christianam disciplinam, et pios mores erudivit. Iam infans esse desiderat, cum ab aliis pueris floribus, et rosis serta contexi, idem ipse facere, illisque cum magna pietate Virginei cuiusdam simulacri frontem exornare, neque unquam ullam diem intermittere. Natu grandiorem, parentes matrimonii

vinculis impedire cupiebant. At ipse, qui Deo, eiusque Matri virginitatem sartam tectam, quod aiunt, integram servaturum se voto promiserat, in coenobium migravit eorum, qui s. Brunonem sequuntur auctorem. Ibi quotidie magis, magisque proficiens, firmiora in dies sanctitatis fundamenta iaciebat. Quod vero neque in illam vitae rationem conveniens esset, neque flores, et rosas hyems dura progigneret, institutum coronandae imaginis intermitti oportuit; alio tamen pro re, ac tempore consilio sui moderatoris remedium inivit: qui, ut alii scribunt, tacente Silvano, huic adhuc novitio, quod rosae in promptu non essent, paranti recessum, desperantique Virginis caput a se redimiri iam posse, saluti fuit, monens, ut pro rosis quinquagenas salutationes offerret angelicas, ac denis quibusque Dominicam subiiceret precationem: eam coronam Deiparae fore gratiorem. Paret, obtemperatque novitius, manendi iam certus, ac florum vice, ex Christi oratione et angeli Gabrielis alloquio, rosea, floridaque serta Virgineo capiti quotidie componebat. Progrediente cum ipso tempore huius religiosi virtute, factus est cuiusdam illius familiae praefectus, ac rector, pro muneris autem necessitate commissi, faciendum iter aliquando fuit, eundemque peregre satis. Ex oblivione tamen obruentibus animum curis, piam illam quinquagies, ut Silvanus scribit, salutandae Virginis consuetudinem, diem unum intermisit, cumque in vastam sylvam ingressus, suae memor iniuriae, ad salutandam de more Virginem, a sociis disiunctus, secessisset, repente latro erumpit e latebris, qui precanti monacho manibus iniectis, equum, resque omnes ademit, vitam etiam hausturus, nisi Virginis misericordia, imminens periculum depulisset. Iam latro telum intenderat, ut inermem occideret, cum puer formosus intervenit, qui ex monachi ore prodeuntes centum rosas collegit, ex quibus contextam coronam cum suo capiti imposuisset, in coelum revolavit. Id ubi latro animadvertit, et homicida nefarius ad praefecti pedes se abiecit, et iis, quae puer ille coelestis egisset, singillatim expositis veniam postulavit: quin et excussor ipse eidem se, et institulo coenobio libenter addixit, et reliquam vitae partem cum sanctitate traduxit; haec ita Silvanus, Vincemala Mediolanensi Canisdico interprete. Sed si Dominicanis quibusdam Rosarii scriptoribus credimus, non unus tantum latro fuit, sed multi, et meliores facinoris, et miraculi testes. Neque Carthusiano huic Priori manus allata, ademptumve aliquid, procul venientem, quod est credibilius, exploraverunt, secedentem a sociis observarunt: ubi precari genibus inflexis coepisset, formosissimam astitisse matronam, quae ex monachi psallentis ore tot albas rosas educeret, quot ille salutationes recitaret angelicas, candidam ex denis quamque rubicanda una sequente, quae Dominicae precationis index esset. Ex utrisque ab illa pulcherrima Virgine coronam esse contextam, ubi capiti imposuisset, subito esse dilapsam. Latrones viso exterritos ad Priorem supplices adiisse, de Virgine illa percontantibus, nihil se scire dixisse: tum a latronibus expositam ex ordine visionis historiam, infudisseque in omnium animis, Deiparam fuisse coelestem, quae suum viatorem defendere voluisset. Illo ex tempore Rosarium latronibus cordi esse coepisse, rapere, et occidere desiisse, plebique universae promulgatam. Duo gravissimi huius sceleris accusati sunt, causaque cognita, capitis ex lege damnantur. Martinus, qui legis suasor fuerat, uti praeclarus, et animarum salutis percupidus, e suo coenobio egressus, ad custodiam vadit, et sontibus capitali supplicio sine ulla spe veniae addictis, auctor est Rosarii recitandi, Virginem eorum, qui se invocant, opportunam esse adiutricem, pernecessario tempore subvenire solitam, nulli, quamvis indigno, opem suam denegare. Consilium alter ex damnatis accepit, alter obsurduit, cumque educti e carcere, ut Hispanorum mos est, asellis ad patibulum traherentur, ecce, quae Rosarii amatorem bestia portabat, ex media turba se proripit tanto impetu, ut nemo apparitor, nemo miles, nemo iudicis administer currentem asinum inhibere posset. Ille ad d. Dominici monasterium rationis impotem dicentes, rectique ignarum consilii, quam velocissime properabat: nec ante currere desiit, quam virginale in coenobio sacellum, cui a Rosario nomen inditum, faventibus superis, penetravit, suumque sessorem ante Virginis altare constituit. Accurrit sallellitium, et turba insequentium, ut sontem a templo abducant, sed eiusdem Mariini a sanctis, et Ioannis Victoriani ex eadem familia, valuit auctoritas, quorum hortatu parsum illi est, quem Deipara defendisset. Ipse beneficii memor, et tanto gratus miraculo, in monasterio permansit, quo se tardum illud animal, quasi quid ageret, sentiens detulisset, resque coenobii domesticas fratrum laicorum habitu procuravit. Porro Frederici uxor clarissima tantum admirata prodigium, Rosarii precationem illo ex die praecipua quadam religione percoluit, multaque Rosariorum millia coemit, millibusque distribuit, qui se hac pietate adversus imminentes Gallos armaverunt, a quibus Iulio Brica, Lucronium vulgo diximus, obsidione cincta tenebatur, sed brevi secuta victoria est, et Galli profligati.

§. CX.

Hieronym. Faxius (*in tractatu de Rosario*): Cum Barcinone Rosarii sancta societas prope dissoluta essel, et pene venisset ad nihilum, Dominicani, quibus in ea urbe Catalanorum principe sancta illa coitio curae fuerat, de rursus erigenda, et quasi humo excitanda laborarunt. Eorum conatibus ita feliciter Virgo respondit, cuius gloria agebatur, ut nomina quamplurimi darent, seque ipsi certatim profiterentur: erat enim illa censio praeclara, nec magis corporis, quam animi rebus opportuna. Inter alios una quaedam mulier tam prompto, et alacri animo societatem inivit, ut Rosarium quotidie precaretur. Inter salutandum a coeli Regina nominatim petebat, ut se periculis li-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

beraret, eventu non irrito. Erat huic maritus immitis, et asper, quem inanes suspiciones, ridendique timores duriorem difficiliorémque reddiderant. Quocirca de uxore, tum religiosa, tum pudica, male sentire, adulterum putare, somnium, et fictam fabulam perhorrescere, nullis argumentis ad suspicandum pertrahi, sine causa, vel occasione potius perperam opinari, coniugi innocentissimae minitari quotidie; et cum omnia secus interpretari non intermitteret, neque tam se melancholicum, id quod res erat, quam uxorem suam moecham duceret, nocte quadam non solis illis imaginibus delusus, sed foris etiam agitatus, in animum induxit, uxorem occidere, et malorum, ut ipse aiebat, radicem extirpare. Itaque pugionem e vagina eduxit, insontem foeminam humi deiiciit, ferrum vibrat, et brachium ad caedem intendit. Mulier morti violentae vicina, et subito illo casu turbata, tamen ad clementissimam Virginem, quod per temporis licuit angustias, sese tremebunda convertit, et haec illi: O Dei Genitrix, et semper Virgo purissima, quae sodalium Rosario coteris, immerenti mihi, scis enim, in hoc tanto discrimine subveni, et tempestive succurre. Praeceps hominis iracundia fanatici brevem hanc precatiunculam vix est passa finiri, istoque animi efferati impetu pugionem impressit, cum plagam conatus imponere, quae negotium sola transigeret, et suam inimicam, hac enim semper nomine appellabat, de medio tolleret, quam quotidiano sui animi, et cordis tormento suspectaret. Res mira, memoriaque prodenda, ut corpus illud sica affigit casium atque sincerum, ceraeque instar emollita reflectitur, ac retorquetur, ut ne vestem quidem perstringeret, ullave in parte signaret, et quae innocenti pepercit, immanis parricidae pectus effodit, qui gladii hebescentem aciem admiratus, quem uxoris sanguine stillantem se putaverat cruentorum, immolatus animo, lacrymabundus, et supplex veniam ab inculpata uxore postulavit, et Deiparae beneficium agnovit, ancillam sibi devotam liberantis. Igitur die postero Praedicatorum coenobium uterque coniux invisit, et in Rosarii sacello, unde Virgini cognomen erat in urbe, Deiparam bene merentem ambo venerantur. Alter se sanum, altera salvam gratulatur. Vixque ipse Rosarii sodalis est factus, cuius se deinceps studiosum praebuit amatorem, precatoremque perpetuum. De miraculo Dominicanos maritus, uxorque vere, ac fideliter edoctos, mirabiliter oblectarunt. Siccam retusam, ac reflexam in sacello Virginali reponunt, atque appendunt, ad rei tantae, talisque memoriam. Actum hoc est mense Junio anno 1550.

§. CXI.

Alanus Rupensis, et Alber. (*in utriusque de Rosario libris*): Cum Regulus quidam, ex uxore sua complures liberos suscepisset, atque in iis filiam procreassel, quo masculam prolem redderet ditiorem, et ad utile suum genus pinguior haereditas perveniret, quae mulier nata essel, in monasterio conclasit, cuius spiritualis fabrica rimas agere videbatur morum sanctiore disciplina senescente, propter commorantium accusabilem socordiam, ac dissolutam vivendi rationem. Nam ostia centum, unde totidem voces ruerent, colloquiis externorum nugisque patefecerat vitae licentia sororum. Cum vero sacerdos, qui virginibus erat a confessione, dynastae huic filiae, quam diximus, licet sociarum moribus depravatae ingenium, atque indolem perpendisset, flexibilemque naturam, qualis est fere nobilium, docilemque animum considerasset, spe alacer, de novitia quaesivit, utrum Rosarium percurrere, et beatissimae Virgini flores illos offerre consuevisset. Novitia nihil aliud se nosse respondit, quam quod monasterii sorores raptim docuissent: eis se magistris, quaedam neque magna, neque multa didicisse; Rosarium cuius modo mentionem fecissel, ne de facie quidem sibi esse notum. Atqui Pater ait: Magna Rosarii salubritas est, fractus copiosus, dulcedo tanta, quantam qui non senserunt, minime suspicantur. Illius usum valde opportunum ad ea, quae profiteretur expleuda. Cum Virgo addubitasset, atque ultra fidem et veritatem illa de Rosario dici existimassel, tamen quae perciperentur, se recipit esse facturam, experturamque quid esset, neque tam sui fore inimicam, ut Rosarium omitteret, si morum puritatem, animi requiem, vitae mutationem illo genere precationis invenerit: quae tria sacerdos ille monachus de Rosario pollicitus, virginis animum excitarat. Invitat, impellitque sacerdos, deque Rosario eadem ilta, quae prius, affirmare, atque spondere perseverat. Rationem una docet de quindecim illis mysteriis philosophandi, ac divae Matris gaudia, dolores, et gloriam meditandi, praeceptis instructa recitat, recitatque Rosarium; neque mores solum, sed pellem prope ipsam virgo mutavit, illa adiutrice, atque auspice, quae large remunerat sibi famulantes. Obita iam tandem professione, malus daemon per suos satellites, et administros constantem virginis animum vehementer oppugnavit: cum enim illo in coenobio, tam novae, quam veteres licentius vagarentur domi, ac litterulis, haec nova Christi, Christoque nupta, nemine prohibente, sollicitabatur, multique adolescentes, quos egregia huius virginis forma commoverat, pretio, et precibus sacram Dei sponsam pellicere tentaverunt. Sed quae animum haberet multo pulchriorem, quam corpus, hostiles gladios fortissime retundebat, et inimicorum telis continentiae, despicientiae, silentiique scutum opponebat, se etiam Rosario armat ad pugnam, cuius erat experta subsidium. Generosaeque, religiosaeque virginis sanctitatem, a sociarum moribus abhorrentem, et amatorum studiis adversantem, domesticarum ille grex non tulit caprarum potius, quam ovium, quas olidus hircus oblectat, et foetidus. Adolescentum, quos haec casta Vestalis spreverat, turba petulans, atque lascivia moresitatem virginis deridebat, hos dolor, illas cruciabat invidia. His enim obnoxia telis est perfecti hominis sanctitas cum improbis habitantis: patitur, qui eiusmodi est, foris pugnas, intus timores, qualia d. Paulus sibi evenisse testatur. Nova Christi ancilla huiusmodi praeliorum insolens, et inexperta certaminum, animo vehementer angebatur, remque omnem ad Deiparam referens, Rosarium, non minus confisa, quam religiosa, et peraltenta volvebat. Quo in munere, quodam occupata die, de coelo cadentem videt epistolam, cuius haec erat inscriptio: Maria Mater Dei filiae Ioannae salutem. Litterarum illa sententia. Filia mihi admodum chara, Rosarium istud meum, ut instituisti, fac recites; semper viros fuge, et eorum omnium consuetudinem vita, qui tibi ad virtutem, veram animi libertatem capessendam minus prodesse videbuntur. Caveto desidiam, inertiam, atque otium, rerum lautitiam et ornatum curiosiorem removeto, et tuum repurga cubiculum, in quo nonnulla remanent digna, quae a religiosa muliere repellantur; horum in locum Christi, et Sanctorum imagines, et sacrarum rerum signa sufficito, quorum te patrocinium, defensioque servabit. Si me audies, et quae tibi facienda praescribo, morigero cultu perficies, et gratia apud Filium meum valebis, et ego pro te Deum omnipotentem in tuis rebus afflictis appellabo. Perlecta epistola, dolorem, timoremque Christi serva deposuit, atque ex illis moeroris, et aegritudinis emersa fluctibus ad pacis, et sanctae laetitiae portum suae mentis naviculam applicavit. Annus abierat, cum Abbas venit, ad quem illius coenobii cura pertinebat, quae deciderant, collapsaque erant, repositura, si possel, renovaturusque non monasterii parietes, qui integri stabant, sed mores, quorum splendor obsolescebat. Fuit inanis conatus, et labor, externis quibusdam pro licentia monialium, libertateque pugnantibus. Rediit, altero evoluto anno, damnis et malis offensus, deque coenobii illius miseria, et infamia sollicitus: venientem magno applausu virgines excepernnt, nihilque negotii a potentibus externis, vi quadam divina prohibitis exhibetur. Nocte quadam, novo huic Abbati pro monasterii salute, proque sororibus exculbanti, atque Deum bonorum omnium largiforem, expulsoremque malorum exoranti, perspecta lux est, quae Ioannae cubiculum undique collustrabat; media in claritate, coeli Reginam videt, angelorum agmine constipatam, quibus Ioanna sociata, precibus insistebat: simul aspexit prope Ioannae cellulam daemonum ingentem multitudinem, sub diversarum imaginibus bestiarum, quae Deiparae iussu relegatae, ac repulsae ad fatuarum virginum cubicula transierunt, aliasque aliae cellas occuparunt. Hoc viso Abbas pene exanimatus concidit; ut se collegit, Ioannam accersit, visa narrat, sciscitatur, quae sint vitae officia, aries, exercitationesque virtutum, ratio comprecandi, quid agat tempore matutino, quibus obsequiis talem, ac tantam hospitam demereatur. Ioanna Rosarium se recitare respondit, et ex Virginis praescripto vitam ordinare. Mirari Abbas vim, potestatemque Rosarii, quae Virginum Virginem coelo devocassent, tantique illius, et honoris, et beneficii originem in Rosario fuisse cognoscens, cuius assiduitas tam multa impetrassel in eam adducitur spem, ut monasterium Rosarii remedio restitui, et quasi decoloratum repingi posse arbitretur. Ergo rosaria quam plurima comparat: ornari ea, et poliri quam pulcherrime iubet, suum cuique sorori donat, nullo non die recitandum. Id virgines studiose facitant, tum religione ipsa Rosarii virginalis, tum Abbatis commodae sermonibus, magna, et admirabilia de usu illo globorum promittentis. Haec una res, patrocinante de coelo Deipara, tantam fecit medicinam, ut monialibus iis, quae vagae ante illud tempus, solutaeque fuissent, nihil secretius, nihil esset honestius, loquacitatem perenni silentio, laxitatem, atque licentiam, severissimo, arctissimoque recessu mutaverunt. Quae vero meliore erant forma, quam fama, a castitatis insidiis quam longissime refugerunt. Rosae quidem, quarum beneficio ex morbo multiplici convaluerunt, ad sanitatem quoque luendam, et adhibitae sunt, et retentae, beneque olere monasterium coepit, quod morum corruptela, quae foetidissima est cloaca, putuisset.

§. CXII.

Ex Rosario Alani Rupensis Sanctae Theologiae Magistri: Quidam eo miseriae devenerat, ut Caini, proditorisque Iudae discipulus, de aeterna salute diffideret, atque eiusmodi peccatis irretitum se esse diceret, quibus venia danda non esset. Huius vitae finem sempiternae suae mortis aiebat esse principium. Nihil recte facta, nil expiamenta prodesse, nihil unquam profutura divinae misericordiae, iniuriosus ita et vivebat et sentiebat, ut ex inferorum incolis unus tartareas poenas praecepisse videretur. Hac aetate, ait Ioannes Bonifacius (*de histor. Virg. lib.* 5), vivebat bonus ille Alanus mirus interpres, historicusque Rosarii; unde nos praeclara quaedam exempla mutuamur: qui perditi hominis miseria cognita, ad eum se confert, verbisque a pestifera sententia deducere adortus, nihil orando perfecit; se Alanus et infantem, et qui quod vellet, assequeretur, ratus indignum. Vir plane modestus et sui contemptor admirandus, alios adducit Oratores. Ut enim quisque gravissime affectus est, ita diligentissime curandus, neque tali in re uno medico, quamvis exercitato et bono contenti esse debemus. Itaque Doctores veniunt, suasoresque gravissimi, sed re infecta, inoratalque causa revertuntur. Dolet Rupensis, feram illam indomitam, efferatamque persistere, canesque contemnere, quos et strenuos et fortes immisissel, neque si momordissent, magnopere bestia laborabat, quae vim amiserat sentiendi: quid enim concionator magnopere facere possit, ubi se non auribus et oculis modo, sed celero etiam sensu privavit auditor? Actum de se miser ille, conclamatumque iactabat, et in tam altum diffidentiae quasi barathrum fundumque se ipse depresseral, ut ad eum ne accuratissima quidem vox, et contentissima perveniret. Proponebatur rex ille Manasses et cultu Deorum, et caede infamis pro-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

phelarum, cui poenitenti, ac seipsum retexenti, gravissimorum scelerum veniam misericors noster Dominus condonavit. Magdalena, Matthaeus, Paulus, ac latro ille felix, divinae clementiae testes citabantur, quae tamen frustra esse collecta, miserrimi hominis pertinacia monstrabat. Inferorum sempiterna supplicia, perennes coeli deliciae obstinatum hominis animum, et cor lapideum emollire non poterant. Commemorabat idem Alanus multos ex iis, quos quotidie Christus immutat, quo misero illi recenti testimonio fierent credibiliora, quae movebantur, sed nullus in historia, quamvis et nova, et vera profectus. Erat, inquit Alanus, dolor mihi intimus, ex tam misera hominis caecitate animum ita despondentis, ut omnia omnium medicamenta respueret, ne ue ardendem orationem ad animum pervenire paleretur. Cumque omnia animo et mente lustrassem, aut nulla, inquam, desperato homini salus iam est, aut illa una relinquitur, Rosarium ut recitet, cuius in obfirmato homine tentata adhuc medicina non est. Oratur Rosario Christus, fons ipse bonorum omnium, oratur precatione illa, quam ipse discipulis tradidit; salutatur Virgo Deipara angeli, et Elisabethae verbis, et ad filium concliandum adhibetur interpres; preces illae, quarum est Pater noster initium, quod religiosius emittantur, decies Ave Maria repetimus, et fructui illi benedicimus, propter quem fructuosa nostra sunt opera. Rosas tales, tamque mirabiles huic aegerrimo libet apponere. Itaque ad hominem adeo, atque me illi ita demum insinuo. Graviter et iniquo animo ferendum est frater, nullum quod meum, alioruinve consilium accipias, preces repudies, orationemque illam aspernare, quae ad tuam salutem tota conferitur. Nunc ergo, quando te esse christianum profiteris, et nos ponimus te esse catholicum, Dei Matrem non honorare non potes, atque eius numen agnoscere, et potentiam praedicare. Annuit se credere, quae mater credit Ecclesia, et Deiparae non ingratam sibi esse memoriam. Ergo illud ne nega mihi, quod est facitu facillimum, Virginique gratissimum. Et quid sit, et quale? Ut sis unus ex sodalibus conscriptis, recitesque Rosarium. Aut enim nullum iam tibi remedium est, aut hoc unum restat e multis. Equidem non dubito, quin tanti sis morbi levationem habiturus. Oratus ac prope defatigatus, Rosarium accepit, nonnullaque pietate pensum omne peregit. Non multi menses abierunt, cum tanta secuta est mutatio, quantam vix crederent, qui hominis pertinaciam cognovissent. Morum, et vitae sanctitatis ille progressus fuit, ut accepti Rosarii minime poeniteret. Cumque ad solidam spem, quam animo conceperat, recte facta non cessaret adiungere, hominis vere Christiani functus est munere; novaeque illius et beatae vitae tenorem servavit ad finem. Haec Alanus, cui taurus ille cessit immanis mutatus in agnum; quae Rosarii cultum augere possunt, et memoriam sacrosanctae Virginis cum dulcedine renovare.

§. CXIII.

Ex Chronico Ferdinandi a Castello (*tom.* 1. *de reb. sanct. Domin. cap.* 34): Parisiis divo Dominico alacriter concionante, vir quidam summae potestatis, et opum maximarum in eadem urbe commorabatur, vitiis omnibus, sed maxime libidini deditus, qui morbus ita in hominis animo inveteraverat, ut neque monitis, neque precibus locum reliniqueret. Habebat in matrimonio foeminam sanctitatis laude percelebrem, et Galliae regum stirpe generatam: haec et expedita marili vita, et ex ipsa pellicium naturali invidentia gravem animo capiebat dolorem: nam Dei offensio ex viri obscoenitate dolori erat, et sibi concubinas esse praelatas aegre admodum tolerabat: quin et ipsa, quod minime debuit, ultura virum, adulteria vicissim cogitabat. Huic perturbatissimae matronae monstrata per visum inferorum illa supplicia, quae ob brevem voluptatem, aeterna libidinosi patiuntur. Pro mollibus lectis fornaces gravissimis incendiis aestuabant, libidinosis horribiles dracones imminebant, tam arcto complexu, ut se neque defendere, neque expedire possent; ex draconum oculis, auribus, atque ore flammae erumpebant teterrimi odoris: ardentis salpharis venas diceres, veneno mutiplici, immundoque permixtas. Hac labe putulenta, corpus omne a capite ad pedes perpluebat, et ad viscera usque fornacis instar ardentia permanabat. Dracones liquefactum aes undique profundebant ita medicatum, ut perruptis illis partibus, quae dolorem omnium maxime sentiunt, clamare et vociferari tam intente cogerentur, ut plangoribus tartara remugirent. Et tamen mori non poterant, cum id maxime cuperent, scilicet desperato fine tormentorum. Locum quoque viro suo praeparatum aspexit, dolori, sempiternaeque miseriae, si ita vivere pergeret, subeundis. Soluta somno, coniugis miseretur, cogitatique poenitentia flagitii, suoque adhuc zelotypiae tabescens cruciatu, divum Dominicum convenit poenae relevandae, quae dies noctesque cruciabat animum. Bonus Pater mulieris hanc aegritudinem sacra illa rosa curavit, quam de manu Virginis accepisset, et salutarium calculorum religioso sodalitio persuaso, animum ab illo moerore ad laetitiam iucundilatemque traduxit. Quin et suum ipse Rosarium matronae dedit, ac post quindecim dies, quos in eo pervolutando positura esset marili nocte dormientis, ut capiti supponat, admonuit. Hoc accepto munere, domum perplena revertitur, ac sacri funicali globulos omnes pie ac religiose, ut erat iussa, precando percurrit, quo evolato tempore, sub quiescentis coniugis pulvinari locat, remque totam Deo, eiusque beatissimae ac beneficentissimae Matri commendat: qua primum nocte Rosarium suppositum est. Vir ille primarius vehementer contremuisse dicitur, et magnam lacrymarum profudisse: inque uxoris manibus, et gremio totum se lamentis dedisse, Deum imploraisse, suae uxoris se precibus commendasse. Consequenti nocte consopitum vocat ad iudicium Deus, daemonum turba circumstante, et innumerabilium flagitiorum, quae opponebantur, ultionem debitam flagitante. Fuit tanta in dormiente anxietas, ut somno obruto, conflictaretur vehementer, veniamque adulteriorum ab uxore peteret, emendatione promissa. Nox tertia, subiecto itidem, quod nesciebat ille Rosario, omnium maxime horribilis fuit, siquidem in somnio tractus ad inferos, poenas vidit, quibus illic turpis voluptas, et obscoena punitur; neque oculis solum, sed cetero etiam corpore doluit, eorumque tormentorum, quae in illis sedibus libidinosi, mulierosique perferunt, partem aliquam dormiens, vivensque praesensit, et in illis cruciatibus, qui corpus vere torquebant, tamdiu perstitit, dum angelus fautor occurrit, qui cum hominem ex illis tormentis eripuisset, Rosarum, Rosariique sodalitatem imperasset, nuncium attulit illa, si faceret, vitae melioris. Necesse est, inquit, Rosarii te initiare mysteriis, ut per illius sanctae societatis fratres obtineas, quae minus per te mereris accipere. Ubi e somno evigilavit, magno cum doloris sensu uxori sincerum amorem fidemque pollicitus coniugalem promissorum, veritatis atque constantiae omnia palefacientem testatus est diem. Daturum se operam, ut morum correctione mundus spectet universus; vitae novitatem auspicatus a confessione, divo audiente Dominico, et vivendi leges praescribente in sodalium uti mandarat angelus, relatus est numerum, tanta cum fidmitate, ut Rosarium nunquam e manibus poneret. Bellaus cum hoste domi quietus, in agro, in itinere, cum rege, regisque intimis ubique locorum Rosarii tenex recitator, laudatorque fuit, cuius pietatem maxime promovit in Gallia. Nobilissimae suae uxori quoad vixit, integram fidem conservavit. Longo demum annorum evolulo spatio, utrumque coniugem uno tempore mors extinxit, animisque advolantibus in coelum, Maria Virgine deducente, amborum corpora Parisiensis primarii templi una, atque eadem sepultura contexit: est enim haec rosae vis, ut ne marcescens quidem suavitatis odorem amittat:

§. CXIV.

F. Ioannes Montanus, divi Dominici comes et assecla, de vita, et miraculis sancti Dominici, et Ferdinandus Castellanus (*lib.* 1. *tom.* 1. *de rebus S. Dominici cepite* 43): D. Dominici Caesaraugustae habitae conciones, omnium studiis excitatis, ingentes clamores plaususque commoverant, neque unquam de Rosario, quod ubique coelestis ille topiarius serere studebat, fructus laboris in principe quodam viro, qui Petrus dicebatur, maxime constiti, cuius quo erat vita deformior, eo magis correctio, et salus enituit. Erat magna Petri nobilitas, nimia ex fortunis, opibusque potentia, sed utramque vitae flagitia dedecorabant, ut nihil tota in urbe illo miserius, id quod evenire necesse est, ubi in generosis, copiosisque hominibus probitas vitae requiritur, unde et genus, et divitiae claram lucem mutuantur. Hic divi Dominici praeclara facinora ex ore narrantium admiratus, ita secum tacitus egit. Spem equidem salutis abieci, et divinae misericordiae ianuam aditumque praeclusi, vel argilla potius et saxis obturavi, sed eorum tamen spectator, quamvis otiosus ero, et testis oculatus curiositati satiandae, quae de hoc concionatore a tam multis praedicantur. Itaque die quodam in templum magno cum clientum, tum famulorum comitatu sola novitate ductus intravit. Vidit ex ipso ambone Dominicus miserum dynastem a tot daemonibus catenatum pertrahi, quod scelerum genera commisisset: fudit pro illo preces ab imo pectore, et hominis sui cognati, quod nonnullae historiae commemorant causam, et litem rerum omnium effectori Deo votis ardentissimis commendavit; tum demum concionem exorsum est, quam nondum inchoarat. In ea animorum ex mortifera culpa, perniciem, stragem, interitum, exitum, et quandam quasi carnificinam, verbis atque sententiis divinus ille orator amplificat: non quales Rhetorum ludus docet, sed quae in Christi schola traduntur. Terruit quidem Dominici vehemens oratio petram illam, silicemque durissimum, et quasi loco movit, non tamen emollivit. Apparebat hominem esse commotum, nullo cum sanitatis et vitae proposito melioris. Iterum celeberrimis quibusdam feriis in templum Petrus, ad rem sacram audiendam ingressus, Dominicum concionantem offendit, Rosario manu praetento, quo tanquam Moysis baculo, tot res, tamque mirabiles faciebat divus praeco, minime ignarus, auditorem illum, interventoremque miserrimum sine ingenti miraculo converti non posse, ad Petri introitum ita exclamavit: Christe et praedulcis, et praepotens, perfice, ut auditores mei, eius, qui modo in tuam aedem pedem intulit, miseram conditionem, animi statum, periculumque pervideant. Preces chari Dominici Christus accepit, ac multi ex illis qui aderant, Deo vim suam ostendente, cacodaemones mille viderunt, Petri animam captivam, ferroque devinctam pertrahentes. Ingens hic ortus est clamor, concitatusque tumultus horribilis, fugientium, vociferantium, perstrepentium, ut ab inviso immanique monstro sibi quisque caveat hortantium, belluamque trucem aversantium, imminere omnibus tartarum, quem Petrus circumferret, in fuga esse salutem. Ad has vocum incredibiles contentiones terroresque multorum, inscius Petros obstupuit, et ex uno famulorum tremefacto quaesivit cur ipse fugeret, aliisque palantes, ac dispersi recederent et paverent attonitii: Ista, inquit famulus, me tua facies et figura conturbat, quae non meum mihi herum ac dominum, sed satanam repraesentat. Te Herebus pro suo habet, vincit, rapit, et raptat manus infernu. Hinc fuga popularis, murmur, terror, et consternatio plurimorum. Ipsa quoque nobilis uxor exclamat simul, atque Dei voluntate, mariti sui miseriam, et tartareos illos vexatores aspexit: ancillae daemonum conspecto agmine, gemitus, et ululatus continere non poterant: trium horarum spatio insolens illa forma, formidolosaque species

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

templum omne turbaverat, cum Petrus iam sui et compos, et similis, ita fari incepit: In extremam mihi videor redactus esse miseriam, quem plebs cuncta, famuli, amicique defugiunt, et quod est admirabilius, coniux ipsa perhorrescit, suique mariti, cane peius et angue, vitat aspectum: O me perditum, ac plane desperatum, cui uni, post hominum memoriam, accidit, ut notos, ignotos, propinquos, alienos, domesticos, externos suo aspectu, tanquam Cerberus alter, vertat in fugam. Tum Dominicus tempestiva oratione paventem populum, et crucis signa iterantem, anhelitumque trahentem, a timore recreavit, et Fratrem Bernardum comitem suum ad lamentantem, plorantem, et se sine modo plangentem Petrum cum mandatis, Rosarioque mittit. Haec erant, Bernardo interprete, praecepta Dominici: quocunque gradiaris, quoque te vertas, orcus insequitur, populo id quidem spectante, et te cuius id scire maxime intereat, nesciente; sed tamen de peccatis tuis omnibus confitere, ac poenas a te ipso quam durissimas repete: eque simul hoc Deiparae Rosarium, et in eius salubri precatione totus occupare, nisi vis, ut te terra dehiscens absorbeat. Rosarium Petrus accepit, ac tremebundus ita respondit: Meo nomine, frater optime renuncia Dominico, hoc eius munus mihi fuisse gratissimum, et quando meas miserias multo me videt apertius, det operam medicinae faciendae: idque a me suppliciter postulari. Inde Rosarium illud coram Dei Genitricis imagine recitavit, mox apud eundem Dominicum totius vitae scelera posuit. Quibus auditis, sanctus Pater Virginem ad sententiam in difficili causa recte ferendam invocavit, ac de poenae imponendae modo consulit. Igitur suasu Virginis, praeter alia, quae tam publice propter exempli offensionem, quam privatim, expiandis orentis sceleribus, tum patienda praescripsit, Rosarium toto vitae spatio recitare iussit. Peccatis absolutum consolatur, atque confirmat. In Dei iustitiam et severitatem, inquit, incurreras, sed Rosarii beneficio in misericordiae sinu conquiescis. Ergo quo haec tibi firma sit, stabilisque possessio, in sodalitium adscribitur, ut aliena merita tibi egentissimo suffragentur. Paret illico Petrus, negali toties Christi dolore contabescens, gallique cantu, id est, Dominici voce correctos, seque ipse propria manu in sodalitatis tabulas refert, et catalogo adscribit sociorum. Denique iudicium aequante Deo, qui prius miserrimam Petri servitutem aspexerant, teterrimaque spectra timuerant, tribus ornatissimis coronis eiusdem Petri caput cinctum, redimitumque viderunt. Cumque Rosarium, ut erat iussus, quotidie offerre, et salutationes velati flores ex illa amoenitate legere, et ore proferre non sineret, dignus fuit, quem Dei Mater indulgentissime habitum, mortis horae praemoneret. Animam agenti affuit cum sua matre Iesus Christus de Deo Deus, et aeterni Patri unigena filius: et utriusque tutela defensus, daemonis artes irrisit, et ad vitam ascendit immortalem.

§. CXV.

Alanus Rupensis (*libro de Rosario*): Florentiae mulier quaedam Dominici vivebat aetate, fortuna et forma percelebris, quae Benedicta dicebatur nomine, factis alieno. Nam parentum socordia in formosae divitisque educatione filiolae, iucundorumque adultae frequentia conviviorum, lautaeque mensae luxuries, et vitae licentia paulatim, ac sensim Benedictam, alioquin honoratam, ad lupanar prostibulumque traxerunt, dedecus ultimum foeminarum. Illo ipso tempore Dominicus, non unam civitatem, sed cunctam suis concionibus commovebat Italiam. Benedicta dictum tunc praeconem una e multis adiuvit verba ad populum facientem, cuius oratio tam alte in huius meretricilae pectus, animumque descendit, ut abeuntem prosequuta, confessionem cum fletu poposcerit. Haud gravate Dominicus, cui nihil erat coelesti illa animorum mercatura iucundius. Auditam, admonitam, reprehensam, et sine numero sceleribus absolutam, ut Christo se desponderet, hortatur. Virginemque patronam adoptet, et poenitentiae, vitaeque austerae septa praesidiis, pro castitate propugnet, ac ceteras virtutes, novas hospites tueatur, haustamque cum nutricis lacte lasciviam prorsus exterminet. Christianae scholae novitiam malus daemon invasit, annumque unum, Deo sinente, eruciavit. Post annum, precante Dominico, nova Christi discipula a diaboli tortura liberatur. Eam Praedicatorum Pater, ne fallatur atque erret, praeceptis informat, ad cetera remedia integri Rosarii pietatem adiungit, in quo centum et quinquaginta salutationes angelicae insunt, ac Dominicae quindecim precationes includuntur. Iesu et Maria crebra appellatione, ab illis sordibus mundum fore animum, quibus se toties inquinasset. Patri dicto audiens Benedicta, religiosum illud munus implevit, sed brevi temporis spatio in idem relapsa caenum, multo est facta deformior. Ut enim fluvii opposita mole, vehementius valentiusque profundunt, ita Florentina haec meretrix, quo se diutius casta tenuerat, eo avidius impurissimas voluptates hauriebat. Ut primum ad aures Dominici venit, Benedictam recidisse, eo magis doluit, quo plures illi erant, quos Benedictae forma capiebat, et captos trudebat ad mortem. Ergo in aedes Benedictae venit, porcorumque gregem inde depulit, quos Circe illa de mentis statu deiecerat. Ad templum adductae confessionem audit, et lacrymis testatur, quanti mulieres sibi statret interitus; Rosarii rursus arma capere iubet, et in christiana vigilia permanere. Cum autem malus daemon iterum miseram distorqueret, tamen ad duo illa Iesu et Mariae sacra, augustaque nomina, quae sine fremitu, ac rabie immanissima bestia audire non poterat, novam hanc Thaidem agitare intermittebat. Post aliquot dies tracta est in viso ad Dei tribunal praepotentis, vivorumque et mortuorum iudicis incorrupti. Proposito libro vitae, omnia scelera et maleficia legere cogitur, ac multorum videre tormenta, quos ipsa ad aeternum interitum permisisset:

hoc illo spectaculo vehementer exclamat, se Herebi seminarium, et charybdim adolescentiae compellat. Vae, inquit, parentibus meis, quorum dissoluta negligentia in hoc decidi pelagus vitiorum. Vae autem illis, qui me primis suis blandimentis puellulam deceperunt, ac delinitam depravarunt. Talia ingemiscenti, divum Dominicum adfuisse suadentem, ut ad Deiparae pedes pudibunda, scelerum pertaesa, et supplex accederet, eiusque illo in iudicio patrocinium lacrymosa et gemens imploraret. Id fecisse confestim flentem et eiulantem, beatissimaeque Virginis personam interponentem, ut poenitendi tempus, spatiumque daretur, impetrasse; et hic quidem visionis illius et finis, et fructus. Mox dum sacrum audit, quod idem Dominicus faciebat, scelerum recordata quae legerat, ut ex libro delerentur, inanesque paginas videret, quas scriptas in suum dedecus et probrum aspexerat, vehementer exoptavit. Haec meditans, subito arripitur, et a sensibus procul ablata, de manu Virginis quinque sibi rosas dari vidit, quibus peccata literis signata deleret. In prima rosa haec verba inerant aureis literis exarata: Tuorum scelerum, ac divinae pariter misericordiae memento, quae tam tibi propitia fuit. Alterius rosae illa erat inscriptio: Recole acerbissimam Christi Domini nostri passionem, quae una cum Sanctorum vitis aspertimis, quam sit peccati foeditas Deo invisa monstrabit, quando vel innocentissimi sui nece filii hominum scelera luenda, ulciscendaque esse iudicavit. Flos tertius ita erat inscriptus: Adamum, Adamique recordare progeniem: illi una tantum culpa delitiarum paradisum ademit. Hanc eadem illa culpa felicissimae conditionis expertem, in hanc compulit malorum miseriarumque congeriem: quin et illa perpende, qualibus suppliciis peccantes affici soleant, quorum profecto magnitudine, quanta sit mortiferae culpae deformitas, declaratur, teque tanto pluribus obstrictam flagitiis, nullas poenas tales reponere, quae longe graviores merebaris. In quarta rosa haec legebantur: Agnosce Dei beneficium singulare, ut in Christianorum terris nascerere, tanto ante providentis, quo illorum sacris imbuereris, inter quos nata esses ac genita: quo bono quam multae regiones, regna, provinciae, quantaque orbis destituta sit portio, te minime fugit: nam mundi incolae, maxima ex parte a fide vivunt alieni, cum tibi, quamvis indignae, veritatis lumen affulserit, et ex interitu ad vitam sis revocata, tuis te factis accusantibus, suppliciumque immane poscentibus. Etiam atque etiam cogita, tali ac tanto Dei clementissimi dono, nullam vitae nec religionem, nec sanctitatem parem esse futuram, tantamque Christi Domini liberalitatem nullis nostris meritis posse adaequari. In quintae rosae foliis, atque pagellis haec monita continebantur: Poenas memoria teneto, quibus sontes in hac misera vita iudex ille rectissimus punire consuevit. Repete a Caino, sui fatricida germani, repete a Cham, sui parentis irrisore: illos reminiscere, quos ob leve furtum furca suspendit, cum tibi longe turpiori supplicium, Dei misericordia, nemo iudex imponat. Considera permultos, qui ob errata leviora, tamen quia mortifera, aeternis inferorum poenis cruciantur. Quibus huius universi orbis possessio tanti non esset, dummodo ad has oras unius horae reditus concederetur, sceleribus expiandis. Tu interim otio abundas, quod illis denegatur, tempusque tibi suppeditat ad vitam corrigendam. Post visionem hanc, illius philosophiae interpretem, quae morum est praeclara emendatrix, Benedicta eiusmodi vitam instituit, quae omnium admirationem commoveret: nam et suos Florentinos quam plurimos ad Rosarium invitavit, cuius medicina tam salutaris extitisset. Alio quodam tempore eidem Benedictae servator Christus affulsit, ostensoque superioris libro visionis, qui errata omnis vitae, sceleraque claudebat: En, inquit, liber ille de rebus tuis, insolitisque flagitiis, ex nigro factus est albus: quippe quem et candida meae rosa parentis, et tuae ipsius lacrymae dealbarint, atrasque tuorum scelerum notas niveo candore mutaverint. Nunc igitur in charta munda, atque alba puritatem vitae conscribe, quam esse oportet aeternam, exaratam patientia: amorem mihi debes albis his paginis, tersisque mandatis. Visa iterum Deipara est, monens, ut ad illa praestanda, quae Christus imperavit, Rosarii uteretur auxilio; haec Alanus Rupensis tum ex divino oraculo, tum ex libro, quem Thomas a Kempis divi Dominici assecla, de Virgine scripsit, se didicisse testatur.

§. CXVI.

Ex annalibus Praedicatorum, et Chronica Ferdinandi a Castello (*lib. 2. cap. 22. de reb. div. Domin.*): Hermannus in Germania natus, cum se Dominicanorum instituto a teneris annis dicavisset, Virginis ardens amator, eius et animi, et corporis ornamenta sigillatim contemplari solebat, et ad singulas Deiparae, quibus fulget virtutes, attente meditatus, salutationem angelicam proferebat. Fratris sancta simplicitas, comprecatioque perennis fratribus non admodum probatur, Hermannum concionari, et hominibus prodesse sua doctrina volentibus. Ille suorum cognita voluntate, ad Deum bonorum fontem adivit, quem per Virginem propitiabat assidue. Itaque sine humano studio Scripturae sensa percallnit, et tam latina, quam vernacula lingua concionatus, egregiae suae aetatis studiosissimos quosque superavit, exemploque fuit in Deiparae scholis, qui bene beateque vivant, brevi compendio fieri sapientes.

§. CXVII.

Gregorius Nazianzenus (*orat. 15*), Nicephorus (*lib 5.cap. 27*): Quemadmodum se Iustina virgo a Cypriano Mago defenderit, Mariaeque Dei matris opem et auxilium in castitatis atrocissima pugna poposcerit, suique amatoris, opitulante Deipara, cantiones eluserit. Breviarium Romanum Pii V. iussu editum. Inda quaedam

virgo, cum in angusto loco deprehensa esset a viro, qui pudicitiam illi eripere conabatur, cum semper virginitatem amasset, neque ullum effugiendi locum sibi relictum esse cerneret, pia illa et sacrosancta nomina Iesus Maria fideuter invocavit; quibus appellatis, non secus ac fulmine quodam scelestus ille ad terram afflictus est. Virgo autem, Deo gratias agens, evasit. Epistol. Ind. anno 1582

§. CXVIII.

Nicolaus Monachus Suessionensis (*in vit. s. Godefr.*), et Bonifacius (*de beat. Verg.*): Nobilis foemina, Viveta nomine, ad beatissimae Dei Matris ecclesiam se contulerat, quae apud Suessiones recens extructa, propter inaudita innumeraque miracula, toto orbe terrarum celebris habebatur. Itaque de Godefridi Abbatis consilio, cui se regendam tractandamque permiserat, sanctimonialium velamen sincera pietate suscepit, tresque filias pariter consecravit. Vivetam probatae iam religionis foeminam Ogina, monasterii Antistita gravissimis de rebus mittit ad Teutones, quorum linguam, patriumque sermonem Viveta callebat. Sed ne Godefridum veterem in Christo Patrem, cuius verba Vivetae pro oraculis erant, res tanta lateret cum sociis, totoque itineris apparatu Novigentum venit: nam viae flexum cum tali mercede compendium esse ducebat. Legatione cum suo Apolline Godefrido communicata, sanctique Abbatis monitis et praeceptis instructa, ad Teutones, quo erat missa, festinat. Sed cum in sylvam non longe a Godefridi coenobio latrociniis infimem devenisset, in excursorum et grassatorum manus lacidit, qui et religionis et humanitatis immemores, sociis captis viris honestissimis, familisque ad carcerem arreptis, viatico direpto, Vivetam solam atque desertam, et omni longi itineris et solatio, et instrumento privatam ac destitutam reliquerunt. Gemens perfusaque lacrymis Novigentum remigravit, subique Godefrido nihil tale verenti, quid sit passa, recensel, clademque suam moestissime lamentatur. Ægritudine tabescentem sanctus Abbas consolatur, cibumque defessae ac defatigatae iubet apponi. Negat Viveta se quicquam gustaturam, nisi prius ablata recuperet. Tu, inquit, bone Pater, orato Deum, unaque misericordiae Matrem, loci huius custodem ac praesidem, appellato, hoquoque precare Nicolaum, cuius in feriis haec mihi dictu gravia, perpessu aspera contigerunt. Ad Virginis Mariae sacratam aram sese gemebundus, tristisque prosternit, idem Viveta facit ad altare disiunctum, ubi Christi erat imago. Illis precantibus, perseverantibusque, nocte illa carceris et custodiae fores, Dei, Deiparaeque beneficio, nitro patuerunt, Vivetaeque et comites, et famuli soluti vinculis, quibus arctissime tenebantur, per condensam sylvam, et anfractus viae, perque superatas aquarum alluviones, quae hyeme intumuerant, feliciter elabentes, Novigentum salvi et incolumes Christo duce perveniunt. Captivorum adventu inopinato, quae et quanta Godefridi, et Vivetae gaudia fuerint, qualis gratulatio, quam effusa laetitia, supervacaneum foret exponere. Godefridus, qui Vivetae laetitiam solidam, atque integram eiusdem dono Virginis fieri cupiebat, die postero cum deluceseeret, ad latrones abit, eosque gravissimis verbis reprehendit, quodque ademerant Vivetae sacrae foeminae, ut quamprimum reddant, Deum scelerum ultorem testatus, imperat. Illi obiurgationis impatientia, recurrunt ad carcerem, ut captivorum supplicio reprehensionis iram ulciscantur. Sed nemine reperto, vacuoque, quod minime putabant, ergastulo, ad Godefridum alio vultu, alioque sono vocis revertuntur. Mox sceleratae rapinae supplices veniam petunt, et ablata restituunt. Equos, captivorumque stragula, nummos, supellectilemque universam Godefrido reddunt, nihilque retinent eorum, quae eripuerant, uno excepto cultello, quae immemores, atque imprudentes reservarunt. Viveta suos tam socios, quam itineris administros iterum, iterumque laeta, complectitur, bona recuperat, atisque gratiis immortali Deo, sospitanti viatores et omnia secundanti, Virgini Dei Genitrici, et divo Nicolao miracula antiqua repetenti, resalutato insuper, et collaudato Godefrido, incoeptum est iter persequuta.

§. CXIX.

Ex scriptore, qui suo nomine modestiae causa tacito, librum moralem, quem scripsit, Apiarium inscribi voluit, et ex variis exemplis, tanquam ex floribus mel suave constipavit. In ea Belgii parte, quam Brabantiam vulgo appellamus, quaedam sacra virgo Cisterciensis familiae orta est, Iudaea genere, cuius ad Christium adductae, allectaeque historiam ex ipsismet ore mulieris auctor se audivisse confirmat, eamque quod non minus vera, quam utilis esset, literis, et posteritate dignam iudicavit. Haec quinquennis adhuc in parentum suorum domo, qui Iudaei erant, et antiquae legis cultores, educabatur: id aetatis tacita secum puella dubitabat, cur alii Iudaei, alii Christiani dicerentur, diversaque eorum nomina essent, qui et colore, et lingua consentirent. Quin etiam de sacrosancta Maria Virgine colloquentes saepe Christicolas libenter audiebat, et iis, quae de sancta Dei Genitrice ferebantur, praecipuam quandam attentionem, alacritatemque praestabat, eamque a nostris ad rem quamlibet oblinendam patronam atque adiutricem adhiberi haud incallide considerabat. Quare in puellae pectus coelestes ignículos Deiparae commemoratio illa iaciebat, quae de suis clientibus bene mereri consuevisset, eratque Mariae nominis usurpatio, recordatioque suavis. Ergo ut talem, tantamque Reginam demereri posset, ex paterna mensa, quod poterat sufforabatur, ut mendicis ostiatim, Deiparae nomine, stipem corroganlibus, subveniret. Per idem tempus puellae tam bene moratae, animataeque, parentibus, ex urbe Colonia, ubi erant, Lovanium (ignotum qua de causa) migrandum fuit:

eo ut venere, et domicilium quaesiere, puella sacerdotis, cui nomen Rainerio fuit, dum urbem curiosa perlustrat, foribus appropinquat. Erat Rainerius Lovaniensium puerorum strenuus catechista: eum ubi nostrae legis, et fidei rudimenta prima docentem audivit, eandem illa domum cum gaudio, et voluptate revisere, ad scholam ventitare, et vitae christianae sancta illa degustare praecepta. Id cum bonus ille magister animadverteret, ex mansuetula puellula quaerit, quae causa esset toties veniendi, quo nomine appellaretur, unde genus, et patria. Haud est cunctata mulierecula se Iudaeam, Iudaeisque natam esse parentibus: Rachelem se nominari, christianaeque legis discendae, colendaeque percupidam, christianum frequentasse gymnasium. Rainerius gaudii plenus, admissam puellam, et ceteris aggregatam, diligenter instituit. Illa annum agens sesquisextum, quae a magistro tradebantur, tam celeriter accipiebat, ut retractare opus non esset, quod semel catechista docuisset. Satiari audiendo puella non poterat, nullumque discendi finem faciebat: erat discipulae ipsa aetas, oportuit a Rainerio, quam parentes Iudaei cum aequalibus ludere arbitrati, ubi esset, unde venirel, non magnopere laborabant. Iam sesquiannum in christiano illo ludo posuerat, cum ad baptismum anhelabat; cum parentes tandem rem aliquando edorati, quae possunt impedimenta, moliuntur, et re cum suae gentis, sectaeque hominibus communicata, praeclaram illam catechumenam trans Rhenum amandare constituunt, et sponsalium vinculis irretire. Non latuit parentum machinatio Rachelem, sibique metuens clam nuncium ad Rainerium mittit, si salvam suam discipulam velit, det operam, ut nocte insequenti ex parentum aedibus abducatur, baptismumque suscipiat. Renunciat secreto Rainerius, uti summo mane lacita excat, ad se veniat, curatum celera. Rebus ita cum christiano suo doctore transactis, cum matre agit, ut solam nocte illa dormire sinat: negat parens, suspicata, quod erat. Instat filiola, blandeque contendit. Roganti, atque urgenti dat mater, ut ad pedes iaceat, inque lectuli parte ima quiescat. Orto iam sole, quem ab Rainerio monita praevenire debuisset Rachellula, somno victa, prudentius obdormiscit, sed tamen opportunae visionis admonitu, creditum Dei Matris, cui se casta puella devoverat, a somno excita, vocem audivit: Catharina surge, et quod habes, iter arripito. Prae timore Rachel e lecto excussa, humi se sternit, et matrem expergefecit sirepitu. Sed Dei beneficio rursus consopita, filiola clandestinum exitum expedivit. Vadit ergo ad Rainerium pulchra illa Rachel: eam ille in monasterium Cisterciense produxit, quod pratum Virginum dicebatur, quinque milliariis Lovanio disiunctum, ibi baptizata est, et coelestis admonitu vocis, quam diximus, Catharina nuncupata, divique Bernardi initiata mysteriis, de suis, et parentibus et cognatis laeta triumphat; sed Catharina diuturna non fuit, patris, ac matris invidia, qui, quod gratiosi, pecuniosique essent, contra magistrum Rainerium, et discipulam Catharinam munieribus et largitione oppugnabant. Cumque viri primarii intercurrissent, quorum et iidem, et potentiam puellae pater appellarat, et a Brabantiae Regulo, et ab Archiepiscopo Leodiensi, ut ad annum usque aetatis duodecimum filia libera relinqueretur, obtinuit: quae aetas ad deligendum vitae genus, et legitima est, et tempestiva? Quid? quod ab Honorio summo Pontifice datae ad Archiepiscopum literae sunt, adeo rem urgebat turbulentus ille Iudaeus, ne qua vis fieret christianis moribus, et Pontificum adversa decretis, redderetur proinde parentibus, filiae factum se probaturos affirmantibus, si modo ad annum aetatis duodecimum in proposito permaneret: quae quidem callide, et astute a perfidis excogitata esse Iudaeis haud serus monstravit eventus, quin et puella paternorum promissorum commento praevidit, quibus id erat propositi, ut medio illo temporis spatio puellare pectus emollirent. Ergo Catharina de iudicio conqueritur, magistrum alloquitur, parentum, quo spectent consilia, demonstrat, artes artibus eludi oportere, et iudicium iudicio corrigere: causam de integro se velle agitare, ac iudicum subire conspectum, Deiparam fore advocatam, cuius auspiciis ex Iudaicae superstitionis tenebris, et umbris emersisset, pedemque ex laqueis explicasset, parentum machinationes nihil contra veritatem valituras. Quare cum suo paedagogo Rainerio Leodium progressa, stat ante tribunal Antistitis. Adsunt viri ex utroque foro facile principes, suam ipsa causam agit puella, sexcentis revocari priorem sententiam, rescindique acta illa debere demonstrat: esse perniquum, ut tenerrima puella patri reddatur infideli, moroso, astuto, cui vel Christiani gratificari studeant propter hominis opes, atque fortunas, nummorumque respectum, quos Iudaei nullo divinae ultionis metu foenerari consuevissent: praestare in coenobio liberam relinqui, dum annus duodecimus criticus implcatur. Et quidem, si de prudentia illa certamen est, quae verum a falso, et honestum secernit a turpi, rationis iam ipsa sum compos, et ante annos iudicium, sensusque maturavit; sed si firmitatis ergo annorum ille expectandus est numerus, non pattitur aequitas, ut ante litis finem causam litigator pater obtineat. Quid enim non possit in filia, qui alienos, qui diversae legis, ac sectae viros ad suam traxit voluntatem. Duplices mihi tendentur insidiae nupliarum, et sectae paternae: utraque res contagionis plena. Mea flexibilis aetas, cognationis magna est vis: hinc patris minas, hinc matris blandimenta reformido: quamdiu in dubio res est, suum utrique litigatori salvum ins esse oportet. Pater si me iam habet, non expectare iubetur, sed optato potiri. Quaerendum est tertium: mihi si creditur, monasterii fidelis est, et tuta custodia. Depositum fecta illa servabant, et Christo, cuius agitur causa, restituent: illic sancte Pontifex tuo permissu de re tanta deliberabo securius, si focte ea sum, quae inter sinistram, et dexteram, nondum per aetatem diiudicare queam. Peroranti applausum est ab universo consessu, et in coenobium, unde exieral, retrudi iubetur

ad annos pubertatis, quibus expletis, cum de religionis, religiosaeque vitae in Cisterciensi familia a sententia dimoveri non posset, parentes desperata victoria, tamen novas artes adhuc machinantur. Iudaeus adolescens, et pulcher, et dives, ad Virgineum coenobium vadit, petitque baptismum, idque eo animo, ut Antistita neophitum cum Catharina loqui sinat, admissusque decipiat, restituatque parentibus, quorum agebat instinctu. Hoc usus commento, baptizari se sinit, seque puellae consanguineum mentitus, conveniendae Catharinae veniam sibi dari poscebat. Sed virgo doli praesaga fictum illum Christianum, ut alloquatur, adduci non potest. Ille repulsus fidem abiurat, larvaque posita, se retulit ad Iudaeos, quos numquam ex mente posuisset. Egomet vidi, inquit historicus, homo, ut apparet, minime levis, et saepe sum cum hac Catharina locutus, nihilque ea me admirabilius novisse memini. Magna erat vitae integritas, et sincera religio, quo tempore ceterae virgines, quae in illud se monasterium abdiderant, cum parentibus, aut propinquis familiares sermones in locationis podio conferebant, et a quotidianis operibus, Abbatissae permissu, tantisper respirabant, nostra haec novitia ad Deiparae ibat imaginem, et cum illa tanquam viva esset, loquebatur, non quia vivam putaret, sed quod in huius pectore Virginis sanctae Matris memoria viveret, quam aspectus imaginis maxime renovabat, atque illa suaviter: Divina parens, sorores suorum colloquiis recreantur, ego ad te venio curas revelatura: tu mihi instar es omnium, tu meum solatium, et dulcedo, ita te una conquiesco. Nec dubium, quin Dei Mater Catharinae mentem expleret, eiusque inopiae, solitudinique prospiceret.

§. CXX.

Tilm. Bredenb. (*lib.* 3. *sacro coll. cap.* 25): Puella decem annorum gravissimo, acerbissimoque genere morbi tenebatur, cuius matertera, quam Tilman. non contemnendus scriptor, quo haec literis tempore mandavit, affirmat, fuisse superstitem, in templum, quod loci incolae Novum appellant, ingressa, ad dolorum sacratissimae Virginis imaginem, quae gladiis transfixa depingitur, et illic religiose visebatur, accessit, et post fusas ex animo preces, tantum se frumenti daturam vovit, quantum aegrotantis puellae pondus esset. Corpore ad libram revocato, et publica statera dimenso, voto hoc reddito, atque ex trutinae indicio corpoream puellae gravitatem, aequa lance ponderantis, promisso tritico persoluto, puella pristinae restituitur sanitati. Et vero imago illa virginea tantam praeferebat antiquitatem, carie pene, et carrosa esset, atque consumpta, exesoque capiti novum sufficere necesse fuit, ipsumque brachium nimia vetustate divulsum, uno dumtaxat claviculo tenebatur. Hanc eandem imaginem furiosi novatores toto Belgico grassantes anno millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, audaciter invaserunt, iniectisque funibus ab illo sacro abstractam, per universam civitatem, perque aspera, et confragosa loca ad suam libidinem raptaverunt. O rem miram: erat vetusta ipsa fragillima, cuius alterum brachium pene disiunctum, neque tamen rabida iactatione, et asperrimo lapidum attritu laedi unquam, frangive potuit, Deo et pro suae parentis imagine propugnante, et eiusdem matris oratu, insanos ad sanitatem invitante. Quin et Catholicorum confirmatus est animus, qui, vetere religione retenta, nova commenta despiciunt. Id enim annosa monstravit effigies, quae se tam bene defendit: id quoque testatus est clavus inter tot firmus iniurias, cui vivae fidei appensa lucerna est, quae non extinguetur in nocte.

§. CXXI.

In historia vitae sancti Patris nostri haec narrantur a Bernardino Senensi adhuc puero ad materteram suam Dianam viduam, cui a defunctis iam parentibus erat commissus: Se in Urbe Senensi iuvenculam quamdam amare, ineffabili speciositate fulgentem, cuius gratiosum aspectum nisi quotidie videret, sibi crederet prae moerore moriendum, mentem suam referens ad eam, quam totam pulchram canit Ecclesia. Nutrix, directrixque ipsius Diana, mulier spiritualis, suspicata, ne forte alicuius puellae carnali amore foret vulneratus, eum increpans, sic inquit: Quid est fili mi, quod te impudice loquentem audio? an ignoras, quod mulier formosa declivem animum facit ad vitia? aspectus eius ignis est exardescens, affectus robur ingenii prosternit, intellectum elidit. Desere, fili, hanc vanitatem, et de corde tuo omne cogitatum illius propulsa. Sic illa: atque attentius observatum Dei deprehendit aperto capite, nudis nixum genibus, dilectam suam, h. inquam, Mariam Virginem, quae supra portam in effigie stabat devotissime salutantem, sicque salva res fuit. Bernardinus autem in tantum, tanquam sanctum virum evasit, ut a Nicolao V. Pont. in Sanctorum numerum sit relatus.

§. CXXII.

Antonius Bonfinius refert (*l.* 3. *rerum Hungaricarum decade* 3. *anno Domini* 1415): Post pugnam a nostris contra Turcas, et Valachos in Hungaria commissam in campo, ubi magnus restabat caesorum corporum cumulus, forte a viatoribus auditas voces, Iesu et Mariae, cumque propius se admovissent, caput loquax ita locutum: Quid hic astatis stupentes? Christianus sum, et Dei Matri addictus, sine confessione facta occubui ante biennium: Maria Dei Mater, cui in vita devotus extiti, linguam hactenus mihi servavit, quo confiteri possem. Quare rogo, vocate sacerdotem: vocarunt, confessus est, et absolutione percepta, illico conticuit.

§. CXXIII.

Cuspinianus (*in Chronico suo*), Tritemius (*lib. de Monasterio Hirsaugiensi*): Henrico imperatori morum ipsa perfectio sancti cognomen dedit: nam virginitatis florem integrum, atque inviolatum Mariae Virginis ope conservavit, cuius tam sedulus cultor fuit, ut in mediis itineribus, quae et multa, et longa confecit, si quando in urbem aliquam esset ingressus, noctem primam illa in aede precando consumeret, quam beatissimae Virgini dicatam reperisset. Hanc eandem immaculatam Virginem calice immensae magnitudinis honoravit. Quod vero templum in eiusdem Dei Matris honorem magnificentia imperatoria dignissimum apud Spirenses inchoaret, neque mortis interventu perfecerat, Conradus Caesar absolvit. Porro monasterium almae Virgini inscriptum, et sacratum, in Argentinensique ditione situm, quod vetustas prope consumpserat, ita refecit, ac reposuit Henricus, ut magis novum fecisse, quam vetus reparasse diceretur. Uxorem religiosissimam foeminam eiusdem virginalis propositi sociam habuit, atque participem. Cumque ob devotam immortali Domino continentiam, spe prolis se sponte privassent, Deum sobolis, et posteritatis auctorem, bonorum suorum haeredem assumpserunt. Ex quo factum est, ut ecclesias Henricus, si Gotfrido Viterbiensi, qui Conradi Regis nobilis scriba fuit, amanuensisque praeclarus, habenda fides est, prope mille fundaverit. Et quamvis templa construendi, et anniversariis pecuniis locupletandi, et quasi sponsas dotandi finem nullum Henricus faceret, totusque in eo esset, ut Dei cultum, religionemque proveheret, talem se tamen in imperio administrando praestitit, ut de solis armis egisse videatur. Itaque Germanici fines imperii quam longissime protulit, Bohemiam subdidit, Burgundiam in ditionem recepit, cunctam Germaniam, totam Galliam, universamque Italiam in officio continuit. Et harum trium bellicarum nationum pacem fecit esse diuturnam. Iam vero Pannoniae impietatem deponentis, et se ad Ecclesiam aggregantis salus, etsi Stephano regi maxima ex parte tribuitur, tamen Christiani huius incrementi ex Hungaris ad Christum conversis, laus communicanda cum Henrico est, cuius soror Sisela, verae religionis amantissima foemina, et fratri simillima, Hungariae regi Stephano desponsata, ad coniugis baptismum, fratre Henrico non modo adhortante, sed etiam instigante, felicem aditum patefecit. Et quia ad sui regis exemplum se fere regna conformant, sacer ille Stephani baptismi fons universam in se Pannoniam derivavit. Quam autem Regum pietas ad prosperam regni fortunam valeat, exemplo sit hic idem Henricus, quem religionis studiosissimum, beneficentissimumque fautorem Deus immortalis tam multis, tamque insignibus triumphis decoravit, virginisque cultor singularis, inque coelitum relatus numerum, illud Salomonis usurpat: Venerunt mihi omnia bona cum illa. Iam praelia tam multa cum hostibus non armis tectus Vulcaniis, sed fide, spe, et charitate confecit, id quod multo ante Theodosio contigerat, qui contra robustissimum Eugenii tyranni exercitum magis orando, ut Augustini verbis utar, quam feriendo pugnavit.

§. CXXIV.

Surius (*de vitis Sanct.*): Annonis Archiepiscopi Coloniensis ea fuit in Dei Matrem charitas, ut in ipsius honorem monasterium Canonicorum religiose viventium ab ipsis fundamentis excitarit, omnique ornatu apparatuque complerit. In hoc loco sibi ipsi sepulcrum designavit: ibidem fletu, et lacrymis sua, suorumque peccata diluens, frequenter pernoctabat, somnoque illo contentus, quem sub lucis adventum, vigiliis fractus, ac defatigatus puncto temporis ipse coepisset, res negotiaque gerebat, neque aliter laborabat, quam si horas noctis complures quievisset, humilibus se praebebat affabilem, potentibus gravem, et severum. Auctoritate tanta fuit, ut nemo sacerdos, nemo dives, nemo episcopus, nemo regia dignitate conspicuus, Annone procul viso, non tremeret, seque a risu, et ioco ad severitatem, modestiam, taciturnitatemque converteret: nam simul atque apparuisset, Dynastae, Praesules, Rex denique ipse vestem aptabat, vultum ad verecundiam componebat, nugari, ludere, vociferari, cachinnari, et gestire desinebat. Sunt enim honore dignissimi, qui se totos in honoranda coeli Regina collocarunt.

§. CXXV.

Andreas Coppenstein. (*lib.* 2. *de fraternitate Rosarii*) haec de b. Alano Ordinis Praedicatorum, et Virgini familiarissimo scribit: Primo, Alanus igitur: *qui acceptus erat Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret eum*, sicut sanctum Tobiam; et sicut tentati sunt Patres nostri, ut probarentur, si vere colerent Deum suum: idque nostra, non Dei causa, ut qui probati sunt, manifesti sint in nobis. Itaque arcano suo consilio divina bonitas permisit virum talem a maligno spiritu dire tentari, diuque tribulari. Etenim immissus in eum spiritus mundi ipsum saepissime respicere retro, et indignum Christo reddere moliebatur. Accessit, datus ei stimulus carnis suae, angelus satanae, ut eum colaphizaret, sicut Paulum, Gregorium Magnum, d. Hieronymum, et similes. Ipsissimus denique satan truculentus in eum arietavit, ac pulsavit, ut Iobum, non quidem, tangens cuncta, quae possidebat: iam olim namque dimiserat omnia, et sequutus erat Christum, nudus nudum, ac pauperem; sed tangens os eius et carnem, percussit eum, non ulcere, sed verbere pessimo. Quare ipse de se Alanus ista testatur, ac prodit: *Antequam ad Rosarii admirandam praedicationis gratiam perveniret, assidue cantabat hoc canticum Mariae, cupiens liberari a malis diaboli, carnis, et mundi. Et*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ad annos pubertatis, quibus expletis, cum de religionis, religiosaeque vitae in Cisterciensi familia a sententia dimoveri non posset, parentes desperata victoria, tamen novas artes adhuc machinantur. Iudaeus adolescens, et pulcher, et dives, ad Virgineum coenobium vadit, petitque baptismum, idque eo animo, ut Antistita neophitum cum Catharina loqui sinat, admissusque decipiat, restituatque parentibus, quorum agebat instinctu. Hoc usus commento, baptizari se sinit, seque puellae consanguineum mentitus, conveniendae Catharinae veniam sibi dari poscebat. Sed virgo doli praesaga fictum illum Christianum, ut alloquatur, adduci non potest. Ille repulsus fidem abiurat, larvaque posita, se retulit ad Iudaeos, quos numquam ex mente posuisset. Egomet vidi, inquit historicus, homo, ut apparet, minime levis, et saepe sum cum hac Catharina locutus, nihilque ea me admirabilius novisse memini. Magna erat vitae integritas, et sincera religio, quo tempore ceterae virgines, quae in illud se monasterium abdiderant, cum parentibus, aut propinquis familiares sermones in locutionis podio conferebant, et a quotidianis operibus, Abbatissae permissu, tantisper respirabant, nostra haec novitia ad Deiparae ibat imaginem, et cum illa tanquam viva esset, loquebatur, non quia vivam putaret, sed quod in huius pectore Virginis sanctae Matris memoria viveret, quam aspectus imaginis maxime renovabat, atque illa suaviter: Divina parens, sorores suorum colloquiis recreantur, ego ad te venio curas revelatura: tu mihi instar es omnium, tu meum solatium, et dulcedo, ita te una conquiesco. Nec dubium, quin Dei Mater Catharinae mentem expleret, eiusque inopiae, solitudinique prospiceret.

§. CXX.

Tilm. Bredenb. (*lib.* 3. *sacro coll. cap.* 25): Puella decem annorum gravissimo, acerbissimoque genere morbi tenebatur, cuius matertera, quam Tilman. non contemnendus scriptor, quo haec literis tempore mandavit, affirmat, fuisse superstitem, in templum, quod loci incolae Novum appellant, ingressa, ad dolorum sacratissimae Virginis imaginem, quae gladiis transfixa depingitur, et illic religiose visebatur, accessit, et post fusas ex animo preces, tantum se frumenti daturam vovit, quantum aegrotantis puellae pondus esset. Corpore ad libram revocato, et publica statera dimenso, voto hoc reddito, atque ex trutinae indicio corpoream puellae gravitatem, aequa lance ponderantis, promisso tritico persoluto, puella pristinae restituitur sanitati. Et vero imago illa virginea tantam praeferebat antiquitatem, carie pene, et carrosa esset, atque consumpta, exesoque capiti novum sufficere necesse fuit, ipsumque brachium nimia vetustate divulsum, uno dumtaxat claviculo tenebatur. Hanc eandem imaginem furiosi novatores toto Belgico grassantes anno millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, audaciter invaserunt, iniectisque funibus ab illo sacro abstractam, per universam civitatem, perque aspera, et confragosa loca ad suam libidinem raptaverunt. O rem miram: erat vetusta ipsa fragillima, cuius alterum brachium pene disiunctum, neque tamen rabida iactatione, et asperrimo lapidum attritu laedi unquam, frangive potuit, Deo et pro suae parentis imagine propugnante, et eiusdem matris oratu, insanos ad sanitatem invitante. Quin et Catholicorum confirmatus est animus, qui, vetere religione retenta, nova commenta despiciunt. Id enim annosa monstravit effigies, quae se tam bene defendit: id quoque testatus est clavus inter tot firmus iniurias, cui vivae fidei appensa lucerna est, quae non extinguetur in nocte.

§. CXXI.

In historia vitae sancti Patris nostri haec narrantur a Bernardino Senensi adhuc puero ad materteram suam Dianam viduam, cui a defunctis iam parentibus erat commissus: Se in Urbe Senensi iuvenculam quamdam amare, ineffabili speciositate fulgentem, cuius gratiosum aspectum nisi quotidie videret, sibi crederet prae moerore moriendum, mentem suam referens ad eam, quam totam pulchram canit Ecclesia. Nutrix, directrixque ipsius Diana, mulier spiritualis, suspicata, ne forte alicuius puellae carnali amore foret vulneratus, eum increpans, sic inquit: Quid est fili mi, quod te impudice loquentem audio? an ignoras, quod mulier formosa declivem animum facit ad vitia? aspectus eius ignis est exardescens, affectus robur ingenii prosternit, intellectum elidit. Desere, fili, hanc vanitatem, et de corde tuo omne cogitatum illius propulsa. Sic illa: atque attentius observatum Dei deprehendit aperto capite, nudis nixum genibus, dilectam suam, b. inquam, Mariam Virginem, quae supra portam in effigie stabat devotissime salutantem, sicque salva res fuit. Bernardinus autem in tantum, tanquam sanctum virum evasit, ut a Nicolao V. Pont. in Sanctorum numerum sit relatus.

§. CXXII.

Antonius Bonfinius refert (*l.* 3. *rerum Hungaricarum decade* 3. *anno Domini* 1415): Post pugnam a nostris contra Turcas, et Valachos in Hungaria commissam in campo, ubi magnus restabat caesorum corporum cumulus, forte a viatoribus auditas voces, Iesu et Mariae, cumque propius se admovissent, caput loquax ita locutum: Quid hic astatis stupentes? Christianus sum, et Dei Matri addictus, sine confessione facta occubui ante biennium: Maria Dei Mater, cui in vita devotus extiti, linguam hactenus mihi servavit, quo confiteri possem. Quare rogo, vocate sacerdotem: vocarunt, confessus est, et absolutione percepta, illico conticuit.

§. CXXIII.

Cuspinianus (*in Chronico suo*), Tritemius (*lib. de Monasterio Hirsaugiensi*): Henrico imperatori morum ipsa perfectio sancti cognomen dedit: nam virginitatis florem integrum, atque inviolatum Mariae Virginis ope conservavit, cuius tam sedulus cultor fuit, ut in mediis itineribus, quae et multa, et longa confecit, si quando in urbem aliquam esset ingressus, noctem primam illa in aede precando consumeret, quam beatissimae Virgini dicatam repperisset. Hanc eandem immaculatam Virginem calice immensae magnitudinis honoravit. Quod vero templum in eiusdem Dei Matris honorem magnificentia imperatoria dignissimum apud Spirenses inchoaret, neque mortis interventu perfecerat, Conradus Caesar absolvit. Porro monasterium almae Virgini inscriptum, et sacratum, in Argentinensique ditione situm, quod vetustas prope consumpserat, ita refecit, ac reposuit Henricus, ut magis novum fecisse, quam vetus reparasse diceretur. Uxorem religiosissimam foeminam eiusdem virginalis propositi sociam habuit, atque participem. Cumque ob devotam immortali Domino continentiam, spe prolis se sponte privassent, Deum sobolis, et posteritatis auctorem, bonorum suorum haeredem assumpserunt. Ex quo factum est, ut ecclesias Henricus, si Gotfrido Viterbiensi, qui Conradi Regis nobilis scriba fuit, amanuensisque praeclarus, habenda fides est, prope mille fundaverit. Et quamvis templa construendi, et anniversariis pecuniis locupletandi, et quasi sponsas dotandi finem nullum Henricus faceret, totusque in eo esset, ut Dei cultum, religionemque proveheret, talem se tamen in imperio administrando praestitit, ut de solis armis egisse videatur. Itaque Germanici fines imperii quam longissime protulit, Bohemiam subdidit, Burgundiam in ditionem recepit, cunctam Germaniam, totam Galliam, universamque Italiam in officio continuit. Et harum trium bellicarum nationum pacem fecit esse diuturnam. Iam vero Pannoniae impietatem deponentis, et se ad Ecclesiam aggregantis salus, etsi Stephano regi maxima ex parte tribuitur, tamen Christiani huius incrementi ex Hungaris ad Christum conversis, laus communicanda cum Henrico est, cuius soror Sisela, verae religionis amantissima foemina, et fratri simillima, Hungariae regi Stephano desponsata, ad coniugis baptismum, fratre Henrico non modo adhortante, sed etiam instigante, felicem aditum patefecit. Et quia ad sui regis exemplum se fere regna conformant, sacer ille Stephani baptismi fons universam in se Pannoniam derivavit. Quam autem Regum pietas ad prosperam regni fortunam valeat, exemplo sit hic idem Henricus, quem religionis studiosissimum, beneficentissimumque fautorem Deus immortalis tam multis, tamque insignibus triumphis decoravit, virginisque cultor singularis, inque coelitum relatus numerum, illud Salomonis usurpat: Venerunt mihi omnia bona cum illa. Iam praelia tam multa cum hostibus non armis tectus Vulcaniis, sed fide, spe, et charitate confecit, id quod multo ante Theodosio contigerat, qui contra robustissimum Eugenii tyranni exercitum magis orando, ut Augustini verbis utar, quam feriendo pugnavit.

§. CXXIV.

Surius (*de vitis Sanct.*): Annonis Archiepiscopi Coloniensis ea fuit in Dei Matrem charitas, ut in ipsius honorem monasterium Canonicorum religiose viventium ab ipsis fundamentis excitarit, omnique ornatu apparatuque complerit. In hoc loco sibi ipsi sepulcrum designavit: ibidem fletu, et lacrymis sua, suorumque peccata diluens, frequenter pernoctabat, somnoque illo contentus, quem sub lucis adventum, vigiliis fractus, ac defatigatus puncto temporis ipse coepisset, res negotiaque gerebat, neque aliter laborabat, quam si horas noctis complures quievisset, humilibus se praebebat affabilem, potentibus gravem, et severum. Auctoritate tanta fuit, ut nemo sacerdos, nemo dives, nemo episcopus, nemo regia dignitate conspicuus, Annone procul viso, non tremeret, seque a risu, et ioco ad severitatem, modestiam, taciturnitatemque converteret: nam simul atque apparuisset, Dynastae, Praesules, Rex denique ipse vestem aptabat, vultum ad verecundiam componebat, nugari, ludere, vociferari, cachinnari, et gestire desinebat. Sunt enim honore dignissimi, qui se totos in honoranda coeli Regina collocarunt.

§. CXXV.

Andreas Coppenstein. (*lib.* 2. *de fraternitate Rosarii*) haec de b. Alano Ordinis Praedicatorum, et Virgini familiarissimo scribit: Primo, Alanus igitur: *qui acceptus erat Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret eum*, sicut sanctum Tobiam; et sicut tentati sunt Patres nostri, ut probarentur, si vere colerent Deum suum: idque nostra, non Dei causa, ut qui probati sunt, manifesti sint in nobis. Itaque arcano suo consilio divina bonitas permisit virum talem a maligno spiritu dire tentari, diuque tribulari. Etenim immissus in eum spiritus mundi ipsum saepissime respicere retro, et indignum Christo reddere moliebatur. Accessit, datus ei stimulus carnis suae, angelus satanae, ut eum colaphizaret, sicut Paulum, Gregorium Magnum, d. Hieronymum, et similes. Ipsissimus denique satan truculentus in eum arietavit, ac pulsavit, ut Iobum, non quidem, tangens cuncta, quae possidebat: iam olim namque dimiserat omnia, et sequutus erat Christum, nudus nudum, ac pauperem; sed tangens os eius et carnem, percussit eum, non ulcere, sed verbere pessimo. Quare ipse de se Alanus ista testatur, ac prodit: *Antequam ad Rosarii admirandam praedicationis gratiam pervenit, assidue cantabat hoc canticum Mariae, cupiens liberari a malis diaboli, carnis, et mundi. Et*

quidem a quibusdam est liberatus, sed aliis maioribus pugnis est impugnatus: septem enim annis continuo a diabolo fuit crudelissime tentatus, percussus, et flagellatus. Id quod et in Antonios, Macharios, Paulos, similesque complures ei permissum accepimus. Adeoque fuerunt saeva haec verbera, ut saepius ei vitam extorsissent, et ipse in desperationem corruisset, nisi Maria Virgo eum adiuvisset. Secundo: *Quinimo saepius tam vehementer agitabatur a spiritu desperationis, ut saepe ipsi vitam extorsisset, et signanter semel, nisi visibilissime in ecclesia grandis eiusdem, Maria eum liberasset, subito tentationem profugando. Manus enim illius heu trahebatur ad ferrum, et ipso nolente flectebatur, brachium cum ferro ipso ad guttur proprium, tam valide, ut tunc se iugulasset, nisi, ut angelus Abrahami, ita brachium eius Regina pietatis tenuisset, alapa eum feriendo: dicens: Quid o miser, quid agis? si me debite invocasses, ut dudum solitus es, nequaquam in tantum periculum incurrisses.* Dixit, et disparuit: *Sed et paulo post gravissima, et incurabilis infirmitas eum arripuit, ut omnis, hanc sciens, indubie iudicasset, hanc mortis vicinitatem fuisse filium.* Alanus in eo se articulo colligens, e templo ad cellae stratum perreptat. *Cum igitur daemonibus*, pergit ipse, *undique agitatus, turbatus conscientia, infirmitate gravatus miserabiliter iacerel, vehementissimis suspiriis ad Virginem Mariam ita fere clamabat: Heu me miserum mortis filium, heu quid faciam? Coelestia mihi repugnant. Speraci, me habere tuam, o Maria, gratiam, et ecce graviorem decidi in maledictionem. Heu cur natus sum? Cur religionem hanc intrari? quo mihi valuit servitium Dei tam durum. Ubi veritas dicentis: Iugum meum suave est? Et quod non permittat tentari ultra, quod possumus? Vere, saltem Dei reverentia, vellem potius non esse, aut lapidem me fuisse, quam sic dies meos decurrere. Ita ille cum Iob, et Ieremia clamans deficiebat.* Tertio: *Cum ecce subito post decimam noctis horam, resplenduit claritas Dei in cella, apparuitque beatissima Virgo Maria, quae suavissime saluiato, et colloquiis multis laetato, lethalia daemonum vulnera rigavit, et mox sana reddidit: simul cum sibi, Domino Iesu Christo praesente, et multis sanctis, realissime desponsavit.* Cetera ex eodem brevissime sic Bonifacius: *Et mandavit, ut Rosarii sodalitates rursus aggregaret, quo autem ad id muneris paratior, et promior redderetur, concionibus adiutricem se fore Virgo promisit, edituramque miracula. Quorum unum Rosarii ipsi in collum iniecti, et alterum annuli fuit, quem ex digito virginali detractum, Alano dedit induendum. Quo ille dono erectus, et recreatus, annos quindecim Rosarii concionator fuit, divinosque flores variis mundi locis sparsit, qui odorem suavissimum exhalarunt.* In eadem apparitione misericordiae Mater novellum suum sponsum, et alumnum quindecim gratiarum monilibus donavit, pro merito cultus sui iam diuturni, et constantis, quem Deiparae tot annis retro, tantas inter tentationum molestias, praestiterat. Ista brevissime recenseo ex ipso Alano: sic enim apud ipsum alma Dei Genitrix loquitur. Primo, impetravi tibi omnium peccatorum remissionem, nec morieris in reatu peccati mortalis; sed si offenderis in mundo puneris. Secundo, do tibi, ut lucem quandam habeas semper praesentem, in qua me habebis, et videbis semper praesentem, et adiuvantem, longe clarius, et verius, quam si me videres, aut tangeres oculis, vel sensibus corporeis. Tertio, do tibi gratiam impetrandi omnia a Deo postulata, quae oraveris. Quarto, do tibi sentire influentiam coelestem: hoc est, lucem in membris subintrantem, teque pertrahentem ad conformitatem voluntatis divinae. Quinto, do tibi, ut praesentialissime sit Dominus tecum, non visione oculorum, sed fidei, et sub lumine alacriori, quam sit lumen scientiae. Sexto, do tibi, ut videas in te totam sanctorum curiam coelestem, et cum aliquo sensu, et luce illuminante sentias. Septimo, do, ut audias loquelam meam, et sanctorum: nec vox ista est corporea, nec phantastica, sed quaedam alta, clara, distincta, mentem afficiens, et erudiens. Octavo, do tibi scientiam non humano ingenio acquisitam. Et factum est maxime in scientiis divinis, moralibus, et humanis: nec docendo, aut praedicando libris indigebat. Nono, do tibi, ut mulieres nunquam tibi noceant ad luxuriam, quantumcunque pulchrae. Decimo, do tibi benedictionem in sermone tuo, ut sentias in te Christum loquentem ea, quae debes loqui. Et factum est signanter post Eucharistiam, ut homo inibitus sit quasi omnia, faciens iuxta illud, non vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri loquitur in vobis. Undecimo, do, ut sentias in corde tuo totius filii mei vitam; et sentit in se lucem conformantem ad omne bonum, pellentem omnem acediam, et passionem. Quando haec lux discessit, saepius erat impotens ad omne bonum. Alia quatuor Alanus non scripsit: quae sit causa, nescitur; sed creditur, quod adeo secreta essent, ut noluerit ea manifestare; haec Alanus posthumus collector. Atque ea ad instar erant dotis sponsalium, ex quibus omnis deinceps vita illius, et actionum perfunctio conformis ducebatur. Inde, Deiparae quasi familiaris, multa, et mira ex ipsa condidicit, quae de Rosario ad populum praedicavit, miraculorum sequentibus signis. Quinto, quin et ipse Servator Christus ad aram facienti manifestus in iam transubstantiata apparens hostia, sub poena praesentissimae mortis, illi, ut praedicando evulgaret Rosarii usum, mandavit. Quod idem aliquando negotium dedit videnti, vigilantique assistens ipsi S. P. N. Dominicus, ut suo exemplo Psalterium B. V. Mariae praedicaret; atque inquiebat: vides, quomodo profeci per Virginem Mariam in sermone isto? id ergo facias etiam tu, et omnes Mariae amatores, ut sic trahatis populos ad veram scientiam omnium virtutum, et morum per psalterium Mariae Virginis. Iamque eum ante monuerat istis: Tu praedicas; sed tibi caveas, ne potius laudem humanam quaeras, quam animarum fructum. Itaque longe, lateque hoc devotissimum psalterium, ad divini cultus augmentum, et populi ignari salutem, copiosius propalavit. Per quod, Dei gratia cooperante, vix dicibilia

miracula sunt peracta, praesertim circa praedictum fratrem.

§. CXXVI.

Legitur in Chron. Priorum domus Carthusiae, quod tempore Guidonis V. Prioris dictae domus creditur evenisse. Conversus quidam Carthusianus humili genere, aetate iuvenis, moribus tamen generosus, ac vitae sanctitate provectus, toto studio obedientiae, humilitati, mortificationi omnem, quam poterat, operam adhibens, mundum sibi, seque mundo crucifixerat. Amori divino, et memoriae Matris Domini ita se totum devoverat, ut ab iis qui vitam eius nossent, nihil scire iudicaretur, nisi Iesum Christum crucifixum, eiusque Genitricem. Nocte quadam iacebat in cella, cum ecce multo iam processu noctis eidem vigilanti, et coelestia meditanti, daemonum turba in specie porcorum agrestium apparuit, et per totam cellam discursu insano, rictu horrendo, dentibus longissimis, ac veluti in necem eius exacutis, pavefactum, et trementem hominem circumstabant. Sudabat ille prae timore, et quasi iam, iamque a bestiis discerpendus, nil nisi mortem ultimam praepostulabat. Inter haec quemdam, humana specie enormis magnitudinis daemonum principem, cellam conspicit intrantem, ac porcos, quod illum non discerpissent, desidiae arguentem. At, inquiunt porci, magno conatu id facere tentantes, nihil potuimus: ego, inquit ille, iam faciam, quod vos segnes minime facere potuistis; et uncum ferreum, longis, ac recurvis ungulis terribilem, minaci manu praetendens ad virum Dei discerpendum adaptat, eumque nimio timore pene mente excedere coegit. Sed Deus, cui vir ille bonus saepe dicebat: Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo, tentationem tam duram non est passus ultra procedere, sed sua infinita misericordia liberavit eum a malo: mox enim ut nequam ille uncum ferreum ad eum discerpendum extendit, statim beatissima Dei Genitrix, misericordiae Mater, in qua ille totam spem suam post Deum posuerat, visibiliter affuit, et virga levi manu praetensa: quomodo, inquit, huc detestandi venire ausi fuistis? Non est hic vester, nec iam in aliquo contra eum poteritis praevalere. Dixit hoc; et dicto velocius totus ille nefandus caetus ut fumus evanuit. Post daemonum fugam, hominem adhuc trementem his consolata est verbis: Placet, quod facis, tuique animi devotionem Deo, mihique gratam noveris: fac ergo, quod facis, et de his ad meliora perseveranter proficere stude: et ut tibi aliquid singulare in mandatis tradam, stude vilibus escis, operi manuum devotus insiste, amplectere abiectas vestes. His ergo b. Virgo animatum hominem relinquens, coelum repetiit. Ille autem, ut a Virgine iussus fuerat, mandata eius adimplere totis viribus usque ad mortem nitebatur; haec fere ad verbum apud Petrum venerabilem Abbatem Cluniacensem (*l. 2. miraculorum cap.* 29), quod idem extit apud Vincentium Beluacensem (*l. 7. spe hist. c.*112. *et in specul. exemplorum dist.* 9. *num.* 113).

§. CXXVII.

Ex Chron. Seraphici nostri Patris s. Francisci (3. *part. cap.* 36. *et* 37) haec quae sequuntur lego: Frater Iacobus de Coronis Deiparae, cuius admodum studiosus erat, multas quotidie coronas recitare, atque offerre, aliosque omnes, quibus cum agebat, etiam episcopos, et cardinales, ad coronam recitandam hortari consueverat, ut vel ex eo adeptus sit cognomen de Coronis, post spiritum prophetiae, quo claruit, et miraculorum virtutem sibi a Deo Deiparaeque deprecatione concessam, in coronae recitandae pietate persistens, effaeta iam aetate, perceptis iam Ecclesiae sacramentis, in Burgo sancti Sepulcri demoratus est. Cumque ad exequias, quae eius erat sanctitatis opinio, universus plane populus accurrisset, quidam vidit in oratione in spiritu eius animam e monasterio prodeuntem, deducentibus angelis, in sublime ferri, coelique beatissima regna conscendere. Beatus Bernardus a Feltre pro suggestu publice dicere solebat, fratrem quendam Veronae in oratorio Porcariae ex provincia s. Antonii, cum ob coronam Deiparae recitandam pro ara, et remotis arbitris, recessisset, deprehensum tamen in ea devotione ab altero fuisse; qui quidem observavit, quoties is inter recitandam coronam Ave Maria pronunciaret, angelos, qui coram Virgine astabant, auream, quam manu gerebant, coronam in Reginae nostrae caput imponere, mox de capite deponere, et ad singulas salutationes angelicas rursus apponere; alios vero angelos ad singulas salutationes angelicas eidem Deiparae rosam, aut lilium offerre. Narrabat idem b. Bernardinus in eadem Provincia, fratrem Antonium de Robes, Deiparae pietati addictissimum, cum urbem Vicentiam obiret aliquando, repentina quidem, ac assidua pluvia fuisse deprehensum: cumque nullum, quo se reciperet, inveniret locum, ut sese a pluvia defenderet, arreptam e globulis coronam in capite ponens suo: O angelorum, inquit, Regina, in necessitatibus amicorum patrocinia dignoscuntur: oro te, ut recorderis clientis tui. Res dictu mirabilis: iis vix prolatis verbis, ad urbem usque progressus est, ne levi quidem pluviae gutta respersus. Eius vero socius, qui eques iter praeverterat ad pluviam declinandam, aliique tanto obstupefacti miraculo, gratias Deiparae egerunt, qui studiosos semper tuetur ac servat. Cum matrona nobilis illa quidem suos assuefecisset filios ad coronam flexis genibus, iunctisque manibus singulis diebus primo quoque mane, antequam in ludum litterarum abirent, Deiparae recitandam, accidit quodam die, ut dum iret in gymnasium, quidam ex iis e ponte in subiectum caderet flumen. Re cognita mater, non iam ad fluminis aquam, sed ad Deiparae opem statim accurrit, eique filiorum salutem impense commendavit, ac salutatione angelica recitata, praeceps concedit ad fluvium:

UNIVERSIDAD DE NAVARRA

illic reperit multos, qui filium ex aquarum fundo extrahere moliebantur. Verum vix ea pervenerat ad pontem, cum filius aquas supernatans, existit, matrem appellat incolumis. Tunc omnes extrahunt puerum, et periculo eripiunt, ad matrem adducunt. Ea laetabunda, Deiparae acceptum retulit filium, qui insuper affirmavit, sese ab ea Domina, ante cuius imaginem quotidie primo mane coronam recitare solebat, a praesenti discrimine liberatum. Ex quo multi ad coronae pietatem suscipiendam sunt excitati.

§. CXXVIII.

Narrat Evagrius suo tempore gestum, et toti orbi notum (*libr.* 4. *capit.* 35) de puero Iudaeo, qui licet Virginem sanctissimam non invocasset, per eam tamen ab incendio est servatus: Meunae, inquit, temporibus miraculum editum fuit plane memorabile. Vetus fuit consuetudo Constantinopoli, ut si quando multae admodum particulae puri et immaculati corporis Christi superessent, pueri impuberes, qui scholas frequentabant, accerserentur, easque manducarent. Quod cum factum fuit, cuiusdam hominis Hebraei quidem opinione, arte autem vitrarii filius, una cum pueris versatus est qui quidem parentibus percontantibus ab eo causam morae, respondit, uti res se habuit, seque cum aliis pueris pariter comedisse. Hebraeus bile, furore, et iracundia inflammatus, in clibanum ardentem, in quo vitrum formare solebat, puerum coniicit. Postquam vero mater puerum quaeritans reperire non potuit, passim per totam ibat urbem, Deum gemitu obtestans, et flebilibus lamentis se dedens. Triduo autem post ad ostium officinae viri consistens, luctu miserabiliter divexata, nomine puerum compellat. Puer matris vocem ut agnovit, e clibano responsum dat: Mater effractis foribus introrumpit, viditque puerum in mediis carbonibus ardentibus consistentem, illaesum ab ignis incendio; qui cum rogaretur, quo pacto illaesus mansisset: Mulier, inquit, veste amicta purpurea, crebro ad me venit, porrexit aquam, qua carbonum flammas corpus ambientes extinguerem, cibum denique dedit, quoties esuriebam. Qua re ad Iustinianum perlata, puerum cum matre lavacro regenerationis tingendos decrevit; patrem autem pueri, qui recusavit in numerum Christianorum adscribi, in Syricis cruci suffigendum curavit; haec Evagrius. Eandem historiam confirmat Gregorius Turonensis, qui paucis post annis, eodem tamen saeculo vixit (*in l. de gloria Martyrum cap.* 10): ubi aliquando explicatius illud de beata Virgine tradit. Cum enim, inquit, infantulum Christiani interrogarent, quale ei inter ignem fuisset umbraculum, ait: Mulier, quae in Basilica illa, ubi de mensa panem accepi, in cathedra parvulum in sinu gestat infantem, haec me pallio suo, ne ignis vorarel, operuit. Unde indubitatum est beatam ei Mariam apparuisse; haec Gregorius Turonensis: additque multos Iudaeorum exemplo hoc in Urbe illa salvatos: eandem historiam memorat Glycas (4. *part. Annalium*). Paschalis primus Pontifex Maximus in litteris suis Apostolicis, quas recitat Baronius (*tom.* 9. *ad annum Christi* 821). Cum enim idem Paschalis sanctae Caeciliae templum, quod vetustate ruinam minabatur, magno studio in meliorem formam construere coepisset, et fama esset, corpus eiusdem sanctae Caeciliae ab Astulpho Longobardorum rege, hostiliter Romam obsidente, furto esse per eius homines sublatum; sancta Caecilia virginali aspectu et habitu decora, Paschali ante confessionem sancti Petri, matutinali lucescente Dominica, dum psallentium harmoniam observat, sopore gravato apparuit, eumque hortata est, ut suum corpus requireret, et in templo quod reparaverat, reconderet. Cumque Pontifex obiiceret eius corpus a Longobardis sublatum, illa in haec verba respondit: Veritas est, quod Longobardi me multum desideraverunt, et quaesierunt, sed gratia Dominae meae, semperque Virginis Dei Genitricis Mariae effecit, quod nec me invenire, nec me deportare sicut voluerant, hinc longius potuerunt: haec illa. Quod ipsum Anastasius Bibliothecarius illorum temporum scriptor testatum reliquit in codice quodam e Cavensi monasterio accepto apud Baronium loco citato. Quod si Deipara hoc erga corpus sanctae Caeciliae praestitit; mirum videri non debet, si corpus latronis egregia erga se pietate addicti, honorifice tumulandum curaverit.

§. CXXIX.

Surius (*tom.* 3. *in vit. s. Adel. die* 29. *Apr.*) haec narrat: S. Opportuna Virgo, et Monialium Abbatissa cum gravi corporis aegritudine teneretur, exacta quadam nocte, vidit b. Caeciliam, et s. Luciam causa visitationis ad se venire; quas cum vidisset, blando sermone ita salutavit: Avete sorores Caecilia, et Lucia, quid praecepit ancillae suae gloriosa Virgo Maria coelestis Regina, et omnium Virginum Domina? Respondentes sacrae Virgines Caecilia, et Lucia dixerunt: O splendidissima sponsa Christi Opportuna, expectat adventum tuum intacta Virgo Maria, ut filio eius coniungaris in coelo, quem totis visceribus dilexisti in mundo: ornata corona gloriae tuae, et accensa lampade, debes ire obviam sponso, et sponsae. Post laetitiam autem tam praeclarae visionis et visitationis, dum clerus in exitu sanctae illius animae, et astantes sanctimoniales psalmos decantarent, et ipsa cum eis decantaret, respiciens ad ostium domus dixit his qui psalmos decantabant: Ecce advenit Domina mea beata Virgo Maria, cui vos commendo, quos in hoc saeculo amplius non videbo. Extendente autem ea brachia, quasi Matrem Dei vellet amplexari, sancta eius anima carne est soluta, et vivit cum Christo per aeterna saecula. Surius in vita s. Richardi Episcopi Cicestrensis die 2. Aprilis: Cum sanctus Richardus Episcopus Cicestrensis morbo esset praegravatus et confectus, illam Psalmistae vocem, in manus tuas Domine commendo spiritum meum, crebro iterabat. Ad beatissimam quoque Matrem Christi, semperque Virginem Mariam subinde corde simul et voce se convertens aiebat:

Maria mater gratiae,
Mater misericordiae,
Tu nos ab hoste protege,
Et in hora mortis suscipe.

Mandavitque suis capellanis, ut ea verba ad eius aures pronunciare non cessârent, atque ita inter suspiria piae devotionis, et verba sacrae orationis adstantibus religiosis, presbyteris et clericis, laicis quoque fidelibus, b. Richardus animam deinceps in illa beatissima civium supernorum victura societate reddidit creatori: S. Antoninus (3. *part. histor. titul.* 23. *cap.* 14). In hora transitus s. Patris Dominici Ordinis Praedicatorum institutoris adfuit beatissima Virgo cum filio, prout revelatum fuit cuidam devoto Priori conventus Brixiensis, qui dicebatur frater Cicala Longobardus, qui postea Brixiae Episcopus fuit: hic enim eadem die et hora, qua s. Pater migravit e saeculo, anno aetatis suae quinquagesimo primo, scilicet feria sexta, hora sexta, levi depressus somno, post orationem vidit interioribus oculis quandam aperturam in coelo, per quam submittebantur candidissimae duae scalae: summitatem unius scalae tenebat in manu b. Virgo Maria, alterius summitatem filius eius Iesus Christus tenebat; angeli vero discurrebant per eas ascendendo et descendendo; et in fine utriusque scalae sedes posita erat, et unus super eam sedens, qui similis erat fratri Praedicatori, habens faciem velatam, eunti versus Ierusalem coelestem: scalas autem illas rursus trahebant Dominus Iesus cum matre paulatim, et ducebatur sursum simul cum illis scalis sedes pariter cum ardente, comitantibus angelis. Denique receptis in coelum scalis, et sede cum sedente, apertura illa clausa est, visioque disparuit. Quapropter subito dictus frater perrexit Bononiam, et reperit, quod illo die, et hora Pater e mundo in coelum transierat.

§. CXXX.

Cardinalis Iacobus de Vitriaco (*in vit. beat. Mar. Oegniac. libr.* 2. *cap.* 3. *apud Sur. tom.* 3. 17. *Iun.*): Religiosa quaedam vidua, quae in sancta viduitate diu servierat Domino, et filias suas in sancta virginitate sponso coelesti integras servabat, in Villembroc prope Nivellam in extremis laborabat. Vidit autem haec nostra Maria de Oegnes b. Virginem sanctae viduae assistentem, et quasi flabello quodam caloris aestum, quo torquebatur, humanissime temperantem. Cum autem anima illius iam esset egressura a corpore, turba daemonum insidiantium, nulli orationum instantiae cedere voluit, donec claviger aethereus crucifixi vexillo eos turpiter pudefactos profligaret. Postquam autem defuncta est, vidit Christi ancilla beatissimam Virginem cum multitudine coelestium puellarum psallentium, et Deum laudantium, et velut in duos choros distributarum, circa eius corpus versari. Cumque sacerdos pro more exequias celebraret, summus sacerdos Christus cum sanctorum frequentia officium, ut videbatur, etiam complebat, et mirandum in modum Ecclesia triumphans militanti respondebat. Surius (*tom.* 3), ex Thoma Cantipratensi haec narrat de Innocentio III (*in lib.* 2. *vit. beat. Lutgard. Virg.*). Dominus Innocentius Papa III. post celebratum Lateranense Concilium ab hac vita migravit, moxque apparuit visibiliter Lutgardi. Illa autem, ut vidit eum ingenti flamma cinctum, quisnam sit, percontatur. Respondit, se esse Innocentium Papam. Et illa cum gemitu: quid hoc est, inquit, communem omnium nostrum Patrem tam dire cruciari? Respondit ille: tres ob causas ita crucior, quae etiam aeternis suppliciis me iustissime addixissent, nisi per intercessionem piissimae Matris Dei, cui monasterium condidi, in extremis me poenituisset, et aeternam quidem mortem evasi, sed poenis atrocissimis usque ad iudicii diem cruciabor. Quod autem ad te, suffragia petiturus, venire potui, mihi a suo filio Mater misericordiae impetravit. His dictis confestim disparuit; hactenus ibi.

§. CXXXI.

Auctor Pomerii (*libr.* 12. *part. ult. cap.* 4. *mirac.*) haec his verbis narrat: Quidam miles dives, et in bellis famosus, totus erat deditus corruptionibus foeminarum. Et quia torneamentum debebat fieri in Verona, ad illud pergens cum magno apparatu, in quodam castello unam pulchram iuvenculam aspiciens, eam concupivit. Unde vocato famulo, pecunias magnas illi tradidit, cum quibus parentes iuvenculae, et ipsam virginem ad illicitum actum induceret. Tunc parentes excaecati munere filiam invitam tradiderunt stuprandam. Et quia sabbatum erat, illa Virgo corde devoto se b. Virgini commendabat. Cumque ploraret, illam miles de nomine interrogavit. At illa ait, quod vocaretur Maria. Intulit miles: cur ploras? Respondit illa: melius esset mihi mori, quam turpiter vivere: nam virginitatem meam Deo, et beatae Mariae voveram. Tunc Spiritus sanctus tetigit mentem mox militis, et extinxit in eo omnem libidinem, et ait puellae: quia hodie est sabbatum, dies videlicet Mariae deputatus, et nomen tuum est ei conformae, nunc et integre offero sibi, et teste Deo, ad meas sponsas in monasterium Monialium te introducam. Illaque gratias Deo egit, et miles se per omnia continuit ab ipsa, atque in monasterium eam tradidit, et collocavit, promittendo Abbatissae multas divitias, postquam regressus fuerit, se oblaturum. Sed accidit, ut moraretur miles in ipso torneamento. Tunc Abbatissa coepit puellae huic improperare ipsius militis fallax promissum: insuper vitium corruptelae sibi imponere minabatur. Et quia nullum solatium humanum poterat habere, ad beatam Virginem confugit, lacrymabiliter as-

sidue subsidium exorando: cui apparens beata Virgo sic ait: Noli flere filia dilecta: nam miles ille, qui tibi tantam exhibuit gratiam, in fine compunctus, salvus est, et corpus suum, quia in torneamento mortuum est, in loco non sacro sepultum est. Vade ergo, et dic Abbatissae, ut ipsum eius corpus ad vestrum coemeterium sacrum, sive monasterium sepeliendi causa deferri faciat. Et in signum quod locuta sim tibi, cum nunc sit valida hyems, rosa pulcherrima reperietur super tumulum eius, cuius radix protenditur usque ad cor eiusdem militis, eo quod scilicet ob mei amorem castitati suae pepercit. Cumque haec retulissem, et Abbatissa adhuc credere nollet, revelato sibi quodam peccato occulto per puellam de mandato b. Virginis Mariae, tunc contrita, et confessa cum processione illuc pergendo, signum dictum invenit, et corpus ad coemeterium transtulit. Sicque Pater, quoniam ipsa gloriosa Virgo Mater ad se confugientibus castitatem illibatam conservat, et ad ipsam sectandam inducit, honorantibus puritatem finem bonum largitur; haec ibi.

§. CXXXII.

Auctor Pomerii (*lib.12.part. 2. artic* 1) mirabile quoddam exemplum in hunc modum refert: Quoniam manus Domini non est abbreviata, his etiam nostris temporibus certe acciderunt miracula ad id fidem facientia: Nimirum fide dignis viris qui affuerunt, et viderunt referentibus, didici, quod cum ad partes Transalpinas Imperator Sigismundus bellando accessisset, contigit inibi quendam militem cecidisse. Primus multos ante annos cum idem Imperator partes ad illas cum exercitu accessisset: ecce omnibus audientibus, vox quasi fletus ac lugubris sibilationibus coepit insonare. Cumque cuncti quidnam foret mirarentur, de mandato Imperatoris coeperunt inquirere intra vepres, silvasque, et lucos circum adiacentes: et ecce reperiunt quoddam cadaver iacere in quodam rubo putrefactum, adeo quod increscentes iunci, et spinae veprium, ipsum pertranseundo penetraverant, et ex illo cadavere sonus ille flebilis audiebatur resonare. Unde clara voce ait astantibus, et quid foret conquirentibus, dicit: habetis ne presbyterum, cui confitear? afferte mihi, domini: ego enim iam ante annos principalis in bello Sigismundi Imperatoris miles affui, et in hoc loco pugnae corrui; sed quoniam b. Mariae in vita mea semper devote servivi, ideo eius meritis faventibus, id mihi a Deo concessum est, et donatum misericorditer, ne anima mea a corpore isto iam pene consumpto et labefacto dissolveretur, ut damnationem omnino evaderem. Unde tota anima mea in me tenetur, nec mori possum, donec plene confitear, quia habeo damnabilia crimina, quae commiseram. Et pro veritate huius confirmanda, mox ut confessus fuero, a flebili sibilo hoc meum cadaver cessabit: anima dissoluta, quae usque modo miraculose est per Virginem b. retenta. Tunc obtulerunt ei sacerdotem; et facta confessione et absolutione, mox resoluta anima, vocis illius sonus cessavit, et tunc tam Imperator, quam omnes qui aderant, Deum et b. Virginem laudaverunt.

§. CXXIII.

Segala Ordinis Minorum (*in arte mirabili serviendi b. Virg. privilegio quinto*) commemorat, quod in provincia Burgundiae erat vir quidam valde nobilis, filiam habens pulchram, quae devotioni Deiparae Virginis addictissima erat, eique suam devoverat virginitatem. Accidit autem, quod cum quidam ex nobilioribus eius servis lascivo caperetur amore, illius virginis patre longe absente, ingressus est ad eam sollicitandam; et quamvis illam ante imaginem Deiparae orantem invenisset, veneris flammis exaestuans, a detestabili suo proposito minime destitit, sed virginem castissimam multifariam, multisque modis ad sibi consentiendum persuadere curabat: at virgo audaciam hominis exhorrescens, asperrimis verbis illum a se abiecit; quibus ille ira percitus, minatur virginem interfecturum, nisi sibi commiscerelur. Illa autem plusquam virili animo eius minas spernens, dixit, se potius mortem subiturum, quam suam virginitatem violari permissuram; quo audito, ita ille in furorem versus est, ut continuo evaginato gladio virginem iugularet. Ad se autem postea reversus, enorme quod patraverat scelus, stupefactus, ne in manus iudicis veniret, ad avunculum suum, qui cuidam ecclesiae parochialis praepositus erat, continuo adiit: invenit eum sacris vestibus indutum, ut missam maiorem celebraret; qui lugubri casu audito, monuit eum, ut in tuto loco se collocaret, donec missam perficeret. Dum haec autem agerentur, imperio Deiparae angelus caput illius virginis cum eius corpore copulavit; et ad vitam revocata, mansit in eius collo signum quoddam, instar aurei fili, totum collum undique cingens, et protinus, ab ea audito ultimo pulsu campanae ad audiendam missam, ut de more habebat, perrexit. Presbytero vero, ut fieri consuevit, ad populum converso, ut acciperet ab eo oblata, inter alias foeminas virgo illa accessit ad faciendam suam oblationem; quam ille aspiciens, perterritus, phantasma se videre putabat, aut daemonem sibi velle illudere. Finita autem missa continuo se sacris vestibus expolians, venit in locum, ubi aderat virgo illa, et ab ea sciscitatus, quomodo res sibi narrata se habuisset, illa totam negotii seriem ad unguem enarravit: eam autem deprecante presbytero, ut nepoti suo parceret; illa respondit, quod ad me attinet parco; Deus autem, et b. Virgo, quam sibi placuerit, satisfactionem ab eo accipient. Tunc reus vocatus fuit, et ad virginis aspectum in genua procumbens veniam ab ea postulabat; cui illa dixit, si tu non ingressus fueris religionem aliquam, ubi de atrocissimis hisce peccatis poenitentiam agas, praedico tibi ex parte Dei, et b. Virginis, coelitus in te venturam vindictam expieris. At illo dicente: Ecce adsum paratus religionem sumere, quam me monueris: ingredere, inquit illa, Ordinem Minorum. Ingressus fuit, et honestam vitam in religione peragens, tandem obdormivit in Domino.

§. CXXXIV.

In revelatione sanctae Birgittae (*lib.* 6. *c.* 97) narratur de quodam viro illustri, qui graviter aegrotans sacerdoti confiteri nolebat, pro cuius animae salute sancta Birgitta preces ad Christum fundebat, et ad aegrotum, Christi iussu, semel atque iterum suum confessarium, qui eum ad confessionem invitaret, misit; sed frustra. Tertio tandem rediit, et Christi nomine ad poenitentiam hortatus, quod Christus paratus esset ei ignoscere; tum aegrotus cum insolitis lacrymis divinitus sibi concessis dicebat, se iam sexagenarium multis sceleribus irretitum, diabolo, qui saepe ei locutus erat, homagium fecisse, et nunquam sua peccata sacerdoti confessum, nec sanctissimam Eucharistiam sumpsisse, et iam de salute sua desperasse; sed in spem veniae ex dictis sacerdotis verbis, et interiori motione Christi adductus, quater eo die confessus, et sequenti die post confessionem communicavit, et sexto die obiit, de quo Christus sanctae Birgittae dixit, eum ad purgatorium ivisse propter contritionem, quam illi ex sua benignitate dederat, et propter meritum, inquit, Matris meae: nam licet homo iste non dilexit eam corde; tamen quia consuetudo sua fuit compati eius dolori, quoties eam considerabat, et audiebat nominare, ideo compendium salutis suae invenit, et salvatus erit; haec in illa revelatione. Ex quo collige, tenue erga Virginem obsequium quantum boni praestet hominibus.

§. CXXXV.

Nec silentio involvendum est exemplum quoddum Dionysii Carthusiani (*in serm.* 2. *de Ass.*), in quo Deiparae benignitas erga defunctorum animas, in purgatorio cruciatas, perspicue cernitur: Duo, inquit, socii erant se invicem diligentes, quorum unus circa festum omnium Sanctorum defunctus est; alius vero continuis fletibus se affligens, nihil pro defuncto oravit, cui post festum nativitatis Christi, defunctus apparuit, dicens; nihil mihi profecisti solum plorando, et quasi improperans ei fletum: Ecce, inquit, beatissima Virgo Maria singulis annis in festo nativitatis Christi, ad purgatorii loca, cum multitudine angelorum descendit, et multas inde animas eripit, quoniam in nocte solemnitatis illius Christum regem gloriae peperit: cumque in proxima nativitatis Christi solemnitate descenderet, et multas eriperet animas, speraham, quod precibus tuis fuisset me etiam eductura, sed non fecit. Verum quoniam proxima nocte Dominicae Resurrectionis solet descendere ad Purgatorium pro eductione animarum, eo quod Christus nocte illa sanctos de limbo eduxit, rogo, ne cesses pro me cum lacrymis exorare, ut me illa nocte digneretur eripere; et in hoc scies te exauditum, si tibi ultra non apparuero. Et quia defunctus ille ad viventem non rediit, creditur per Virginem gloriosam nocte illa ereptus. Ex hoc quoque exemplo docentur fideles pro amicis suis defunctis magis orare, quam flere, nisi pro illorum liberatione fleant, orando; haec Carthusianus.

§. CXXXVI.

Ex variis auctoribus refert, quae sequuntur, Spinellus (*de Maria Deipara cap.* 16): Quo tempore Henricus imperator, eius nominis IV. ab anno millesimo centesimo undecimo, in Paschalem secundum Summum Pontificem, propter investituras Episcoporum, quas vi ab eo extorquere conatus est, arma suscepit, magnae clades Orbi, praesertim Germaniae, Longobardiae, populisque Imperio subiectis, qui magna ex parte Imperatori consentiebant, divinitus sunt illatae, quas per singulos annos Sigibertus, et is, qui anno 1013. eius historiam est persecutus, commemorant: eas nos brevissime indicabimus, ut opportunum Deiparae auxilium magis enitear. Anno, inquit, 1112. Deo peccatis hominum offenso, multa evenium. In monte Castri loco ecclesia s. Valdetrudis cum toto pene oppido arsit, ecclesia s. Michaelis de periculo maris fulgurata divinitus arsit, cum aedificiis appendentibus sibi; ita Sigibertus. Sed Nauclerus uberius: Tertio, inquit, nonas Ianuarii anno 1112, tantus terrae motus suborutur ante inauditus, nam multae ecclesiae, et civitates inde subversae sunt. Leodium aquarum vi immensam cladem est passa: visae sunt sanguineae nubes, magnum incutientes hominibus terrorem. Eodem anno die 3. Ianuarii terrae motus oppidum Rotemburgense, super Neccarum in Suetia, totaliter destructum est. Anno Domini 1113, in pago Bracarensi circa Tornacum nix tanta cecidit 9. Kalend. Maii, ut etiam sylvas fregerit. Apud Ravennam, et Parmam in agris, et infra moenia sanguis etiam cecidit Iunio mense, anno 1117. 3. Idus Decembris ad mediam noctem lucentibus stellis, coelo sereno, 14. Iunae eclipsis facta est, et contracto Orbe multis coloribus, sed maxime sanguineo pene integra hora suffusa est. 13. Kalend. Ian. prima hora noctis igneae acies a Septentrione in Orientem in coelo apparuerunt, deinde per totum coelum sparsae, plurima noctis parte, videntibus, miraculo et stupori fuerunt; haec Nauclerus: ubi illud adnotandum, eclipsim hanc praeter omnem naturae ordinem evenisse, cum nonnisi 15 die ex Astrologorum demonstrationibus contingere possit. Baronius vero (*tomo* 12. *Annal. ad annum* 1117), ex Rogerio in Annalibus Anglicanis sic habet: Apud Longobardiam, magno terrae motu facto, et ut testati sunt,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

qui novere 40, dierum spatio durante, plurima domorum aedificia corruerunt, et quod visu dictuque constat mirabile, villa quaedam praegrandis mota est repente de statu proprio, iamque ab omnibus in loco longe remoto consistere cernitur. Mediolani viri patritiae dignitatis, dum de republica tractantes, sub una residerent turri, auribus omnium vox foris insonuit, unum ex illis nomine vocans, et festinato exire rogans: quo tardante, persona quaedam apparuit, quae vocatum virum, ut egrederetur, prece obtinuit. Exeunte illo, turris repente cecidit, et omnes qui ibidem erant, casu miserabili oppressit; haec Rogerius. Ceterum in tot, tantisque cladibus in tanta prodigiorum multitudine ac varietate, quae ingentem, proximamque Dei ultionem, ac mundi finem adesse minitabantur, piissima ac benignissima Dei Genitrix, peccatorum advocata, apud Christum summum judicem, multorumque scelerum, quae in mundo tunc grassabantur, iustum vindicem sua intercessione, se veluti murum firmissimum opposuit: quod quidem grandi miraculo Deus mundo testatum esse voluit, auctore Dodechino Germano, qui circa haec tempora vixit, cuius haec sunt verba: Anno 1117. in octava sancti Joannis evangelistae terrae motus bis inter diem, et noctem tam terribilis per totum Orbem terrarum factus est, ut multa aedificia corruerent, et homines vix effugerent; sed maxime in Italia, ubi tam periculosus et horribilis fuit, ut manifestum Dei iudicium super se homines expectarent, cum per diversa loca Italiae, civitates, castella, villae cum hominibus inibi commorantibus, subito hiatu terrae deperirent; nam et montes scissi sunt, et flamina, terra degluttiente exsiccata sunt, ut qui vellent, pedibus transire possent. Nec non fluvius Padus de alveo suo se erigens, in modum fornicis, in altum se extulit, ut via pateret inter aquam, et terram, et aperte daretur intelligi, quod clatis fluctibus mundo exitium minaretur, cum sic diutius aqua penderet: tandem in semeligsam tanto sonitu demitittur, ut murmur illius per milliaria audiretur. His tam mirandis, tanquam tremendis signis circumquaque divulgatis, et tribus diebus in ieiuniis, et orationibus per totam Italiam ab omnibus peractis, apud Cremonam quidam infantulus, in cunis iacens, pannis obstrictus, in primam loquendi vocem contra naturam os aperuit, matremque suam escas parantem fratri suo maiori, qui plorando panem petiverat, a corporis curis compescuit, asserens, sibi visam Dei Genitricem Mariam, ante tribunal Christi stantem, instantissimique precibus pro iudicio, quod mundo propter peccata sua dare intenderat, ipsi supplicantem, ac post haec depos it eloquium, usque ad tempus humanae conditioni congruum. Haec autem tanta et tam horribilia mirabilia hi, qui viderunt pericula mortis, vix evaserunt, et non sunt compuncti, nec gratias egerunt Deo pro evasione sua; qui vero audierunt tam stupendum signum, non glorificaverunt Deum, sed indurati in malitiis suis maiora peccata prioribus addiderunt: nam hoc eodem anno multa perpetrata mala, coniurationes iniustae, incendia, homicidia, concremationes ecclesiarum, et abstractiones bonorum inibi Deo servientium; sed maxime in partibus Galliae, ubi cives contra cives consurgunt, et sibi non consentientes capiunt civitates, castella, domus, villas destruunt, incendunt, homines non humano, sed pecudum more dilaniant atque interimunt. Bis etiam hoc anno eclipsis lunae facta est, scilicet 16. Kalend. Iulii, et tertio Idus Decembris. Mirabile quoque signum 17. Kal. Ianuarii in coelo apparuit, variis coloribus permixtum; haec ille. Quae omnia Thomas Bozius de signis Ecclesiae (*lib.* 24. *cap.* 5) non minus pie, quam erudite persequitur. Cum autem illius aetatis homines minime resipiscerent, nam inter alias Henricus IV. anno 1118. Burdinum Antipapam, Gregorium VIII. vocatum, contra Gelasium Secundum Paschalis successorem verum Pontificem erexit, novis cladibus sunt afflicti, ut videre est in appendice ad Sigibertum; siquidem praeter terraemotus, fulmina, procellas, quae anno 1118 saevierunt, Mosa fluvius iuxta Abbatiam, quae dicitur Sustula, quasi pendens in aere, fundum suum visus est desernisse; haec ibi. Ceterum infantem eo anno locutum memorat etiam Sigonius (*lib.* 10. *de Reg. Italiae ad annum* 1117) his verbis: Tertio nonas Ianuarias, Italia inaudito ante multa saecula terraemotu concussa est, quippe eius impetu moenia, templa, turresque urbium passim cum ingenti mortalium strage procubuerunt, fontes turbati, templorum lampades, nullo impellente ventorum flatu, per aerem latae; praecipue Parmae nova Basilica, Veronae aedificiorum pars maxima corruit. Hiatus item terrae in illis partibus ingentes apparuerunt, et arbores radicitus evulsae sunt. Infans locutus tristia, ac portentosa quaedam enunciavit, quin etiam 3. Kal. Februarias tremenda tonitrua, ac fulgura, quae nulla hominum meminerat aetas, creberrima immissa grandine, mortalium auribus, oculisque obiecta, rem in eam religionem adduxerunt, ut dirae aliquid calamitatis impendere homines suspensis mentibus pertimescerent; quodque pavorem animis maiorem incutiebat, eadem prodigia, ac multo tristiora ex Germania nunciabantur; haec Sigonius. Atque haec de visione Deiparae pro mundo obsecrantis anno 1117, dicta sint; nunc ad reliquas transeamus.

§. CXXXVII.

Caesarius Ordinis Cisterciensis, qui anno Domini 1222. insigne opus de miraculis conscribebat (*in lib.* 7. *cap.* 2) narrat in quadam ecclesia suae Provinciae suo tempore, dum populus sacrosanctae missae sacrificio interesset, Dei Genitricis imaginem tam vehementer sudasse, ut omnes mirarentur, et sudoris guttae matronarum peplis extergerentur. Qua de re interrogatus quidam a daemone obsessus, hoc respondit: Quid statis, inquit, mirantes? filius Mariae manum extenderat ad feriendum, quam

si ipsa non tenuisset, mundus iam minime subsisteret: ecce haec est causa sudoris; et audientes omnes territi sunt; haec ibi. Idem Caesarius (*libr.* 12. *mirac. cap.* 58) scribit, accepisse se ab Abbatibus Cisterciensibus, ex Capitulo generali revertentibus, eodem anno, quo haec scribebat, Wilhelmum quemdam Monachum Ordinis Cisterciensis, in Claravalle, cui multa divinitus revelabantur, dum oraret, raptum in mentis excessu ad Christi tribunal, ad cuius dexteram angelus cum tuba stabat, qui iussus est a Christo clangere, eiusque sonitu mundus totus non secus ac folium in arbore contremuit: cumque secundo clangere iuberetur, Mater misericordiae Deipara, sciens, si secundo tubam angelus insonaret, mundum consummandum, ceteris Sanctis tacentibus, surgens, ad Christi pedes accedit, et ut sententiam differret, ac mundo parceret, enixius orabat. At Christus Dominus mundum adeo in maligno positum dicebat, et ut laici, et ecclesiastici, tum clerici, tum monachi suis peccatis eum irritarent; ideoque sententiam differendam non esse. At Virgo Mater sanctissima instabat, ut parceret saltem propter Cistercienses suos devotos; haec Caesarius. His consonat visio illa, quae per quietem obiecta est cuidam novitio ex Ordine Praedicatorum Spoleti, quam refert s. Antoninus (3. *part. hist. tit.* 23. *cap.* 5. §. 3). Videbatur enim sibi videre Christum tanquam iratum, in maiestate sedentem, in alia vero sede collocatam Virginem gloriosam, quibus innumerabilis, nullo impellente ventorum flatu, per aerem latae; praecipue Parmae nova Basilica, Veronae aedificiorum pars maxima corruit. Hiatus item terrae in illis partibus ingentes apparuerunt, et arbores radicitus evulsae sunt. Infans locutus tristia, ac portentosa quaedam enunciavit, quin etiam 3. Kal. Februarias tremenda tonitrua, ac fulgura, quae nulla hominum meminerat aetas, creberrima immissa grandine, mortalium auribus, oculisque obiecta, rem in eam religionem adduxerunt, ut dirae aliquid calamitatis impendere homines suspensis mentibus pertimescerent; quodque pavorem animis maiorem incutiebat, eadem prodigia, ac multo tristiora ex Germania nunciabantur; haec Sigonius. Atque haec de visione Deiparae pro mundo obsecrantis anno 1117, dicta sint; nunc ad reliquas transeamus.

§. CXXXVII.

Caesarius Ordinis Cisterciensis, qui anno Domini 1222. insigne opus de miraculis conscribebat (*in lib.* 7. *cap.* 2) narrat in quadam ecclesia suae Provinciae suo tempore, dum populus sacrosanctae missae sacrificio interesset, Dei Genitricis imaginem tam vehementer sudasse, ut omnes mirarentur, et sudoris guttae matronarum peplis extergerentur. Qua de re interrogatus quidam a daemone obsessus, hoc respondit: Quid statis, inquit, mirantes? filius Mariae manum extenderat ad feriendum, quam si ipsa non tenuisset, mundus iam minime subsisteret: ecce haec est causa sudoris; et audientes omnes territi sunt; haec ibi. Idem Caesarius (*libr.* 12. *mirac. cap.* 58) scribit, accepisse se ab Abbatibus Cisterciensibus, ex Capitulo generali revertentibus, eodem anno, quo haec scribebat, Wilhelmum quemdam Monachum Ordinis Cisterciensis, in Claravalle, cui multa divinitus revelabantur, dum oraret, raptum in mentis excessu ad Christi tribunal, ad cuius dexteram angelus cum tuba stabat, qui iussus est a Christo clangere, eiusque sonitu mundus totus non secus ac folium in arbore contremuit: cumque secundo clangere iuberetur, Mater misericordiae Deipara, sciens, si secundo tubam angelus insonaret, mundum consummandum, ceteris Sanctis tacentibus, surgens, ad Christi pedes accedit, et ut sententiam differret, ac mundo parceret, enixius orabat. At Christus Dominus mundum adeo in maligno positum dicebat, et ut laici, et ecclesiastici, tum clerici, tum monachi suis peccatis eum irritarent; ideoque sententiam differendam non esse. At Virgo Mater sanctissima instabat, ut parceret saltem propter Cistercienses suos devotos; haec Caesarius. His consonat visio illa, quae per quietem obiecta est cuidam novitio ex Ordine Praedicatorum Spoleti, quam refert s. Antoninus (3. *part. hist. tit.* 23. *cap.* 5. §. 3). Videbatur enim sibi videre Christum tanquam iratum, in maiestate sedentem, in alia vero sede collocatam Virginem gloriosam, quibus innumerabilis angelorum, et Sanctorum multitudo aderat: cumque Christus praecepisset legi bona mundi, quae quidem inventa sunt pauca, similiter et legi mala, quae prae nimia multitudine audire fastidivit; subito, inquit sanctus Antoninus, totum mundum, tanquam pallam unam, Christus furiose arripuit, eumque inferius cum impetu magno proiiciens, dixit: Cum iudicatur, exeat condemnatus. Quod cum praedictus novitius tremebundus aspiceret, voce magna exclamavit, dicens: Sancta Maria succurre miseris. Ad cuius voces protinus pia Virgo Maria surrexit, et proiectum mundum propria manu recollegit, et dixit: Sine fili mundum, quem proprio sanguine redemisti, adhuc iudicare, quia iam misi praedicatores meos, ut mundum ad te revocarent; haec s. Antoninus: qui etiam addit, ad vocem illius novitii terrae motum subsecutum fuisse in ea urbe, ita ut plurima aedificia corruerint, et homines, et mulieres ea nocte de civitate exierint, et Fratres ad vocem illius accurrentes, cum penitus quasi insensibilem invenerunt: quam visionem magistro suo in hora mortis narravit, et in ipso novitiatu in magno spiritus fervore animam Deo reddidit; haec ex s. Antonino.

§. CXXXVIII.

Idem s. Antoninus (4. *part. summ. tit.* 15. *cap.* 2) refert admirabilem quandam Deiparae apparitionem, qui orbi terrarum periclitanti, ac summopere laboranti subvenisse se perspicue declaravit. Cum enim anno Domini 1399. Christus Dominus, propter hominum scelera, universum terrarum orbem, in tres partes dissectum, quasi delere in animum induxisset, in cuius rei signum iusserat quendam rusticum tres panes, quos habebat, in fontem immergere, Virgo sanctissima in specie venerabilis cuiusdam matronae ei se ostendit ad fontem illum, probibuitque quo minus eos immergeret. Verum ille iterum, ac tertio rediit ad Christum, a quo demergere illos iubebatur: tandem uno in aquam demerso, reliquos, iussu Virginis, reservavit, quae nimirum suis precibus filium a suscepto consilio, sententiaque dimoverat. Mox rei totius significationem rustico aperuit, eique mandavit, ut ad filii iram mitigandam, ubique supplicationes instituerentur ab hominibus candidis lineis indutis, et ut omnes e peccatorum coeno per poenitentiam emergerent, atque ad bonam se frugem reciperent; quod cum ille ubique evulgasset, tantus animorum consecutus est motus, tanta morum, vitaeque mutatio, ut idem s. Antoninus (3. *part. hist. tit.* 22. *cap.* 3. §. 32) fuse illa referat: narrat enim omnes mares, et foeminas, laicos, clericos, et religiosos huiusmodi supplicationes instituisse, ieiuniis, et precibus per eos dies vacasse, dissidentium animos reconciliatos, sacrae confessionis, et Eucharistiae sacramenta crebrius usurpata, et similia pietatis signa edita; additque rem fuisse prorsus mirandam, et quasi incredibilem: Nisi, inquit, oculis nostris vidissemus. Veram porro fuisse hanc visionem fructus animorum ex illa consecutus, quo homines ad imminentem mortem praeparararentur, declaravit: anno enim sequenti, qui fuit 1400. pestis ubique grassata, tertiam fere hominum partem absumpsisse dicitur; haec s. Antoninus.

§. CXXXIX.

Caesarius Monachus in valle s. Petri: Beatissimam Virginem Mariam tantopere dilexit Engelbertus Coloniensis Archiepiscopus, ut ad eius laudem quartis quibusque feriis ieiunaret; et cum iam esset electus Antistes, negotiis impediri non potuit, quominus eadem Virgini sacram in sublimi rupe sitam, Amaloris saxum vulgus appellabat, amoris divini flammis incensus inviseret. Religiosis hominibus tantum honorem habebat, ut longe apparentibus, quamvis ignotis, assurgeret, quos ipsos ita alloquebatur verecunde, ut eorum famulus esse videretur. Sacerdoles egenos de sua scutella sorbere, de patina edere, deque poculo bibere vel repugnantes, invitosque cogebat. Qui enim beatissimae Virginis verus, et perfectus est cultor, in eo humilitatem excelsam invenire necesse est, praegrandemque virtutem, cuius fuit magistra Deipara.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ÓRGANO GENERAL DE BIBLIOTECAS

§. CXL.

Iacobus Vitriacus cardinalis episcopus multae doctrinae de vita huius Mariae refert: Maria Virginis templum, ad duo milliaria dissitum Oegniacensis Maria nudis pedibus, saevissima rigente hyeme, quotannis invisebat. Quod iter flexuosum, ac difficile, sibique ignotum, una ancilla comite, sine ullo errore, praevio divino lumine, fecisse dicitur. Et quidem illo peregrinationis die nihil cibi degustabat. Ubi pervenisset eo, totam noctem in aede Virginis vigil et precans exigebat. Die postero ad vesperam ieiuna perstabat. Revertebatur domum, nullo neque incommodo corporis, neque itineris de via deflexit, reducentibus eam angelis, quod credere par est, ac dextra, laevaque cingentibus. Quod si forte pluvia impenderet, vestisque nulla suppeteret, quae imbres posset excipere, in coelum suspiciens stellas quasdam videbat, quasi morigeras, quibus pluviam avertentibus, inter effusos imbres, siccis vestibus, et pluvia intactis, ad proprias aedes remigrabat. Intra lucis, tenebrarumque decursum, quo naturalis diei spatium, orbisque conficitur, millies, et centies genua inflectens, Virginem salutabat, deinde psalterium totum stans perlegebat, et ad singulos psalmos, plicatis genibus, beatissimae Virgini salutationem angelicam offerebat. Religiosae cuidam viduae aegrotanti, beatissimam Dei Matrem assidentem vidit, et quasi flabello caloris aestum quo fatigabatur, humanissime refrigerantem. Cumque ex huius ipsius viduae infirmissimo corpore anima felix exisset, eandem Dei Matrem vidit, stipatam virginibus, quae in choros divisos psallebant, et corpus circumlimitabant, exequias celebrantem, mortalique presbytero, viduae funus faciente, summum quoque sacerdotem Christum, cum coelestium comitatu, eidem viduae parentantem aspexit, militanti huic nostrae Ecclesiae consonante illa, quae gloriosa in coelo triumphat. Quidam sacerdos, a medicis desperatus, ad Oegniacensis Mariae preces confugerat, ipsaque nocte in somnis videre sibi visus est presbyter ille Dei Matrem ad se venientem, qua recedente, convalnit. Pro quodam concionatore, quem in tanto, talique munere perfectum esse cupiebat, Deum, beatissimamque Virginem aliquot diebus precabatur, illoque ipso, verba ad populum faciente, Dei haec ancilla, domi suae, centenas salutationes dicebat angelicas. Morti vicina triduum, clara, contemptaque voce cantare non intermisit, atque Deiparae angelorum, et caelitum celerorum laudes, cygnea voce modulari. Quin et sancta sensa Scripturae cum numero, et metro canebat, neque, dum sententia occurreret, carmenve metrica lege concluderet, expectabat. Omnia tum composita, tum disposita in mentem veniebant, optimorumque versuum ingentem numerum fundebat ex tempore. Fuitque triduanus hic cantus, neque diebus, neque noctibus interruptus, perpetuae in coelo modulationis initium.

§. CXLI.

Sur. de vitis ss. mensis Maii: Annum gerens aetatis suae tertium, matrem Bernardinus amisit, cum pater Tollus, et Diana matertera, pro aetatulae illius capta, bonis moribus informabant, inque tenerrimi pueri animo sacrosanctae Virginis pietatem, et religionem inserere conabantur. Cum vero triennio post et ipse pater obiisset, Diana utriusque parentis curam munusque supplevit, orbumque puerum religiosissimis praeceptis, ac monitis erudivit; utque sanctissimam Dei Matrem intimo amore diligeret, totisque viribus honoraret, ac coleret, hortari non destitit. Monita Bernardinus haud surdis accepit auribus, et Virginem sacratissimam religione coluit singulari; cuius imaginem, quae extra Senensis urbis portam nomine Camolliam insigni pictura fulgebat, diebus singulis invisens, beatissimae angelorum Reginae ferventissimis se precibus commendabat. Eius amore se captum dicebat, in ea proxime, et secundum praepotentem Deum spem omnem, atque fiduciam collocabat, illam se quaerere, optare, expetere, et quam in terris videre non posset, desiderii leniendi causa, eius effigiem frequenter visitare. Huius historiae scriptor Bernardinus apud Surium de concionante Bernardino narrat se audivisse, cum diceret: Ego Bernardinus beatissimae Virgini me totum ab ineunte aetate devovi, in eius natalitiis feriis natus, baptizatus sum: illo ipso recurrente die monasticum habitum, completis annis legitimae aetatis, indui, ac me anno post solemni divi Francisci instituti professione devinxi, in iisdem nascentis Virginis feriis immaculati Agni hostiam ad altare sacrificii incruenti primitiis immolavi: multis igitur nominibus sedulum Virginis me oportet esse cultorem. Negat hic idem Bernardinus Bernardini historicus, quendam se audivisse, qui de beata Virgine, ac Dei parente libentius, alacrius, ardentius, copiosius, eruditius, ac saepius pro concione dissereret: castitatis diligentissima custodia declaravit, cuius tuendae causa matronae restitit in abdito, ac secreto loco vehementer instanti, et ni pareat, vociferaturam, vimque sibi ab eo parari clamaturam minitanti; sed auxilio tamen, subsidioque Virginis ita se Bernardinus gessit, ut et laqueo pedem solveret, et insidianti, insanientique foeminae, seque turpiter venditanti, mederetur.

§. CXLII.

Petrus Ribad. (*lib. 3. c. 17. de vita huius Iacobi*): Cum in sacro Tridentino Concilio quaestio illa gravissima de originali peccato, cuius expers fuit Virgo sanctissima, agitari coepta esset, Iacobus Lainus Soc. Iesu Antistes, seu Praepositus generalis, et ex Romani Pontificis doctoribus unus sententiam rogatus, quod eum quartana febris graviter angeret, pro argumenti dignitate loqui se posse negat; sed tamen suam utcumque dicturum esse sententiam pollicetur, et quam brevissime propter morbi molestiam loquuturum. Itaque in suggestum ascendit; sed praeter spem, et opinionem firmis lateribus agit, tresque integras horas in Virginis defensione consumit, quam ab omni originis vitiatae labe puram fuisse exquisitis testimoniis, rationibusque disseruit. In ipso autem orationis suae fine robustiorem se sensit, quam cum exorsus esset dicere. Eam ille in tanta morbi gravitate fortitudinem clementissimae Dei Matri referebat acceptam, pro cuius immunitate pugnavisset. Quamobrem sancta Synodus, sacerque ille orbis terrae senatus, persuadente potissimum Laino, honorifica illa de Virgine concepta decrevit, et Sixti IV. Constitutionem confirmavit.

§. CXLIII.

Greg. Turo. Episcop. (*libr. in honorem plurimorum Martyrum*): Famae, et inopiae providet Deipara, atque huius vitae bona suppeditat: Hierosolymis monasterium fuit beatissimae Virginis nomini, tutelaeque devotum, etc. Imperatorum liberalitate clarum. Sed rerum tamen, ac temporum mutatione factum est, ut monachis non modo hospitibus, et peregrinis necessaria deesseat: id cum semel atque iterum accidisset, coenobitae sunt facti tristiores, nam penuria moerorem, moeror querimoniam, querimonia vociferationem peperit, religiosis moribus alienam: ergo ad Abbatem curritur, ab eo cibos exigunt tumultuosius, quam deceret, et famem extremamque esuriem vultu, et voce testantur: aut provide, inquiunt, aut si non poles, quemque nostrum egredi sinito, ut alius alibi ad vitam alendam cibaria perquirat. Minas admonitionibus iungunt, ac se, ni fores laxet, Abbate inconsulto, recessuros denunciant. Necessitatis imminentis, ut priora, sic etiam potiora esse iura, debere labenti naturae in primis esse occurrendum, frustra disciplinam requiri, ubi discrimem est vitae. Desperantibus, atque ex famis rabie, quae malorum extremum est, insanientibus, bonus Abbas ita respondet: oremus, precemurque charissimi, et dominator ille summus accurret: neque enim fieri poterit, ut nos triticum in eius monasterio deficiat, quae mundo pereunte vitale granum ex utero protulit virginali. Vigilantibus ex praescripto Abbatis, ac tota nocte psallentibus, mane horrea monasterii usque adeo tritico redundarunt, vix ut ostium aperiri granarii posset. Longe post tempore cum eiusdem coenobii incolas similiter cibus defecisset, preces, et vigilias Abbas indixit; cumque in templi virginei pavimento strati noctem in precibus hymnis, et canticis exegissent, post matutinas precationes, et religiosas excubias fessi fatigatique dormissent, ecce ibi Dei angelus vim auri ingentem super altare constituit, templi foribus obseratis. Cum autem Abbas ad sacrificium celebrandum cum suis omnibus surrexisset, aurumque vidisset, num quis esset ingressus e ianitore, quaesivit: negat ianitor templum cuiquam externo patuisse; quo audito, creditoque, erat custos ipse liminis sacri fide dignissimus, Abbas stupore detentus est, et monachi vehementer admirati, coelesteque munus, et in extrema inopia tale subsidium agnoscentes, Deo, ac Deiparae ingentes gratias agunt, habent matores, seque perbeatos arbitrantur, quibus monasterii patrona talis obtigisset.

§. CXLVI.

Surius (*de vita Sanctorum*): Quinque, et viginti annos Albertus Cuspiniensis coenobii monachus in sua cella permansit, ex quibus viginti duos sine pane traduxit, herbis, radicibusque contentus, viginti nullum omnino potum degustavit. Reliciendi panis occasio haec fuit. Ex perpetuis imbribus tanta aliquando, tamque metuenda tempestas intumuit, ut in cellula Albertus velut obsessus teneretur; cumque ad eum alendum pascendumque continentibus pluviis penetrare nemo posset, Alberti animus dupliciter angebatur, et quod panis deesset vitae alimentum, et quod rem divinam audire non posset, et panem de coelo missum adorare nequiret. Quamobrem beatissimam, sempiternamque Virginem Mariam nocte quadam auxius, et moestus appellavit, utque sibi in tantum adducto discrimen subveniret, supplex, humique stratus oravit. Dumque fusis animo precibus fessus, ac tristis obdormisset, ecce per visum adest benefica Mater cum virginibus pulcherrimis, quas tamen coeli Regina, et forma, et proceritate vincebat. Foeminas ut vidit, humana crudelitate ductus: Si vos, inquit, praesensissem, ex monasterio repulissem. Indignantem, et quod introgredi ausae essent, acriter obiurgantem, divina Mater interpellat: desine frustra moveri, ego sum Dei Genitrix, quam tam amanter invocasti, quid a me igitur vis? cui ille: succurre mater in his, quibus me vides egere. Hoc audito, misericordiae, et benignitatis fons, ex fonte Christo, Deipara, panem in os Alberti porrexit; quo ita recreatus, refectusque est, ut domesticum hunc panem, quo vivimus, nunquam deinceps requisierit: illa etiam de sacris non auditis, quae animum angebat, consolante Virgine, cura consedit. Rei divinae diebus festis audiendae necessitatem temporibus metiendam, et casibus eam tolli repentinis: qui si incidunt, curandum esse, ut vitae sanctitas quoddam sit altaris ac Missae supplementum. Albertum ita vivere debere, ut eius actiones quaedam esse sacra videantur. Virginis et ante, et post hoc beneficium studiosus veneratur Albertus centenis genuflexionibus diebus singulis utebatur. Quoties autem genua curvabat, toties salutationem angelicam vultu ad pietatem, religionemque composito proferebat.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

§. CXLV.

Gregorius presbyter in vita, quam de suo Magistro Theodoro scripsit, narrat: Mirabilem Theodorum, Archimandritam, id est eorum Praefectum monachorum, qui in speluncis habitabant, quo mundus erat indignus, perditissimi quidam veneno perimere statuerunt: quo ille imprudenter epoto, triduum sine sensu iacuit, ita ut de eius morte rumor increbesceret, quae inimicis laetitiae, amicis numero pluribus, sententia melioribus, moeroris ingentis causam erat allatura. Extremo die tertio, exanimi Theodoro beatissima Dei Mater apparuit, quae scelerratissimis, insidiosissimisque parricidis exitium comminata, Theodoro a mortis fauciibus ad vitam revocato, et morbi causam, et veneni auctores patefecit, ut eos vel vitaret, si nocere persisterent, vel resipiscentes, flagitiique pertaesos, ad saniora consilia traduceret; quin etiam terna Theodoro adversus toxicum medicamenta porrexit, quibus quasi pilulis affectam bilem perpurgaret, comede, inquiens, et nihil mali residebit in venis, quod te magnopere turbare queat. Theodorus mortifero somno solutus grates egit servatori Christo, atque eius parenti funestae aegritudinis curatrici. Amicis qui gratulatum deinde venerant, deliquii causam, morbique detexit; veneni tamen spargendi artifices nequaquam nominavit, quos ut ulciscereturo, tantum abfuit, ut eorum potius salutem assiduis precibus immortali Deo commendarit: tales enim vel esse, vel fieri necesse est, quibus se Dei benignissima Mater ostendit; quam Theodorus et ante, et post hanc mirabilem sanitatem summis elebat honoribus, in eiusque vel monasterio, vel oratorio, quantum poterat, morabatur; quos autem curasset, vel curaturus esset, in Mariae Virginis sacello preces fundere iubebat, et gratulabundos permanere. Et cum aliquando quadragesimam in Deiparae monasterio suo more traduceret, monachus nomine Dionysius horrei custos ad eum venit moestus, quod triticum defecisset; cui Theodorus, farinae, inquit, reliquias in vasculum coniectas, atque collectas affer ad me: facit extemplo. Tum Theodorus, animadversa eiborum paucitate, precatus est Deum, ut et monachis, et hospitibus, qui plurimi convenire solebant, agebantur ramorum feriae, quas externi frequentabant, praebere dignaretur annonam. Deinde ad Dionysium conversus, farinae, inquit, vasculum super altare sanctissimae Virginis pono, Deus nobis, remitte istam curam de pectore, suppeditabit alimenta. Postridie quam haec Theodorus praedixerat, triginta Cypreae naves onustae frumento ad monasterium appulerunt. Eidem Sozopolitanam Mariae Virginis aedem ingressuro, ubi divino munere oleum ex sanctissimae Deiparentis manabat imagine, daemon ex energumeni paralytici ore convitia querelis mista iactabat. Ille, daemone obiurgato, paralyticum in ipso templi aditu, et signo crucis, et oratione sanavit. Post in celeberrimam Christi Matris aedem intravit, olei fluentis fama pernobilem: ibi manibus in crucis figuram expansis, suas sacrosanctae Virgini preces suppliciter offerebat, et in salutari, atque olivifera Dei Matris imagine oculorum aciem defigebat, cum repente oleum effervescens in Theodori oculos iaculando resilivit, orantisque faciem, luminaque conspersit, iis, qui viderant, acclamantibus, magnum Dei esse servum Theodorum.

§. CXLVI.

Pratum Spirituale (*cap.* 27): Alexandrinus quidam civis priscis illis temporibus vixit, qui pietate erga Deum, beneficentia adversus egentes, maxime praestitit. Idem monachos hospitio accipiebat, benigneque tractabat. Erat huic uxor cum aliis virtutibus, tum vel maxime christiana modestia, et quotidiano clara ieiunio. Habebat filiam sexennem, dulce pignus amborum, communeque vinculum. Et cum Constantinopolim negotiandi causa marito necessarium iter instaret, quo expeditior esset, domi uxorem relinquit, et filiam, iis tamen servum adhibuit, qui domestico famulatu suae dominae solitudinem redderet leviorem. Conscensa iam nave, discedentem maritum uxor blande compellans: Cui nos, inquit, amice commendas; Dominae nostrae, excipit ille, Deiparaeque sanctissimae te, et filiam tuam supplex, gemensque commisi, secura esto, nihil mali patiere. Interim non longo intervallo, cum die quadam pia coniux de more quieta sederet, et manibus laboraret, ipsique adesset matri puellula, nequam ille servus, daemone subdente faces, in animum induxit matrem, et filiam perneciare, compilataque domo aufugere; igitur, sumpto ex culina cultro, se ad matris, et filiae secretum coeclave proripuit. Ut autem ianuam eius cubiculi, ubi erat hera, subiit, subita caecitate impeditur, quominus et in matris, et filiae recessum penetret, et ad culinam revertatur. Cumque hora perstitisset, ac frustra pedem inferre conatus esset, heram vocat, utque gradum accleret, incunctanter exclamat: illa, quod tandiu in ostio consisteret admirata, caecitatisque inscia, tu potius accede, respondet. Miser servus suum illud, veni hora, congeminat, et Dominam gravi obtestatione compellat: illa se iterum surrecturam pernegat. Servus religiosis obsecrationibus Dominam ut accedat, urgere persistit: iurat matrona, sui se fore persimilem, insolentia, ac novitate offensa. Saltem huc mitte puellam: nequaquam, sed ipse veni, si quid forte opus est, vel ista in insueto otio efflatire desinito. Servus ubi nihil profici videt, cultro se percutit, et cadit vulneratus: exclamat, vociferaturque matrona, facinore exterrita, cuius praesaga non fuerat. Accurritur partim a vicinis, partim ab ipsis urbani praetoris ministris. Qui cum de servo expirante rem omnem comperissent, Deum immortalem summis laudum praeconiis extulerunt, qui matrem, et filiam Deiparae concreditas, atque commissas servavisset.

§. CXLVII.

Ioannes Eviratus (*in prat. spirit. cap.* 62): Monachorum pater Leontius, sanctae Dei Genitricis obsequio dedilissimus, annos quadraginta ab eius nunquam templo recessit, constantiam, et pietatem remunerante Deipara: fuit enim mirae gravitatis, et sui custodia persistens, quas virtutes mira quadam modestia condiebat: nam erga egentes misericors, qui et pauper esset, et caecus ei eleemosynam porrigebat: sin autem, qui egebat, oculis captus non esset, stipem in loco ponebat, unde inops acciperet, visamque desumeret, videlicet, aut in scamno, aut in basi ipsa columnae, aut in sacelli gradibus propalam collocabat. Interrogatus a quodam sene, cur non sua manu esset misericors, respondit non esse, qui daret, sed Virginem templi patronam, egenorumque fautricem: ita gloriae illius contemptor fuit, quam bene merendo homines consequuntur, et Virginem honoravit, cui, quod dabatur, attribuit: etenim Deiparae laudem quaerebat, spectabatque Leontius, a qua virtutibus ornabatur.

§. CXLVIII.

Honorius (*serm.* 1. *de Assumpt.*), Petrus Damianus (*serm.* 1. *de Nativ. Virg.*): Iustiniano Imperante, Theophilus florait Ecclesiae oeconomus, vel ut alii, Archidiaconus Adonae urbis in Sicilia, cuius tanta erat vel gratia, vel sanctitas, ut mortuo urbis illius Episcopo, populi universi consensu ad Pontificatum sit Theophilus postulatus: quod tamen ille munus constantissime repudiavit, negans eum se esse, qui Ecclesiam gubernare posset, et gregi commisso commode providere. Quoniam virtutis, et quae virtutem, velut umbra corpus, sequitur gloriae comes, solet esse invidia, Theophilus ab inimicis, et adversariis iniuste accusatus, et falsis criminibus circumventus, de illo est oeconomiae delectus officio, quem dignum episcopatu paulo ante populus iudicasset. Theophilus non tulit iniuriam, quam Christi, et Sanctorum exemplo ferre debuisset, in eamque efferati animi rabiem, impotentiamque devenit, ut hortante quodam Iudaeo magiae dedito, a Christo, eiusque Matre purissima, syngrapha data, defecerit, et sacrosanctae fidei catholicae desertorem publicum egerit, ac se totum imperio satanae devoverit, quem satanam oculis vidit perfidiosis, quem diximus Iudaei artibus excitum, et nefariis cautionibus evocatum. Quid agat miser Theophilus, quondam tam fortis, et abstinens, thiaraeque pontificiae contemptor, nunc in imum miseriae fundum, barathrumque delectus? aestuat, furit, insanit, nullo in loco consistit: in tantis angoribus, tantaque animi perturbatione nubilo coelo conserenante, paulisper ad Dei Matrem confugere statuit, quae desperatissimis quibusque morbis, ac malis mederi consuevit. Ubi in templum Mariae perpetuae virgini sacrum intravit, ieiuniis corpus attrivit, misericordiaeque parenti preces obtulit, animo coepit esse meliore. Verba haec fuere Theophili deplorantis, flagitium agnoscentis, et Virginem appellantis: Domina mea, solatium meum, spes unica mea, cui angelus benedixit, humani tutela generis, et omnium, quotquot ad te confugiunt, portus, et anchora, fave, succurre, subveni, meque omnium, quos terra tulit longe deterrimum, miserere? scio equidem, quanto me facinore obstrinxerim, qualem et tibi, et ex te genito filio iniuriam intulerim, gravissimi teterrimique sceleris reum me esse confiteor, sed intimo animi sensu dolentem, gementem, perfidiam execrantem Deipara suscipe, tuo me filio siste, ubi conservatoris mei Christi iratum animum ad benevolentiam, lenitatemque deduxeris, qui nunquam sinit se a sua matre frustra exorari: miserrimi Theophili preces exaudi, quem veterator premit antiquus, tenet captivum. Flet, ciulatque detestandi foederis recordatione Theophilus, querelis omnia complet, atque suspiriis, faciem verberat, humi cubat, et in virginei templi ieiunus haeret pavimento, ad Dei parentis conversus effigiem, te, inquit, mater alma, quam ista nobis proponit imago, te proxime, et secundum Deum adiutricem et advocatam, qui peccavimus, habemus, ad te aspiciens intacta illa servabo atque integra, quae tibi vota nuncupo: neque enim post Deum remedium quaeri potest aliunde, nisi a te, quae sola restas, ut nobis sis saluti, quos angit sceleris conscientia gravissimi. In hac Virginis aede sanctissimae dies Theophilus quadraginta permansit, nullumque orandi, lamentandi, patrociniumque Mariae Virginis implorandi finem faciebat. Tandem verberum, precationis, ieiunii, perseverantisque fiduciae fructus apparuit: nam Theophili lacrymosae preces ita Virginem exoraruit, ut nefarium illud chirographum, quod sua manu Theophilus exararat, sigillo consignarat, daemonique tradiderat, de manu deceptoris extortum Virgine adiuvante receperit, metumque posuerit: tabellis namque, ut aiunt, obsignatis cum Theophilo agere, et cum chirographo convincere tenebricosus iam ille non poterat; posteaquam ad Theophilum scheda redivit, in qua fidei horribilis, nefariaque inficiatio legebatur. Cumque animi vere poenitentis documenta dedisset, et per Episcopum reconciliatus esset Ecclesiae, eo sanctitatis, celsitudinisque pervenit, ut in Sanctorum numerum relatus adscriptusque sit.

§. CXLIX.

Thomas Campensis (*lib. de vit. Lubert. hui.*): Cum pestilentia in Belgio quam plurimos stravisset Dei permissu, etiam Lubertum virum doctum et pium Deiparae Virginis amatorem vulneravit: ille qua erat pietate, et religione sese comparat ad bene et beatae morienddum, litterasque ad amicos dat, hortans, ut ad expiatorium ignem ardentesque illas flammas proficiscenti, sibi suveniant: sacrificia, precesque pro mortuis et privata orandi, piacandique Dei officia poposcit, nihilque omisit ex

iis, quae iter illud facientibus salutaria esse et opportuna solent. Fratres suos, et convictores domesticos advocavit, quibus astantibus pro erratorum venia in genua procumbens, supplicavit, si quid offendisset, sibi ab eo, qui laesus aut esset, aut sibi videretur offensus, remitti postulavit: a publica scelerum et confessione, et enumeratione, quae videlicet, antequam se in religiosam disciplinam dedit, in libero mundo et perfidae aetatis aestu commiserat, minime temperavit. Fratresque suos ad fletus et lacrymas tanto, tamque insolito demissionis exemplo promovit. Florentio suo in Christo patri, et verae magistro philosophiae, qui tum forte aberat, se per litteras commendavit, quas sui accusationibus, criminationibus, convitiisque complevit. Quid ego membrorum debilitatem, animi angores, in tam dira lue morbi, cruciamenta, horrores et spectata commemorem? Nam diabolus sub persona cuiusdam fratris et collegae, qui paulo ante e vita migrarat, in varios errores Lubertum inducere conabatur. At Lubertus in re tali sanctissimam Dei Matrem, cui erat deditissimus, frequenter implorabat, Hieronymum etiam, Papamque Gregorium, quos intimis amabat affectibus, quosque inde a pueritia patronos elegerat, sibi adesse petivit. Instat daemon teterrimus, inque uno Deo spem omnem defigi oportere, Mariam, ceterosque coelites invocari non debere, ad morientis aurem insusurrat, Psalmorumque vocalem usum, quo se moriens recreabat, Lutheri pater, et mendaciorum architectus dissuadet. Quae de Virgine Maria, de Sanctis, deque Psalmorum interdicto impudentissime mentitus est daemon, Lubertus minime tulit, qualemque consiliarium nactus esset, ex protervitate verborum intellexit, veteratoreque cum convitiis repulso, a David coram versuum pronunciatione non destitit. Virginem Virginum, cuius erat amantissimus, multo inclamavit ardentius: Hieronymum, et Gregorium appellavit alacrius. Tempestatem sequuta tranquillitas est, et beatissimae Matris, quod expetierat, sensit auxilium, mortisque posito metu, cupiebat dissolvi, et esse cum Christo. Cumque hora iam appropinquasset, quam vehementer optaverat, se ipse erexit, nemine fulciente, manusque supplices tendens, illa exclamavit: in gloria, in bonitate tua, in misericordia suscipe. Mirabiliaque se vidisse professus, Mariam credo adiutricem, tutoresque angelos, coram suis Fratribus animam emisit, et in Domino feliciter obdormivit.

§. CL.

Hieronymus Platus (*de bon. stat. relig. lib. 2. cap.* 33): Magnus etiam fuit per ea tempora Hermannus, cognomento Contractus, cuius doctrina eo admirabilior fuit, quod etiam insigni miraculo adeptus est: ita enim scriptum est, hunc in Suevia ex nobili Comite ortum, ab ineunte aetate omnibus membris captum fuisse, atque ob eam causam nomen illud, quod diximus, Contracti accepisse; quare cum monachus factus esset, multis precibus beatam Virginem rogare instituit, ut se eo morbo liberaret. Illa vero clara luce se ei visendam praebens, optionem obtulit, utrum e duobus mallet, sanus ne fieri, sed ut erat rudis, et indoctus permanere, an perseverare in morbo, et in omnibus scientiis insignis evadere. Cum autem Hermannus, ut debebat, hoc posterius praetulisset, ab eo tempore mirabiles progressus in omni genere literarum facere coepit, adeo ut neminem in his superiorem, etiam aequalem habere crederetur: ac nominatim tres linguas, Latinam, Graecam, Hebraicam ita callere, ac si in eis natus esset. Itaque etiam illud additur, valde eum semper devotum fuisse Deiparae Virgini, eiusque opus esse antiphonam illam, Salve Regina, ita celebrem in omni officio Ecclesiastico decantare.

§. CLI.

Thomas Campensis (*lib. de illustribus Florentii discipulis*): Beatissimam Virginem Arnoldus Hollandus studiosissime coluit, quam ob causam matutinas Deiparae preces antelucano tempore recitabat, sonante horologio eandem verbis salutabat angelicis. Pietatis fructus castitate integra constituit, et petendae ac retinendae religionis constantia mirabili. Cum enim suis aequalibus et religiosae cuiusdam familiae, ad quam aspirabat, sese rectori valde probasset, tamen praefectus explorandae consilio virtutis, periclitandaeque patientiae, cum, qui latine sciret, quique iuvenes, senesque permultos verbis, et factis, a vitae licentia ad Christi obedientiam traduxisset, apud ludi magistrum formare litteras iubet, versarique cum pueris. Arnoldus boni patris obsequutus imperio, scribendi artem, quasi nihil omnino sciret, denuo coepit addiscere. Dum quietae vitae petitor est, et religionis candidatus, omnia Christianae pietatis praestat officia: nam quotidianae vel lectioni, vel scriptioni in schola futurae pucrili orationem praemittebat, quodque opus precationem inchoarat, precatione claudebat, aut ante et post quotidianum illud scribendi pensum in aedem sacram oraturus intrabat, nihilque, quamvis minimum, scienter omittebat. Ergo Deo charus, et hominibus, annique tentatus, et exercitatus spatio, annuente rectore Florentio viro sancto in Daventrienre collegium, vitae perfectae illa tempestate domicilium admittitur. Quo optato impetrato, Arnoldus quasi denuo conversus, longe in Dei obsequio processit: illud idem velle ac nolle semper est visus, quod Rector ipse vellet, aut nollet. Florentii sui moderatoris omnia et dicta, et facta meminerat mirabatur, observabat. Senex, provectaeque aetatis, pueri cui flexibilis est animus, cum facilitate, tum maxime simplicitate pollebat. Suspiciones iudiciaque vitabat, nec quae vitiosa, tetraque vidisset, de illis temere quidquam statuebat. Infimum locum libentissime tenuit, terrae imitatione, quae et imo residet, et se pessumdari, conculcarique sinit: itaque honoribus sic offendebatur,

ut alii solent iniuriis irritari. Fratrum amantissimus, eorum molestias, laboresque pro sua virili parte relevabat: laborandi et patiendi ita cupidus, ut adeo aeger tertio ante mortem die, lectum sibi ipse straverit, ne aegrotantium adiutori toties negotium exhiberet. Quare sacris omnibus rite procuratis, nihil perturbatus omnino, sed in Dei acquiescens voluntate, cessit e vita: non enim illius mors misera esse potest, cuius beata vita fuit, et Mariae matris cultu glorianda. Ad hunc locum pertinent miracula, et onera stupenda valde, quae ad invocationem beatissimae Virginis Mariae apud Tungros Camberones, et Servios in Hannonia, ac Dominam gaudiorum in Picardia affulsere ab anno 1081. ad annum 1605. et quinque libris comprehensa Coloniae sunt edita anno 1607. Huc etiam referri debent beneficia, et miracula divae Virginis Hallensis, et divae Virginis Sichimensis a Iusto Lipsio duobus libris descripta: item miracula patrata Laureti in agro Picaeno, quae Horatius Tursellinus eleganter enarravit.

§. CLII.

Ex miraculis beatae Virginis apud Tungros cap. 21. Anno 1220. Domino Petro Tornesio Abbate Cisonii vita functo, dominus Ioannes Ladhemius vir qua religione, qua vitae sanctimonia celebris, in demortui locum a capitulo est electus. Quae res Dominum Theodoricum de Auchi male habebat, qui nihil non tentabat, omnemque quod aiunt, lapidem movebat, tum promissis, tum muneribus, ut ad eam dignitatem proveheretur. Etsi vero eam ambitiose prosecutus est, tamen, quod neque capax, neque idoneus esset, passus est repulsam: fugit enim gloria persequentes, qui umbram dumtaxat, et speciem virtutis in se contuentur. Ac cacodaemon, accenso in eius viri animo ambitionis igne, abominabile quid ei suggessit. Proditorie enim hic Theodoricus colludit cum electi ministro, adscito quoque alio nebulone, secreti conscio, quorum opera de nocte, Ladhemii cubiculum ingreditur: quem dormientem, annexo ad collum laqueo, suspendit e lacunari cubilis, fortiter premit, et strangulat, et mortuum demittit, eumque intra thori lintea recondit, pendente ad collum fune; hinc cum sceleris affinibus recedit, obseratis cubiculi foribus. Porro bonus hic Antistes, lethales sentiens angustias, sese Deo commendarat, et nostrae Dominae Tungrensi, quam singulari affectu prosequebatur. Exorta luce proxima, quae eius benedictioni erat destinata, mirari omnes coeperunt, quod ad aedem sacram non veniret: ad cubiculum concurritur, fores pulsantur, aures attentae praebentur, et nihilum responsi quidem accipitur. Quaeritur minister perversus, imo iam homicida maledictus, qui clavi ianuam patefaceret; at ille Tornacum effugerat. Fractum est ostium, mortuus in lecto invenitur cum fune ad collum alligato. Dominus Theodoricus affirmat eum desperasse, sibique necem conscivisse: pergit ambire dignitatem, asserens Ladhemii electionem a Deo reprobatam, unde se potius eligendum contendebat. Interim cadaver ad locum affertur capitularem: super lugubrem pannum deponitur, et cooperitur, donec sacrum divinumque officium foret completum: iuxta corpus manet novitius quidam frater Petrus a Belliolo, defuncti nepos, 13. annos natus. Nola vero consecrationis corporis Christi praeambula sonante, puer in has voces erupit: O domine Ladhemi mi avuncule, placeat Deo, et Virgini Matri animam tuam recipere, o avuncule, avuncule, quanto moerore propter mortem tuam conficior. Quibus dictis, en sibi res stupenda nimis. Mortuus quippe, ceu a graviore somno excitus: Gaude, inquit, mi nepos, non sum mortuus. His auditis, puer et metu occupatus, et gaudio ebrius, properat ad chorum, et magna voce clamat: Non est mortuus avunculus meus, mihi iam nunc locutus est. Religiosi quasi amentes, et prorsus attoniti, ad praefatum capitularem locum dicto citius advolant, et praedictum Ladhemium offendunt, honeste panno contectum, flexis genibus orantem Deum: quem illo ipso schemate ad chorum adducunt, retulitque iis se Tungris venisse, ibique accepto ad usum breviario, et veste pastoris, qui magister, et divus Ioannes Nazaretus dictus est, sacrum fecisse ad altare beatae Virginis; in cuius rei testificationem se ibidem funem, quo strangulatus fuerat, reliquisse. Quod superest, nescisse, an in spiritu tantum, an in spiritu, et corpore simul id contigerit. Qui autem aderant, iam insolita narratione stupefacti, diligenter in rem totam Tungris inquirunt. Omnia reperiuntur veritati consona. Latrones comprehensi, convicti, et commerito supplicio affecti. Divus Ladhemius, designato loco, stallum vocant, accepta benedictione, factus est Abbas Cisonii. Provinciam illam ad annos unum et triginta cum laude administravit. Evolutis a benedictione diebus duodecim venit pari numero religiosorum comitatus, nudis pedibus, omni cum humilitate gratias acturus beatissimae Virgini. Tungris ad triduum demoratus, praedicari fecit hoc miraculum, et populum alloquens: ego, inquit, is ipse sum, cui tantam gratiam beatissima Virgo contulit: agamus illi pariter omnes quam maximas possumus gratias: flectamus reverenter genua, confitentes nos tantis indignos favoribus. Tandem Abbatialem mitram, et pedum de sui conventus et capituli consensu nepoti suo iam memorato resignavit. Quo facto, sedem et domicilium Tungris delegit, ubi ad sexennium vixit, miro semper beatissimae Virginis amore flagrans, in cuius servitium, et loci decorationem erat propensissimus.

§. CLIII.

Ibidem capite 23. Anno 1259. die Aprilis 18. quidam Petrus Montius, incola pagi Baulliae, domum rediens sub vesperum trucidatus fuit grandi malleo per fabrum quendam

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

iis, quae iter illud facientibus salutaria esse et opportuna solent. Fratres suos, et convictores domesticos advocavit, quibus astantibus pro erratorum venia in genua procumbens, supplicavit, si quid offendisset, sibi ab eo, qui laesus aut esset, aut sibi videretur offensus, remitti postulavit: a publica scelerum et confessione, et enumeratione, quae videlicet, antequam se in religiosam disciplinam dedit, in libero mundo et perfidae aetatis aestu commiserat, minime temperavit, Fratresque suos ad fletus et lacrymas tanto, tamque insolito demissionis exemplo promovit. Florentio suo in Christo patri, et verae magistro philosophiae, qui tum forte aberat, se per litteras commendavit, quas sui accusationibus, criminationibus, convitiisque complevit. Quid ego membrorum debilitatem, animi angores, in tam dira lue morbi, cruciamenta, horrores et spectata commemorem? Nam diabolus sub persona cuiusdam fratris et collegae, qui paulo ante e vita migrarat, in varios errores Lubertum inducere conabatur. At Lubertus in re tali sanctissimam Dei Matrem, cui erat deditissimus, frequenter implorabat, Hieronymum etiam, Papamque Gregorium, quos intimis amabat affectibus, quosque inde a pueritia patronos elegerat, sibi adesse petivit. Instat daemon teterrimus, inque uno Deo spem omnem defigi oportere. Mariam, ceterosque coelites invocari non debere, ad morientis aurem insusurrat, Psalmorumque vocalem usum, quo se moriens recreabat, Lutheri pater, et mendaciorum architectus dissuadet. Quae de Virgine Maria, de Sanctis, deque Psalmorum interdicto impudentissime mentitus est daemon, Lubertus minime tulit, qualemque consiliarium nactus esset, ex protervitate verborum intellexit, veteratoreque cum convitiis repulso, a David coram versuum pronunciatione non destitit. Virginem Virginum, cuius erat amantissimus, multo inclamavit ardentius: Hieronymum, et Gregorium appellavit alacrius. Tempestatem sequuta tranquillitas est, et beatissimae Matris, quod expetierat, sensit auxilium, mortisque posito metu, cupiebat dissolvi, et esse cum Christo. Cumque hora iam appropinquasset, quam vehementer optaverat, se ipse erexit, nemine fulciente, manusque supplices tendens, illa exclamavit: in gloria, in bonitate tua, in misericordia suscipe. Mirabiliaque se vidisse professus, Mariam credo adiutricem, tutoresque angelos, coram suis Fratribus animam emisit, et in Domino feliciter obdormivit.

§. CL.

Hieronymus Platus (*de bon. stat. relig. lib. 2. cap.* 33): Magnus etiam fuit per ea tempora Hermannus, cognomento Contractus, cuius doctrina eo admirabilior fuit, quod etiam insigni miraculo adeptus est: ita enim scriptum est, hunc in Suevia ex nobili Comite ortum, ab ineunte aetate omnibus membris captum fuisse, atque ob eam causam nomen illud, quod diximus, Contracti accepisse; quare cum monachus factus esset, multis precibus beatam Virginem rogare instituit, ut se eo morbo liberaret. Illa vero clara luce se ei visendam praebens, optionem obtulit, utrum e duobus mallet, sanus ne fieri, sed ut erat rudis, et indoctus permanere, an perseverare in morbo, et in omnibus scientiis insignis evadere. Cum autem Hermannus, ut debebat, hoc posterius praetulisset, ab eo tempore mirabiles progressus in omni genere literarum facere coepit, adeo ut neminem in his superiorem, etiam aequalem habere crederetur: ac nominatim tres linguas, Latinam, Graecam, Hebraicam ita callere, ac si in eis natus esset. Itaque etiam illud additur, valde eum semper devotum fuisse Deiparae Virgini, eiusque opus esse antiphonam illam, Salve Regina, ita celebrem in omni officio Ecclesiastico decantare.

§. CLI.

Thomas Campensis (*lib. de illustribus Florentii discipulis*): Beatissimam Virginem Arnoldus Hollandus studiosissime coluit, quam ob causam matutinas Deiparae preces antelucano tempore recitabat, sonante horologio eandem verbis salutabat angelicis. Pietatis fructus castitate integra constituit, et petendae ac retinendae religionis constantia mirabili. Cum enim suis aequalibus et religiosae cuiusdam familiae, ad quam aspirabat, sese rectori valde probasset, tamen praefectus explorandae consilio virtutis, periclitandaeque patientiae, cum, qui latine sciret, quique iuvenes, senesque permultos verbis, et factis, a vitae licentia ad Christi obedientiam traduxisset, apud ludi magistrum formare litteras iubet, versarique cum pueris. Arnoldus boni patris obsequutus imperio, scribendi artem, quasi nihil omnino sciret, denuo coepit addiscere. Dum quietae vitae petitor est, et religionis candidatus, omnia Christianae pietatis praestat officia: nam quotidianae vel lectioni, vel scriptioni in schola futurae pucrili orationem praemittebat, quodque opus precationem inchoarat, precatione claudebat, aut ante et post quotidianum illud scribendi pensum in aedem sacram oraturus intrabat, nihilque, quamvis minimum, scienter omittebat. Ergo Deo charus, et hominibus, annique tentatus, et exercitatus spatio, annuente rectore Florentio viro sancto in Daventriense collegium, vitae perfectae illa tempestate domicilium admittitur. Quo optato impetrato, Arnoldus quasi denuo conversus, longe in Dei obsequio processit: illud idem velle ac nolle semper est visus, quod Rector ipse vellet, aut nollet. Florentii sui moderatoris omnia et dicta, et facta meminerat mirabatur, observabat. Senex, provectaeque aetatis, pueri cui flexibilis est animus, cum facilitate, tum maxime simplicitate pollebat. Suspiciones indiciaque vitabat, nec quae vitiosa, tetraque vidisset, de illis temere quidquam statuebat. Infimum locum libentissime tenuit, terrae imitatione, quae et imo residet, et se pessumdari, conculcarique sinit: itaque honoribus sic offendebatur, ut alii solent iniuriis irritari. Fratrum amantissimus, eorum molestias, laboresque pro sua virili parte relevabat: laborandi et patiendi ita cupidus, ut adeo aeger tertio ante mortem die, lectum sibi ipse straverit, ne aegrotantium adiutori toties negotium exhiberet. Quare sacris omnibus rite procuratis, nihil perturbatus omnino, sed in Dei acquiescens voluntate, cessit e vita: non enim illius mors misera esse potest, cuius beata vita fuit, et Mariae matris cultu glorianda. Ad hunc locum pertinent miracula, et onera stupenda valde, quae ad invocationem beatissimae Virginis Mariae apud Tungros Camberones, et Servios in Hannonia, ac Dominam gaudiorum in Picardia affulsere ab anno 1081. ad annum 1605. et quinque libris comprehensa Coloniae sunt edita anno 1607. Huc etiam referri debent beneficia, et miracula divae Virginis Hallensis, et divae Virginis Sichimensis a Iusto Lipsio duobus libris descripta: item miracula patrata Laureti in agro Picaeno, quae Horatius Tursellinus eleganter enarravit.

§. CLII.

Ex miraculis beatae Virginis apud Tungros cap. 21. Anno 1220. Domino Petro Tornesio Abbate Cisonii vita functo, dominus Ioannes Ladhemius vir qua religione, qua vitae sanctimonia celebris, in demortui locum a capitulo est electus. Quae res Dominum Theodoricum de Auchi male habebat, qui nihil non tentabat, omnemque quod aiunt, lapidem movebat, tum promissis, tum muneribus, ut ad eam dignitatem proveheretur. Etsi vero eam ambitiose prosecutus est, tamen, quod neque capax, neque idoneus esset, passus est repulsam: fugit enim gloria persequentes, qui umbram dumtaxat, et speciem virtutis in se contuentur. Ac cacodaemon, accenso in eius viri animo ambitionis igne, abominabile quid ei suggessit. Proditorie enim hic Theodoricus colludit cum electi ministro, adscito quoque alio nebulone, secreti conscio, quorum opera de nocte, Ladhemii cubiculum ingreditur: quem dormientem, annexo ad collum laqueo, suspendit e lacunari cubilis, fortiter premit, et strangulat, et mortuum demittit, eumque intra thori lintea recondit, pendente ad collum fune; hinc cum sceleris affinibus recedit, obseratis cubiculi foribus. Porro bonus hic Antistes, lethales sentiens angustias, sese Deo commendarat, et nostrae Dominae Tungrensi, quam singulari affectu prosequebatur. Exorta luce proxima, quae eius benedictioni erat destinata, mirari omnes coeperunt, quod ad aedem sacram non veniret: ad cubiculum concurritur, fores pulsantur, aures attentae praebentur, et nihilum responsi quidem accipitur. Quaeritur minister perversus, imo iam homicida maledictus, qui clavi ianuam patefaceret; at ille Tornacum effugerat. Fractum est ostium, mortuus in lecto invenitur cum fune ad collum alligato. Dominus Theodoricus affirmat eum desperasse, sibique necem conscivisse: pergit ambire dignitatem, asserens Ladhemii electionem a Deo reprobatam, unde se potius eligendum contendebat. Interim cadaver ad locum affertur capitularem: super lugubrem pannum deponitur, et cooperitur, donec sacrum divinumque officium foret completum: iuxta corpus manet novitius quidam frater Petrus a Belliolo, defuncti nepos, 13. annos natus. Nola vero consecrationis corporis Christi praeambula sonante, puer in has voces erupit: O domine Ladhemi mi avuncule, placeat Deo, et Virgini Matri animam tuam recipere, o avuncule, avuncule, quanto moerore propter mortem tuam conficior. Quibus dictis, en sibi res stupenda nimis. Mortuus quippe, ceu a graviore somno excitus: Gaude, inquit, mi nepos, non sum mortuus. His auditis, puer et metu occupatus, et gaudio ebrius, properat ad chorum, et magna voce clamat: Non est mortuus avunculus meus, mihi iam nunc locutus est. Religiosi quasi amentes, et prorsus attoniti, ad praefatum capitularem locum dicto citius advolant, et praedictum Ladhemium offendunt, honeste panno contectum, flexis genibus orantem Deum: quem illo ipso schemate ad chorum adducunt, retulitque iis se Tungris venisse, ibique accepto ad usum breviario, et veste pastoris, qui magister, et divus Ioannes Nazaretus dictus est, sacrum fecisse ad altare beatae Virginis; in cuius rei testificationem se ibidem funem, quo strangulatus fuerat, reliquisse. Quod superest, nescisse, an in spiritu tantum, an in spiritu, et corpore simul id contigerit. Qui autem aderant, iam insolita narratione stupefacti, diligenter in rem totam Tungris inquirunt. Omnia reperiuntur veritati consona. Latrones comprehensi, convicti, et commerito supplicio affecti. Divus Ladhemius, designato loco, stallum vocant, accepta benedictione, factus est Abbas Cisonii. Provinciam illam ad annos unum et triginta cum laude administravit. Evolutis a benedictione diebus duodecim venit pari numero religiosorum comitatus, nudis pedibus, omni cum humilitate gratias acturus beatissimae Virgini. Tungris ad triduum demoratus, praedicari fecit hoc miraculum, et populum alloquens: ego, inquit, is ipse sum, cui tantam gratiam beatissima Virgo contulit: agamus illi pariter omnes quam maximas possumus gratias: flectamus reverenter genua, confitentes nos tantis indignos favoribus. Tandem Abbatialem mitram, et pedum de sui conventus et capituli consensu nepoti suo iam memorato resignavit. Quo facto, sedem et domicilium Tungris delegit, ubi ad sexennium vixit, miro semper beatissimae Virginis amore flagrans, in cuius servitium, et loci decorationem erat propensissimus.

§. CLIII.

Ibidem capite 23. Anno 1259. die Aprilis 18. quidam Petrus Montius, incola pagi Baulliae, domum rediens sub vesperum trucidatus fuit grandi malleo per fabrum quendam

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

murarium, cui nomen Flamminius Hanninsus, natum annos 24. Haec caedes tam secreto perpetrata est, ut nulli innotuerit; quibusdam tamen indiciis, et coniecturis verisimilibus imputata est Matthaeo Nigro, et Ioanni Cartonio eiusdem pagi incolis, quod paulo ante tres illi inter sese confixerant iuxta hospitium cervi in foro Cherviae, verbis ultrimque minacibus; maxime autem ab istis duobus, qui se a nominato Petro laesos querebantur. Unde hoc iniuriarum fundamento, apprehensi fuerant per Praetorem, et Senatum Cherviae, adeoque acriter habiti in tortura, ut confiterentur se auctores caedis, quo sic vitae et intolerandis cruciatibus finis imponeretur. Ex hac confessione extorta, capitis damnati sunt, idque sequenti die, qui Iunii erat 12. Cumque e domo civica, ubi lata erat in eos mortis sententia, ingrederentur ad carceres, audierunt pulsum campanae ad completorium apud Tungros: unde factum est, ut ex intimis praecordiis cum gemitibus et lacrymis b. Virgini, innocentiae matri se commendarent, protractis precibus in horam noctis 12. prout audiverunt, carceris custos, carnifex Montensis et satellites, iis audiendis mire delectati. Quo facto dormiunt; in aedicula Tungrensi se esse somniant, Deum precantes coram imagine sanctissimae et pientissimae afflictorum patronae. Somnium et oratio felicem exitum sortita sunt, ita ut summo mane sub auroram custos aedis, aperturus portas, invenerit viros duos, ferro catenatos in vestibulo cubantes, gravi somno oppressos, apud quos territus clamat, versat, percutit, ut excitet, sed frustra, donec plures alios ad se invandum vocasset. Aeditnus vehementer percutit, donec tandem experrectos videt; at illi existimantes carnificem esse, veniam petebant. At aeditnus, et qui cum eo erant, interrogarunt eos quinam essent, quisve eos ad istum locum adduxisset? At ipsi sese adhuc in carcere esse existimantes, responderunt, se esse miseros illos captivos, de quibus hodie Cherviae supplicium sumendum erat. Cumque intelligerent se Tungris esse ante fores aedicuiae, miro gaudio, alacritate, et incredibili stupore affecti sunt. Inducuntur in aediculam b. Mariae, ubi statim ferrea vincula ex ipsorum pedibus, et manibus exiliérunt, idque praesente populo illic congregato, qui non modice gavisus est, ac Deo Virginique misericordiae matri gratias egit: hoc factum innotuit Cherviae. Visitantur carceres, quos vectibus, et pessulis obductos inveniunt, sed carceris custodem conficiunt in vincula, quasi qui captivis carceris fores aperuisset. Interim Praetor et Magistratus solicitati Tungros veniunt, comitati uxoribus et liberis captivorum, item propinquis amicis, et vicinis, ac liberis uxoris defuncti Petri Montii, magnoque populi comitatu omnes insigne hoc miraculum audiunt, omnesque unanimi consensu in Dei, beataeque Virginis laudes prorumpunt, captivis declaratis liberis. Quod agnoscentes illorum uxores tanta laetitia sunt perfusae, ut quasi extra se raptae, in terram corruerent: vix ullo in ipsis vitae indicio superstite; maxime vero uxor Ioannis Nigri, quae sic per tres horas affecta est, et tanquam mortua, delata ad imaginem beatae Virginis. Quamobrem maritus eius sese humi prosternit, ac devotissimae sacrae Virgini supplicat, ut quemadmodum illi ab imputata caede innocentes erant, sic miserae coniugi suae vitam restituat, et liberationis suae gaudium duplicet: et ecce illico ad sese sana, et incolumis redit. Porro Flaminius, caedis auctor, captus amore cuiusdam puellae Cheroviensis, cui nomen Anna Boveberio, Nicolai filia 18. annorum, eam 8. Octobris insequentis abduxit, ut eadem luxuriose abuteretur, sublatis clanculum Nicolai pecuniis: quod ut resciit, eos persecutus est. Cumque puella Ormegium pervenisset, ad viam, quae Tornacum ducit, partim metu, partim synderesi perculsa, Tungros revertitur ad cognatam quandam suam, cuius ope puella postea patri suo reconciliata est; at nebulo tabernam cerevisiarum adiit, ubi a Senatu Tungrensi captus, et quaestioni admotus, pecuniam reddidit, confessusque est, se Petrum, de quo supra meminimus, occidisse, sed et aliam caedem patrasse Aldenardi; quo etiam nomine inde exulaverat. Prinsquam moreretur, ab uxoribus, et liberis Petri, ac Matthaei Nigri, et Ioannis Cartonii supplex veniam petere voluit: sic igitur de illo sumptum ibi supplicium.

§. CLIV.

Ex libro de miraculis b. Mariae Virginis apud Tungros in Hannonia. Anno 1215, pestis saevissima Athum oppidum, ut et omnia vicina loca invaserat, eratque ibi mulier peregrinatrix ad Tungros, nomine Nicolaa, quae nihil sibi metuebat a pestilentia, quod beatae Virginis bonitate subnixa esset, et inscripta albo sodalitatis eius apud Tungros: quo fiebat, ut vicinos, et amicos suos incitaret ad votum peregrinationis Tungrensis. Persuasit hoc quam plurimis, qui cum suis domesticis a peste immunes extiterunt, et ad Tungrensem aediculam peregrinatione suscepta, actisque deinde beatissimae Virgini gratiis, sese peregrinorum et sodalium catalogo inscribi fecerunt. Et hoc rumore totum per oppidum sparso, civium animi pia devotione ac devota pietate mirabiliter fuerunt inflammati. Quae res loci pastorem permovit, ut publicam ac solemnem processionem ab Atho ad aediculam Tungrensem populo novis delibato gaudiis induceret. Ventum est eo non sine magna pietatis significatione, sacrisque caeremoniis. Auditus est praeco ille divini verbi Ioannes Regius, modo commemoratus, qui tantam credulae plebis animis ingeneravit fiduciam de favore, et auxilio Dei per beatissimae Virginis merita obtinendo, si modo serio ad Dominum converterentur, ut inde salutaris admodum successus et laetus eventus prodierit. Ab eo enim tempore vindex Dei manus exarmata est, et horribile Dei flagellum in oppido iam nominato conquievit, ita ut exinde nullus omnino cuiuscunque demum aetatis fuerit, pestilentiae morbo sit sublatus. Insigne hoc, et evidens miraculum nusquam non innotuit, unde et alibi populi similem veraeconversionis viam sunt ingressi.

§. CLV.

Cyrillus Monach in vita Sabae. Procop. (*lib. 5. de aedificiis Iustin.*): Abbas Sabas ad Iustinianum Imperatorem missus orator quidquid postulavit, obtinuit. Post Palaestinis cansam dixit, quos Samaritani iniuriose tractaverant, monasteriis, quae ipse multa fundaverat, propugnacula turresque poposcit, hostium quippe patebant incursibus. Haereticorum falsa dogmata, primo Imperatorio edicto, dein severo, si delirare pergerent, supplicio puniri, ac vendicari petivit. Deiparae templum ab Aelia patriarcha Hierosolymitano aedificari coeptum, ut consummaretur, optavit. Caesari, si rogata faceret, remunerationem ab immortali Deo, qui fandi et nefandi memor est, minime defuturam. Nec Sabae non rata praedictio. Nam cum ei suorum legato Iustinianus non modo acquiesset, sed etiam prope obtemperasset, Palaestinos tributis relevasset, haereticos funditus eiecisset, praesidiis monasteria firmasset, Deiparae templum ab Aelia inchoatum ita perfecisset atque exornasset, ut Cyrillo, Procopioque testibus simile nullum inveniretur, ac proinde ob singularem, et nunquam aliàs visam operis artem, venustatem, nova quaedam ac inaudita diceretur ecclesia; multasque praeterea toto orbe in laudem eiusdem foecundae Virginis, immensi operis basilicas apparasset, universa politus est Africa, quam Wandali Romanis ereptam annos 65 possederant, et Romam recepit amissam. Romam, inquam, Gothis ademptam, subditionem, imperiumque subiunxit, eiusque claves accepit, simulatque Petri claves in Papa Vigilio recognovit. Africam vero illius causa petierat. Nam Theodosio Imperatore Arcadii filio, cum Nestorio sacrosanctae Virginis acerrimo hoste, dissimulante agenteque remissius, etsi enim Archiepiscopatu privatus est, tamen in monasterio s. Euprepii libere cum quovis agere, congredique permissus, multos infecit, sequuta est ultio divina. Siquidem et Africam tertiam mundi portionem Wandali occupaverunt, et Constantinopolitana civitas triduano exarsit incendio. Quid enim tam accusabile in principe, non quidem haeretico, dissoluto tamen, quam ut Nestorius post Concilii damnationem toto quadriennio in monasterio clausus, variis et multis, quod affirmat Evagrius, muneribus afficeretur, et pro carcere delicias inveniret? Attamen Iustinianus ultor haeresis, et intactae Virginis magnus amator recuperavit Africam; et quamdiu sanus esse voluit, pietatis fructum tulit uberrimum, immo Dei sancta Parens, et Iustinianus Imperator visi sunt quodammodo mutuis officiis decertare: nam cum hic adversus improbissimos Nestorianos Mariae summum omnium titulum defendisset, quo vera Dei Mater appellata, vicissim ipsa rependit, ut orbis teneret imperium, quamdiu sancte vixit, et se catholicum praebuit, prosper fuit, fluxereque res ad voluntatem; ubi vero se extulit, et audiens dicto Rom. Pontificis esse noluit, ad ima depressus est, et cum primum perturbare coepit Ecclesiam, assentirique Theodorae coniugi, seque mali principis corroboravit audacia, odio esse iis coepit, a quibus cum saperet, laudabatur. Itaque repentina est morte sublatus, et, ut credit Evagrius, detrusus in inferos. Cum iunior Iustinus vastari a Persis audiret imperium, ad conciliandum sibi Dei numen, synagogam, quae erat Constantinopoli, Iudaeis ereptam, ac rite expiatam, Dei nostri sanctissimae Genitricis esse fecit ecclesiam, fuitque huius unius solum templi auctor, Iustiniano plurimorum architecto longe felicior: nam cum morti iam vicinus, mente desineret, ac prorsus deliraret, resque imperii in summum esset adductae discrimen, misericordiae Mater, indicii, ac sensus integritatem sanitatemque restituit. Ergo Tiberium religione ac virtute praestantem, maximo cum reipublicae bono imperii successorem nominavit, et cum eo paterne locutus quid faceret, quid contra defugeret, sapienter salutariterque praecepit: et cum Iustinus hic principio bonus, sese contaminasset in fine, pecuniarumque avidissimus multos bonis, et fortunis eversos perdidisset, veluti, ne se in avaritia saeviliaque pravis adulatorum consiliis abductus sequeretur: illud etiam Tiberium his verbis admonuit, ne sis superbus, et non peccabis. Licuit auxiliante quoque Deipara, peccata confiteri, et quidquid deliquisset, se audienti aperire presbytero: ita unius fabrica templi catholici, et se quamvis sero corrigenti Iustino felicior fuit, quam Iustiniano, iam multae, quas homines tandem haeretici, et omnia corrumpentis in fine, et constantiae et puritatis amantissima Virgo non videtur accepisse.

§. CLVI.

Fulbertus (*in li. de vita, et moribus s. Auberti Cameracensis Episcopi*): Galliae rex Dagobertus Autberti Cameraci Praesulis fama incitatus, regali fastu deposito, ad eum supplex adibat, illiusque sermonibus ac monitis docilem animum, attentasque aures non sine totius regni administratione praeslabat. Episcopi hospes erat assiduus, ex unius congressu, alloquio, consiliis, et ex illa crucis consignatione Pontificis, quam benedictionem appellamus, incredibilem animo voluptatem capiebat; Autbertique manum suo capiti admoveri omnia fausta feliciaque precantis, et trinum unumque Deum invocantis, in maximis bonis rex inclytus numerabat, sanctaeque illius amicitiae perpetuitatem cunctis anteponebat: idque agebat, ut a praeclaro sanctoque Antistite quotidie magis amaretur. Et vero quidam Autberti intimus regem sic affatus est aliquando: Si vis charus esse Pontifici, quod te velle praetefers, illi ecclesiae, quae beatissimae Virgini dedicata est, quam fert Aubertus in oculis, bona, et possessiones augeto, illius templi do-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

na Episcopo cordi esse, non laborare de ceteris. Rex intellecta Episcopi, quem maxime diligebat, voluntate, Fratribus, qui duce Auberto, in oratorio, ut vocant, beatissimae Virgini ministrabant, locupletissimum vectigal attribuit ad humanos usus, et vitae subsidia. In hoc autem d. Matris domicilio nobilis quidam puer, nomine Laudinus, ab ipso Autberto eductus atque educatus, maximam sui expectationem concitarat. Enimvero astutus ille serpens eo magis Laudinum afflatu pestifero inficere instituit, quo illum videret esse meliorem. Itaque, exacta puericia, in qua custode Pontifice, perfidi hostis effugit insidias, contubernalium, et sociorum consuetudine depravatus, occultaque mali daemonis machinatione devictus, a suo et alumno, et praeceptore defecit, monasterioque deserto, principio miles, post factus est latro, et latro, quem nemo teter audacia, nemo saevitia, nemo rapacitate vincerat aut superaret. Et quoniam metuebat, ne ipso nominis indicio a suis posset generosis parentibus inveniri, tacito Laudini proprio nomine, Manrosum se voluit appellari. Haec monstra ubi ad sancti et paedagogi, et magistri Autberti aures venerunt, acerbo est fletu juvenem prosequutus, diabolique et audaciam, et eius matrem invidentiam detestatur: pro deperdita illa ove bonus pastor assidue precabatur, non ignarus, orationis quam arma sint forlia. Et operis quidem fructum consequutus est uberrimum: nam cum divitis cuiusdam domum nocte Maurosus deripere statuisset, ad eamque rem, et furti socios advocasset, et necessaria instrumenta paravisset, unus ex furibus, dum scalae admoventur, ascendit incautius, et mortuus subito concidit, cuius animam, poenas horribiles apud inferos patientem, Dei singulari misericordia Laudinus inspexit, et ab angelo, ut respiceret, admonitus, quem angelum Autberti preces, et lacrymae Deo mittente, e coelo devocarant, ad sanitatem remigravit, seque s. Pontifici Autberto restituit, cui post asperrimum vitae genus, postquam inundantes lacrymarum fluvios, sic se bonus ille Dismas latro probavit, ut iubente Autberto, monachatum sacerdotio coniunxerit, et se utroque munere dignum exhibuerit. Ut autem superioris vitae flagitia virtutibus corrigeret, et malefactis beneficia compensaret, in illis fisdem locis, ubi latronum receptacula latronum ipse dux antesignanusque construxerat, religiosorum monasteria fundavit, et quos antea scelerum socios habuerat, eosdem rerum divinarum atque coelestium consortes participesque delegit. Nec dubium, quin Dei Matris optimae atque excellentissimae, in cuius monasterio fuerat educatus, praesidium invocatioque profuerit. Has enim admirandas morum ac vitae conversiones a suo unigenito Filio Deipara implorata, et simpliciter appellata consequitur. Dagobertus vero etiam ad restituendam Argentinensem ecclesiam, quae Deiparae Virgini devota erat ac dedicata, oppidum Bubiacum, totamque in circuitu ditionem pro sua liberalitate donavit. Neque labori praemium defuit: siquidem mulierosum et parum in castitate constantem hunc Francorum regem haec in Virginem et coelites pietas a purgandis flammae dirissimis poenis, ut regis Ludovici pii testimonia intelligere licet, liberavit.

§. CLVII.

Metaphrastes (*in vit. sanct*): Nobilibus orta parentibus, Oeginaeque insulae civis Athanasia in tenera aetate viro nupsit, quem bellantem Martis vis perculit, et ira victoris; allerique collata est, qui, Athanasiae hortatu, ad monasterium Virginum aspirantis, monasticum vitae genus elegit, ipsaque coniugali soluta vinculo, in coenobio sacrarum Virginum immortali se sponso devovit, cuius non multo post Antistita facta est ob vitae dignitatem. Cumque opibus abundaret, tria mirandi artificii templa constituit, unum gloriosissimae Deiparae, alterum Ioanni Baptistae, tertium divo Nicolao, cui ob misericordiam in egentes praecipua quadam religione serviebat: nam similis simili gaudet, et quae hospites, peregrinos, viduas, pupillos, pauperumque vulgus omne protexerat, misericordis memoriam Nicolai pio cultu prosequebatur. Cum vero necessitas quaedam urgeret, et Constantinopolim concedere necesse esset, septennium in regiae urbis quodam monasterio commorata, exulem se dicebat, quod a templo Virginis, quae Deum pepererat, abesse cogeretur. Haec lugenti, lamentantique Athanasiae, virginalis illius templi, quod amabat, ac requirebat, in quodam mentis recessu, extasim Graeci dicunt, fores patere sunt visae, simulque audita vox, quae illuc inberet introire. Igitur ad se rediens, et visa auditaque retractans, ex ingrata urbe migravit, desideratamque sedem avidissime repetivit, ubi post breve tempus mortis, vel potius immortalitatis admonita, sese ad obitum summa animi sui laetitia comparabat. Aderat festus dies assumptae in coelum Deiparae, cum Athanasia suas virgines monuit, ne quicquam eorum, qui triumphantis Mariae ferias dicerent, funeris causa relinquerent, sed festae lucis religione, ac caeremonia in primis procurata, corpusculum, haec eius fuere verba, terrae mandarent. Nihil sacrae sorores extra praescriptum. Et quia coeli reginam Athanasia vivens, mortuaque dilexit, et studiosissime coluit, regalis ei amictus est datus, corona imposita capiti, gemmatoque sceptro manus honestatae. Hoc etiam Athanasiae tribui, duae ex sacro illo numero virgines, quadragesimo post suae Antisitae mortem die, ex divina quadam visione cognoverunt.

§. CLVIII.

Damascenus (*orat. de dorm. Virg.*), Simeon Metaphrastes (*orat. de ort. educ. et dec. Mar.*), sanctus Augustinus Senensis (*in Troad. de Achil. Pel. vulner. et son.*), Surius (*in vit. s. Don. Ep. Caenom. de vit. s. Mati*): Vir quidam, opibus

et nobilitate praestans, sua vero sorte non contentus, in villam, Christi Matris cultui dedicatam, atque devotam, cui Dannolus praeerat, praeclarus Antistes, forenter invaserat, et eam sibi cum summa ecclesiae pernicie, ac civium offensione vindicarat. Sacrilegum hunc Tyrannum Dannolus, ut respiceret, sibi caveret, et ad frugem reciperet, admonebat. Ut nihil agi videt, ad Deum se convertit orandum, utque divinum suum nomen ostenderet, exoravit, nefariamque hominis audaciam accusat, qui bona, olim ad expiationem animarum Ecclesiae a fidelibus donata, et tributa, et rapere ausus est, et reddere appellatus, rogatusque renueret. Interim sacrilegus divina animadversione febrem patitur, cuius vi, atque aestu, sine ulla intermissione iactatur. Nihilo sanior effectus ablata retinet, neque fertilis villae possessionem cedit. Cumque febris arderet, et lecto affixus teneretur, nocte quadam praepotentis Dei Matrem, cuius res, et bona usurpaverat, irruentem vidit, quae ferreo malleo, quem gerebat, pertinacis reguli frontem vulneravit. Ille nimio terrore concussus, confestim ad s. Episcopum misit, qui rogarent, ut quaecunque ex rebus b. Mariae, Deo, sanctisque Gervasio, ac Protasio dicatis, ablata essent, cum foenore, et incremento reciperent, sed reddere velle quam primum. Neque tamen prius convaluit, quam praesens Dannolus, quae erepta erant, conduplicata recuperans, pro aegrotante preces effudit; sed vulneris tamen in fronte accepti, ad rei memoriam, eruditionemque multorum, quoad dives ille vixit, impressa vestigia remanserunt.

§. CLIX.

Beatus Petrus Damianus (*lib. 6. epist. ep.* 32): Dicam et aliud, quod in praefato contigit monasterio. Statutum erat, atque iam per triennium fere servatum, ut cum horis canonicis quotidie b. Mariae semper Virginis officia dicerentur. Erat autem inter eos Gozo, habitu monachus, reprobae quidem vitae, sed dicacis, et accuratae facundiae: hic coepit conqueri satis, superque sufficere quod sanctus praecepit Benedictus, nec novae adinventionis pondus debere superponi, nec nos esse antiquis Patribus sanctiores, qui videlicet haec superstitiosa, ac supervacua indicantes, psallendi nobis metam, omnemque vivendi regulam praefixerunt. Hac sane debere nos esse contentos, ne ab illa incautius declinantes, per anfractus, et invia ducamur erronei. Quid plura? Contra Reginam mundi praeliari visus est, et confecit: ad hoc nimirum Fratres versuta machinatione pellexit, ut solitas b. Mariae laudes ulterius non offerrent. Sed o divinum iudicium, a nostrae pravitatis intuitu non dormitans: mox enim adversus praefatum monasterium tot adversitatum grandines, tot undique bellorum, atque conflictuum exortae sunt tempestates, ut ipsis quotidie monachis minaces gladii necis exitum intentarent: fiunt undique depraedationes, atque rapinae, conflagrantur cum segetibus areae familiares, ac servi sancti loci crudeliter trucidantur, et non iam imago mortis, sed mors ipsa grassatur, adeo ut taederet etiam monachos vivere, dum nequaquam possent in procinctu certaminis amicum quieti suae professionis officium custodire. Non parvis expensis, ad Teutonum partes Imperator experitur, pragmaticae sanctiones cum singulis imperialibus advehuntur, sed tantundem est. In omnibus quippe studiis non fructus, sed labor supervacuus. Unde, cum ego petitione Fratrum saepe pulsarer, quatenus sequester accederem, et si possibile esset, pacis inter eos foedera continuarem; hac rogantibus voce respondi: Christus, inquam, est pax nostra, de quo etiam de Virgine recens nato, angelitus dictum est: Gloria in excelsis Deo, et in terra pax. Quia ergo Matrem verae pacis de suo monasterio proiecerunt, dignum est, ut inquietis calamitatum tribulationumque procellis, atque turbinibus agitentur. Verum, ne lectorem diutius protraham, Fratres illi haec, quae dixeram, non dubiis erumpentibus signis, vera probantes, in arcto siti, tandem ad cor redeunt, pavimento se humiliter sternunt, ac percepta poenitentia, nunquam se de cetero negleturos solita Genitricis Dei praeconia unanimiter pollicentur. Mox itaque, ut fatear, ita post coruscos, atque tonitrua tanta coeli serenitas redii, ut ex tunc usque hodie Fratres iucundae pacis otio perfruantur, ac de scylaea voragine se delatos ad portum, gubernante filio Virginis, gratulentur. Impletum ergo est, quod per prophetam dicitur: *Revertimini ad me, et ego revertar ad vos, dicit Dominus*. Qui ergo facile seniorum suorum statuta convellunt, ista considerent, et ne divini furoris super eos gladius veniat, non sine causa formident.

§. CLX.

Nauclerus (*generat.* 34), et Trilemius (*in Chronico Hirsaugensis monasterii*), et Canisius (*lib. 5. cap.* 20) eius meminit, et fuse (*in speculo exemplorum dist. 9. num.* 175) describitur: Udo apud Magdeburgum, Parthenopolim etiam dictum, in Saxonia, inertis ingenii, et ad litteras parum idoneus, dum in ecclesia maiori s. Mauritio, eiusque sociis dicata, prostratus, Deiparae clementiam, et s. Mauritii patrocinium ad ingenii acumen obtinendum implorat, aliquantulum obdormivit. Cui Deipara apparens: Non solum scientiae, inquit, munus tibi tribuo, sed etiam post huius Episcopi mortem ecclesiam principis mei Mauritii tuae fidelitati commendo: quia si bene rexeris, praemium grande consequeris; sin autem male, in animo, et corpore morieris. Ille evigilans, in omni scientia peritissimus apparuit, et post biennium in defuncti Archiepiscopi locum cunctorum suffragio delectus, aliquantulum diu bene vixit. Post aliquod vero tempus in omne scelus prorupit, nam facultates ecclesiae dilapidabat, mulieres etiam Deo sacratas violabat. Cumque multis annis male vixisset, et quadam nocte cum Abbatissa quadam cubaret,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

vox ad eum huiuscemodi facta est: Cessa de ludo, quia lusisti satis Udo: quam ille contempsit. Sed cum sequenti, et tertia nocte cum ingenti fragore eadem vox intonuisset, aliquantulum ingemuit; verum minime resipuit. Quare post tres menses, quidam canonicus Fridericus nomine, nocte orans pro ecclesia, praesertim Magdeburgensi, vidit Christum in ecclesia, in aurea cathedra sedentem, et iuxta eum Virginem gloriosam, in alia item cathedra aurea considentem, sanctorum multitudine stipatos: cumque s. Mauritius de Udone conquestus esset, Christo iubente, a latere Abbatissae abstractus, eoque adductus est; quem s. Mauritius severius intuens, haec ad Christum: Domine, inquit, ecce iste Udo, non Episcopus, sed lupus, non pastor, sed raptor, maculator, et devorator est Dominici gregis: adiecitque Deiparam ei scientiam tribuisse, et ecclesiam Magdeburgensem commendasse, quin etiam eum tertio monitum vitam suam nequaquam emendasse. At vero Christus eum decollari praecepit: quare ab angelo capite truncatus in eodem templo male periit, sed ante decollationem multis pugnis collum Udonis valide percussit, et post quemlibet pulsum, hostia polluta per os Episcopi in calicem ab alio paratum decidebat; quas omnes coeli Regina reverenter accipiens, diligentissime lavit, et super altare cum calice ponens, recessit. Mane autem facto calicem cum hostiis in altari, et caput Udonis abscissum, ac truncum corpus, quod in suo sanguine iacebat, inveniunt: pavimentum vero marmoreum, atque candidum adeo sanguine est infectum, ut ei connaturalis videatur. In eo autem loco, ubi est decollatus, novi Episcopi ad orationem prosternuntur, ut exemplo Udonis sibi cavere discant. Canonicus vero Fridericus, qui haec omnia non in somnis, sed apertis oculis viderat, ea cunctis narravit. Contigit mors Udonis anno 985. Othone tertio imperante.

§. CLXI.

Cedrenus (*in compendio*) narrat: Cum Heraclius Imperator una cum exercitu in Perside adversus Cosrohem Persarum regem degeret, Hunni occidentales, quos Avares Thraces vocant, a Cosrohe sollicitati anno 625. Constantinopolim Imperatoris praesentia destitutam, magnis copiis terra, marique invadunt; sed Deiparae praesidio sunt servati, de quo Theophanes in annalibus Graecorum in hunc modum scribit: Avares Thraces urbi Constantinopolitanae appropinquantes, hanc depopulari parant, multis machinis adversus eam commotis; iidemque et navium sculptarum ex Istro flumine multitudine infinita delata, sinum repleverunt maris. Decem sane urbem obsidentes, bellum terra, marique gerentes, Domini virtute pariter, et cooperatione, necnon et intemeratae Dei Genitricis, et Virginis Mariae intercessionibus superati sunt; amissis vero terra, marique ingenti numero suis, magno cum dedecore discesserunt; haec Theophanes. Verum quanam ratione per Deiparam servati sint, ita ut et obsessi, et hostes hoc cognoverint, Cedrenus (*in compendio*) narrat his verbis: Tale enim quippiam hostibus accidit. Viderunt Barbari prima luce, cum sol oriretur, mulierem quandam illustrem, eunuchis comitatam, Porta Blachernarum exeuntem, Blachernis autem erat templum Deiparae celeberrimum, quo Constantinopolitani ad Deiparam confluere solebant, quam cum Heraclii opinarentur uxorem esse, et ad suum Principem ob mariti absentiam ire, pacis petendae causa, transitum ei concesserunt, subsequentem ex urbe hominum turbam ipsi adorturi. Ut vero fossae ambitum egressam, non ire ad regem viderunt, insecuti sunt eam usque ad locum, cui veteris saxi nomen est: ubi cum fere eam essent assecuti, illa cum suis ex oculis, et conspectu eorum evanuit. Ipsi autem, tumultu concitato, inter se congressi ad vesperam usque, strages mutuo ediderunt. Mane insequentis diei dux inquirens, quod maiorem suorum partem intestino conflictu periisse videret, turpiter domum rediit, statimque classis ab obsessione recessit. Quam domum revertentem, in Euxino mari oborta tempestas, ita afflixit, ut perpauci ad suos redierint.

§. CLXII.

Baronius (*in Monologio tom. 9. Annal. ad annum Domini* 717. *et* 718) affert: Anno Domini 717, qui fuit secundus Leonis Isaurici imperatoris Constantinopolitani, cum nondum ipse sanctarum imaginum cultum impugnaret, Constantinopolitana civitas trienni Saracenorum obsidione cincta, Deiparae auxilio est liberata: quin etiam duae Saracenorum classes, quarum altera ex Ægypto, ex Africa altera solverat, quibus annona ferebatur, Saracenis urbem obsidentibus, male perierunt, missis ab Imperatore contra utramque classem igniferis navibus, de quibus Theophanes. Tunc, inquit, Deo cooperante, et intercessione intemeratae Dei Genitricis Mariae, protinus submersi sunt inimici, et assumptis spoliis nostris, et expensis eorum, annona videlicet, cum gaudio reversi sunt; haec Theophanes. Erant autem naves igniferae, quae igne in classem hostium coniecto eam comburebant. Theophanes enim et Cedrenus referunt anno quinto Constantini Pogonati, qui in annum Domini 672. incidit, adinventum de novo ignem, quem Marinum vocabant, eo quod in mari arderet, sed ad obsidionem Constantinopolitanam redeuntes Saraceni, urbem obsidentes, destituti annona, fame, et peste perierunt, trucidatis ex illis a Bulgaris viginti duobus millibus. His omnibus attestatur Beda (*in fine libri de aetatibus*), et ut verbis utar Theophanis, experimento didicerunt Saraceni, quia Deus, et sanctissima Virgo Dei Mater Maria, hanc muniunt urbem. Meminit huius liberationis Constantinopolitanae, ope Deiparae factae, Gregorius Secundus Pontifex in Epistola ad Germanum, qui tempore obsidionis ecclesiae Constantinopolitanae, erat Patriarcha, quae electa est in secunda Synodo Nicaena (*Act.* 4): *Propugnatricis,* inquit, *illius sanctae, et omnium Christianorum Dominae miranda facta, quae in te declarata sunt, per quae tu quoque contra hostes servatus, non sunt reticenda. Illi enim cum insania multa tumultuarentur, tantum invenerunt in se adversitatis hostilis, quantum eorum causa iniustitiae habuit.* Neque hoc tamen mirandum est: nam si Bethulia per manus Iudith Israelitis mulieris servata est, cuius opus Holofernis erat sublatio, et per ea tempora ob id salus Israelis vocata est; quomodo non oportebat, et tuam sanctitatem, huiuscemodi propugnatrice utentem, hostibus civitatis praevalere, ipsamque victoria coronare; haec ille. Et certe cum Gregorius Pontifex de sacrarum imaginum cultu in ea agat, non abs re existimat Baronius (*tom. 9. annal.*) ad annum Domini 717, cum verbis illis significasse, venerandam Deiparae imaginem supra muros solemni ritu circumductam, et hac ratione ab imminenti periculo civitatem illam tunc liberatam. De classibus vero Saracenorum Theophanes haec subiicit. Ad haec Saraceni, qui ex obsidione superfuerant cum multa confusione, 18. Kalend. Augusti reversi sunt. Cum autem navigaret classis eorum, tempestas a Deo per intercessionem Dei Matris incumbens in illos, hos dispersit, et alios quidem eorum penes Poponnessum, et reliquas insulas; alios vero in vertigines, et ceteros demersit in aequore; superresiduos vero, cum transissent Aegeum pelagus, ex templo grando ignea decidens, aquam maris ebullire fecit, et pice liquefacta, naves simul cum hominibus inductae sunt in profundum, decem solis ex eis salvis, ad Dei magnalia, quae in ipsis facta sunt, nobis, et Arabibus annuncianda: quinque enim a nostralibus captae sunt, quinque vero salvae in Syriam deductae; ita Theophanes. Eadem habet Cedrenus. Quare quotannis pro tanto beneficio gratiarum actiones solemnes sunt decretae, quemadmodum in Monologio Basilii Imperatoris die 15. Augusti habetur, ubi etiam additur, Saracenorum Principem petiisse, ut urbem ingrederetur, eamque cerneret, pollicitus post haec inde discedere; quod cum ei concessum esset, et per portam Bosphori equo sedens intrare vellet, aliis suis sine molestia ingredientibus, solus Principis equus intrare nolebat; respiciens vero sursum, vidit supra portam Dei Genitricis imaginem. Tunc se novit hoc passum, quod eandem auxiliantem civibus blasphemasset, desistensque et recedens, cum suis in Aegeo pelago ab ignifera procella consumpti sunt; haec a Baronio in Monologio.

§. CLXIII.

Vincentius Belnacensis (*l.22.spec. hist. c.* 27) his verbis: Sigibertus, anno Leonis II. Constantinopolitani, instantia orandi, et constantia praeliandi fortiter resistunt Saracenis. Saraceni fame, frigore, bello, pestilentia sine numero pe-

reunt. Fertur autem, eos miraculose hoc modo periisse. Apud Constantinopolim in monasterio sanctae Dei Genitricis iuxta palatium in mari prope s.Sophiam erat imago beatae Mariae, quae tenebat infantem in brachio, quam depinxit in tabella sanctus Lucas, cum adhuc viveret sancta Maria. Haec imago vocatur Odigitria, id est deductrix: quia duobus caecis apparuit sancta Maria, et deduxit eos ad suam ecclesiam, et illuminavit eos. Cum ista imagine faciunt processionem omni die Martis per totam civitatem. Cum ergo, ut supra dictum est, obsessa esset civitas, et cives ieiunarent, et orarent simul, et pugnarent; quidam cives admonuit, afferri illam imaginem, et ab omnibus orationem ad illam fieri hoc modo: Sancta Dei Genitrix, quae toties nos liberasti, libera nos modo de inimicis Filii tui, et in mari merge illos. Et cum hoc dixissent, statim procella surrexit, et omnes naves Saracenorum aut mersit, aut fregit; hucusque Vincentius.

§. CLXIV.

Coropulastes Graecarum rerum historicus inquit: In Oriente Saracenorum princeps, qui Tarsi imperabat, cum ad Andream ducem Basilii Imperatoris Constantinopolitani, qui regnare coepit anno Domini 867. misisset litteras, superbiae, et maledictionis plenas, et haec indicantes: Nunc videbo, an Mariae Filius, eiusque parens tibi proderit, cum contra te cum meo exercitu progrediar. Quas litteras, convitii plenas, acceptas, ipsi imagini Dei Genitricis appendit, haec locutus: Vide, o Mater Dei, tuque ipsius Filius, et Deus, qualia exprobravit, et superbe dixit contra tuum superstitem populum barbarus iste arrogans. Quibus dictis, assumptis Romanis copiis contra Tarsum proficiscebatur, et cum ad Podandum pervenisset, ibi cum hostibus congressus, multa caede fundit, et fugat barbarorum multitudinem, cum prius ibi eorum Dominus occubuisset: pauci vero vix se Tarsum incolumes recipiunt. Sepultis autem suis, et hostibus in unum locum coactis, magnaque erecta ad posterorum memoriam columna, in patriam rediit cum sociis; haec Coropulastes.

§. CLXV.

Magister Alanus De Rupe (*in aur. lib. Ros.*): Tempore, quo beatus Dominicus praedicabat Romae, maxima cum populorum frequentia, et dominorum cardinalium et aliorum magistratuum, omnes, et singulos hortabatur ad hanc fraternitatem: nec quidem inaniter, quia multum profecit. Multi autem ad eum accedebant confitendi gratia, quibus cum alia poenitentia imponebant, ut dicerent psalterium Mariale, non intendens tamen eos obligare ad mortale, si illud dimitterent. Accessit ergo ad eum quaedam nobilis matrona Romana, quaerens confiteri ei; cumque imposuisset cum aliis poe-

nitentiis peculiaribus, ut per singulos dies unius anni diceret dictum psalterium, hoc respuit facere, dicens: Pater, habeo de consuetudine facere certas orationes, ieiunia, et eleemosynas, atque peregrinationes, visitando sancta loca huius civitatis: non curo de Rosario vestro: non enim possem omnibus intendere. Haec ergo dicebat, et quod gravius est, alios ab hoc sancto proposito revocabat, dicens, hoc esse vanum, et inutile; et quia erat mulier multum potens, et bonae existimationis, multi sibi credebant. Cumque intellexisset vir Dei Dominicus, coepit fundere preces ad Dei Matrem, ut illuminaret eam. Mira res: nam non multo post subito rapitur in somnis, et iudicium Dei intuetur horribilissimum, adduciturque ante iudicium iudicanda, ubi per maxime reprehensa de inobedientia ad virum Dei Dominicum, et de scandalo aliis dato, quomodo, quantum in se fuerat, a dicta confraternitate revocaverat, quamvis in aliis satis bona esset; propter quod adiudicata fuit, etsi non ad damnationem, tamen ad mirabilem poenam, per daemones inferendam per aliquot menses. Cumque incredibilem poenam pateretur, ad Dei Genitricem se convertit, dicens: O Virgo virginum, o mater pietatis Maria, miserere mei pauperrimae peccatricis, quae laxavi linguam contra te; et ecce mox adest Virgo sanctissima, quae ligavit eam de maximis tormentis, dicens, o filia, filia duri cordis fuisti, insuper et Rosarium meum sprevisti, confidens in aliis operibus tuis bonis. Sed nunc volo tibi ostendere, quanti sit meriti ipsi vacare. Quo dicto, apprehensa statera, parte ex una posuit omnia ieiunia, omnes eleemosynas, omnes orationes, et peregrinationes eius; parte autem ex altera posuit ipsum Rosarium, et mox depressit stateram ex parte sua, et alteram partem levavit.

§. CLXVI.

Sanctus Antoninus Archiepiscopus Florentinus (2. *part. titul.* 16. *cap.* 2. *sect.* 5): Rollone duce, qui et Robertus est appellatus, profugi quidam pyraticam facientes, Carnotum, nobilem Galliae urbem, obsederant; at incolae ab armis imparati, et a multis non bene defensi, beatae Mariae inclusivum Caroli Calvi donum ex Constantinopolitana civitate quondam allatum in urbis propugnaculis pro vexillo civitatis indefensae tutamen, pie, ac fidenter expanderunt. Ridere hostes, sagittasque certatim in virginalem interniam, camisiamque dirigere. Non sera numinis vindicta fuit; hostes caecitate confusos, neque se loco moventes, Carnoti cives ad satietatem usque trucidaverunt. Evasit tamen archipyrata Rollo, quem liberator omnium Christus suae fidei, ac religioni reservavit: nam Christiana sacra suscepit, et Northmannos, gentem suam, ad idem consilium, et animorum remedium salutare pertraxit. Illo ex tempore Northmannorum cum Gallis firma pax fuit. Contigit haec Carnotensium inermium miraculosa victoria, si Antonio credimus, cui credere par est, anno a Christo nato octingentesimo septuagesimo octavo; etsi nos, qui exempla de Virgine selecta colligimus, de Chronico non laboramus.

§. CLXVII.

Augustinus Mannus (*in hist. rer. memor. in Eccles. Dei gestar. cap.* 86): Samnitum Praetor, Lauretum petens, Civitellam diverterat. Ibi nefarium hominem deprehendit, assuetum in Deum, ac Virginem Lauretanam impia subinde verba iactare; ergo infensus ita, protinus exempli prodendi causa, vesanam magniloquentiam, exsecta sacrilego lingua, vindicavit: neque hoc contentus, eundem in custodiam traditum, asservari sedulo iubet, quod ipse Laureto regressus decerneret, an esset poena graviore molestandus. Itaque miser ille, supplicio sumpto aeger, sui ipsius solicitus, aliquando resipuit, et scelere in cultum verso, dies, noctesque Lauretanam Virginem placare tacitis precibus, vofisque instituit, obsecrans, ut infensam sibi proregis leniret iram, daretque facultatem, animi labes sacra confessione expiandi. Nec ingratae Virgini, irritaeque extiterunt impii hominis resipiscentis preces: haud multo post, species Deiparae illi in somnis oblata est, iubentis, eum bono animo esse, brevi fore ut custodia emissus, ad Lauretanam aedem pergeret, ibique peccata confiteretur novae linguae subsidio. Praedictionem comprobavit eventus: experrecto quaedam quasi lingua renasci coepit, qua haud sane aegre sensa expromeret mentis, et prorex, Laureto reversus, re cognita, parcendum existimavit, cui Virgo ipsa pepercisset. Confestim igitur eum liberum dimittit, monitum, ut suo posthac periculo saperet, datisque ad poenitentiarios litteris, miraculi testibus, Lauretum destinat, gaudio gestientem ad vota reddenda: quo ubi venit, haud magis proregis epistola, quam res ipsa miraculi fidem omnibus fecit: quippe patefacto oris hiatu, mira dictu, mirabilior visu res, simul recisam linguam, simul lingulam quandam subnascentem videbant, et tamen ubi vellet ille, quamquam bleso ore, audiebant loquentem: neque hic stetit res, postquam domum reversus, sacris mysteriis bis terve perceptis, nova lingua ad iustam magnitudinem novo excrevit miraculo. Itaque Lauretum denuo ad agendas Deiparae grates profectus, iis ipsis, qui exsectam paulo ante linguam viderant, quorum ex numero Raphael Riera fuit, qui haec memoriae prodidit, immortali beatae Mariae dono reratam ostendit, cunctis rei novitate, atque admiratione attonitis, et tam eximium, tamque illustre miraculum beatae Virgini gratulantibus.

§. CLXVIII.

Ioannes Lopezius Ordinis Praedicatorum (*de beatit. Virg. Rosar. lib.* 1. *cap.* 15): Victoriam Hispaniae urbem a Sancio olim Vascorum rege Gastersi pagi mutato nomine, extructam Fredericus a Toleto Albae regulus anno millesimo quingentesimo duodecimo gubernabat, et eorum castrorum Imperator erat, quae Navarrae praesidium Castellae reges in illis locis collocarent. Est autem optimo principi, suggerente patre Martino a sanctis, ex divi familia Dominici, a Frederici confessiones audiebat, visum, faciendum, ut qui blasphemus esset, Deoque, aut coelitibus iniuriosus, non alio nisi mortis supplicio puniretur. Crescebat nimirum, et in dies augebatur impiae nefariaeque linguae, vel ex impunitate, vel ex poenae levitate, licentia militaris, quae etiam in ceterum vulgus manabat, et perniciosissima contagione serpebat; haud multo post legem latam, plebique universae promulgatam, duo gravissimi huius sceleris accusati sunt; causaque cognita, capitis ex lege damnantur. Martinus, qui legis suasor erat, vir praeclarus, et animarum salutis percupidus, e suo coenobio egressus, ad custodiam vadit, et sontibus capitali supplicio sine ulla spe veniae addictis, auctor est Rosarii recitandi; Virginem eorum, qui se invocant, opportunam esse adiutricem, pernecessario tempore subvenire solitam, nulli, quamvis indigno, opem suam denegare. Consilium alter ex damnatis accepit, alter obsurduit: cumque educti e carcere, ut Hispanorum mos est, a sellis ad patibulum traherentur, ecce, quae Rosarii amatorem bestia poriabat, ex media turba se proripit tanto impetu, ut nemo apparitor, nemo miles, nemo iudicis administer currentem asinum inhibere posset: ille ad divi Dominici monasterium, rationis compotem diceres, rectique guarum consilii, quam velocissime properabat, nec ante currere desiit, quam virginale in coenobio sacellum, cui a Rosario nomen inditum, faventibus superis, penetravit, suumque sessorem ante Virginis altare constituit. Accurrit satellitium, et turba insequentium, ut sontem a templo abducant; sed eiusdem Martini a sanctis, et Ioannis Victoriani ex eadem familia valuit auctoritas, quorum hortatu parcitum illi est, quem Deipara defendisset. Ipse beneficii memor, et tanto gratus miraculo, in monasterio permansit, quo se tardum illud animans, quasi quid ageret, sentiens delituisset, ceque coenobii domesticas fratrum laicorum habitu procuravit. Porro Frederici uxor clarissima, tantum admirata prodigium, Rosarii precationem illo ex die praecipua quadam religione percoluit, multaque Rosariorum millia coemit, militibusque distribuit, qui se hac pietate adversus imminentes Gallos armaverunt, a quibus Iuliobrica, Lucronium vulgo dicimus, obsidione cincta tenebatur; sed brevi secuta victoria est, et Galli profligati: non multo post in eadem urbe victoria Alabensis Cantabriae principe, Rosarii sodales, cum se ad purificationis ferias a cereis imparatos cernerent, candelas triginta duas fingendas curaverunt, et in eum finem cerae massam octilibrem mercati sunt; hunc cereorum numerum cum dedisset artifex, cera superfluit ad totidem fere formandos: itaque sexaginta perfecit, quorum quisque librae quadrantem ponderabat; sed candelae tamen universae illas octo libras, iunctis et examinatis omnium ponderibus exaequarunt: miraculi fidem appellati Iudices, scribae publici, et testium curatorum acta fecerunt, quae in Victoriensi divi Dominici monasterio tabulatis asservantur. Cumque triduo toto cerei arsissent, singulisque omnium iudicio, cerae pars tertia defecisse videretur, tamen ad stateram provocati, novem librarum, et quadrantis pondus retinuerunt. Illud etiam admirationis accessit, quod cum in area sodales octo, et quinquaginta cereas faculas dumtaxat condidissent, ubi ad iudicem, qui rem exploratum advenerat, ab iisdem sunt prolatae sodalibus, unus ex sexaginta reperius est numerus, multiplicante Deipara Virgine ceram virginalem.

§. CLXIX.

Nicephorus (*lib.* 17. *cap.* 13), Procopius (*de bello Persico lib.* 6), non satis esse Virgini, mortales ab hoste defendere, testis est Narses, et fortunatissimus, et fortissimus Imperator, quem Iustinianus Augustus copiis, exercituique praefecit, quod viribus, consilioque praestaret, et, quod primum maximumque est, pietatem, et religionem ceteris rebus anteferret: Virginis enim tam sedulus cultor erat, tam amicus et socius, ut militares copias tum demum in aciem produceret, cum Deipara se illi videndum praebuisset. Igitur sacrae Virginis et consiliis, et auxiliis Totilam vicit, barbaros ex Imperii finibus saepe numero relegavit, infestissimos religionis hostes vertit in fugam, robustissimos duces Baselinum et Siduulidum, Baltinum et Sisualdumalum nominant, subiugavit. Eranique tam multae, tamque illustres victoriae angelorum Reginae tum potentiae, tum clementiae tribuendae, quae apparebat in praeliis, et Narsen, quid maxime esset expediens, amanter indicabat. Gothorum classis, quae tanquam densa nubes orientem obscurabat, timore Narsetis repente dilabitur. Taranthum ab iisdem Gothis captum Romani recuperant, et praeter omnium opinionem Deiparae venerator Narses, quamvis a Francis, et Gothis interesset obstructum, tamen cum exercitu Ravennam pervenit in columnis. Rubiconem ab hostibus custoditum, occiso Gothorum duce, transivit, et in Tuscia occurrentem ingenti exercitu Totilam adoritur intrepidus. Signis collatis cum eo dimicat, ad extremum interficit, eiusque universum exercitum contrucidat: factumque est Dei opera, quod ipse confessus est Narses, ut rex ille bellicosissimus cum potentissimo exercitu, et innumerabilibus claro victoriis, a semiviro Narsete, erat enim eunuchus, qui tamen Mariae Virginis ope nitebatur, tam feliciter vinceretur: neque enim prius ipse admonitu Virginis cum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

hoste confligebat, quam praelii committendi signum caelitus accepisset: precibus enim excita succurrit, quae, ut canit Ecclesia, terribilis est, ut castrorum acies ordinata. Fuisse Narsetem non modo beatae Virginis, sed etiam aequi amantissimum illa demonstrant, quae de eo Procopius scripsit: nos brevitatis studio silemus. Historia Pauli Diaconi de Narsete Longobardos evocante, ulturo convicium Theodorae Augustae, Italiamque prodente relicitur; eo enim tempore non erat in Italia Narses, sed Constantinopoli morabatur.

§. CLXX.

Caesarius (*lib. 7. cap. 8*): Alius quidam ex monachis eiusdem loci, vir tanta gratia dignus, ut nocte quadam Dominam nostram sanctam Mariam viderit chorum psallentium circumire, et singulorum vultus, mox incurrit apostasiam de altero, quid adhuc futurum sit, ignoratur.

§. CLXXI.

Idem Caesarius (*ibi. cap. 34*): Quaedam sanctimonialis Virgo, a quodam clerico verbis luxuriosis stimulata in tantum flante Behemoth, cuius anhelitus etiam prunas ardere facit, succensa est, ut corde et ore petitioni eius consentiret, promittens, quod dicto completorio veniret ad locum condictum, erat enim custos ecclesiae. Dicto completorio, cum conventus ascendisset dormitorium, et illa exire vellet de oratorio, in ipso ostio Christum manibus in cruce expansis stare conspexit: cui cum egressus non pateret, ad ostium quod erat in opposito, cucurrit. Ita succensa fuerat in amore clerici, ut pene rationis expers, quid circa se divinitus ageretur, minus adverteret. Quid plura? omnes ianuas adiit, et Crucifixum in omnibus invenit. Tunc ad se reversa, et territa, dixit, forte voluntas Dei non est, ut usquam vadas. Solita fuerat eadem virgo singulis diebus specialem quandam orationem de passione Domini dicere, quam Dominus in tanto periculo remuneravit, visione tam utili: quae tremens ante imaginem Dei Genitricis se prostravit, de peccato suo veniam postulans: a qua cum imago faciem verteret, et illa obnoxius supplicatura propius accederet, imago maxillam eius percussit, dicens: quo vis ire fatua? vade in dormitorium tuum. Tam fortis erat alapa, ut in terram ruens, sic iaceret usque ad tempus matutinale. Cumque signa in dormitorio sonarent, et illa in oratorio non pulsaret, putantes, eam esse in oratione, vel pressam sopore, intrantes, et in multo defectu illam reponentes, postquam refocillata, loqui potuit, omnia quae circa se gesta fuerant, ad honorem Dei consororibus suis recitavit: licet gravis esset alapa, prorsus tamen a tentatione per illam fuit liberata: durus morbus duram requirit medicinam.

§. CLXXII.

Auctor Pomerii (*ad beatam Virginem lib. 12. part. ult. cap. 1*) haec scribit: Primum miraculum de Iuliano Imperatore, qui ut ait beatus Hieronymus in Chronicis, contra Persas proficiscens, Christianorum sanguinem diis voverat post victoriam. Scribit enim Ampilocius Episcopus Theoniensis, quod ipsi Iuliano proficiscenti obviavit sanctus Basilius episcopus, cui insaniens Iulianus dixit: Cum Persas subiiciens reversus fuero, civitatem tuam desolabo, pro eo quod Deos Deasque meas non adoratis. Basilius itaque rediens ad civitatem, narravit omni multitudini verba Imperatoris, praecepitque omni clero, et populo cum mulieribus et infantibus, ut ascenderent in montem Didymi, in quo erat templum Genitricis Dei, et tribus diebus ieiunantes, postularent a Deo dissipari Imperatoris iniqui sensum. Illis ergo orantibus, et flentibus, vidit Basilius in visu multitudinem militiae coelestis in monte hinc et inde, et in eorum medio super thronum gloriosum beatam Mariam, et dicentem ad circumstantes: Vocate mihi Mercurium, et ibit interficere Iulianum, multa blasphemantem in Deum, et Filium meum. Itaque sanctus Mercurius cum armatura sua venit, et iussus ab ea, velociter abiit. Expergefactus a somno magnus Basilius, venit in civitatem ad sancti Mercurii sepulcrum, ubi suspensa eius conservabantur arma, quae inibi non invenit: vocavit custodem, et ubi essent arma, quaesivit, qui asserebat cum sacramento vesperi ibi ea fuisse. Unde Basilius visioni credidit, et cunctis revelavit, omnesque e monte reversi cum gratiarum actione, ad sepulcrum sancti Mercurii invenerunt lanceam eius sanguine madidam. Omni autem populo festum agente, in laudem beatae Virginis pro liberatione civitatis. Ecce die quarto venit in civitatem Libanius quaestor Iuliani, dicens: cum esset Iulianus secus Eufratem fluvium, ubi etiam in castris custodiebant cum septem militum excubiae, ecce nocte quidam miles ignotus cum armis venit, eumque lancea cum valido impetu perfodit, qui subito ascendens, nusquam comparuit. Iulianus vero coepit blasphemando clamare, dicens: Vicisti Galilaee, vicisti, et sic expiravit.

§. CLXXIII.

Idem auctor (*ibi.*): Secundum miraculum de responsorio: *Gaude Maria Virgo, etc.* Quidam etiam puer fertur, quod cum in scholis didicisset istud responsorium: *Gaude Maria Virgo, cunctas haereses sola interemisti, etc.* quod responsorium cantatur in Festo purificationis b. Virginis, et cum pulchra voce per plateas, et civium portas hoc decantaret, porrigebantur sibi plurimae eleemosynae, et ciborum reliquiae. Iudaei autem, quia plurimi in illa civitate commorabantur, cum audirent puerum canentem, multum dolebant, eo quod Matrem

Iesu laudaret, et Iudaeos per responsorium hoc confunderet, dicens: Erubescat Iudaeus infelix, qui dicit, Christum ex Ioseph semine natum. Stomachatus igitur in vicinatu plateae unus Iudaeorum, cum puerum talia canentem audiret pluries, accessit, et vocavit, quasi aliquid, puta pomum, vel simile se daturum asserendo, et sic promissionibus, ac xeniis fructuum ipsum in domum suam advocavit, tanquam si cantum istum ab eo velit audire. Puer simplicitate praeditus, secutus est promittentem Iudaeum; et mox iste habita opportunitate, ipsum puerum in gutture cultro caedendo occidit. Cumque mater eius vidua paupercula diutius quaesitum non inveniret, dictum est a convicaniis, quod visus est a plurimis, portas illius Iudaei intrasse. Sed quid fuerit, vel utrum sanus inde exierit, nullus testimonium poterat ferre. Mater ergo iudicem adiit, et iudex Iudaeos coegit, et facta lite, cum probatio incumberet ipsi matri pueri, eo quod contra eam Iudaei insurrexissent, nec probare quidquam de hac re mater posset, anxia pro filio perdito, in hoc se obligavit, quod requirerentur omnes domus Iudaeorum, et si inveniretur apud eos suus filius deperditus, omnes Iudaei comburerentur, aut si non, mulier ipsa calumniae convicta comboreretur. Quod cum placuisset Iudaeis, et Iudices approbassent: ecce quaestione facta, nullibi compertus est puer occisus, qui tamen sub modio iacebat occultatus in conclavi. Tunc mulier lata sententia ad cremandum ducitur ab omni populo: exultant Iudaei, compatiuntur, et dolent noti Christiani ac vicini, scilicet mulieris illius plurimum, plorat ipsa, quia perdito filio, se ipsam etiam amiserit. Cumque nullum haberet refrigerium, quia insultantibus Iudaeis, tanquam victoribus ad incendium duci cogebatur. Sic ducendo, cum prope ecclesiam b. Virginis pervenisset, atque recordata de b. Virgine, invocaret ipsam lacrymabiliter, coepit audire dulces sonos, ac si filius suus cantaret illud responsorium solitum, scilicet, *Gaude Maria Virgo, etc.* coepit protendere collum, et populum commonere si audirent; et ecce omnes audientes populi cantum, commoti sunt, et illuc accesserunt, ubi audiebatur vox sonare, et sic compererunt, quia in domo illius Iudaei sub modio absconsus fuerat puer occisus. Sublevantes modium, viderunt puerum in gutture cruentatum, cum angelis pluribus dulciter illud responsorium concinentem. Quo viso miraculo, et puero interrogato, ac omnia facta enarrante per ordinem, scilicet quomodo per beatam Virginem fuerat sanatus in gutture vulnerato, et dulciter inter angelorum agmina fotus: ecce omnes in laudem b. Virginis Christiani proruperunt, et Iudaeos combusserunt, ac puerum sanum matri restituerunt. Sicque precibus et meritis B. V. salvata est mater, et filius.

§. CLXXIV.

Franciscus Bencius (*in annalibus 1588. de rebus collegii Pacensis in provincia Peruana*): Quidam ad turpem concubinatum Indam foeminam pellexerat, quam cum aliquando ad infaustum torum vi, minisque compulisset, provecta nocte, coelum tonitru concuti, tremiscere terra, densasque inter tenebras micare ignes, et per fenestrarum rimas infundi, ut ferirent oculos animosque adulterorum. Cadit interea scissis nubibus ignis largifluus cum grandi grandine crepitante super lectum. Hinc mulier subito pavore correpta, Virgo, inquit, Maria fer opem, tuere me obsecro. At vir ferox et impius mediam complexus, tace, sis stulta, scilicet auxilium ullum ferre potest Maria, abcidit extremam vocem. Fulmen subitum quod intonuit, et adhuc loquentem avellit ab amplexu mulierculae, quatuorque aut quinque passus eiecit extra lectum, et flamma concipit arida nutrimenta: fugit mulier perterrita, miserum inclamat, excitat, pervellit, nempe metu exanimatum, non exanimem putabat. Trahit digitos pedum, corruunt pedes ipsi, divelluntur, conantem domum ingredi, et mortuum extrahere, impediebat ignis introrsum repellens: ad extremum vociferata horrendum concivit vicinos, et aegre portato informi cadavere, reperiunt hominem, mirum dictu, hiante ore, sine ullis dentibus, sine lingua, omnia praeterea membra ita soluta et fluxa, ut vel leviter contractata, manum sequerentur. Hic finis impuri, impudicique hominis fuit. At mulier, alieno malo edocta, quamquam extra periculum, non extra metum, cum inde 40. millia passuum confecisset, ad nostrum templum se contulit meliori vitae instituendae.

§. CLXXV.

Epistola ad Thomam Claudiopolensem episcopum, ex scriptis Petri Damiani, et ex Antonino Florentiae Archiepiscopo (*2. part. tit. 16. cap. 8. sect. 1*): In sancti Vincentii monasterio ab eo loco non longe, cui Petra Pertusa nomen est, fratres unanimes lege lata sanxerunt, ut cum Pontificiis ex breviario ut vocant precationibus horariae beatissimae Deiparae preces discerentur, cumque id toto triennio sancte, integreque servassent, perditi cuiusdam monachi, cui Gazoni nomen fuit, loquacitas impia, ut Virginis ad omnes horas preces tollerentur, evicit; attamen de coelo vindicta tarda non fuit, rapinas, depraedationes, incendia, monasteriique tum servorum, tum administrorum caedes impittens: itum est ad Germaniae Imperatorem, qui maleficia coerceret, et a facinorosis poenas repeteret, irrito eventu. Consulitur Petrus Damiani, vir illa aetate, ut sapientissimus, ita doctissimus, qui merito illa passos esse respondit, quod Imperatricem pacis, utar illius verbis, abiecissent. Mox in terram nuncii corruentes beatissimae Virginis Matrisque laudes nunquam se in poste-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

rum omissuros receperunt: quibus restitutis sequuta pax est, et monasterii alta visa securitas.

§. CLXXVI.

Bencius (*in annali in histor. collegii Hispalensis*), Bonifacius (*lib. 5. cap. 1*): In sodalitiis delligitur unus, qui sit particeps, et conscius rerum omnium, quae decernuntur, easque litteris mandat, ab arcanis dicitur. In congregatione porro Hispalensi adolescens, qui hoc munere fungebatur, duos ad hanc rem destinaverat calamos scriptorios, insigni ornatu: etenim caules detractis plumulis aureo filo, sericoque distinguebantur invicem permixtis. Horum alterum subripuit unus de sodalibus iuventi furto; cuius etsi saepe pulsabatur cogitatione animus, ut posthabitis rebus omnibus, se Deo consecraret in aliquo coenobio, praevalente amore in mulierculam quandam aliud agebat. Ad eam aliquando cum instituisset scribere, ac furtivum calamum sumpsisset manu, sensit sibi verberari os excussissima palma, simulque vox aures perculit, etiamne scelestem rem mihi dicatam temerare audes impuro ausu? Attonitus hac pronuncialione ac verbero, ut se colligit iuvenis, revertit ad calculos, quos pene abiecerat, ut amplecteretur habitum Franciscanae religionis. Mansit ad aliquot dies memor nota plagae acceptae, ut appareret ab alia vi quadam maiore, quam ad humanam pactam.

§. CLXXVII.

Idem beatus (*lib. 2. epist. 14*): Stephanus aliud mihi retulit: Audisse, inquit, me memini, quia clericus quidam fatuus erat, nauci frivolus, et ineptus. Huc accedit, quia nullam religionis dotem, nullam canonicae disciplinae, gravitatis sive modestiae videbatur habere virtutem. Inter hos tamen emortuos inutilis vitae cineres, hic perexigui fomitis tenuis vivebat ignculus, ut ante sacrosanctum altare quotidie B. Dei Genitricis accederet, et reverenter verticem curvans, angelicum hunc atque evangelicum versiculum decantaret: *Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*. Cum itaque tantae fatuitatis ineptiam novus deprehendisset Episcopus, ab inutili persona utilitatem Ecclesiae detineri indignum duxit, eique praebendam, quam a nuper elato suo decessore perceperat, abstulit. Sed cum hunc rei familiaris egestas opprimeret, et praeter hoc aliud quid, unde posset vivere, non haberet, nocturno silentio pia Dei Genitrix Episcopo, dum dormiret, apparuit, quam scilicet praecedebat vir, in una manu ardentem faculam, in altera ferulam portans; cui mox B. Virgo praecepit, ut Episcopum delinquentem aliquantis ferulae, quam gerebat, verberibus castigaret. Cur, inquiens, capellano meo, qui mihi quotidianas impendebat excubias, stipem ecclesiae, quam non ipse contuleras, abstulisti? moxque sacerdos tremefactus, evigilans, clerico beneficium reddidit, et quem ignotum Deo forte crediderat, iam quasi propensius honoravit. Si igitur ille unum dumtaxat laudis canendo versiculum, corporei victus alimenta promernit, quam fideliter aeterna sperabunt, qui B. Reginae mundi quotidiana horarum omnium vota persolvunt? Unde pulcher etiam mos in nonnullis ecclesiis inolevit, ut specialiter ad eius honorem per omne sabbatum Missarum celebrentur officia, nisi forte festivitas, vel feria quadragesimalis obsistat.

§. CLXXVIII.

Canisius (*lib. 1. de Deip. cap. 20*) haec habet: Nefarius ille Nestorius, cum hostile bellum adversus Deiparam instituisset, negabat enim, Virginem esse Matrem Dei, non impune tulit tantam audaciam, et procacitatem, fuerat enim a toto Concilio Ephesino anathemati perpetuo traditus, et ab Imperatore Theodosio in exilium actus, episcopatu suo Constantinopolitano plane spoliatus, ac demum coactus in exilio vitam absolvere calamitosam: sed et blasphemam eius linguam miri carnifices corrosere vermes, et si non corpus, nefandum novae impietatis organum, a terra dehiscente absorptum, certe anima eius ad inferos usque detrusa, meritas blasphemiae poenas luit. Et quoniam Nestorii mentio hic incidit, aliam ex Mosco Evirato narrationem attexam, ut clarius constet, insignem illum Mariae hostem, etiam post mortem suam vivis, ac superis merito detestandum haberi. Abbas Cyriacus, qui et Laurae Calomonis presbyter eximius fuit, de se ipso testatus est, quod aliquando mulierem honesta facie praeditam, et purpura indutam, per somnum viderit, Dominam nempe nostram sanctam Dei Genitricem, duobus viris illam comitantibus, qui et ipsi venerabiles et praeclari esse aspectus apparerent, utpote Ioannes Baptista, et alter eiusdem nominis Evangelista. Abbas igitur de cellula egressus, orare Deiparam coepit, ut ad se ingredi dignaretur, ac saepe hoc ab illa summopere flagitavit; illa tamen semper abnuente, atque hoc demum respondente: Habes intra cellam tuam inimicum meum, et me illuc ingredi cupis. His dictis abscessit illa, et Abbatem valde solicitum anxiumque reliquit, ut qui nesciret, de quo inimico sermo hic haberetur, veritus etiam ne quid occulti fortasse criminis ipse in Deiparam commisisset, cum nullum alium in eadem cella commorantem haberet. Unde in gravi moerore ac luctu versatus est, quem ut ratione aliqua vel leniret, vel depelleret, codicem legendum sumpsit in manus, eumque a s. Isychio presbytero Hierosolymitano mutuo acceperat. Cum evolvisset codicem, duos impii Nestorii libros in fine vidit adiectos, et statim discussa velut nube, lucem veritatis aspexit, nihil ut dubitaret amplius superiorem sermonem de inimico Deiparae apud se latitante, ad hunc ipsum auctorem Nestorium pertinere. Abjit igitur statim cum libro, eumque bona fide restituit, ne talem Mariae inimicum apud se diutius esse pateretur. Accipe, inquit, frater librum tuum, ex quo plus ego detrimenti quam utilitatis percepi. Cum vero rem omnem exposuisset, herus codicis, zelo sancto succensus, duos illos Nestorii libros ex ipso praescidit volumine, ac flammis ultricibus tradidit, dicens: *Non manebit in cella mea Dominae nostrae sanctae Dei Genitricis, semperque Virginis Mariae inimicus*. Atque utinam eodem zelo flagrarent omnes qui hoc aevo in auctores et libros similis farinae incidunt, simulque curarent, istiusmodi scripta omnia, quae ad Christi, Sanctorumque ignominiam, et bonorum offensionem faciunt, omnino explodi ac aboleri. Alter ex graviter punitis Mariomastigis sit ille, quem iam ante depinximus, Imperator Constantinus Copronymus, adeo in Mariam petulans atque convitiosus, ut, sicuti diximus, illius honori publice detraheret, eamque tam imbecillem faceret, quae nulli mortalium posset opitulari. Quid autem illius morte inhonestius? quid acerbius et violentius? cum iam Deo et hominibus esset invisus, sub mortem carbunculi pedes eius invaserant, et ardentissimis febribus urebatur; quare nullum a medicis remedium poterat excogitari; tum elephantiae morbus accedebat, et in extremam animi desperationem devenerat, ut hinc miserabiliter vociferaretur, se viventem etiam propter Mariam Deiparam igni extinguibili traditum, in eumque coniectum esse. Tot morbi coeuntes, tam diri cruciatus saevientes velut Mariae ministri atque carnifices blasphemum Caesarem perdiderunt. Sed pergamus et alios Mariae hostes accersere, quorum maledicentiam divina severitas non sine miraculo publice castigavit, nimirum, ut et mali, propositis exemplis, ne quid simile designent, provide terrreantur, et boni in honorandae Virginis officio magis confirmentur. Cum Caesar Mauritius imperaret, Christiani quidam, ut fit, in caupona suaviter compotabant, et lepidi scilicet esse non poterant, nisi inter compotandum, convitiis in Mariam iactis, impure certarent. En vero ibi aequum in Mariana causa vindicem Deum, qui praecipuae huius nefariae concertationis auctores, ut ne unus quidem salvus evaserit, potenter arripuit, prostravit, oppressit, delevit, rectaque ad inferos misit, perpetuo excruciandos. Hospes autem et dominus aedium, in quibus blasphemi consederant, ab hac divina punitione vix mansit immunis: praesertim, quod is conniventia potius, quam ut celeri ex destinata malitia deliquisset. Cui non multo post nocte dormienti Dei Mater astare visa est, illique in memoriam revocavit, quod blasphemos illos convivas in suis aedibus indigne tolerasset. Tum ille supplex illi esse, veniamque delicti petere: et ne tam cito morte mulctaretur, sed ut tempus ipsi poenitentiae relinqueretur, orare. Virgo daturum se hoc ei, neque in praesentia ipsum ita morte poenas luiturum promittere. Vimine autem, quod manu gestare videbatur, genua eius circumcirca velut exarans, circumscribere. Ibi ubi factum, sacra Virgo quidem non apparuit amplius, sed ille somno discusso, membra ea, quae vimine notata fuerant, a reliquo corpore disrupta, statim invenit, et recentem inde sanguinem sensit profluere. Igitur in publicum productus miser, foedo et miserando habitu corporis, non minus quam oris sui testimonio, veritatem publice confirmavit, hocque iustum Dei iudicium omnibus promulgavit. Historiam ex Nicephoro mutuati sumus. Cum hoc miraculo plane congruit, quod Moscus Eviratus in suo Prato Heliopoli, quae Phaenicis est civitas, refert accidisse: In hac, inquit, mimus quidam erat Gaianus nomine, qui in theatro sanctam Dei Genitricem blasphemans, populo spectaculum blasphemiae praebebat. Apparuit autem illi sancta Dei Genitrix, dicens: Quid tibi mali feci, quia coram tanta multitudine mihi detrahis, et blasphemas me? Ille vero surgens, non solum non se correxit, verum etiam plus blasphemabat. Rursus ergo apparuit illi sancta Dei Genitrix, corripiens eum, ac dicens: Noli, quaeso, noli ita laedere animam tuam. Hic vero rursum deterius illam blasphemabat. Unde ipsa tertio apparens, eadem repetebat. Cum autem se ille non corrigeret, sed plus quoque blasphemiis adiceret, meridie dormienti sibi Virgo apparuit, nihilque dicens, digito solo signavit eius manus, et pedes. Evigilans autem, invenit se truncatum manibus et pedibus; atque ita infelix, ut truncus inutilis iaceus confitebatur omnibus, cuius rei gratia, et quomodo hoc passus esset, utque propter blasphemias suas clementer cruciatus fuisset. His affine est, quod Vincentius Beluacensis adfert, quendam apud Lassentiam urbem, cum in taberna luderet tessera, ludumque sibi inauspicato videret cedere, benedicto ventri gloriosae Virginis Matris maledixisse, et mox illum eodem loco subita et horrenda morte luisse poenas, a quibus ad aeternum supplicium haud dubie raperetur. Nunc Evagrium quoque et suffragantem, ei Nicephorum audiamus. Tiberius Caesar, qui proxime ante Mauritium regnavit, imperialis palatii Praefectum habuit virum in ceteris excellentem, sed Anatolio in Christum et Matrem eius contumelioso, male faventem, ut causam eius defendere videretur. Fassus autem est hic Praefectus, vir minime vanus, sibi Deiparam apparuisse, et secum graviter expostulasse, his fere verbis: Quousque tandem Anatolium propugnas, qui tam impudenter, supraque modum in me et filium meum illudit? Hic enim Anatolius, ut paulo fusius historiam explicemus, cum Antiochiae versaretur, nefandis Deorum sacrificiis deditus, et maximis quibusque flagitiis coopertus, neque minus in divina mysteria blasphemos fuit: quem idcirco Caesar in vincula coniici, et ad se Constantinopolim adduci iusserat. Forte tunc accidit, imaginem sacrae Virginis ex funiculo pendere in carcere, quo conclusus erat idem Anatolius: in hanc igitur ille tot scelerum sibi conscius, oculos coniicere, et coram ea suppliciter orare, veniamque petere, et externo quidem corporis habitu animi poenitentiam simulare, sed ut ea hypocrisi, et ficto animo superos fallere minime posset. Ceterum a Praefecto carceris, aliisque multis, qui in custodia tunc aderant,

UNIVERSIDAD DE MÁLAGA

est animadversum, Deiparam imagine dicta expressam, velut iratae mulieris similem avertisse vultum, ac nullum Anatolii precibus tribuisse locum, quasi blasphemum et execrabilem hominem prorsus aversaretur. Sed et eadem imago aliis in urbe piis eodem tempore per visum oblata est, multis in eo tandem conspirantibus, ut Anatolii tum in Mariam, tum in Christum ipsum valde contumeliosi horrenda impietas publice vindicaretur. Proinde visum est omnibus hunc facinorosum, ac impium e medio tollere, qui bestiis expositus, ab iisque devoratus fuit, lupis etiam inaudita crudelitate in mortuum grassantibus, quoniam rapaces bestiae cadaver impii detrahere, rapere, atque discerpere voluerunt. Haec veteres miraculorum loco habuerunt, ac velut divini iudicii certa testimonia reputarunt, e quibus perspicue constat, Mariomastigas non impune peccare, honorem vero ss. Virginis Deo esse curae, utpote qui eius iniuriam gravissime vindicet, ac vicissim pios eiusdem cultores multis magnisque muneribus libentissime prosequatur. Unde Nicephorus, postquam primum a nobis recitatum exemplum de punitis Mariomastigis produxisset, significanter adiunxit, eodem tempore multos, qui hoc audissent miraculum, laudes Deo decantasse, ac Matrem Domini celebrasse, quae ita semper Christianorum genus tueretur, quaeque novo quodam modo affectionem erga nos suam, quamvis praeter naturam eius sit, ut quempiam puniat, vi quadam adacta ostenderet, ut scilicet religio nobis stabilis, et firma esset.

§. CLXXIX.

Quanto dissimilior Magdeburgensis Udo fuit, qui et ipse ad studia plumbeus, cum nihil omnino proficere, suisque condiscipulis partim ridendum, partim se praeberet admiserandum, hanc eandem benignitatis arcam precibus aperuit, et ingenium, quo carebat, cum lacrymis poposcit a Virgine. Gementi, seque afflictanti divina Mater, non solum, quod petebat ingenium, sed suae etiam urbis episcopatum pollicetur, caveret tamen, ne duplicati beneficii immemor, a recto virtutis tramite declinaret, ac flagitiosae vitae se dederet, id enim non impune laturum. Ex hoc tempore tam beneficam puer Udo Dei Matrem expertus est, ut ad magnam ingenii, doctrinaeque laudem, non sine sociorum, civiumque suorum admiratione pervenerit. Neque solum eruditionem, ac scientiam, sed etiam Pontificiam dignitatem, ut erat a Virgine promissum, praedictumque, consequitur. Unde ingenii celebritatem, Pontificiam tiaram, ac Deiparae dona pessum dedit, tantisque muneribus ingratissimus, Episcopalique abusus potestate, contra quam Virgo tanto ante monuerat, turpissimis se flagitiis inquinavit. Igitur, cum beatissimae Virginis, et donorum, et monitorum oblitus, peccandi nullum finem faceret, in gravissimum Dei iudicium incidit, horrendoque mortis genere turpissimam vitam terminavit. Necis historiam, qua a concubinae complexu avulsus, in templum, Deo praesidente, multisque coelitum astantibus, tractus, damnatusque, et gladio iugulatus esse dicitur, daemonibusque traditus, qui praeda exultantes, sceleratissimi Pontificis animam in inferos demerserunt, variisque ludibriis affecerunt, narrat Bredembachius, aliique scriptores minime contemnendi.

§. CLXXX.

Tilmannus Bredembachius (*lib.* 3. *sacr. coll. cap.* 22) haec refert: Circa annum Dominicae Incarnationis 1577. cum passim in toto pene Belgio Iconomachi in templa, et imagines irruere coepissent, contigit in celebri quodam pago, Lokeren appellato, quatuor milliaribus a Gandavo dissito, quendam b. Virginis Deiparae statuam invadere, ac demoliri; cumque magno labore talem imaginem luxasset, decidens illa, sui ipsius casu vindictam inflixit Iconomacho; nam casus iste imaginis nutu divino sic accidit, ut puellus ille Christus Dominus, quem Virgo mater ulnis gestabat, quantumcumque antea blandulus, nunc ultrici manu, quam arte sculptoris protensam habebat, recta in caput, ipsamque maxillam Iconomachi impingeret, eandemque velut armilla quadam acuta perforaret; sicut de Leviatan apud Iob legimus, Iob (*cap.* 40. *et Psalm.* 31): *In chamo. et freno maxillas eorum confringe, qui non approximant ad te.* Quamquam hic animo praepostero nimis approximaverit, historia ab oculatis, et fide dignis testibus in consessu honoratorum virorum nobis relata est.

§. CLXXXI.

Thomas Costus (*in addit. ad compend. histor. Regn. Neapol. post lib.* 6. *annot.* 131), cui consentit Marianus (*lib.* 21. *de reb. Hispan. c.* 13) sic narrant: Quanta reverentia sanctorum templa, praesertim Deiparae in bellis etiam iustis, ab omni militari iniuria, et bellica profanatione sint custodienda, sequens exemplum templi Deiparae a Carmelo apud Neapolim aperte declarat. Cum Alphonsus, qui primus ex Aragoniis a Ioanna Secunda regina Neapolitana in filium adoptatus, Neapolitanum regnum est adeptus, cum Renato Andegavensi de regni possessione armis contenderet, eaque de causa anno 1439. Neapolim, quam Renatus obtinebat, terra, marique obsideret, Petrus Aragonius Alphonsi frater totius exercitus dux, eam civitatem multis in locis, sed praesertim murum illum civitatis prope templum b. Virginis de Carmelo ad portam urbis, vulgo a mercato dictam, aeneis tormentis quatiebat. Prostrato muro, qui Carmelitanum templum obtegebat, ingens quidam globus displosus eius templi absidem perrumpens, caput statuae Christi Domini nostri e cruce pendentis, quae super trabem in media templi testudine collocata erat, recta petiit; cuius ictum statua ipsa caput demittendo insigni miraculo declinavit: quare ingenti absidis concussione, et terrifico pilae fragore, exciti patres Carmelitae, aliqui cives monasterii custodiae deputati accurrunt, tantumque miraculum conspicati, sacram Crucifixi effigiem ad tutiorem locum transferre frustra sunt conati: eam enim neutiquam movere potuerunt; caput vero sacrae Crucifixi statuae in hodiernum usque diem aliquantulum solito depressius visitur: pila item illa ad miraculi monumentum in templo asservatur, tabella exposita, quae totius rei gestae narrationem continet. In sequenti vero die, qui teste Mariana erat 23. Octobris, et in feriam sextam incidit, cum idem Petrus ad vallum, aggeremque, ubi aenea tormenta ad quatiendam urbem collocata erant, advenisset, iuberetque nobis verberationem versus eandem partem redintegrari, e divae Mariae Carmelitanae templo, inquit Mariana, tormento percussus occubuit, pila tertio ad terram illisa quarto ictu caput eius comminuit; sic ille. Quo audito Alphonsus, fratris nece moestus, iustam tamen Dei punitionem agnoscens, testatus est se, cum Crucifixi miraculum, quod pridie evenerat, ex transfuga cognovisset, Petrum fratrem eodem, quo interiit die, sedulo monuisse, ne versus Carmelitarum Deiparae templum tormenta displodi iuberet; Petrum vero ad hoc nullum sibi responsum dedisse, sed malo suo eandem verberationem rursum tentare voluisse. Ad haec tanta est imbrium magnitudo, ut obsidio solvenda fuerit. Alphonsus vero hoc Crucifixi miraculo adeo est permotus, ut cum triennio exacto, Neapolis in eius potestatem venisset, postridie ad templum Deiparae Carmelitanum adierit, ut sacram Crucifixi imaginem pie veneraretur. Quod et deinceps crebro factitavit; haec Thomas Costus. Quam Crucifixi imaginem etsi Mariana non referat, necem tamen Petri miraculo tributam, his verbis scribit. Vulgus militum, sed et populi multitudo, Petri caedem in religionem vertebat: praesertim continuis imbribus oppugnatione impedita, soluta obsidione, Capuam discessum; haec Mariana.

§. CLXXXII.

In via publica prope s. Anastasiam, id est oppidum Nolanae dioecesis ad civitatem Vesuvium spectans, quod inter Nolam, ac Neapolim sex passuum millibus aequa distantia interiacet, situm ad Vesuvii montis radices, flammarum, cinerisque eruptione, ac Plinii interitu maxime celebris, erat angustum, ac tenue sacellum in campestri loco antiquitus extructum, cui nomen vulgo sancta Maria ab Arcu, sic dicta a fornice, ad cuius laevam in pariete erat liquidis expressa coloribus Deiparae imago, puerum Iesum inter brachia gestantis, quae quamvis nullo olim clericorum perpetuo servitio coleretur, illustrata certe divinitus est nobilissimo miraculo, quod finitimos populos ad pietatem novumque sacelli cultum excivit. Enimvero centesimo fere ab hinc anno, cum in ea vicinia ludum aliqui luderent, quo lignei globi trude item ligneo circumaguntur in plano, ac subinde truduntur, impius quidam, et proiectae audaciae, quod pecuniae iacturam faceret in ludo, die, quae sacratissimum resurrectionis Domini Pascha proxime sequitur, arreptam, qua ludebat, pilam, irato, infensoque animo, in depictae Deiparae faciem sacrilega manu contorsit, eiusque sinistram percussit genam: inde repente sanguis miraculose dimanavit; cuius represso fluxu sanguinei coloris impressa cicatrix divinitus remansit in facie. Verum extemplo impius percussor immobilis factus, eodem in loco in sceleris poenam, Iudicis sententia infelici arbori cum lusoriis instrumentis suspensus interiit: tunc vero perspicua mirabili novitate commota vicinia est, ad novam Deiparae pietatem tunc aucta celebritas: nam eadem feria secunda Paschalis, eo in loco decreta est solemnitas, quae ad insequentis usque miracula temporis perduravit; quin etiam ad posteritatis monumentum reum ex arbore suspensum cum lusoriis instrumentis, in veteris aediculae pariete quadam inscriptione notatum, coloribus expresserunt, quam nos ipsi longo intervallo ex eodem semidiruto, exscripsimus; quia vero prae nimia vetustate voculae sunt obscuratae, ideo illam hic apponere omisimus. Mirabilis Deus in sanctis suis, quanto magis in Matre sua, quam cum quidam diabolica instigatione lusor pila percussisset in faciem, repente immobilis factus, a curia deprehensus, et ex arbore suspensus fuit.

§. CLXXXIII.

Vincentius Beluacensis (*lib.* 7. *speculi historial. cap.* 110) haec narrat, quae omnia oculis se vidisse testatur, his verbis: Iuxta Castrum Rodulphi est quaedam Abbatia, quae Dolis vocatur, super quandam columnam ecclesiae ipsius est imago lapidea ad honorem b. Mariae Virginis sculpta, ad quam cum quaedam paupercula mulier veniret orandi gratia, aderant ibi in atrio duo Barbantiones, qui improperantes mulieri imaginem blasphemabant: unus etiam lapides ad imaginem proiiciens, uno lapide percussit, et confregit brachium pueri Iesu; et cum manus illa lapidea cecidisset, exierunt guttae sanguinis e brachio, ac si esset hominis viventis, statimque in eodem loco ille, qui lapidem proiecerat, expiravit; alter vero cum vellet morientem inter brachia sua colligere, ut ei aliquod praeberet adiutorium, statim arreptus est a daemonio, et insequenti die defunctus est. Eodem etiam sequenti die cum turba multa conveniret, ut imaginem, et sanguinem de lapide fluxum videret, ipsis videntibus, ipsa imago scidit vestimenta sua, scilicet ornatum, qui circa eam erat lapideum, et collum suum, quod confirmatum erat monili lapideo, et pectus denudavit usque ad mammillas propter ignominiam, et iniuriam, quae illata fuerat sibi, et parvulo suo. Hoc contigit ann. Dom. 1187. tempore, quo bellum erat inter Philippum regem Francorum,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

est animadversum, Deiparam imagine dicta expressam, velut iratae mulieris similem avertisse vultum, ac nullum Anatolii precibus tribuisse locum, quasi blasphemum et execrabilem hominem prorsus aversaretur. Sed et eadem imago aliis in urbe piis eodem tempore per visum oblata est, multis in eo tandem conspirantibus, ut Anatolii tum in Mariam, tum in Christum ipsum valde contumeliosi horrenda impietas publice vindicaretur. Proinde visum est omnibus hunc facinorosum, ac impium e medio tollere, qui bestiis expositus. ab iisque devoratus fuit, lupis etiam inaudita crudelitate in mortuum grassantibus, quoniam rapaces bestiae cadaver impii detrahere, rapere, atque discerpere voluerunt. Haec veteres miraculorum loco habuerunt, ac velut divini iudicii certa testimonia reputarunt, e quibus perspicue constat, Mariomastigas non impune peccare, honorem vero ss. Virginis Deo esse curae, utpote qui eius iniuriam gravissime vindicet, ac vicissim pios eiusdem cultores multis magnisque muneribus libentissime prosequatur. Unde Nicephorus, postquam primum a nobis recitatum exemplum de punitis Mariomastigis produxisset, significanter adiunxit, eodem tempore multos, qui hoc audissent miraculum, laudes Deo decantasse, ac Matrem Domini celebrasse, quae ita semper Christianorum genus tueretur, quaeque novo quodam modo affectionem erga nos suam, quamvis praeter naturam eius sit, ut quempiam puniat, vi quadam adacta ostenderet, ut scilicet religio nobis stabilis, et firma esset.

§. CLXXIX.

Quanto dissimilior Magdeburgensis Udo fuit, qui et ipse ad studia plumbeus, cum nihil omnino proficere, suisque condiscipulis partim ridendum, partim se praeberet admiserandum, hanc eandem benignitatis arcam precibus aperuit, et ingenium, quo carebat, cum lacrymis poposcit a Virgine. Gementi, seque afflictanti divina Mater, non solum, quod petebat ingenium, sed suae etiam urbis episcopatum pollicetur, caveret tamen, ne duplicati beneficii immemor, a recto virtutis tramite declinaret, ac flagitiosae vitae se dederet, id enim non impune laturum. Ex hoc tempore tam beneficam puer Udo Dei Matrem expertus est, ut ad magnam ingenii, doctrinaeque laudem, non sine sociorum, civiumque suorum admiratione pervenerit. Neque solum eruditionem, ac scientiam, sed etiam Pontificiam dignitatem, ut erat a Virgine promissum, praedictumque, consequitur. Unde ingenii celebritatem, Pontificiam tiaram, ac Deiparae dona pessum dedit, tantisque muneribus ingratissimus, Episcopalique abusus potestate, contra quam Virgo tanto ante monuerat, turpissimis se flagitiis inquinavit. Igitur, cum beatissimae Virginis, et donorum, et monitorum oblitus, peccandi nullum finem faceret, in gravissimum Dei iudicium incidit, horrendoque mortis genere turpissimam vitam terminavit. Necis historiam, qua a concubinae complexu avulsus, in templum, Deo praesidente, multisque coelitum astantibus, tractus, damnatusque, et gladio iugulatus esse dicitur, daemonibusque traditus, qui praeda exultantes, sceleratissimi Pontificis animam in inferos demerserunt, variisque ludibriis affecerunt, narrat Bredembachius, aliique scriptores minime contemnendi.

§. CLXXX.

Tilmannus Bredembachius (*lib.* 3. *sacr. coll. cap.* 22) haec refert: Circa annum Dominicae Incarnationis 1577. cum passim in toto pene Belgio Iconomachi in templa, et imagines irruere coepissent, contigit in celebri quodam pago, Lokeren appellato, quatuor milliaribus a Gandavo dissito, quendam b. Virginis Deiparae statuam invadere, ac demoliri; cumque magno labore talem imaginem luxasset, decidens illa, sui ipsius casu vindictam inflixit Iconomacho; nam casus iste imaginis nutu divino sic accidit, ut puellus ille Christus Dominus, quem Virgo mater ulnis gestabat, quantumcumque antea blandulus, nunc ultrici manu, quam arte sculptoris protensam habebat, recta in caput, ipsamque maxillam Iconomachi impingeret, eandemque velut armilla quadam acuta perforaret; sicut de Leviatan apud Iob legimus, Iob (*cap.* 40. *et Psalm.* 31): *In chamo. et freno maxillas eorum confringe, qui non approximant ad te.* Quamquam hic animo praepostero nimis approximaverit, historia ab oculatis, et fide dignis testibus in consessu honoratorum virorum nobis relata est.

§. CLXXXI.

Thomas Costus (*in addit. ad compend. histor. Regn. Neapol. post lib.* 6. *annot.* 131), cui consentit Marianus (*lib.* 21. *de reb. Hispan. c.* 13) sic narrant: Quanta reverentia sanctorum templa, praesertim Deiparae in bellis etiam iustis, ab omni militari iniuria, et bellica profanatione sint custodienda, sequens exemplum templi Deiparae a Carmelo apud Neapolim aperte declarat. Cum Alphonsus, qui primus ex Aragoniis a Ioanna Secunda regina Neapolitana in filium adoptatus, Neapolitanum regnum est adeptus, cum Renato Andegavensi de regni possessione armis contenderet, eaque de causa anno 1439. Neapolim, quam Renatus obtinebat, terra, marique obsideret, Petrus Aragonius Alphonsi frater totius exercitus dux, eam civitatem multis in locis, sed praesertim murum illum civitatis prope templum b. Virginis de Carmelo ad portam urbis, vulgo a mercato dictam, aeneis tormentis quatiebat. Prostrato muro, qui Carmelitanum templum obtegebat, ingens quidam globus displosus eius templi absidem perrumpens, caput statuae Christi Domini nostri e cruce pendentis, quae super trabem in media templi testudine collocata erat, recta petiit; cuius ictum statua ipsa caput demittendo insigni miraculo declinavit: quare ingenti absidis concussione, et terrifico pilae fragore, exciti patres Carmelitae, aliqui cives monasterii custodiae deputati accurrunt, tantumque miraculum conspicati, sacram Crucifixi effigiem ad tutiorem locum transferre frustra sunt conati: eam enim neutiquam movere potuerunt; caput vero sacrae Crucifixi statuae in hodiernum usque diem aliquantulum solito depressius visitur: pila item illa ad miraculi monumentum in templo asservatur, tabella exposita, quae totius rei gestae narrationem continet. In sequenti vero die, qui teste Mariana erat 23. Octobris, et in feriam sextam incidit, cum idem Petrus ad vallum, aggeremque, ubi aenea tormenta ad quatiendam urbem collocata erant, advenisset, iuberetque nobis verberationem versus eandem partem redintegrari, e divae Mariae Carmelitanae templo, inquit Mariana, tormento percussus occubuit, pila tertio ad terram illisa quarto ictu caput eius comminuit; sic ille. Quo audito Alphonsus, fratris nece moestus, iustam tamen Dei punitionem agnoscens, testatus est se, cum Crucifixi miraculum, quod pridie evenerat, ex transfuga cognovisset, Petrum fratrem eodem, quo interiit die, sedulo monuisse, ne versus Carmelitarum Deiparae templum tormenta displodi iuberet; Petrum vero ad hoc nullum sibi responsum dedisse, sed malo suo eandem verberationem rursum tentare voluisse. Ad haec tanta est imbrium magnitudo, ut obsidio solvenda fuerit. Alphonsus vero hoc Crucifixi miraculo adeo est permotus, ut cum triennio exacto, Neapolis in eius potestatem venisset, postridie ad templum Deiparae Carmelitanum adierit, ut sacram Crucifixi imaginem pie veneraretur. Quod et deinceps crebro factitavit; haec Thomas Costus. Quam Crucifixi imaginem etsi Mariana non referat, necem tamen Petri miraculo tributam, his verbis scribit. Vulgus militum, sed et populi multitudo, Petri caedem in religionem vertebat: praesertim continuis imbribus oppugnatione impedita, soluta obsidione, Capuam discessum; haec Mariana.

§. CLXXXII.

In via publica prope s. Anastasiam, id est oppidum Nolanae dioecesis ad civitatem Vesuvium spectans, quod inter Nolam, ac Neapolim sex passuum millibus aequa distantia interiacet, situm ad Vesuvii montis radices, flammarum, cinerisque eruptione, ac Plinii interitu maxime celebris, erat angustum, ac tenue sacellum in campestri loco antiquitus extructum, cui nomen vulgo sancta Maria ab Arcu, sic dicta a fornice, ad cuius laevam in pariete erat liquidis expressa coloribus Deiparae imago, puerum Iesum inter brachia gestantis, quae quamvis nullo olim clericorum perpetuo servitio coleretur, illustrata certe divinitus est nobilissimo miraculo, quod finitimos populos ad pietatem novumque sacelli cultum excivit. Enimvero centesimo fere ab hinc anno, cum in ea vicinia ludum aliqui luderent, quo lignei globi trude item ligneo circumaguntur in plano, ac subinde truduntur, impius quidam, et proiectae audaciae, quod pecuniae iacturam faceret in ludo, die, quae sacratissimum resurrectionis Domini Pascha proxime sequitur, arreptam, qua ludebat, pilam, irato, infensoque animo, in depictae Deiparae faciem sacrilega manu contorsit, eiusque sinistram percussit genam: inde repente sanguis miraculose dimanavit; cuius represso fluxu sanguinei coloris impressa cicatrix divinitus remansit in facie. Verum extemplo impius percussor immobilis factus, eodem in loco in sceleris poenam, Iudicis sententia infelici arbori cum lusoriis instrumentis suspensus interiit: tunc vero perspicua mirabili novitate commota vicinia est, ad novam Deiparae pietatem tunc aucta celebritas: nam eadem feria secunda Paschatis, eo in loco decreta est solemnitas, quae ad insequentis usque miracula temporis perduravit; quin etiam ad posteritatis monumentum reum ex arbore suspensum cum lusoriis instrumentis, in veteris aediculae pariete quadam inscriptione notatum, coloribus expresserunt, quam nos ipsi longo intervallo ex eodem semidiruto, exscripsimus; quia vero prae nimia vetustate voculae sunt obscuratae, ideo illam hic apponere omisimus. Mirabilis Deus in sanctis suis, quanto magis in Matre sua, quam cum quidam diabolica instigatione lusor pila percussisset in faciem, repente immobilis factus, a curia deprehensus, et ex arbore suspensus fuit.

§. CLXXXIII.

Vincentius Beluacensis (*lib.* 7. *speculi historial. cap.* 110) haec narrat, quae omnia oculis se vidisse testatur, his verbis: Iuxta Castrum Rodulphi est quaedam Abbatia, quae Dolis vocatur, super quandam columnam ecclesiae ipsius est imago lapidea ad honorem b. Mariae Virginis sculpta, ad quam cum quaedam paupercula mulier veniret orandi gratia, aderant ibi in atrio duo Barbantiones, qui improperantes mulieri imaginem blasphemabant: unus etiam lapides ad imaginem proiiciens, uno lapide percussit, et confregit brachium pueri Iesu; et cum manus illa lapidea cecidisset, exierunt guttae sanguinis e brachio, ac si esset hominis viventis, statimque in eodem loco ille, qui lapidem proiecerat, expiravit; alter vero cum vellet morientem inter brachia sua colligere, ut ei aliquod praeberet adiutorium, statim arreptus est a daemonio, et insequenti die defunctus est. Eodem etiam sequenti die cum turba multa conveniret, ut imaginem, et sanguinem de lapide fluxum videret, ipsis videntibus, ipsa imago scidit vestimenta sua, scilicet ornatum, qui circa eam erat lapideum, et collum suum, quod confirmatum erat monili lapideo, et pectus denudavit usque ad mammillas propter ignominiam, et iniuriam, quae illata fuerat sibi, et parvulo suo. Hoc contigit ann. Dom. 1187. tempore, quo bellum erat inter Philippum regem Francorum,

et Henricum regem Angliae, altero constituto apud Castrum Dolis cum exercitibus suis. Et ego, qui scripsi, sanguinem illum vidi oculis meis, et imaginem nudatam, ac vestimentum revulsum. Qui autem viderunt eam ante perpetratum miraculum, testantur, quod erat prius rubicunda, et bene colorata; modo stat tamquam exanguis, et pallida. ibi pro certo caeci illuminantur, claudi curantur, et fiunt miracula; haec Vincentius.

§. CLXXXIV.

Ex libro de viris illustribus Ordinis Cisterciensis, et referitur (*in speculo exemplorum num.* 43. *distinction.* 3), et Vincentius Beluacensis (*lib.* 7. *specul. histor. cap.* 104) affirmat, hoc evenisse apud Lassentiam. Caesarius (*lib.* 7. *c.* 44): Quidam blasphemus cum in ludo perderet, satanico furore percitus, ubi omnia Christi membra, tam externa, quam interna per ordinem nimia temeritate inrasset, sanctissimae Dei Genitricis membra omnia singillatim iurare coepit, iis, qui aderant, prae horrore aures obstruentibus. Sed repente invisibili, et quasi fulmineo ictu percussus corruit, et diu palpitans, et mortiferos gemitus edens, sacrilegam animam efflavit, in cuius dorso inventa est plaga recens, et intus dehiscens, ita ut intima cordis, hepatis, et pulmonis apparerent. Multis vero ad horribile hoc spectaculum confluentibus, uni eorum quidam olim defunctus, apparens dixit, Christum Dominum Genitricis suae iniurias citius punire, aut si in posterum reservat, eas acerbius castigare.

§. CLXXXV.

Evagrius (*lib.* 1. *histor. cap.* 7), ex narratione quadam ab ipso Nestorio conscripta se accepisse testatur, ac narratur in hunc modum: Nestorius ex Suida, nepos Pauli Samosateni nefarii haeresiarchae, Episcopus Constantin. exercendae haeresis et ipse auctor, quippe qui duas in Christo personas ponebat, ideo filium Virginis tantum hominem esse dicebat, sanctissimam vero Virginem negabat esse Dei Genitricem, cuius blasphemias sac. Conc. universale Ephesinum, anno salutis 431, sub Coelestino I. damnavit, eumque Episcopali dignitate privavit: cumque adhuc obstinato animo suae haeresi adhaereret, edicto Theodosii Imperatoris in Oasim alio nomine Ibim, quae est in Aegypto provincia, deportatur. Verum ea Nomadum multitudine in eam irrumpente capta, ignique, et caedibus funditus vastata a barbaris, demissus, cum quibusdam captivis venit Panopolim, unde ad regionem quamdam Elechantiam nomine, ad extremam oram provinciae Thebaidis sitam, permilites iussu Praesidis deductus est; quo, cum itineris longitudine fractus, pervenisset, iterum magno cum labore Panopolim reverti iuberet, rursum a Panopoli ad quoddam illius confinium traducitur; inde etiam demigrare cogitur. De interitu vero eius haec subiicit. Ipse equidem accepi a scriptore quodam modum, quo decessit e vita, fuisse talem, nimirum eius linguam vermibus exesam esse, sic cum huius vitae miseriis ad graviora supplicia iusto Dei iudicio infligenda, eaque sempiterna migrasse; haec Evagrius. Addit Theodorus lector in Collecta, totum eius corpus putredine fuisse consumptum: et Cedrenus in Theodosio minore ait cum lingua totum eius computruisse corpus. Et haec quidem de Nestorii in Deiparam blasphemi miserabili interitu. Quod si quis nosse cupiat, quibus tormentis eius anima apud inferos torqueatur, facile intelligere poterit ex iis, quae habentur in Prato spirituali, capil. 26. de quodam fratre nomine Throphane ex regione Dora Nestoriano, quem cum senex quidam iuxta Iordanem in Laura Calamonis Cyriacus nomine, ad fidem catholicam hortaretur, ille vero haesitaret, tandem demisso fratre in spelunca, senior egressus est prope mare mortuum, ut oraret pro illo, et circa horam nonam diei sequentis aspexit frater illi quendam astantem sibi aspectu terribilem, ac dicentem: veni, et vide veritatem: duxitque eum in locum tenebrosum ac foetidum, ignes evaporantem, atque in ipsis ignibus vidit Nestorium, Eutychem, Apollinarem, Dioscorum, Severum, Arium, Origenem, et alios quosdam, dixitque: locus iste praeparatus est haereticis, et blasphemantibus, et his, qui illorum dogmata sequuntur: si supplicium istud non vis, vade ad sanctam catholicam, et apostolicam Ecclesiam, quam te senex docet: atque ita haeresi reiecta, catholicam veritatem complexus, remansit cum sene, et post quatuor annos quievit in pace; haec ibi.

§. CLXXXVI.

Zonaras (*in annali Constantinopolitan.*): Cum Leo Armenus vestigiis Copronymi insisteret, neque pios vellet Imperatores imitari, mater eius vidisse in somnis Deiparam dicitur, cuius in aede Blanchernia imago colebatur, iubentemque audisse, ut sibi propinaretur de vase pleno cruoris, quo cruore ecclesiae pavimentum redundabat: quod cum illa aversaretur, atque coeli, ait, Regina, tuus filius nullum finem facit effundendi illorum sanguinis, qui me tota mente venerantur; ideoque haud desinit ipse Deum, qui idem meus est natus, in se provocare. Neque post multo Leo interficitur, qui se sanctorum carnibus saginabat. Hic ille Leo est, qui exemplo sanctae Sophiae auream coronam immensi pretii gemmis ornatam rapuit, quam Mauritius Imperator sactissimae Deiparae dedicarat. Ergo, ut alii scribunt, carbunculo in capite oborto, perimitur, qui Virginei capitis ornamento ausus est sacrilegas manus inlicere.

§. CLXXXVII.

Ioannes Maria Politianus (*in vita sancti Alberti*), habet Surius (*de vitis Sanctorum, mense Augusti*): In Castro Drepanensi quidam aleator rem suam ludendo perdiderat: ex damno dolor, ex dolore nata desperatio est, ex desperatione impietas detestanda: nam iacturam animo repulans, ad locum, ubi beatissimae Virginis, sanctique Alberti imagines erant, accedens cum altero: ita ait, te saepe, Alberte invocavi, neque in afflictis meis rebus praesto esse voluisti, quid igitur te sanctum praedicem, ut hominum vulgus opinatur? Deinde ad Virginis conversus effigiem: tu, inquit, Maria, quae gratiae mater diceris, quoque precibus tuas pias aures occlusisti. Haec ubi effutivit insanus, arrepto gladio, utramque imaginem furibunde persecuit, ex ambabus continuo sanguis in terram instillavit. Viderat hoc tetrum, et immane facinus puer quidam, moribus, et aetate simplex, statimque in sacrilegum dolenter exclamavit. Fugit ille, audito clamore: exeuntem, ac se proripere conantem, in ipso templi aditu, tonitrui fragor horrendus exterret, fulminisque impresso ictu, impetuque gravissimo redigitur totus in pulverem.

§. CLXXXVIII.

Auctore Bernone Abbate Augiensi (*in vita sancti Udalrici Episcopi Augustiniani*): Sanctissimae Dei Matris nomini, consecrati Augustae urbis templi, tanta olim sanctitas, et religio fuit, ut ex eo sacrilega manus nunquam quicquam impune sustulerit, quod haec, quam dicam exempla testantur. Ex raptoribus unus, furens amentia, manus sibi ipse laceravit, neque prius sui dilaniandi, atque mordendi finem, quam a seipso misere discerptus, interiit. Alter librum ex eodem loco furatus, vendidit, cumque libri pretio equum coemisset, et domum deduxisset, praesente, audienteque uxore, equi pulchritudinem, praestantiamque laudasset, sibi de animalis commoditatibus applausisset, librum, qui tam utilis, fructuosusque fuisset, restitui debere negasset, cordata prudensque uxor contra exclamavit: utinam ne librum, o coniux, attigisses: perstat ille in sententia, et bestiae conluendae finem non facit. Eum quinimmo, ut fere fit in huiusmodi emptionibus, leniter tractat, dorsumque et caudam manu demulcet. Haec agenti, gestienti, ac temere glorianti, durissimum calcem efferatus equus impressit, quo vulnere exanimis subito concidit, et sacrilegii debitam poenam, et iustam morte persolvit. Tertius mitiore mulctatus est poena, quod se tempestive, ac mature correxit. Cum enim vilis straguli, quo mensae teguntur, partem, vel rupisset, vel quam ruptam invenerat, sibi audacius usurpasset, a daemone occupatus, nullum neque extra, neque intra aedis limen, latebrae locum invenit, et cum se lustrali aqua ad diabolum fugandum aspergeret, tamen mali illius comitis aspectum vitare non potuit. Quocunque se verteret, ubi pedem poneret, in satanam, itineris individuum socium, incurrebat. Ergo reversus Augustam, quod abstulerat, reddidit, sanctoque Udalrico Augustano Episcopo magno integerrimae Virginis amatori, advolutus ad genua, ob sacrilegium poenam sibi postulavit imponi. Eum Episcopus clementer acceptum a daemone liberavit, domumque remisit, meliora cogitantem. Deinde Udalricus, Conrando Constantiae urbis Episcopo socio, ad incultam Helveticorum solitudinem profectus, immaculatae Virgini templum, utriusque pariter voluntate, opibusque fundatum, collocavit; quod templum miracula, resque uni Deo facta faciles, illustrarunt.

§. CLXXXIX.

Wilhelmus Lindanus (*in Apolog. relig. cath. cap.* 2): Cuidam Hollandicae mulieri, ex Anabaptistarum foece, quibus Deiparae Virginis maxime invisa religio est, pariendi tempus advenerat: aderant cognatae, et vicinae, quarum una puerperam monuit, ut se in tanto vitae discrimine Virgini commendaret; cui illa: quid mihi istam, horresco referens, immundam suem appellare opus est? Sequitur illico horrendi poena convicii, non quidem pro ratione flagitii et facinoris execrandi, sed ad memoriam tamen posteritatis maxime insignis. Statim enim, ut nefariam illam vocem, quam et animus, et aures exhorrescunt, haeretica mulier emisit, nigellas aliquot suculas, partim vivas, partim mortuas edidit, monstrosoque illo portentosae blasphemiae poenas aliqua dedit ex parte, et se porcam turpissimam, atque spurcissimam testificata est, quae porcas peperisset; siquidem unumquodque animal sui simile generat. Neque Deipara, qua facilitate est, si resipuisset obscena mulier, et palinodiam cantavisset, non feriret caesa porca foedus, et obliteratis iniuriis in suam clientelam miseram illam porciferam libenter acciperet.

§. CXC.

Augustinus Mannus (*in hist. rer. memor. in Eccles. Dei gest. cap.* 41): Religiosus quidam ex Cappuccinis ex Siciliae insula, cum socio redibat in Italiam. In ea navi, qua vehebatur, erat homo quidam, qui mala quadam valetudine affectus, cum patienter ferre non valens, maledictionibus, et blasphemiis erga Virginem Dei Matrem iaculatis, quaerebat aegritudini suae solatium. Hoc cum indigne ab omnibus, qui in navi erant, audiretur, et propterea timerent, ne navis, blasphemias ulciscente Deo, mergeretur in profundum; primus religiosus ille pater hortabatur eum, ut cessaret a blasphemiis illis, et linguam effraenem compesceret, ne illum Deus exterminaret; ipse tamen huiusmodi correptionibus magis exacerbatus, fortius blasphemabat. Ceteri quoque circumstantes acribus verbis virum obiurgantes, et com-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

minantes ei, nisi desisteret ira percitus, et diabolo stimulante, in furorem versus, in maledicta execrabilem linguam vehementius accendit. Adhuc os contumeliosum eructabat dira verba, et tanquam iacula contorquebat in coelum, quando fumus ater, et nebulosus egreditur ex quadam spelunca, quae erat ex adverso iuxta loca. Unde, sicut ex Vaesuvio monte contigit, ignes nonnunquam erumpere solent, et elevatus in altum, cogitur in grandem nubem, quae per aerem pergens, coepit descendere super navem, cumque super illam incubuisset, omnes, qui illa vehebantur, trepidare metu, percutere pectora, emittere vota, fundere orationes, clamare ad Dominum: salva nos, perimus: sentiebant enim, repentinum illius nubis adventum super navigium aliquid portendere. Vix horrenda nubes aliquantulum super navim incubuerat, quando rursus in aerem tollitur, et auditur in ea clamor hominis blasphemantis, et petentis auxilium, qui ab invisibilibus daemonibus raptus, intra nebulam ferebatur. Mox prodigiosa nubes, aethera secans, in tenebrosum antrum egreditur, unde egressa fuerat, secum ferens miserabilem hominem, qui ulciscente numine, traditus est crudelissimis tortoribus, ut per viam mortis ducerent illum ad ignem, et aeternam carnificinam. Religiosus ipse, qui interfuit, retulit haec aliquibus ex patribus suis, a quibus haec accepimus.

§. CXCI.

Idem Augustinus Manous (*ibid. cap.* 39): Aleator Mariam Virginem blasphemans, punitur horribiliter in ore. Si qui autem reliqui reperti sunt, qui aliquando illam non beatam praedicaverunt, sed blasphemarunt, coelestem ultionem experti sunt, sicut contigit cuidam ludis dedito, qui cum luderet aleis, et pecuniarum fecisset iacturam, subito ira accensus, b. Virginem blasphemare ausus est: quod cum fecisset, os eius contortum factum est tam foedum, ut monstro similis esset, deciditque in terram semimortuus; qui cum tam immaniter torqueretur, in vehiculo positus est, et constratus, in domum eiusdem magni Praelati, cui serviebat, deductus est; hoc retulit nobis Horatius. Alterius nobilis Romanus, cum in villa Carboniani nobiscum esset, asserebatque eo tempore, illum adhuc vivere; erat autem aleator iste vir in ceteris probus, et eleemosynarum largitor; sed cum in ludo erat, iracundiam excitans, non erat sui compos, sed execrabiles blasphemias eructabat; haec autem Patritius iste propriis se oculis vidisse testabatur.

§. CXCII.

Tilmannus Bredenbachius (*l. 3. sacr. collat. cap.* 23): Vastabat haeretica rabies Catholicorum Ecclesias, nullisque imaginibus parcebatur. Cumque inferni praedatores in d. Francisci templum, quod Antuerpiae celeberrimum erat, irruissent, et sacras effigies deturbassent, ventum est ad imaginem beatissimae Virginis, amictam sole, et pedibus luna subiecta, qua figura quondam ostensa d. Ioanni Dei Mater est, etsi illa Ecclesiae etiam typus fuit; hanc ex summitate pendentem nulla, neque vi, neque arte sacrorum hostes deiicere, et demoliri potuerunt, intactaque et immobilis de suis hostibus triumphavit, suisque cultoribus latissimum spectaculum praebuit: hanc eandem Tilmannus non sine ingenti gaudio se vidisse testatur. Non est dissimile, quod in Delphensi Holandiae oppido anno 1533. idem auctor evenisse scribit. Omnes Castelli domos incendio consumente, tres Deiparae imagines, diversis in locis positas, quas summa religione venerabantur oppidani, nec vulgariter ars ipsa, et venustas commendaret, a flammis cuncta perdentibus, intactas permansisse, mirarum, qui a se Romanis militibus comprehendi passus est, quos paulo ante postularat, retroque labi coegerat, imagines sacras alias defendit, alias furentium haereticorum potestati libidinique permittit, et scelera sceleribus punit, quod gravissimum vindictae genus est; quamquam supplicii gravitatem tarditas ipsa compensabit: neque tamen in seram mortem, tormenta omnia videmus esse delata: punit persaepe vivos Deus, eosdemque mortuos flammis addicet sempiternis.

§. CXCIII.

Ludovicus Granatensis (*de symb. fid. part.* 2. *sect.* 10): Bonifacio Ferrentinae iam civitatis Episcopo sororis filius iam serviebat, dignitate quidem presbyter, sed moribus, ne ostiario dignus, erat enim ambitiosus, et rerum sacrarum foedissimus nundinator: nam Bonifacii antistitis prope divini, cognatione fretus, quae valere nihil debet, ubi cetera paria non sunt, successorem se fieri cupiebat, et duodenos aureos nummos, quos ex equi venditione paraverat, in arca servabat, Pontificatus emendi subsidia, et symoniacae fraudis instrumenta. Cum autem die quadam negotiorum causa Constantius abesset, hoc erat pestifero huic presbytero nomen, egentium, et aerummosorum multitudo Bonifacium, ab ipsis incunabulis misericordem, atque benignum de morte circumstetit. Cumque beneficus et liberalis Episcopus esset exhaustus, et nihil haberet, unde tam multorum paupertati succurreret, neque, ut inanes, dimitteret, adduci posset, mente, et animo fluctuabat. Omnia lustranti, atque animo reputanti, pecunia illa venit in mentem, quam suus ille ex sorore nepos vendito equo servaret. Ergo thecam resignat, pioque illo furto pecuniam acceptam laetus distribuit egentibus. Constantius reversus, arcam revisit thesauri custodem, cordisque captivi: vacuam ubi reperit, non alium, nisi Episcopum, illius furti ratus auctorem, foras se proripit, fremit, bacchatur, omnes illa in domo beatos esse, se unum miserum, atque infelicem indignabundus exclamat. Bonifacium aliis vitalem, suae

sororis filio semper esse mortiferum vociferanti, accurrit Episcopus cum universa familia, et efferatum Constantii animum orationis lenitate mitigare conatur: cum stomacho presbyter mansuetum accusat avunculum, illud semper ingeminans: omnes hic vivunt, unus ipse mori cogor: cuncti tui libere agunt, solus Constantius tuae sororis filius duram servit servitutem: aurum, aurum, inquam, reddito meum. Episcopus procacibus querelis, et vesana hominis ira commotus, ad Deiparae templum advolavit, et tendens supplices manus, nummos a Virgine postulabat, quibus furentis iracundia presbyteri leniretur. Multiplicata prece Pontifex, extenta veste quasi aliquid accepturus, inter orandum, ad sinum, quam expanderat, forte respiciens, duodecim nummos aureos conspicatur, metalli adeo fulgentis, ut ex aurificina illa ipsa hora prodiisse videretur. Igitur e templo Dei Matris egressus, aurum illud, Virginis amatae donum, in stomachantis presbyteri sinum proiecit: habes, inquiens, solidos duodecim, quos tantopere requisisti; me tamen mortuo, huius ecclesiae non eris Episcopus, quo munere tua re avaritia reddit indignum. Itaque mortuus est miser ille Constantius, qui se aliquando fore Episcopum sominiarat ex sacerdote, et turpem, detestabilemque mercatum animo tacitum continebat.

§. CXCIV.

Simeon Metaphrastes (*in vit. s. Theod.*): In nova insula Paro ex templo Dei Matris pulcherrimo, barbarus quidam pyrata, Nisirus nomine, Arabs genere, Cretensium classis praefectus, lapidem quemdam formosum, in Cretam tentavit abducere, et illius sanctitatem idolorum superstitione polluere. Haec eo cogitante, ac petram amovente, divino nutu in eam granditatem pulcherrimus ille lapis excrevit, ut eius immensitatem capere templi porta non posset. Id cum vidisset Arabs, atque integrum se deportare posse diffideret, furiis incitatus defringi iubet, et in partes divisum, dissectumque transferri. Sed divinus Iudex poenas ab improbissimo latrone haud sero repetivit: cum enim ad Euboeae promontorium, quod Xilophagum appellant, naves enim compactas ex ligno demergit, pervenisset, naufragium audacissimus pyrata fecit, marinique fluctus divinae ultionis ministri, nefarium praedonem, hostemque sacrorum penitus obruerunt, exemploque fuit, quam illis perperam res cedat, qui Virginis dona conantur invadere.

§. CXCV.

Michael ab Isselt (*lib.* 14. *Mercurii Gallobelgici ex Franco fidei Catholicae adversario*): Quidam, ait, in oppido Montani, ut 15. Septembris scribunt, ausus est stricto gladio statuam b. Mariae Virginis ferire, e vulnere mox sanguis effluxit, quo cum multi coeci, surdi, claudi, et qui aliis vitiis et morbis laborant, sanantur. Existimat praedictus Michael ab Isselt hanc eandem esse imaginem, de qua virum magni nominis Spira scripsisse asserit. Impius quidam cum de dicta imagine et iis quae ab illa fieri dicebantur, audisset, ut illuderet illi, iumentum oculis captum eo adduxit, visum illi restitui petiturus Bestiae lumen redditur, et illusori adimitur.

§. CXCVI.

Anno Christi 1525. cum Lutherani cathedram cathedralis ecclesiae d. Virginis Erphordiae vi invasissent, et iam ad tempus occupassent, concionator quidam nomine Ioannes Culsamerus consistens in cathedra, ac digito monstrans statuam b. Virginis sub maximo organo consistentem, in has blasphemas erupit voces: Non quiescam, nec dormitum ibo, antequam idolum illud, statuam d. Virginis intelligebat, ex hac aede Basilica eiecero. Sed ecce subito ignis sacer digitum ipsius invasit, et eadem nocte subita morte extinctus est. Statua autem sanctissimae Mariae in eodem loco permansit.

§. CXCVII.

Circa idem tempus cum Senatus omnium coenobiorum, et Ecclesiarum ornamenta in curiam ferre iuberet, etiam argenteas tumbas duorum patronorum ss. Eobani, et Adalarii sub hoc specioso praetextu, ne tempore seditionis praeda fierent impiorum, aurifero prope Praedicatores habitanti, ablata est magna argentea statua s. Mariae in Sole, ut eam liquefaceret, et monetam ex ea cuderet: is, quia pessimus erat hostis Ecclesiae catholicae, ferreo malleo magno, ut incipit contundere faciem statuae, et blasphemo ore dicere: sic coercenda sunt idola Papistarum, etc. et subito excoecatus est, et mendicus mansit usque ad mortem.

§. CXCVIII.

Eutrop. (*lib.* 21. *rerum Rom.*) scribit: Paulus Diaconus cum Iconomachus quidam conspecta statua b. Virginis lapides in eam iecisset, eamque comminuisset, per quietem Virginem ipsam ab eo visam terribiliter his verbis comminantem, in caput tuum hoc fecisti. Deinde paulo post eundem ingenti lapide percussum, atque ita contusum esse, ut ipse statuam comminuerat. Theophanes ait: Constantinus quidam Strator Artabati videns imaginem Dei Genitricis stantem, apprehensum lapidem adversus eam proiecit, et contrivit, et cum cecidisset, calcavit, lapidis eam iactu deiecit, deiectamque pessumdedit. Et vidit in somnis, somno sopitus, astantem sibi Dominam nostram, et dicentem: Nosti quam fortem causam in me operatus fueris? scisne qualem te mihi praestiteris, et quam de me valenter triumphave-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

ris? verum contra caput tuum hoc fecisti, haud erit impunita audacia. Postea vero dum Sarraceni adversus murum congressionem facerent, et ageretur bellum, currens ad murum, ut fortis miles infelix ille elicitur e lapide transmisso ex Mangone, machinaita dicta, et contritum est caput eius, et facies, dignam impietatis suae retributionem percipiens, etc. vel sequutum brevi est cum Sarracenis bellum, quos muro subeuntes, dum miser Const. repellere conatur, proiectu lapidis comminutus ac contusus interiit, etc.

§. CXCIX.

In Conc. Nic. 2. (*Act.* 4): Fuit vir Cyprius in urbe Constantia armentarius, boves et armenta pascens, qui oranti causa, proposito, atque animo, in Virginis Deiparae sacellum concessit, ingressus est, atque cum inter orandum suspiceret, oculos ad templi fabulas, imaginesque converteret, imaginem Virginis ex coloribus in parietibus expressam animadvertit, beatissimae Virginis effigiem coloribus expressam in adverso pariete vidit, ac indignabundus, subita coreptus amentia, dixit: Quorsum haec? statimque stimulo, quo boves agebat, incitabat, sublato, impresso, eidem imagini Virginis dextrum oculum eruit, demolitur. Inde egressus caepto pergebat itinere, dumque forte pecus ad maturandum iter pungit, boves, ut moris est, instimulat, atque urget tardiores: ecce sibi stimulus, agitatoria hasta, confringitur, et ea pars cui ferrum erat infixum, in dextrum hominis oculum recta involat, ac miserum oculo privat. Instigantis ligni pars illa ferrata resiluit, certissimoque ictu retro versa, bubulae grande illud pecus a tergo insequenti, dextrum oculum funditus erait, iustissima lege talionis. Narrat hoc Constantinus sanctissimus Cyprius Episcopus coram toto consessu, in coetu gravissimo, Patrum verbisque disertis adiungit; hunc ego Constantinus virum vidi, et monoculum etiamnum ex hac causa esse cognosco.

§. CC.

Libr. 18. Ecclesiast. Histor. (*cap.* 33), Bredenbach. (*lib.* 2. *cap.* 12): An. Christi 587. Affine est quod Nicephoro narratur auctore, de quibusdam verbo dumtaxat, et nomine christianis, cum in caupona cum iocis et ludo comparassent, non se satis lepidos, et in ridiculis iocendis facetos visum iri putarant, nisi inter pocula puritatis, sobrietatis, et virtutum omnium Matrem, praecepticremque Mariam dictis impie, nefarieque lacesserent, seque vicissim ad Deiparae iniurias et convicia provocarent. Non tulit matris suae contumelias ultor Deus, ac scelerum vindex opportunus, siquidem nefariae horrendaeque illius vocationis auctores potenter arripuit, oppressit, ac perculit, et cum ipsis, ut dicitur, vestimentis detrusit in inferos, ipse autem caupo, illiusque vinariae tabernae dominus, ad quam perditissimi illi ganeones torconesque convenerant, non evasit impunitus: licet enim lingua nihil admiserat, tamen dissimulationis, accusabilisque patientiae poenas dedit atroces. Ei namque non multo post nocte quiescenti Dei Mater astare visa est, et quod blasphemos tecto excepisset, et toleranter audisset, ad intactae Virginis maledicta, et convitia tacuisset, obiurgare, turpeque silentium exprobrare institit. Miser caupo supplex Virgini esse, delicti veniam petere, ne tam cito raperetur, sed poenitendi, ac se expiandi tempus daretur obsecrare. Virgo datoram se, et morte dilata expiandi animi tempus aliquod, spatiumque fore promisit. Vimine, virgula, interim, quod genua gestabat, cauponis genua undequaque signavit, et quasi exarando, ac lineam rotundando circumscripsit. His ita actis Virgo discessit, illeque somno solutus, evigilans, membra illa, quae vimine notata erant, a cetero corpore avulsa, incisa, discerptaque receperit, et sanguinem quasi ex recenti vulnere profluentem vidit. Productus hospes miserandus in publicum, foedo illo corporis habitu, et horribili cruum sectione, non minus quam oris testimonio miraculi veritatem confirmavit, instissimumque illud omnipotentis Dei, et iudicium, et supplicium ad multorum exemplum patefecit.

§. CCI.

Sanctus Gregorius Turon. (*libr. in gloriam plurim. martyr. cap.* 19): Templum erat in urbe Turonensi s. Mariae Virgini, ac divino Christi praecursori dicatum, ubi periuri divinitus plectebantur. Quidam enim, qui peierandi animo in Ecclesiam venerat, simul atque ad Virginis aram assistens manum sustulit, ut iusirandum mendax pronunciaret, retro habens ita caput ad pavimentum supinus afflixit, ut vix vitae spes ulla superesset. Cum autem recreatus, atque erectus ad se miser homo rediisset, periurii scelus, quod occultarat, patefecit, et ad Dei, Mariaeque matris gloriam pervulgavit. Gregoriusque Turonensis huius auctor historiae, quosdam Turonenses vidisse se ait, qui in illo eodem loco iusiurandi religionem, testimonii sanctitatem violarunt, haud impunita quidem audacia, quandoquidem omnes intra anni curriculum vivere, atque auras inficere desierunt.

§. CCII.

Ioan. Ant. Valtr. (*in annal. societ.* 1582. *de historia Provinciae Romanae*): Homo Transalpinus, ex sacra Lauretana domo calcis aliquantulum sustulerat: hunc ubi Romam venit, morbus debilitate subita adortus est; cum autem de consilio quorundam Lauretum rediisset, calcemque restituisset, illico sanitatem recuperavit.

§. CCIII.

Ioan. Bonf. (*lib.* 5. *de historia Virginali, cap.* 1) refert: Huic valde affine est, quod nostra memoria Ioanni Soacres Conimbricensi Episcopo contigit, qui in illo ad Concilium Tridentinum itinere, laterem ex eadem Lauretana aede, illo permittente, qui poterat, desumptum, tamen non tulit impune: nam morborum, et dolorum quasi tempestate quassatus, non ante convaluit, quam laterem eo unde abstulerat, referendum curavit, etc.

§. CCIV.

Histor. Eccles. Suidas, Sur. (*in vita S. Nicetae*), auctor Miscell. Zon. (*tom.* 3. *Annal.*), Eutrop. (*lib.* 22. *rerum Rom.*), Bred. (*lib.* 2. *cap.* 11) sic aiunt: Constantinus Copronius, *qui hoc foedissimo notatus atque affectus est cognomine, quod illo tempore, quo sancto baptismi fonte tingebatur, humani corporis stercus egessisset, futuraeque vitae foeditatem ob turpitudinem portendisset*, eo impietatis et amentiae prorupit, ut omnem ss. Virginis invocationem, et cultum detestaretur ipse, et Christicolis imploraari Virginem lege lata prohiberet. Neque mirum videri debet, eam turpiter transiisse, et eius sanctionis, quae intemeratae Virginis cultum abrogaret, auctorem illum fuisse, qui Venerem coleret, magistramque libidinis adoraret, pueros macaret, humanisque victimis uteretur; foetidorum ita amantem fuisse accepimus, ut brutorum suosque aulicos ad idem exemplum non magis hortaretur quam impelleret. Moriturus carbunculum, morbi genus horribile sensit, quo pedes inflammati condolebant: ardentissimis etiam iactatus est febribus, quae tales fuerunt, ut medicis remedium inveniri non posset. Accessit elephantia, etc. Ergo rebus omnibus desperatis clamare ac vociferari coactus est, se violatae Deiparae Virgini poenas dare, et propter impias in Dei Matrem, detestandasque blasphemias vel vivum flammis illis tradi, quae nullis saeculorum spatiis ac terminis extinguuntur, precari proinde, ut Maria meritis laudibus exornetur, quibus sibi placetur irata. Paulo post impius discessit, indignus divinae parentis auxilio. Mortui sepulti cadaver, Imperatore Michaele Theophili filio, effossum exhumatumque est, incendioque consumptum, ut ardentis apud inferos animam similitudinem aliquam exhiberet.

§. CCV.

Canis. (*lib.* 5. *c.* 20. *oper. Mariani*), citans Evagrium, et Niceph. (*lib.* 2. *cap.* 14), sic scribit: Constantinopoli in ea custodia, ubi Mariae Dei Matris hostis Anatolius, iussu Tiberii christiani principis, proxime aule Mauriliium imperavit, tenebatur inclusus, immaculatae eiusdem Mariae Virginis imago ad eorum solatium, qui in carcere erant, funiculo religata pendebat. Anatolius, dum suam causam Augusto probare nititur, et mutatae correctaeque vitae testes colligere studet, in illam eandem clarissimae Matris Dei effigiem oculos interdum iaciebat, veniamque scelerum effagitabat, animique dolorem ex vitae superioris scelerum memoria et recordatione susceptum, ad placandum optimi Principis iram callide simulabat, neque tam animo ac sincera voluntate, quam externo corporis habitu, atque ementita specie ante virgineam illam imaginem Virginis Virgini supplicabat. Ad fictas Anatolii preces, rem miram, Virginis imago iratae similis, vultum avertit, illo ipso, qui custodiae praeerat inspectante, aliisque compluribus rem admirantibus, partim est custodiis, quibus carceris erat custodia commissa, partim ex eorum consolatoribus, quos carcere inclusserat. Quin et ipsa Dei Matris effigies, illo eodem iracundo aspectu, Anatolio minitabunda, multis extra carceris limen monstrata per visum esse narratur, quo gravior populi totius in sceleratissimum illum sontem esset offensio. Quamobrem communis omnium vox, Anatolium de medio tollendum, horribilique supplicio interimendum esse proclamavit. Itaque omnium consensu bestiis obiectus miserrime dilaceratur, sed non miserabiliter: nec enim erat quem miseratio commoveret. Lupi, exlincti Anatolii cadaver arreptum, discerptum, huc illuc iactatum, avidissime confecerunt. Evagrius scribit, Virginem se nonnullis fidelibus ostendisse, et eos contra scelestissimum priscae impietatis auctorem incitasse, dixisseque filium suum ab Anatolio contumeliis affici, etc. addit etiam: Anatolius bestiis obiectus, et sublatus in crucem populi, quae parabantur, tormenta effugit, quae praeterea inferebantur, terminavit. Sed Lupi, quae visa nova res est, corpus e cruce deturbant, humi proiiciunt, et pastu crudeli membratim devorant.

§. CCVI.

Trithemius (*lib. de origine gentis, Principumque Bavariae*) narrat: Dynastae Scheirenses tantae nobilitatis, ut Bavariae principes multos procecarint, insigni pietatis laude commendantur. Quod enim in ipsorum ditione erat praestans, admirandamque castellum, religioni beatissimae Virginis dedicaverunt, monasterioque constructo, quod etiam nunc apud Bavaros extat, gentis, ac familiae non modo sepulcrum, humantur illic Bavariae proceres, sed etiam monumentum reliquerunt. Cum enim illo, qui familiam ducebat, quique rerum sine controversia legitimus possessor erat, extincto atque mortuo, multi haeredes de Scheirensi castro dubia lite contenderent; divino agente spiritu, suo quisque iure cesserunt, et beatissimae coeli Reginae castrum illud libentissimis animis obtulerunt, uno excepto, duce Arnoldo, quem Bavarorum vulgus infelicem appellat, cum infandum dicere debuisset, qui, quod malo

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

daemone familiariter uteretur, suae partis eum consortem facere nitebatur. Non multo post daemon amicus gratiam retulit, eam scilicet, quam sibi devotis reddere consuevit. Vivum enim vestitum, sospitemque corripuit, et in lacum monasterio vicinum deturbavit, unde nunquam est visus emergere. Eo igitur de medio sublato, rata ceterorum donatio fuit, et haereditas pervenit ad Virginem, quae suos remuneratur amatores, et ex orci faucibus ereptos, ad illam vitam perducit, quae nullis finibus terminatur.

§. CCVII.

Vincent. Beluac. (*par. 2. spec. hist. lib. 8. c. 104*) ait: Placentiae cum in taberna luderet quidam, tesseraeque laetus minus prosper ac felix cecidisset, gloriosissimo Mariae ventri, ubi Christus salus nostra delituit, impudentissimus aleator obstrepuit, ad nefariamque vocem, qua Virginem uterum diris exsecrationibusque devovet, subita morte prostratus descendit ad inferos, quem locum incolunt, quos a se Christus bonus pastor segregavit, ac furiis ultricibus daemonibusque permisit, in omnem veritatem cruciandos.

§. CCVIII.

Caesarius monachus Cisterciensis (*lib. 7. Dial. cap. 7*) refert: Matrona quaedam tum pia, tum nobilis, Cisterciensi familiae praedia donaverat, quibus in s. Mariae Virginis honorem aedificata domus est. Cum vero post matronae fundatricis obitum quidam se bonorum illorum legitimos esse dominos profiterentur, Cisterciensibus esse molestissimi coeperunt, duce Henrico, qui omnium acerrime monachos agitabat. Sed tamen Dei Matris ope, quae coenobio praesidebat, effectum, ut non modo praeda illa non potiretur, ut suis etiam fortunis eversus, vitam egerit infelicem. Alter eorundem bonorum cupidus, et monachorum illa de causa vexator, a suo occisus servo, temeritatis, et audaciae meritas dependit poenas. Tertius ad hanc eandem praedam advolans, et anhelans, in ipso cursu miserrimus occidit, ac medius crepuit, ut, qui Iudae proditoris imitabatur avaritiam, Iudae supplicium pateretur. Hanc memorabilem ultionem, cum quidam ex compelitoribus vir et nobilis, et bene cordatus audivisset, in templum Virginis venit, et haec ibi verba fecit: Domina meu, spes mea, portio mea, sint tua tibi, ego iure me cedo, et quae me pars attingit, si forte attingit, eam ego partem libenter abiudico. At vero post tot exempla Dynasta quidam potens, cui Wilhelmo nomen fuit, uxoris instinctu, quae sese bonorum illorum iactabat haeredem, sua ipse auctoritate agrum omnium optimum occupavit, ac monachis omnia iure ac lege tenentibus, gravissimum tum rapinae, tum contumeliae vulnus inflixit. Interea religiosus quidam sacerdos in visu didicit, quae poena raptorem sacrilegumque maneret, eumque proinde monuit, ut mature resipisceret. Ille, culpata uxore, aliena retinere, monachis negotium exhibere perseverat. Romani Pontificis severo diplomate ac litteris appellatus, rem diutius, quam par esset, extraxit. Interea, dum cursores ultro citroque commeant, ac de pace cum Wilhelmo frustra contenditur, deque agro reddendo nequicquam laboratur, religiosus quidam, Ioannes nomine, in somnis Virginem querentem audivit, atque ita dicentem: hinc me commigrare necesse est; rogante hoc ipso, quo ibis Domina? ad illium meum, inquit, de Wilhelmo conquestura, qui me hoc in loco quietam esse non sinit. Postridie mane visionem Ioannes cuidam Wilhelmi famulo patefecit, et dominum cito moriturum significavit. Irrisit famulus; sed irrisisse nollet, quippe qui altero pede truncatus despicientiae poenas persolverit. At Wilhelmus dum in secreto quodam nemore, viscum manu tenens, volucres aucupatur, a duobus Comitis Seinensis administris, quibus unius captivi praedam extorquere conabatur, lancea transfixus, confestim exspiravit. Uxorem malorum causam privignus quidam ex bonorum omnium possessione cum liberis, quos ex tyranno Wilhelmo susceperat, praecipitem exturbavit. Ita Cistercienses gloriosae Virginis Deiparae meritis ac patrocinio cuncta pacifice possederunt.

§. CCIX.

Ioan. Lopez (*lib. 1. de Rosar. cap. 15*) sic describit: Anno 1472, senescentem Rosarii pietatem divi Dominici sectatores, iubente Deipara, Coloniae renovandam curaverunt. Procedente eorum industria, et sodalium augescente numero, prospera Rosarii principia duobus illius urbis concionatoribus ingrata et inucunda fuerunt. Honorabat concionatorum hoc par, et celebrabat maxime populus, ob eloquendi artem etc. ideoque ad horum utriusque concionem audiendam innumerabilis multitudo confluebat. Igitur Rosarii crescentis iniuria tacti, pium illum ita precandi morem vituperare adorti, seque versute ac veleratorie in auditorum animos insinuantes, Rosarii religionem, et sanctitatem perfidiose impieque vexarunt, etc. Alter illorum incredibili audacia cum sodalitatis pernicie, et sacri iniuria Rosarii, ex superiore loco multa iactavit, multa impudenter effutivit, quibus retardati quam plurimi, et ab illa pietate deterriti, partim societatem, quam iam coierant, deseruerunt, partim ineunda consilia prorsus abiecerunt. Ergo quae tam multos numerabat, ad paucos redacta sodalitas, suam solitudinem deplorabat, etc. Cum vero nugator ille quosdam animadvertisset, et Rosarii adhuc tenaces esse, et sodalitia frequentare, ad eam religionem funditus eliciendam, et eius exinanienda collegia, concionem in proximum Dominicum diem cum applausu auditorum indixit: in ea se monstraturum, quam esset inanis, et futilis illa religio, etc. Advenerat dies ille Dominicus, populusque in maximam concionis expectationem adductus, templum omne compleverat: cum eundi tempus esset, neque tamen orator appareret, quaesitus a suis, inventus est mortuus: nam proximi sabbati nocte cum sanus et valens cubuisset, et minacem illam concionem habiturus esset, Dei iudicio omnia contuentis ac regentis obiit repentine, nullo teste, nullo adiutore, nemine, qui Iesu et Mariae salutifera nomina identidem invocaret, assistente. Ille alter orator erroris concors et socius, et Rosarii exagitator impius, illud humanitus evenisse censens, mortui consiliorum se professus haeredem, Rosarii reliquias delere constituit, et in eam finem concionem advocavit; dumque in suggestum parat ascendere, tota urbe inspectante, paralysi repentina correptus, in terram subito concidit, integra tamen Dei beneficio mens mulo infantique relinquitur. Igitur cum intellexisset improbati Rosarii se poenas meritas dare, et supplicii causam agnosceret esse iustissimam, coeli Reginam, cum voce non posset, animo et corde compellat, lenissimeque matris opem mutatus implorat, et linguam a Deipara postulat, quae praedicet, dilaudetque Rosarium, quod furiis agitatus, impugnasset. Impias, ac nefarias conciones commendandi pro dignitate Rosarii, tum assiduitate, tum alacritate et studio se correcturum esse promittit, diligentioremque se ad restituenda sodalitia fore, quam fuisset ad evertenda furiosus. Vix sponsionem, votumque finierat, cum vox illi linguaque redditur, et valetudo pristina reperatur, inde ad suggestum laetus ascendit, et in illa maxima frequentia Rosarii laudes suavissime, verissimeque prosequitur, taleque et pietati testimonium dedit, quale eius oportebat, qui beneficio Virginis ex tanto tam gravi, tum periculo, tum supplicio incolumis evasisset.

§. CCX.

Nicolaus Orlandius (*in annalib. Societ.* 1584): Homo improbus, omnium religionum contemptor Brunsvichii, ubi coenobium virginum erat instructum, sub trunco arboris, ubi Dei Matris imago infantem Iesum fovens in gremio tot iam saecula suum habuerat domicilium, cellam vinariam effodi iussit. Sed non impune haec impietas abiit. Tertio die horrea omnia, et pecus universum, et aedificia nonnulla ignis incendio conflagrarunt; ipse vero sceleris auctor, cum magnos ad honores iam pervenisset, multorum facinorum reus, in arcum coniectus est carcerem, ubi scelestam vitam inhonorato fine conclusit.

§. CCXI.

Franciscus Bencius (*in annalibus Societ.* 1580. *et 7. in hist. Provinc. Pol.*): Cum uxor cuiusdam haeretici Adriani beatissimae imaginem Virginis, ad quam orare solebant Rutheni, recte sentientes, coniecisset in ignem, eam comburere non potuit, et duo eius liberi miserrime deflagraruat. Neque enim semper connivet clementissimus Deus, excitat se hoc etiam tempore interdum, et unum aliquem corripit, ut multos emendet.

§. CCXII.

Idem auctor (*ibid*): Cum Russus quidam schismaticus eo die, qui assumptae Virgini sacer est, ad eruendam argillam exisset, maxime ob Kalendarii Gregoriani contemptum, multum licet dissuadente virgine quadam catholica, et vaticinante, ultimum illum ei diem, ac supremum opus fore, ruentis subito casu mole telluris, ita oppressus est, ut suo inclusus funere idem reliquerit aliis neglectae religionis monumentum, et invenerit ipse dementi propositi sepulcrum.

§. CCXIII.

Ex litteris p. Melchielis Trivini Rect. Pragensis Collegii: In Poloniae urbe Zamossa quaedam matrona, genere quidem nobilis, sed haeresis tam perditae, ut sabbati diem et sibi, et suis vellet esse male feriatum, contra Dominicam profestum et operosum. Extra urbem huic erat villae possessio, ad quam ipso annunciationis angeli die, cum proficisci pararet, domestici iter dissuadent, diei Christianis religiosissimi sanctitate proposita. Mulier offensa, Deiparam, cuius inclytas ferias famuli obiecissent, verbis lacessere, unam ex mullis dicere, eidem se sanctitate parem esse iactare. Igitur ad villam suis invitis egressa, cum iam parum viae restaret, equi rhedam trahentes, tam fixis haesere vestigiis, ut ad progrediendum vis nulla coegerit. Itaque rhedario nequicquam incitante, nihilque neque voce et clamore, neque flagello proficiente, improba mulier, dum equi perstant immobiles, exit ex rheda, et tantisper declinat a via, ut naturae obtemperet, et alvum exoneret. Se purgantem, ingens et validus ventus repente deturbat, et mulieris faciem in corporis egestas sordes impingit, et cum os sacrilegum immundis foeditatibus inquinasset, post ingentes editos clamores, spurcam animam egit dolore trahente, alias subita tempestas eam adeo terruit, ut relicto curru ventris onus deponere conata fuerit, quam ventus ita ferrae allisit aliquoties, ut horrendum clamans, et impuro ore in suis sordibus se volutans, infelicem animam efflarit, gesta res tanta anno sexcentesimo supra millesimum.

§. CCXIV.

Wilhelmus Baldesanus (*in stimulis virtutum adolescentiae lib. 3. cap. 21*) ait: Narravit mihi

vir religiosus et gravis, superioribus annis in Mediolanensi provincia fuisse adolescentem, ut nobilitate, sic fastu et arrogantia insignem. Hic, cum aliquando in contentionem venisset cum alio quodam inter pugnandum, impium aliquid dicit in Matrem Dei; atque ecce iustissimus iudex permisit, ut os illud apertum contra maiestatem tantae Reginae, ipso temporis articulo adversarii telo interciperetur, ut ad punctum vibrato ictu, et ipsis linguae radicibus succisis, et transfixo palato repente conciderit mortuus.

§. CCXV.

Lypsius (*in mirac. D. Virg. Hall. cap.* 7) ait: Anno 1580. cum Oliverius Tempelius Hallas obsideret, erat inter milites quidam Ioann. Zevichius: is iactare palam se suis manibus Hallensi mulierculae, Deiparentem intelligebat, nasum abscissurum. Sed haec mox procurat glande plumbea excussa, scurrae illi ipsi nasum auferri. Poenam habuit, et irrisum inter ipsos commilitones perpetuum meruit, qui identidem hominem ad nasum recipiendum Hallas mittebant.

§. CCXVI.

Caesarius (*lib.* 7. *cap.* 45) haec narrat: In Villa Castri Veldensis Diocesis Trevirensis, quaedam nostro tempore extitit imago Deiparae, Filium in sinu foverit, opere non adeo bene formata, multa tamen virtute dotata, quam matrona quaedam eiusdem Castri respiciens, et sculpturae indignans, ait: Ut quid hic stat vetus haec Bumbula. Verum alteri matronae, a Deipara dictum est, quia mulier illa, nomen eius exprimens, vocavit me veterem Bumbulam, semper misera erit, et post paucos dies a proprio filio omnibus suis bonis exuta, miserae mendicans stultiloquii poenam luit.

§. CCXVII.

Idem Caesarius (*cap.* 28): Matrona quaedam cuiusdam honesti militis uxor, instinctu diaboli militem alium admisit, quae post tempus aliquod inspiratione divina, ducta poenitentia, de crimine doluit, et adulterio prorsus contradixit. Ille vero mariti eius absentiam observans, domum illius intravit, et cum solam reperisset, verbis solitis ad crimen consuetum eam invitavit: quod cum illa renuerei, vi renitentem opprimere visus est, et cum videret se illi non posse resistere, utpote foemina debilis, ac delicata, fortissimo militi, ad totius castitatis patronam confugit, dicens: Rogo te, Domina sancta Maria, per illud sanctum, Ave Maria, quatenus in hac hora liberes me; ad quod verbum virtus omnis in milite defecit, emarcuit, et foemina se ab eius amplexibus excutiens, incorrupta evasit. Postea, requisita a milite de causa virium sibi subtractarum, respondit illi; non mea virtute, sed gloriosi nominis Dominae nostrae hoc actum est. Quod cum audisset ille, territus est, nec amplius adulterii verbum ad illam facere praesumpsit. Apollonius: benedictum sit nomen Mariae. Caesarius: quod vincula solvantur eius virtute, etiam per exempla tibi ostendam.

§. CCXVIII.

Vincentius Beluacensis (*lib.* 7. *cap.* 84) eisdem verbis: Clericus quidam, suppetente rerum copia, elsi saeculo deditus, Matris Domini amorem, et reverentiam animo sic omnino indixerat, ut quandocumque ecclesiae ingressus, vel per ecclesiam ei contingeret transitus, nulla saeculi solitudo, nulla surrepere posset oblivio, quin omni devotione, et humilitate genuflexo, Angelica salutatione eam honoraret, dicens: *Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum.* Rursum genuflexo: *Benedictus venter, qui te portavit, Christe, et beata ubera, quae te lactaverunt, Dominum Deum Salvatorem nostrum.* Hic aliquando molestia corporis tactus, quasi desperatus est, tantumque dolor invaluit, ut linguam suam, et labia sua dentibus suis commanducaret, idipsum de membris ceteris facturus si permitteretur. Cumque iam lingua, et labia penitus consumptis, iaceret horrendus aspectu, vidit iuxta lectuli sui caput personam pulchra facie, et reverendo aspectu, qui angelum eius custodem suspicatus est: hic aegroti sui aerumnas dolens, in hunc modum lamentari videbatur: *Quid o Domina misericordiae, fons pietatis, hoccine est gloriae, et gratiae tuae salutatorum! haeccine est lingua in beatificationem ventris, et partus tui in longo usu, et ardenti affectu assuefacta, ut pene nihil aliud sonare nosset in ecclesia Dei? Domina, Domina, si tu deos tuis, quis aderit suis? Non sic, Domina, non sic, ad nihilum devenient spes hominum, si in te non incipiunt habere refugium.* Haec cum ille in auribus aegri declamaret, apparuit utique Mater Domini, et quasi satis faciens de mora in servulum suum, de qua insimulabatur, ad lectum propius accedit, extractaque ubera visa est protinus lac immittere in os aegri, cui sancti lactis rore infuso, subito ille linguae integritatem, labiis antiquum decorem, et toti eius corpori pristinam restituit sanitatem. Redditus igitur sensibus, continuo surrexit sanus, et incolumis, et factam circa se misericordiam, repentina vitae, et morum mutatione, omnibus coepit praedicare: etenim se, et sua Dei servitio mancipans, de cetero duxit vitam religiosam.

§. CCXIX.

Idem Vinc. Beluac. (*lib.* 7. *cap.* 87) eisdem verbis: Quidam pueri clerici ante quandam ecclesiam ludum pilae exerceband, quorum unus, qui habebat in manu annulum, quem ei puella donaverat, carnali amore ducta, timens ne assidua palae percussione frangeretur, divertit ad ecclesiam, ut alicubi eum reponeret, donec post ludum ipsum reciperet. Ingressus itaque ante imaginem Virginis Mariae, intuitus eam, et genuflexo devote salutavit Virginem, et addidit: Vere in omnibus formosior es, quam illa, quae mihi annulum hunc amoris munere condonavit, ideoque ei renuncio, teque deinceps amare, et tibi deservire decerno, ita dumtaxat, ut ego vice reddita, amore tuo dignus inveniar. Sic igitur praefatus puer annulum digito imaginis sursum erectum indidit. Quo acceptio quasi conditum comprobans, et fidem adhibens, mirabile dictu, digitum suum imago constrinxit. Quo viso puer, stupore permotus, circumstantes advocat, et rei novitatem mirantibus salutationis ordinem, et voti conditionem enarrat. Quod illi audientes, cum saeculo renunciare, et votum persolvere hortabantur, quatenus Dei Genitricis servus, et amicus, sicut dixerat, haberetur. At ille spinis divitiarum obstantibus, aegre, quod monebatur, audiens, ingratus extitit, et post modicum imagini menitus, uxorem ducere non expavit. Sed prima nocte nuptiarum b. Virgo Maria proxima lectulo apparuit, annulum digito praetendens, et infidelitatis eum arguens. Excitatus ille de somno, circa extendens manum, quaerens imaginem, et non inveniens, eam credidit esse phantasma. Iterum somno detentus vidit eam assistere, non sicut prius blande alloquentem, sed cum indignatione vultum avertentem, et tormenta durissima pro contemptu sui, et voto irrito comminantem. Evigilans igitur, et iterata admonitione perterritus, incognita uxore, et relictis omnibus, quae habebat, eadem nocte, in eremum clam secessit, ubi habitum Monachi, vitamque professus, Dominae, et amicae suae cunctis diebus vitae suae devoto animo deservivit. Maluit enim fidem servare Reginae coelorum, quam ei ante nuptias promiserat, cum mundilia animae, et corpore impolluto, quam sponsae mortali cum integritatis iactura copulari contra votum, quo obligatus erat.

§. CCXX.

Idem (*lib.* 7. *cap.* 97) eisdem verbis: S. Praesul Bonitus Alvernensis, cum cor suum dedisset, ut perfecte Iesum, et eius matrem diligeret, quadam die templum b. Michaelis cum turba intravit, et in angulo basilicae, licet inter multos, solitudinem cordis sibi fecit. Consummatis mysteriis, singuli in sua redierunt, ipse tamen solus in latibulo suo remansit. Custodes autem, an quis ne remansisset, perscrutati non sunt; sed Dei nutu, obseratis iam ecclesiae foribus, eo securius ille quo secretius, effudit in se animam suam, factusque in agonia prolixius et enixius orans, vidit huiusmodi visionem. Ecce repente de coelo sonuit quasi vox dulcis cantilenae, et micantibus luminaribus, limen templi coepit tremere, tanquam intrante multitudine. Adspiciebat vir sanctus, et ecce Virgo Maria intrabat cum candidato sanctorum angelorum, et animarum coetu, sicut regina, circumstante exercitu: chorus ille coelestis decantabat Dominae, eiusque filio: ipsa quoque vocem suam exercuit in Christi praeconio: per medium chori facta est illa processio. Cumque ventum fuisset ante altare, quaesitum est a quibusdam sanctorum, quis haberet missam celebrare? En, inquit b. Virgo, adest Bonitus Praesul vere bonus, et satis dignus, cui hoc officium debeat committi. Audiens hoc ille pavebat, et retrahebat se, cuius rei lapis, qui ei cessit, adhuc servat indicium: laudem quaesitus, et inventus est, deductus, et praesentatus illi beatae congregationi, et ministrantibus sanctis, veste nuptiali ornatus est, ac divino altari applicitus. Et postquam dedit in celebratione sancti operis operam, ac decenter consummavit, b. Virgo vale faciens dilecto suo pro munere coelestem vestem ei dedit. Res est nota satis, et apud Alvernenses admodum celebris; maxime autem in civitate Alverniae, quae dicitur mons clarus, et usque hodie monstratur populo vestimentum illud coeleste, cuius materies, et contexturae modus a nullo hominum dignosci potest, et est eximii candoris, miraeque levitatis, ac lenitatis.

§. CCXXI.

Canilipral. (*lib.* 1. *cap.* 22. *part.* 3) eisdem verbis: Filia quaedam fuit viri pauperrimi, et cum puella nondum septennis miro fervore spiritus interius traheretur, rogavit patrem cum lacrymis, ut sibi psalterium compararet: cui pater: Unde filia psalterium comparabo, qui vix tibi quotidie panem lucrari sufficio? Mox illa conversa ad Matrem Christi, oravit, et dixit: O Mater Christi, da mihi psalterium, quod pater dare non potest, et ero perpetua ancilla tua. In hac simplicitatis prece perseveravit illa, et ecce in somnis apparuit ei b. Virgo Maria, ferens, ut ei videbatur, in manu duo psalteria, et dicens ei: Accipe nunc filia mea: ubi cum maximo tripudio elegit unum, disparente b. Virgine. Puella de somnis exigilans nihil invenit in manibus suis, et illusam se conquerens à Matre Christi, flere coepit. Quod cum audivit pater, irrisit filiae, et demum consolatus est eam: Vade, inquit, tantum diebus Dominicis, ac festivis ad magistram, quae filias divitum psalterium docet, et primo discas legere, et postea b. Virgo psalterium tibi forsitan procurabit. Mira res: Puella ad magistram, quae filias divitum docebat, venit: psalterium inspexit, et nullo docente legit: quo miraculoso eventu b. Maria multo excellentius promissum suae dignationis implevit. Quod ubi viderunt honestae personae, et divites matronae parochiae, emerunt puellae psalterium, et sequenti tempore, cum eam in Christi servitio alacrem cernerent devotam, eidem iuxta ecclesiam cellulam pro reclusorio locaverunt.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

§. CCXXII.

Thomas Cantiprat. (*lib.* 2. *cap.* 29. *part.* 15): Erat in partibus Teutoniae monasterium virginum, quo bellorum eventu funditus destructo, ad domos parentum puellae redire compulsae sunt. Quarum una pulcherrima, Agnes nomine, ubi ad patrem militem rediit, ab eo violenter oppressa, mox impraegnata fuit. Ad partum ergo appropinquans, fuit anxia ad devia, et partu edito, adest diabolus specie monachi, qui se eius consanguineum, et conscium facti confestans dixit ei: Ne tu charissima, per partum editum cum patre, et parentibus confundaris, parvulum in stagnum proximum proliece. Si enim vixerit, delictum latere non potest. Renuere coepit; at vidit erubescentia maternum pectus, et mox parvulum submersit in stagnum. Postea diabolus videns illam tabescentem prae dolore, dixit: O omnium foeminarum miserrima, quid nunc restat? Melius est, ut sine scandalo tui, et tuorum, et graviore mortis periculo, facta mihi confessione, in aquam cum filio te submergas. Hoc audito, tantum facinus exhorrescens, exclamavit, Gloriosam Virginem Matrem Christi invocans, contra diabolum adiutorium ab ea implorans, et continuo vidit daemonem cum fumo teterrimo disparentem, et mox effusa in laudem Matris Christi, ad spem meliorem in prece, et lacrymis confortatur. Venit ergo in proximam civitatem, et hospitio suscepta a quadam matrona Iudaea, Sara nomine, ut eius parvulum laete suo nutriret, mansit annis quinque cum illa. Interim de fide Christi, et bonitate, et pietate Matris eius, ut erat foemina prudens, et eloquens, praedicabat, et sensim cor Iudaeae illius verba aedificantia, et efficacia penetrabant, hortata est illam, ut orationem Dominicam, et angelicam salutationem addisceret, Christum, et Matrem eius quotidianis precibus invocaret. Hoc sciens maritus, aegerrime ferebat, et ideo in furiam raptus, quod suspectam eam quasi subvertricem suae uxoris haberet, extracto capulo, invasit illam dormientem, tria infligens vulnera cor penetrantia. Hoc viso occidit Iudaea, horruit, et intrans thalamum observavit. Hinc noctis medio facto signo, Iudaeus synagogam cum vicinis intravit. Iudaea autem post luctum obdormiens in somnis, vidit gloriosissimam Dominam cum duabus puellis ad occisam mulierem intrantem, et tribus pyxidibus, quas ferebant, unamquamque sanguine salutari, in redivivum statum, mortis vulnera reducentem. Iudaeum autem mane rediens, occisam foeminam non inveniens, credebat, quod uxor sua cadaver mortuum sepelisset. Hoc idem de viro illucescente die uxor credebat, unde neuter super hac re alterum requisivit. Vix dies 40. completi sunt, et ecce venit mulier peregrina, Iudaeamque et virum eius ex parte Agnetis officiosissime salutavit, et abiit. Tunc Iudaeus uxori ait: quid est, quod illa vivit? Nunquid occidi eam? Cui uxor: potens, inquit, Christus Dominus eius, mortuam suscitare. Et Iudaeus, hoc est, inquit, quod semper timui, quod te apostatam duceret in errorem: nec mora haec dicens, comprehendit uxorem, duobus annis reclusit in carcere obstrictam. Hinc accidit, ut ad remotiora tendente Iudaeo, uxor e carcere evasit, et cum duobus parvulis tertium gerens in utero ad ecclesiam fugit, et cum gaudio fidelium, qui eam ditissimam, et honestissimam noverant, baptisma suscepit. Hanc postea duo filii eius adolescentes, et una filiarum secuti sunt, et fidem alacriter susceperunt; mansit autem post baptisma cum filiis in Coloniensi diocesi, et mutato nomine vocata est Gertrudis, et invenit Agnetem, quondam nutricem suam ibidem manentem, et de conversione eius valde gratulantem. Quaesivit ergo ab Agnete Gertrudis, quomodo revixisset. Et illa mirata subrisit, dicens: Quare nunquam mortua suscitaret? Ad haec stupefacta Gertrudis: Vere, inquit, vidi, quod te vir meus tribus vulneribus cultro confodiens, occidit; et illa ait: Novit Christus omnipotens, quod in somnis tantum me vidisse, et non sensisse videbar occidi. Mane vero offensam viri tui, si mansissem, praecogitans, omnibus insalutatis, recedere festinavi. Nec mora, Gertrudis apprehensa veste circa collum Agnetis, rupit eam, simulque cilicium, quo induebatur, ad carnem usque ad pectus medium, invenit manifestissimas trium vulnerum cicatrices. Manifestata sunt haec Archiepiscopo Coloniensi domino Conrado; mortua est autem Agnes in maxima poenitentia, et fervore spiritus. Annus secundus M. scilicet CCLXV. eo tempore volvebatur, quo ipsa Agnes a Iudaeo occisa est, et per gloriosam Christi Matrem, et Virginem suscitata. Gertrudis vero superstes est, miro fidei calore succensa.

§. CCXXIII.

Idem (*lib.* 2. *cap.* 29) eisdem verbis: Vidi in Brabantiae partibus Cisterciensis Ordinis Monialem, in qua conversa de Iudaismo opus divae Mariae matris Christi gloriosius excolebat. Annorum non plane quinque in domo parentum Iudaeorum advertere coepit, cur distinctio nominum fieret Iudaeorum pariter, et Christianorum, cum unius vultus, atque loquelae homines essent utriusque gentis. Mira talis puellae discretio; propendebat tamen, ut postmodum retulit, magis in Christianum, quam in Iudaicum nomen, specialiterque b. Mariae nomen laetabatur audire: furabatur autem sub utraque axilla panem de mensa parentum, et pueris occulte mendicis partiebatur, ut, ab eis regratiando, sibi Mariae nomen audiret. In his ergo de tempore in tempus mire proficiens, ita sagaciter latitabat, ut neuter parentum aliquid super cogitatu filiae advertere posset, vel audire. Contigit autem, ut parentes eius Colonia Lovanium, Brabantiae oppidum, cum filia devenirent, ubi cum successu temporis in domum cuiusdam praeclari presbyteri, magistri Reynerii, puella cum christianis pueris advenisset, et eam ex nomine novisset presbyter, et veniae libentius

ad se frequentius advertisset, interrogavit eam dicens: vis ne Rachel charissima, nam hoc illi nomen erat, fieri christiana? Et illa, volo, inquit, dummodo erudias me, quid sit fieri christianam. Tunc presbyter, ut vir sanctus, mire gavisus, in spiritu sentiebat de puella futurum nescio quid divinum. Et incipiens a constitutione mundi, coepit illi Scripturas exponere, per quas fides Christi, vel ipse Christus significari poterat, vel ostendi. Quarum expositiones, ut mihi ipsamet dixit, ita integro sensu in illa aetate sex annorum cum dimidio, discretione spiritus intellexit, ut raro oporteret presbyterum rationem aliquam iterare. Haec eruditio fere per annum dimidium perduravit, occulte, et furtive, et ecce insigne prodigium. Nunquam Rachel auditu verbi Dei satiari poterat, vel lassari, cum tamen presbyter, et Martha ministra eius, mulier religiosa, et prudens valde, ambo frequenter lassati, sibi invicem succederent in docendo. Quid plura? Mox ut parentes in filia coeperunt advertere cogitatum, colloquentibus inter se Iudaeis pluribus, convenerunt in hoc, ut missam filiam de Lovanio ultra Rhenum sponso traderent arctius conservandam. Quod ubi puella cognovit, presbytero cum lacrymis indicavit, ut si illam eadem nocte non raperet, et Christianam efficeret, perdita esset in perpetuum, et confusa; quod audiens presbyter, puellae praecepit, ut ad solitum summo mane veniret. Iacente ergo puella usque mane, et obliviscente penitus, quod presbytero praecedenti nocte promiserat, astitit illi gloriosa Mater Dei Maria habitu candido super nivem, et offerens illi virgam splendidam, quam gestabat, dixit: surge Catharina, et iter arripe: grandis enim tibi restat via; haec illa dicente, Rachel virgam apprehendere credens, de lecto cecidit, et exclamavit: cuius clamore excitata matre, et quaerente clamoris causam, filiaque cautius dissimulante, mater protinus obdormivit. Et Rachel surgens, ad conditum locum presbyterum invenit. Qui laetus assumpsit eam, et venit ad monasterium, quod Parens Dominarum dicitur, distans leucam dimidiam a dicta villa, et gaudentibus cunctis, baptizavit eam, nomen Catharinae imponens, quo vocata prius erat a Christi Matre, statimque habitu Ordinis induit baptizatam. Nec mora, ut audivit pater, et amici eius, quod gestum est, consternati sunt, et per ducem Dominum terrae, et per Episcopum Leodiensem, tandem per Papam Honorium laboraverunt, ut infra aetatem legitimam filia ablata parentibus redderetur. Quae si in domo parentum usque ad duodecimam aetatem perseveraset in fide suscepta, tunc iuste Christiano nomini reddi posset. Cogitabant parentes nequissimi medio hoc tempore infantilem animum faciliter inflectere posse, ut ad nativa eorum vota rediret. Horum fraudulenta conamina, proh dolor, multi magni, et litterati viri pecunia suscepta fovebant, pro quo presbyter supra dictus non modice tribulatus, solum Christum, et non matrem eius, quae auctrix erat huius facti, multis lacrymis invocabat. Mira res, et usque in praesens cunctis saeculis inaudita; petiit a presbytero ad omnem citationem, ad iudicem se puella deduci. Forsan, inquit, Iudices flectentur aetate, et ad mei placulum movebuntur. Et factum est, ut petivit. Ut enim quadam die apud Leodium venit coram Episcopo, clericis, et magnatibus diversis, advocatos, et iudices, tam constanti, quam veridica ratione confudit, et movit, ut voces ululantium, et clamantium cum lacrymis prae stupore in ecclesia sancti Lamberti a locis distantissimis audirentur, ita ut omnes manifestissime discernerent, et viderent, in tam exili aetate divini spiritus sapientiam praevalere. Hinc post annos duos cessatum est a lite vitis, et aliud deceptionis tendiculum praeparatum fuit. Invenis elegantis formae Iudaeus, conductus ad hoc, venit ad monasterium supradictum, in quo erat puella, et simulato animo baptisma suscepit, precaturque, quaerebat, ut puellae sibi quasi cognatae suae, gratia eruditionis loqui liceret. Dicebat enim, plus super omnium sermonibus mihi cognatae verbum salubrius imprimetur. Illa tamen, ut mihi retulit, interius discernebat, fictum ad fidem iuvenem accessisse, et ideo nec prece, nec pretio, nec ulla ratione flecti potuit, ut solum verbum iuveni loqueretur. Haec ut viderunt Iudaei miseri, cessaverunt ab illa; iuvenis autem ad vomitum est reversus. Hanc postea tanta gratia potiri vidimus, ut nihil ea serenius videri posset. Cumque nobilium parentes cum multa ambitione venirent videre filias, et cognatas; haec coram imagine b. Mariae Virginis veniebat, et gratioso vultu dicebat: Aliae sorores nostrae moniales a matribus, et amicis solatium habent, et gaudium; ego autem paupercula pupilla, et indigna ad te Dominam, et cognatam meam fidenter accedo: tu sola prae omnibus mihi esto refugium, et solamen. Et a misericordissima pietatis Matre multa solamina accipiebat.

§. CCXXIV.

Caesarius (*lib.* 7. *cap.* 20) eisdem verbis: In regni Franciae villa, quae *Quido* dicitur, virgo quaedam fuit nobilis, et religiosa, sed paralytica. Huic pater suus, utpote vir magnus, et dives, sacerdotes, qui ei divina celebrarent, instituit ministros, annuosque redditus sufficienter ordinavit: quae cum orationibus, iejuniis, et divinae contemplationi operam daret, ita illa tum dulcedine est pasta, ut omnis cibus corporalis ei in nauseam verteretur, nec aliquid ex eo sumere posset, nisi succum modicum uvarum. Hospitalis erat valde, per quam et spiritum merui prophetiae. Ordinem nostrum summo honore reverebatur, et hoc ei saepissime contigisse fertur, ut cum aliqui Monachorum, sive Abbatum, ad eius hospitium divertere proponerent, illorum adventum ipsa praesciret, atque admodum hilaris familiae praedicaret. Tali, ac tali die, illi et illi Abbates, sive Monachi ad nos venturi sunt, praeparate necessaria. Alio tempore, cum die Purificationis Dominae nostrae, clericis, aliisque ministris divino nutu absentibus, sola iaceret, intra se tristis dicebat: Modo hic sola iaceo,

nec aliquid obsequii, more Ecclesiae universalis, hodie b. Dei Genitrici impendis. Dum talia in mente volveret, spiritus eius mirabili Dei virtute de corpore eductus ab angelo intra coelestem Hierusalem est deductus: in qua maximam vidit processionem, ex diversis eiusdem beatae civitatis ordinibus, patriarchis videlicet, prophetis, apostolis, martyribus, confessoribus, ceterisque fidelibus, ex quibus bini, et bini simul incedebant, et candelas ardentes in manibus gestabant, antiphonas, sive responsoria ad diem pertinentia, more Ecclesiae militantis, omnes decantabant, stationes debitas observabant; angelus vero virginis ductor, alteri cuidam virgini, quam noverat esse consimilis meriti, illam sociavit, candelam portigens ardentem. Tantus erat decor omnium, tanta gloria, in dispari tamen claritate singulorum, ut nulla lingua fari sufficeret. Salvator vero, qui caput est omnium Sanctorum, splendor gloriae, et sol iustitiae, indutus pontificalibus, mytram gestans in capite suo, cum baculo, chirothecis, et annulo, et reliquis Episcopalibus ornamentis, novissimum locum cum Matre tenebat, cuius pulchritudinem omnis coelestis exercitus mirabatur. Qui cum post tertiam stationem inchoasset Antiphonam: *Hodie b. Virgo Maria puerum Iesum etc.* ingressi sunt templum, ex auro gemmisque constructum, deinde inceptus est missae introitus, et ab omnibus simul decantatus. Interim Christo introeunte ad altare, postquam expletum est Kyrie eleison à choris alternatim, post Gloria in excelsis Deo etc. quod ipse inchoavit, beatus Protomartyr Stephanus epistolam legit de libro Malach. proph., sanctus vero Ioannes Evangelista, Dalmatica indutus, legit Evangelium secundum Lucam, scilicet, *Postquam impleti sunt dies purgationis*, etc. quo perlecto, Dominus secundum morem Ordinis nostri, ad gradum rediit, et ab offerentibus candelas suscepit. Praedicta autem virgo, per spiritum sentiens se ad corpus reversuram, candelam suam offerre noluit, etiam angelo suo praecipiente, volens illam secum ad terras portare. Quod angelus considerans, candelam in manu eius fregit, superiorem partem auferens, et inferiorem ei relinquens. Sicque ad corpus reversa, partem eandem manu conclusam se retinuisse invenit, de qua plurimae fiebant, et forte usque hodie fiunt virtutes: nam aquam superfusam infirmi bibunt, et convalescunt. Tam manifesta, et sublimis erat visio, ut modum eius minime intelligeret, dicens illud Apostolicum, dum de ea interrogaretur, sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit. Dominus Eustachius Abbas de Claustro visitator noster, audiens hanc visionem, quibusdam Abbatibus referentibus nobis, desiderio veritatis cognoscendae virginem principaliter adiit, et ab eius ore, quae dicta sunt, audivit; haec Caesarius.

§. CCXXV.

Ex Vitis Fratrum Praedicatorum (*part.* 1. *cap.* 7) eisdem verbis: In territorio Amonensi super flavium Rodanum situm est claustrum nobile Tarasconis, ubi b. Martha, Christi hospita venerabiliter requiescit. In hoc claustro, hospita fratrum mater Domini Olfani militis, devotissime Deo, et Ordini fuit, cui quod sequitur revelatum est: sicut ex litteris venerabilis viri, et honesti Domini Guidonis Fulcodii, qui post Podiensis Episcopus factus est, clare patet in hunc modum. Viris religiosis Patribus et Dominis, Priori, et Fratribus Praedicatoribus in monte Pessulano, Guido Fulcodii salutem, et pacem. Instante nuper festo Pentecostes, cum Ordinis vestri generale capitulum apud nos celebrandum occurreret, soror mea quondam Domina Maria de Tarascona, sanctorum congregationem tam celebrem, quam iucundam videre desiderans, per quindecim dies ante festum in villam s. Ægydii, notos, et proximos visitatura, descendit. Cumque a pluribus matronis visitaretur, quae suis aedificabantur alloquiis, et exemplis, coepit a nonnullis earum anxie scisciari, quoties orationem Dominicam devotissime dicerent, Matremque Domini salutarent; et ut fratribus in capitulo congregatis, suum Dominus mitteret spiritum, Materque misericordiae eos sua gratia visitaret, a singulis earum quoad poterat orationem extorsit. Laudanda certe sanctae mulieris devotio, sed magis admiranda prudentia. Minus quippe sibi sufficere iudicans, quod iuxta patrimonii vires Fratrum plurimorum necessitatibus temporale subsidium porrigebat, novo, sed laudabili quaestus genere, satis, ut arbitror, honeste mendicans, spiritualis alimoniae beneficia corroborabat, impossibile reputans ab eo preces plurimorum non exaudiri, qui fidelis in omnibus verbis suis se suorum congregationi fidelium affuturum promittit, et multiplicatis intercessionibus, thesauros eviscerat saepe pietatis. Sane ad montem Pessulanum veniens cum sorore, cum in die festo tantae solemnitatis officium celebraretur in ecclesia nostra, et ipsa prostrata, orationi tota incumberet iuxta morem, coepit instantissime deprecari Dominum, ut tot Fratres in suo nomine congregatos respiciens, quorum multi per tot terrarum spatia laboraverant, eos sui spiritus lumine perlustraret, et si merita deerant aliquorum, ipse de suae gratiae plenitudine, nec non et aliorum meritis, defectum illorum misericorditer suppleret. Cum igitur hoc in animo volveret, importune peteus, et nihil haesitans, hymnum: *Veni creator spiritus*, inchoante cantore, vidit flammam descendere de superius, quae chorum usque ad consummationem involveret. Cumque rem visam considerasset, cum gaudio, nemini suam visionem dicens, nec suis ascribens meritis, gratias egit Deo, qui sicut primos hominum visitaverat piscatores, sic etiam suae beneficia largitatis ad nostri temporis Praedicatores extendit. Porro cum ad eandem ecclesiam audiendi completorii causa, rediisset, et Fratres illam dulcem antiphonam: Salve Regina, cantarent; Regina Virginum apparuit visibiliter, monens, ut ab eius pedibus non recederet. Vidit ergo ipsam chori utramque partem lustrantem singulis reclinare recantantibus, et iuxta ceroferarios gradum sistere usque ad finem orationis. Dehinc in coelum rediens, cum affectibus secum duxit: quae sibi reddita, tantae gestu dulcedinis recreata, gratias humiliter retulit, in corde suo conferens universa: nam et per triduum in singulis completoriis hanc habuit visionem. Ceterum, nec sorori, nec aliis seriem facti aperiens, tanquam mulier sensata, et tacita, clausa tenuit omnia, quae vidit, donec aegritudine vehementi confracta, mortem, quam diu salva divini consilii dispositione optaverat, imminere praesensit. Tunc vero mihi primum, dehinc sorori, et filio, post Priori nostro Arelatensi, et tribus Fratribus cuncta per ordinem enarravit. Eodem tempore dicta Domina defuncta est, et in coemeterio Fratrum Arelati sepulta, quia Fratres conventum in Tarascone nondum habebant.

§. CCXXVI.

Thomas Cantiprat. (*append. ex* 1. *lib.*) breviter id tangit, Pelbartus (*lib.* 3. *part.* 1. *art.* 2. *cap.* 3), Stellarius asserit, haec mira se reperisse in Bibliotheca Budensi: Tempore b. Bonifacii Papae, qui, ut in Ecclesiasticis historiis legitur, a Phoca Imperatore precibus eximiis obtinuit, quatenus templum Romuli, quod ab antiquis Romanorum, Graece Pantheon vocabatur, sanctae Dei Ecclesiae quasi ad supplementum religionis adderet, in honorem b. semper Virginis, ac simul omnium sanctorum dedicando consecraret, facta est in urbe Roma seditio inter Iudaeos, atque Catholicos non modica: impugnabant quippe Iudaei toto vesaniae impetu fidem incarnationis Christi, asserentes, et Virginem Mariam de semine Ioseph, cui desponsata erat, non de Spiritu sancto concepisse Christum, et generasse, adiicientes iuxta impiissimam haeresim Graecorum, omnibus modis impossibile fore, Virginem contra naturam parere posse. Cumque diutius apud Romam haec altercatio haberetur, et iam Christiani ferventissimo fidei zelo profanos Iudaeos, nisi cito resipiscerent, et ad baptismi gratiam convolarent, ex urbe propellere vellent; erat quidam eiusdem Romanae urbis civis coecus natus, sed tamen christianis litteris apprime imbutus: is namque quodam die eodem christianitatis fervore succensus, verbo veritatis conflicturus, aggressus est Iudaeos, et tanta illos redarguit constantia, ut pene omnes invenirentur victi, et ut falsos testes decuit, elingues. Ad ultimum vero Iudaei ad probra conversi, et convitia stomachando valde coeperunt improperare, dicentes: Tu cum sis homo peccator, et in peccatis totus natus, quomodo ausus es fidem Christianorum defendere, et nos ad pugnam lacessere? Nonne liquido patet Christum tuum adeo impotentem esse, ut non posset etiam tibi lumina reformare? Ad haec coecus: Expectate, inquit, triduo, et videbitis me, et magnalia Dei. Erat autem post triduum veneranda solemnitas Purificationis sanctae Mariae, quam Graeci Hypanti vocant, quae est 4. Nonas Februarii, et necesse erat, ut eadem sacrosancta festivitas apud praefatam ecclesiam s. Mariae Virginis ab omni Clero Romano eodem anno celebrari debuisset, quae tantummodo singulis annis apud sanctam Mariam Maiorem fit. Quo audito, Iudaei indigne tulerunt, et subridendo dixerunt: Certe Christus tuus, quem Patres nostri crucifixerunt, non potest tibi oculos reddere, qui non potuit semetipsum de periculo mortis liberare. Attamen si in praesentia nostra te illuminaverit, pro certo nos omnes credemus in illum, et tunc liquide constabit, quod ipse est Filius Dei, et non sit alius Salvator mundi. Eo autem pacto annuere placet, ut si quis in Christum non crediderit, hoc viso miraculo, omnium rerum suarum proscriptionem patiatur, et iniuriis maximis, utpote maiestatis reus, de Urbe eliciatur. His dictis, recesserunt Iudaei unusquisque in sua. Coecus vero clanculo se perduci fecit ad Dominum suum Bonifacium, et indicavit ei pactum et conditionem Iudaeorum super fide Christianorum. Quibus Papa auditis, plus solito laetus, atque sub eodem momento omnibus mandavit Iudaeis, quatenus sine dubio praefatae solemnitati unanimiter occurrerent. Advenit autem festivitas illa magna, totusque Romanorum clerus apud praefatam ecclesiam ex more pervigiles celebraturus excubias, congregatus est: similiter Iudaeorum conventus non modicus habebatur immixtus. Ductus est autem coecus ille in medium, plenus fide et spiritu sapientiae, nihil haesitans de propositis; dumque ab omnibus fidelibus nocturni ibidem canerentur hymni, et iam octava lectio recitata fuisset, coecus ante altare Matris Domini perduci se rogavit, ibidemque baculo sustentatus, canere coepit quoddam responsorium, scilicet, *Gaude Maria, etc.* quod sibi ante biduum, quia musicae artis gnarus fuerat, composuerat, in quo tam vivaciter Iudaeorum errorem confutavit, ut sub oculis omnium qui aderant, completo versu eiusdem responsorii, vera lux, qui est Christus, Genitricis suae interventu, cuius virginitatis integritas eodem cantu defensa est, lumen ei oculorum clarissimum reddidit, qui eius mentem primitus fide Catholica illuminavit. Quo viso a cunctis miraculo, ab omnibus Christianis illico Gloria in excelsis Deo canitur, et exultatio spiritualis habetur. Iudaei vero ad quingentos viros statim ad baptismi convolarunt gratiam, reliqui fuga lapsi, in urbe Roma visi ultra non sunt: unde placuit sanctae Romanae ecclesiae, ut idem responsorium in eadem festivitate octavum locum perpetualiter obtinere debuisset, quatenus memorabile miraculum fidelium cordibus omni tempore ad laudem Christi ferventius semper inhaerere potuisset, ipso praestante, qui regnat in saecula saeculorum. Amen.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

§. CCXXVII.

Collector eisdem verbis: Legitur, quod unus devotus laicus Frater, qui erat coquinarius Fratrum, stabat ante conventum Fratrum multorum, et in continuo labore fuit. Et quoniam frequenter hospites superveniebant extra horam communis prandii, vel coenae, vix tantum temporis habere potuit, ut orationes debitas persolveret. Contigit quoque una die, ut multis supervenientibus Fratribus tota die occuparetur in labore coquinae. Tandem post completorium satis tarde accessit ad orationes persolvendas, et quasdam peculiares orationculas b. Virgini offerebat. Et quia fatigatus fuit multum ex labore, somnus ipsum arripuit: qui excutere a se somnum conatus, magnam luctam habuit in somno, lassum corpusculum deprimente, et fervore devotionis renitente. Cumque sic luctaretur, apparuit ei Domina pulcherrima, dicens: *Fili bone, mihi satis fecisti: vade ad dormiendum.* De cuius aspectu gratioso multa consolatione repletus est.

§. CCXXVIII.

Idem collector speculi eisdem verbis: Ante aliquot annos comperi rem non incertis testimoniis approbatam, quae regulariter operantibus afferat non parum solatii, et opus alleviet intuitu mercedis et praemii. In una domo Ordinis Cisterciensis res gesta est celebris apud Franciam, et ab omnibus credita, quia vir magni testimonii testis eius est, a quo et visa est. Messis erat, monachi messuerunt, et sub pondere diei, et aestus fortiter sudaverunt. Venit vesperus, itum est ad domum coenatum, dormitum, et dormitorium clausum. Cellarius vir sanctus, sapiens, et maturus, talis denique, cui soli hoc liceret, mercenariis responsurus, expeditus hic venit et ipse ad dormitorium, sed clausa est ianua: quid faceret, pulsaret? sed turbare noluit requiem monachorum. Desisteret? sed requiem non haberet. Malens tamen inquietare se quam illos, capitulum intrat, in scamno se ponit, et de iunco capitale instruit sibi. Nondum obdormierat, et ecce Virgo omni specie pulchrior, obsequentibus, et lumina praeferentibus aliis duabus ingreditur. Aggreditur monachum, an dormiat: sciscitatus, vigilare se dicit. Qui et ipse quid ibi facere velit, cur contra morem, et maxime nocte intraverint, securus inquirit. At illa: Ego sum, inquit, cuius es et tu, et domus ista, et omnes, et omnia, quae sunt in domo ista, et in Ordine isto. Portabat autem vas vitreum ad nares suas tanquam odorem captans ab eo, dixitque: Visitavi hodie monachos meos in agro, sudoremque eorum collegi mihi in vase isto; et hic odor optimus coram me, et filio meo, digne utique remunerandus praemio opportuno. Tum ille: O pia Domina, quid tibi tanti est labor noster, qui fit non tam devotione humilitatis, quam necessitate inopiae? at illa inquit: tu non audisti, quia voluptas habet poenam, et necessitas parat coronam? Et si necessitas parit coronam, sed iam partem accipit voluntas. Sive ergo necessitate, sive voluntate, quod agitis meum est. Omnia vestra mihi vindico, ego suscipio, ego remuneror. His dictis disparuerunt illae. Et ille obdormivit suaviter, utique sic animatus in spe, sic confortatus in fide, voluntarius in labore. Mane facto, refert laetus, et compunctus Abbati, Abbas Conventui. Laetati sunt omnes, crediderunt omnes, et prae gravitate personae nemo dubitat. Accendentur animi omnium, singuli fervent ad opus laborantes et sudantes in tantum, ut si Maria adesset, demum posset implere vas suum. Sic ludere solet dulcis Maria cum pueris suis, sic in visu ostendens se illis, donum pacis et gratiae afferens illis. Audiant haec mansueti, et laetentur, pusillanimes, et confortentur, pigri, et excitentur, alacres currant, non lassentur. Omnes Christo, et b. Mariae dent gloriam, et ab ipsis vicissim hauriant gratiam.

§. CCXXIX.

Ioannes Iunior Ordinis Praedicatorum, et legitur (*in Scala coeli*) eisdem verbis: Fuit quaedam mulier nobilis, sed pauper, habens duas filias, quas informavit ad amorem Virginis benedictae. Paupertate ergo gravata, timens corruptionem mundi, ante altare b. Virginis eas adduxit, sic dicens: O Domina, has filias meas virgines mundas tibi offero, et quia non habeo unde possum eas nutrire, quicquid iuris in eis habeo, totum tibi do. Et acceptis manibus puellarum, in signum veraeque donationis contunxit manibus Virginis. Et dum recessissent, iuvenem splendidum invenerunt in foribus domus suae, qui obtulit ei centum libras, in quibus secrete erat obligatus patri earum. De his mater induit filias, et de necessariis providit optime. Quod attendentes gentes, murmurare caeperunt credentes, quod de meretricio quaestu hoc haberent. Quod mater audiens, filiabus advocatis, sic ait: Ite ad Matrem Virginem Mariam, et instate cum fletibus et devotione, ut tanquam mater subveniat huic infamiae vestrae. Quae ex corde Virginem rogantes, dum in quodam festo solemni ipsius Virginis ad sermonem in platea sederent, in praesentia totius populi angelus descendit de coelo portans duas capsellas de rosis pulcherrimis albis, et clamando in praesentia totius populi, sic ait illis duabus virginibus: Istas capsellas mittit vobis b. Virgo Maria mater vestra in signum virginitatis vestrae; et illis dimissis disparuit. Tunc princeps terrae, qui ibi aderat, viso hoc miraculo, duo monasteria construxit ad honorem b. Virginis, in quibus istas duas constituit Priorissas.

§. CCXXX.

Idem Collector speculi eisdem verbis: Legitur in libro quodam exemplorum b. Virginis, qui vocatur Mariale, quoniam fuerant alicubi duo monasteria Ordinis s. Bernardi, non longe a se invicem distantia, unum mulierum, et aliud virorum, in quibus singuli, ac singulae iuxta institutionis suae regulam Domino devote serviebant. Erant autem et in eisdem monasteriis duae personae, quarum utraque in suo Conventu custodis officio serviebat; propter morum autem, ac sanctitatis vitae parilitatem, se mutuo in Domini charitate arctius diligebant, ita ut ubi alter alterius obsequio egeret, prout officio opportunitas saepius exigebat, sibi alternato minasterio servirent. Talem autem suae charitati custodiam adhibebat, ut nequaquam sibi corporali praesentia propinquarent, nec sibi loquerentur, nec suis aspectibus se offerrent. Fervebant autem ambo in servitio Dei, ac Gloriosae Matris eius. Custos vero conventus virorum ob singularem ad Dominam nostram devotionem, et reverentiam, imaginem quandam pulchriorem, quo potuit, eiusdem Virginis Mariae sibi fieri impetravit, sub cuius pedibus imaginem daemonis e contra, quo horribilius ac turpius excogitare potuit, ordinari fecit. Postquam vero longo tempore in iam dicta devotione beatae Virgini devote servisset, simulatus de facto praedicti custodis, devotionis omnis inimicus puritatem intentionis eiusdem amplius sufferre non potuit, venitque in figura, qua eum custos formari fecerat, obviam. In quadam nocte, cum ad pulsandum ad matutinas surrexisset, eum protervo, ac irato vultu intuens, in haec verba prorupit: Cur hanc mihi opprobriosam confusionem exhibuisti, ut me tam turpi forma faceres depingi sub pedibus pulchrae illius imaginis Mariae Dominae tuae, ubi contrariis iuxta se positis, mei figura, alia magis elucescente, horribiliter apparet? Nisi me citius deposueris, talem tibi providebo confusionis talionem, ut te me sic ostendisse poeniteat. Quo audito, cum visionis eius conceptus horror paulum abscessisset, custos in haec sic verba respondit, dicens: Recede a me satana, tuas minas non curo: cui ego servio, poterit me bene de tuis manibus eripere: quo dicto, inimicus velut in fugam versus disparuit. Post haec multo tempore cum custos minarum diaboli minime memoraret, ac doli eius inscius, sibi minime provideret, diabolus humanae salutis semper inimicus reddit, et custodi confusionem, quam sibi promiserat, Deo permittente inferre curavit. Nocte igitur quadam in primo somno ante tempus matutinarum custodis foeminae indutus forma ad cellam custodis, velut introitum postulans pulsavit. Custos vero tali tempore timoris insuetus surrexit, et aperiens cellae ianuam, quisnam ibi esset, aut quid sibi vellet inquisivit; cui diabolus: Ego, inquit, amica tua charissima, talis monasterii custos, tibi fidelis, quae quoniam in tui amorem vehementer exarsi, amoris vehementia tibi amplius abesse non potui: magno itaque tractus amore, et monasterio meo ad te huc perveni, assumens pretiosiora cuncta nostri monasterii clenodia, quae nobis longo tempore suo valore vitae necessaria poterunt ministrare. Nunc igitur surge velocius, omni mora postposita, mihique sociare, quicquid quoque tu pretiosorum clenodiorum, ac ornamentorum habere poteris, tecum assumens, in ignotam regionem, ubi cupita possimus frui praesentia, simul pergamus. Satanas quoque sicut custodi loquebatur extrinsecus, sic tentationibus suis, animam eius amplius excitando, movebat intrinsecus, ita ut quid illi responderet, non inveniret, sed verborum, ac tentationum eius victus importunitate fidem illi adhibuit, cellam egressus est, et quicquid de suae custodiae commissis clenodiis monasterii, et ornamentis habere poterat, in saccum unum colligens cum diabolo, veluti cum custode dilecta, a monasterio fugam petens, abscessit. Cum autem per aliquantulum spatium a monasterio recessissent, lacrymabili voce diabolus conquestus est, se quoddam pretiosissimum monasterii sui clenodium fuisse oblitum, quod omnia habita praecelleret in valore, dixitque ad custodem: tu hic sede, amice charissime, et tu reditum meum praestolare, ego citius, quo potero, quaesito et allato illo festinus ad te redibo. Credit custos, et ascendente diabolo, solus cum furto remansit in campo. Diabolus vero, postquam recessit a custode, venit in monasterium, et ingressus dormitorium, magnum strepitum commovit, clamans alta voce: surgite, surgite, et citius custodem, qui cuncta furatus est insequentes, comprehendite. Surrexit Abbas, et totus conventus cum eo, et perlustrantes singulas clausuras apertas, et pretiosiora quaeque, clenodia, ac ornamenta monasterii sublata invenerunt. Unanimiter perinde monasterium egressi, et custodem insecuti, non longe a monasterio solum invenerunt, et furtum cum eo. Quem comprehendentes, cum quid diceret, et furto praesente confusus non inveniret, secumque vehementer tacitus miraretur, quomodo in hoc infortunium pervenisset, cum in monasterium reducentes, incarceratum, ambobus pedibus cippo arctatis, et affixis, usque in diem crastinum, quando de facto melius deliberarent, dimiserunt. Alteri quoque monacho, ut ad matutinas tempore congruo loco custodis pulsaret, committens, ipsi se quieti tradiderunt. Quiescentibus singulis, cum custos facti turpitudine confusus, solus sederet in carcere, atque cippo, secumque miserabilem causam tacita mente, cordeque contrito revolveret, et prae cordis anxietate erumpentibus lacrymis, bene contritus amarissime fleret, solatiumque sibi sub sole nullum superesse conspiceret, devoto corde se transtulit ad omnium desolatorum consolatricem piissimam Virginem Mariam, casum suum ei conquerens in haec verba: O mea Mater, omnium peccatorum misericordissima patrona, quoniam ut corde nosti, devota tuis me servitiis mancipavi: per tuam infinitam clementiam te deprecor, ut mihi casu hoc lacrymabili innocenter circumvento, tuam misericordiam gaudeam affuisse. Cumque sic iaceret in oratione, et to-

tius spei anchoram in Matrem misericordiae iniecisset, ecce subito in forma, qua eum depingi fecerat, satanam adesse conspexit, sibi suum infortunium improperantem, atque dicentem: ecce inquiens quomodo, quod tibi ante promiseram, ut scilicet mihi de facta iniuria tibi reddam rationem, iam persolvi. Custos cordis dolore confusus, quid suis responderet improperiis, non invenit. Tunc ait diabolus: Ecce, quod tibi ante praedixeram, iam me cognoscas implesse; sed tamen Maria Domina tua mota quam ad te gerit compassione, me imperiali potentia, quod invite facerem, compulit. His dictis, daemon excessit, et excusso cippo liberavit, et ut illinc recederet, imperavit. Custos cellae suae secreta secrete petiit, ac diabolus in forma custodis transformatus, in cippo carceris pro eo invitus et compulsus resedit; custos quoque totus gratulabundus, misericordiae gloriosae Virginis, cuius imperio fuerat liberatus, gratias quas potuit, retulit, tempusque matutinum totus laetabundus expectavit. Cumque prope esset, quod impulsu horologii tempus matutinarum signaretur, quod etiam in loco officii sui Frater ordinatus expectavit, ecclesiam introivit, atque ut solet, decantandis monachis in pulsu signum dedit. Quod ut Frater vice eius ad pulsandum ordinatus, audivit, mirabatur, quisnam ibi esse potuit, qui ipsum pulsando etiam ante tempus praevenisset, eo quod dum custos incarceraretur, adfuisset. Ad ecclesiam igitur festinus accurrit, et custodem pulsantem inveniens, cum vehementer miraretur, Abbatem, ac Fratres ceteros adiit, et quod custos, fracto carcere, violenter aufugisset, intimavit. Surgentes illi carcerem adeunt, atque ut sibi videbatur, custodem incarceratum, ut eum antea reliquerant, invenerunt. In choro quoque ecclesiae veniunt, atque custodem, ut ibi solet, pulsantem aspiciunt. Dixitque Abbas fratribus suis: Tota hac nocte, Fratres mei, diabolica sumus deceptione vexati. Et accepta aqua benedicta cum pulsantem custodem aspersisset, ille aspersionem humiliter ut vere humilis erat, reverenter accepit. A choro igitur ad carcerem cum conventu rediit, ubi, ut sibi videbatur, custodem incarceratum sedentem invenit. Cumque eum, ut vero custodi ante fecerat, etiam aqua benedicta aspersisset, ille dimisso magno foetore, ut fumus evanuit, sicque discordiae seminator maleficus Fratres singulos cum custode pacificavit invitus. Custos quoque suae liberationis non ingratus, nec immemor, studuit adiutorio gloriosae Virginis, in virtutibus proficiendo pro sibi impenso beneficio gratus existere, et in servitio eius spirante gratia usque in finem vitae suae amplius fervere. Fratres vero missis nunciis in praenominatum monasterium Virginum, utrum de hoc negotio nocte illa aliquid percepissent, explorare studuerunt. Sed quoniam rei veritas nulli hominum, excepto custode, patuit, nullibi aliquid inde auditum fuit. Custos vero rei eventum usque ad vitae suae terminum secretum tenuit, nullique publicavit. Sed cum ceteris vicinae mortis signis prodentibus se, ab hoc saeculo migraturum esse cognosceret, omnem rei gestae ordinem vocato Priori intimavit.

§. CCXXXI.

Collector Speculi eisdem verbis: S. Thom. Cantuariensis Episcopus in adolescentia sua castissimus erat, utpote qui beatissimae Virgini Mariae suam voverat castitatem. Cum autem esset inter socios, sicut lilium inter spinas, audivit eos saeculares saecularia conferre, et iactantes se de suis specialibus dominabus, et de clenodiis sibi datis ab ipsis. Tandem in loco dixit: Nihil valet quod dicitis, et iactatis, ego habeo amicam, quae omnium vestrum praecellit amicas, quae mihi clenodium dedit, cui nunquam simile vidistis. Hoc autem totum spiritualiter intendebat, sed ipsi secundum mentem suam recipere hoc volebant, supplicantes instantissime, ut eius clenodium demonstraret. Et vim iam inferre volentibus, aufugit in ecclesiam, seque ad orationem contulit, rogans, ut sibi tam praesumptuosum verbum Domina dulcissima indulgeret. Ecce autem in visione ei electissima Virgo apparuit, consolans eum flebilem, et dicens: Ne timeas, quia optime et vere excellentiam tuae amicae inter socios, immo inter omnes homines, obtinebis. Deditque ei pyxidem valde parvulam, nimis pulchram. Reversus ad se, et ab oratione consurgens laetus abire volebat; sed socii praefati videntes eum, iterum pro exhibitione sui clenodii insistebant. Tandem socii e manu eius praedictam pyxidem rapuerunt, et aperientes viderunt in ipsa parum de purpura: extraxerant, et prodiit de illa pulcherrima casula mirabiliter benefacta. Verbum illud mirabile pervenit ad Episcopum Cantuariensem, cui accersitus Thomas, rei indicavit veritatem. Unde providit ei Episcopus in studio, et expensis, praeordinans eum in animo suo, sibi futurum successorem: quod et postmodum factum est.

§. CCXXXII.

Idem Collect. spec. eisdem verbis: Miles quidam in torneamentis, et exercitiis saecularibus se plurimum exercebat. Huic evenit infortunium, quod talibus solet saepe evenire: nam Monachus factus fuit. Sed Dominus qui dixerat, melius esse cum uno oculo ad vitam ingredi, quam cum duobus tendere ac gehennam, qui novit bonum de malo elicere, felici necessitate eum compulit ad meliora commutari. Et quia circa divinum officium, et praecipue in Missa gloriosae Virginis Mariae devotissime se agebat, quodam die eques processit ad ecclesiam, in qua Salve sancta parens solemniter cantabatur, qui morem gerens solitum abstitit, et Missam negligere recusavit. Tunc ecce Iudaeus quidam interim casu pertransivit, inveniensque militem ad nomen Reginae coeli frequenter genua flectere, respexit, impieque subsannavit, improperans inter cetera, quod ancillam gentis suae tam venerabiliter honoraret. Miles Dominae suae iniuriam ferre non valens, accensus zelo fidei, Iudaeum percussit

ad aures, qui mox querulans, et eiulans commovit totam plebem. Accurrensque populus sciscitabatur causam clamoris; qua percepta, pro divite favoris gratia sententia lata fuit. Miles autem interim videns paratas sibi insidias, secessit in ecclesiam, auxiliatrici fidelissime negotium suum committens. Astitit autem angustiato illuminatrix cordium, et amissum sibi oculum restituit, et visum lucidissime reparavit. Captus tandem in ecclesia, et abstractus, ac productus, traditus est Iudaeo, qui eum minime recognovit, dicens: Hunc indicarem me laesisse, si duos oculos non haberet: nam huic nihil imputare valeo. Viso igitur miraculo, gaudebant fideles, recognoscentes, et laudantes Matrem Domini, fidelium adiutricem. Statuerunt ergo fideles, ut in eodem die annis singulis Iudaei Iudaeum aliquem publice repraesentent, qui sine contradictione alapam tam gravem sustineat, quam Christianus decreverit sibi dandam.

§. CCXXXIII.

Idem Collector speculi eisdem verbis: Erat quidam presbyter Deo multum devotus, et naturali quodam castitatis dono refulgens, Ordinis Cruciferorum, cuius etsi mihi nomen non incognitum est, nec incerta habitatio, subticere tamen utrumque volui, ne aut ipsi pudorem, nam verecundus est, aut mihi adulationis notam inficerem. Is cum a primordiis florentis iuventae fere usque ad trigesimum annum, vel nullos omnino ob ingenitam castitatem, aut admodum paucos carnalium tentationum aestus persensisset, nescio qua daemonis invidia actum sit, ut in provectiore aetate tam gravibus tentationum carnalium fluctibus inciperet agitari, ut de periculo castitatis haesitans, graviter trepidaret. Cumque daemon immundas cogitationes die, noctuque ingereret, et praedictus Frater profundis suspiriis, prodigiis, lacrymis, et sanctissimis precibus ambigua satis victoria decertaret; tandem ad Reginam Virginem Mariam spei suae anchoram fixit, ipsamque adiutricem sub tam acerba certaminis mole sibi fieri postulavit. Verum dum illa non acceleraret praesidium, sed texeret moras anxie repugnanti, vidit quadam vice in altari, coram quo se in oratione prostravit, Virginis Mariae et b. Gertrudis imagines, vel sculptas nescio, vel pictas. Sed cum Reginam coeli aureo diademate refulgentem, et beatam Gertrudem humiliori velo tectam conspiceret, ut videlicet imperiale meritum dispar habitus denotaret, columbina simplicitate plenus in hunc modum coepit perorare: Non debueras Virgo Maria benedicta me crebrius te invocantem hactenus protraxisse, et hucusque in tuis castris militanti diu, saepeque optata negasse praesidia, cum te et vulgatum nomen miserorum adiutricem, et regium diadema, Virginum principem signent. Verum nunc quia gravius saeviente hoste in me video periclitari castra pudoris, et bellum impar viribus meis impositum cerno, atque ex hoc conicio hosti in proximo cessura trophaea, eo usque noveris rem processisse, ut hodie felix virgo regium diadema aut retineas, aut amittas. Si iuveris fessum, manebit tibi: si vero, vel adhuc precantem spreveris, detracta sublimi de vertice corona, Gertrudis virginis caput ornabo. At ipsa cum se viderit per me hoc honore praeventam, tantis beneficiis non ingrata, a turpibus cogitationum procellis me liberum, atque securum efficiet. O Deus, quid non facit innocentis hominis sancta simplicitas: mox enim ut his verbis Genitricem Dei, et Reginam coeli convenisset, ipsa quasi tanti honoris fastigio nolens privari, minantem sibi Fratrem ab huiusmodi tentatione tam potenter eripuit, ut post illam horam usque in praesens tempus dicatur carnalium tentationum fluctibus non quassari, sed de tunc accepta puritate, nunc quoque laetatur.

§. CCXXXIV.

Gerardus Lorichius Hadamarus Catholicus (*in compend. gloss. ordinar. et interlin. in 3. Reg. cap. 13*): Hermanni Itali Fratricellorum haereseos auctoris manens apud Ferrariam instar sancti alicuius reliquiae colebantur. Aliorum impium dogma ut declararetur, iidem aequum fuit, necessitas quoque postulavit, ut ossa infanda comburerentur. Diabolum hoc indicium Ecclesiae solum odisse, ex historia Guidonis est videre. Diabolici hominis reliquiae in ignem coniectae statim emicuere, atque diabolorum potestate in aera supra rogum ferebantur. Populus iudices in ipsam ardentem pyram iniecisset, nisi clerus gloriosam Virginem Mariam, haereseon omnium interemptricem, in officio cuius introitus est: Salve sancta parens, invocando, diabolorum nequitias exuperasset, ipsoque clamore coegisset: O Guido de Lacha nos defendimus te quantum potuimus, et cetera. Itaque merito cantat Ecclesia: *Gaude Maria Virgo, sola cunctas haereses interemisti in universo mundo.*

§. CCXXXV.

Cardinalis Iacobus de Vitriaco (*in lib. quem de apib. voc.*), quia ad similitudinem apum varios exemplorum flores collegit: licet autem liber nomine auctoris careat, illum tamen praedicto Cardinali adscribit Dionysius Carthusianus, dum ait: Eundem auctorem illius esse, qui scripsit vitam sanctae Christianae de Leodio; hunc autem fuisse cardinalem Vitriacum tradit Surius in vita eiusdem sanctae. Narrat igitur ille, quod cum quidam, qui postquam multos annos in militari vita consumpsisset, Ordinem Cisterciensium ingrederetur, interrogatus a magistro noviliorum de aliquibus christianae doctrinae rudimentis, etiam orationis Dominicae ignarum illum reperit, causam ille subiecit, dicens: ita memoriam labilem habere, ut per totam vitam non potuisset

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

orationem Dominicam memoriae mandare, tunc praecepit Abbas, ut saltem salutationem angelicam addisceret. Per multos dies ille laboravit, nunquam tamen potuit alia verba memoria retinere quam illa: *Ave Maria gratia plena.* Magister autem novitiorum observans hebes hominis ingenium, ac labilem memoriam, salutare hoc consilium ei praebuit, ut frequenter mente, et ore in omnibus suis actionibus illa verba repeteret: *Ave Maria gratia plena*, cui ille ita obtemperavit, ut fere nunquam ea verba ab eius ore decederent, fatebaturque repetitionem illam sibi non solum non molestam, sed dulciorem super mellis favum ori eius esse. Postmodum nonnullis transactis annis, quibus religiose ac sancte vixit, cum e vita discederet, et in loco consueto reliquorum Fratrum fuisset sepultus, e sepulcro eius prodiit arbor, in cuius foliis divinitus aureis characteribus scripta erant verba illa: *Ave Maria gratia plena.* Huius portenti fama continuo per totam illam dioecesim diffusa, protinus Episcopus ad videndam visionem illam grandem properavit, fodereque iussit in eodem loco, ubi arbor sita erat, et invenit radicem arboris in ore sancti illius cadaveris radicatam esse. Unde non obscure coniectavi ob devotam illorum verborum repetitionem: *Ave Maria gratia plena.* Tandem miraculum coelesti consilio patratum fuisse, et ad remunerationem illius, et ad instructionem nostram, ut moneamur frequenter sacra illa verba mente et ore versare.

§. CCXXXVI.

Frater Francisci de Gonzaga quondam minister generalis Seraphici Ordinis, nunc vero Episcopus Manduanus libro de origine familiae observantiae commemorat: Cum magna grassante peste per totam civitatem Conimbricensem monasterium s. Clarae inciperet adeo pericliari, ut moniales timore mortis concussae de fuga ab eo loco inter se agerent; dum tamen de modo magis decenti ad fugam capessendam deliberarent, ecce repente ad ostium pulsat pauper quidam eleemosynam petens, ad quem cum venissent quaedam moniales, continuo ille interrogavit, ut quid adeo tristes et afflictae essent; illis autem respondentibus propter appropinquantem ad nos pestem, quae nos hinc abire compellit: at ille continuo dixit: credite mihi, non opus est, dabo vobis efficacissimum remedium ad illam omnino propulsandam: accipite chartam istam, et antiphonam Deiparae in ea scriptam singulis diebus recitate: statimque ille non amplius comparuit. Coeperunt moniales singulis diebus saepe saepius tum alta voce canere antiphonam illam, tum submissa voce singula eadem repetere; quo praesentissimo antidoto coelitus, ut creditur, demisso, monasterium in mediis flammis grassantis pestis ab eius contagione omnino immune servatum fuit. Antiphonam, vel orationem hic apponam, ut omnes salubri hac medicina ingruente peste fruantur.

Stella coeli extirpavit
Quae lactavit Christum Dominum.
Mortem pestis quam plantavit
Primus parens hominum.
Ipsa stella nunc dignetur
Sydera compescere,
Quorum bella plebem caedant
Dirae mortis ulcere.
O pissima stella maris
A peste succurre nobis,
Audi nos Domina.
Nam filius tuus nihil negans
Te honorat,
Salva nos Iesus,
Pro quibus Virgo Mater orat.
℣. *Ora pro nobis sancta Dei Genitrix.*
℟. *Ut digni efficiamur promissionibus Christi.*

ORATIO

Deus misericordiae, Deus pietatis, Deus indulgentiae, qui misertus es semper afflictionem populi tui, et dixisti angelo percutienti populum tuum, contine manum tuam, ob amorem illius stellae gloriosae, cuius ubera pretiosa contra venena delictorum, quam dulciter suxisti: praesta auxilium gratiae tuae, ut ab omni peste, et improvisa morte, secure liberemur, et a totius perditionis incursu misericorditer salvemur, per te Iesu Christe Rex gloriae, qui vivis, et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Haec, et omnia mea iudicio Ecclesiae catholicae Romanae libenter subiicio, paratus, si quid eius doctrinae minimo apici adversum quoquo modo scriptum sit, corrigere, emendare, abradere, et penitus abolere.

FINIS TERTII VOLUMINIS

INDEX HOMILIARUM

LIBER DECIMUSQUINTUS

DE SACRIS ARCANIS DEIPARAE VIRGINIS IN FESTO S. MARIAE AD NIVES, ET IN EVANGELICA ILLIUS DIEI LECTIONE LATENTIBUS.

Homilia Prima.

In illa verba Ecclesiast. 44. Imperio suo acceleravi nivem, *proprietates, et effectus nivis in laudem b. Virginis, et nostram utilitatem convertuntur.* 5

Homilia Secunda.

In illa verba: Extollens vocem quaedam mulier de turba, *etc. foeminarum praeconia decantantur, et quae variis virtutibus etiam inter Ethnicos mirifice floruerunt, recensentur* 15

§. I.

Ab etymologia nominis foeminae laudantur . . . . . ib.

§. II.

Ex creatione primae mulieris laudes foeminarum deducuntur. 14

§. III.

Ex honore, quem Principes, et Philosophi mulieribus deferunt, earum excellentia innotescit. . . . . . ib.

§. IV.

A fortitudine, et impavido animo, etiam in militia, foeminae laudantur 15

§. V.

Ab amore erga patriam, et maritos, et a tutela, quam eis praestiterunt, foeminae commendantur. . . . . . ib.

§. VI.

A liberalitate, et magnificentia foeminae laudantur. 18

§. VII.

A castimoniae virtute foeminae commendantur. . . . . . ib.

§. VIII.

A prudentia, et sanis consiliis foeminae laudantur. 22

§. IX.

A misericordia, et pietate commendantur foeminae. . . . . . ib.

§. X.

A litterarum peritia, eloquentia, et eruditione foeminae commendantur. . . . 24

Homilia Tertia.

Evangelicae illius mulieris in laudem Christi, et B. Virginis dicentis: Beatus venter qui te portavit, et ubera quae suxisti, *praeconia multa apponuntur, quibus mira eius religio, fortitudo, et sanctitas cum singulari prudentia coniuncta innotescit, in illa verba:* Quaedam mulier de turba dixit: Beatus venter, qui te portavit. 27

Homilia Quarta.

Eiusdem Evangelicae mulieris, nec non virginei Deiparae ventris encomia exordiuntur, in eadem verba: Extollens vocem quaedam mulier de turba dixit: Beatus venter, qui te portavit: *ubi praecipua epitheta, quibus sancti Patres b. Mariae uterum exornarunt, cum aliis multis a nobis excogitatis, apponuntur.* . . . 31

Homilia Quinta.

Celsissimae dignitatis Matris Dei praeclara multa encomia proferimus, in illa verba: Beatus venter, qui te portavit (*Luc.* 11). 38

Homilia Sexta.

Prosequimur idem argumentum, et septem insignibus matribus, quarum divina eloquia meminere, excellentiam Dei Matris deprehendentes, in eadem verba: Beatus venter, qui te portavit 44

Homilia Septima.

Eadem verba: Beatus venter, qui te portavit, *elucidamus, internam b. Virginis puritatem, variis Canticorum locis explicatis illustrantes, nonnullaque virginei ventris encomia subiicientes.* 46

Homilia Octava.

Deiparam Virginem divinae gratiae miraculum, ac beatum eius ventrem miraculorum officinam esse aperte commonstramus, in illa eadem verba: Beatus venter, qui te portavit. 53

Homilia Nona.

Virgineum Deiparae ventrem bonorum omnium scaturiginem esse, atque ideo merito dici beatum, variis animi conceptionibus palam fit in eadem verba: Beatus venter, qui te portavit 58

Homilia Decima.

Beata Virgo Christum Dominum ventre suo

UNIVERSIDAD DE NAVARRA
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECA

orationem Dominicam memoriae mandare, tunc praecepit Abbas, ut saltem salutationem angelicam addisceret. Per multos dies ille laboravit, nunquam tamen potuit alia verba memoria retinere quam illa: *Ave Maria gratia plena.* Magister autem novitiorum observans hebes hominis ingenium, ac labilem memoriam, salutare hoc consilium ei praebuit, ut frequenter mente, et ore in omnibus suis actionibus illa verba repeteret: *Ave Maria gratia plena*, cui ille ita obtemperavit, ut fere nunquam ea verba ab eius ore decederent, fatebaturque repetitionem illam sibi non solum non molestam, sed dulciorem super mellis favum ori eius esse. Postmodum nonnullis transactis annis, quibus religiose ac sancte vixit, cum e vita discederet, et in loco consueto reliquorum Fratrum fuisset sepultus, e sepulcro eius prodiit arbor, in cuius foliis divinitus aureis characteribus scripta erant verba illa: *Ave Maria gratia plena.* Huius portenti fama continuo per totam illam dioecesim diffusa, protinus Episcopus ad videndam visionem illam grandem properavit, fodereque iussit in eodem loco, ubi arbor sita erat, et invenit radicem arboris in ore sancti illius cadaveris radicatam esse. Unde non obscure coniectavi ob devotam illorum verborum repetitionem: *Ave Maria gratia plena.* Tandem miraculum coelesti consilio patratum fuisse, et ad remunerationem illius, et ad instructionem nostram, ut moneamur frequenter sacra illa verba mente et ore versare.

§. CCXXXVI.

Frater Francisci de Gonzaga quondam minister generalis Seraphici Ordinis, nunc vero Episcopus Manduanus libro de origine familiae observantiae commemorat: Cum magna grassante peste per totam civitatem Conimbricensem monasterium s. Clarae inciperet adeo pericliari, ut moniales timore mortis concussae de fuga ab eo loco inter se agerent; dum tamen de modo magis decenti ad fugam capessendam deliberarent, ecce repente ad ostium pulsat pauper quidam eleemosynam petens, ad quem cum venissent quaedam moniales, continuo ille interrogavit, ut quid adeo tristes et afflictae essent; illis autem respondentibus propter appropinquantem ad nos pestem, quae nos hinc abire compellit: at ille continuo dixit: credite mihi, non opus est, dabo vobis efficacissimum remedium ad illam omnino propulsandam: accipite chartam istam, et antiphonam Deiparae in ea scriptam singulis diebus recitate: statimque ille non amplius comparuit. Coeperunt moniales singulis diebus saepe saepius tum alta voce canere antiphonam illam, tum submissa voce singula eadem repetere; quo praesentissimo antidoto coelitus, ut creditur, demisso, monasterium in mediis flammis grassantis pestis ab eius contagione omnino immune servatum fuit. Antiphonam, vel orationem hic apponam, ut omnes salubri hac medicina ingruente peste fruantur.

Stella coeli extirpavit
Quae lactavit Christum Dominum.
Mortem pestis quam plantavit
Primus parens hominum.
Ipsa stella nunc dignetur
Sydera compescere,
Quorum bella plebem caedant
Dirae mortis ulcere.
O pissima stella maris
A peste succurre nobis,
Audi nos Domina.
Nam filius tuus nihil negans
Te honorat,
Salva nos Iesus,
Pro quibus Virgo Mater orat.
℣. *Ora pro nobis sancta Dei Genitrix.*
℟. *Ut digni efficiamur promissionibus Christi.*

ORATIO

Deus misericordiae, Deus pietatis, Deus indulgentiae, qui misertus es semper afflictionem populi tui, et dixisti angelo percutienti populum tuum, contine manum tuam, ob amorem illius stellae gloriosae, cuius ubera pretiosa contra venena delictorum, quam dulciter suxisti: praesta auxilium gratiae tuae, ut ab omni peste, et improvisa morte, secure liberemur, et a totius perditionis incursu misericorditer salvemur, per te Iesu Christe Rex gloriae, qui vivis, et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Haec, et omnia mea iudicio Ecclesiae catholicae Romanae libenter subiicio, paratus, si quid eius doctrinae minimo apici adversum quoquo modo scriptum sit, corrigere, emendare, abradere, et penitus abolere.

FINIS TERTII VOLUMINIS

INDEX HOMILIARUM

LIBER DECIMUSQUINTUS

DE SACRIS ARCANIS DEIPARAE VIRGINIS IN FESTO S. MARIAE AD NIVES, ET IN EVANGELICA ILLIUS DIEI LECTIONE LATENTIBUS.

Homilia Prima.

In illa verba Ecclesiast. 44. Imperio suo acceleravi nivem, *proprietates, et effectus nivis in laudem b. Virginis, et nostram utilitatem convertuntur.* 5

Homilia Secunda.

In illa verba: Extollens vocem quaedam mulier de turba, *etc. foeminarum praeconia decantantur, et quae variis virtutibus etiam inter Ethnicos mirifice floruerunt, recensentur* 15

§. I.

Ab etymologia nominis foeminae laudantur . . . . . ib.

§. II.

Ex creatione primae mulieris laudes foeminarum deducuntur. 14

§. III.

Ex honore, quem Principes, et Philosophi mulieribus deferunt, earum excellentia innotescit. . . . . . ib.

§. IV.

A fortitudine, et impavido animo, etiam in militia, foeminae laudantur 15

§. V.

Ab amore erga patriam, et maritos, et a tutela, quam eis praestiterunt, foeminae commendantur. . . . . . ib.

§. VI.

A liberalitate, et magnificentia foeminae laudantur. 18

§. VII.

A castimoniae virtute foeminae commendantur. . . . . . ib.

§. VIII.

A prudentia, et sanis consiliis foeminae laudantur. 22

§. IX.

A misericordia, et pietate commendantur foeminae. . . . . . ib.

§. X.

A litterarum peritia, eloquentia, et eruditione foeminae commendantur. . . . 24

Homilia Tertia.

Evangelicae illius mulieris in laudem Christi, et B. Virginis dicentis: Beatus venter qui te portavit, et ubera quae suxisti, *praeconia multa apponuntur, quibus mira eius religio, fortitudo, et sanctitas cum singulari prudentia coniuncta innotescit, in illa verba:* Quaedam mulier de turba dixit: Beatus venter, qui te portavit. 27

Homilia Quarta.

Eiusdem Evangelicae mulieris, nec non virginei Deiparae ventris encomia exordiuntur, in eadem verba: Extollens vocem quaedam mulier de turba dixit: Beatus venter, qui te portavit: *ubi praecipua epitheta, quibus sancti Patres b. Mariae uterum exornarunt, cum aliis multis a nobis excogitatis, apponuntur.* . . . 31

Homilia Quinta.

Celsissimae dignitatis Matris Dei praeclara multa encomia proferimus, in illa verba: Beatus venter, qui te portavit (*Luc.* 11). 38

Homilia Sexta.

Prosequimur idem argumentum, et septem insignibus matribus, quarum divina eloquia meminere, excellentiam Dei Matris deprehendentes, in eadem verba: Beatus venter, qui te portavit 44

Homilia Septima.

Eadem verba: Beatus venter, qui te portavit, *elucidamus, internam b. Virginis puritatem, variis Canticorum locis explicatis illustrantes, nonnullaque virginei ventris encomia subiicientes.* 46

Homilia Octava.

Deiparam Virginem divinae gratiae miraculum, ac beatum eius ventrem miraculorum officinam esse aperte commonstramus, in illa eadem verba: Beatus venter, qui te portavit. 53

Homilia Nona.

Virgineum Deiparae ventrem bonorum omnium scaturiginem esse, atque ideo merito dici beatum, variis animi conceptionibus palam fit in eadem verba: Beatus venter, qui te portavit 58

Homilia Decima.

Beata Virgo Christum Dominum ventre suo

UNIVERSIDAD DE NAVARRA
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECA

deferent, mulieri Evangelicae tria sata farinae commiscenti, elibano, qua Eucharistiae panis formatur, ac ferculo Salomonis, illum nobis deferenti comparatus, in illa eadem verba: Beatus venter, qui te portavit 61

Homilia Undecima.

Virgo Deipara utero suo filium gestans Arcae Foederis, seu testimonii, ex antiquorum Patrum doctrina apposite satis comparatur, in qua similitudine varia B. Virginis encomia delitescunt. . . . 65

Homilia Decimasecunda.

In eadem verba d. Lucae; Beatus venter, qui te portavit, *Deipara Virgo nubi fulguranti comparatur, iuxta sanctorum Patrum doctrinam, quam similitudinem varia, ac multiplici, tam divina, quam humana eruditione illustramus.* . . . 71

Homilia Decimatertia.

In eadem verba: Beatus venter, qui te portavit, *Virginis Deiparae venter nido comparatur, quem Alcedines, seu, ut alii volunt, Halcyones aves fabricant.* . . . 74

Homilia Decimaquarta.

Deipara Virgo utero suo Christum gestans coelo comparatur, quo Deus sanctus beat in eadem verba: Beatus venter, qui te portavit (*Luc.* 11) 79

Homilia Decimaquinta.

Beatissimam Virginem Deiparentem vere, et proprie thronum Dei esse, car a tam sacrae Scripturae, quam sanctorum Patrum eruditione commonstramus, in illa verba: Beatus venter, qui te portavit . . . 83

Homilia Decimasexta.

Variae rationes apponuntur, ob quas omnino decuit Christum Dominum non alio lacte in vita infantili nutriri, quam eo, quod ubera b. Virginis Matris suae ei praebebant, in illa verba: Beati ubera, quae suxisti. 89

Homilia Decimaseptima.

Beatam Virginem non solum corporaliter Christum Dominum, sed et nos omnes spiritualiter utero suo portasse, ac suis uberibus lactasse, ex sacra Scriptura, ex sanctis Patribus, et efficacissimis ratiocinationibus commonstramus: ut propterea non solum Christi, sed et viventium omnium Mater, et nutrix censeri debeat. 95

Homilia Decimaoctava.

Vindicatur Deipara ab iniuria, quam haeretici ei irrogant, adversus eam perperam interquentes verba illa Christi Domini: Quinimmo beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud; *quorum germanus, et catholicus apponitur sensus, iuxta receptissimam Patrum illius loci expositionem.* 99

Homilia Decimanona.

Christus Dominus verbis illis: Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud, *humanas laudes longe abiciendas esse nos docet.* 102

Homilia Vigesima.

Prosequimur idem argumentum adversus inanis gloriae appetitum, cuius gravitatem, et stultitiam multiplici eruditione tam ex sacra Scriptura, quam ex sanctis Patribus, ac ingenti conceptuum copia palam demonstramus in eadem verba: Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei. 114

Homilia Vigesimaprima.

De verbi dicini utilitate, et efficacia, varia eruditione disserimus: nec non de multiplici discrimine circa auditionem verbi Dei inter reprobos, et praedestinatos, in illa verba: Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud 124

Homilia Vigesimasecunda.

Agimus de religiosa translatione Iconis S. Mariae Maioris ad celeberrimum sacellum a Paulo V. Pontif. Max. in honorem Deiparentis sacrum. 132

LIBER DECIMUSSEXTUS

DE SACRIS ARCANIS DEIPARAE VIRGINIS IN SACERRIMO EIUS ROSARIO LATENTIBUS

—

Homilia Prima.

De excellentia, et utilitate Rosarii, sed prius de eius nomine, antiquitate, et auctore disserimus. 138

Homilia Secunda.

In percelebri festo Rosarii b. Virginem Rosae comparamus: eius proprietates pulchre ei accommodantes in illa verba: Quasi plantatio rosae in Iericho 147

Homilia Tertia.

In eadem festivitate Rosarii, salutationes angelicas, ex quibus illud componitur, rosis comparamus, varios eius fructus commemorantes in eadem verba: Quasi plantatio rosae in Iericho 152

Homilia Quarta.

Prosequimur idem argumentum a Rosario Virginis, ad eius, quam vocant coronam, sermonem concertentes, quam multiplici eruditione illustramus, in eadem verba: Ego quasi plantatio rosae in Iericho . 156

Homilia Quinta.

Proponimus varias recitandi Rosarium formulas, ac peculiares modos omnibus statibus respective accommodatissimos . . 159

Homilia Sexta.

Sacrae fraternitatis Rosarii excellentiam, miram utilitatem ex multiplici rap. palam faciamus, pleraque eius praeconia decantantes. 164

§. I.

Pro inscriptione in fraternitatem Rosarii . 169

§. II.

Pro gerentibus secum Rosarium. . . . ib.

§. III.

Pro devote orantibus Rosarium. . . . ib.

§. IV.

Pro confessis, et communicantibus. . . ib.

§. V.

Pro Salve Regina. 170

§. VI.

Pro opere pio quocunque. . . . . . ib.

§. VII.

Pro agonizantibus. 170

§. VIII.

Pro processionibus. . . . . . ib.

§. IX.

Pro visitantibus templum, aut aram Rosarii. . . . . . ib.

§. X.

Pro non volentibus visitare ecclesiam Rosarii. 171

§. XI.

Pro liberanda e Purgatorio anima . . . ib.

§. XII.

Pro stationum urbis Romae indulgentiis . ib.

§. XIII.

De facultate absolvendi inscriptos in fraternitatem. . . . . . ib.

Homilia Septima.

Encomia prosequimur sacrae confraternitatis Mariani Rosarii, visionem arboris Nabuchodonosoris accommodantes. . . . 173

Homilia Octava.

De percelebri victoria a Christianis contra Turcas, Virginis intercessione, ac Rosarii confraternitatis precibus parta . . 178

Homilia Nona.

Impii haeretici tem in Marianum Rosarium, quam in sacram eius confraternitatem turpiter delacchantur, sed ab eorum calumniis illa vindicamus 181

Homilia Decima.

Agimus de pio, ac laudabili processionum ritu, quo Mariani Rosarii confratres Deiparam Virginem religiose colunt. . . . 187

LIBER DECIMUSSEPTIMUS

DE SACRIS ARCANIS DEIPARAE VIRGINIS DE MONTE CARMELO.

—

Homilia Prima.

Agitur de percelebri festo s. Mariae de monte Carmelo, cuius occasione illustrissimae familiae Carmelitanae nonnulla praeconia lacunice perstringimus . . . 192

Homilia Secunda.

Praeconia sacri Ordinis s. Mariae de monte Carmelo prosequimur, a cavillis omnibus acerrime illam vindicantes, quibus quidam auctores iniuste eam lacerare ausi sunt 196

Homilia Tertia.

In eodem festo s. Mariae de monte Carmelo Deiparae laudes, nec non Carmelitici Ordinis encomia prosequimur 213

Homilia Quarta.

Opportuna digressio in celebratione beatificationis s. Matris Teresiae Carmelitani Ordinis Monialis, novae reformationis Discalceatorum fundatricis . . . 220

LIBER DECIMUSOCTAVUS

DE SACRIS ARCANIS CULTUS ET DEVOTIONIS ERGA DEIPARAM VIRGINEM AC D. IOSEPHUM EIUSDEM SPONSUM.

—

Homilia Prima.

Exhortatio ad devotionem Virginis, adductis praecipuis rationibus ad eam stimulantibus, partim a mira eius sanctitatis excellentia, partim ab utilitate, quae in nos redundat, petitis 226

Homilia Secunda.

Prosequimur idem argumentum, ex multiplici capite ostendentes devotionem, ac filialem affectum erga b. Virginem singulare nostrae praedestinationis signum esse; sed prius permultas alias praedestinatorum notas ex sacris Scripturis, et sanctis Patribus proponimus . . . 236

Homilia Tertia.

Apponuntur obsequia varia a Virginis cultoribus praestanda, per quae tamquam per efficacissima media affectum devotionis erga Deiparentem, divina irrorante gratia, comparare, et fovere facile poterunt 240

Homilia Quarta.

Prosequimur principale argumentum, de interna, et externa adoratione Deiparae Virgini debita, agentes, ubi genuflexionum cultum, calde illi gratum, et ab angelis, et a viris sanctis visitatum, multipliciter ostendimus 245

Homilia Quinta.

In idem argumentum, Hyperduliae cultu, qui omnium aliorum Sanctorum cultum excedit, Ecclesia Catholica Imagines Deiparae Virginis religiose veneratur, cuius occasione imaginum usus multifariam constabilitur 251

§. I.

Recensentur primi, et novissimi haeretici, qui imagines Christi, b. Virginis, et Sanctorum demoliri tentaverunt . . . . ib.

§. II.

Imaginum, praecipue Christi Domini, et b. Virginis usus, et cultus ex sacris Scripturis comprobatur 252

§. III.

Ex Christi Domini exemplo 254

§. IV.

Ex sacris concilii s. 255

§. V.

Ex antiquissima Ecclesiae traditione, et consuetudine 257

§. VI.

Ex miraculis valde authenticis 259

§. VII.

Ex sanctis Patribus, ac vetustissimis Doctoribus 262

§. VIII.

A multiplici utilitate 264

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

§. IX.
Ex nervosis rationibus 267
Homilia Sexta.
Potissimum medium ad obtinendam devotionem Virginis, et conciliandam nobis eius amorem, virtutum illius imitationem esse ex doctrina sanctorum Patrum palam fit 270
Homilia Septima.
Commemorantur templa ab Ecclesia aedificata ad cultum Deiparae, non solum dum vitam ageret, sed antequam conciperetur. 274
Homilia Octava.
Divino consilio factum esse ad maiorem Virginis cultum, et gloriam, ac de antiquo serpente illustriorem victoriam, ut in templis, et locis, quibus daemonum simulacra Gentiles olim venerabantur, in eisdem Deiparae Virginis imago posita ab Ecclesia coleretur 278
Homilia Nona.
Ecclesia Catholica permulta festa instituens in Deiparae Virginis cultum, eximiam suam pietatem, et devotionem erga illam protestatur 281
Homilia Decima.
Perenni sabbati cultu, singulis recurrentibus hebdomadis, Ecclesia Catholica Deiparentem honorat, specialia obsequia in ea die ei deferens, officii, missae, ieiunii, aut similium 287
Homilia Undecima.
Reliquiarum Deiparae veneratione, quas ipsa Virgo nobis reliquit, ostendit Ecclesia Catholica devotionem, quam erga illam profitetur 291
Homilia Duodecima.
De multiplici alio religiosi cultus genere, praecipue orationis, quo Ecclesia Catholica Deiparam Virginem singulariter veneratur. 294
Homilia Decimatertia.
Referuntur alphabetico ordine celebriora epitheta, quae tam sacrae literae, quam omnes sancti Patres ad maiorem Deiparae cultum, et devotionem in nobis excitandam, tradidere. 298
Homilia Decimaquarta.
Prosequimur principale argumentum, singulare illud documentum tradentes, ad devotionem Virginis acquirendam, ut qui illam adipisci cupit, castissimum eius sponsum dicum Iosephum speciali veneratione colat 306
Homilia Magna, et ultima.
Prosequimur idem argumentum Iosephi, Virginis sponsi, varia praeconia decantantes, ad maiorem in animis fidelium devotionem erga illum excitandam . . 311
§. I.
De sanctificatione d. Iosephi in utero materno . . . . . ib.
§. II.
De nominis Ioseph excellentia 312
§. III.
De pulchritudine corporali, et spirituali d. Iosephi, ubi de quadruplici eius iustitia. 315
§. IV.
De sanguinis nobilitate divi Iosephi, et de uiro splendore stemmatum eius . . . 318
§. V.
Famae, et honori Christi Domini, et Matris eius, s. Ioseph mirifice consuluit . 322
§. VI.
De duplici d. Iosephi sublimi dignitate, sponsi scilicet Deiparae Virginis, et Christi Domini patris legalis 324
§. VII.
De felicissima d. Iosephi morte 330
§. ult.
De resurrectione d. Iosephi ad vitam immortalem, et gloriosam, secundum animam, et corpus 331

LIBER ULTIMUS

DE MIRANDIS DEIPARAE VIRGINIS TAM IN GRATIAM, QUAM IN VINDICTAM.

—

§. I.
Insignis praefatio de miraculorum natura, et utilitate, nec non de potestate Virginis ad ea patranda disserens, varia doctrina, et eruditione locupletissima . . 334

Deinde per ducentos et triginta sex paragraphos, totidem miracula Deiparae Virginis referuntur, citatis eorum Auctoribus, tam in gratiam, quam in vindictam ab ea patrata.

INDEX

RERUM OMNIUM

NOTABILIUM, COPIOSISSIMUS ET AMPLISSIMUS

Prior numerus paginam, posterior columnam notat.

A

Adoratio triplex, 245. 2.
Interna bifariam exercetur, 247. 2.
Affectus humani cedant ubi Dei causa agitur, 46. 1.
Albertus Magnus ope Virginis scientias naturales repente callet et amittit, 348. 2.
Amor erga patriam et maritos, in quibus feminis eluxerit, 16. 2.
Angeli non comprehendunt Mariae Virginis excellentiam, 2. plures assistunt ei, 68. 1.
Ex quibus tantum ordinibus corruerint, 88. 1.
Speciali cultu Virginem adorant, 249. 1.
S. Anna vitem foecundissimam protulit, 9. 2.
S. Anselmus ope Virginis a praecipitio incolumis evadit, 370. 1.
Apostoli sunt Christi legati, 45. 1.
Apparitiones variae b. Virginis, 377. 2.
Aqua in vinum saepius versa, 537. 2.
Aquila biceps stemma Imperatorum aptatur stemmati Virginis, 45. 2.
Aranearum natura expenditur, 118. 1.
Assumptionis festo plurimae e purgatorio animae liberantur, 342. 1.
Cerei consumpti idem ac prius retinent pondus, 362. 2.

B

Basilicae s. Mariae Maioris origo, varia nomina, 7. 1. Vide templum.
Basiliscus fugatur icone, et imploratione beatae Virginis, 554. 1.
Beatitudo formalis et obiectiva fuit in utero Virginis, 84. 1. 2.
S. Benedictus convertit canonicum quendam Coloniensem, 383. 2.
S. Bernardus orat pro pituitae remedio, et exaudiitur, 377. 1.
Bonum esse inter malos optimum, 29. 2.

C

Coelum musicum edere concentum unde probetur, 80. 2.
Carmelitana familia Eliam auctorem agnoscit, 173. 2.
Eius praeconia, 194. 1. — 195. 1.
A cavillis omnibus vindicatur, 196. 2. et seq.
Eius nomenclaturae ratio, 201. 2.
Antiquitas, 206. 1.
An eadem quae Essenorum, 208. 2.
In finem usque mundi duratura, 209. 1.
Eius confratres, et consorores die sabbati a purgatorio liberantur, 213. 1.
A Virgine summopere diligitur, 214. 2.
Prima fuit quae Virgini sacellum et templum erexerit, 215.
A Virgine ortum habuisse dicitur, 216. 2.
Magni viri qui in ea floruerunt, 217. 2.
Eius encomia, 219. 1. 2.
Carnis rebellio militat adversus spiritum, 80. 1.
Pitis scabie liberatur monachus a b. Virgine, et ab eius dolore immunis perpetuo redditur, 589. 2.
Caput latronis abscissum loquitur, 561. 2.
Castitas relucet in feminis, 20. 1. 2.
Qui eam amisit quomodo b. Virgini se praesentet, 511. 2.
Est praecipua quaedam sanctificatio et dispositio ad Deum videndum, summeque placet Mariae, 12. 1.
Martyres facit, ibid.
Charitas collo et turri comparatur, 52. 1. B. Virginis. Vide verbum Maria Virgo.
Cherubim non comprehendunt Mariae Virginis excellentiam, 6. 1.
Christus carnem traxit ex Maria Virgine contra Apollinaristas, 27. 2.
Sine labe conceptus, ibid.
Tria spolia refert in Incarnatione, 60—61.
Frater noster, 97. 2.
Christus a Virgine armatus prodiit in mundum, 95. 1.
Eo nascente mare lacteum, et summa pax in mundo, 77. 2.
Christus est miraculorum maximum, 537. 1.
Comparatur ficui, 10. 1.
Aquae, 58. 2.
Hamo, 60. 1.
Vermi, ibid.
Fulguri et fulmini, 71. 2.
Dicitur sermo, 79. 2.
Benignitas et auctoritas eius, 68. 2.
Christus pro Matris honore pugnavit, 8. 1.
Eius praeconia cum Maria sunt communia, 50. 2.
Veluti sol decus praecipuum Mariae, 81. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Eius mysticum monumentum est Maria, 290. 1.
Ei gratissimus honor Matri collatus, 406. 2.
Gratissimus Ioseph ob obsequia ab eo recepta, 507. 1. Filius eius legalis. Vide s. Ioseph.
Christi passionem contemplari solita virgo quaedam virginitatem tuetur, 440. 1.
Christi nativitatem meditans virgo quaedam ubera miraculoso lacte plena acquirit, 546. 1.
Christi nomine gloriatur Iesus ob assumptam naturam quam connotat, 40. 1.
Cur saepius vocetur filius hominis, 40. 2. Vide verb. Iesus.
Cistercienses Monachi pallio Virginis teguntur, 395. 2.
Cogitationes bonae capillis tonsarum comparantur, 49. 2.
Conservant animam, 128. 2.
Cognitio sui a peccatis liberat, 73. 1.
Comminationes divinae in bonum vertuntur, 556. 2.
Compunctio ex visione miraculorum, ib.
Concupiscentia virorum et mulierum, 55. 1.
Confessionis sacramentalis necessitas exemplis ostenditur, 540. 1.—552. 2.
Eam adhibet ope Virginis caput abscissum, 561. 1.
Ea infirmos privare nititur daemon, 599. 2.
Congratulari b. Virgini proficuum, 244. 1.
Consilia sana a mulieribus, 22. 2.
Contemplatio comparata capillis tonsarum, 49. 2.
Fuit optime in Maria Virgine. V. Maria Virgo.
Conversiones peccatorum a b. Virgine, 71. 1. Vide verb. Peccator, et Maria Virgo.
Corona b. Mariae Virginis fortitudinem praebet ad hostes devincendos, 157. 2.
Eius virtus, libro ultimo, 408. 1. Vide verbum Rosarium.
Creationis cum incarnatione comparatio, 42. 2.

D

Daemones Maria Virgo debellat, 233. 2.
Eorum illusiones patefiunt per salutationem Angelicam, 589. 2.
Frustra persequuntur devotum Virginis Mariae, 599. 2.
Arcentur et fugantur a Virg. 419. 1.
Detrahi nobis permittit Deus, ne inanem sectemur gloriam, 112. 2.
Devotio in Virginem excitatur ex eius sanctitate et excellentia, 226. 1.
Ex utilitate quae inde consequitur, 253. 1.
Signum est praedestinationis, 237. 2.
Quibus foveatur exercitiis, 240. 2.
Si remittitur, aegre ab ipsa fertur, 547. 1.
Fuit praecipua in Martiano, 576. 1.
In Gerardo, 577. 2.
Obtinet contritionem in fine vitae, 421. 2. Vide mortis hora.
Deus est causa praecipua bonorum operum, 108. 1. — 114. 2.
Odit et punit vanam gloriam, 108. 2.
Eius cor est Virginis templum, 156. 1.
Dignitas maternitatis Dei est incomprehensibilis et eximia, 38. 1.
Discendi desiderium quam laudabile, 151. 2.
S. Dominicus auctor Rosarii, 159. 2.
Suadet orationem Dominicam, 145. 2.
Salutationem Angelicam, ib.
Dormientes incomposite Virginea benedictione privantur, et diabolico ore osculantur, 584. 1.

E

S. Edmundus ob intermissam devotionem in Virginem ab ea blande corripitur, lib. ult. 572. 1.
Eleemosynam facientes olim tuba canebant, 104. 2.
In occulto facienda, ibid.
Quae offertur altari b. Virginis, ab ipsa visibili apparitione in aegritudine offerentis remuneratur, 341. 1.
Quae in terris fit, in coelis magnifice repraesentatur, 345. 1. 2.
Detinet iratas manus Dei, et Virginis, libr. ult. 577. 1.
Elisabeth cedit sponte Mariae, 45. 1.
Eloquentia humana divinae res non indigent, 7. 1.
In feminis floruit, 24. 1.
Eruditio summa quarundam feminarum, ib.
Essenorum familia an fuerit eadem quae Carmel. 209. 1.
Eucharistiae sacramentum b. Virgini acceptum feramus, 62. 2.
Semper indeficiens, ib.
E manu Virginis sumendum, 63. 2.
Sumens puer hebraeus nil laeditur a fornace, in quam pater eum iniecerat, 343. 1.
Flammam ore percipere sibi videtur, ibid.
Exemplum devotionis et pietatis haereticum quendam convertit, 544. 1.
Expectationis beatae Mariae festum unde initium sumpserit, 380. 1.

F

Feminae non aspiciendae quamvis sanctae, 12. 1.
Feminae laudantur ab etymologia nominis, 13. 2.
Ex creatione primae mulieris, 14. 1.
Ex honore quem principes et philosophi eis deferunt, 14. 2.
A fortitudine et impavido animo, 15. 1.
Ab amore erga patriam, et maritos, et a tutela quam eis praestiterunt, 16. 2.
A liberalitate et magnificentia, 18. 1.
A castimonia, 18. 2.
A prudentia et sanis consiliis, 22. 2.
A misericordia et pietate, 23. 2.
A litterarum peritia, eloquentia, et eruditione, 24. 1.
Fidei confessio quam difficilis et quam necessaria, 28. 1.
Nunquam in Ecclesia Dei deficit, 32. 1.
Fontes ac fluvii vinum miraculose fluentes, 357. 2.
Fortitudo feminarum quarundam, 11. 2. B. Virg. vide Maria Virgo.
Fratres quatuor modis dicuntur, 161. 1.
Fulgura pro fulminibus in s. Scriptura, 336. 1. 2.
Significant miracula, ibid.
Cur praecedant pluvias, 336. 2.

G

Gaudium promittitur a Virgine, gaudium illi annuncianti, 342. 1.
Septem gaudia quae habet in coelo, revelat b. Virgo s. Thomae Cantuariensi, 405. 2.
S. Gerardus Pannoniae martyr quantam b. Virgini reverentiam exhibuerit, 577. 2.
Gloria Dei quaerenda in operibus bonis, 106. 2.
Nemini datur, 108. 2. — 114. 2.

Gratia invenitur per Virginem, 59. 1.
Recuperatur vi Rosarii, 155. 2.
S. Gregorius Magnus b. Virgini devotissimus, 405. 1.

H

Haereses multae confutantur a muliere exclamante, beatus venter, etc. 27. 1.
Earum destruxit b. Virgo, vide Maria Virgo.
Haereticipravetorquentin Virgine responsum Christi, quinimo beati, etc. 99. 1. Vide Iudaeus.
Honor mulieribus a principibus, et Philosophis delatus, 14. 2.
Exhibetur Mariae Virgini ab omnibus, 45. 2.
Hominis salus a consensu b. Virginis dependet, 42. 1.
Humilitas praedestinationis signum, 237. 1. 2.
B. Virginis. Vide Maria Virgo.
Hypocritarum stultitia struthionis et araneae insipientia declaratur, 117. 1. — 118. 1.
Nominis etymologia, 120. 1. Vide verbum vanagloria.

I

S. Ildefonsus pro virginitate Mariae dimicans vestem pretiosam ab ea recepit, lib. ult. 380. 1.
Ieiunium ob vanam gloriam ne fiat, 105. 1.
Ieiunantem quarta feria vel sabbato in honorem b. Virginis inconfessum non mori exemplo comprobatur, 361. 2.
Iesus nomen gloriosissimum, 37. 2.
Ipsum pronuncians Inda mulier castitatem tuetur, 413.—414.
Caput mortui ipsum pronunciat, 416. 2.
Ignorantia affectata signum reprobationis, 150. 2.
Imaginum sanctarum cultus comprobatur ex sacris Scripturis, 232. 1.
Ex Christi exemplo, 251. 1.
Ex sacris conciliis, 255. 2.
Ecclesiae, 257. 2.
Ex miraculis, 259. 1.
Ex SS. P. 262. 2.
Ex multiplici utilitate, 264. 1.
A ratione, 267. 1.
Imaginum sanctarum defensor acerrimus s. Stephanus, 382. 2.
Vis exemplis asseritur, 394. 1. 2.
Earum veneratio plus daemoni displicet quam castitatis observatio, 402. 1.
Earum veneratio confirmatur a b. Virg. quae perpetuo candelam accensam ante illas conservat, 402. 2.
Inimicorum tollit odium, 404. 1.
Earum violatio punitur graviter, 404. 2.
Imitatio necessaria, 272. 2.
Incarnatio a Verbo Dei maxime concupita, 39. 1.
In ea ostenditur omnipotentia Dei, 40. 2.
Cum creatione comparatur, 42. 2.
Miraculum miraculorum, 55. 1.
Commixtio farinae, 62. 1.
Expiscatio quaedam et captio Leviathan, 60. 1.
Eodem die quo passio, 70. 1.
Indulgentiae quibus gaudet fraternitas Rosarii, 169. 1.
Infirma instrumenta eligit Deus, 29. 2.
Ingratitudinis poena exemplo demonstratur, 378. 1. 2.
Beneficii est amissio, 342.—343.
Inimicorum dilectio praedestinationis est signum, 237. 1.
Inobedientia graviter punitur, 116. 1.
Intentio sola abscondit opera, 104. 1. Vide vana gloria.
Intercessio ss. quanti valeat in hora mortis, 349. 1. B. V. vide Maria V. et mortis hora.
Invidia graviter punitur, 116. 1.
S. Ioa. Baptista an fuerit monachus Eliae, 211. 2.
S. Ioannes Hierosolymorum episcopus an fuerit ordinis Carmelitarum, 202. 2.
S. Ioseph speciali veneratione colendus, exemplo Christi et Mariae, 506—507.
Ut gratum faciamus Virgini, et Christo, ibid.
Ut tributum debitum solvamus, ibid.
Ut in eo utilitatem percipiamus, 507. 2.
Eius intercessio potentissima, ibid.
Quivis eius auxilio indiget, 514. 2.
S. Ioseph sanctificatus in utero, 511. 2.
Confirmatus in gratia, ibid.
Eius nominis excellentia, 502. 2.
Eius privilegium est, ut nullus ex Apostolis Ioseph vocaretur, 514. 2.
Pulcher animo et corpore, 515. 1.
Iustus, 516. 2.
Nobilis sanguine, 518. 2.
Stemmata eius gloriosa, 521. 1.
Genealogia ab Adam deducta, 522. 1.
Honori Christi et Matris eius consuluit, 525. 1.
Duplex dignitas sponsi V. et patris legalis Christi, 553. 2.
Item dignitas patris spiritualis, 529. 2.
Eius felicissima mors, 530. 1.
Resurrectio, 531. 2.
Gloria, ib.
Ioseph nomen a b. Virgine, Hermanno tanquam sponsam, 524. 1.
Item Iudaeus alter, 537. 1.
Alia, 414. 2
Alia, 457. 1. 2.
Iusti Mariam Virginem matrem et nutricem habent, 428. 1.
Iustificatio an sit miraculum, 335. 2.

L

Lac b. Virginis miraculosum et dulcissimum, 89. 2.
Potus Dei, 91. 2.
Lactare filios de iure naturae, 90. 1.
Lauretanum sacellum celeberrimum, 277. 1.
Lauretanae iconis miracula, 554.—555.
Laudes Dei celebrandae sunt a mulieribus quoque, 29. 2.
Qui eas canit, coelo comparatur, 30. 2.
Laus humana contemnenda, 107. 2. Vide verbum vana gloria.
Laudandus, qui inter malos bona agit, 29. 2.
Laudans quod minus est, ostendit inexplicabilem esse laudem dignioris, ib.
Lex quomodo imposita iuste, 186. 2.
Liberalitas feminarum, 18. 1.
Litterarum peritia reperitur etiam in feminis, 24. 1.
Illico obtinetur a Ruperto abbate ope Virginis, 548. 1. 2.
Ab Alberto Magno, ib.
Luxuria in puella quamvis confessa, in purgatorio tamen graviter punitur, 541. 1.
Eius tentationes ope V. superantur, 545. 1. 2.
Rosarii vi convertitur, 410. 1. 2.
B. Cyprianus ope Virginis evadit victor, 414. 1.
Inda mulier idem obtinet pronunciando Iesus Maria, ibid.
Presbyter quidam idem obtinet, 405. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

M

Magnificentia reperitur in feminis, 18. 1.
Malorum societas auget laudem bonorum, 29. 2.
B. Marcella quae exclamavit, beatus venter, doctissima, 46. 2. Et per totum lib. 15.
Mariae Virginis adoratio hyperduliae, 245. 2.
Honoratur ipsa a filio, 246. 1.
Modus eam colendi, ibid.
Eam venerantur Angeli, 249. 1.
Et viri sancti, 250. 1.
Inhonorant haeretici, 251. 1.
Digne colitur campanae pulsu, vespere, mane, et meridie, et cur, 295. 1.
Variis antiphonis, 296. 1.
Aliis actibus et signis, ibid. 2. et seq.
Altaria, odoramenta in eis fieri perpetua curavit Gerardus, 376. 1.
Apparitiones variae, 377. 2.
Beneficia in homines, et protectio, post assumptionem adhuc nos tuetur, 55. 1.
Consensus eius requiritur ad salutem mundi, 42. 1.
Illuminat, et convertit peccatores, 70. 2.
Praeparat nobis mansionem, ibid.
Pro populo supplicare visa est, 443. 1.
Romam a gravi morbo liberat, 412. 2.
Fulmen Dei in lecto reponit dum ipsum concipiendo placat, 73. 2.
Purgatorium visitat singulis festis Nativitatis Christi, 423. 1.
Filii iram pro salute mundi placat anno 1117, 423. 2.
Simile libro ultimo, 424. 2.
Primum miraculum Christi mundo impetravit, cuius memoria adhuc extat, 337. 2.
Mater electorum est, 97. 2.
Eorum nutrix, 97. 2—375. 1.
Eius ope et fructu victoriam de diabolo reportamus, 60. 2.
Poenitentes excipit, 371. 2.
Parturientibus adest, 550. 2.
A serpentis morsu nos praeservat, se fidam hominum custodem exhibet, 365. 2.
Depellit morbos et omnia mala, 150. 2.
Victoria de Turcis eius intercessione reportata, 178. 2.
Coelestia bona dispensat, 235. 1.
Basis est Ecclesiae, 10. 2.
Humilitati nostrae se accommodat, 13. 1.
Operit multitudinem nostrorum criminum, ibid.
Haeresum extirpatrix declaratur a daemonibus ipsis, 462. 2.
Daemones arcet, ac debellat, 254. 2.
Charitas fuit in summo, 50. 1.
Per collum et turrim signata, 62. 1.
Aciem instruit ad expugnandum Deum, 48. 1.
Comparationes, comparatur crateri tornatili, 55. 2.
Puteo aquarum viventium, ib.
Acervo tritici et liliis, 54. 1.
Balsamo, 66. 2—272. 2.
Mulieri quaerenti drachma, 59. 2.
Diebus vernis, 151. 2.
Coelo, 79. 1.
Libro, 229. 1.
Feminae tria sata commiscenti, 61. 2.
Tabernaculo, 6. 2.
Nivi, 12. 2.
Templo Salomonis, 8. 2.
Viti, 9. 2.
Storaci, ibidem.
Ficui, 10. 1.
Lunae, 6. 2.
Rosae, cedro, cypresso, 147.—148.
Coelo empyreo, 84. 2.
Compassio ad Christum cum luctu moabitidis Ruth confertur, 45. 1.
Fuit continua, 50. 1.
Ob eam robore suffunditur, 51. 2.
Conceptio immaculata, 7—2. 53. 1.
Omnes divitias coelestes Christus in ea impendit, 60. 2.
Immunis a peccato licet ex peccatoribus, 147. 2. et seq.
Singularis, 49. 1.
Cum Paradiso templi confertur, 74. 2.
In ea summe elucet vis redemptionis, 148. 2.
Fuit rosa inter flores coelestium donorum concepta et enata, 140. 1.
Devotio eiusque utilitas, eius devoti et filii candidi ac puri sint tasquam filii cordis Dei, 11. 1.
Casti, 12. 1.
Devotis suis Virgo impetrat aeternae damnationis revocari sententiam, 349. 1. 2. — 355. 2.
In hora mortis protexit. Vide mortis hora. Pro suis devotis efficaciter intercedit, 232. 1. — 30. 2. — 31. 2.
Honores defert, 399. 1—407. 2—408. 1—427. 2. 429. 1—441. 1—460. 2—461. 1. 2 — 534. 2—545. 2—568. 1. 2—569. 1. 2.
Tutatur suos devotos in vitae periculis, 399. 1.
A paupertate sublevat, 460. 2.
A daemonis potestate liberat, 429. 2. — 345. 1. — 361. 2. — 369. 1.
Fovet, 365. 1. — 395. 2.
Non sinit confessione carere, 355. 1.
A peccatis avertit, 339. 1. 2. — 340. 2. — 396. 2. — 405.
Ab infirmitate liberat, 389. 1. 2. — 334. 1. — 359. 1.
Ab infamia, 461. et seq.
Serviendum illi cum timore, 70. 2.
Imitatio optimum medium ad devotionem, 270. 1.
Virgo recitatione rosarii delectatur, 155. 1.
Rosarium summam impartitur dulcedinem suis devotis, ibid.
Militi cuidam Virgo mirifice favet, 390. 1. 2.
Quidam monachus mira facit, 391. — 392.
Filium restituit Maria Virgo minanti non alter destituendum sibi filium, 394. 1. 2.
In re quoque minima se cuidam feminae invocanti adest, 374. — 375.
Hermannum pluribus benevolentiae signis prosequitur, 346. 2.
Clericus eam salutans lactis medicamine labia linguamque recuperat, 361. 1.
Caecum sui defensorem illuminat, 459. 1. 2.
Tutatur ab insidiis diaboli, 410. 1. 2.
Daemonis fraude liberatur mulier a Virgine quae suam formam induerat, 352. 1.
Novitium in religione confirmat, 395. 2.
Psalterium Virgo largitur pauperculae sibi devotae, 455. 2.
Missae interest presbyteri sibi devoti, ib. 458. 1.
Puerum ab incendio, et ruina liberat, 358. 1.
Se sponsam promittit iuveni sponsum carnalem dimittenti, 399. 1.
Visitat suos devotos, 421. 1. — 435. 2. — 460 1. — 521. 1. 2.
Studiosos et ferventes amplexatur, indevotos aversatur, 358. 2.
Consolatur monachum, 381. 2.
Divum Bernardum, 377. 1.
Fratrem simplicem docet praedicare, 381. 1.
Rupertum abbatem, 348. 2.
Albertum Magnum, ibidem.
Opera bona in mortali pro eius amore facta temporali remuneratione compensat, 141. 1.

Mortuos suscitat, 344. 1. — 355. 2.
Eius devotissimi sanctus Thomas Cantuariensis, 466. 2.
Sanctus Henricus Imperator, 417. 1.
Sanctus Annon archiepiscopus Colon, 417. 2.
Beatus Alanus, ib.
Encomia et attributa, complementum sanctissimae Trinitatis, 50. 2.
Eucharistiae elibanus et crater indeficiens, 62. 2.
Illuminatrix, 271. 1.
Regina florum, 153. 1.
Thronus Dei, 84. 1.
Varia nomina ex sancto Iacobo Apostolo, 379. 2.
Omnia eius celebriora epitheta ex sacris litteris, et sanctis patribus per alphabeti ordinem reperies, 298 et seq.
Excellentia trahit ad se corda, 272. 2.
Auctoritatibus, et rationibus demonstratur, 226. 1.
Eius fiat plus a Deo honoratur, quam proprium fiat, 42. 2.
Oportet ipsos prophetas, ipsumque Dei Filium cum cautela de ipsa loqui, 40. 2.
Philosophi periculum idololatrandi vix evaserunt, 41. 2.
Res eius parvae magnis aliorum comparantur, 75. 1.
Miraculum magnum, 55. 2. — 55. 1. 57.
Cognoscitur ex eius fructu, 42. 2.
Excellentia et decor ex filio, 81. 1.
Melius quam caeteri simul sancti patefacit attributa divina, 54. 1. 2.
A solo Deo digne laudari potest, 58. 1.
Eius laudes caeterorum laudes obscurant, 71. 2.
Eius gloria silentium indicit oraculis daemonum, 72. 2.
Ipsi tribuuntur victoriae Christi, 76. 2.
Festa omnia recensentur, eorumque origo indicatur, 281. 1.
Fides singularis, ipsa enim sola in triduo explicite credidit resurrectionem filii, 289. 2.
Gratia respectu aliorum sanctorum fuit miraculosa, 55. 2.
Fuit immensa, 81. 2.
Usum rationis et gratiam obtinuit anticipate, 74. 2.
Summas benedictiones a Deo recepit, 95. 1.
Divinarum gratiarum fuit mirifice susceptiva, 15. 1.
Humilitas odore rosae indicatur, 150. 1.
Imago pro obside pacis a principibus quibusdam recipitur, 373. 2.
Pulchram depingens ab insidiis daemonis liberatur, 360. 1. — 361. 2.
Imago quaedam visa ab odio inimicorum avertit, 404. 1.
Inter ingentes fragores intacta manet, 404. 2.
Dum transfertur imago quaedam, auditur angelicus concentus, 187. 2.
Eius veneratio antiquitus figurata, 189. 1.
Effigies Constantinopolitana oleo perfusa mirabiliter apparet, 356. 1.
S. Mariae maioris icone fugatur pestifer basiliscus, 354. 1.
Impeccabilitas, 47. — 48. — 65. 2. — 57. 1. — 74. 1. — 80. 1. — 87. 1.
Nullam passionum pugnam sensit, 80. 2.
Ab internis tentationibus immunis, 151. 2.
Inseparabiliter Deo adhaeret, 45. 2.
Invocationes, auctor antiphonae Salve Regina, 374. 1.
Antiphona, sub tuum praesidium, a multis eruit periculis, 365, 1.
In Missa Aethiopum quomodo invocetur, 379. 2.
In missa Syrorum quomodo salutetur, ibid.
Gaudium sibi annuntianti Virgo gaudium repromittit, 342. 1.
Ave Maria, vide salutatio Ang.
Laudatio ab omnibus praestanda quamvis peccatoribus, 6. 1.
Qui eam laudat, Deum laudat, 6. 2.
Numquam desistendum, quia numquam satis, 5. 1.
Et quia eam blasphemare non cessant haeretici, 6. 2.
Eius laudes secreto et publice fuerunt pronunciatae, 28. 2.
Liberalitas cum Rebecca confertur, 133. 2.
Maternitas Dei omnium eius privilegiorum maximum, 52. 2. — 55. 1. — 58. 1.
Absque viri opera concepit, 27. 2.
A filio appellatur, o salus et gaudium animae meae, 37. 2.
Maxime unita Deo, 39. 1.
Potest dici Dei causa secundum aliquos, 41. 2.
Dominium gerit, caeteri ministerium, 45. 1.
Eius stemma gloriosissimum, 45. 2.
Confertur cum omnibus gloriosis matribus, 44. 1.
Deo vicinissima, 88. 1.
Novum dicitur monumentum, 290. 2. Mariae Virginis venter arma Christo suppeditavit, 76. 2.
Ei oppositur concipiens peccatum, 57. 2.
Cur aliquando a filio Matris nomine privetur, 41. 1.
Beata propter corporalia obsequia praestita filio, 57. 1.
Felix quia Dominum lactavit, 89. 2.
Eodem die concepit quo Christus crucifixus est, 70. 1.
Merita etiam dormientis erant maxima, 75. 1.
Omnia opera erant coronata, ibid.
Excedunt longe aliorum merita, 74. 2.
Cogitationes omnes, et verba erant sanguine Christi rubricata, 51. 2.
Misericordia, acervo tritici et liliis comparata, 55. 1.
Mons dicitur, 58. 2.
Ex oculis commendatur, 50. 1.
Missam quotidie dicens ab ea protegitur, 362. 1.
Mortificatio, cum matris Samuelis confertur, 45. 1.
Nomen, quibus circumstantiis a b. Iordano pronunciaretur, 347. 2.
Eo se mulier ab impudico liberat, 454. 2.
Pronuncians Inda mulier castitatem tuetur, 414. 1.
Caput mortui ipsum pronunciat, et baptizatur, 416. 2.
Eo rogatus Gerardus nihil unquam negavit, 377. 2.
Illud pronuncians cum quinque psalmis monachus quidam port mortem quinque rosis mirifice decoratur, 351. 1. 2.
Ipsum pronuncians Hermannus mira suavitate repletur, 346. — 347.
Obedientia, cum Sarae confertur, 45. 1.
Audit, non tantum concipit verbum Dei, 102. 1.
Officium persolvere quam sit utile, 454. — 455.
Clericus quotidie ipsum persolvens lacte Virgineo infirmitate liuitur et curatur, 512. 2.
Oratio, cum Annae oratione confertur, 45. 1.
Divinas laudes musice frequentabat, 81. 1.
Lacrymae eius post Ascensionem filii, 50. 1.
Labia laudantur, 51. 1.
Eloquium dulce, 51. 2.
Potentia, est enim miraculorum opifex, 555. 2.
Officina miraculorum, 556. 2.
Numquam cessavit a patrandis miraculis, 558. 2.
Praedestinata fuit ante omnes puras creaturas, 65. 1.
In ea fuit Christo simillima, 86. 1.
Pulchritudo corporalis ad turpitudinem non alliciebat, 12. 2.
Variis rebus varia membra late comparantur, 49. 2.
Indicat eius spiritualem pulchritudinem, 46. 2.
Pulchritudo spiritualis traxit Dei Verbum in eius amorem, 49. 1. — 47. 2.
Ex beatitudine pacis oriebatur, 65. 2.
Ex beatitudine paupertatis, ex contemplation e, ib

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Comparatur equitatui, 48. 1.
Palmae, ibid.
Cogitationes pulcherrimae, 49. 2.
Zona omnia bona tribuit eam adorantibus, 373. — 374.
Eius praeconia ex Euthymio, 374. 1.
Templa aedificata etiam ante ipsius conceptionem, 274. 1.
Et quae idolis dicata erant, ibid. quod in Graecia dicitur Anastasiae, miraculis multis decoratur, 376. 1. 2.
S. Mariae Lauretanae insigne miraculum, 353. 1.
Sacellum in templo s. Mariae Maioris summa cum prudentia aedificatum, 155. 2.
Inde Virgini summa gloriae, 155. 1.
Quam alta complaceat in extructione templorum, 155. 2.
Ubera laudantur, 91. 2.
Venter dum laudatur, eius anima magois extollitur laudibus, 51. 1.
Variis encomiis decoratur, 57. 2.
Laudatur a sanctis patribus, 35. 1.
Laudari satis non potest, 37. 2.
Comparatur fonti, 58. 2.
Monti, etc. 58. 2.
Mensa propositionis dicitur, 63. 1.
Arca foederis, 65. 1.
Nubi fulgurantí comparatur, 71. 1.
Nido alcedinum, 73. 2.
Coelo capacior, 81. 2.
Iure beatus dicitur, 100. 1.
Verecundia, cum Rachelis confertur, 44. 1.
Vindicta sumpta de inimicis sui nominis, 458. 1. — 440. 2. Ibid. 2. 442. 1.
Episcopum admonet, non emendatum inferici promittit, 456. 1. 2.
Benedictione sua privat monachum incomposite iacentem, 384. 1.
Negat suam consolationem monacho sanitatis ninium studioso, 395. 1.
Dispergit superbos, 75. 1.
Virginitas in nive repraesentatur, 17. 2.
Omnibus praestat, 9. 2.
Singularis, ibid.
Foeconda, 9. 2—95. 1.
Illibata, 54. 1.
Rosis clausis indicatur, 149. 2.
Undique vallata, 52. 2.
Consolidata a filio, 76. 2.
Redundat in alios, 54. 1.
Virtutes copiosae, 269. 2.
Tanquam exercitus expugnant Deum, 48. 1.
Visitatio ad Elisabeth fuit maxima dignatio, 45. 2.
Martyres sunt Christi milites et duces, 45. 1.
Melodia dulcissima exhibetur a Virgine cuidam eius devoto, 399. 2.
Militia a feminis quoque tractata, 13. 1. 2.
Miracula in b. Virgine, et in Incarnatione ostensa, 54. 1. — 55. 1.
Quaedam non omnibus talia, 94. 1.
Quae vulgariter, quae Theologice dicantur, 334. 1.
Septem celeberrima mundi, ibid.
Definitio, 334. 2.
Quaenam talia non sint, ibid.
Cur dicantur fulgura, 336. 2.
Sunt arma defensiva sanctorum, 336. 2.
Maximum est Christus, ibid.
Primum Christi fuit impetratum a Virgine, 337. 2.
Non rariora his quam anteactis saeculis, ibid.
Novis qualiter praestanda fides, 338. 2.
Ea negantes maximum miraculum sternunt, ibid.
Ea fecere peccatores quoque et infideles, 239. 1.
An fieri possint in attestationem falsi, 339. 2.
Apparentia tantum cur permittantur, 340. 1.
Misericordia propria mulierum, 23. 2.
Statim post divinam iram elucet, 336. 2. Vide Maria Virgo misericordia.
Missae sacrum audire non potens Albertus a Virgine consolatur, 373. 1. Vide Mariae Virginis missa.
Moniales virtute rosarii reformantur, 411. 2.
Mortis in hora adest Virgo Maria, 439. 1.
Mortis hora maxime iuvat devotio in Virginem, eiusque patrocinium, quod exemplis comprobatur, 400. 2. — 405. 1. 411. 412. — 421. 1. 2. — 422. 1. 2.

N

Nativitatis Christi festo b. Virgo purgatorium visitare solet, 423. 2.
Nobilitas virtuti adimento est, 318. 2.
In tribus consistit, 319. 2.
Numeri ratio in divinis quomodo non contemnenda, 182. 1.
Nuptiis carnalibus renuncians pro amore Virginis ipsam sibi sponsam acquirit, 399. 1.

O

Obedientia Mariae Virginis antefertur obedientiae Sarae, 44. 2.
Obstinati vendunt animam diabolo, nec redimere curant, 130. 2.
Eorum mors repentina, 131. 1.
Occasiones peccati omnino fugiendae, 12. 1.
Officium b. Mariae quotidie persolvens ab ipsa visitatur, et sacri lactis stillicidio repente a mortali infirmitate curatur, 342. 2.
Quam primum persolventes F. Dominicani gravioribus culpis non diu detinentur, 347. 2.
Qua occasione coeptum est a clericis recitari, 337. 1.
Opera bona facientes in crucem oculos coniciant et caveant a vana gloria, 105. 1. Vide vana gloria, eorum merces locus tantum, 123. 1.
Coniungenda auditioni verbi, 126. 1.
Moraliter tantum bona mercedem infra terram accipiunt, 120. 1.
Orationis confidentia exemplo quodam patefit, 392. — 393.
Orationis studio Maria Virgo superat Annam matrem Samuelis, 45. 1.
Oratio dominica omnia impetrat, 141. 2.
Eius summa utilitas, 142. 1.
Adhortatio ex b. Dominico, ibid.
Ex b. Alano, 146. 1.
Ornatus profanus abiiciendus in rebus divinis, 190. 1.

P

Pacis beatitudo fuit in Maria, 47. 1.
Parentes laudes communes habent cum filiis, 30. 2.
Partus difficultatem superat mulier pronuncians salve Regina, 350. 2.
Item b. Birgitta ope Virginis, 331. 1.
Patientia praedestinationis signum, 237. 1.
Pauper confugiens ad Virg. propriis illius crepidis argenteis mirabiliter ditatur, 366. 1.
Paupertas spiritus praedestinationis signum, 237. 1.
Paupertatis beatitudo fuit in Maria, 47. 1.
Pax per Christum, 77. 2.

Quanti facienda, 78. 1. 2.
Peccans omnino contrarius b. Virgini, 61. 1.
Peccantes faciunt b. Virg. matrem miseriae, 499. 2.
Peccatum cum difficultate perpetratur, 61. 2.
Mortem affert, ibid.
Peccata vitare per longum tempus, praedestinationis signum, 236. 1.
Peccator damnandus, vi orationis ad Virg. excitatur a mortuis, et poenitet, 400. 2.
Peccator quidam miles mori non potest sine confessione ob devotionem in Virginem, 422. 1.
Peccatrix desperans ope Virg. convertitur, 456. 1.
Pestilentia saevissima cessat beatae Virginis intercessione, 353. 2.
Pluviae cur sequantur fulgura, 336. 2.
Poenitentia ex visione miraculorum, ib.
Poenitens non confessa a mortalibus plagis mirifice sanatur ope b. Virg. et peccata confitetur, 354. 2.
Praedestinationis signum audire verbum Dei, 236. 1.
Praedicatio est tantae necessitatis, ut etiam a muliere fieri debeat, si desint viri, 29. 2.
Praedicatores sunt Christi famuli, 41. 1.
Caveant a vana gloria. Vide vana gloria.
Praedicationis auditio proficua, 124. 1. Vide verbum Dei.
Praedicatores sunt magnae virtutis, 125. 2.
In gratiam auditorum ne inania tractent, 127. 2.
Processiones cur institutae, 187. 1.
Earum antiquitas, 189. 1.
Quomodo faciendae, 189. 2.
Professionis delatio non reprehendenda, 348. 2.
Prophetiae donum fuit peccatoribus, et infidelibus quoque, 339. 1.
Pudor. Vide verecundia.
Pulchritudo Virginis maxima omnium creaturarum, 46. 2. Vide Mariae pulchritudo.
Pulchritudo corporis indicat puritatem mentis, 315. 2.
Purgatorium diuturnum sustinet mulier quae cum puellis puella lasciverat, 341. 2.
Purgatorium visitat b. Virgo in festo Nativitatis Christi, 422. 2.
Puri conscientia sunt filii cordis Dei, 10. 2.
Comparantur nivi, lacti, ebori, et sapphiro, 11. 1.
Purificationis festum unde ortum duxerit, 353. 2.
Puritas Virg. Mariae, 55. 1.

R

Reliquiarum veneratio antiqua, et laudabilis, 291. 2.
Risus vitandus in processionibus, 190. 2.
Romanorum priscorum humana felicitas ob bona opera moralia, 121. 2.
Rosae plantatio totum b. V. vitae cursum indicat, 147. 1.
Rosaceae coronae B. Mariae origo, 157. 1.
Rosarii b. Virginis initium, 365. 1.
Rosarium Virgin. a periculis vitae tuetur, 406. — 407.
Eius virtute monialis quaedam a libidine praeservatur, 408. 1. et seq.
Desperans reducitur, 410. 1.
Quidam luxuriosus convertitur, ibid.
Alius, 411. 1.
Alia, 412. 1.
Illud impugnans a B. V. punitur, 434. 1.
Est vetustissimum, 139. 1.
Eius dignitas, 140. 2.
Vis impetrandi, 153. 2.
Conciliandi et consolandi, 154. 2.
Rosarium marianum ab Haereticis impugnatum defenditur, 187. 1. 2.
Rupertus Abbas ex tardo ad litteras fit ope V. velox et ingeniosus, 348. 2.
Ruth moabitem superat beata Virgo adhaerendo Deo, 45. 1.

S

Sabbato abstinens meretrix a peccato in honorem Virginis gratia efficaci praevenitur, 366. 2.
Sabbato abstinens a carnibus mulier haeretica in honorem V. sterilitate liberatur, 372. 2.
Sabbatum cur in dominicam translatum, 287. 2.
Sabbati observatio in cultum Virginis, ibid.
Sacrificium offerentis Hermanni manus Christus, et Maria suis manibus calefaciunt, 348. 1.
Salutatione Angelica daemonis illusiones patefiunt, 389. 2.
Salutationem Angelicam frequentanti saliva in mel convertitur, 395. 1.
Salutationem Angelicam tantum sciens signa salutis post mortem ostendit, 398. 2.
Salutationis Angelicae frequentatio a periculis vitae tutatur, 400—401.
Salutationis Angelicae dignitas, 144. 1.
Eam negligere signum reprobationis, 145. 2.
Vis magna ad impetrandam divinam gratiam, 153. 2.
Ad consolandum, 151. 2.
Adhibenda ante somnum, 156. 1.
Salutationis Ang. effectuosa paraphrasis, 242. 1.
S. Stephanus minor martyrio b. Virg. matri dono datus, 382. — 383.
Sancti omnes et Angeli ministerium, Mater Christi dominium gerit, 43. 1.
Sancti abhorruerunt a vana gloria, 109. 2.
Spiritus sanctus aquae refrigeranti, abstergenti, et foecundanti comparatur, 58. 2.
Spiritus pugnat contra carnem, 78. 2.
Strathionis natura expenditur, 117. 1.
Studiorum causa, intermittere Virginis devotionem non licet, 538. 2. — 372. 1.
Superbia reprobationis signum, 237. 1.
Superstitio aliquando non est numerum et tempus observare, 182. 2.

T

Templa in honorem Virginis aedificata, 274. 1.
Ubi simulacra gentium colebantur, 278. 1.
Tempus certum observare quomodo vacet a superstitione, 183. 1.
B. Tarasiae carmelitanae monialis encomia, 220. 1.
Thronus Dei qui dicantur, 84. 1.
Tormenta exercere peccatum mortale est, 391. — 392.
Translatio imaginis b. Virginis ad sacellum s. Mariae Maioris, 156. 2.
Transubstantiatio an sit miraculum, 353. 2.

V

Vanae gloriae omnes communiter subiecti, 103. 1.
Vanae gloriae causa insipienter fiunt opera bona, 105. 2.
Vanae gloriae hieroglyphicum, ibid.
Ab operibus bonis et virtutibus hoc vitium fovetur, ibid.
Virtutes ab ea fascinantur, ibid.
Arefiunt, 105. 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Vana gloria est servitus oculorum, 104. 1.
Ad eam vitandam sufficit intentio, ibid.
Insidiatur nobis in coelo, 105. 1.
Aufert meritum a bonis operibus, ibid.
Quomodo superetur, 106. 1.
Monstra gignit, ibid.
Gravitera Deo punitur, 109. 2.
Sancti eam fugerunt, ibid.
Fugienda ex doctrina ss. patrum, 110. 1. 2.
In vanam iniuste vera gloria commutatur, 105. 2.
Vanam gloriam Christus exemplo suo reprimere docuit, 114. 1.
Eam captans fur, 114. 2.
Insidiatur omnibus, 116. 1.
Species quaedam est idololatriae, 116. 2.
Eius stultitia struthionis natura declaratur, 117. 1.
Item aranearum, 118. 1.
Aliis argumentis, 119. 1.
Vix tamen evaditur, 122. 2.
Venter Mariae laudatus maximam indicat laudem, 31. 1.
Venter officina malorum et errorum, 38. 2.
Verbum divinum desiderio flagravit ingrediendi Virginis uterum, 39. 2.
Verbi divini utilitas et efficacia, 124. 1.
Quomodo audiendum et custodiendum, 126.—127. et seq.
Ipsum audire signum praedestinationis, ib. 236. 2.
Audientes perfunctorie musicae potius quam praedicationi vacant, 127. 1.
Puerilitor se gerunt, ib.
Ruminandum et digerendum ut prosit, 128. 1.
Est dulce praedestinatis, 129. 1.
Insipidum reprobis, ibid. 2.
Renuentes audire severe puniuntur, 129. 2.
Eius encomia, ibid.
Audiendi quanta deberet esse aviditas, 131. 1.
Verecundia similis fragmini mali punici, 50. 2.
Virginem decet, ibid.
Victoria de infidelibus b. Virginis ope refertur, 357. 1. 2.
Victoria per b. Virginem obtinetur, 439. 9.
Victoria de Turcis Virg. intercessione reportata, 178. 2.
Vindicta b. Virg. 441. 2. — 444. 2.
Virgines sunt famulae Regis coelestis, 43. 1.
Virgines decet verecundia, 51. 1.
Virgines commutantur in angelos, 55. 1.
Virginitas lilio significatur, ib.
Virginitas maxima cum difficultate servatur, ibid.
Virginitatem tuenti puellae, caput abscissum, a Virgine restituitur, 422. 2.
Virtus laudata quaenam crescat, 107. 1.
Virtutes sunt veluti exercitus quo Dei cor expugnatur, 48. 1.
Vitae periculis liberat devotio in b. Virginem, 400. — 401.
Vitae periculum evadit Theodosius Caenobiarca auxilio Virginis, 428. 1.
Alter, 452. 1. 2. — 455. 2. — 441. 2.
Vota b. Virg. reddenda quam primum, 350. 1.
Unio maxima inter Matrem et Filium, 39. 1.

gmentum debet indubitanter velle. At Dei gloria (de accidentali loquimur) magis ex hominum salvatione, quam ex damnatione derivatur, uti superius innuimus. Ergo benedicta Virgo vult hominum salutem: quae salus, cum, consentientibus Patribus, et praecipue divo Bernardo, non soleat obtineri, nisi ipsa mediante; sequitur quod si Deipara vult Dei gloriam, non debet illi deesse voluntas auxiliandi hominibus. 3. Qui catholicus est, faleatur oportet, Christum, non pro solis iustis et praedestinatis, sed pro omnibus mortuum esse. Deipara vero, quae Christo cooperata est in redemptione humani generis, pro omnibus et singulis etiam hominibus suam voluntatem et consensum divino nuncio praebuit: pro omnibus Christum in lucem edidit et enutrivit; ac iuxta crucem pro omnibus Filium suum aeterno Patri obtulit. Ob titulum igitur et characterem *Conredentricis* debet benedicta Virgo velle omnes adiuvare. 4. Posito quod b. Virgo constituta fuerit Mater Christifidelium, desiderare debuit spiritualem foecunditatem: et quemadmodum Rachel haec verba ad Iacob virum suum dirigebat (*Gen. c. 30. v. 1*): *Da mihi liberos, alioquin moriar*; sic, et multo magis, sanctissima Dei hominumque Parens debet velle foecundari spiritualiter; ac proinde debet velle succurrere et auxiliari filiis, quos in corde suo parturit. 5. Denique ob bonum filiorum non debet illi desse voluntas ad auxiliandum. Quaenam bona mater potest non velle filiorum suorum bonum? De Agrippina Neronis matre memoriae proditum est, quod cum quidam vaticinus vir illam praemonuisset, quod si Nero filius suus imperator evasisset, eam occisurus esset; ipsa respondit: *Occidat me, modo imperet*. Immo etiam inter bruta tantum amorem matrum erga filios legimus, ut mortem oppetere saepe non dubitent, quo filios a mortis periculo liberent. Cur autem ad haec argumenta recurram, cum apud Isaiam idipsum eleganter doceatur (*cap. 49. v. 15*): *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui?* Ergo si Deipara, qua hominum mater, debet eos diligere, debet etiam illos adiuvare.

15. Non sine causa superius dixi, Deiparam debere velle homines adiuvare, nam debet velle Deum diligere. At ex d. Thoma (*2. 2. q. 25. art. 1*) dilectio Dei dilectionem proximi includit et importat: unus enim idemque est habitus charitatis, quo diligitur Deus et proximus. Si igitur beatissima Virgo debet proximos diligere, debet etiam eos adiuvare: auxilium enim in amore fundatur: nec dici potest, aliquem vere diligere, si in necessitatibus non succurrat illum, quem diligit: unde divus Ioannes in 1. epistola (*c. 3. v. 17*) inquit: *Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?*

16. Quodammodo tenetur Deipara Christifideles adiuvare, ob abundantiam suae gratiae. Indubium est, ipsam salutatam fuisse ab Angelo *gratia plenam* (*Luc. cap 1. v. 28*): negari item nequit, ipsam cumulatissime possedisse divitias virtutum, donorum, et gratiarum, quae unquam aliis creaturis concessa leguntur: unde ei aptantur illa verba (*Prov. c. 1. v. 20*): *Multae filiae congregaverunt divitias; tu supergressa es universas*. Verum quanto quis ditior est, tanto abundantius debet bona sua indigentibus communicare, iuxta praeceptum quod senior Tobias dabat filio suo (*cap. 4. v. 9*): *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue*. Cum igitur beatissima Virgo sit locupletissima, et nos pauperculi, et auxilio indigentes; debet proculdubio nos adiuvare de suis abundantiis.

17. Ratione gratitudinis benedicta Virgo quodammodo tenetur ad auxiliandum Christifidelibus. Ipsa enim hominibus multum debitrix est; et quidquid habet magni, propter homines habet. Re quidem vera, maxima eius dignitas, propter quam tot dona et charismata ei collata fuerunt, est divina maternitas. At hanc dignitatem propter homines obtinuit: Verbum enim Patris ad redimendos homines in ea *caro factum est*. Unde recte Bernardinus de Busto (*in Marial. p. 3. serm. 3. §. 1*) inquit: *Deipara est humano generi debitrix, veluti benefactus benefactori*. Igitur quodammodo obligata est ad succurrendum hominibus, secundum Iuristarum principium (*leg. Metum*): *Aequum est, ut si habeas bonum propter me, rependas mihi, ut et ego etiam habeam propter te*. Hanc rationem tangit divus Augustinus (*in quod. serm.*) dicens: *O Maria, multum audeo, multum gaudeo; multumque gaudium meum de te, causa mihi audaciae est pro me*. Et paulo inferius: *O Maria, nos tibi, teque nobis mira vicissitudo confoederat; ut scilicet pro nobis habeas quidquid es; nos vero per te id esse quod sumus. Si enim nulla praecessisset nostra transgressio, non esset sequuta nostra redemptio: et si necessarium non esset redimi peccatorem, non esset necessarium parturire Redemptorem. Ut quid enim fieres Mater Salvatoris, si nulla esset indigentia salutis?*

18. Denique indoles generosa animi, et dignitas Matris Christi Deiparam ad auxiliandum inducit. Re quidem vera ipsa progenita est ex regali progenie: clementia autem solet esse ingenita regali et nobili animo. — Non interdicatur nobis flosculum unum Aegypti heic ad veri Dei sanctuarii ornatum adhibere. — Ovidius ethnicus poeta sic cecinit (*de Pont.*):

Regia, crede mihi, res est succurrere lapsis.

Quod vero ad dignitatem Matris Christi attinet, sciendum est, opus incarnationis Verbi Dei, quod ea mediante effectum est, opus excellentissimae pietatis et misericordiae fuisse. Merito igitur divus Bernardus (*in ser. de Annunc.*) inquit: *Quantum viscera illa virtus pietatis affecit, et ad succurrendum hominibus flexit, in quibus per novem menses divina pietas requievit! Divina profecto pietas ante eius mentem, quam ventrem implevit; et cum ab eius utero processit, ab eius animo non recessit.*

Haec argumenta sufficere possunt quantum ad primam huius tractatiunculae partem, nempe relate ad personam auxilium impertientem.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Vana gloria est servitus oculorum, 104. 1.
Ad eam vitandam sufficit intentio, ibid.
Insidiatur nobis in coelo, 105. 1.
Aufert meritum a bonis operibus, ibid.
Quomodo superetur, 106. 1.
Monstra gignit, ibid.
Gravitera Deo punitur, 109. 2.
Sancti eam fugerunt, ibid.
Fugienda ex doctrina ss. patrum, 110. 1. 2.
In vanam iniuste vera gloria commutatur, 105. 2.
Vanam gloriam Christus exemplo suo reprimere docuit, 114. 1.
Eam captans fur, 114. 2.
Insidiatur omnibus, 116. 1.
Species quaedam est idololatriae, 116. 2.
Eius stultitia struthionis natura declaratur, 117. 1.
Item aranearum, 118. 1.
Aliis argumentis, 119. 1.
Vix tamen evaditur, 122. 2.
Venter Mariae laudatus maximam indicat laudem, 31. 1.
Venter officina malorum et errorum, 38. 2.
Verbum divinum desiderio flagravit ingrediendi Virginis uterum, 39. 2.
Verbi divini utilitas et efficacia, 124. 1.
Quomodo audiendum et custodiendum, 126.—127. et seq.
Ipsum audire signum praedestinationis, ib. 236. 2.
Audientes perfunctorie musicae potius quam praedicationi vacant, 127. 1.
Puerilitor se gerunt, ib.
Ruminandum et digerendum ut prosit, 128. 1.
Est dulce praedestinatis, 129. 1.
Insipidum reprobis, ibid. 2.
Renuentes audire severe puniuntur, 129. 2.
Eius encomia, ibid.
Audiendi quanta deberet esse aviditas, 131. 1.
Verecundia similis fragmini mali punici, 50. 2.
Virginem decet, ibid.
Victoria de infidelibus b. Virginis ope refertur, 357. 1. 2.
Victoria per b. Virginem obtinetur, 439. 9.
Victoria de Turcis Virg. intercessione reportata, 178. 2.
Vindicta b. Virg. 441. 2. — 444. 2.
Virgines sunt famulae Regis coelestis, 43. 1.
Virgines decet verecundia, 51. 1.
Virgines commutantur in angelos, 55. 1.
Virginitas lilio significatur, ib.
Virginitas maxima cum difficultate servatur, ibid.
Virginitatem tuenti puellae, caput abscissum, a Virgine restituitur, 422. 2.
Virtus laudata quaenam crescat, 107. 1.
Virtutes sunt veluti exercitus quo Dei cor expugnatur, 48. 1.
Vitae periculis liberat devotio in b. Virginem, 400. — 401.
Vitae periculum evadit Theodosius Caenobiarca auxilio Virginis, 428. 1.
Alter, 452. 1. 2. — 455. 2. — 441. 2.
Vota b. Virg. reddenda quam primum, 350. 1.
Unio maxima inter Matrem et Filium, 39. 1.

gmentum debet indubitanter velle. At Dei gloria (de accidentali loquimur) magis ex hominum salvatione, quam ex damnatione derivatur, uti superius innuimus. Ergo benedicta Virgo vult hominum salutem: quae salus, cum, consentientibus Patribus, et praecipue divo Bernardo, non soleat obtineri, nisi ipsa mediante; sequitur quod si Deipara vult Dei gloriam, non debet illi deesse voluntas auxiliandi hominibus. 3. Qui catholicus est, faleatur oportet, Christum, non pro solis iustis et praedestinatis, sed pro omnibus mortuum esse. Deipara vero, quae Christo cooperata est in redemptione humani generis, pro omnibus et singulis etiam hominibus suam voluntatem et consensum divino nuncio praebuit: pro omnibus Christum in lucem edidit et enutrivit; ac iuxta crucem pro omnibus Filium suum aeterno Patri obtulit. Ob titulum igitur et characterem *Conredentricis* debet benedicta Virgo velle omnes adiuvare. 4. Posito quod b. Virgo constituta fuerit Mater Christifidelium, desiderare debuit spiritualem foecunditatem: et quemadmodum Rachel haec verba ad Iacob virum suum dirigebat (*Gen. c. 30. v. 1*): *Da mihi liberos, alioquin moriar*; sic, et multo magis, sanctissima Dei hominumque Parens debet velle foecundari spiritualiter; ac proinde debet velle succurrere et auxiliari filiis, quos in corde suo parturit. 5. Denique ob bonum filiorum non debet illi desse voluntas ad auxiliandum. Quaenam bona mater potest non velle filiorum suorum bonum? De Agrippina Neronis matre memoriae proditum est, quod cum quidam vaticinus vir illam praemonuisset, quod si Nero filius suus imperator evasisset, eam occisurus esset; ipsa respondit: *Occidat me, modo imperet*. Immo etiam inter bruta tantum amorem matrum erga filios legimus, ut mortem oppetere saepe non dubitent, quo filios a mortis periculo liberent. Cur autem ad haec argumenta recurram, cum apud Isaiam idipsum eleganter doceatur (*cap. 49. v. 15*): *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui?* Ergo si Deipara, qua hominum mater, debet eos diligere, debet etiam illos adiuvare.

15. Non sine causa superius dixi, Deiparam debere velle homines adiuvare, nam debet velle Deum diligere. At ex d. Thoma (*2. 2. q. 25. art. 1*) dilectio Dei dilectionem proximi includit et importat: unus enim idemque est habitus charitatis, quo diligitur Deus et proximus. Si igitur beatissima Virgo debet proximos diligere, debet etiam eos adiuvare: auxilium enim in amore fundatur: nec dici potest, aliquem vere diligere, si in necessitatibus non succurrat illum, quem diligit: unde divus Ioannes in 1. epistola (*c. 3. v. 17*) inquit: *Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?*

16. Quodammodo tenetur Deipara Christifideles adiuvare, ob abundantiam suae gratiae. Indubium est, ipsam salutatam fuisse ab Angelo *gratia plenam* (*Luc. cap 1. v. 28*): negari item nequit, ipsam cumulatissime possedisse divitias virtutum, donorum, et gratiarum, quae unquam aliis creaturis concessa leguntur: unde ei aptantur illa verba (*Prov. c. 1. v. 20*): *Multae filiae congregaverunt divitias; tu supergressa es universas*. Verum quanto quis ditior est, tanto abundantius debet bona sua indigentibus communicare, iuxta praeceptum quod senior Tobias dabat filio suo (*cap. 4. v. 9*): *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue*. Cum igitur beatissima Virgo sit locupletissima, et nos pauperculi, et auxilio indigentes; debet proculdubio nos adiuvare de suis abundantiis.

17. Ratione gratitudinis benedicta Virgo quodammodo tenetur ad auxiliandum Christifidelibus. Ipsa enim hominibus multum debitrix est; et quidquid habet magni, propter homines habet. Re quidem vera, maxima eius dignitas, propter quam tot dona et charismata ei collata fuerunt, est divina maternitas. At hanc dignitatem propter homines obtinuit: Verbum enim Patris ad redimendos homines in ea *caro factum est*. Unde recte Bernardinus de Busto (*in Marial. p. 3. serm. 3. §. 1*) inquit: *Deipara est humano generi debitrix, veluti benefactus benefactori*. Igitur quodammodo obligata est ad succurrendum hominibus, secundum Iuristarum principium (*leg. Metum*): *Aequum est, ut si habeas bonum propter me, rependas mihi, ut et ego etiam habeam propter te*. Hanc rationem tangit divus Augustinus (*in quod. serm.*) dicens: *O Maria, multum audeo, multum gaudeo; multumque gaudium meum de te, causa mihi audaciae est pro me*. Et paulo inferius: *O Maria, nos tibi, teque nobis mira vicissitudo confoederat; ut scilicet pro nobis habeas quidquid es; nos vero per te id esse quod sumus. Si enim nulla praecessisset nostra transgressio, non esset sequuta nostra redemptio: et si necessarium non esset redimi peccatorem, non esset necessarium parturire Redemptorem. Ut quid enim fieres Mater Salvatoris, si nulla esset indigentia salutis?*

18. Denique indoles generosa animi, et dignitas Matris Christi Deiparam ad auxiliandum inducit. Re quidem vera ipsa progenita est ex regali progenie: clementia autem solet esse ingenita regali et nobili animo. — Non interdicatur nobis flosculum unum Aegypti heic ad veri Dei sanctuarii ornatum adhibere. — Ovidius ethnicus poeta sic cecinit (*de Pont.*):

Regia, crede mihi, res est succurrere lapsis.

Quod vero ad dignitatem Matris Christi attinet, sciendum est, opus incarnationis Verbi Dei, quod ea mediante effectum est, opus excellentissimae pietatis et misericordiae fuisse. Merito igitur divus Bernardus (*in ser. de Annunc.*) inquit: *Quantum viscera illa virtus pietatis affecit, et ad succurrendum hominibus flexit, in quibus per novem menses divina pietas requievit! Divina profecto pietas ante eius mentem, quam ventrem implevit; et cum ab eius utero processit, ab eius animo non recessit.*

Haec argumenta sufficere possunt quantum ad primam huius tractatiunculae partem, nempe relate ad personam auxilium impertientem.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

II.

Auxilium Deiparae inspiciendum est respectu ad illud recipientes.

1. Si quaeratur quorumnam Deipara auxiliatrix sit, nos uno verbo respondebimus: Omnium, et cunctorum. Eva siquidem *mater cunctorum viventium* interpretatur; at potiori iure beata Virgo *cunctorum viventium Auxiliatrix* nuncupari potest. Merito igitur ipsa comparari potest piscinae probaticae, uti eam appellat Petrus Blesensis, qui inquit (*serm. 1. de Adv. Dom.*): *Maria est piscina probatica, in quam magni consilii Angelus descendit; et mota est aqua, cum ad salutationem turbata est, et sanatus est unus, idest humanum genus.* In hac piscina, uti legimus in Evangelio divi Ioannis (*cap. 5. v. 2*): *Iacebat multitudo magna languentium, coecorum, claudorum, expectantium aquae motum.*— Per hanc Probaticam beatissima Virgo, uti innuimus, intelligi potest: nam *Probatica* Graeca vox est, idem significans quod *pecuaria* vel *ovina;* προβατον enim significat *ovis*. Ita dicta fuit haec piscina; tum quia erat iuxta portam adiacentem templo, per quam introducebantur oves mactandae; tum quia oves vespere et mane Deo sacrificandae ibi congregabantur et abluebantur (*vid. a Lapid. sup. cap. 5. Ioan.*). Verum benedicta Virgo optimo iure Probatica nuncupari potest: nam 1. per eam introductus fuit in mundo ille, qui in agno paschali, ab Hebraeis in exitu de Aegypto immolato, praefiguratus fuit (*Exod. c. 12*): ille, inquam, de quo Isaias sic vaticinatus fuit (*cap. 53 v. 7*): *Sicut agnus ad occisionem ducetur:* et ille tandem, qui sic indicatus fuit a Praecursore in Iordane (*Io. cap. 1. v. 36*): *Ecce agnus Dei.* 2. Deipara Probatica nuncupari potest etiam respectu hominum, qui, sive boni, sive peccatores sint, agni seu oves possunt appellari. De bonis habemus in Evangelio (*Luc. c. 10. v. 3*): *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos;* de peccatoribus vero memoratus Isaias dicit (*cap. 53. v. 6*): *Omnes nos quasi oves erravimus;* et David (*Psalm. 118 v. 176*) subiungit: *Erravi, sicut ovis quae periit.* Verum nos, qui Dei populus sumus, *et oves pascuae eius* (*Ps. 94*), apud mysticam Probaticam Deiparae congregamur, ut eius auxilio muniti, a sordibus nostris abluamur, et veluti oves sacrificemur, et offeramus nos *hostiam viventem, sanctam, Deo placentem* (*ad Rom. cap. 12. v. 1*).— Praeterea sciendum est, hanc piscinam Hebraice denominari *Bethsaida*. Divus Hieronymus (*in loc. Hebr.*) Bethsaida legit *Bethesda*, idest domus effusionis, eo quod in illa piscina effunderentur aquae pluviarum. Quis autem Deipara convenientius *Bethsaida*, sive *Bethesda* appellari potest, quippe quia in ipsius immaculatum cor tot e coelo pluentium gratiarum aquae effusae sunt, ut *gratia plena* ab Angelo salutari potuerit (*Luc. c. 1. v. 27*)?— Denique Syrus *Bethsaida* legit *Beth-Chesda*, idest domus misericordiae: et etiam sub hoc respectu bene congruit beatissimae Virgini memorato nomine donari, quae ab Ecclesia *Mater misericordiae* salutatur (*in Salv. Regin.*); quaeque, uti perbelle inquit Angelicus Doctor (*in praef. ad epist. Canon.*), *dimidiam partem regni impetravit, ut ipsa sit Regina misericordiae, sicut et Christus est Rex iustitiae.*

Adhuc paulisper super eamdem figuram Probaticae insistamus.— *Angelus Domini descendebat secundum tempus in piscinam, et movebatur aqua.* Angelus idem est ac *nuncius*, sive *missus*, teste divo Gregorio Pontifice (*hom. 34 in Evang.*), qui inquit: *Angelorum vocabulum nomen est officii, non naturae.* Apostolus autem advertit (*ad Galat. cap. 4. v. 4*), quod *ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum;* qui propterea *magni consilii Angelus* iure merito salutatur. Hic autem adeo movit aquas gratiarum mysticae Probaticae, nempe Deiparae, ut ex illa magna multitudine *coecorum, claudorum, aridorum*, non solum qui prior descendisset in eam, quolibet anno dumtaxat, idest in festo Pentecostes (*vid. a Lapid. sup. hunc loc.*); sed omnes et singuli Christifideles, qui sive spiritu, sive corpore sunt infirmi, aut quomodocumque indigentes, eius experiri et nancisci possint auxilium.

2. In libro Ecclesiastici haec verba leguntur (*cap. 24. v. 19*): *Quasi oliva speciosa in campis.* Optime autem beatissimae Virgini accommodantur, et denotant auxilium, quod ipsa omnibus Christifidelibus impendit. Oliva nuncupatur 1. quantum ad fructum, ex quo oleum efficitur. Quis autem ignorat, oleum misericordiam adumbrare? Re quidem vera divus Isidorus (*lib. 17 etymol.*) inquit: *Surgit oleum in pabulum luminis, in alimentum ignis, in medicinam vulnerum, et in refectionem esurientium.* At si quis in tenebris versatur, beatissima Virgo est oliva, ex qua depromitur oleum, quod, secundum Bernardinum de Busto (*part. 9. serm. 1. assim. 7*), in lucerna nostrae mentis ponitur ad illuminandum, et adiuvat ut ad Dei cognitionem perveniamus; unde in eodem libro Ecclesiastici (*cap. 24 v. 24*) ipsa de se inquit: *Ego Mater agnitionis:* et paullo post subiungit (*v. 44*): *Quoniam doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus.... et illuminabo omnes sperantes in Domino.*— Oleum hoc in candelabro cordis nostri adhibetur ad nutriendam flammam divinae charitatis; unde ipsa in memorato textu sic loquitur: *Ego Mater pulchrae dilectionis.* — Oleum hoc infirmis pharmacum est, omnibusque malis medetur; unde a sancta Ecclesia (*in litan. Lauret.*) *salus infirmorum* salutatur; et d. Ioannes Damascenus (*in serm. de dormit. Vir.*) in eius os haec verba ponit: *Ego quasi officina medicinae aegrotantibus; ego fons perennis curationum.*— Denique oleum hoc adhibetur ad cibi condimentum; et propterea Deipara Virgo est famelicorum auxiliatrix: ipsa enim recte dici potest mulier illa fortis, de qua in Proverbiorum libro (*cap. 31 v. 14 etc.*): *Facta est quasi navis institoris, de longe portans panem suum. Et de nocte surrexit, deditque praedam domesticis suis, et cibaria ancillis suis etc.* Re quidem vera nonne Deipara de longe, idest de coelo, invexit in sanctam Ecclesiam panem vivificum, nempe Christum, quem qui gustaverit, *mortem non videbit in aeternum?*

Convenientius ad nostrum argumentum, nunc

considerare ne pigeat olivam quantum ad arborem. Re sane vera Deipara dicitur (*Eccli. cap. 24 v. 19*): *Quasi oliva speciosa in campis.* Doctissimus a Lapide (*sup. hunc loc.*) observat, quod idcirco benedicta Virgo dicitur *Oliva in campis*, quia auxilium eius est universale, et quia *omni tempore et loco, ac pro omni morborum genere, quasi Mater misericordiae omnibus eam invocare volentibus, ad opitulandum est exposita.* Adhaec (prosequitur a Lapide) *in campis* dicitur, *nam nobis viatoribus, tentationum aestu, tanquam solis ardore, afflictis, in campis apertis, ubi similes arbores desunt, optatum suo umbraculo praebet refrigerium.* Re quidem vera distinguendae sunt olivae hortorum, et olivae camporum: ad primas non omnibus patet accessus, quippe quia horti solent esse clausi; ad alteras vero, positas in campis apertis, omnes appropinquare possunt.

3. In memorato libro Ecclesiastici haec verba habentur (*cap. 44. v. 10*): *Multi viri misericordiae, quorum pietates non defuerunt.* Bernardinus de Busto in suo Mariali (*part. 9. serm. 1*) inquit, multos heroes quovis tempore hominibus opitulatos fuisse, sed eorum auxilium quandoque fuit locale, uti Iudith, quae succurrit civitati Bethuliae, et non Assyriis, quos confregit et devicit (*Iudith cap. 8*): quandoque huiusmodi heroes fuerunt auxiliatores personales, uti Rebecca, quae adiuvit Iacob, et non Esau (*Genes. cap. 27 v. 5*): multi heroes fuerunt viri misericordiae specialis, uti Ioseph, qui subvenit Aegypto in tempore famis (*Genes. cap. 41*): denique alii in sanctis libris occurrunt auxiliatores temporanei, quos Deus in tempore opportuno suscitavit, ut ab aliquo imminenti periculo aliquem liberarent, uti Daniel, qui opportune surrexit ad innocentiam Susannae defendendam (*Dan. cap. 13*). At beatissima Virgo antonomastice supra omnes dicenda est *Mulier misericordiae*, et Auxiliatrix omnium. Auxilium enim eius non uno continetur loco, sed se extendit *a solis ortu usque ad occasum* (*Ps. 49. v. 11*): non est personale, nam apud illam *non est acceptio personarum* (*Rom. cap. 2. v. 11*); nec *est qui se abscondat a calore eius* (*Ps. 18 v. 7*): Ipsa non est adiutrix specialis, sed *consolatur nos in omni tribulatione nostra* (*2. ad Cor. cap. 1. v. 4*): denique auxilium Deiparae est perdurans et perpetuum: de illa enim usurpari potest illud Ecclesiastici (*cap. 21. v. 16*): *Consilium eius sicut fons vitae permanet;* illudque quod in eodem libro subiungitur (*cap. 40. v. 17*): *Gratia sicut paradisus in benedictionibus, et misericordia in saeculum permanet.*

4. Iam diximus, Deiparam esse hominum auxiliatricem in genere; nunc paulisper immorabimur in speciali auxilio, quod ipsa impendit. — In Canticis Canticorum haec verba habentur (*c. 4. v. 5*): *Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreae gemelli.* Richardus de S. Victore (*vidend. apud a Lapide sup. hunc loc. Cantic.*) inquit: *Beata Virgo habet duo ubera geminae dilectionis lac fundentia, quia reis impetrat veniam, et iustis gratiam.* Sara, uti legitur in codice Hebraeo, non filium in singulari, sed filios in numero plurali lactasse perhibetur (*Genes. cap. 21. v. 7*): ad eumdem modum beatissima Virgo lactat, uti amantissima mater, et iustos, et peccatores, eisque auxiliatur.

5. Est auxiliatrix iustorum. 1. Indubium est, iustitiam amitti posse; ut autem homo a iustitiae semitis non deflectat, de fide est, necessarium esse gratiae auxilium speciale. Huiusmodi gratiae auxilium nobis profecto non derivatur, nisi ex Christi redemptione. At ex Patrum et Doctorum consensu exploratum est, nullam gratiam ex Christo profluere, nisi Deipara mediante. Si igitur iusti perseverantiae donum habent, ipsum a beatissimae Virginis auxilio proculdubio repetunt: unde divus Bernardus recte dicit (*in serm. 3 de Nativ. Virg.*): *Ipsam sequens non devias.*—2. Etiam iustorum vita indubitanter militia dicenda est, testante Iob (*cap. 7. v. 1*): *Militia est vita hominis super terram:* militia, inquam, ad intra, propter concupiscentias, quae licet peccatum non sint, ad peccatum tamen inclinant (*Conc. Trid.*); quaeque captivant hominem in lege peccati (*Rom. cap. 7. v. 23*): militia ab extra, propter tentationes multas, praesertim diaboli adversarii nostri, qui semper *circuit quaerens, quem devoret* (*1. Petr. cap. 5. v. 8*). Verum, quonam pacto fortes evadere poterimus in bello? Nonnisi per eam, quae illud Proverbiorum usurpare potest (*cap. 8 v. 14*): *Mea est fortitudo.* Auxilium nostrum ab illa Domina, quae, uti legimus in Canticis Canticorum (*cap. 4. v. 4*): *Sicut turris David aedificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.*— 3. S. Germanus (*orat. de Deip.*) ad demonstrandum, quod benedicta Virgo est auxiliatrix iustorum, hanc similitudinem affert: *Sicut respiratio non solum est signum vitae, sed etiam causa; sic Mariae adiutorium, quod ipsa iustis tribuit, argumentum est, quod vere vivant, vitamque ipsam conservent.* — 4. Denique in libro Ecclesiastici (*cap. 24 v. 16*) leguntur haec verba, quae Virgini benedictae accommodantur ab Ecclesia: *In plenitudine Sanctorum detentio mea.* Super quae verba divus Bonaventura (*in Speculo*) ait: *Ipsa non solum in plenitudine Sanctorum detinetur, sed etiam in plenitudine Sanctos detinet, ne eorum plenitudo minuatur.*

Eia igitur, iuste, quisquis tu sis, beatam Deiparentem illa Sapientiae verba proferentem audi (*Prov. cap. 4. v. 11*): *Viam sapientiae monstrabo tibi, ducam te per semitas aequitatis; quam cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, et currens, non habebis offendiculum.*

6. Auxiliatrix est peccatorum. Divus Ioannes in libro Apocalypsis haec scripsit (*cap. 12 v. 1*): *Signum magnum apparuit in coelo, mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim: et in utero habens, clamabat parturiens, et cruciabatur ut pareret.* Haec verba proculdubio Deiparae aptari possunt. Doctissimus a Lapide (*in hunc loc.*) observat, beatissimam Virginem lunam sub pedibus habere, *quia sicut luna benigno influxu plantas et animalia vegetat; ita beata Virgo fideles tam iustos, quam peccatores suam opem implorantes benigne complectitur, gratiam impetrat, ad salutem provehit: est enim ipsa mater misericordiae.* Verum quandonam ipsa cruciata est ut pareret? Forsan cum Christum filium

suum benedictum in lucem edidit?. Minime quidem: nam ipsa sine dolore enixa est Salvatorem. Profecto igitur huiusmodi cruciatus ipsa quodammodo patitur, cum peccatores ad gratiam per suam auxilium, et validissimam intercessionem parturit. Unde peccator appellari potest *Benoni, idest filius doloris* (*Genes. cap.* 35, *v.* 18): et Deipara ipsa, potiori iure, quam Apostolus Paulus, ad peccatores conversa dicere potest (*Galat. cap.* 4.*v.* 19): *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.*

Adhaec aliam rationem subnectere abs re non erit, propter quam Virgo benedicta peccatoribus auxiliatur, nempe quia ipsa ideo evecta est ad dignitatem Matris Dei, ut peccatores redimerentur. Unde in quodam hymno antiquae liturgiae legebatur haec stropha:

Non abhorres, peccatores,
Sine quibus nunquam fores
Tanto digna Filio.

7. Notatu digna sunt illa verba regii Psaltis (*Ps.* 86 *v.* 4): *Memor ero Rahab, et Babylonis scientium me. Ecce alienigenae, et Tyrus, et populus Aethiopum, hi fuerunt illic.* Hic Psalmus ab Ecclesia adhibetur in liturgia festivitatum Deiparae, et optimo iure eidem accommodatur. In allegatis autem versiculis mentio fit Rahab, Babylonis, alienigenarum, Tyri, et populi Aethiopum. Divus Ambrosius (*de fid. lib.* 5. *cap.* 4), divus Augustinus (*in Ps.* 86), Theodoretus (*sup.memor.Psal.*), aliique, per hos omnes intelligunt peccatores. Deipara autem illorum patrocinium suscipit, eisque auxiliari promittit per memorata verba Psalmi: *Memor ero.* — Verum observandum est, beatissimam Virginem ordinarie auxiliatricem esse, sed volentium se emendare, et ad suum patrocinium confugientium; equidem post verba: *Memor ero etc.* subiungit, *scientium me;* quasi dicat (*eid. Trin. sup.mem.Ps.*): *Dummodo peccatores sciant, colant et agnoscant me* (nemo autem revera ipsam colit, nisi serio velit se emendare), *ego vicissim eos agnoscam, et illorum memor ero.*

8. Quodammodo Deipara dici potest auxiliatrix ipsius Dei. Re namque vera, quamvis Deus non indigeat auxilio cuiusquam, cum sit omnipotens; tamen indubium est, ipsius accidentalem gloriam augeri posse. At haec gloria quam maxime Deo provenit ex incarnatione Verbi, et procuratur adhuc per hominum salvationem. Verum in his duobus, unde maxima Dei gloria derivatur, efficaciter et excellentissime concurrit Deipara Virgo. Incarnatio nonnisi in eius utero virginali, ipsa consentiente, peracta est; salus autem hominum, ex demonstratis, concedi a Deo non solet, nisi ipsa mediante. Apte igitur divus Cyrillus inquit (*in quod. serm.*): *Per te, o Deipara, Trinitas sanctificatur, per te exultat coelum, laetantur Angeli, et homo ipse coeli exul ad coelum revocatur.*

9. Etiam angelorum, sub aliquo respectu, benedicta virgo auxiliatrix dici potest. Iam superius (*ad tit.S.Mariae Amoris*) exposuimus sententiam docentem, Christum meruisse Angelis gratiam, quam habuerunt, et gloriam, qua fruuntur. Diximus etiam, Christum caput esse Ecclesiae; ac proinde etiam Angelorum, qui ad Ecclesiam triumphantem pertinent. Sed Christus non solum ex Maria Virgine nasci voluit, sed etiam quidquid gratiae et gloriae tum hominibus, tum Angelis contulit, totum mediante Deipara operatus est. Ergo benedicta Virgo Angelorum auxiliatrix nuncupari potest, saltem quoad gratias accidentales, quae consectaria quaedam sunt incarnationis. Haec omnia iam ad paginam XI. huius promptuarii fuse exposuimus. Nunc sequentia addere abs re non erit. 1. Deiparae auxilio mediante, Angelorum sedes restaurari: unde Idiota dicit (*lib. de Virg. Mar. cap.* 4): *Ad haec omnia fecit te Deus, Virgo Maria, ut ex tuo benedicto fructu angelica natura repararetur;* et beatus Petrus Damiani (*serm. de nativ. Virg.*) subiungit: *Per hanc beatissimam Virginem, non solum amissa olim vita hominibus redditur, sed etiam beatitudo angelicae sublimitatis augetur, quia illorum numerus, qui diminutus fuerat, reparatur.* 2. Multum accidentalis gloriae Angelis derivasse ex ministeriis praestitis benedictae Virgini, dum adhuc in terris ageret. 3. Etiam nunc in coelesti Ierusalem magnum gloriae accidentalis pondus Angelis ex intuitione pulcherrimae et gloriosissimae Virginis accedere; adeo ut recte dicat Carthagena (*hom.*18.*de Assumpt.*): *Id certum et indubitatum est, nullo obiecto, praeter beatissimam Trinitatem, plenius delectari Angelos, quam humanitate Christi, et Genitrice eius.* Quid ergo mirum, si Richardus (*lib.* 10 *de laud. Virg.*) dixerit: *Maria data est Angelis ad delectationem, ad auxilium, et ad restaurationem?*

10. Deipara auxiliatrix est Cleri. Illa verba Ecclesiastici: *Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei haereditas illius, et in plenitudine sanctorum detentio mea,* proculdubio de Deipara intelligi possunt, quae per suum amorem et patrocinium profundas radices egit *in populo honorificato,* hoc est in Clero: quis enim populus Clero honorificatior? In illo, inquam, populo *radicavit,* qui in parte Dei sui posuit haereditatem suam; dixit enim (*Ps.* 15. *v.* 5): *Dominus pars haereditatis meae.* Denique *in plenitudine sanctorum detentio* beatissimae Virginis, hoc est in plenitudine clericorum, de quibus, potiori iure quam de ordine Levitico veteris testamenti, scriptum est (*Lævit.* *c.*21.*v.* 6): *Sancti erunt Deo suo, et non polluent nomen eius; incensum enim et panes offerunt.* Igitur sanctissima Deiparens optimo iure Auxiliatrix Cleri salutatur; unde Ecclesia (*in Litan. Lauret.*) *reginam Apostolorum* illam nuncupat; nunc illam sic alloquitur (*in antiph. Breviar.*): *Sancta Maria... intervent pro clero.*

Ut propositam thesim demonstrare valeam, duas propositiones statuo. 1. sanctissimam Deiparentem quodammodo teneri ad auxilium Clero praebendum. 2. ipsam de facto auxiliatricis Cleri partes egregie implevisse, et adhuc implere.— 1. Quodammodo tenetur ad auxilium Clero praebendum, nam—1. originem ipsa ducit, non solum a Davide, sed etiam ab Aaron; et ideirco pertinet ad genus sacerdotale veteris legis; haec autem lex, uti omnes

noscunt, umbram habebat futurorum. Consuli potest divus Thomas (3. *par. qu.* 31. *art.* 2), qui demonstrat, quomodo simul ex David, et ex Aaron originem ipsamet beata Virgo ducat; nude cognata erat Elisabeth, Zachariae sacerdotis uxoris—2. Eadem vera Mater est Iesu Christi summi et aeterni sacerdotis, et futurorum bonorum Pontificis; ac proinde intime eidem unita, dicente Augustino (*serm. de Assumpt.*): *Caro Christi caro Mariae;* et sanguis Deiparae sanguis summi Sacerdotis. Potestne dari coniunctio maior, quam illa quae adest inter ipsam et Clerum, qui participat de eodem Christi sacerdotio? — 3. Ulterius ipsa sanctissima Dei Genitrix a Patribus quodammodo reputatur pars Cleri. Beatus Albertus Magnus (*sup. Missus est c.* 157) inquit: *Deipara est Apostola, quae habuit apostolatum in summo.* Divus Thomas a Villanova subiungit (*in serm. de Purif.*): *Beatissima Virgo est magistra apostolorum omnium, et discipulorum Christi, et simul Ecclesiarum omnium.* Re sane vera ipsa apostolatum exercuit in ordine ad oblationem victimae, ab illo praesertim tempore, quo filium suum Iesum in templo Ierosolymitano praesentavit. Audiamus laudatum divum Thomam a Villanova, qui (*loc. cit.*) ipsam sic Deo Patri alloquentem inducit: *Suscipe oblationem hanc, quam tibi offero pro toto mundo ego ancilla tua: suscipe communem Filium, tuum ab aeterno, meum in tempore: suscipe nunc de manibus ancillae tuae sacrosanctum hoc sacrificium matutinum, tibi quondam in crucis brachiis offerendum in sacrificium vespertinum*—4. Demum si sacrificium institutum est non solum pro Christi reali corpore consecrando et offerendo, sed etiam pro Christi corpore mystico, nempe ut redemptionis fructus mundo applicetur, benedicta Virgo, quando Angeli legationi assensum praebuit, quodammodo se obligavit ad concurrendum non solum ad incarnationem, sed etiam ad applicationem fructus eiusdem incarnationis in favorem animarum. Ob allegatas ergo rationes sanctissima Virgo aliquo pacto tenetur ad auxilium Clero praebendum.

Nunc altera pars demonstranda restat, nempe Deiparam de facto auxiliatricis Cleri partes egregie semper implevisse, et adhuc implere —1. Has partes exercuit, dum in terris mansit, ab eo potissimum tempore, cum in persona Ioannis apostoli, totius Cleri a Iesu Christo filio suo Mater constituta fuit (*Io. cap.* 19. *v.* 27). Implevit hoc munus post Christi ad coelos ascensionem; inquit enim beatus Amedeus (*hom.* 7.*de laud. Virg.*): *Voluit Iesus, ut ipso revertente ad Patrem, apostoli materna Deiparae eruditione fruerentur, qui licet docti essent a Spiritu sancto, ab illa etiam edoceri potuerunt, quae solem sapientiae in ventre gestavit.* Hoc munus implevit, quando, testante sancto Ildefonso (*serm.* 3. *de Assumpt.*), *apostolorum conventui ipsa nobili contubernio adhaerebat; cuna illis specialius conferebat, ut ab ea ipsi discerent, et lucidius aliis enarrarent.*—Denique erga Clerum munus auxiliatricis exercuit, cum, testante Methodio (*in Hypapant.*), ipsa *lapsos apostolos colligebat, afflictos solabatur, titubantes solidabat, dubios confirmabat*—2. Verum etiam post suam assumptionem in coelum partes auxiliatricis Cleri mirifice implet Deipara. Quoniam autem immensae molis opus esset in specie thesim enucleare, saterit si eam in genere demonstremus, et pauca tantum de eius speciali patrocinio erga Clerum delibemus. Ipsa adiuvat, ut illa hostia, quae in suo utero sanctissimo primum oblata fuit, a Deo Patre in odorem suavitatis suscipiatur: quando sacerdotes clavibus utuntur sibi a Christo collatis, ipsa, quae est animula *ianua coeli* (*Eccl. in litan. Lauret.*), aperiri ab iisdem se sinit, ut peccatores conversi per ipsam ingrediantur: Clero datum est ut devios, gratia adiuvante, ad rectum salutis tramitem perducant; verum id assequi non poterit, si suum concursum non posuerit illa, quae (*Eccli. cap.* 24. *v.* 2), superborum *colla sua virtute calcavit.* Denique Clerus adiuitur ut haereses disperdantur; at Deipara adiuvat ad hoc opus, quia ipsa *cunctas haereses sola interemit in universo mundo* (*in liturg. Breviar*). Ad rem ergo Damascenus sic ipsam alloquitur (*orat.* 1. *de nativ. Virg.*): *Scio Domina, quia amas Clerum amore invincibili et ineffabili.*—At hic amor non se extendit tantum ad praesentem vitam, sed praecipue aeternitatem respicit, cum beatissima Virgo Clero suo patrocinio commisso, eius praeconia enarranti, promiserit vitam aeternam (*Eccli c.*24.*v.* 31): *Qui elucidant me, vitam aeternam habebunt.*

Quoad specialia exempla auxilii beatissimae Virginis erga Clerum attinet, pauca seligemus. Divo Gregorio Neocaesariensi antistiti beatissima Virgo in visu praemonuit, ne Origenis erroribus participaret (*ex Sporell*): divum Nicolaum Myreneseu Episcopum, iam a Patribus Nicoenae synodi a sua cathedra, ex errore, depositum, coelestis auxiliatrix peramanter defendit (*Io. Stud. in vit.s. Nicol.*): sanctum Ildefonsum Toletanum antistitem, Deiparae virginitatis strenuum defensorem, nonne ipsamet sacris vestibus condecoravit? (*Io. Mar.*1.*de reb.Hisp.c.*10): Fulbertum Carnotensem praesulem, in gravi infirmitate ardentem sitienti, suo purissimo lacte enutrivit, et sanitati restituit (*Baron ann.* 1010) Anselmo Cantuariensi in foveam prolapso, amantissima Domina manum ad surgendum porrexit (*Surius* 25.*apr.*): cum Theodoro Anastasiopolitano pontifici venenum propinatum fuisset, sanctissima Domina antidotum porrexit (*id Surius in eius vita*): denique divo Hiacyntho ordinis Praedicatorum animam agenti, Deipara visibiliter occurrit, ut eum ad coelestem patriam deduceret, simulque adstantibus dixit: *Vado ad montem myrrae cum Hiacyntho meo* (*in eius vit*).

11. Deipara est auxiliatrix virginum, ac praesertim monialium.—In Psalmo 44. de dotibus Reginae, per quam Deipara profecto intelligi potest, sermo instituitur (*vers.*10): *Astitit regina a dextris tuis etc:* deinde ipsa etiam filia regis nuncupatur (*vers.* 14): *Omnis decor eius filiae regis ab intus:* praeterea de aliis virginibus post illam regi praesentandis mentio fit (*v.* 15): *Adducentur regi virgines post eam; proximae eius afferentur tibi: afferentur in laetitia et exultatione, adducentur in templum regis.* Haec om-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nia de beatissima Virgine intelligi posse, nemo est qui ambigat. Patris aeterni Regis regum ipsa est primogenita filia. Sed est etiam omni iure regina: talis est iure naturali, utpote quae a regibus processit *clara ex stirpe David* (*Eccl.in antiph.*); regina est etiam, quia vera Mater eius, qui absque ulla dubitatione rex est; exploratum est autem, quod *partus sequitur ventrem;* si ergo partus regius, et venter regius. Est regina etiam iure belli, tum quia ipsa caput serpentis contrivit a primo immaculatae suae conceptionis instanti; tum quia ipsa arma, scilicet humanam naturam, suppeditavit Filio, *ut expoliaret principatus et potestates.* Demum regina est iure electionis (tum divinae, tum humanae. Hinc Patres et Ecclesia unanimiter eam tali titulo condecorant. Unus inter omnes sufficiat divus Ephrem, qui (*orat.de B.V.*) eam nuncupat *dominam, principem, atque reginam praestantissimam. . . regnam cunctis sublimiorem.* Ecclesia vero tali titulo illam consalutat: *Salve regina.* De ipsa igitur intelligi optime possunt memorata verba Psalmi.

Verum Deipara non solum est *regina*, sed *regina* et *auxiliatrix virginum*, *et praecipue monialium*, tum quia suo exemplo ceteris virginibus et monialibus praeivit; tum quia ipsa suo patrocinio virgines, monialesque adiuvat.

De Deiparae virginitate nemo inter catholicos dubitare potest. Divus Lucas in Evangelio (*cap.* 1. *vers.*27) Angeli legationem describens, illum missum dicit *ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph.* Desponsata autem ipsa erat, non per simplicem promissionem matrimonii de futuro, sed per verum matrimonium iam contractum, licet non consummatum, et nunquam consummandum (*vid. a Lapid. sup.c.*1.*Matth.v.* 18). Quod autem adhuc nupta obbligata esset ex voto ad virginitatem servandam, praeter alia, eruitur ex sui ipsius stupore ad verba Angeli: *Ecce concipies*: non habuisset enim unde miraretur, si per matrimonii usum posset concipere: ita divus Anselmus (*in verb. Evang.* Intravit Iesus in quoddam castellum). Adhaec, cum dixit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco,* Angelus potuisset replicare, si nescisset illius votum: Si non cognovisti, cognosces; et tunc *concipies et paries.* Inquit autem Deipara: *Non cognosco,* quasi diceret: impedior cognoscere, quia me voto servandae virginitatis obstrinxi. Ita hunc locum interpretantur divus Augustinus (*l. de virgin.tom.*6), d.Gregorius Nyssenus (*orat.de Christi nativ.*), d. Bernardus (*hom.*4.*sup.Miss.*), ven. Beda (*in Ev.*), Rupertus (*l.*3.*in Cant.*) etc.

1. Benedicta Virgo suo exemplo anteivit et auxiliata est ceteris virginibus, ac praesertim monialibus. — Antequam ipsa candidissimum virginitatis efferret vexillum, virginitas nedum in honore non erat, verum etiam in opprobrio habebatur. Hinc filia Iephte in aetate nubili moritura a patre enixe petiit, ut virginitatem suam per duos menses deflere posset (*Iudic. cap.* 11. *v.* 37). Apud Isaiam (*cap.* 4. *v.* 1) septem mulieres apprehendunt unum virum dicentes: *Panem nostrum comedemus, et vestimentis nostris operiemur; tantummodo invocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum.* In Exodo habetur (*cap.* 23. *v.* 26): *Non erit infoecunda, nec sterilis in terra tua;* et Deuteronomii (*c.*7.*v.*14): *Non erit apud te sterilis utriusque sexus.* At postquam beata Virgo Maria vexillum extulit virginitatis, mox ingens agmen virginum congregatus est in Ecclesia Dei. Dixi, quod prima fuit Deipara in virginitatis vexillo extollendo, prima, inquam, et tempore, et dignitate, uti sancti Patres testantur. Paucos, brevitatis gratia, seligimus. Origenes (*in cap.* 13.*Matth.*) inquit: *Arbitror rationi consentaneum esse, virilis quidem puritatis in castitate primitias fuisse Iesum, muliebris vero Mariam*—S. Ildefonsus Toletanus subiungit (*serm.* 5. *de Assumpt.*): *Optimam partem elegit Maria, quia prima omnium feminarum Deo virginitatem obtulit.* Unde divus Ambrosius illam nuncupat (*de instit.virg.*) *magistram virginitatis:* divus Epiphanius (*haeres.* 78) *principem virginitatis:* divus Ildefonsus paulo ante citatus (*serm.* 1. *de Assumpt.*) *fastigium omnium virginum*: Idiota (*c.* 6. *contempl.* 1) *virginitatis primipilum*; et divus Bernardus (*sup.Sign.magn.*) *virginum primicerium.* Praetermittenda autem non est doctrina Angelici doctoris, qui, uti nuper diximus, Deiparam voto se obstrinxisse ad hanc virtutem servandam, cum omnibus Patribus et theologis catholicis tenens, sic inquit (3. *p. q.* 28. *art.* 4): *Perfectionis opera magis sunt laudabilia si ex voto celebrentur. Virginitas autem in Matre Dei praecipue debuit pollere; et ideo conveniens fuit ut virginitas eius ex voto esset Deo consecrata.* Non debebat autem in sanctissima Deiparente deesse virginitas, quae ad perfectionem pertinet, ut facile est demonstrare; cum ipsa perfectissima fuerit creaturarum; et insuper, uti innuimus, ad maiorem perfectionem opus fuit ut virginitatem voto obfirmaret. — Scio, ante Deiparam celebrari virginitatem Eliae, Melchisedec, trium puerorum, Mariae sororis Moysis, et ipsarum ethnicarum Sybillarum et Vestalium; tamen omnes fatentur, ante Deiparam, neminem virginitatem voto obfirmasse.

Sed insuper sanctissima Dei hominumque Parens praeluxit exemplo ceteris virginibus, et praesertim monialibus, in claustralis vitae studio, cum vix trimula, ad claustrum Ierosolymitani templi se libentissime contulit, et inibi tamdiu commorata fuit, quamdiu divina voluntas ex illo loco ad alia ipsam evocavit. Quod si ex illo claustro, Deo sic iubente, egressa fuit, nunquam tamen omisit in reliquo suae vitae curriculo, quantum potuit, claustralis secessus studium patefacere. — Adhaec sanctimonialibus praeluxit in paupertatis amore, praecipue in virgineo suo partu in bethleemitico specu, quando veram illius Matrem se ostendit, de quo legimus apud Matthaeum (*c.* 8.*v.*20): *Vulpes foveas habent, et volucres coeli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput reclinet*: tunc enim, cum locus non esset ei et Sponso suo Ioseph in pauperum diversorio, in praesepio reclinavit filium suum Iesum, quem in lucem edidit. Insuper eiusdem paupertatis studium ostendit, cum in Ierosolymitano templo sacrificium pauperum obtulit, scilicet *par turturum, aut duos pullos columbarum* (*Luc. c.*2. *v.* 24). Licet autem alia suae heroicae paupertatis testimonia in libris sanctis desiderentur, facile tamen est ea depromere ex eo quod ipsa in suo Cantico *Magnificat* (*Luc. cap.* 1. *v.* 46) confessa est, cum dixit, quod Deus ipsammet suam ancillam *respexit.* Quis autem ignorat, quod Deus non respicit, nisi ad eum, qui saltem corde abhorreat a temporalibus opibus, testante Davide (*Ps.*10.*v.* 5): *Oculi eius in pauperem respiciunt*, et dicente ipso Deo per Isaiam (*cap.* 66. *v.* 2.): *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum?*

Denique sanctimonialibus praeluxit in obedientiae studio. In libro 1. Regum hanc sententiam Samuel Sauli docuit (*cap.* 15. *v.* 22): *Numquid vult Dominus holocausta et victimas, et non potius ut obediatur voci Domini? melior est enim obedientia quam victimae:* unde angelicus Doctor (2. 2. *q.* 104. *art.* 2) inquit, quod obedientia est omnium moralium virtutum praeclarissima. Deipara id optime a Spiritu sancto didicerat; et quoniam in libro Proverbiorum (*cap.* 15. *v.* 28) scriptum est: *Mens iusti meditabitur obedientiam;* idcirco beatissima Virgo, quae inter omnes creaturas rationabiles eminenter iusta erat, semper meditabatur, quomodo melius divinae voluntati per omnia obediret. In obedientia heroem se ostendit, in acceptando divinam maternitatem statim ac certa facta fuit voluntatis Dei, obedientem se exhibuit; se licet non esset adstricta purificationis legi, voluit tamen illam implere; insuper hanc virtutem exercuit edicto Caesaris Augusti descriptionem populi praecipientis obtemperando; et denique, quando ad Angeli monitum Iosepho suo sponso patefactum in somno, statim fugam arripuit, et Aegyptum petiit. Memoranda est Abrahae obedientia, tum quando Dominus illi praecepit (*Genes. cap.* 12. *v.* 1): *Egredere de terra, tua et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram quam monstrabo tibi;* tum praecipue quando illi dixit (*Genes c.* 22. *v.* 2): *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac, et vade in terram visionis; atque ibi offeres eum in holocaustum super unum montium, quem montravero tibi*; sed longe praestantior fuit Mariae obedientia, tum ratione sexus et aetatis, nam ille erat vir aetate provectus, Deipara autem tenera virgo; tum ratione dignitatis, nam ille erat homo simplex, haec autem evecta erat ad sublimissimam dignitatem; et qui in alto gradu sunt constituti si obedientes se ostendunt, magis spectabiles sunt; tum demum ratione arduitatis praecepti, si enim Abraham obtulit Isaac, Maria obtulit Iesum. Quid vero mirum si ipse Christus obtemperaverit Deiparae, et subditum se illi ostenderit? Videtur voluisse quodammodo obedientiam cum obedientia compensare. Quapropter sicut per inobedientiam primorum parentum fueramus ad aeternam damnationem condemnati; sic per obedientiam Iesu Christi (*principaliter*), et Mariae, sumus ad vitam restituti; unde Augustinus (*in serm.de nativ.Virg.*) Deiparam Evae comparat, et huius obedientiam cum inobedientia illius, et inquit: *Pro inobedientia obedientia commutatur; fides pro perfidia compensatur.*— Facile ergo est intelligere quomodo, post hanc virginum *primiceriam*, *vexilliferam et choripheam*, quae tum in virginitate, tum in aliis virtutibus sanctimonialibus necessariis, exempla mirifica praebuit, innumerae aliae virgines *post eam* adductae sint.

Verum Deipara non solum auxiliatrix est virginum, et praecipue sanctimonialium, quatenus suo exemplo ad hunc angelicum statum adducit; verum etiam quia ad hoc adiuvat suo validissimo patrocinio.

Praeter argumenta superius adducta circa auxilium quod sanctissima Virgo omnibus impendit, heic breviter pauca addam. 1. Divus Petrus apostolus brevi moriturus, fideles confirmans, inquit (2. *Petr.* 1.*v.* 15): *Dabo operam et frequenter habere vos post obitum meum.* Doctissimus a Lapide hunc textum exponens, observat, quod Apostolorum Princeps heic promittit intercessionem et auxilium post abitum suum, quasi diceret: Habebo vos in mente et memoria, et crebro pro vobis Deum orabo, ut horum monitorum meorum memoriam vobis refricet: ita etiam interpretantur hunc locum Oecumenius, Salmeron, div. Petrus Damiani, Suarez, Bellarminus etc. Si ergo Apostolus auxilium suum promisit iis, quibus fidem praedicaverat, ut illam possent operibus vivam conservare; quanto magis beatissima Virgo, quae virginitatem et claustralem vitam praedicavit suo exemplo, in coelis suo auxilio professores illarum virtutum fovebit? 2. Virginitas et claustralis professio summopere Deo placet, et per huiusmodi virtutes Deus maxime glorificatur: agitur enim non de praeceptis, sed de consiliis ad perfectionem tendentibus; cum autem Deipara debeat semper velle maiorem gloriam Dei, et Filii sui, debet etiam adiuvare, ut haec gloria habeatur. 3. Percelebris theologus card. Gotti (*Theol.schol. dogm. tom.* 2. *in* 1. *part. quaest.* 5. §. 2. *n.*), cum agit de visione beatifica, inquit: *Beati vident ea quae pertinent ad proprium statum; non tamen omnia in Verbo, sed aliqua extra Verbum per revelationem et illuminationem cognoscunt.*

Si ergo status Deiparae in terra fuit virginalis; et si in omnibus virtutibus monialibus necessariis mirifice se exercuit, proculdubio in coelis videt omnes illos, qui suas virtutes student imitari. Haec doctrina eruitur etiam ex divo Thoma (3.*p.q.*10.*art.*2). Verum si quilibet beatus in coelo videt ea, quae ad proprium statum pertinent, exempli gratia, sanctus qui aliquam regularem familiam fundavit, videt illius regularis familiae necessitates, et illam suis intercessionibus adiuvat; multo magis idem dicendum est de Deipara Virgine, quae, cum non solum sit omnium advocata a Deo constituta, sed quodammodo dici possit status virginalis et claustralis fundatrix et *primiceria*, videt necessitates professorum earumdem virtutum, et adiuvat, tum ut multi illum statum amplectantur, tum ut illi qui iam illum amplexi sunt, valeant in eo laudabiliter vivere.

12. DEIPARA EST AUXILIATRIX AGONIZANTIUM. Ecclesia a Spiritu sancto edocta, auxilium Deiparae pro Christianis, praesertim in extremo vitae agone constitutis, implorat illis verbis angelicae salutationis: *Ora pro nobis... nunc et in*

UNIVERSIDAD DE NAVARRA

hora mortis nostrae. Insuper in sacra liturgia sic illam precatur (*in hymn. Ave Maris stella*): *Iter para tutum.* Alibi hisce eam alloquitur verbis (*in hymn.*): *Et mortis hora suscipe.*

Ex innumeris vero scriptoribus in eandem sententiam collimantibus, unum alterumque, brevitatis gratia, seligam. Divus Hieronymus (*ep. 2. ad virg. Eustoch.*) inquit: *Morientibus beatissima Virgo non solum succurrit, sed etiam occurrit;* quasi dicat, quod aliquando eliam non invocata, praesens est.— S. Vincentius Ferrerius (*in serm. de Assumpt.*) subiungit: *Beata Virgo animas morientium suscipit, qui se ei devoverunt.*— Sed quid immoror in hisce auctoritatibus exponendis, cum ipsa benedicta Virgo id promiserit et revelaverit, uti videre est apud Blosium, auctorem non profecto infimi subsellii? (*p. 2. Const. an. fid. cap. 2*): *Ego*, inquit, *omnibus, qui mihi deserviunt, colo in morte fidelissime, tamquam mater piissima adesse, eosque consolari ac protegere.* Verum undenam Deiparae datum est, ut auxiliatrix sit agonizantium? Profecto existimandum est, quod quum ipsa extremo Filii sui agoni adstiterit, eique quodammodo, in communi derelictione, auxiliari sategerit; inde sumpsit, ut adoptivorum filiorum in extremo agone Iactantium subsidium auxiliumque constituta sit.— Opportune igitur Romani Pontifices peculiare festum instituerunt in honorem beatissimae Virginis, sub titulo AUXILII AGONIZANTIUM.

13. Hora migrationis e vita mortalibus est horribilissima: *omnium enim terribilium terribilior est mors*, inquit Philosophus. Terribilis, inquam, quia, uti scripsit divus Ioannes (*in Apocal. cap. 12. v. 12*): *Tunc descendit diabolus, habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet.* Hinc recte tempus immediate mortem praecedens *agonia*, sive lucta nuncupatur. Verum in tanta hominis morientis virium infirmitate, unde arma, unde auxilia ad pugnandum cum inimicis nostrae salutis? Post Deum, profecto aliud auxilium potentius et validius non habetur, nisi per Mariam. Ipsa equidem est, quae cum antiquo serpente sempiternas inimicitias habuit (*Genes. cap. 3 v. 8*): Ipsa est illa electa, quae perhibetur in Canticis (*cap. 6. v. 3*): *Terribilis ut castrorum acies ordinata;* et de qua Sponsus praedicavit (*Cant. cap. 7. v. 1*): *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum?* Statim ac autem ipsa declarat, versantem in agone sub sua protectione manere, illico dissipantur et aufugiunt adversariae potestates.—Posito autem, quod eliam non aufugiant, quia Deus *certamen forte* dare vult morienti, *ut vinceret* (*Sap. c. 10. v. 12*), ipse tamen sub auxilio beatissimae Virginis constitutus, illa regii Psalli verba usurpare potest (*Ps. 26. v. 3*): *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum;* et alia (*Ps. 22. v. 4*): *Si ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt.*— Perbelle Hugo cardinalis (*serm. de Assumpt.*) dicit, morientes, et ambulantes *in medio umbrae mortis* consolari non posse neque a divitiis, neque ab honoribus, neque a medicis, neque a parentibus, sed solummodo per *virgam* et *baculum*, iuxta allegata verba Psalmi. Quaenam autem est virga, quinam baculus? Baculus proculdubio est crux, cui innixus moriens absque trepidatione ad coelestem patriam transire potest, iuxta illud Genesis (*cap. 32. v. 10*): *In baculo meo transivi Iordanem.* Per virgam autem beatissima Virgo proculdubio accipienda est, uti laudatus Hugo cardinalis (*serm. de Assump.*) dicit: *Haec est illa virga, qua retunduntur impetus adversantium daemonum.*

14. In libro Ruth (*cap. 2. v. 20*) legimus, quod Noemi vidua Elimelech, et eiusdem Ruth socrus, cum audisset largitatem et beneficentiam Booz, sic loquuta fuit: *Benedictus sit a Domino* (*Booz*), *quoniam eundem gratiam, quam praebuerat vivis, servavit et mortuis.*— Sensus litteralis horum verborum est, uti notat a Lapide (*sup. hunc loc.*), quod Booz, sicut beneficerat Elimelech eiusdem Noemi marito, eiusque filiis Mahalon et Chelion, quasi sibi consanguineis, dum viverent; ita postea perrexit benefacere iis mortuis, dum eorum uxoribus, nempe Noemi et Ruth, beneficus fuit, easque pavit de spicis agri sui.— Verum haec verba ad nostrum argumentum transferentes, dicere possumus, quod Deipara beneficentior quam Booz, si gratiam auxilii sui praebet vivis ad ipsam confugientibus, multo magis illam reservat, cum iidem in extremo agone constituti sunt.

15. Cum populus Israel ex Aegypto egressus, ad promissam terram pergeret, Dominus eum consolatus est per quamdam mirificam nubem, quae similitudinem habebat columnae; haec autem per diem ab aestu solis, et per noctem a tenebrarum horrore protegebat, simulque iter praemonstrabat: *Dominus*, en verba Exodi (*cap. 3. v. 21*), *praecedebat eos ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, et per noctem in columna ignis, ut dux esset itineris utroque tempore.* Huius mirifici eventus loquitur etiam regius Psaltes (*Ps. 77 v. 14*): *Deduxit eos in nube diei, et tota nocte in illuminatione ignis:* et alibi (*Ps. 104 v. 39*): *Expandit nubem in protectionem eorum, et ignem ut luceret eis per noctem.*— In hac autem nube quis Deiparam adumbratam non videt? Haec, veluti nubes, illam salutarem pluviam in mundum effudit, quae ipsum foecundavit, atque simul a criminibus lavit: nubes, inquam, de qua Isaias vaticinatus est (*cap. 45 v. 8*): *Nubes pluant iustum.* Huiusmodi nubes per diem vitae praesentis ab aestu et ardoribus concupiscentiae, et a diaboli tentationibus protegit; unde sancta Ecclesia sic illam deprecatur: *Mites fac, et castos.* In nocte autem, scilicet in extremo agone, quando diabolus effundit horribiles tenebras, haec mystica columna tenebras ipsas depellit, et admirabile lumen diffundit: unde a divo Bernardo (*serm. 2. de assumpt.*) nuncupatur: *Columna vivifica divinis illuminans facibus*, vel, uti Ecclesia Graeca canebat in antiquo hymno: *Columna ignea, his, qui sunt in tenebris et umbra mortis, viam demonstrans.* Hac columna equidem praecedente, iter paratur tutum, et ad beatam promissionis terram certissime pervenitur.

16. In libro Exodi narratur apparitio Dei ad Moysen in rubo ardenti et incombusto. Deus autem tunc dixit (*cap. 30. v. 7*): *Vidi afflictionem populi mei in Aegypto, et clamorem eius audivi... et sciens dolorem eius, descendi ut liberem eum de manibus Aegyptiorum, et educam de terra illa in terram bonam, et spatiosam, in terram, quae fluit lacte et melle.* — Huc usque sacer textus. — Verum nemo profecto vetat, per rubum incombustum sanctissimam Virginem accipere: Ecclesia enim de ipsa canit (*in liturg. Breviar.*): *Rubum, quem viderat Moyses incombustum, conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem:* et divus Bruno (*in cap. 3. Exod.*) subiungit: *Quid per rubum, nisi beata Virgo Maria? Erat igitur ignis in rubo, splendor in Virgine, lux in Maria.* Dum autem infirmi et agonizantes inter spinas infirmitatis, dolorum, et tentationum versantur, beatissima Virgo, velut *rubus incombustus* inter spinas, praesens adest, sive visibiliter, sive invisibiliter; et leniter in praeallegata verba prosilit: *Vidi afflictionem* filii mei in extremo agone versantis, *et clamorem eius audivi... et sciens dolorem eius, descendi, ut liberem eum de manibus* daemonum, *et educam de terra illa in terram bonam, et spatiosam, in terram, quae fluit lacte et melle*, scilicet in coelestem patriam.

17. In Canticis Canticorum (*cap. 6. v. 9*) sanctissima Dei Genitrix *pulchra ut luna* nuncupatur: sicut enim luna praeest nocti, quia noctem, illuminat; ita beata Virgo in mortis articulo, qui nocti assimilatur, sibi devotis illucescit, et tenebras diabolicarum tentationum et mundi fraudum depellit. Quare Bernardus (*in Stellar. Virgin. lib. 12 part. 2. cap. 1*) sermonem instituens de auxilio, quod Deipara morienti impendit, illa Sapientiae verba (*cap. 10. v. 11*) opportune adhibet: *In fraude circumvenientium illum affuit illi, et honestum fecit illum: custodivit illum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum.* Huius mirifici et efficacissimi patrocinii multa argumenta habentur apud Ioannem Severanum (*in selectis aureis iustorum morientium*), quibus ostenditur, beatissimam Virginem cultoribus suis frequenter circa agonem apparuisse, illosque in tanto discrimine recreasse et adiuvisse. Ego autem facile existimo, quod moriens ex tantis periculis eruitus mediante Deiparae patrocinio, in grati animi testimonium in illa verba prosilire debeat erga suam praesentissimam Patronam, quae in libro Ecclesiastici leguntur (*cap. 51. v. 4*): *Liberasti me secundum multitudinem misericordiae nominis tui a rugientibus praeparatis ad escam, et de portis tribulationum, quae circumdederunt me... Vita mea appropinquans erat in inferno deorsum. Circumdederunt me undique, et non erat qui adiuvaret. Respiciens eram ad adiutorium hominum, et non erat. Memoratus sum misericordiae tuae... et liberasti me de perditione, et eripuisti me de tempore iniquo. Propterea confitebor tibi.*

18 In libro Ecclesiastici (*c. 5. v. 2*) de sapientia, summa benevolentia prosequente suum sectatorem, haec verba leguntur: *Obviabit illi quasi mater honorificata*, quasi diceret: Quanto amore, suavitate et gaudio tenera mater, quae semper filium ardentissime dilexit, et a quo vicissim fuit filiali reverentia et amore prosequuta, eidem filio de longe venienti obviam procederet, ac inter ulnas suas suscipiens, seipsam quasi totam in eum effunderet; tanto pariter amore et gaudio sapientia occurret se quaerenti, et excipiet illum *quasi mater honorificata.* Haec verba allegorice intelligi profecto possunt de illa quae *Sedes sapientiae* nuncupatur (*in Lit. Laurel.*), scilicet de beatissima Virgine, quae cum ab aliquo suo cliente *honorificata* fuerit aliquo obsequio in tempore vitae, deinde in puncto mortis *obviabit illi quasi mater honorificata*, eumque suscipiet, ut ad aeterna tabernacula deducat. Ilidem sanctissima Dei hominumque Parens suis filiis et clientibus illa verba videtur dirigere, quae in Isaia leguntur (*c. 66. v. 13*): *Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos; videbitis, et gaudebit cor vestrum.* At quandonam, quaeso, beatissima Virgo blandietur filio suo, et consolabitur eum? Sane, in puncto mortis. Re quidem vera, quoties haec tenera Mater visa est lacrymas, sudoremque mortis tergere ab oculis et a fronte filiorum suorum?

19. Non semel Deipara *Stella* nuncupata est. Balaam de illa sic vaticinatus fuit (*Num. cap. 24. v. 17*): *Orietur stella ex Iacob.* Quandoque *Stella matutina* salutatur (*in litan. Lauret.*): quandoque *Maris Stella* (*in hymn. Breviar*); et alibi: *Stella maris, succurre cadenti.* — Optime autem huiusmodi denominationes Deiparae quadrant, et signanter, quatenus ipsa est *Auxiliatrix agonizantium.* Dicitur *stella matutina*, quia sicut haec apparet circa finem noctis, et diem praesignat; ita Deipara circa finem vitae praesentis visendam se praebet, quae *nox* iure dicitur (*div. Ambr. l. 2. in c. 2. Luc.*): *Nox saeculum;* et praenunciat diem beatae aeternitatis. Insuper *Stella maris* etiam nuncupatur, quia sicut ea duce nautae facili negotio ad portum dirigunt navem, et scopulos, syrtes, aliaque pericula evadunt; ad eumdem modum, Deipara Stella maris micante, infirmi in extremo vitae agone constituti, ad beatae aeternitatis portum feliciter perveniunt. Ad rem divus Bernardus (*sup. Missus est*) inquit: *Si non vis obrui procellis: si insurgant venti tentationum; si incurras scopulos tribulationum; si iactaris superbiae undis... si iudicii horrore perterritus, incipias barathro absorberi tristitiae, respice Stellam, voca Mariam.* Hoc ipsum gravibus verbis docuit divus Bonaventura (*in Speculo*): *Legitur*, inquit, *et verum est, quod nautarum mos est, cum in aliquam terram navigare disponant, unum sidus eligant, cuius signo, luce radiante, in eam quam desiderant partem, possint sine errore adduci. Tale certe officium est stellae nostrae, Mariae, quae navigantes per mundi mare dirigit ad litus coelestis patriae.*

20. DEIPARA EST AUXILIATRIX ETIAM ANIMARUM IN PURGATORIO DETENTARUM.—In libro Sapientiae haec memoranda verba leguntur (*cap. 10. v. 13*): *Haec* (nempe Sapientia) *vendidit iustum non dereliquit, sed a peccatoribus liberavit eum, descenditque cum illo in foveam, et in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni.*—Heic profecto sermo est de iusto Ioseph Iacobi filio, quem a fratribus venditum Israelitis, et in cisternam demissum, Sapientia num-

quam dereliquit, sed eius vincula convertit in sceptra, compedes in stolam byssinam, et carcerem in solium regium. Verum nemo velat memorata verba de Deipara interpretari, quae *Sedes sapientiae* ab Ecclesia nuncupatur (*in litan. Lauret.*). Haec proculdubio descendit cum suis clientibus in foveam Purgatorii, eosque solatur, poenas mitigando, vel abbreviando. Brevi: illos non derelinquit in vinculis, quibus obstricti sunt a divina iustitia, donec afferat illis sceptrum regni coelestis. Divus Bernardinus (*serm. 2. de glorios. nomin. Mar. art. 2*) ita inquit: *Beata Virgo in regno Purgatorii dominium tenet;* et S. Vincentius Ferrerius subiungit (*serm. 2. de nat.*): *Maria est bona existentibus in Purgatorio, quia per eam animae ibi detentae habent suffragium.* Celeberrimum est privilegium, quod dicitur *Sabbatinum*, Summorum Pontificum auctoritate confirmatum, quo Deipara Virgo illis qui sacro Scapulare Carmelitici Ordinis sunt insigniti, promisit, eos, *dum igne Purgatorii expiantur, solari, ac in coelestem patriam quantocyus efferre* (*vide lectiones Breviar. die 16 Iul.*). Brevi: Si prudens Thecuitis sua blandiloquentia a Davide impetravit revocationem Absalom ab exilio (*2 Reg. cap. 14 v. 6*); multo magis benedicta Virgo Maria potentissima est ad obtinendam revocationem ab exilio Purgatorii, pro animabus suo patrocinio commissis.

21. In eodem libro Ecclesiastici (*c. 24. v. 35*) Sapientia inducitur haec verba proferens: *Penetrabo omnes inferiores partes terrae, et inspiciam omnes dormientes, et illuminabo omnes sperantes in Domino.* Percelebris a Lapide sic hunc textum exponit: *Adeo lux aurorae meae crevit meridiem, adeo aquaeductus meus crevit in flumen, imo in mare, ut non tantum illuminem omnes gentes in superficie terrae degentes, sed et penetrem imas terrae partes, ibique inspiciam et visitem omnes dormientes, idest defunctos; ac damnatos quidem inspiciam terribili cultu, metuque percellam, et damnationem eorum confirmabo; pios vero sperantes in Domino illuminabo.* Multi Patres hunc locum de Iesu Christi descensu ad inferos interpretantur, ac praesertim divus Isidorus (*l. de resurrect. Dom. c. 31*). Rursus ex eo quod ait: *Illuminabo omnes sperantes in Domino*, multi probabiliter censent, Christum omnibus animabus in Purgatorio existentibus suo ad eos descensu, dedisse plenum iubilaeum, omnesque a poenis liberasse. Ita praesertim divus Bonaventura (*dist. 22. q. 5*).—At non desunt qui etiam beatissimae Virgini memorata verba accommodant: imo aliqui innixi percelebri *privilegio Sabbatino*, aliisque argumentis, adfirmant, quolibet sabbato, necnon in aliis solemnioribus festis beatissimae Virginis, ipsam per aliquem angelum visitare *dormientes*, idest purgantes suos clientes, eosque ad aeterna tabernacula deducere.

22. In libro Ecclesiastici Sapientia suas laudes et originem describens, haec de se fatetur (*c. 24. v. 8*): *Profundum inferni penetravi.* Haec verba a divo Bonaventura de beatissima Virgine intelliguntur (*in Specul.*): *Maria*, inquit, *penetrat profundum abyssi*, *idest Purgatorii*, *adiuvans illas sanctas animas.* Re quidem vera dominium et *primatum*, quod ipsamet Deipara tenet *in omni populo, et omni gente* (*Eccli. c. 24. v. 10*), extenditur profecto etiam ad purgantem Ecclesiam. Sexcenta Patrum testimonia hanc veritatem mirifice confirmant, Sufficiat pro omnibus divus Bernardinus Senensis, qui (*ser. 3. de nom. Mar.*) inquit: *Beata Virgo in regno Purgatorii dominium tenet;* et alibi (*in eod. ser.*) subiungit: *A tormentis Purgatorii liberat beata Virgo, maxime devotos suos.*

23. Denique Deipara est quodammodo auxiliatrix etiam in paradiso. — Dubitari nequit quod beatissimae Virginis patrocinio ingrediatur in coelum, quodque, ipsa auxiliante, maior gloria consequatur. Prima pars patet ex eo, quod ipsa nuncupatur ab Ecclesia *Ianua coeli* (*in litan. Lauret.*). S. Fulgentius inquit (*de laud. Mar.*): *Facta est Maria fenestra coeli.* S. Augustinus eodem epitheto illam ornat (*serm. 15. de temp.*). S. Petrus Damiani (*hom. in Nativ.*) subiungit: *Hodie nata est Regina mundi, fenestra coeli, ianua Paradisi, scala coelestis, per quam supernus Rex humiliatus ad ima descendit, et homo qui prostratus iacebat, ad superna exaltatus ascendit.* Igitur quicumque in coelesti patria ingrediuntur, per hanc mysticam ianuam transeant oportet: nam inquit S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus (*ser. de Zona B. M. V.*): *Nullus est qui salvus fiat, o Virgo sanctissima, nisi per te.* — Quoad alteram vero partem, nempe quod, Deipara auxiliante, maior gloria in coelis consequatur, sic probo. Mater filiorum Zebedaei primas cathedras, et nobiliores accubitus reprehensibiliter postulare non dubitavit pro filiis suis (*Matth. cap. 20. v. 21*): *Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo.* Absque ulla culpae et ambitionis nota, imo laudabiliter, et cum meliori successu, beatissima Virgo a Filio suo Iesu Christo postulat primos accubitus in regno coelesti pro suis filiis et clientibus. Quid autem Filius, qui semper in terris fuit subditus ei, poterit in coelo illi denegare?

24. In libro Proverbiorum (*c. 31 v. 21*) leguntur haec verba: *Omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus.* Facile est haec adaptare beatae Virgini: ipsa enim vestita fuit duplici veste, eaque coccinea bis tincta, idest ardenti charitate Dei et proximi: vel duplici veste, idest vitae activae et contemplativae.—Eadem duplici veste etiam ornat sibi devotos, nempe veste virtutum Christi filii sui, et virtutum suarum: vel duplici veste induit, idest gratiae et gloriae. — Missis autem praedictis interpretationibus, nos cum quodam pio et erudito Doctore (*videnda apud a Lapid. sup. hunc loc.*) dicimus, quod ii qui in hac vita peculiari devotione servierunt beatae Virgini, ab ea singulari gloria, quasi veste duplici, donandi erunt in coelo. *Sicut*, en eius verba, *servi regis et reginae in curia regia certis vestibus et insignibus decorati procedunt, per quae agnoscuntur esse servi regis vel reginae, ac speciali purpura vestiti ambulant; ita in curia coelesti servi B. Virginis speciali ornatu et gloria, qua prae aliis discernuntur, fulgebunt, iuxta illud Proverb. vii.* Omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus.

25. Indubium est, angelos et sanctos in coelo pro hominibus intercedere. Verum quemadmodum ad Deum Patrem opus est Christi mediatione, de quo primario inquit Apostolus (*1. ad Timoth. cap. 2. v. 5*): *Unus est mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus*; ita pie tenendum est, nullam gratiam a Christo consequi, nisi sanctissima Virgine intercedente et mediante. Divus Clarevallensis abbas (*in serm. de duodec. stell.*) inquit: *Opus est mediatore ad mediatorem Christum Iesum; nec alter nobis utilior, quam Maria.* Immo consonum est Patrum doctrinae, quod angeli et sancti in coelo, qui sunt mediatores ministeriales et secundarii, cum aliquam gratiam implorant, opus habent auxilio et mediatione Deiparae: 1. quia cum omnes gratiae obtineantur vi redemptionis Christi, huius redemptionis pretium sanctissimae Deiparenti collatum est et concreditum. Id aperte docet divus Bernardus (*serm. de aquaeductu*) cum dicit: *Redempturus humanum genus, totum pretium contulit in Mariam..... totius boni plenitudinem in ea posuit, ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiae, si quid salutis, totum ab ea noverimus redundare*: 2. Posita Dei voluntate, de qua loquuntur Patres, nempe quod nulla gratia consequatur, nisi transeat per Mariam, sequitur quod non solum homines qui sunt in terra, sed etiam angeli et sancti qui regnant in coelo, si quid a Deo obtinere cupiunt, opus est ut fulciantur mediatione et auxilio Deiparae. De huiusmodi Dei voluntate loquitur divus Bernardus, cum inquit (*in serm. de aquaeductu*): *Sic est voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam*: alibi (*in serm. 3. in vigil. nativ. Dom.*) subiungit: *In ipsa adiutorium est, quia nihil nos Deus habere voluit, nisi per Mariam:* et divus Germanus Patriarcha Constantinopolitanus (*serm. de Zona Virg.*) sic Deiparam alloquitur: *Nemo est, cui donum concedatur, nisi per te.*

Ego autem puto, quod angeli et sancti, cum aliquid cupiunt, ad beatissimam Virginem recurrunt; ipsa autem eos ducit ad thronum Filii sui benedicti, ubi iidem tamdiu tacent, quamdiu tacet Deipara: statim vero ac ipsa loquitur, loquuntur etiam et sancti. Id innuit Anselmus Cantuariensis antistes, vel quicumque alius sit auctor sub eius nomine (*in dial. sup. pass.*); inquit enim: *Te tacente, o Deipara, nullus exorabit, auxiliabitur nemo: te intercedente, omnes exorabunt, auxiliabuntur omnes.* Igitur si beatissimae Virginis meditatione, beati in coelo facilius consequuntur quae postulant pro suis clientibus, recte ipsa quodammodo dicitur auxiliatrix etiam in Paradiso. Cui, post Deum, sit semper honor et gloria. Amen.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

V. TITULUS

S. MARIA CASTELLI

Ieremias propheta loquens de civitate Ierusalem, haec inquit (*c.6.v.2*): *Speciosae et delicatae assimilavi filiam Sion. Ad eam venient pastores et greges eorum; fixerunt in ea tentoria in circuitu.* Vatablus et Pagninus pro *speciosae*, vertunt, *mulieri, quae habitat in tentorio suo cum summa tranquillitate.* Haec verba, quamvis litteraliter intelligantur de vera urbe Ierusalem, tamen nemo vetat illa accommodare sanctissimae Deiparenti, quam Ecclesia non semel *filiam Sion* vocat, cum ad eam conversa, sic alloquitur (*in liturg.*): *Virgo filia Sion, quo progrederis? — Virgo filia Sion, tota formosa et suavis es*, etc. Imo potiori iure Deiparae, quam civitati Ierusalem, aptari possunt memorata verba: ipsa enim est mulier illa, quae *habitavit in tentorio suo cum summa tranquillitate;* nam nihil in se habuit, quod inordinatum esset, quodque hanc tranquillitatem posset perturbare. *Pastores et greges*, eia, ad eam veniamus! figamus in ea *tentoria in circuitu.*

Verum si Ieremias civitatem Ierusalem materialem et inanimatam assimilavit mulieri *speciosae et delicatae* animatae; aliquando contra animata *filia Sion* creaturis etiam inanimatis assimilatur. Divus Gregorius (*hom. 29. in Evang.*) docet, quod *omnis creaturae nomine signatur homo, omnis enim creaturae aliquid habet homo*: quid ergo mirum si sanctissima Dei Genitrix Maria et quibusdam creaturis etiam inanimatis assimiletur, et ab eisdem nomen mutuetur. Assimilatur profecto soli, lunae, stellis, mari, coelo, iridi: accommodantur ei epitheta methaporica virgae Iesse, fontis signati, floris, terrae sitientis, portae clausae, lilii, rosae Iericuntinae, velleris, nubeculae, aurorae, platani, libani, storacis etc. Cuicumque igitur creaturae, quae in se aliquam praerogativam continet, assimilari potest Deipara Virgo.

Virgo filia Sion, in praesenti tractatiuncula *cui comparabo te, vel cui assimilabo te* (*Thren. c.2.v.13*)? — Quoniam fidelium pietas *Castello* te, excelsam Deiparentem, comparavit, nos de hoc titulo aliqua delibare proponimus.

Verum haec vox *Castelli* diversas habet significationes: sumitur enim 1.° pro arce, seu turri; 2.° pro oppido seu suburbio, in quo diversae domus sunt, veluti unitae, et muro circumdatae; 3.° pro connexione diversarum partium alicuius machinae, seu molis; 4.° denique pro cacumine pontis magnae navis. — Hae sunt praecipuae significationes huius vocabuli. Nos de omnibus breviter pertractare pergimus; Deoque auxiliante, huiusmodi significationes Deiparae Virgini accommodabimus. In antecessum autem, de more, historicam narrationem cultus B. M. V. sub hoc *Castelli* titulo exponemus.

Historica descriptio cultus s. Mariae de Castello *in dioecesi nolana, et in dioecesi cassanensi.*

Ad Vesevi montis declivium, in dioecesi nolana, oppidum adest, quod italice dicitur *Somma*, et in eo quoddam Castellum. Venerabilis Pater Dominus Carolus Carafa, Congregationis Piorum Operariorum fundator, ut a terrenis negotiis avulsus, maiore animi contentione coelestibus vacaret, circa annum 1622 in eodem Castello suum fixit domicilium; ibique sacellum sive aedificavit, sive, ut alii ferunt, restauravit, ornavitque sacra supellectile; in eoquo lignum simulacrum beatissimae Virginis publicae Christifidelium venerationi exposuit. Temporis processu, alia de memorato P. Carolo Carafa divina providentia disponente, Sacellum aniedicium, quod ab icone B.M.V. et a loco, *Sanctae Mariae de Castello* nuncupabatur, custodiae cuiusdam eremitae concreditum fuit.

Ex libro, cui titulus, *Zodiaco Mariano del P. Serafino Montorio*, eruitur, quod cum anno 1631 ignivomus Vesevus flammarum globos eruumperet, integrum oppidum, ipsumque templum *sanctae Mariae de Castello*, eversum, et in cinerem redactum fuit. Post aliquot dierum lapsum, solum caput lignei simulacri inter rudera repertum fuit, et non sine prodigiorum comitatu, reliqua sacrae iconis pars constructa fuit, quae prius in ecclesia divi Laurentii, et deinde, Deipara ipsa praecipiente, in ecclesia *Castelli* rursus aedificata sumptibus Antonii Ursini comitis, circa annum 1650, collocata fuit.

Festum *sanctae Mariae de Castello* celebratur quotannis in dominica *in albis*, sive octava Paschalis resurrectionis; et fideles non solum ex propinquis, sed etiam ex dissitis civitatibus et oppidis illuc convolant, et innumera prodigia, Deiparae intercessione, consequuntur.

In dioecesi cassanensi adest castrum, quod a Livio denominatur *Siphaeum*, a Plinio *Aprusium*, et nunc dicitur *Castrovillari*. Civitatis

nomen huic pervetusto castro non immerito datum est. Una ex tribus parochialibus ecclesiis memoratae civitatis, *sancta Maria de Castello* nuncupatur; in eaque in duobus lapidibus tophinis Deiparae imago depicta cernitur; quae imago reperta fuit in quadam fovea, dum fundamenta pro cuiusdam aedificii constructione effoderentur.

Quidam ferunt, memoratam iconem a divo Luca depictam, et in Iconoclastarum persecutione in illa fovea reconditam fuisse. Ex illa sacrosancta effigie virtus admiranda prodigiorum prodit, ita ut quidquid e coelo desideretur, beatissimae Virginis *de Castello* patrocinio proculdubio obtineatur (*vide opus P. Montorii, cui titulus, Zodiaco Mariano*).

I.

Deipara recte nuncupatur sancta Maria Castelli, *si* Castellum *sumatur pro arce seu turri.*

1. *Castellum* sumi potest pro arce seu turri. Est autem aedificium altum, eminens, et bene munitum, ad quod, ingruente hoste, cives confugere solent. Sic Romani in hostium incursu ad castellum, sive turrem Capitolinam confugere in more habebant: sic Babylonenses ad castellum seu turrem Babel se in obsidione civitatis recipere solebant: et in libro II Paralipomenon legimus de Ioatam (*c.27.v.4*), quod ipse *urbes aedificavit in montibus Iuda, et in saltibus castella et turres.* — Verum in hostium tum spiritualium, tum temporalium continuis et terribilibus incursionibus, in quonam castello se recipient Christiani? Profecto in mystico castello protectionis beatissimae Virginis. Ibi tuti esse possunt, melius quam Romani in Capitolii arce; melius quam Babylonii in Babelitico castello. Ex illo castello possunt suos hostes insultare, illud Davidis (*Ps. 26.v.3*) usurpantes: *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum: si exurgat adversum me praelium, in hoc* (castello) *ego sperabo.*

2. *Castellum* est aedificium altum, et eminens: et quanto altius est, tanto facilius inde hostes, qui deorsum sunt, expugnari poterunt. — Sed quis Deiparae altior? Ipsi iure aptantur verba Canticorum (*cap. 7. vers.7*): *Statura tua assimilata est palmae:* quippe quia sicut palma proceritate et celsitudine reliquas arbores superat; sic benedicta Virgo longe omnem creaturam, sive angelicam, sive humanam excedit. 1.° Alta est ob gratiam. — De rege Assyriorum dixit Deus (*Ezech. cap. 32. v. 3*): *Ecce Assur quasi cedrus Libani... excelsus altitudine... cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei: abietes non adaequaverunt summitatem eius:* haec autem altitudo regis Assyrii non debet intelligi de statura personae, sed de celsitudine donorum. Sed animadvertendum est 1. quod rex Assur fuit altus relate ad alios homines reges 2. quod ipse decidit ab altitudine sua. Sed beatissima Virgo dici potest *Castellum* mysticum 1. elevatum, non super aliquas, sed super omnes creaturas, sive angelicas, sive humanas, 2. ipsa numquam decidit ab altitudine sua; immo in quovis momento suae vitae in hoc mundo excelsior fiebat. — Dixi, quod super omnes creaturas gratia elevata fuit Deipara: nam, inquit divus Thomas (*in 3. part. summ. quaest. 27. art. 1*): *Rationabiliter creditur, quod ea, quae genuit Unigenitum a Patre, plenum gratiae et veritatis, prae omnibus aliis maiora dona gratiarum, et privilegia acceperit.* Divus Bernardus (*in quod. ser.*) in eumdem scopum collimat, dicens: *Legimus Stephanum plenum gratia, et Apostolos plenos Spiritu sancto; sed longe dissimiliter a Maria.* Tandem divus Hieronymus (*in serm. ad Eust.*) inquit: *Bene plena gratia, quia ceteris per partes gratia praestatur; Mariae autem tota se infudit gratiae plenitudo.* Immo sancti Patres et doctores adfirmare non verentur, quod altitudo gratiae Mariae quodammodo coaequari potest altitudini gratiae ipsius Christi. Unde Isaias dicit (*c.30.v.26*): *Erit lux lunae sicut lux solis:* et divus Hieronymus (*ubi sup.*) subiungit: *In Maria totius gratiae, quae est in Christo, plenitudo venit;* cum hoc solo discrimine, quod Christus eam habuit per naturam, et Mater eius benedicta eam recepit per participationem. — 2. Hoc mysticum Castellum, nempe Deipara, altum fuit ob dignitatem. Sed quid de hac dignitate dici poterit? Bene divus Augustinus (*in quod. ser.*) inquit: *Si, o Virgo, coelum te vocem, altior es: si formam Dei te appellem, digna existis: si dominam angelorum, plusquam talis esse probaris.* Re quidem vera, sicut Filius Dei Iesus, uti ait Apostolus (*ad Hebr. c.1.v.4*): *Sedet ad dexteram maiestatis in excelsis, tanto melior angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen haereditavit;* sic Mater eius benedicta tanto melior angelis effecta est per divinam maternitatem, quanto differentius prae ipsis nomen haereditavit, scilicet nomen Matris Dei. Cui enim, sive sublimium principum inter homines, sive inter angelicas hierarchias, dixit aliquando Deus: Tu es mea primogenita Filia: tu es mea vera Mater: tu es mea dilectissima Sponsa?.. non Evae hominum progenitrici, non pulcherrimae Racheli, non fortissimae Iudith, non prudenti Abigail; non angelis, non seraphinis, non cherubinis; sed tantummodo benedictae Virgini Mariae haec dignitas collata est. Et, quod attinet ad solam maternitatem, quis unquam habuit maternitatem, firma remanente virginitate; et virginitatem cum maternitate, et maternitate divina, coniunctam? Sola Deipara Virgo *nec primam similem visa est, nec habere sequentem, gaudia matris habens cum virginitatis honore.* — 3. Huiusmodi castellum altum fuit ob merita. — Mysticae petrae, ex quibus efformatum fuit huiusmodi castellum fuerunt virtutes Deiparae, quae, mediante cemento gratiae, firmissime inter se adhaeserunt. Iam fundamenta huius mirifici castelli, profundissima ob humilitatem iacta fuerunt *in montibus sanctis. Multae filiae congregaverunt divitias*, idest virtutes; sed Deiparae solae dictum fuit (*Prov. cap. ult.*): *Tu vero supergressa es universas.* Nec fides Abrahae, nec iustitia Moysis, nec mansuetudo Davidis, comparari possunt cum virtutibus Deiparae. Sed quid dico

de hominibus? Puritas angelorum, amor ipsorum ardentium seraphim, coaequari Deiparae non potest. Brevi: si virtutes omnes cumulentur omnium hominum qui vixerunt, vel vivere debebunt a principio usque ad finem mundi: si etiam angelicarum creatararum dona, puritas, charitas, cumulentur; cumulus hic altissimus non potest coaequari, ne imae parti quidem, huius mystici altissimi Castelli Marianarum virtutum. Merito igitur divus Gregorius (*in lib.* 1. *Reg.*) illa verba explanans: *Erit praeparatus mons Domini in vertice montium*, sic eleganter loquitur: *Mons iste sublimis est Maria, quae meritorum verticem super omnes angelorum choros usque ad solium Deitatis erexit:* et divus Ioannes Damascenus (*or.*1. *de Nativ. Virg.*) subiungit: *Virgo est mons ille, qui collem omnem ac montem, idest angelorum omnium et hominum sublimitatem exsuperat: mons virtutum, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.* — 4. Denique castellum hoc mysticum altissimum est ob gloriam. Re quidem vera Deipara usurpare potest illud Ecclesiastici (*cap.* 24. *v.* 7): *Ego in altissimis habito*; et sicut ipsa omnes praecedit, sive angelos, sive homines beatos comprehensores, in altitudine gratiae, dignitatis, et virtutum; ita omnes praecellit in gloria, quippe quia thronum habet a dextris Filii sui Iesu Christi: immo ipse Christus in ea thronum suum collocavit, iuxta illud: *Veni electa mea, et ponam in te thronum meum* (*in liturg. Breviar.*).

3. Castellum est aedificium forte et bene munitum. Beata autem Virgo mysticum castellum est tam forte, et munitum, ut expugnari nullatenus possit. Re quidem vera ipsa est mulier fortis, quae (*Prov. cap.* 31. *v.* 19) *manum suam misit ad fortia*; ipsa est Castellum, seu *turris David, quae aedificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium* (*Cant. cap.* 4. *v.* 3): ipsa est illa, de qua videtur Isaiam dixisse (*cap.* 26. *v.* 1): *Urbs fortitudinis nostrae Sion: Salvator ponetur in ea, murus et antemurale.* Hoc Castellum fortissimum aedificatum fuit supra petram angularem, de qua dicit Apostolus (1.*Cor. cap.*10. *v.* 4): *Petra autem erat Christus.* Deipara autem, mysticum castellum, illud Psalmi (26. *v.* 6) assumere potest: *In petra exaltasti me.* Hinc beatissima Virgo, relate ad seipsam fortissima evasit a primo suae conceptionis instanti, ita ut numquam inimicus humani generis dicere potuerit (*Psal.* 12. *v.* 5): *Praevalui adversus eam.* Fortior ipsa fuit Iudith, fortior Iahel; et ipso Sampsone longe fortior.— Sed relate etiam ad confugientes ad se, hoc castellum fortissimum et inexpugnabile est. Qui habitat in hoc castello, in protectione illius mulieris commorabitur, quae a primo suae conceptionis instanti caput serpentis immaculato suo pede contrivit. Cadent a latere eius mille, et decem millia a dextris eius: verumtamen ad eum non approximabunt: non accedet huic castello malum, et flagellum ei non appropinquabit: quoniam angelis suis Deus mandavit, ut illud custodiant.

II.

Deipara est Castellum, *quod sumitur pro oppido, in quo diversae domus sunt velut unitae, et muro circumdatae.*

In immensa illa sanctarum Scripturarum gaza non semel de *Castellis* mentio fit. Hoc autem *Castelli* nomine, sicut saepe in Evangelio, sic etiam nos in praesentiarum, aliud non intelligimus nisi parvum oppidum diversarum domorum, muris cinctum (*vid. a Lap. in locis enunciandis*). Nos, missis locis omnibus veteris Testamenti, illud solum praetereundum non arbitramur, Dominum Iesum Christum in *Castellis* praeclara multa gessisse. *Castella* circumcursavit praedicans evangelium (*Matt.c.*9.*v.*35, *et Marc. c.*6.*v.* 6), etc.—; in *Castella* Cesareae Philippi, Simonem Petrum caput Ecclesiae constituit (*Mar.c.*8. *vers.*27): *Et egressus Iesus et discipuli eius in castella Cesareae Philippi, et in via interrogavit discipulos suos, dicens eis: Quem me dicunt esse homines?*— in Castello quodam decem viros leprosos mundavit (*Luc. cap.*17. *v.* 12): *Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi.* — Ad Castellum misit discipulos suos ad quaerendum asinum, super quem ingredi voluit Hierosolymam (*Matth. c.* 21. *v.* 2. *et Marc. cap.* 11. *v.* 2): *Ite in castellum, quod contra vos est etc.*— ad Castella misit Apostolos suos ad praedicandum Evangelium (*Matth. cap.* 10. *v.* 11): *In quamcumque civitatem aut castellum intraveritis, interrogate quis in ea dignus sit, et ibi manete, donec exeatis* —. In Castello Emmaus post resurrectionem suam duobus discipulis se manifestavit (*Luc. cap.* 24. *v.* 13): *Et ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Hierusalem, nomine Emmaus.* — Denique, ne nimis longum hoc praeloquium evadat, in Castello Bethaniae Christus Lazarum quatriduanum resuscitavit, uti legitur apud Ioannem (*cap.* 11. *v.*1): *Erat quidam languens Lazarus a Bethania, de castello Mariae et Marthae sororis eius etc.*: et in idem castellum etiam alias ingressus fuit; ibique dum Martha satagebat circa frequens ministerium, ut Domino convivium pararet, soror eius nomine *Maria, sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius*, et audire a Christo meruit (*Luc.c.*10.*v.*42): *Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea.*

Si ergo Castella adeo a Christo honorata fuerunt, ut in iis praeclara multa gerere non fuerit dedignatus; mirandum profecto non erit, si Deipara Virgo, inter reliquos titulos, etiam illud assumat *Castelli*. Re quidem vera divus Bernardus (*serm.* 2. *de Assumpt. B. M.V.*) uterum virginalem Deiparae castello comparat, cum illa verba Lucae explanat (*c.*10.28): *Intravit Iesus in quoddam castellum:* inquit enim laudatus doctor: *Quid introisse Christum dicimus in castellum? Etiam in angustissimum virginalis uteri diversorium introivit. Denique et mulier excepit illum in domum suam. Felix mulier, cuius domus, Salvatore suscepto, inventa est munda quidem, sed plane non vacua. Quis enim vacuam dixerit, quam salutat angelus gratia plenam etc.?* — Bene igitur nos Deiparam, *Sanctam Mariam Castelli* nuncupamus.

Ut rite et ordinate procedamus, bifariam thesim propositam demonstrare aggredimur. Vel in sanctissima Dei Genitrice considerare possumus mysticas domos, tum pro Iesu Christo qui in ea corporaliter et realiter habitavit, tum pro Christifidelibus, qui in eius corde quasi domicilium habere possunt; et sub hoc respectu ipse Deus, eiusque omnipotentia, sumi poterit pro muro huiusmodi mysticas domos circumcingente. Vel animae ipsorum Christifidelium accipiuntur pro domibus, in quibus beneplacitum est Deo inhabitare; et beatissima Virgo accipi poterit pro muro has domos circumvallante. — In utraque autem acceptione Deipara semper erit *Castellum*, quod est oppidum seu suburbium, in quo diversae domus sunt, velut unitae, et muro circumdatae.

1. Quod beatissima Virgo dicatur domus in numero singulari, novum esse non potest, etiam tyronibus in sacrarum Scripturarum lectione. Re namque vera in libro Proverbiorum (*cap.* 9. *v.* 1) habentur haec verba: *Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem.* Per hanc autem domum myslice Deiparam intelligi, Ecclesia ipsa, et fere omnes Patres et interpretes docent. Equidem in sacra liturgia haec verba habentur: *Domus pudici pectoris templum repente fit Dei.* Andreas Cretensis (*orat. in Salutat. Angelic.*) Deiparam vocat *consecratum Regis palatium:* Divus Ambrosius (*lib. de instit. Virg.*) *aulam Regis aeterni.* Sic etiam eidem beatissimae Virgini aptantur verba regii Psaltis (*Psal.* 92. *vers.* 5): *Domum tuam, Domine, decet sanctitudo.* Si enim domus aedificium est, in quo habitatur; beatissima Virgo domus dici potest, in qua Deus habitare voluit. Haec difficilia non sunt intellectu. Verum quomodo Deipara Virgo comparari poterit oppido, in quo diversae domus sunt, veluti unitae et muro circumdatae, ita ut etiam in hoc sensu dici possit iure merito castellum?— Hoc nos pro nostra tenuitate demonstrare aggredimur: et ut facilius nostrum scopum attingamus, illud Davidis (*Ps.*47.*v.*4) eidem beatae Virgini aptamus: *Deus in domibus eius cognoscetur*; et uti lectio Hebraea habet: *Deus in palatiis eius cognoscetur.* Quaenam igitur sunt huiusmodi domus Dei?— 1. dici potest, quod tres potentiae animae sanctissimae Virginis; quinque sensus eius immaculati corporis; et omnia virginalia eius membra, totidem domus Dei dici possunt:— 2. possumus affirmare, quod quaelibet trium Personarum sanctissimae et individuae Trinitatis domum habuit in Deipara:—3. convenientius ad nostrum argumentum, asserimus, quod in corde immaculato sanctissimae Virginis adest domus pro Deo, qui ibi habitare voluit, non solum per suam gratiam, sed in ea carnem humanam assumendo; sed insuper adsunt etiam totidem domus et veluti mansiones, quot sunt homines eius filii.—Quemadmodum autem in templo a Salomone aedificato tres aderant partitiones. Prima vocabatur Hebraice *Debir*, idest *Oraculum*, seu *Sanctum Sanctorum*, ubi Arca asservabatur; ibique solus summus Pontifex accedere poterat. Secunda Hebraice dicebatur *Hecal*, idest *Templum* sive *Sanctum*, ubi Sacerdotes manebant. Tertia Hebraice *Ulam*, idest *Atrium* nuncupabatur, ubi populus Iudaicus consistebat. Adhaec pro immundis et Gentilibus aliud *atrium* extimum aderat, quod erat remotissimum a sancto. Huiusmodi autem partitiones erant quodammodo domicilia et mansiones, tum pro Deo, tum pro Sacerdotibus, pro Iudaeis, et etiam pro ipsis Gentilibus (*vid.a Lap. sup.l.*3. *Reg.c.*6). Ad eumdem modum in Deipara benedicta, mystico Dei templo, adsunt veluti domicilia et partitiones pro omnibus. *Oraculum* seu *Sancta Sanctorum* intelligi potest uterus suus virginalis, in quo *Pontifex futurorum bonorum* (*ad Hebr.c.*9.*v.*11) ingressus, et per novem menses commoratus fuit.—In corde insuper immaculato beatissimae Virginis adest etiam *Templum*, seu *Sanctum*, domicilium coetui sacerdotum et clero destinatum: adest quoque *Atrium* pro universo populo Christiano, ac praesertim pro iustis; nec deest aliud *Atrium* extimum pro ipsis peccatoribus, pro haereticis, et etiam pro infidelibus. Quis igitur non videt in utero et corde benedictae Virginis Mariae diversas mysticas domos?—Harum autem domorum murus est Deus ipse, vel eius omnipotentia, quemadmodum docet Isaias cum dicit (*c.* 26. *v.*1). *Urbs fortitudinis nostrae Sion Salvator, ponetur in ea murus et antemurale*; et Ecclesia fatetur in sacra Psalmodia: *Muro tuo inexpugnabili circumcinge nos Domine.*

2. Anima uniusciusque isti dici potest domus et taberbernaculum Dei, quippe Deus in ea inhabitat, et quasi per suam gratiam perambulat. Legimus enim in Levitico (*c.*26 *v.*11): *Ponam tabernaculum meum in medio vestri, et non abiiciet vos anima mea. Ambulabo inter vos, et ero Deus vester.* Quin et ipsum corpus nostrum domus et templum Dei est, ubi Deus inhabitat, iuxta illud quod docet Apostolus (1.*ad Cor.cap.*6.*v.*19): *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti?* et ibidem (*c.* 3. *v.* 6): *Templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis.*

Harum autem domorum murus circumcingens est Maria. De ipsa loquebatur Sponsus in Canticis Canticorum dicens (*c.*8.*v.*9): *Si murus est, aedificemus etc.*; et ipsa subiungit (*eod. cap.v.* 10): *Ego murus, et ubera mea sicut turris.* Unde a Lapide (*sup. memorat. loc.*) inquit: *Beata Virgo habuit pectus virile, et forte instar muri;* et Guilielmus (*vidend.ap.a Lap. memorat. loc.*) sic ipsam Virginem Mariam loquentem inducit: *Omnibus ad me confugientibus, non tantum murus sum ad muniendum, sed et mater ad nutriendum.*

Patet igitur, quod merito Deipara nuncupari potest *sancta Maria Castelli*, si Castellum sumatur pro oppido, in quo diversae domus sunt unitae, et muro circumdatae.—Verum huiusmodi domorum pluralitas, velut in corde suo unitur, et circumdata est muro suae protectionis: Nec noviter ipsa in sacris Scripturis dicitur murus: nam in Canticis Canticorum (*cap.* 8. *v.* 9). Sponsus de ipsa dicit, uti nuper innuimus: *Si murus est, aedificemus ei propugnacula argentea:*

UNIVERSIDAD DE NAVARRA

et ipsamet Virgo paullo inferius (c.8.v.10) de se dicit: *Ego murus, et ubera mea sicut turris.*

III.

Deipara est Castellum, *quod sumitur pro connexione diversarum partium alicuius machinae.*

In mechanicis disciplinis haec vox *Castellum* ad diversas significationes adhibetur: sumitur enim aliquando pro machina destinata ad sursum trahendum aliquod pondus: interdum per *Castellum* intelligitur machina quaedam mobilis, quae a loco ad locum transfertur: quandoque accipitur pro instrumento quodam horologii, quo binae columnulae coniunguntur. Semper autem est machina diversis partibus constans.

1. In primis asserimus, Deiparam esse mysticum *Castellum* diversis partibus constans.—Iam quilibet homo potest dici mysticum *Castellum*, quippe quia constat anima cum respectivis potentiis, et corpore cum propriis sensibus. At benedicta Dei Genitrix potiori iure *Castellum* dici debet, nam non solum in ipsa collectae, et veluti coagmentatae sunt omnes praerogativae quarumcumque creaturarum, sed Deus ei communicavit etiam proprias. Incipimus a creaturis inanimatis. Sol ei contulit splendorem; luna pulchritudinem; stellae ornatum et diadema; cedrus incorruptionem; storax cinnamomum, et balsamum odorem; palma proceritatem; argentum et ebur nitorem; aurum pretiositatem etc.—Gradum facimus ad creaturas animatas, sed irrationabiles: a columba mutuata est oculorum micantiam; ab aquila volatum in contemplatione; ab ape dulcedinem, et virtutem eligendi quod melius est etc.—Creaturae rationales humanae illi contulerunt suas individuales dotes: Rachel pulchritudinem; Iudith animi robur; Iahel fortitudinem; Rebecca prudentiam; Esther gratiam etc.—Quid dicam de angelicis creaturis? Seraphim ei contulerunt suum ardorem in charitate; Cherubim scientiam; throni firmitatem; dominationes potestatem etc. brevi. Si: *Omnis creaturae nomine signatur homo; omnis autem creaturae aliquid habet homo*, uti docet divus Gregorius (*ho.29.in Evan.*); Deipara Virgo non tantum *aliquid*, sed singulas praerogativas memoratarum creaturarum in gradu heroico possedit.—Sed quid dixi? Non solum *omnis creaturae* speciales dotes habuit sanctissima Dei Genitrix, sed etiam ipsius *Creatoris* illi participatae fuerunt proprietates. Aeternus Pater ei suam communicavit foecunditatem, et potentiam generandi Filium, salva semper manente virginitate; Filius illi suam detulit sapientiam; Spiritus sanctus suum ei impertitus fuit amorem. O igitur mirabile *Castellum*, non solum constans singulis praerogativis diversarum creaturarum, sed etiam ipsius Dei!

2. Quoniam autem *Castellum*, uti superius innuimus, destinatur ad pondera sursum trahenda, operae pretium est etiam sub hoc respectu tantisper immorari, et hanc significationem sanctissimae Deiparenti accommodare.—Iam Apostolus iniquitatem pondus appellat (c. 12. v. 1): *Deponentes*, inquit, *omne pondus, et circumstans nos peccatum*. Nos igitur ob commissas iniquitates ponderosi quodammodo facti sumus, adeo ut ad coelum ascendere nequeamus. Verum Deus constituit in alto, veluti quoddam *Castellum*, quod per funes misericordiarum ab inferis trahit hoc pondus ad superna. Hoc *Castellum* primario adest in Christo Iesu crucifixo, de quo praedixerat Osee (c.11. v.4): *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis, et ero eis quasi exaltans iugum*; et ipse Christus vaticinatus fuit apud Ioannem (c.12. v.32): *Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.*—Post Christum Dominum, nemo melius Deipara Virgine est mysticum *Castellum*, trahens peccatores a terra ad coelum per suum validissimum patrocinium: peccator siquidem impotens est ad ascendendum ad Deum. Statim ac autem ad Deiparam illa verba Canticorum dirigit (*cap.1.v.3*): *Trahe me post te*, per huiusmodi mirabile *Castellum* a profundo coeno peccatorum ad poenitentiam, et a poenitentia ad coeleste regnum trahitur.

3. *Castellum* dicitur quandoque machina mobilis, seu quae a loco ad locum transfertur ad aliquod opus conficiendum. At praeclarissima Dei hominumque Parens, quoad vixit, profecto mysticum *Castellum* fuit, translatum nunc a Nazareth in domum Elisabeth, ubi attulit gratiam; nunc in Bethleem, ubi in lucem edidit Christum; nunc in templum Hierosolymitanum, ubi Filium suum Deo Patri obtulit; nunc in Aegyptum, ubi divinum infantem a saevitia liberavit Herodis; nunc in Cana Galilaeae, ubi miraculum conversionis aquae in vinum pro sponsis impetravit; nunc ad Calvariae montem, ubi simul cum Filio suo in mundi redemptione cooperavit; nunc tandem in Hierosolymitano coenaculo, ubi suis precibus Spiritum sanctum, suum Sponsum, super Apostolos, Ecclesiamque imploravit. Brevi: sicut arca foederis antiqui nunc in domum Obededom, nunc in agrum Iosue Bethsamitae, nunc in castra, huc illucque transferebatur, instar portatilis *Castelli*; ad eumdem modum benedicta Virgo, dum adhuc in terris ageret.

Sed nunc, cum sanctissima Dei Genitrix regnat in coelis, nonne etiam quodammodo mobile *Castellum* apparet? Ubicumque vocatur, accurrit. Accurrit in mari, cum tempestatibus insurgentibus, *Stella maris* salutatur (*in hymn.*), et incolumes suos clientes ad portum deducit: accurrit in praelio, *terribilis ut castrorum acies ordinata* (*Cant.cap. 6.v.3*), cum eius patrocinium imploratur: accurrit in dubiis rebus, quando ad eius magisterium recurritur; et tunc *consilium eius sicut fons vitae permanet* (*Eccli.cap.21.v. 16*): accurrit in egestate, si fidenter ad maternum eius sinum confugitur; tuncque fit *quasi navis institoris de longe portans panem suum* (*Prov.cap.31. v.14*): accurrit invocata ab aegris, vel in ipso extremo agone, dum *Salus infirmorum* salutatur (*in*

litan. Lauretan.). O igitur *Castellum* vere mobile praeclarissimum!

4. Denique *Castellum* dicitur illud alicuius machinae instrumentum quod diversas partes coniungit.—Videamus igitur, num sub hoc respectu etiam conveniat, Deiparam mysticum *Castellum* nuncupari.

Licet Deus et homo natura infinite distent, tamen in ipsa creatione Deum homini gratia coniunxit. Homo vero per peccatum a Deo seiunctus fuit, adeo, ut Deus illi potuerit dicere (*Is.cap.59.v.2*): *Iniquitates vestrae diviserunt inter vos, et Deum vestrum.* Verum in hoc rerum statu exurgit beatissima Virgo veluti mysticum *Castellum*, et Deum iterum homini coniungit per sanctam reconciliationem, quam impetrat. Convenienter igitur divus Claravallensis Abbas (*in ser. de Assumpt.*) inquit: *Pretiosum munus terra nostra direxit in coelum, ut dando, et accipiendo, amicitiarum felici foedere copulentur humana divinis, terrena coelestibus.*

IV.

Castellum *sumitur etiam pro cacumine pontis magnae navis; et in tali significatione haec vox Deiparae accommodari potest.*

Mysticam navem esse beatissimam Virginem nemo dubitabit, cuius navis nauclerus est Spiritus sanctus; cuius arbor magistra, Crux Filii sui; cuius velum insufflatum fuit a vento gratiae; anchora, spes; remi, sancti affectus. De ipsa intelligi possunt verba Proverbiorum (c.31.v. 14): *Mulierem fortem quis inveniet?... Facta est quasi navis institoris de longe portans panem suum.* Navis, inquam, fuit beatissima Virgo, non triremis: nam sicut illa vento agitur; haec vero nonnisi adhibitis remis, et labore remigantium; non dissimiliter illud interfuit discriminis inter beatam Virginem et reliquos sanctos, quod hi fuerunt veluti triremes, quia summo labore, ex renitentia carnis, et fomite peccati orto, ad coelestis patriae portum perrexerunt; sanctissima autem Dei Genitrix, instar navis, placido Spiritus sancti vento, ac suavissima aura acta fuit, uti inquit doctissimus Carthagena (*de Assumpt. B. V. lib. 14. hom.6*). Quid plura? Sicut olim tempore diluvii, solum in navi Noetica, idest in arca, salus haberi potuit, ita inundante diluvio divinae indignationis, nemo salvatur, nisi in hac mystica Mariana navi.

Notatu dignum est, quod Iesus quondam ascendit in *navim*, et ex ea turbas docuit (*Mar. c.6*). Nonne autem in mari huius mundi Christus suo exemplo, ac praesertim humilitate, praedicavit ex navi, idest ex Mariae utero virginali? Haec navis nunquam naufragium passa fuit: imo nequidem tempestates habuit concupiscentiarum. De hac navi, quicumque sit sensus sacri textus, nos dicere possumus quod fortasse Salomon loquebatur, cum asseruit difficultatem intelligendi *viam navis in medio mari*. Numquidnam tam rarae sunt naves in mari, ut sapientissimus rex id intelligere nequiverit?. Minime quidem. Sed hoc illi, uti sentio, difficile visum esse dici potest, quod Mariana navis sine ulla tempestate, incolumis ad portum appulerit.

Quamvis autem dicere possimus, quod pons huius magnae navis fuerit ipsa Deipara, tamen convenientius existimamus per navem tropologice sanctam Ecclesiam intelligere. Re quidem vera divus Chrysostomus docet, quod *navis in fluctibus est Ecclesia, quae iactari potest, mergi non potest.* Si autem in mari huius mundi, dum sumus in hac navi, *incurrimus scopulos tribulationum; si insurgunt venti tentationum*, quid agere debemus?.—Divus Bernardus docet, in huiusmodi periculis respiciendam esse stellam, vocandam Mariam.

Tandem huius magnae navis, idest sanctae Ecclesiae, quodnam est mysticum *Castellum*, seu pons?. Si pons in subiecta materia est illa navis pars, ad quam, vel per quam transitur ad aliquem locum, audiatur divus Proclus Episcopus (*ser. de Deip.*): *Pons, per quem Deus ad homines descendit, et homo ascendere potest ad Deum est sancta Maria Dei Genitrix.* Theodorus autem Studita (*in canon. Ode 7. Bibl. Lugd. tom.14. pag.899. col.2. lit.5*) de illa dicit: *Pons securus Christianorum.*

Iure igitur sub descriptis significationibus titulus *sanctae Mariae Castelli* Deiparae competit; cui, post Deum, sit honor et gloria in saecula. Amen.

VI. TITULUS

S. MARIA CANTELLI

Divus Ioannes Evangelista in sua Apocalypsi (*c.* 1. *v.* 13) se vidisse testatur, *in medio septem candelabrorum aureorum, similem filio hominis, vestitum podere, et praecinctum ad mammillas zona aurea*. Doctissimus a Lapide (*sup. hunc loc.*) per illum, qui dicitur *similis filio hominis*, Christum intelligit, qui in similitudinem hominum factus est, dum habitu inventus est ut homo; phrasis enim Hebraica *similitudo* veritatem rei significat. Ipse autem vestitus erat *podere*, idest tunica talari hyacintina summo Pontifici propria. *Zona aurea* vero, qua ad mammillas usque praecinctus erat, designabat regiam Christi dignitatem (*c. Calmet sup. hunc loc.*).

Si Christus, qua futurorum bonorum Pontifex, vestitus erat *podere*, et qua etiam rex regum, *zona aurea* praecinctus apparuit; quis vetat etiam illius dulcissimam matrem nostrae mentii repraesentare *podere* ornatam, idest quodammodo sacerdotali dignitate insignitam? Equidem ipsa a Damaso (*in men. graec. die* 1. *Ian.*) *summa Antistita nuncupatur*; a divo Anselmo (*de quat. virt. B. M. V.*) *Apostola Apostolorum*: et si sacerdotes ordinantur ut offerant dona et sacrificia, de illa, filium suum Iesum Christum in templo praesentante, d. Bernardus inquit (*se.* 3. *de purif.*): *Hodie placabilis et Deo placens hostia Virginis manibus offertur.* — Verum non solum pontificalis et sacerdotalis vestis Deiparae iure merito competit, sed etiam *zona aurea*, regum insigne: inquit enim divus Athanasius, vel quicumque alius sub eius nomine scripserit (*serm. de Deip.*): *Si Christus est rex, qui natus est de Virgine, Virgo ipsa et mater, quae eum genuit, regina et domina proprie et vere censetur.*

Quamvis autem beatissima Virgo, utpote regina, et ob alias etiam praerogativas, *zona* seu *cinctura* aurea iure merito ornari potuisset, tamen summo Deo placuit, illam humilitate potius, quam regiis insigniis distingui. Nos aliquibus innixi non levis ponderis auctoritatibus, plures zonas, seu cincturas Deiparam adhibuisse existimamus. Ante Filii sui obitum, cingulo ex bysso candidissimo, et non sine aliquo modesto ornatu, lumbos suos illam praecinxisse censemus. Id colligimus ex Eutymio monacho (*ap. Metaphrast.*), qui sic testatur est: *Laudatur Zona Virginis, quae annos plusquam nongentos illaesa atque integra perseverat, cui nequaquam infuscatus est color, quae vincit splendore nivem, talemque se videntibus exhibet, qualis ex manu prodiit artificis. Ea se coeli Regina revera, ut ordinavimus, cinxit.* — Haec *zona* circa annum 1109, quando idem Euthymius vivebat, adhuc colebatur in tempo Constantinopoli a Pulcheria Augusta, Arcadii filia magnificentissime extructo, uti testatur Nicephorus (*l.* 14. *c.* 4). Hanc *cincturam* sancti Patres miris laudibus extulerant, praesertim s. Germanus patriarcha Constantinopolitanus, qui in eius honorem insignem orationem habuit, quam habes ex Metaphraste apud Surium (*tom.* 4. *die* 31. *Aug.*).

Constantinopoli per Turcas occupata, seu etiam antequam in extremam istam direptionem veniret, Romani hanc *Zonam* sibi vindicarunt; quemadmodum testatur Onuphrius (*l. de sept. eccl.*). Praeter hanc *Zonam*, etiam Aquisgranenses, Burgenses, Atrebatenses, et Tungrenses Eburonum alias cincturas Deiparae se asservasse contenderunt; quae contentio facili negotio extinguitur, si ita res explicetur, scilicet, vel plures *zonas* Virgini fuisse, quod probabile est; vel aliam fuisse ei *zonam*, qua lumbos perstrinxit, aliam, qua ipsa uti Hebraea sponsa utebatur, quae *fascia pectoralis* dicebatur; unde in Hieremia (*c.* 2. *v.* 32) legitur: *Numquid obliviscetur virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciae pectoralis suae?* vel denique si dicatur, unam zonam in diversa frusta dissectam, in diversis locis asservatam fuisse. — Etiam Panormi alia sacra Cinctura beatissimae Virginis venerari testatur quidam auctor societatis Iesu (*Diotallevi, Trattenimenti spirituali part.* 1. *tratten. XV.*); verum haec non fuit vestis Deiparae, dum in terris commorata est, sed illam de coelo detulit quidam feminae infirmae, circa annum 1325 (*vide memorat. Diotallevi*).

Nos in praesenti tractatiuncula de praedictis *zonis* solemnibus seu festivis sermonem non instituimus, sed tantum de illa, qua sanctissima Dei Genitrix usa fuit, postquam Filio suo benedicto orbata remansit: tunc enim ipsam, non aliam *cincturam, zonamque* quam pelliceam vel coriaceam adhibuisse traditur, ad lunicam circa lumbos constringendam.

Cuius sacrae *Cincturae*, seu *baltei*, quoniam in Ecclesia catholica percelebris est memoria, idcirco nos heic de illa pertractare constituimus. Praemissa igitur de more historica narratione cultus, perspiciemus 1.° in sacra *Zona*, seu *Cinctura*, qua Deipara lumbos suos praecinxit, symbolum donorum et virtutum, quibus ipsa cumulatissime ornata fuit. 2. in sacra *Cinctura*, quam Deipara beatae Monicae divi Augustini genitrici, aliisque sodalibus

Cincturatis donavit, symbolum patrocinii, quod promittit, et virtutum, quas requirit in iis, qui eodem cingulo praecinguntur.

Historica narratio cultus sacrae Cincturae, *seu* Zonae *Deiparae Virginis.*

Paulinus Bergomensis (*in vita divae Monicae*), **Maigretius** (*in libro, cui tit. Area honoris Christi et Sanctor. PP.*), **Staibanus** (*in sacro diario indulgentiarum etc. Cincturatorum Venet.* 1701. *cap.* 2. §. 2), **Diotallevi** (*Trattenimenti spirituali part.* 1. *tratten. XV*), aliique scriptores, referunt, divam Monicam, Hipponensis Doctoris matrem, defuncto Patricio suo coniuge, maiori alacritate constituisse rebus tantummodo spiritualibus vacare. Enixe igitur Dei sanctissimam Genitricem deprecata est, ut ei dignaretur ostendere, non modo qua ratione posset eam in virtutibus internis, verum etiam in externo corporis ornatu, imitari. Benignissima Virgo precibus annuit supplicantis famulae, eique Tagaste se aspiciendam praebuit in illo habitu, quo indutam se fuisse adfirmavit, postquam Filius suus Iesus Christus ex hac vita migravit, scilicet in veste stragula et oblonga pulli et obscuri coloris, *zona* ex corio praecincta. Subiunxit etiam, sibi quammaxime gratum fore, si tum ipsa, tum suus filius Augustinus, tum pia familia ab eo instituenda, in sui memoriam memorato cingulo uterentur. Verum Augustinus statim ac catholicam fidem amplexus fuit, illico per manus divi Ambrosii Mediolanensis Antistitis sacram Cincturam accepit, eaque se praecinxit, uti paulo inferius exponemus.

Quod revera hoc habitu Deipara Virgo ornata fuerit, conici potest ex pervetustis simulacris, ac praesertim ex illo, qui in aede Lauretana colitur, quod a divo Luca efformatum fuisse traditur: in iis namque tunica est pulli et subobscuri coloris; quae tunica praecincta est *zona* seu *cinctura* pellicea, cuius extrema pars per fibulam educta, ad terram usque demissa est.

Festum sacrae *Cincturae* Deiparae, seu B. M. V. de Consolatione, praecipue a Fratribus eremitis divi Augustini, et a Sodalibus Cincturatis celebratur in Dominica immediate sequente solemnitatem divi Augustini. Ad finem VI lectionis in Breviario pro dictis Fratribus haec verba leguntur: *Cuius divino instinctu sanctus Pontifex et doctor Ambrosius, postquam Augustinum sacro baptismate expiavit, novum hominem novis vestibus induit, cucullaque nigra, et cingulo ex corio, ipse, ut fertur, praecinxit. Huius autem sacri cingulo ornamentum postea religio Augustiniana semper gestavit, in signum devotionis erga beatam Virginem Mariam, sanctum Patrem Augustinum, piamque eius matrem Monicam, ita ut Eugenio IV adprobante, fuerit instituta societas Cincturatorum sanctorum Augustini et Monicae; et alia similis sub invocatione beatae Mariae Virginis de Consolatione, quas Gregorius XIII in unum corpus redegit; ac Sodalitium Cincturatorum beatae Mariae Virginis voluit appellari, illudque tum Gregorius ipse, tum multi alii eius successores innumeris gratiis et privilegiis cumularunt.* Ex dictis erui tur ambas festivitates, nempe Cincturae, et S. M. Consolationis coniunctas fuisse, ea fortasse ratione, quod Deipara per sacri sui Cinguli traditionem consolata est divam Monicam, et cunctum Cincturatorum sodalitium.

I.

Sacra zona *seu* Cinctura, *qua Deipara lumbos suos perstrinxit, symbolum est donorum, quibus ipsa cumulatissime ornata fuit.*

Quod revera benedicta Virgo, post Filii sui obitum, sacra *zona* seu *Cinctura* usa fuerit, eaque pellicea seu ex corio, praeter ea quae superius exposita sunt, colligitur etiam ab uncloribus, qui tractant de re vestiaria Hebraeorum. Nos unum Calmetum seligimus, qui (*in dissertationibus, et in dictionario*) observat, duobus potissimum vestium generibus Hebraeos uti consuevisse, nempe tunica, et pallio: tunicam subuculae loco habebant; pallio pro extima veste utebantur. Iisdem vestibus viri aeque ac mulieres ornabantur, cum hoc tantum discrimine, quod virilis tunica intra genua non demittebatur, et manicas habebat breviores, nec intra cubitum; muliebris vero stragulata et longior erat, manicasque habebat ad oram amplissimas, inde vero ad humeros usque sensim strictiores. Adhaec tunicae muliebres ornamentis distinguebantur; et insuper ipsae velis tegebantur. In funeribus sacco seu funibus Hebraei accingebantur. Tempore vindictae, seu in aliis adversitatibus color vestium solebat esse pullus seu obscurus.

Cum domi se continerent, tum viri, tum mulieres stragulam vestem fluere sinebant; domo vero exeuntes, sive in agrum, sive ad iter proficiscentes, ne longior vestis impedimento esset, cingulo seu balteo adstrictam coercebant.

Cinguli varia erat materies et pretium, pro dignitate personarum, et diversitate circumstantiarum. Principes, nobiles, sacerdotes, pretiosioribus zonis seu cincturis; Prophetae et tenuiores quique, tum viri, tum mulieres, pelliceis cingulis utebantur.

His praelactis fundamentis, prono alveo fluit, sanctissimam Nazarenam Virginem, Christi Parentem, cingulo lumbos suos immaculatos perstrinxisse, uti etiam heic in antecessum innuimus. Nunc, ut aliquid de hoc argumento delibare possimus, in primis adfirmamus, quod videtur, Deum ipsum huiusmodi balteo seu *cinctura* illam donasse

Regius Psaltes (*Ps.* 17 *v.* 33) haec habet: *Deus qui praecinxit me virtute, et posuit immaculatam viam meam.* Versio Chaldaica sic transfert: *Deus, qui accingit me cingulo in virtute.* Licet in hoc Psalmo David loquatur de fortitudine, quam ipse a Deo habuit, indubium tamen est, sanctam Ecclesiam praefata verba in liturgia Deiparae opportunissime adhibere. Ipsa equidem beatissima Virgo vertus quam Rex-vir-

tes, asserere potest, Deum se tanta virtute, donorumque varietate prae ceteris creaturis ornasse, ut *fundamenta eius in montibus sanctis constituta sint* (*Ps.* 86 *v.* 1): de ipsa insuper in toto verbi rigore potest adfirmari, quod Deus *posuit immaculatam viam eius.*

Zona vero, seu *Cinctura*, qua Deipara a Deo donata fuit, optimo iure ei congruit.

1. Congruit ei *Zona* seu *Cinctura* regia. — Ex libro 1. Regum (*cap.* 17 *v.* 39) coniicimus, reges cingulo seu balteo praecingi consuevisse: missa enim auctoritate Iob (*cap.* 12. *v.* 13), qui inquit, quod *Deus*... *balteum regum dissolvit*, in dubium verti nequit, quod Saul inter alia sua vestimenta, quibus Davidem mox cum Goliath pugnaturum induit, etiam cingulo lumbos suos perstrinxit. David autem *accinctus... coepit tentare si armatus posset incedere etc.* Huiusmodi cingulum pretiosum nimis proculdubio esse debebat, et forsan gemmis etiam ornatum. Hinc cum Vates regius Dominum regnantem exhibet, praecinctum etiam illum adfirmat (*Ps.* 92. *v.* 1): *Dominus regnavit, decorem indutus est; indutus est Dominus fortitudinem, et praecinxit se.* Hinc *Filius hominis*, qui est etiam *Rex regum* (*Apoc. cap.* 19 *v.* 16) visus fuit a Ioanne (*cap.* 1. *v.* 16) *praecinctus zona aurea.*

Si regibus igitur *zona* seu *Cinctura* congruit, illam Deiparae profecto denegare non possumus, utpote reginae.. Ipsa regali exorta est progenie; unde opportune Evangelista Matthaeus Christi genealogiam texens, illum filium Abraham, qui si non fuit rex verbo et nomine, dubitari nequit quod talis fuerit re, uti docet a Lapide (*in cap.* 1. *Matth.*); et filium David, aliorumque, qui reges et nomine et re fuerunt, inducit. — Adhaec benedicta Virgo Mater vera est illius quem Magi non alio titulo inquisierunt, nisi regis (*Matth. cap.* 2 *v.* 2): *Ubi est qui natus est Rex?..* illius Mater est, quem turba non alio titulo conclamavit, nisi regis (*Io. cap.* 12. *v.* 13): *Benedictus, qui venit in nomine Domini, rex Israel..* illius denique Genitrix extitit, quem Pilatus ipse regem denunciavit (*Io. cap.* 19 *v.* 15): *Regem vestrum crucifigam?* (*Io. cap.* 19. *v.* 19): *Posuit causam illius scriptam: Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum.* — Denique Deipara non solum est Regina iure haereditario, utpote exorta ex progenie David, nec solum quia Mater Christi regis, sed etiam, uti docet clarissimus Bernardinus de Bustis 1. iure belli: ipsa enim arma subministravit, nempe humanam carnem et sanguinem, ei, qui a divo Paulo (*ad Colos. cap.* 2. *v.* 15) exhibetur *expolians principatus et potestates:* 2. iure emptionis: nam si Christus emit nos pretio sanguinis, pretium illud ipsi a Matre subministratum fuit; 3. tandem iure electionis: nam si Christus assumit illud regii Psalmis (*Ps.* 2. *v.* 6): *Ego autem constitutus sum rex ab eo etc.*, Deipara etiam potest usurpare: *Ego autem constituta sum regina ab eo*, nempe a Deo, qui talem me elegit et praeelegit *super Sion montem sanctum eius.* Iure merito igitur saucta Ecclesia reginam salutat inclytam Deiparentem; adeoque ei regalis Cinctura debetur.

2. Congruit Deiparae Zona, seu *Cinctura* Pontificalis et Sacerdotalis. — In veteri pacto sacerdotes pretiosa zona seu cingulo donabantur. Equidem Moysi sic mandavit Deus relate ad vestes sacerdotum (*Exod. cap.* 28 *v.* 4): *Haec autem erunt vestimenta: Rationale et superhumerale, et tunicam strictam lineam, cidarim et balteum.* Huiusmodi *balteum* seu cingulum ex cocco, et purpura, hyacintho, et bysso variegatum opere phrygio, contextum erat ex variis coloribus, uti testatur Ioseph Hebraeus (*lib.* 3 *Antiq. cap.* 8). Praedictae vestes erant communes omnibus sacerdotibus. Summus sacerdos vero duplicem habebat *zonam* seu *cincturam;* internam unam ad cingendam tunicam interiorem vulgari sacerdotum prorsus similem; alteram pretiosiorem auro intextam, qua tunica hyacinthina adstringebatur, ipsi Ephod, cuius erat pars, coniuncta.

At Deiparae Virgini iure merito aptandam censemus *Zonam*, seu *Cincturam*, tum vulgarem sacerdotum omnium, tum peculiarem summi Pontificis: ipsa equidem a d. Epiphanio nuncupatur (*serm. de laud. Deip. dub.*): *Sacerdos pariter et Altare.* Eadem de genere, non modo regum, sed etiam sacerdotum, omnes veteris legis sive sacerdotes, sive Pontifices longe superavit; imo quodammodo dici potest, quod ipsa, omnium prima, constituta fuit ad officium, ad quod destinantur sacerdotes, et ipse supremus Pontifex. Si enim sacerdotes destinantur ad offerendum hostiam sanctam et immaculatam, nempe Christum Iesum, nonne beatissima Virgo hanc hostiam prima omnium aeterno Patri obtulit?.. Si vero summus Pontifex ad Ecclesiae regimen constituitur, nonne Virgo benedicta, non solum Ecclesiam post Christi ascensionem, sed ipsum Petrum Christi Vicarium, sua sapientia et consilio rexit?

3. Congruit Deiparae *Zona*, seu *Cingulum* militare. — Antequam quis ad pugnandum egrediatur, arma sumat oportet. Quaecumque autem sit vestis militaris, cingulo constringi solent lumbi, ex quo gladius pendeat. Ad rem Iacob moriens sic Gad filium suum benedixit: (*Genes. cap.* 49. *v.* 19): *Gad accinctus praeliabitur.* — In libro 4. Regum (*cap.* 3. *v.* 21) haec habemus: *Universi Moabitae audientes, quod ascendissent reges, et pugnarent adversum eos, convocaverunt omnes, qui accincti erant balteo desuper.* Hinc etiam regius Psalles ad Deum conversus sic loquitur (*Ps.* 44. *v.* 4): *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime;* scilicet uti exponit Tirinus, innixus auctoritati sanctorum Basilii et Cyrilli: *Accingere, et para te ad daemones profligandos, et impios homines tuae fidei et servitio subiugandos.* Denique ipse David alibi sic loquitur (*Ps.* 17. *v.* 13): *Praecinxisti me virtute ad bellum.*

Virgo Deipara proculdubio est *mulier illa fortis, quae accinxit fortitudine lumbos suos, et roboravit brachium suum* (*Prov. cap.* 31): *adeo fortis*, subiungit divus Clarevallensis Abbas (*ser.* 9 *inter parvos*), *ut illius serpentis caput contereret, cui a Domino dictum est: Inimicitias ponam inter te et mulierem; semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum.* Ipsa est illa invicta Debbora, de qua legimus in libro Iudicum (*cap.* 4 *v.* 9), quod Deus dedit victoriam in manu mulieris. Si ita igitur res se habet,

quis Deiparae cingulum seu balteum militare denegabit?

4. Congruit Deiparae cingulum iustitiae. — In Isaia legimus (*cap.* 11. *v.* 5): *Et erit iustitia cingulum lumborum eius.* Haec prophetia Christum proculdubio respicit; et doctissimus a Lapide opportune inquit (*sup. hunc loc.*): Dicitur cingulum, *quia sicut Christi humanitas tota cingebatur a divinitate, ita et a iustitia.*

Etsi iustitia proprium et peculiare sit nomen unius de quatuor virtutibus cardinalibus; simul tamen hoc nomine complexus virtutum denotatur. Sub hoc respectu Evangelista Matthaeus (*cap.* 3. *v.* 15) inquit: *Sic decet, nos implere omnem iustitiam:* alibi (*cap.* 5. *v.* 6): *Beati qui esuriunt, et sitiunt iustitiam:* et denique (*cap.* 5. *v.* 20): *Nisi abundaverit iustitia vestra plus quam scribarum et pharisaeorum.*

Post Christum benedictum, de sua Sanctissima Matre proculdubio adfirmari potest, quod *iustitia cingulum lumborum eius fuit.* Ipsa implevit omnem iustitiam, uti decuit Dei Genitricem: ipsa incessanter esurivit et sitiit iustitiam, adeo ut progressa semper fuerit de virtute in virtutem: ipsius iustitia abundavit, non solum plus quam scribarum et pharisaeorum, sed etiam plusquam omnium angelorum et sanctorum.

Post divum Augustinum (*lib. de corrept. et grat. cap.* 1. *circ. med.*), Angelicus doctor divus Thomas (2. 2. *quaest.* 79. *art.* 1) docet, *ad iustitiam legis pertinere declinare a malo, et facere bonum.* Has autem partes integrales iustitiae beatissima Virgo excellenter exercuit 1. declinando a malo. Divus Ambrosius (*lib. de Virginib.*) de B.M.V. loquens, inquit: *Nullum solicita fuit laedere... Quando illa vultu laesit parentes? quando unquam discessit a propinquis? quando fastidivit humilem? quando vitavit inopem?* Concinit divus Hieronymus (*in sermonib.*), qui haec de ipsamet Deipara praeconia scribit: *Nec iraicentem illam ullus vidit; hanc maledicentem nemo audivit etc.* — Quod autem spectat alteram partem, nempe iustitiam consistentem in faciendo bonum, nos adfirmare possumus, quod omnia et singula opera sanctissimae Dei Genitricis, non modo bona, sed et perfecta in gradu summo creaturis possibili fuerunt. Equidem quaenam illi virtutes defuerunt? Heroica obedientia iussionibus Caesaris Augusti, descriptionem et tributum praecipientis; sollicita charitas in longo itinere suscipiendo ad visitandam Elisabeth, eiusque domum coelestibus muneribus implendam; legum exacta observantia, licet ab aliquibus iure merito posset eximi, uti contigit in lege purificationem mulierum puerperarum praecipiente; pietas exemplaris erga Deum, potissimum in Hierosolymitano templo invisendo; humilitas profundissima; studium paupertatis eximiae; totalis resignatio divinae voluntati, praecipue in adversis. Quid plura?.. De ipsa igitur proculdubio illud Isaiae usurpare possumus (*cap.* 11. *v.* 5): *Et erit iustitia cingulum lumborum eius.*

5. *Zona seu cingulum* fidei etiam beatissimae Virgini congruit. Isaias (*loco nuper citat.*), postquam iustitiam cingulo comparat, subiungit: *Et fides cinctorium renum eius.* Re quidem vera fides est fundamentum spiritualis aedificii (*div. Thom.* 1. 2. *q.* 89. 2. *ad* 2): est etiam radix aliarum virtutum. Dicitur autem fides *cinctorium renum*, quia omnia opera sine fide meritoria esse non possunt; *nam sine fide impossibile est placere Deo* (*ad Hebr. cap.* 11. *v.* 6).

In beatissima Virgine, eminenter supra caeteros, virtus fidei proculdubio extitit. Diva Elisabeth Spiritu sancto afflata, de eius fide testimonium edidit illis verbis (*Luc. cap.* 1. *vers.* 45): *Beata quae credidisti:* Ipsa in fide nunquam haesitavit, ne quidem in nocte passionis Filii sui; unde bene ei congruunt verba Proverbiorum (*c.* 31. *v.* 18): *Non extinguetur in nocte lucerna eius.* Bene igitur beatus Albertus Ratisponensis antistes inquit (*l. de B.M.V.* 96): *Beata Virgo simul cum habitu fidei habuit actum, quo perfectius quam Adam in sopore, et quam Ioannes supra pectus Domini, et quam Paulus in raptu, cognovit mysteria supernaturalia.* Fides ergo iure optimo dicitur *cinctorium renum eius.*

6. Adest etiam *cingulum* castitatis, quod beatissimae Virgini merito congruit. — Antiquitus *zona* virginitatis erat insigne, quam proinde coniugatae solvebant (*vid. a Lapid. sup. cap.* 31). *Proverbior. vers.* 17). In Evangelio divi Lucae (*cap.* 12. *vers.* 35) legimus haec Domini verba: *Sint lumbi vestri praecincti.* Mystice lumbos praecingimus, cum carnis luxuriam (cuius, uti et seminis, origo est in lumbis) per continentiam coarctamus, uti docent S. Gregorius (*homil.* 13), s. Augustinus (*serm.* 39. *de verb. Dom.*), S. Basilius, Beda et alii. Beatissima Virgo lumbos habuit praecinctos, non quatenus opus haberet coarctare et refraenare carnis luxuriam: nam ipsa, ex speciali Dei gratia, fuit *ab omni contrario seu repugnante libera.* Ipsa non poterat usurpare illud Pauli (*Rom. cap.* 7. *v.* 23): *Video aliam legem in membris, meis repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati:* fomes enim peccati, qui, cum a peccato sit et ad peccandum inducat, ad castitatem violandam allicit, a principio suae sanctificationis in ea vel sublatus totaliter, secundum opinionem plurimorum, vel saltem ligatus fuit, uti Angelicus divus Thomas docet (3. *p. q.* 27. *art.* 3). Quamvis igitur, uti antea innuimus, beatissima Virgo opus non habuit coarctare carnis luxuriam; tamen cingulum castitatis opportune ei congruit, quo vel sublatum vel ligatum fuisse fomitem concupiscentiae a primo suae sanctificationis momento, declaratur. Immo non solum castitatis, sed et virginitatis integerrimae *zona* ei debetur; quam ipsa tam caute custodivit, ut parata fuerit divinae maternitati potius vale dicere, quam illius *cinguli* pati detrimentum. Deus autem, ut sanctissima Virgo memoratum *balteum* custodiret, inaudito miraculo effecit, ut ipsa, quemadmodum ante partum, ita et in ipso partu, et post partum sua lilia intacta servaret.

7. Congruit etiam beatissimae Virgini *Zona* seu cingulum poenitentiae. — De Elia Thesbite legimus (4. *Reg. cap.* 1. *v.* 8), quod erat *vir pilosus, et zona pellicea accinctus renibus.* Similiter Ioannes Baptista, uti legimus in Evangelio Matthaei (*cap.* 3. *v.* 4): *Habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos suos.* Hanc autem *zonam* Ioannes habe-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

bat, inquit a Lapide (*sup. hunc loc.*), *ut illa magis vestem cilicinam corpori apprimeret, utque magis carnem pungeret et mortificaret, ac spiritui subiectam redderet.* Ille igitur qui baptismum poenitentiae praedicare venerat, in tota sua vita, in veste, et in ipsa *zona*, eamdem poenitentiam confirmavit.

De huiusmodi poenitentiae cingulo profecto loquebatur Zacharias propheta, cum haec memoranda verba dicebat (*cap.* 6. *v.* 26): *Filia populi mei, accingere cilicio, et conspergere cinere; luctum unigeniti fac tibi.* Equidem in lucta et in adversitatibus mos erat Hebraeis accingi cilicio, vel sacco, seu *cinctura* coriacea. Praedicta autem Zachariae verba Deiparae optime quadrant, quae *luctum unigeniti* fecit sibi in morte dilectissimi Filii sui, qui eius unigenitus fuit.

Verum fortasse quis dicet: Poteratne benedicta et immaculata Virgo Maria cingulo poenitentiae praecingi? Ut huic obiectioni satisfaciam, praemittenda est distinctio inter poenitentiam uti sacramentum, et poenitentiam uti virtutem. Divus Albertus (*sup. Missus cap.* 69. *cap.* 73. *cum seq.*) docet, beatissimam Virginem suscepisse Sacramentum poenitentiae, licet peccatum in se non admiserit. Ratio autem ab ipso adducta ad thesim probandam, quaeque confirmatur etiam a Gregorio (*in cap. ad eius d.* 5), haec est: *Bonarum mentium est ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est. Recognoscebat ergo Deipara, se fuisse debitricem peccati originalis contrahendi, et a Filio suo redemptam; cui peccato fuisset obnoxia, nisi divina gratia praeveniente fuisset praeservata. Sacramentum igitur poenitentiae recepit in excellenti aequipollentia: nam pro contritione habuit innocentiae conservationem; pro confessione gratiarum actionem; pro satisfactione vero supererogationem* [*vide etiam Busti Marjale Virg. p.* 4. *serm.* 11. *p.* 1. *ad* 3). Verum, salva semper reverentia auctoritati tanti doctoris, quam sequuntur etiam alii, nos huic opinioni non subscribimus: contraria enim sententia nobis magis arridet. Re quidem vera, quomodo potuisset Deipara sacramentum poenitentiae recipere, cum in illa omnino deerat materia, nempe actuale peccatum; cumque forma sine mendacio super eam pronunciari non potuisset, nempe: *Ego te absolvo a peccatis?*

Si vero loquimur de poenitentia, uti virtute, prae oculis habenda est doctrina Angelici doctoris, qui (1.*p.quaest.* 95. *art.* 3), loquens de virtutibus Adae in statu innocentiae, inquit: *Si imperfecto, quae est de ratione alicuius virtutis, repugnat perfectioni primi status, poterat huiusmodi virtus ibi esse secundum actum; ut patet de poenitentia et de misericordia... Unde huiusmodi virtutes erant in primo homine secundum habitum, non secundum actum.* Quemadmodum igitur poenitentia, iuxta allegatam doctrinam, erat in Adam innocente secundum habitum, poterat esse etiam in beatissima Virgine. — Insuper Glossa super illud Matthaei (*cap.* 3): *Poenitentiam agite*, inquit: *Poenitentia est prima virtus. Sed beatissima Virgo habuit omnes virtutes: Ergo et poenitentiam. Tandem pro omnibus sufficiat doctrina theologi Suarez, qui sic scribit* (*in* 3.*part.d.Thom. disp.* 3. *sect.* 2): *De quibusdam virtutibus, quae dicunt imperfectionem contrariam, vel virtuti heroicae et perfectae, ut est continentia, vel perfectae innocentiae, ut est poenitentia, dubitari potest, an fuerint in b.Virgine. Sed huius dubioli resolutio ex iis, quae de Christo diximus, petenda est. Continentia enim significat virtutem in statu imperfecto; et sub hac significatione non fuit in Virgine, quanquam propterea nulla virtute caruerit, quia continentia non significat virtutem re et essentia a ceteris distinctam. De poenitentia vero dubium non est, quin beata Virgo habuerit virtutem illam, quae in nobis poenitentia vocatur, sive sit eadem quae religio et charitas, sive distincta a reliquis. De nomine autem erit quaestio, an sub hoc nomine illi tribuenda sit. Nam quia poenitentia in rigore significat retractationem vel detestationem alicuius actionis proprie; ideo videri potest, negandum esse, Virginem habuisse poenitentiam, quia certissimum est, nunquam habuisse talem actum, neque egisse aliquid retractatione dignum. Quia vero poenitentiae virtus, non actum, sed habitum significat, ideo fere omnes simpliciter docent, fuisse Virginem capacem huius virtutis, quia de se capax erat peccati, quamvis gratia praeventa fuerit, ne illud committeret.*

Quidquid autem sit de memoratis opinionibus, quas eruditionis gratia exponendas existimavi, ad nostrum propositum veniens, dico, quod poenitere idem est ac *poenam tenere*. Poena profecto snpponit delictum. At poenitentia potest perfici ab aliquo sive pro delictis propriis, sive pro alienis. Sic Iesus Christus poenitentiam egit, non certe pro propriis, sed pro delictis totius mundi. Et licet nemo sanctorum mundus fuerit a sorde, tamen sancti non omnem poenitentiam egerunt ad abluendas proprias sordes; sed impleta satisfactione pro propriis iniquitatibus, quidquid superfuit meriti in memoratis poenitentiis, refusum est in Ecclesiae thesaurum, qui constat ex omnibus meritis Christi, et ex superabundantiis meritorum etiam aliorum sanctorum. Benedicta igitur Dei Parens, quamvis satisfactione opus non haberet, cum peccati expers prorsus esset, nulluinque motum inordinatum in sua carne sensisset, nihilominus 1 ut Christi passionibus magis magisque communicaret; 2 ut Dei gloriam tota animi contentione procuraret; 3 ut digna Mater esset illius, qui voluntarie totam vitam suam in ieiuniis, aliisque tum corporis, tum animi afflictationibus transegit, voluit et Ipsa purissimam carnem suam poenalibus operibus affligere, et cor suum multiplici gladio transverberari. Igitur cum dicimus, Deiparam *cingulo poenitentiae* praecinctam fuisse, sub nomine poenitentiae non intelligimus poenam pro propriis delictis, sed vel poenam, quam sustinuit beatissima Virgo, ut posset esse humani generis conredentrix; vel illas mortificationes et afflictationes, quae latiori sensu *poenitentia* dicuntur.

8. Denique Deipara iure merito praecincta est *cingulo ministrationis*. — In more positum erat apud Hebraeos, quod cum ipsi ministraturi erant, praecingebant se. Hac de causa Christus quum ministrare voluit Apostolis in extrema coena (*Io.c.* 13.*v.* 4), *cum accepisset linteum, praecinxit se.* — Sanctissima Dei Parens illud Ecclesiastici iure merito usurpare potest (*cap.* 24.*v.* 14): *In habitatione sancta coram ipso ministravi.* Ministravit enim Deo a tempore in quo vix trimula erat, cum in templo praesentata, in operibus manualibus inservivit: ministravit Deo in annunciatione, cum se ancillam Domini professa fuit: ministravit Christo in antro Bethlemitico, cum *pannis eum involvit*: ministravit, cum Christum in Aegyptum asportavit: brevi; semper ministravit; et de illa dici potest: *Satagebat circa frequens ministerium* (*Luc.c.* 10.*v.* 40.). Adhaec ministravit etiam hominibus: in domo Elisabeth profecto ministravit, et probabiliter Apostolis ipsis ministravit, utpote ministris Filii sui benedicti. Ego autem existimo, quod etiam nunc in coelo quodammodo ministrat, ita ut illa Ecclesiastici verba ipsi accommodari possint (*c.* 39.*v.* 4): *In medio magnatorum ministrabit;* non quatenus inserviat; ly enim *ministrabit* non tantum significat *serviet*, sed et *publica munia obibit*. Verum nonne munia magnifica sunt illa reginae, advocatae etc., quae a Deipara in coelo obtinentur? Nemo igitur ministrationis *cingulum* beatissae Virgini denegabit.

II.

Indubium est, per *mulierem fortem*, de qua in Proverbiorum libro sermo instituitur (*c.* 31), Deiparam tropologice intelligi, uti docet divus Bernardus (*serm.* 9. *inter parv. et fusius ser.* 2. *sup.* Missus est). Verum de hac muliere legitur (*cod.c.* v. 24), quod *sindonem fecit, et vendidit, et cingulum tradidit Chananaeo.* Memorata verba ita interpretari possunt convenienter ad nostrum argumentum *Chananaeus* idem est ac mercator: nam Chananaei, eo quod essent mari proximi, mercaturae et negotiationi maxime operam dabant (*vid. Calmet Dictionar. s. Script. ad voc.* Chananaeus, *et Corn. a Lapid. sup. cap.* 31. *Proverb. v.* 24). Per Chananaeos igitur Christiani intelligi possunt, quibus coelestis Paterfamilias inquit (*Luc.c.* 19.*v.* 13): *Negotiamini dum venio.* Maximum profecto negotium Christiani prae manibus habent, ipsisque curae esse debet, ut non thesaurizent *thesauros in terra, ubi aerugo et tinea demolitur, et fures effodiunt et furantur, sed... thesauros in coelo.*

Huiusmodi Chananaeis seu negotiatoribus beatissima Virgo cingulum tradit.

1. In signum dilectionis. — De Ionatha Saulis filio sic legimus (1. *Reg. cap.* 18.*v.* 4): *Expoliavit se Ionathas tunica qua erat indutus, et dedit eam David, et reliqua vestimenta sua usque ad gladium et arcum suum, et* (nota verbum) *usque ad balteum.* Hoc autem Ionathas fecit in signum singularis dilectionis, quia *anima eius conglutinata* erat *animae Davidis.* Pari modo Deipara, ut tenerrimae et malernae suae dilectionis pignus nobis largiatur, suam *balteum* seu cingulum dat nobis, quo ipsa, dum in terris agebat, se praecingi consuevit.

2. Beatissima Virgo dat suam Cincturam in signum foederis, quod nobiscum init. — Olim sponsi quando foedus nupliale inibant cum puellis quas desponsabant, *cingulum* eis, vel *zonam byssinam* donare solebant (*vid. a Lap. sup. epist. div. Pauli ad Ephes. cap.* 6. *v.* 14); illud autem *balteum* sponsae gerebant, quemadmodum nunc annulum, veluti rememorativum eiusdem initi nuptialis foederis, adeo ut, quae illo praecincta erat, ostendere videbatur, se ad fidem viro servandam, quoad viveret, obligari. Ideirco Deus populo Israel, quocum foedus pepigit, cuique dixit (*Oseae cap.* 2. *v.* 19): *Sponsabo te mihi in sempiternum, et sponsabo te mihi in iustitia, et iudicio, et misericordia, et miserationibus, et sponsabo te mihi in fide;* huic, inquam, populo, cum iam ad idola desciviset, inter alia, improperat per Ezechielem (*c.* 16. *vers.* 10): *Cinxi te bysso*, quasi diceret: O Israel, ego olim per meam gratiam, veluti cingulo, te mihi adstrinxi, ut admonereris pacti sempiterni, quod tecum stabilivi; tu vero *confregisti iugum meum, rupisti vincula mea* (*Ier. cap.* 2. *v.* 20), et *polluisti terram in fornicationibus tuis, et in malitiis tuis* (*Ierem. cap.* 3. *vers.* 2).

Si igitur cingulum signum est foederis, propterea beatissima Virgo nobis illud largita est, ut foedus nobiscum iniret: et quemadmodum Deus Israeli olim dixit per Ieremiam (*cap.* 3. *v.* 4): *Amodo voca me, Pater meus;* sic Deipara, eo ipso, quod sacram cincturam tradit, videtur dicere illi qui eam accipit: Ex nunc foedere sempiterno sociamur et iungimur: amodo voca me, Mater mea: Ego ero tibi in matrem, patronam, et auxiliatricem; et tu vicissim eris mihi in filium. — Memoranda sunt verba, quae Dominus populo suo direxit per Ieremiam (*cap.* 13. *v.* 11), quaeque repeti possunt a Deipara, dum suam cincturam tradit: *Sicut adhaeret lumbare* (seu cingulum) *ad lumbos viri; sic agglutinavi* (id est fere desponsavi) *mihi omnem domum Israel* (seu congregationem Cincturatorum), *ut esset mihi in populum, et in laudem, et in gloriam.*

3. Cingulum quod Deipara tradit, symbolum est continentiae. Divus Gregorius, cum exponit illa Christi verba (*ap. Luc. cap.* 12. *v.* 25): *Sint lumbi vestri praecincti*, sic inquit (*hom.* 13): *Lumbos praecingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus.* Sic etiam memoratum textum exponunt divus Augustinus (*serm.* 39. *de verb. Dom.*), sanctus Basilius (*in Isai. cap.* 15), venerabilis Beda, aliique passim. Audiatur Chrysologus (*ser.* 24): *Lumbos nostros adstringi iubet Christus balteo castitatis, et totum carnis nostrae pendulum, fluidum, resolutum, constringi mandat continua zona virtutis, ut carne succincta, ad Domini occursum, liber, velox, expeditus nostrae mentis redditur incessus.* Re quidem vera. Si, uti superius innuimus, origo luxuriae et seminis in lumbis est; merito per cingulum continentia significatur. Quapropter, observat divus Hieronymus (*vid. ap. a Lapid. in Epist. ad Eph. cap.* 6), quod cum concupiscentia comitetur ordinario generatio-

nem, lumbi in generatione pro semine accipiuntur, secundum illud: *De fructu lumbi tui ponam super sedem tuam.* — *Adhuc in lumbis erat Levi patris sui Abraham* etc., unde qui non servit libidini, dicitur accinxisse lumbos. Hac de causa sicut in veteri, sic etiam in novo testamento ministri sacri Altaribus operaturi praecingunt se; et interim hanc orationem proferunt: *Praecinge me Domine cingulo puritatis, et extingue in lumbis meis humorem libidinis, ut maneat in me vigor continentiae et castitatis.* — Notatu dignum est illud quod legimus de angelico doctore divo Thoma (*in lectionib. Breviar. die 7. Martii*), qui cum in sua iuventute mulierem, quae ad labefactandam eius constantiam ad eum introducta fuerat, litione fugasset, mox illo flexis genibus ante Crucis signum orante, ibique somno correpto, *per quietem sentire visus est sibi ab Angelis constringi lumbos: quo ex tempore omni postea libidinis sensu caruit.*

Sed illud quod angelorum ministerio Angelicus Doctor expertus fuit, nos mediante Deipara consequimur, quae lamen cum lumbos nostros sua sacra zona praecingit, non sequitur inde, quod postea nos omni libidinis sensu careamus (quod singulare beneficium aliquibus tantum concessum legimus); sed quod, licet non auferatur a nobis *stimulus carnis, et angelus satanae*, qui nos colaphizat, lamen illam divinam gratiam, Deipara mediante, consequimur, qua nostra *virtus in infirmitate perficiatur;* quaque per nostram cooperationem, castitatem in proprio statu, Deo adiuvante, servare possimus.

4. Est etiam sacra Cinctura benedictae Virginis symbolum poenitentiae, quam agere tenemur. Iam superius aliquid innuimus de Elia Thesbite, de quo (4. *Reg. cap.* 1. *v.* 8) legitur, quod erat *vir pilosus, et zona pellicea accinctus.* Incedebat enim hic Propheta Dei intonsus, prolixa barba et capillis, hispido vestitu et piloso, puta melote, sive pelle ovina vel caprina intonsa circumdatus, et zona pellicea accinctus, idest corio non apparato, sed adhuc villoso, quasi eremita mundi contemptor et poenitentiae sectator. Videri possunt quae de eodem dicta sunt a Cassiano (*lib.* 1. *Institut. cap.* 1). Diximus etiam superius de Ioanne Baptista, de quo apud Matthaeum legimus (*c.* 3. *v.* 4), quod *habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos suos.* Sanctus Chrysostomus, et alii passim Patres et Interpretes, ac nominatim divus Anselmus, et Eusebius Emissenus (*hom.* 1. *de Ioan. Bapt.*) inquiunt, vestem Praecursoris fuisse cilicium camelinum, quam vestem corpori per zonam pelliceam apprimebat constringebatque. *Sic*, inquit a Lapide (*sup. cap.* 3. *Matth. v.* 4), *ipse domabat carnem in iuventute, sanguine et calore bullientem, ne in luxuriam defluaret.* Scimus etiam, in veteri pacto, ad poenitentiam agendam, seu luctum manifestandum, Hebraeos sacco, et aliquando etiam cilicio, praecingi consuevisse. De sacco iam diximus. De cilicio lumbari legimus in libro 2. Machabaeorum (*cap.* 10. *v.* 25): *Machabaeus et qui cum eo erant deprecabantur Dominum, caput terra aspergentes, lumbosque ciliciis praecincti;* et in libro Iudith (*cap.* 4. *v.* 16): *Hi qui offerebant Domino holocausta, praecincti ciliciis offerebant sacrificia Domino, et cinis super capita eorum. Praesentibus temporibus quicumque poenitentem vitam profitentur, aliquam zonam*, seu cingulum deferunt circa lumbos suos. Praesertim in claustris, aliqui coriaceo balteo; alii lanea cinctura; alii demum funiculo cingulo praecinguntur.

Sacra cinctura beatissimae Virginis, circa quam hoic occupamur, profecto symbolum est poenitentiae: ideo ipsa est ex corio animalium mortuorum, ut qui ea praecingitur, mortis incessanter recordetur, et poenitentiam agat: ideo cum tribuitur, haec oratio ad Deum pronunciatur: *Omnipotens et misericors Deus, qui peccatoribus pietatis tuae misericordiam quaerentibus veniam et misericordiam tribuis, oramus clementiam tuam, ut hanc Corrigiam benedicere et sanctificare digneris, ut omnis personu, quae pro peccatis suis illa praecincta fuerit, atque eam portaverit etc.*, et idcirco demum vulgo cingulum beatissimae Virginis *Cincturo poenitentium* nuncupatur.

Verum hoc spectabile est, quod Deipara Virgo per suam sanctam Cincturam poenitentiam Cincturatorum mirifice adiuvat suo patrocinio, ut accepta sit coram Deo; et dilat thesauro innumerarum indulgentiarum, quae a summis Pontificibus concessae sunt. Per huiusmodi indulgentias, tam largas, ut fere nullus alius Ordo, quoad sciamus, illis gloriari possit, merita Domini nostri Iesu Christi, Deiparae Virginis, aliorumque sanctorum, ac praesertim divorum Augustini et Monicae, Cincturatis applicantur, eorumque poenitentia mirifice adiuvatur.

5. Benedicta Virgo dat nobis Cingulum fortitudinis et militiae spiritualis. — Milites et athletae omni tempore suos lumbos praecinxerunt, ut accincti fortiores evaderent, et maiori virtute pugnarent. Enimvero, inquit a Lapide (*in cap.* 12. *Luc. v.* 35), quod cum lumbi toti sint carnei et infirmi, cingulo stringuntur, ut homo fiat firmus et robustus. Exploratum est autem, tum viros, tum mulieres, nullum opus aggredi solere, quod fortitudinem requirat, nisi sint praecincti. Divus Chrysostomus (*vid. ap. a Lap. in ep. ad Eph. c.* 6. *v.* 13) observat, quod lumbi superiorum et inferiorum corporis partium sunt fundamentum et iunctura. Hinc est, quod laborantes et lassi plerumque manus illuc, quasi in fundamentum quoddam immittunt, ut hoc pacto se confortent: idcirco etiam qui prostrati sunt viribus, dicuntur *delumbati*, seu lateribus disrupti. Milites igitur opportune balteo lumbos praecingunt, ut fortiores evadant. Hinc divus Paulus (*in epist. ad Ephesios cap.* 6. *v.* 14) inquit: *State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti loricam iustitiae;* et David (*Ps.* 117. *v.*) ait: *Praecinxisti me virtute ad bellum.*

Huiusmodi cingulo virtutis roborat Sanctissima Dei Genitrix suos filios, ut parati sint ad bellum contra hostes nostrae salutis visibiles et invisibiles. Ego autem existimo quod diabolus perhorrescit et conturbatur ad aspectum sacrae cincturae; utpote quae vestis est illius, quacum inimicitias aeternas habuit; et quae immaculato suo pede caput suum ab ini-

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPILLA ALFONSINA
U. A. N. L.

Esta publicación deberá ser devuelta antes de la última fecha abajo indicada.

BV4254
.L3
C3
v.3 45131

AUTOR
CARTHAGENA, Joanne de

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
BIBLIOTECAS